GALENI OPERVM QVINTVS TOMVS

CLASSES DVAS QVINTAM ET SEXTAM COMPLECTENS, QVARVM ILLA MEDICAMENTOrum cum simplicium tum compositorum materiem, & eorundem compositionis rationem: hæc uarios detrahendi sanguinis modos tradit.

BASILEAE M D XLIX

QVINTA CLASSIS HOS
LIBROS HABET

De ſimplicium medicamentorum facultatibus libri undecim, Theodorico Gerardo Gaudano interprete. columna 5
De ſubſtitutis medicinis liber, à Iul. Martiano Rota latinus factus 321
De purgantium medicamentorum facultate, eodem Iul. Martiano interp. 327
Quos purgare conueniat, quibus medicamentis, & quo tempore, liber, eodem Iuliano interprete. 335
De theriaca ad Piſonem liber, Ioanne Andernaco interprete. 341
De uſu theriacæ ad Pamphilianum liber Galeni non genuinus, à Iul. Martiano Rota translatus 371
De antidotis libri duo, ab eodem Iul. Martiano latinitate donati 379
De compoſitione medicamentorum localium libri decem, à Iano Cornario medico primũ uerſi, ac uelut primum editi fuerunt, ab ipſo interprete Cornario repoſiti 449
De compoſitione medicamentorum per genera libri ſeptem, à Ioanne Andernaco latinitate donati 787
De ponderibus ac menſuris, Iano Cornario Medico interprete 1045

SEXTA CLASSIS HAEC
CONTINET.

De hirudinibus, reuulſione, cucurbitula, cutis conciſione, ſiue ſcarificatione, Iano Cornario Medico interprete 1053
De uenæ ſectione aduerſus Eraſiſtratum liber, Ioſepho Tectandro Cracouienſi interprete 1057
De uenæ ſectione aduerſus Eraſiſtrateos qui Romæ degebant, liber, eodem Ioſepho Tectandro interprete 1075
De curandi ratione per ſanguinis miſsionem liber, Theodorico Gaudano interprete 1101

Omnia per Ianum Cornarium Medicum recognita, & innumeris locis emendata.

Cap. 1. Quid dicatur medicamentũ, et quid facultas: & quomodo hæc quidẽ actu, illa uero potẽtia exiſtat. Et ꝙ ante hos libros tertius de tẽperamentis legi debeat. 2. Quopacto quãq; iudicare facultatẽ oporteat, ad id cui medicamentũ eſſe dicit᷑ aut alimentũ, per ſe non per accidens: idq; ex propria eius potentia & ſubſtantia, nõ ab accidentibus, ut colorib. &c. 3. Quo pacto diſcernatur quod ex accidente quid faciat, ab eo quod propria facultate. 4. De aquæ facultate. 5. Quo pacto iudicemus aquam puram. 6. Demonſtratio qua oſtenditur aquam frigefacere, ex cerati, quod ex ea conficitur, effectu. 7. Quod aqua potabilis humida ſit.

8. Quòd aqua aduentitiũ calorem nacta ſemper quidem humectet, non aũt ſemper calfaciat: uerum in ipſo quidem perfuſionis tempore calfacere, poſtea uero frigefacere conſueuerit. 9. Si à rebus exteris de medicinarũ facultate colligi quid oporteat, ex ignis cum illis commercio faciẽdum eſſe iudicium. 10. Quot & quæ prædefiniri oporteat, ut liceat ex alicuius affectiõe quæ ad ignem eſt, quo pacto aduerſum nos id ipſum efficiatur, colligere. 11. Quòd quæ ſubtiliorũ ſunt partium, promptius propriam exerant actionẽ, quàm quæ craſſiorum, tametſi eandem cum illis facultatem obtineãt. Multa ad ignem potentia eſſe calida, non item ad nos. Quòd omnia pharmaca (excipe frigida uenena) principium mutationis à calore noſtro accipiant. 12. Quòd ut quodq; in minores partes ſolutũ eſt, ita facilius mutetur, & promptius agat. 13. In cutim & poros multa uenarum & arteriarũ oſcula terminari, quibus tenuiſſimæ pharmacorum particulæ attractæ, & ab ipſorum calore in actum productæ, mox toti corpori uim & actionem ſuam communicent. Craſſa autem tam anguſtis meatibus attrahi non poſſe, neq; à uaſorum calore principiũ mutationis accipere. 14. Quòd corpora rariora citius ab igne accẽduntur ꝙ̃ quæ ſunt ſpiſſiora. Epilogus ſuperiorum. 15. Aquam tenuium eſſe partium nec unquam nos ex ſua natura excalfacere. 16. Non ſimpliciter quod citius ab igne accenditur, id ad nos quoq; apparere calidius. 17. Non quod citius à frigore congelaſcit eo quod tardius abſolute frigidius exiſtimare licere, ſed interea quæ parem ſortita ſunt cõſiſtentiam. 18. Quo differat cõgelatio à refrigeratione. Non ſimpliciter ab igne ad nos dicẽdum eſt aliquid calidũ: multò minus ab alijs remotioribus. 19. De aceto, lacte, &c. 20. Perperam multos cauterij inſtar acetum

A pronunciaſſe calidum. 21. Qua methodo cognoſcere liceat an calidum ſit acetum. 22. Quibus rationibus ſint uſi, tum ij qui ſumme calidũ: tum ij qui ſumme frigidum eſſe acetum pronunciarunt. 23. Acetum neutrum eſſe quod ad ſummè calida & ſummè frigida, quia neutrius extremorum eſt particeps. 24. Quo pacto aerem dicamus tenuiũ eſſe partium: & nec omnẽ ignem eſſe tenuium partium: nec quicquid tenuium eſt partiũ eſſe ignem. 25. Non omne quod mordax eſt tenue eſſe aut calidum. 26 Quomodo acetum obſcure uideatur calfacere. 27. Veteres medicos perperam indefinitam reliquiſſe facultatis eiuſdem generis medicamentorum qualitatem. 28. Perperam ſuperioris ſæculi homines à compoſitis medicamentis orſos, eorum quæ in illa ingrederentur ſimplicium pharmacorum iudicaſſe facultates. 29. Quòd & Empiricis cõtradicẽdi præbeant occaſionem, qui citra iudicium ac diſcrimen, ſimpliciter compoſitis omnibus facultatibus fidem habẽt.

B 30. Senſus haud contemnendos, tanquam ad explorandas ſimplicium medicaminum facultates ſint inſufficientes. 31. Vtrum in oxycrati potu acetum admiſtum ſit dũtaxat ut aquam deducat, an etiam ut ipſum quoq; refrigeret. 32. Quæ ſit ſitis cauſa. 33. Medicamentum quod in iudiciũ uenit nõ mixtum, ſed ſimplex eſſe oportere. 34. Quòd neq; aſtrictoria omnia cõglutinent, neq; conglutinatoria item omnia aſtringant. Vide etiã infra cap. 39. 35. Quòd non omnia adſtringentia refrigerent. 36. Perperam Herodotum ac Dioſcoridem, quæcunq; aut profluuijs aut dyſenterijs medentur, aſtringentia cenſuiſſe. De caprino adipe. 37. De proprijs ſenſus cuiuſq; ſenſorijs, præcipuè de ſaporibus ex Platonis Timæo. 38. De proprijs linguæ ſenſorijs, id eſt ſaporum differẽtijs: Et primum chymus & chylus quid differant: & quod ille ſit proprie ſapor ſiue qualitas guſtabilis: hic uero humidum à calore coctum in animalibus & plantis. C 39. Qua differat aſtringens ab auſtero & acerbo. Item de reliquis ſaporibus. Contra imperitos qui ſapores confundunt, omnia ferè aſtringentia appellãtes, ut ſupra cap. 34. 40. Nõ ad totam rerum naturam iudicandas medicamentorum facultates, ſicut naturales philoſophi faciunt, ſed ad noſtrã naturam. Argumentum ſecũdi libri: deinde tertij & quarti. Cur primos hos duos libros ſcripſerit: & quòd in tertio demum rem ipſam aggrediatur.

CL. GALENI DE SIMPLICIVM MEDICAMENTORVM FACVLTATIBVS LIBRI VNDECIM.

Theodorico Gaudano interprete.

LIBER PRIMVS.

Quid dicatur Medicamentum, & quid Facultas: & quomodo hæc quidem actu, illa uero potentia exiſtat. Cap. 1

QVANTVM cõferat ſimplicium medicamentorũ exacte facultates cognoſcere, quãq; neceſſariũ ſit tum ad uariorũ compoſitionẽ, tum ad inuẽtorum opportunũ uſum, non habeo nunc oſtendere: Nam id partim in opere de Medi- D camentorũ compoſitione, partim in Curãdi methodo monſtrabitur. Verũ quod deinceps ad temperamentorũ ſequitur tractationẽ, id in præſentia dicetur, ubi uidelicet prius uocabulorũ, quibus in hoc utemur libro, ſignificata definierimus. Medicamentũ, omne id dicimus quod naturã noſtram alterare poteſt: ſicut (puto) nutrimentũ, quicquid ſubſtantiã augere. Refert enim utrũq; ad aliquid. Porrò medicamentũ ſimplex & ipſum per oppoſitionem ad cõpoſitum nuncupatũ eſt. Eſt autem id, quod ſecundũ naturam ſuam ſyncerum eſt. At Facultas, cauſa quædam eſt effectrix. Eaq; partim

actu siue energia est, alia in futuro tempore. Actu A
quidē, ut calefaciēdi in igne, refrigerādi in glacie.
In futuro autē, ut calefaciēdi in pyrethro, & casto-
rio, & similibus: refrigerādi, in alterco, mādrago-
ra, & id genus. Sane quandā esse facultatē, in pur-
gatorijs quidē medicinis purgatoriā, uomitorijs
uomitoriā, sternutatorijs sternutatoriā, bechicis
(hoc est, ad tussim paratis,) bechicā, & unoquoq;
in opere alio peragendo, quæ denominetur ab eo
quod ipsa efficit, ferè nō est qui ambigat. At quæ
sit huius facultatis essentia, quidam certe nō posse
cognosci existimarūt: quales sunt Sceptici philo-
sophi, & qui inter medicos uocati sunt Empirici.
Sed & qui nosci posse arbitrant̄, inter sese dissidēt.
Quidā eñ ad magnitudines & figuras & situs cor
pusculorū ac meatuū, quos ὄγκους & πόρους appelli- B
tant, referūt. Alij ad caliditatē, frigiditatē, humidi
tatē, ac siccitatē, pro sua uidelicet utriq; prima ele
mentorū constitutiōe. Quare & nos, quia in libro
de Elemētis secundum Hippocratem, ex calido,
frigido, sicco, & humido, cum aliorū omnium cor
pora, tum animantium constare ostendimus: has
effectricium facultatū essentias tum in alijs omni-
bus, tum in medicamētis statuemus. Sic autē & in
tertio De tēperamentis demonstratū est. Ac qui
uolet quæ nunc dicenda sunt assequi, in eo tracta-
tu se prius exerceat oportet: quippe cum illic quæ
uniuersim, ac in genere de medicamentis nouisse
cōueniat, exposita sint, nec hic toto utiq; in gene-
re quicq; noui dicemus: uerū quæ illic generatim
sunt scripta, ea hic speciatim elaborabimus. C

Quo pacto quamq; iudicare facultatem oporteat. Cap. 2

In primis quidem, ac maxime sumendū est iudi
candæ facultatis experimentū ab ea re ad quā dici
tur. Siquidē non protinus si hominē refrigeret ci-
cuta, et sturnū refrigerabit: aut si sturnū nutriat, nu
triet & hominē. Eadem ratione neq; si hominem
purget ueratrū, cōtinuo purgabit & coturnices:
neq; etiam si hos nutrire ualeat, cōsequens statim
est, ut & homines. Proximum est, ut quod ex acci
denti est, distinguatur ab eo quod primario ac per
se. Nam aqua frigida calorē quādoq; reuocat, cu-
tem refrigerādo, cōtrahendoq;, ac condensando.
Ad id enim caloris cōsequitur reuocatio, uelut in
tertio de Temperamētis ostendimus. Rursum ca-
lida quoq; ipsa sępenumero refrigerat, excalfaciē- D
tem nimirū humorem digerendo. Nam si his ada-
mussim distinctis, ad inquirendæ facultatis explo
rationē accesseris, haud facile, mea quidē sentētia,
falli queas. Cæterū à nullo alio desumi iudiciū, q̄
ab eo ad quod dicitur, id quidē perfacile est: nō ui
delicet an insecta animalia oleum interimat, neq;
an pingue, aut lentū, aut leue sit cōsiderātes, cum
calfacere, aut frigefacere, aut humectare, aut sicca
re corpus humanū ualeat, inquirit̄: eundem in mo
dum neq; an colore sit rubro rosa, neq; an albo ce-
russa: siquidē necessariū non est, quicquid rubrum
sit, esse calidū, neq; quicquid albū, esse frigidū, sed
an admota corporib. nostris primario ac per se ex-
calfaciāt, ac nō interueniente quopiā, neq; ex acci
dente. Ac si ita quidē, facultate esse calida, ut si re-
frigerēt, frigida. Nam per deos immortales, unde
nam dicere possumus, an calidum sit facultate al-
bum piper, granū cnidiū, cnicus, calx & ueratrum
albū: aut unde q̄ frigidus sit samius aster, terra seli
nusia, cerussa, nix, & lac. omnia eñ ea coloris sunt
cādidi, uiribus uero uel maxime pugnāt. Sunt er-
go nix & calx colore simillima, uirib. autē pugnan
tissima, sed pugnantiā sensus dijudicat. Siquidē ni
uem applicatā protinus ac primo statim occursu
frigidam percipimus, & quoad tangat̄ magis sem
per magisq; frigefacere sentimus. Videmus por-
rò ipsam neq; durare, neq; seruari posse, si uel leuis
calor occupet. At calx neq; primo occursu refrige
rare percipit̄, & usq; dum applicata manet, perspi
cuo magis ac magis excalfacit. Ex quo constat ex
eo q̄d semper unū idēq; efficiat, q̄ad nos cōtingit
medicamē, propriā eius iudicandā esse facultatē.

Quo pacto discernatur quod ex accidente quid faciat, ab eo quod propria facultate. Cap. 3

Etenim quod ab initio ad finē usq; dum applica
tum est, magis semper calfacit: id nō ex accidente,
sed ex sua natura est tale. Sic etiā quod à principio
ad finē usq; refrigerat, ex sua facultate est frigidū,
non ex accidente. At sanè si nihil moratus, atq; ex
posteriore, ac post ablationē facultatē eius expen
dere uoles, sæpenumero falleris. Ac forte nōnun-
quam aquā frigidam, nō frigidam modo, sed & ca
lidā possidere facultatē dices: ubi uidelicet frigefa
cere semper dum nos cōtigerit apparebit, frigidā:
ubi uero calorē reuocabit, calidā. Quare hæc indi
scriminata relinquenda nō sunt. Dandaq; insuper
opera, ut quodcūq; medicamentū in iudiciū uoca
re uelis (id quod in libris De tēperaturis monui-
mus) omnis sit expers alienę tum frigiditatis, tum
caliditatis: ne uidelicet natiuā eius facultatē adsci
titia qualitas adulteret. Ad hæc, quæ & ipsa præce
pimus, nutrimentū à medicamento distinguito,
atq; ea utraq; ad aliquid dici memento: tum circa
eandē sæpe substantiā cōsistere, uelut & id quoq;
mōstrauimus. Nec secius q̄ quædam tota substan
tia in sese mutuo & agant & patiant̄; quædam ue-
ro una duntaxat, aut duabus qualitatibus. Super
hæc, alia itidē esse tenuia, siue tenuiū partiū (Græ-
ci λεπτομερῆ uocant) alia crassa, siue crassarum par
tium (παχυμερῆ Græci nomināt.) Tenuia quidē,
quæ facile in tenues cōminui partes possint: cras-
sa, quę cōtra. Atq; ut semel dicā, omniū meminisse
distinctionū oportet, quas in tertio De tempera-
mentis posuimus, ut secundū illas medicamento-
rum omniū speciei facultas explorari ualeat.

De aquæ facultate. Cap. 4

Esto sanè prima nobis in contemplationē pro-
posita aqua: q̄ nimirū ea & cōmunissima homini-
bus omnibus sit, tum sanis, tum ægrotis, & ad ui-
tam maxime necessaria. Primūq; eucrato, siue tē-
perato corpori applicator ipsa neq; frigida insigni
ter neq; calida: Deinde ijs qui natura sunt intem-
perati: Tertio, his qui ex affectu intemperiem ha-
bent. Nam hoc pacto exacte in omnibus propriā
eius facultatē perpenderis. Igitur tēperato admo-
ta plusculo tēpore, ipsum omnino refrigerabit: in
tem

temperato uero, citius quidẽ refrigerabit id quod frigidius natura fuerit, tardius uero quod calidius. Semper aũt oĩa refrigerabit, etiãsi nõ multis deinceps diebus, sed uel una quis hora, aut pluribus ea utatur. Nec eñ talis in ullo omniũ calorẽ reuocare poterit. Nam quæ summe frigida est, si quadrato ac iuuenili corporis naturæ pauculo tempore adhibeat, caloris molietur reuocationẽ: Sin aliter utaris, semper refrigerabit. Quin etiã si ijs quoque, qui simplici laborãt morbo, siue calido tẽperie, siue frigido, eiusmodi admoueatur aqua, hos etiã manifesto refrigerabit. Nam simplex sit affectio oportet, queãdmodũ utiq; in tertio De Temperamẽtis definitũ est, quò uidelicet quæ adhibetur, ex sua natura refrigeret, nõ ex accidente quopiam: quippe cum frequẽter, ubi cõpositus fuerit affectus, aliud primario medicamentũ efficiat, aliud ex accidẽte eueniat: uelut in phlegmone. Est enim ea affectio calidæ copiosęq; fluxionis soboles. At quæ modicę excalfaciũt pharmaca, cũ superfluitatẽ euacuãt, protinus, opinor, & quod affectum est, frigidius efficiunt. Verũ cum simplex unaq; fuerit affectio, quod ex accidente fit, in ea prouenire nõ potest. Ergo si hac ratione expẽdas, aqua potabilis undiq; uidebitur frigida. Nõ est tamen eadem aliarũ aquarũ, quæ sulfur, bitumẽ, aut nitrũ qualitatibus suis referũt, facultas. Siquidem earũ omnino nulla, ubi alienę tum caliditatis, tum frigiditatis expers adhibita fuerit, frigefacere conspicit. Quinimmo nec marinã ipsam priusquã adscititiũ frigus summũ acceperit, admodũ refrigerare apparet. Nam siquis in potabili aqua totum diem innatet, ut etiã non admodũ sit frigida, sed uelut ex sole tepens, necessario tamen refrigerabitur. At mare cõplures iuuenũ interdum pertulere nõ per diem modo totam, sed etiã adiũcta nocte. Ex quo liquet, aquã potabilem certe & dulcẽ, secundum naturã suam semper esse frigidã: mare uero non æque. Quòd si non semper in sermone adijciam, potabilẽ, sed dicã simpliciter, quantũ ex se est, aquã esse frigidã, haud calumniari oportebit, tanq; insufficiẽter & indistincte locutũ. Nam quæ exacte ac syncere aqua est, omnis alterius substantię mistione uacans, ea ex necessitate ex sua facultate est frigida. Siqua uero per bituminosa, sulfurosa, nitrosa, aut aluminosa loca distillãs, substantiæ eius aliquid absterserit, secũq; traxerit, mista iam ea est, non aũt exacte aqua: uelut si ipse quoq; uolueris aut salem, aut alumẽ, aut aliud id genus affatim aquæ miscere potabili, sicut sanè sępenumero facere cogimur in marinæ inopia, quãdo muriam facere uolumus. tunc eñ salem aquę indimus: ac tantũ ipsa facultate iam dissidet, ut si aqua dulcis, uidelicet quę neq; insigniter aut calida aut frigida sit, sed uelut ex sole tepida, erysipelati affundatur, noxã omnino nullã hominis corpori sit allatura. At si marinã aquã, aut muriã, aut id genus aquam mistã, bituminosam uidelicet aut sulfurosam admoueas, usqueadeo hominẽ offenderis, ut partẽ ipsam sis adusturus. Aqua igit̃ ipsa ex sese frigida est facultate. Porrò si extraneã caliditatẽ adeptam

A corpori hnmano perfundas, putabis forsan simplex quoddã & naturale adhibitũ medicamen: at ea quodã utiq; modo cõposita est, aut igneæ essentię partẽ aliquã nacta, aut certe om̃ino ipsam qualitatẽ. Vt eñ si salem illi miscueris, ex cõfesso fuerit cõposita: sic multo magis si igneã aut essentiam aut qualitatẽ adieceris, cõpositã quodãmodo effeceris. Est porrò etiã aqua limosa quadantenus cõposita, uelut est aqua Nili, & quæ in Aegypto est. Sed ea per fictilia uasa percolata, planè pura efficitur. Oportet aũt nõ semel, aut bis, ter'ue percolare, quando ne sic quidẽ forsan adamussim puram queas efficere: uerũ quando qui aquæ infertur limus, omnẽ effugerit sensum, satis tũc est ut queas dicere, tales, ut ad usus eiusmodi, puras esse aquas.

Quo pacto iudicemus aquam puram. Cap. 5

B Iudicãtur aũt hæ tribus sensibus, nempe gustu, uisu, & odoratu. Gustu pura est, si nullam offerat qualitatẽ, sed exactè qualitatis expers appareat. Visu, cũ syncera fuerit, ac plane perlucida. Sic nec odoratu ullã præ se ferre qualitatẽ debet, ut sunt quædã extremæ prauitatis, quæ aut aciditatẽ, aut acrimoniã, aut salsedinẽ, aut putredinẽ, aut aliud indicibile aliquod uitiũ præferũt. Igitur aqua quæ absq; his est omnibus, ut ad naturã suam certe, ne ipsa quidẽ adamussim syncera fuerit, sicut nec aliud ullũ elementorũ sensibiliũ, sed ut ad sensum & usum syncera est. Talis ergo, ut est propositum, secundum suam naturã frigida est. Quippe si ualde excalfactã non modo aquã, sed uel mandragorã, uel altercũ, uel cicutã, uel meconiũ admoueris, nõ solum excalfeceris, sed etiã usseris corpus humanum. Omnia itaq; quæ examinãda uenient medicamina, om̃is extraneæ ualentisq; tum caliditatis, tum frigiditatis, aliena sunto, nedum aqua.

C

Demonstratio, qua ostenditur aquam frigefacere ex cerati, quod ex ea conficitur, effectu. Cap. 6

Porrò quòd aqua omnis dulcis perspicuo frigefaciat, hinc quoq; didiceris. Ceratũ liquidum si ex aqua frigida subactũ accurateq; madefactũ calido affectui imponas, protinus ipsum frigefacies. Oportet aũt quamplurimũ admiscere ipsius aquæ: mistioq; hoc maxime modo optime perficitur. Ceram quantũ fieri maxime potest purissimã oleo liquantes liquidum facere ceratũ oportet: deinde refrigeratũ, ac derasum, in mortario manibus subigere, aquam affundendo frigidam, quantũ nimirum ceratum accipere ualet, ac nondum aqua diffluat. Id refrigerat & eos qui in febre utuntur, si hypochondrijs superponatur, & omnem phlegmonen: similiter herpetes quoq;, & carbũculos, tum erysipelata, & phygethla, ac breuiter omnes morbos calidos. Ergo si non aquã dulcẽ, sed marinam aut muriã illi admiscẽs in uno prædictorũ quouis uti uolueris, non paruã omnino differentiã cõspicies: quippe cum id medicamentũ adeo nullam propositarũ affectionum amplius refrigerabit, ut insuper accẽdat potius. Adeo multa est diuersitas potabiliũ aquarũ, & muriæ seu maris: similiter uero & earum quæcunq; sulfur, aut bitumen, aut nitrum, aut chalcanthum, aut misy, aut chalcitin, aut

D

ut simpliciter dicam, quæ calidorum natura medicamentorum gustu aliquod referunt. Inimicæ em̃ sunt omnes calidis corporum nostrorum affectibus. Ex quo claret, has omnes facultatibus esse calidas, solam uero aquam potabilem frigidam.

Quod aqua potabilis humida sit. Cap. 7

Cæterum quod hæc quoq; propositarum omnium aquarũ sola sit humida, planè ex eadem disces methodo. Nam ulcera quæ supra modũ squalida siccaq; sunt, si hac irriges statim admodum humida molliaq; reddes, cum aliæ aquæ uniuersę ulcera desiccent. Tum piscatorum ulcera adeo uidentur sicca, ac si forent salita. Contra eorum qui in balneis uersantur, humida apparent ac mollia. Quin si imbutum linamentum ulceribus imponere libeat, humida quidem à potabili, sicca à muria marinaq; reddi comperies. Aquæ quinetiam aluminosæ, quales sunt in Italia uocatæ Albulæ, cum alijs ulceribus idoneæ sunt: tum uero quæcunque fluxionibus tentantur, ea perfacile desiccant. Sic nec cæterarum aquarum ulla humectare potest, quòd uidelicet non sint exacte aqua, sed mista & adulterata, accepto nimirũ aut alumine, aut chalcitide, aut sale, aut id genus aliquo. Quocirca earum nonnullæ ulcera quoque exasperant, nempe quæ acres admodum sunt & mordaces. Quinetiam sitienti dulcis aqua remedio est: cæteræ uero acerbiorem etiam sitim relinquunt. Tum aqua inter cutem laborãtibus aduersissimũ est & poculum, & lauacrũ aquæ dulcis: salsarũ uero, ac nitrosarum, & sulfurosarũ, bituminosarũq; omniũ sanè perutile. Imitari autem potes sicut marinã, sic aliarum quamlibet, substantia uidelicet admista quæ in quaq; uincere conspicitur. Nam sulfure in aquã dulcem indito, sulfurosam effeceris: alumine, aluminosam: ac eodem modo aliarũ unam quanq;.

Quod aqua aduentitium calorem nacta, semper quidem humectet, non autem semper calfaciat: uerum in ipso quidem perfusionis tempore calfacere, postea uero frigefacere consueuerit. Cap. 8

Hæc ergo propria aquæ natura humida est & frigida. Porrò aliunde calorem adepta, excalfacit quidẽ & humectat quibus est admota: uerũ haud similiter ambo præstare potest. Summe nanq; humectat seu tepida sit, seu temperata, seu etiam calidior. Summe autem nõ calfacit, nisi quæ extreme ferueat. Quod dico, in tẽperata primum exploremus natura. Igitur si huic aquam afferas temperate calidam, eaq; uel laues, uel partẽ aliquam identidem perfundas: in ipso quidem perfusionis tẽpore calidiorem simul & humidiorem efficies: quòd si deinde quiesces, nec corpus frigidæ usu postea cõtrahes, constipabis ac densabis, paulo post seipso frigidius relinqui conspicies: quippe cum corpus rarefactum transpirãte immoderatius calore natiuo, frigidius efficiatur. Non tamen sicut frigidius postea calidæ usus corpus destituit, ita & siccius. Quanq; profecto uideri id possit, tum ob spiramentorũ raritatẽ, tum ob corporis mollitiẽ, tum ob substãtiæ fusionem: plusculum siquidem in ijs affectibus euaporetur necesse est. Atqui uapor

A humor est extenuatus. Verũ non ita habet rei ueritas. Nam mollities, quam calidæ aquæ lotionib. acquirunt corpora, solius humiditatis propriũ ac inseparabile signum est, in animãtis uidelicet corpore: uelut in opere De temperamentis est demõstratum. Sanè indicio esse potest ulceratarum partium caro, quæ id ipsum perspicuo ostẽdit, ut quæ in istis ex aqua calida perfusionib. mollis atq; algæ ritu fluida efficitur. Quanquam sanè corpus illiusmodi affectionibus inanitur, ut minus tunc in sese habeat humoris quàm antea. Videriq; uenia digni possunt, qui per calidas lotiones, atq; aquæ moderate calidæ perfusiones siccari corpus existimant. Nam similis horum est error, atq; illorũ qui credunt senes adolescẽtibus esse humidiores. Plu-

B ribus nanq; senes excrementis redundant, sed similares ac genuinæ (quæ πεφυκότα μόρια nuncupant) organicæq; partes adolescentibus magis sunt humidæ: ut id quoq; in secundo De temperamentis monstrauimus. Perinde se res habet in perfusionibus, ac lauacris, omniq; adeo ex aqua calida irrigatiõe. Siquidem humores qui in uasis alijsq; communibus spacijs sunt, exhauriũtur omnes: at ipsa uasorum corpora, & uniuersum genus carnosum seipso fit humidius. Atq; hãc solam facultatẽ nunq; aqua deponit. Neq; enim cum feruens corpora exurit, quæ usta sunt reddũtur sicca, uti quæ ab igne sunt assa. Rursum nec cum summã adepta frigiditatẽ per diem totum, aut etiam longiori tẽpore parti cuipiã perfunditur, eam sicciorem effi-

C cit, tametsi rugosa atq; admodum exilis relinquitur. Verũ hæc eueniunt, ꝙ qui in uasis alijsq; spatijs est humor, exhaustus sit, at partes genuinæ solidæq; nulla sui partes sicciores euadunt. Huiusq; semper meminisse oportet, tum toto sermone perpetuo obseruandum: ex euidenter apparentibus colligendam cuiusq; medicamẽti facultatem: Ac semper ad quod quid dicitur calidum, frigidũ, humidum, aut siccum, ad id esse æstimandum.

Si à rebus cæteris de medicinarum facultate colligi quid oporteat, ex ignis cum illis commercio faciendum esse iudicium. Cap. 9

Porrò siquis uelit ex superabũdanti à rebus externis probationes ducere, ne id quidẽ prohibeo: uerũ animũ diligenter aduertat consulo. Nam ad-

D modum lubrica res est, nec paucos obtinet fallendi modos. Sed has in cõsequentibus edisserã. Cæterum quod solũ quis à rebus externis sumpserit, ut id quod iudiciũ subit medicamentũ, aut excalfacere, aut refrigerare probet, id in ignis commercio contactuq; cõspicitur. Neq; enim usqueadeo absurdum est, quod facile in ignem uertitur, id calidum facultate putare. Memoria enim, opinor, tenemus omĩa huius uocis Facultas significata, quæ in tertio De temperamentis definiuimus. Vnum igitur ex ijs erat & id, quod ex propria eius quod dicitur, materia, tale est facultate. siquid enim facile in ignem uertitur, id facultate est ignis, nõ actu scilicet. Nam hoc quod est Facultate, ex aduerso ei opponitur quod est actu. alterũ uero quod est per se, ei quod est ex accidente. Hanc ergo iudicij ratio-

rationem considerare ac distinguere conuenit.

Quot & quæ prædefiniri oporteat, ut liceat ex alicuius affectione quæ ad ignem est, & quo pacto aduersum nos id ipsum afficiatur, colligere Cap. 10

At quibus consilium est tuto à rebus extraneis ad corpora transire animalium, uidere primū debent, an tenuis sit essentiæ, an crassę, quod explorandū uenit. Secundo, an sibi continuū, densumq́ ac solidum, an interuallis interceptum, ac rarum. Quocirca his immorādum prolixius est. Videtur enim id quoddam esse principium, ac uelut elementum multam considerationem postulans.

Quod quæ subtiliorum sunt partium, promptius propriā exerant actionem, q̄ quæ crassiorum, tametsi eādem cum illis facultatem obtineant. Cap. 11

Igitur eorum quæ in confesso est facultate esse calida nullum omnino apparet nos excalfacere priusquam in tenuia sit cōminutum. Nam siquis piper solidum cuti inspergat, nullam planè caliditatem percipiat: eadem ratione siquis uel linguæ imponat, aut deglutiat, aut alio pacto utatur integro, haudquaquam diligenter trito, & cribrato, ac nō adeo comminuto, ut pollinem tenuitate referat. Nam quod pollinis instar cuti inspergitur, excalfacit, ac maxime si affricueris: pręterea quod linguæ admotum fuerit, aut in uentrem deuoratum. At quod solidum integrūq́ imponitur, nec cutem calfacit, & linguæ uentriq́ exiguum duntaxat caliditatis sensum mouet. Itaq́ cū tenuium esse partium dicantur quæ facile in tenues partes cōminuuntur, solidarū crassarumq́ partium quæ contra: tum dura uiscosaq́ ægre ac difficulter, aut omnino in tenues cōminui nō possint: fragilia uero, & quæ citra uiscositatem mollia sunt, prompte in tenues soluantur: hinc constare arbitror, multa esse facultate calida, ac facile accendi, uerū nos haud facile excalfacere. Nam ignis, ut qui omniū est tenuissimus, simulq́ calidissimus, & in profundum facile penetrat, & cōminuit, & uincit, extenuatq́, atq́ in suam deniq́ naturā cōuertit, undequaq́ scilicet cōtingens, & quod cōtingit exuperans. At nostra caliditas supra q̄ ꝙ crasse sit essentiæ, & halituosa, insuper infirma est, ut non facile mutet quod cōtigit. Ostēsum est aūt in tertio De tēperaturis (quo sine, quæ hic dicunt, assequi est impossibile) nullum eorum quæ nos excalfacere apparent, perinde ut ignē posse calfacere, uerum ut materiam accendi facilem. Siquidem mutationis principium à nostra caliditate accipientia, ut calami aridi ab igne, nos contra recalfaciūt, & uelut partes fiūt quędā caloris natiui, sicut illi ignis. Nam quod prius erat calamus, id nunc fit ignis, ut etiam mutatis ipsum ignis essentiam totam adaugeat. Monstrauimus autem quædam ubi uel leuem fuerint mutationem adepta, secundum naturam deinde suam ad plurimam mutationem procedere. Quamobrem mirandum non est si quædam medicamenta primæ quidē mutationis principium à nostro calore nacta, inde iam pergant eum quoq́ qui mutabat superare. Nam cum corporis cuiusq́ proprietas alia habilis sit ad suscipi-

A endum calorē, alia inhabilis: fit ut paria principia non sequatur par incrementum.

Quòd pharmaca, quæ paruam sortita sunt molem corpoream, magis agant quàm quæ magnam. Cap. 12

Quinetiā ꝙ corpus admodū exile facilius alteratur, mutatᷣq́ ab eo cui admotū est: q̄d aūt grādius est, non nisi tēporis spatio, ac uix tandē etiam sensibilem alterationem sustinet: id cum non modo à physicis naturam scrutantibus sit demonstratum, sed cuiuis etiam homini rei ipsius experiētia notum, satis magnum adfert testimonium ijs quę modo dicebamus. Quippe si piperis particulæ à nobis accipere debent mutationē, eoq́ accipiant facilius, quò fuerint minutiores: mirandū non est, si eas tanto citius excalfacere experiamur, quāto

B accuratius in minimas fuerint comminutæ.

Medicamenta parem etiam sortita tum facultatem, tum consistentiam, quanto rarioribus applicentur corporibus, tanto ocyus actionem suam exercere. Cap. 13

Quinetiam quòd extima cutis superficies callosa sit duraq́ & frigida, tum quod sub ea est, quanto profundius subeas, tanto sit calidius, nemo ambigit. Huic sanè rationi si duo etiam principia in alijs à nobis tractationibus demōstrata adiecero, ita denique uniuersum possis colligere. Alterum quidem ad demonstrationem principiorum, siue lemmatum, siue axiomatum, siue propositionum, siue utcunq́ nuncupare libebit, in commentarijs De temperamentis demonstratum est: cutē uidelicet omnem in primo statim ortu sibi esse

C continuam, at temporis spatio perforari, ac plurima nancisci spiramēta, ritu cribrorū. Altera utilium ad ratiocinationē propositionū est, corpus uniuersum expirabile esse ac inspirabile, ut inquit Hippocrates. Fusius autē de hac dictum est in libro De usu pulsuum, ubi demonstrauimus arterias, ubi se dilatantes undiquaque, & per omnes meatus attrahunt, non aerem modo halitumq́ attrahere, sed quicquid trahi etiā facile ac tenue sit, ad spiritalis essentiæ motum impetūq́ expedite consequi. Quibus sic se habentibus, multæ uenæ arteriæq́ aperiūtur in cutis meatus & in ipsius superficiem internam: ac in meatuum perforatiōes haud pauca peruenire uenarum arteriarūq́ oscula existimandū est, nihiloq́ secius ad extimam su-

D perficiem, ita ut ipsæ osculis ibi finiant: tum quicquid piperis ad exactissimū redactum fuerit pollinem, simul cum ambiēte aere ab arterijs attrahi, ipsumq́ protinus à calore natiuo alterari, idq́ tū ob paruitatem, tum ob ingenitam ut à calore alteretur aptitudinem. Siquidem haud aliud illi erat facultate esse calido, quàm facile posse incalescere. Quòd si semel id illi insit, non mirū est, per omne corpus tēpore perlatum, ipsum recalfacere: ac proinde primum maximeq́ ab id genus medicamentis incalescere partes quas primum contigerint, deinde quæ his sunt proximæ, & continentes: ac sic deinceps tertio quartoq́ loco, pro situs uidelicet uicinitate, cū ea quæ primo incaluerat, incalescere. Hęc sciētifica cōstant demōstratione, non tamen ijs satis credibili, qui in primis non fue

rint exercitati. Oportet em̃ in ijs quæ De elementis sunt ratiocinationibus esse uersatũ, atq; in commentarijs De temperamentis, & usu pulsuum, & ante hæc omnia in demonstrandi methodis peritum. Sane paucis datum est omnia percurrere. Verum his quidem suffecerit (mea sententia) in euidentibus duntaxat uersari, paucis attactis cõmunibus rationibus siue epilogismis. Itaque causam quamobrem non excalfaciũt corpora humana ea quæ crassa adhibentur, etiamsi natura sint calida, ijs duntaxat qui ratione assequi ualeant, dictã esse reputent, sibiq; satis esse persuadeãt, quod euidenter sensibus apparet. Apparet aũt euidenter crassorum omniũ nullum prius quàm ad unguẽ comminuatur extenueturq;, neq; ipsum à corpore nostro quicquã perpeti, neq; rursum in nos posse agere. Nec enim solum in pipere, sinapi, canchry, cæterisq; omnibus quæ nos excalfaciũt, ita se res habet, sed æque item in facultate frigidis. Nam si quis radicis mandragoræ corticem in magnas partes confractam cuti imponat, aut illinat, aut deglutiat, planè nihil efficiet: at si admodũ sit comminuta, refrigerare potest. Sic etiã papaueris semen, & cicutæ (tametsi hoc sit omniũ refrigerantium ualentissimum) tamen antequã exacte cõminuatur cuti nostræ impositum, planè est imbecillũ. Ne te ergo magna teneat admiratio, quòd calami aridi piliq;, tametsi accendi promptissimi sunt, non tamen nos cõtactu excalfaciant: quippe qui planè à nostro calore mutari nequeãt, ut sic recalfaciãt: q; uidelicet pollinis ritu cõminui non ualeant: quandoquidẽ calamus Indicus, quem & odoratum appellitant, cũ tundi, cribrari, ac planè magis quàm qui apud nos nascitur comminui ualeat, clare nos excalfacere conspicitur, sicut uno ore omnes qui ætate nobis maiores sunt medici, confitentur.

Quod corpora rariora citius ab igne accenduntur, quàm quæ sunt spißiora. Cap. 14

Porrò considerandũ est (quemadmodum proposui) nõ solum crassarũ sit partium, an tenuium, explorandorum medicaminũ substantia, uerumetiam rarane, an spissa densaue. Voco sanè rarum, cuius partes spatijs inanibus interceptę sunt. Intelligentibus uidelicet nobis, ac semper recordantibus, quo pacto dicatur spatiũ inane ab ijs qui unitam esse dicũt substantiam: non quemadmodum Epicuro et Asclepiadi est uisum: Imo aere plenum est in raris corporibus spatiũ inane. Vbi ergo eiusmodi spatijs multis corpus fuerit distinctum, facilius quàm spissum accenditur, etiamsi quod ad caliditatis frigiditatisq; attinet temperiem, similiter illi sit affectum. Nã qui in ijs spatijs cõtinetur aer, cum sit ad patiendum promptissimus, primo statim ignis occursu accẽditur atq; inflammatur: unà uero secũ corpus uniuersum accendit, unamquanque eius partem nimirum occupans. Ergo si parua corpora, cingente ea circunquaq; flãma, prompte accenduntur (nam id clare conspicimus) non sine ratione corpus rarũ celeriter accẽditur, utpote cum profundas eius partes omnes flamma contingat. Sic itaq; calamos aridos ignis celeriter exurit, tametsi minus sint alia substãtia calidi, idq; ob meatuum multitudinem, quos aer quidem occupabat: ubi uero ignis contigit, flamma depascitur. Aer enim accensus, flamma est: terra uero, carbo. Porrò q; aeris plenos meatus multos aridus calamus obtineat, summũ argumentum est ipsius leuitas, Nam siccũ natura corpus leue esse alioqui nequeat, nisi inanitate sit præditũ. Eundẽ in modum pumex & spongia sicca, atq; om̃ia adeo quæcũq; fistulosa sunt, multumq; uacui obtinent, pondere sunt leuia. Sic sanè & calamus non eo duntaxat quòd siccus est, sed quod plurimi aeris est particeps, prompte accenditur. At à nostro corpore ægre proinde calfieri potest, quod essentiæ sit crassæ. Quando igitur medicamenti cuiuspiã ex ignis commercio temperiem colligentes, scrutari statuimus, an aduersum nos eodem modo se gerat, substantiæ eius respicienda constitutio est. Nam si tenuis quidem sit, sed cõtinua, eandem & in nos naturam ostendet, quam prius in ignem. Sin autem rara sit & crassa, fieri potest ut ab igne quidem per facile alteretur, non tamen à calore nostro, ac proinde nec nos recalfaciat.

Aquam tenuium esse partium, nec unquam nos ex sua natura excalfacere. Cap. 15

Posteaquam igitur hæc eum in modum definita sunt, rursum ad sermonem de aqua redeamus. Nam quòd tenuis sit essentia, argumẽto est quòd promptissime per pilos & uestimenta perfluat. Nam propter humiditatem mollitiemq;, quæ nihil habeat adiunctum uiscositatis, diuisibiles partes obtinet, & quę facile in minimas possint distrahi, Talis cum sit, tamen neq; nos ex sua natura calfacit, neq; proprium est ignis nutrimẽtum, immo omnino contra aduersatur, & dissidet, atq; extinguit, ut quod illi sit aduersissimum. Nec mirũ est, si cum igne natura tum calidissimo, tum siccissimo, pugnet aqua, quæ frigida est & humida. Coniectura quidem igitur ex ignis sumenda commercio, quo pacto quodq; medicamentum in calore frigoreq; se habeat: non tamẽ protinus existimandum, tale ad nos uideri, nisi tenuium sit partium, & spissum. Sic oleum tametsi facile in flammã uertitur, non tamen admodum celeriter nos excalfacit, nimirum lenta crassaq; substantia sua tenaciter ijs inhærens quæ primum contigit. proindeq; longissime omnibus perdurat quibus fuerit illitum, scilicet nec ab ambiente facile aut extenuari aut digeri potens, nec intrò in corpus prompte transumi. Aqua uero econtrario et celerrime in halitum soluitur, atq; expedite digeritur. Proinde etiamsi in idem uas cõiectam aquam oleumq; decoquas, prior tamen aqua absumitur. Sic item si lithargyro, aut cerussa, aut id genus aliquo cum aqua diligenter commisto simul ambo decoquere uoles, priorem digeri aquam experiere.

Non simpliciter quod citius ab igne accenditur, id ad nos quoq; apparere calidius. Cap. 16

Non ergo simpliciter quod citius accenditur, protinus ad nos apparet calidius. Siquidem ante ostensum est, ut calefacientium aliud simpliciter

citer erat calidum, ut ignis: aliud exsuperantia ca A
lidum, uelut qui in nobis est calor: sic eorum quæ
facultate sunt calida, aliud esse eiusmodi, ut ad id
quod primo et absolute est calidum, aliud uero ut
ad id quod per exuperantiã dicitur. Quamobrem
nõ absolute ab ea quæ aduersus ignẽ est in iudici-
um ueniẽtiũ medicaminũ dispositiõe, ad nos tran
sire expedit, sed adiecta limitatione proposita.

Non quod citius à frigore congelascit, eo quod tardius, absolute frigidius existimare licere, sed inter ea quæ parem sortita sunt consistentiam. Cap. 17

Eadem hæc limitatio itidẽ necessaria est, quan
do ex eo quòd quid facile conglatiatur, frigidum
esse colligimus. Num in ijs quæ eandem habent
aut tenuitatẽ aut crassitudinem cõsistentiæ, quod
ocyus à frigore congelatur, temperamenti est fri- B
gidioris. Nam si alterum sit tenuius, puta exempli
causa uinum: alterum crassius, ut oleum: non est
necesse aut citius, aut magis concrescere quod est
frigidius. Verum si quanto alterum est frigidius,
tanto alterũ quoq; crassius sit: similiter ambo con
crescent. Cæterum magis concretũ uideatur, ipsa
uidelicet consistentiæ duritia, quod fuerit essen-
tiæ crassioris. Nam rationabile est, reor, similiter
congelatorum quod crassioris fuerit essentiæ, iti-
dem fieri durius. At si uel alterum plus sit frigidi-
us quàm reliquum essentiæ crassioris, aut contra
minus frigidius quidem alterum, sed alterũ crassi-
oris essentiæ, haud etiam pari tempore hęc conge
lascere est possibile: uerum quod plus est frigidi-
us quàm alterum essentiæ crassioris, minori tem- C
poris spatio: quod uero minus est frigidius quàm
reliquum essentiæ crassioris, maiori. Sic etiam ma
gis minusq; alterum uideri durius, id pro excessus
portione euenire est necesse.

Quo differat congelatio à refrigeratione Cap. 18

Hæc ergo memoriæ mandare oportet, tum
quòd non idem sint congelari & refrigerari, &
quòd illud maxime à refrigeratione proueniat.
Nam refrigerari est frigidam accipere qualitatẽ.
At congelari est durescere præ frigore. Ergo quæ
cunq; corpora tenuis sunt essentiæ, cum facile per
petiantur, prompte tum incalescunt, tum refrige-
rantur, at non æque prompte congelant: ut aer &
ignis. Nam hic planè nõ congelat: ille autem, nem
pe aer, non perinde ut uitrum, ut pix, ut cera, resi- D
na, bitumen: tametsi bitumẽ sit uel calidissimum:
uerum essentiæ eius crassities ac terrenitas, ad cõ-
gelationis celeritatẽ adiuuat: ac si tetigeris calidũ
etiamnũ planè tamẽ congelatũ reperias: sicut (pu
to) & plumbũ & stãnum non aliter concreta sunt
etiamnũ feruescentia. Sic aquã Hippocrates, quæ
celeriter & incalesceret & refrigeraretur, semper
esse leuissimam retulit. Nam quanto tenuior fue-
rit, tanto pati prõptior est. Atqui quæ tenuior est,
minimum habet limi terrestris. Non ergo absolu-
te, nec temere ex materiæ passionibus ad ignem
conijcere eius ad nos facultatẽ oportet, uerum ad
iunctis limitationibus suprapositis. Quare nec æ-
que securum iudiciũ, ꝙ id quo ad nostrũ corpus
quid examinamus. Atqui hoc etiam ulterius tran
seunt, planè in multis errorũ periculis uersantur.
Quanquam id faciũt medicorum complures, alij
omne quod uiscosum est, calidũ asserẽtes, alij quic
quid adstringit, nõnulli quicquid est dulce, quidã
uero etiã quod austerũ acerbumue est. Sũt autem
qui singulis illorum cõtraria defendant. Sed qui
in istis errores cõmittantur, postea narrabo. Nunc
autem præsentem sermonẽ consilium est absolue
re, nempe ut si quis ex ignis cõmercio materiam
iudicare uolet, non absolute, neq; citra limitatio-
nem id faciendũ, neq; perinde ad ignem & homi-
nem habere quicquid iudicatur, putandũ. Nam a-
qua igni aduersissima est, ut quæ facultatẽ sortita
est frigidam & humidam. Muria uero, marina, bi-
tuminosaq; & sulphurosa aqua, non æque: quip-
pe cum id genus omnes ab aqua ad calidius reces-
serint. Verũ de sponte natis aquis (Græci αὐτοφυῆ
uocãt) uel hæc sufficiãt. Siquidẽ ubi medicaminũ
uniuscuiusq;, quorum qualitates accipere aquam
ostensum est, sermonem singillatim tractabimus:
si nunc aut obscurius quippiam aut imperfectius
sit dictum, id tunc adijcietur.

De aceto. Cap. 19

Sed ad reliqua nunc liquidorum medicami-
num transibimus: inter quæ uel maxima est con-
trouersia de aceto, alijs frigidũ, alijs cõtra calidum
adstruentibus: nonnullis calorem quidem quen-
dam illi concedentibus, sed quendam etiam aufe
rentibus, uelut qui acetum uinum esse mortuum
asserunt. Nam hi propriam uini caliditatem perdi
disse quidẽ, uerũ ex putredine assumpsisse aliam
quandã contendunt. Atq; ego sanè non multum
abest, quin illorũ laudẽ sententiã, in eamq; prom-
pte accedam, procq; hac assertione atq; opinionẽ
pericula omnia subeam, siquam machinã aut ar-
tem inuenire queam, sicut in lacte contrariarum
partium separationis, ita hic quoq;. Nunc autem
quòd lac uniuersum non sit homœomeres & simi
lare, neq; undequaq; sibi idem, clare mõstrat coa-
gulatio, excogitata uidelicet multis hominib. ra-
tione, qua partes caseosę à serosis separari possint.
Atqui neq; tale quid repertũ est, neq; manifestò
demõstrare possis, ꝙ quantum eius est tenue, atq;
exacte humidum, refrigeret: quod uero secundũ
fecis substantiam in eo defertur, uelut in uinis, ca-
lefaciat. Nam ea solum ratione aperte quis proba
uerit, ex contrarijs ipsum partibus cõsistere, sicut
lac. Sanè in omnibus liquoribus, quos exprimen-
dis fructibus cõficiunt, crassum defertur quippiã,
quod temporis spatio subsidit: fex uocatur in ui-
no, in oleo autem amurca. Sed & in omnibus alijs
inest quod illis proportiõe respondet, tametsi pro
prium nomen sortitũ non sit, quod uelut fex est in
illis. Vtiq; & in aceto est eiusmodi quippiã, & for-
san ipsum est quod caloris est particeps: quod ue-
ro frigoris, id quod tenue est. Fortassis uero & in
ipso tenui exiguum quiddam defertur multo tem
pore præparatum, alterius naturæ quàm ipsum sit
totum. Nam quòd maiori parte frigidius sit quàm
calidius, liquido ijs apparere arbitror, qui uerè fa
cultatem eius expenderint.

Perpe-

Perperam multos cauterij instar acetum pronunciasse calidum. Cap. 20.

Nec satis mirari queo, qua ratione ducti quidã, usqueadeo calidum esse acetum pronunciarint, ut cauterio ipsum assimilarent. Nam hac, inquiũt, ratione sanguinis eruptiones (αἱμοῤῥαγίας Graeci uocant) reprimit. Primum enim tanta caliditas sensum nostrum non fugeret. deinde ad illorum calidorum imaginem omnino utiq; crustam efficeret, calidis medicinis similiter. Nam id planè cõspicimus, ubi per ea sanguinem sistere statutum est, crustam relinqui haud exiguam. Siquidem nisi crustam effeceris, sanguinem haud represseris. Nam ea uelut operculum fit corporibus sanguinem profundentibus. Proinde sanè etiam cauteria planè candentia illis applicare consueuimus: compertũ nimirum habentes, quæ non sunt eiusmodi, præterquam quòd nihil proficiant, insuper lædere, ac sanguinis profluuium irritare. Nec sanè ignis ex sua ratione, aut quòd calfaciat, ipsum sistere potest: uerum idcirco, quia cũ urit quæ contigerit, quod ex ustione reliquum est, operculum subiectis partib. relinquat, id quod Grecis appellari consueuit ἐσχάρα. [Latini autem crustam uocant.] At acetum haud perinde ut crustam facientia medicamenta, sed potius ut adstringentia citra crustam, sanguinis fluores cohibet. Itaq; hac quidẽ ratione nõ excalfacere, sed refrigerare putetur. Præstat tamẽ, ut & supra monuimus, à talibus coniecturis recedere, utpote quę iudicium ad sensum haud referãt, neq; ex propè positis aut uicinis, sed è longinquo & longis lemmatis siue sumptionibus rationem colligunt. Aperiã autem copiosius illarum absurditatem in libris sequentibus.

Qua methodo cognoscere liceat, an calidum sit acetum. Cap. 21.

Nos autem secundum methodũ, siue rationem ab initio positam, uim eius experiemur: primum in ijs quibus inculpata constat sanitas, mox in intemperatis, deinde & in ægrotantibus. Itaq; spongiam aut lanam aceto madentem cuiuis sani corporis parti superponemus: deinde, ut ante est positum, protinus rogabimus, idiotas scilicet, atq; ex plebe aliquem (nam illorum in istiusmodi incorruptum est iudiciũ, quia nulli uidelicet dogmati seruiliter sunt addicti) nunquid calorem, an frigus percipiant. Id uero satis constat, ꝙ illud nec summe frigidum, nec calidum admouebimus. Nam et de hoc supra uerba fecimus. Sanè si tale fuerit ꝙ applicatur acetum, potissimum si non admodum inueteratum, neq; extreme acre, manifestum principio frigus percipiẽt, itidem & post unam, duas, tresúe horas: postea uero, post sublationem scilicet, sensim nascentis in parte caloris phantasiam ac opinionem habebunt. Porrò si uehementer acre acetum extiterit, & hoc etiam refrigerari se principio dicent, celeriter tamen recurrentem calorem sentient, non autẽ longo post tempore, uelut in recentiore, ac non ualde acri aceto. Ex quibus constat, omnino frigidũ quidem esse acetum, sed quędam etiam obtinere calorem, qui acrimo-

A niæ ratione per accidens spatio temporis mediocriter corpora excalfaciat, tametsi id non ubique, sed in quibusdam duntaxat possit efficere: nam laxis ac doloris expertibus tumoribus, neque protinus, neq; postea caloris sensum aceti usus commouet: mordicatio tamen in illis quędam percipitur, ob quam sæpenumero ijs qui diutissime utuntur, tenuis quidam recurrit rubor. Itaq; neq; primario, neq; proprio ordine excalfacere uideri possit, sed acrimoniæ morsu irritare. Porrò quandoquidem à sanis corporib. ad affectus semel delapsi sumus, suggeramus quæ in calidissimis & frigidissimis affectibus efficere queat. Ergo siquis ab illita thapsia uratur, ardor aceto restinguitur. Id quod, cui libitum est, experientia discere licet: uelut nos profecto fecimus in nobis ipsis, quò accurate medicamenti potentiam experiremur. Illitis enim multis
B in locis tibijs, ubi post quatuor, quinquéue horas inflammari cœpissent, huic quidem parti acetum, illi aquam inspersimus: alij uero oleum, alij rosaceũ inunximus: & alijs atq; alijs alia atq; alia, quæ aut acrimoniam hebetare, aut calorem refrigerare credũtur: sed eorum omnium acetum compertum est efficacissimum. Quocirca manifestũ est, non eo quòd acrimoniam, ac mordacitatem obtundat, sicut oleum & rosaceum (nam id præstare hæc possunt) sed quia refrigeret, tale esse. Quippe si excitatas à thapsia phlegmonas aliter sanare nõ liceat, nisi aut refrigerando, aut morsum siue acrimoniam obtundendo, nec alterũ præstare ualeat,
C consequitur utiq; necessario reliquam uim sanasse. Alias porrò reliquas calidas passiones omnes, phlegmonas puta, herpetes, phygethla, erysipelata, carbunculos, aliàs plus, aliàs minus refrigerare consueuit. Quapropter nisi uehementia illi atque asperitas facultatis molesta inesset, haud alio sanè utendum ad refrigerandum foret.

Quibus rationibus sint usi tum hi qui summe calidum, tum hi qui summe frigidũ esse acetũ pronunciarũt. Cap. 22.

Tametsi quidam reperiantur, qui maximum id caliditatis eius argumentum constituunt. Non enim, inquiunt, neque acre, neque mordax, neque asperum, neque erodens foret, nisi affatim illi inesset caliditas. Nam sicut frigidi est contrahere ac refrigerare, ita calidi secare atq; diuidere: id quod in primis efficere acetum ualet: quippe quod se-
D cet atq; erodat, non modo animantium corpora, sed & grumos, callos, lapides, fictile, æs, ferrum, plumbum, ac tantum non uelut ignis cuncta peruadat ac penetret, nec ulla possit substantia penetrationis eius uehementiam aut sustinere, aut illi reluctari ac resistere. Nam subtile haud secus esse atque ignem, non leui testimonio illi tactum esse: quin & gustantibus ita uideri, & per subtilissima uestimẽta promptius aqua perfluere, omniaq; exedere, uti paulo supra diximus. Et quidnam, obsecro, aliud ipsum his uerbis quàm ignem pronunciãt? Non aliter quàm qui frigore grumos ipsum soluere contendunt, premendo uidelicet, densando, ac omnia undequaq; stringẽdo, ac siquis digitis amplectens cõpresserit. Nã hi rursum adeo excedunt

cedunt, ut & niue frigidius ipsum adstruant. Sed utrorumque castiganda immoderatio est. Neque enim ut frigidum sit, iam niue frigidius: neque ut calidum, omnium calidissimum pronũciandum est. Siquidem nisi iuxta medium foret, ac longe ab extremorum utroque dissitum, non tanta incidisset de facultate eius controuersia. Nam de cicutæ aut mandragoræ uiribus nemo ambigit, neque de nasturcij, & canchryos, uerum illa omnibus medicis in confesso est facultate esse frigida, hæc uerò calida. Eundem in modum altercum & meconium frigida, piper & sinapi calida. Ad hæc innumera sunt alia quæ aut esse calida, aut frigida, uno ore medici omnes fatentur.

Quod acetum neutrum esse dicimus, ut ad summe calida, & summe frigida, quia neutrius extremorũ est particeps. Cap. 23

B Cæterum acetum, sicut utique & rosaceum, neque esse summe calidum, neque rursum summe frigidum, uel ex ipsa dubitatione satis cõstat. Neutrum enim horum sit necesse est. Siquidem cum neutra tripliciter dicantur, uti diuisit Herophilus, partim amborum extremorum participatione, partim neutrius, partim nunc illius, nũc huius, omnino & hæc aut aliquo significatorum, aut aliquibus, ex neutrorum natura fuerint. Mihi sanè magis uidetur utriusque extremorum participatione. & quòd nunc sensibiliter calfacere uideatur, nunc rursum refrigerare. Sic ergo neutra dici possint acetum & rosaceum. Quòd si quis ea neutra ostendere conetur, quia neutrum participent, C ne illi quidem etiam forte probabiles quædam rationes deerunt, sed non erunt demonstratoriæ ac scientificæ. Id me exacte compertum habere confido, & maxime de aceto. Nam quòd suę utrisque sint rationes probabiles, tum ijs qui frigidissimum demõstrant, tum ijs qui calidissimum, non paruum indicium est, ipsum utriusq; esse particeps. Admodum tamen difficile est rationi, contrariorum participationem concedere, cum non liceat substantiã eius aut soluere, aut scindere, uelut in lacte facimus, & alijs compluribus, quę omnia sermonis progressus aperiet. Proinde euidentius magisq; periculo uacans principiũ optamus assequi. Porro ut mihi quidem uidetur, indagandum illud principium est ex naturæ tum tenuitate, D tum crassitie, de qua dictum quidem supra est, uerum nunc quoq; copiosius de illa disserere expedit, quandoquidem & Plato de principijs longum haberi sermonem oportere prodidit.

Quo pacto aerem dicamus tenuium esse partium, & nec omnem ignem esse tenuium partiũ, nec quicquid tenuium est partium, esse ignem. Cap. 24

Igitur nemo aerem nõ dicit esse tenuem, quòd uidelicet in tenues facile partes comminuatur, quodq; per corpora dẽsissima expedite penetret: aut si ex alia re quapiam tenuitatis uocabulum illi attribuant, clare nos doceat. Nec eñ ex corpusculis exilib. tenuibusq;, ut alterius sectæ principes asserunt, & nos quoq; aerem constitui fatebimur. Nam continuus est, totusq; unus, nihil usq; in se uacui cõtinens. Porrò in eiusmodi corporis

A natura tenuitas intelligitur ex sola in tenuia diuisionis celeritate. Verũ si ea ratiõe ignis est tenuis, haud omnis ignis tenuis iudicabit: quippe quum æs, ferrũ, lapis, lignum, atq; adeò quicquid in carbonem uerti potest, sit ignis, non tamen quàm antea tenuius: flãmę tamẽ, cũ aliud sint ignis genus, re uera tenues sunt. Quocirca nõ omnis ignis est tenuis, nec quicquid tenue, protinus & ignis fuerit. Siquidẽ & pruna ignis quidẽ est, sed nõ tenuis: & aer tenuis, uerũ non ignis. Quid ergo tam in prõptu habẽt hasce propositiões utrasq; tũ medici, tũ philosophi paulominus omnes, omnẽ ignẽ esse tenuẽ, & quicquid tenue sit, esse igneũ? Nam si acrius quis attẽderit, animumq; diligẽter aduerterit, haudquaq; dixerit, prunã aere tenuiorẽ. Memoria namq; repetamus ambiẽtis nos aeris puritatem ac partiũ tenuitatẽ in uehementi frigore & boreali constitutione, ipsamq; cum ferro cõponamus ignito: manifesto enim ex illius modi exemplis cognoscemus, frigidũ quid esse quod sit exacte tenue, & calidum quod sit crassum.

Non omne quod mordax est, tenue esse, aut calidũ. Cap. 25

Quocirca haud cõcedendum arbitror quibusdam, qui acetum ex tenuitate sua mordacitateq; calidum esse colligũt. Nec enim quicquid tenue fuerit, id & calidum est: forte uerò nec quicquid mordax fuerit, & tenue. Verum in pręsens id illis detur: tametsi afferre liceret, niuẽ, boreã, aquam frigidã, non oculis dũtaxat, sed & ulcerib. & raris corporibus omnib. mordacẽ: uti Hippocrates inquit, ulcerib. frigidũ mordax. uerumetiã si quis et illud, ut dixi, cõcedat, quicquid mordax fuerit, esse tenue, non statim & calidũ cõcesserit. Itaq; nec acetũ proinde ꝙ mordax sit, calidum fuerit, sed tenue, uti aer borealis, non tamen calidum.

Quomodo acetũ obscure uideatur calfacere. Cap. 26

Vndenam igitur quibusdã obscuræ cuiusdam caliditatis sensus oboritur? Fortassis, ut ante dixi, ex contrarijs facultatibus compositum est, perinde ut lac. Forte uerò caloris ipsius reuocatione. Possit aũt, cum asperũ molestumq; habeat transitum, dolorem inde ciere, atq; eũ in locũ calidam elicere fluxionẽ. Siquidẽ id palàm est, partib. dolentibus quippiam influere. uerum multũ influere nequeat: quandoquidẽ acetum frigidũ est, & proinde id quod accurrit, repellens. At quod planè tenue est, id medicamẽti ansas effugiens, præterlabitur, neq; in parte figitur: haud etiam retrorsum, sicut id quod crassum est, repulsum. Sanè ad unguem tenuis quidam efflorescere rubor in partibus ab aceto irritatis conspicit̃. Forte uerò alia causa est, quæ comprehendi nequeat. Nam ob id ipsum procul ordiendã facultatis explorationem prohibuimus, quia in naturalia incidere problemata necesse est, eaq; nõ leuib. ambiguitatib. perplexa. Nobis igit̃ haud statutum est, sicut ijs qui naturam rerum scrutant̃, omnes omnium rerum causas exquirere, uerum medicaminũ facultates cognoscere, quò & illis dextrè uti, & boni cõpositorũ euadere artifices possimus. Nam quod sit impossibile aut probe ipsum medicamentũ componere

ponere, aut eo quod ab alio compositum est, ido nee uti, antequam simplicium medicaminum facultates pernoueris, abunde in libris tum De curandi ratione, tum De medicaminum compositione conscriptis ostēditur. Cum ergo is nobis in hac tractatione propositus sit scopus, ubi primū quod ab illis utile est inuenerimus, à physicis problematis recedendum est, quæ innumeris dubitationibus sunt intricata: quippe cū in qua in uniuersum temperatura, aciditas, dulcedo, lētities, amaritudo, salsedo, austeritas, acrimonia, & aliarum qualitatū singulæ prouenire sunt natæ, physici uiri scrutari nituntur, hæsitationes tum plurimæ, tum maximæ in oratione existere assolent. Has ego non secus uitandas censeo, quàm quædam præcipitia, cum præsertim ad manum sit uia regia, qua medicamēta iudicare liceat. Primumq; quod paulo ante præcepi, perpendendum nullam in ambiguo esse facultatem eorum quæ uehementer aut excalfaciunt, aut frigefaciunt: uerū de quibus ambigit, neutra sint necesse esse: Deinde pleraq;, ut ad sensum simplicia, ex pugnantib. cōstare facultatibus. Non enim solum lac, sed etiam sulfurosæ, bituminosæ, nitrosæ, & quæcunq; eius sunt generis sponte prouenientium aquarum, ex pugnantiū facultatū mistura nascūtur. Siquidem aqua ex sua natura frigida est & humida: bitumen autē, sulfur, misy, chalcitis, & eius generis alia, calida. Meminisse uero etiā oportet, calidorū haud pauca crassę esse essentię, nec pauciora frigidorū, tenuis: ac secūdum hæc principia tutò de medicaminum uiribus pronunciare. Sat igitur fuerit, tenue, refrigeratorium, exiccatoriūq; acetum dixisse, omissis super illis rationibus nimis physicis, quæq; magis ad naturam rerum scrutantes attinēt. Nam ex illorum scientia, quo pacto alijs medicamentis misceri ipsum licet cognoueris.

Veteres medicos perperam indefinitam reliquisse facultatis eiusdem generis medicamentorum qualitatem. Cap. 27

Quo circa non possum eos non culpare, qui de uiribus eius prolixa quædam nugantur & garriunt: magis etiam paulo minus medicos omnes, quibus curæ nō fuit simplicium omnium medicamentorū in maioris minorisq; ratiōe uires discernere, sed satis eis fuit, hæc quidem, uerbi causa, calfacere dixisse, illa uero refrigerare: tum hæc humectare, ista exiccare. Nec enim absolute sic nouisse expedit, sed quatenus psylliū refrigeret, quatenus solanum, aut scandix, aut cerussa, aut portulaca, aut lactuca. Tum quatenus excalfaciat casia, quatenus cinnamomum, aut amomū, aut cardamomum, aut maiorana. Sic & in humectantib. & exiccantibus pharmacis. nō enim utile est generale solum nouisse, uerum quid primū recesserit à symmetro & medio contrariorum facultatibus: deinde quid illi proximum: tum tertium, quartū, quintumq;, si fieri potest, recessum siue ordinē planis limitibus discernentem definire oportet: quando quidem in tali facultatum notitia tum artificialis simplicium usus cōstitutus est, tum à ratione proficiscens ac methodo compositio. Facitq; præter hæc, ut quæ cōposita iam sunt, rite usui accōmodare possis. Sanè id quidem difficultatis atq; laboris plenissimum est, multūq; poscens tum diligentiam, tum usum. ab experiētia uero auspicari in id genus omnibus necesse est, uelut iam cōpertum est: tum tutò ac diligenter colligere, ab ambiguis quæstionibus cauēdo. Eoq; mirari quispiam possit eos qui talia exquirunt, cū illos implicātes sese quæstionibus scriptisq; animaduertat, quēadmodum consueuit Herodotus.

Perperam superioris seculi homines à compositis medicamentis orsos, eorum quæ in illa ingrederētur simplicium pharmacorum iudicasse facultates. Cap. 28

Siquidem ab omni uetustissima cōpositorum medicaminum historia orsi, ad expēdenda quę in illis sunt simplicia transeunt. Ac quoniam his, exempli causa, calfacientibus medicamentis admistum inuenitur acetum, proinde & ipsum esse calidum contendunt. Neq; enim an recte admistum fuerit, constare potest priusquā eius seorsum uim totam perspexeris. Neq; si id detur, etiam nota est componēdorum medicaminum ratio, per quam iudicantes inueniemus, qua ratione multis excalfacientibus medicamentis unum admistū sit frigidum, aut certe refrigerātibus quod calfaciat. Porrò, ubi etiam latentes affectus memorāt, ad quos congruere uideantur, ac deinde dogmaticis opinionibus paralogismos cōnectunt, ex quærendis quærenda, ex obscuris obscura inuicem colligentes, tum profecto uel maxime alijs suas produnt ineptias ac nugas.

Quòd & Empiricis contradicendi præbeant occasionem, qui citra iudicium ac discrimen & simpliciter compositis omnibus facultatibus fidem habent. Cap. 29

Dicere enim omitto eos Empiricis quoq; reprehensionis locum exhibere, quòd prompte cōpositis facultatibus fidem habeant, tanquam fieri non posset ut pars magna earum errore non uacaret, perperamq; esset composita. Dicent enim, arbitror, sicut sanè dicūt, frustra nos primas effectrices q; cuiusque medicaminis facultates exquirere, cum ab experientia inuenta iam antea sit tum compositorum, tum simplicium medicamentorum innumera multitudo, quibus & ipsi fidem habent qui frustra primas facultates exquirūt. Quippe si particulares eorum usus omnes comperti sint, eosq; unanimiter omnes prædicent, cęterum de causis ob quas agunt nondum conueniant: liquet non ex primarum facultatum notitia, medicamentorū tum usum, tum compositionē esse inuenta, sed ea composuisse experientiam, at rationem nihil aliud quàm probabilitatem consequi. Hęc atque eiusmodi alia multa, qui experientiam ac usum profitentur medici, rite in illos dicere uidebuntur, qui omnibus quomodocunq; conscriptis pharmacis fidem habere nō uerentur, causas tamen interim titulis uirium ac promissis eorum aptare nituntur. At ego nec illud quoq; in illos addere grauabor: Herodotū alias sectas omnes prauas reputantem, prēter eam quę spiritibus omnia tribuit (πνευματικὴν Græci uocāt) Metrodorum

omnes

omnes præter Asclepiadeã, & Zenonem præter quàm quæ ab Herophilo inuenta est, & Hermogenem præter eam quæ Erasistratum autorem habet, & alium atque alium omnes damnantem extra suam: de compositis tamen medicamentis citra iudicium atque experimentum scriptis omnibus fidẽ tribuere, siue à sectæ suæ hominibus sint scripta, siue diuersæ, siue etiam à quopiam ex plebe: quin uero etiã causas subinde addere conantur probabiles medicamentorum pessima ratione compositorum, & (quod hoc est mirabilius) etiamsi nullum eorum quæ laudant, fecerint periculum, sed alijs duntaxat credant: quemadmodum cum quidam nuper mirificas multasq; podagrici medicamenti laudes iactasset, atque eo etiamnum loquente forte fortuna aduenisset podagricus quidam, qui tam mediocriter laborabat, ut incedere etiam posset, nosq; iussissemus in illo primum præberet experimentũ, ille acquiescens pedi pharmacum apposuit. At uir ille noctem totam insomnem egit, ac postero die tantum abest ut commode sicut antea incederet, ut ne gestari quidem posset. Adeo citra ullam explorationem ac temere tum alijs quidem fidem habent, tum alios alij scientes ac sponte fallere gaudent. Porrò etiamsi omnes medicamentorum quæ memorãt, compositiones probe essent comparatæ, uerumtamen speculationis eorum usum ijs quæ factitãt euertunt. Aiunt enim ad præparanda medicamenta composita, eaq; rite utenda, simplicium facultates inspici ac cõsiderari, inq; eorum testimonium tantum non omnes ueterum citant, Erasistratum, Herophilum, Philotimum, Dioclem, Praxagoram, & ipsum etiam Hippocratem. Porrò ubi ad exploranda ea accedunt, ita nobiscum agunt, ac si omẽs perspectas iam haberemus facultates compositas. Atqui inquiet, opinor, ad eos quispiam: Quo pacto non frustra simplicium quæratis facultates, si omnes compositorum iam noscitis? nam si quarum gratia simplicium facultates inquiritis, eas oẽs iam nouistis, superuacaneum est illas exquirere. Cæterum si uel hoc quoq; quis illis concedat, saltẽ id quod & supra positum est quo pacto perferat, cum pugnantia cũ rebus apparentibus, prolixis rationibus astruere conantur?

Sensus haud cõtemnẽdos esse, tanq; ad explorandas simpliciũ medicaminum facultates sint insufficientes. Cap. 30

Siquidem in quendam etiam iam incidi tantæ stupiditatis hominem, ut contemnendos esse sensus existimaret. Quem cum rogasset quis, num ipsi piper album uideretur calidum, itaque ut par erat, annuisset, rursum'que alter percontaretur unde id sciret, ac ille responderet, tale apparere, merito ab ijs qui præsentes erãt derisus est, qui quod diceret non intelligeret. Ipsum enim hoc apparere, fidem haberi ab illo sensui indicabat, quẽ paulo ante tanquam fallacem contẽpserat. Nam, per deos, unde ignem scimus calidum? aut quo syllogismo docti, aut qua demonstratione persuasi? Tum unde glaciem frigidã esse didicimus quàm ex sensu? Ac postea reperiantur qui ipso sensu neglecto physicis problematis libros impleant. At non illo ex genere est, quam ob causam acetum terram fermentat? Licet enim nobis dicere quòd nos lateat, sicut taliũ problematum pleraq;. Si uero quis prompte dicat, quia aut calidum sit aut frigidum (utrunq; enim dicunt) in ambiguas obscurasq; rationes seipsum conijciet.

Vtrum in oxycrati potu acetũ admistum sit duntaxat ut aquã deducat: an etiam ut ipsum quoq; refrigeret. Cap. 31

Mecum certe probe actum putem, si quæ sensui apparentibus uicina sunt, atque in propinquo posita, exacte inuenire possim, discernens in eis ac separans quod ex se est, ab eo quod ex accidente prouenit: uelut æstiuo tempore oxycrati potu quidam plane refrigerantur, atque expertes sitis permanent: sed nondum constat, an id aceti gratia eueniat: pauculum siquidem eius copiosæ aquæ mistum, non calidum, sed quàm fieri potest maxime frigidũ ebibunt. nam dixerit forte quispiam, quia tardiuscula sit aqua, & plurimum temporis moretur in hypochondrijs, nec deorsum cõcedens, nec in corpus se diffundens, idcirco illi acetum misceri tanquam in omnem partem ferendæ futurum uehiculum. Sic etiam si cum uino bibatur aqua, sitim efficacius extinguit quàm si sola, scilicet uino ipsam ad distributionem promouente. Itaque refrigerationem, sitisq; sanationem ab aqua prouenire, ut quæ frigidæ naturę sit & humidæ: cæterum adminiculo esse, ac uelut alas illi ad omnes corporis partes permeandas addere tum uinum, tum acetum, quæ ipsa nequaquam frigida sunt & humida. Siquidem præstare, sic sola exhiberi potius, quam cum aqua, quando ea facile præ tenuitate in corpus digerantur, & ab hypochondrijs recedant. Porrò quoniam semel in hunc sermonem deuenimus, nihil obstat quo minus omnem exacte perficiamus. Nam quòd fieri possit ut & aquam acetum deducat, nec tamẽ ipsummet refrigeret, & non deducat solum, sed etiam refrigeret, certo certius est. Verũ utrum cum ueritate coniunctũ sit, id considerationem postulat. Distingui autem id possit tantummodo, sicui exhibeas acetum & uinum, utrũq; seorsum & per se. Apparet enim à uino homini semper sitim increscere, ab aceto uero epoto interim quidem augeri, interim uero sedari.

Quæ sit sitis causa. Cap. 32

Quippe cum & sitis duplici ratione prouenire soleat, partem humoris inopia, partim caloris copia. Quamobrem mirum uideri non debet, si priorem quidem sanare nequeat, alteram possit. Siquidem humectare nequit, at refrigerat non instrenue. Quapropter neq; à sicca dispositione prouenientem sitim, neq; à calida & sicca unquam sanare queat epotum acetum. At si quãdo in unum coeant humiditas atq; caliditas, eiusce quidem sitis optima medela acetum est. Rara sanè eiusmodi affectio est, in aquæ inter cutẽ affusionibus (παρεγχύσεις Græci uocant) nonnunq; proueniens: cõgesta nimirũ in uentre falsi humoris copia: tum etiam si quibus pituita salsa uentri illita inhæserit.

At qui aliter siti premũtur, puta in febribus ardentibus, & adustis omnibus, quiq; æstate laborãt, ac in graui æstu, cõposita ijs est affectio, ex caliditate uidelicet et siccitate: quare non iniuria composita illis medela est acetum, ut quod strenue refrigeret & quouis expedite permeet: & aqua, quæ supra ꝗ quòd refrigeret, omniũ sit uel humidissima: nihil est enim aqua humidius.

Medicamentum quod in iudicium uenit: non mistum, sed simplex esse oportere. Cap. 33

Quemadmodũ ergo haud satis secura est procul à sensu ducta de explorando medicamento ratiocinatio, ita nec ipsius alteri cuipiam permisti usus. Siquidem ipsum per se solum quod iudicandum uenit, expendere oportet tum in sanis corporibus, ijsq; temperatis & intemperatis, tum in morbo alicui obnoxijs. In temperatis quidem, uelut supra positum est: In intemperatis, sicut dixit Hippocrates, naturis picrocholis, hoc est, quæ amaræ bilis succo abundant, utilissimum esse acetum: qui uero temperaturam sortiti fuerint melancholicam, aduersissimum. Porro in morbo aliquo affectis, si simplex fuerit, in simplici exploreẽ affectu: Sin mistum alicui, necesse est quod commiscetur, temperatura sit medium, sicut in aqua & cerato simplici superius declaratum est. Rationabile quippe arbitror, quod nulli diuersi temperamenti sit mistum, sed ꝗ fieri queat medio coniunctum, ipsum eorum quæ perficiuntur, causam existere. Nam simplici cerato quod neq; calfaciebat, neq; refrigerabat, aqua admista frigida, refrigerauit: quippe quæ temperiẽ habebat frigidã. Quòd si excalfaciẽtium quippiam eiusmodi cerato commiscuisses, profecto calidũ id medicamẽtũ euasisset: quemadmodum in affectibus compluribus sæpenumero euphorbium aut castorium temperauimus. Sic si acetum simplici adamussim cerato cõmisceas, cerato ipso longe frigidius medicamen effeceris: tanꝗ nimirũ quod admistum est, sit frigidum. Eritq; tibi id remedium uel optimũ ad erysipelata, phlegmonas, herpetes, carbunculos. Sin aũt quod mistũ est, tanꝗ simplex expẽdas (nã id etiam moliuntur) longe maxime hallucinaberis. Nam ulcerum glutinatorium non acetum, sed oxycratum dicendum est, aliam multo naturã ab aceto obtinens. Siquidem quemadmodum carnem producere nequit ærugo, sed ceratum exiguum quiddam habens æruginis: ad eundem modũ neq; acetũ conglutinat, sed aqua aceti pauxillum accipiens. Ipsum uero per se ac syncerum acetum ulcera quæ glutinationẽ desiderant mirum in modum exasperat. utpote tenuitate erodens, ac dolorem excitans. Quamobrem haud merito, nec conuenienter talia dictitant, nec melius item faciunt, cũ ignotis ignota connectunt.

Quod neq; adstrictoria omnia conglutinent, neq; conglutinatoria item omnia adstringant. Cap. 34

Quippe cum nihil seorsum de glutinandis, aut carne implendis, aut cicatrice obducendis ulceribus demonstrarint, ex inductione tamen colligunt, adstringentia omnia dicentes glutinatoria.

A Oportet autẽ non ex inductione, sed per demonstrationem in genere talia accipere quemadmodum nos facturi sumus in curandi rationis commentarijs. Immo absolute quiduis tale dictum, nõ modo indemonstratũ est, sed etiam falsum. Neq; enim chalcitis, neque galla, neq; malorum punicorum putamina, neq; omphacium, neq; alumen, multoq; minus æs ustum, neque ęris squama, neq; misy, ulcera glutinare possunt: aliaq; innumera sunt inter adstringentia, quæ glutinare nequeant. Porrò si quis non hoc, sed glutinatoria omnia adstringentia dixerit, proferentur & hic quoq; non pauca quæ citra adstrictionem cõglutinent. Neutra igitur uera oratio est, si simpliciter atq; indiscrete efferatur: tum ea cum dicunt adstringentia omnia ulceris glutinatoria: B tum ea cum aiunt, quæcunq; glutinantur, adstringentium beneficio glutinari. Porrò multo sanè etiã magis tum absurda, tum falsa ac præter sensum asserunt, cum mordacia, acria, amara, salsa, ad hæc quæ mollissimas iucundissimasq; sortita sunt qualitates, adstringere dictitant: tanquam gustus non ad sensorium pertineat quod adstringit, sed ex illorum impositione atque arbitrio debeat accipi. Malum enim granatum, & malum, uerbi causa, & mespilum, & pirorum quædam genera, & myrta, & sorba, uinumq; tum aminæum tum marsum, euidẽter nos adstringunt. At triticum, & zea, & millium, Herodotum forsan adstringebant, aliorum autem omnium neminem. Sexcentos enim quandoque C super his sum percontatus, & in primis super amylo, nam & ipsum adstringere ait Herodotus, sicut & piper, quod nec ipsum ullum omnino aliorum hominũ qui syncere & incorrupte qualitates expendunt, adstringit. At Herodotus cuncta cõfundere non est ueritus: aitq; & quæ acerrima sunt facultate, & quæ summe rodũt, & quæ mollissima sunt ac mitissima, omnia adstringere: tanꝗ in hoc ut quosdam in sensu defraudet, uictoriam statueret. Verum non ita se res habet, cũ ea uel maxima futura sit prauitatis dictorum eius probatio.

Quod non omnia adstringentia refrigerent. Cap. 35

Quin uero & Asclepiades Metrodorus tanquam illum etiam superare contenderet, adferendis de sensu mendacijs, cum alia quædam, tum D resinam & bitumen calfacere nos denegat, atque adstringentia omnia refrigerare dictitat: cum si nihil aliud, saltem chalcitis, chalcanthos, & misy, quæ ualenter adstringunt, tantã assecuta sint caliditatem, ut nos etiam exurant. Nihil est ergo mirandum, si prolixa quædam nugenẽ, seipsosq; nõ nulli fallant, cum de manifesto apparentibus uerum fateri non audeant.

Perperam Herodotum ac Dioscoridem quæcunq; aut profluuijs, aut dysenterijs mederentur, adstringentia censuisse. Cap. 36

Itaq; ex eis quidam, puta Herodotus & Dioscorides, medicamenta quædam ex eo quod profluuijs aut dysenterijs medentur, adstringere ea colligunt: quanquam ne minimum quidem habeant adstrictionis, imò prorsum contrà rarefacientia

entia nimirum sint & laxantia: cum alioqui quæ adstringunt, corpora contrahant, condensent, constipent, atque constringant. Nam semel sensibus pro nihilo habitis atque contemptis, euerterunt confuderuntque omnia quę planè sensu digno scere est, hæc praua ratione asserẽtes. Nam adeps caprinus omnib. quæ aut gustu aut facultate sunt adstringentia, aduersissimus est, uelut etiam farina triticea, & amylum, & innumera eorum quæ uim habent tum emplasticam, hoc est illinendi, tum mitigatoriam, atque acrimonias hebetandi, eaque ratione ijs qui acria mordaciáque per aluum excernunt, auxiliantur. Sanè esto & oleum ex ad stringẽtium numero, quoniam sæpius ijs qui grauiter mordicabantur, infusum profuit. Esto uero etiam & cera, & adeps suillus, tum gallinaceus, & anserinus, chondri tragique succus. Nã hæc quoque infundimus, & ceratum quãdoque ijs qui mordicantur, sicuti & adipem caprinum. Verum efficacius auxilium affert caprinus: quia scilicet facilius & concrescit, & intestinis inungitur, plurimoque tempore inhæret. Porrò siue ob crassitiem, siue aliam ob causam celeriter concrescat, non est opus in præsentia inquirere, re ipsa euidenter apparente. Verum quemadmodum quòd ocyssime concrescat, atque intestinorum morsus obtundat, ex rei euidentia credibilius est: sic sanè etiã quòd nulla insit aut frigiditas, aut adstrictio. Atque hi quidem ex obscuris ratiocinantur de apparentibus: immo autem, si uerum fatendum est, seipsos potius decipiũt. At nos tanto decet magis ad sensum accedere: tantoque diligentius perpetuo illi attendere: quanto plura in eo peccent sophistæ omnes, falsaque de eo asserant. Rursum ergo, ubi prius memorauerimus quæ idiotas non fugiunt, ipsisque haud ignota erant, cum nondum contendendi libidine in sensus peruenissent contemptum, postea autem per superuacaneã sapientiam amiserũt, ad id quod continuum orationi est, transibimus.

De proprijs sensus cuiusque sensorijs. Cap. 37

Vnaquæque sensibilium natura priuatim subiecta est, tactui quidem caliditas ac frigiditas, durícies ac mollities: albedo uero, nigredo, flauedo, rubor, atque ut summatim dicam, uniuersum colorum genus, uisui: amaritas, dulcedo, austeritas, acerbitas, aciditas, salsẽdo, acrimonia, gustui: plane demens uideatur, si quis gustu colores iudicare tentet, aut sapores uisu. eodem modo de tactu cognoscendum est, reliquisque sensibus. siquidem tactu iudicandæ sunt differentiæ tangibiles, auditu audibiles, odoratu odorabiles. Quæ cum sic sese habeant, audiamus quæso Platonem gustabiles differentias exponentem. Haud tamen animus ipsius physiologiæ attendendus est. Nec enim nunc tempestiue eius meminero, neque in hoc uiri testimonium cito: sed tantum ut dicã qua de re quodque nomen efferre Græcis mos est. Ausculta ergo differentem Platonem: Quæcunque enim ingressa circa uenas, quæ sunt linguæ ueluti probatrices, ad cor extentæ, ea ad rariores ac teneras carnis partes illabentia, dum terrestres quæ

A dam ipsorum partes colliquescunt, uenas contrahunt ac resiccant. Et si quidem asperiora fuerint, acerba: minus autem aspera, austera appellantur. Quæ uero hæc extergunt, & quicquid circa linguam est eluunt, si quidem ultra mediocritatem hoc faciant, & insuper quid assumant, adeò ut etiam de natura ipsius aliquid eliquent, qualis est nitrorum facultas, ea omnia amara nominata sunt. Quæ uero nitri habitu inferiora sunt, & extersione moderatè utuntur, salsa, citra amaritudinem asperam, & magis grata nobis apparẽt. Nam & secantia, & diffundentia, & calefacientia, & rursus uicissim incalescentia, dum præ leuitate sursum feruntur, calidæ utique facultatis fuerint. At quæ oris caliditate participauerunt, & ab ipso leuigata efferuescunt, ac rursus uicissim id quod calfecit accendunt ac urunt, & præ leuitate sursum ad capitis sensus feruntur, secant'que omnia quæ ipsis occurrunt: talia omnia propter has facultates, acria dicta sunt. Cæterum ubi hæc ipsa præattenuata quidem sunt à putredine, uerum in angustas uenas, & partes quæ isthic insunt terrestres, itemque eas quæ moderatum aerem habent, ingrediuntur, ita ut motu suo efficiant, ut illę inter se misceantur: dum autem miscentur, inter se obuoluantur, & in alias ingredientes, alias cauas efficiant his quæ ingressa sunt circumtensas, nimirum humiditate circum aerem caua circumtensa, aliquando terrestri, aliquando pura, quò humida uasa aeris, aquæ cauæ ac rotundæ fiant, & quæ quidem ex pura humiditate sunt, pellucida consistant, bullarum nomine appellata: quæ uero ex terrestri, quæ simul mouetur ac eleuatur, ebulitionis & fermentationis nomine cognominentur: Harum affectionum causa aciditas appellatur. At uero omnibus circa hæc relatis, contraria affectio à contraria causa existit: quum ingressorum compages humida, linguæ habitui ex natura cognata existens, leuigat quidem oblinens exasperata, quæ uero præter naturam compacta sunt, laxat: & quæ diffusa, contrahit: & omnia quàm maxime secundum naturam firmat, ita ut quicquid eiusmodi est, iucundum sit ac gratum, omnibus uiolentarum affectionum medela fiens, dulce appellatum est. His uerbis Plato, quæ nos uocare solemus austera, quæ acerba, quæ salsa & nitrosa, quæ amara, quæ acria, quæ acida, quæ dulcia, exposuit. Id uidelicet quod à nobis στύφον, siue adstringens dicitur, ipse austerum nuncupans: nam sic à uetustioribus Græcis appellari solet. Non tamen omnia in unum confundit: sicut ij faciunt qui & piper adstringere dictitant, cum ex acrium sit natura, & acetum quod ex acidis est: nec sanè etiam ueriti dulcissimorum quædam adstringentium numero adscribere. Ex quo fit, cum omnia confundant, ut protinus nec facultates inuenire omnino ualeant. Omnis enim inuentionis demonstrationisque principia sunt, quæ sensui, atque intellectui euidentia sunt. At isti hæc ambo perturbant: atque omnes in unum confundunt cum sensuum actus & passiones, tum multo etiam ma

gis intellectus ac rationis: nimirũ haudquaquam in speculatione logica uersati. Itaq; operępretium est, nugacem illorum loquacitatem omnibus modis effugere: nequid nobis quoq; affricetur uitij ex tam prolixa illorum futiliq; nugacitate. Porrò haud leue negocium est, dedocere ac transmutare eos qui ab illis usqueadeo peruersi sunt, ut & sensum contemnant & nequaquam in speculatione logica se exercuerint, planeq; rudes sint rationum quas de natura philosophi considerant. Omnino enim saltẽ uel id didicissent, quæ in illis sunt ambiguitates, fugiendas esse, cauteq; obseruandas: tum sensibus magis super simplicium medicaminum facultatibus, quàm rationibus haud satis integris committendum iudicium esse.

De proprijs linguæ sensorijs. Cap. 38

B Verum tales dedocere, ac uelut transformare est impossibile. At aliorum tamẽ gratia, nimirum quos conatus noster iuuare poterit, resumenda est, diligenterq; definienda, tota de proprijs linguę sensorijs oratio. Nuncupatur igitur tũ à Theophrasto, tum ab Aristotele, tum à Mnesitheo medico, gustandi facultas, græce χυμὸς (nos saporem dicimus) secunda syllaba à μ litera incipiente. At ex humido siccoq; consistentia, eorum uidelicet quæ à calore concocta sunt, χυλὸς (nos succum dicere possumus) à litera λ secunda incipiente syllaba. Tametsi ab ætate illis maioribus nõ modo Atheniensibus, sed & Ionibus utrunq; per μ literam scribi consueuerit. Siquidem & apud Platonem,
C & apud Hippocratem, ueteresq; comicos sic scriptum reperitur. Vocetur autem in præsenti quidem opere, clarioris doctrinę gratia, gustatoria facultas, siue qualitas, siue utcunq; cuiq; appellare libet, per literam μ, χυμὸς (nos saporem nominabimus.) Humor autem incrassatus tum in animantibus, tum in plantis, χυλὸς, secunda syllaba à litera λ incipiente (nos, ut diximus, succum uertemus.) Sciendum ergo, sapores, qui tum in unoquoq; animali ac planta, tum in terra inueniuntur, plurimos esse, nec facile specierum numero comprehensibiles, cæterum differentias gustabiles alijs octo uisas, alijs numero septem, nonnullis autem & his quoque pauciores. At Plato in Timæo in su
D praposita dictione primum duos sapores memorat eiusdem speciei, sed in ratione maioris ac minoris differentes: Eorum alterum austerum, alterum acerbum nominat: Fuerit autem austerus, quem στύφοντα (adstringentem uoco) nuncupamus: Porrò acerbus huius intẽtione prouenit, uelut & ipse Plato significauit. Atque hos sanè pro una specie numerabimus. Altera est eorum quæ illis opposita sunt, nitrosorum uidelicet, salsorum, & amarorum: Et in his quoque amarus ex nitrosi prouenit intentione: Salsus uero aut nitroso imbecillior, aut adstrictionis quoque assumẽs aliquid. Deinde à Platone acris expositus est, mox acidus, postremo dulcis. At à Theophrasto additus est unctuosus, siue pinguis: à Platone quidem in sermone de proprijs linguæ sensorijs præteritus, uerum paulo ante plantarum succis adscriptus,

A ubi uinosum ab oleoso & melleo discernebat. Porrò in illo sermone unum adiecit succi genus una appellatione comprehensum, ὀπὸν nominãs: Vbi autem ad gustus sensoria trãsijt, protinus dulcem memorauit: nihil ẽm retulerit, dulce an melleum dicas, uelut nec pingue an oleosum: Omisit aũt pinguem, ut qui ad gustum nihil attineret.

Qua differat adstringens ab austero & acerbo. Cap. 39

Quale autem eorum sit unumquodq; exponere quidem exacte est impossibile, quãdoquidem nec aliam ullam sensoriam passionem, uerum ei qui eodem sensu communicat licet suggerere. Ergo siquis aut cydonia aut mala, aut mespila, aut myrta gustauerit, proculdubio cognoscet alium nobis ab his in lingua moueri sensum, alium ab adstringentibus corporibus. Nam quæ adstringunt, aut refrigerant, introrsum pellere contactam nostri partem ex omni parte apparent, idq; æquabiliter, uelut pellentia, ac stipantia, contrahentiaq;. At austera in profundum etiam subire uidentur, atq; asperum quendã inæquabilemq; mouere sensum, tanquam resiccantia, & humorem omnem corporum sensibilium depascentia. Ex quo fit ut alia sit passionum proprietas, quæq; haud facile lucideq; explicari possit, tum ab adstringẽtibus nos corporibus, tum ab austeris saporibus. Sed quiuis tamen qui homo est, facile quod dico comprehẽderit. Porrò quando quod linguæ nostræ admotum fuerit corpus, ualide desiccat, contrahit, & in multam profunditatem usq; illam exasperat, sicut pira syluestria immatura, & corna, eiusmodi omne acerbum appellatur, ab austeris intẽtione duntaxat diuersum. At quod nos adstringens uocitamus, haud temere à Theophrasto dictũ reperias. Videtur autem idem significare quod austerum, aut certe commune esse genus tum huius, tum etiam acerbi. Quæcunq; uero linguam dum contingunt non contrahunt, neque constipant, uelut adstringentia, immo contra planè agere apparẽt, nempe detergentia & abluentia, etiamsi adstringentium quippiam adiunctum sit, hæc omnia salsa cognominamus. At quæ his etiam magis detergunt, adeo ut etiam exasperent, amara nominantur. Porrò quæ mordicant roduntq;, idq; cum ualida quadam caliditate, acria uocantur: sin hæc absit, acida: cæterum hæc fermentãdi quoq; uim obtinent: At quæ uelut inungunt atq; implent, ac in statum suum restituunt exasperatas ac ueluti erosas linguæ particulas, hæc si cum uoluptate manifesta contingant, dulcia: sin hac sine, pinguia uocitant. Atq; hoc quidẽ pacto, quantũ in me fuit, res explicatu lõge difficillimas uerbis exponere sum annisus. Miror autem qui tam prompte omnia adstringentia nominent, siue acria sint siue amara, siue dulcia, siue pinguia, siue acida: cum iam olim rebus ipsis imposita sint nomina, atq; affectuum sensibilium non exigua in nobis differentia sit. Præstitisset fortasis, si quidem naturales scrutari rationes uoluerunt, apparentia non euertere, nec appellationes confundere: uerũ inquirere cuius temperamenti, aut dispositionis, aut corporis constitutionis

tutionis, aut quomodocunq; nominare uelint, ſoboles ſit adſtrictio, cuius ſalſedo, amaritas, aciditas, acrimonia, dulcedo, pinguitudo, quæ Plato, Ariſtoteles, ac Theophraſtus conati ſunt definire. Clarum quippe eſt ſi ex calido, frigido, humido ſiccóque coeuntibus omnia ſunt miſta, etiam dictarum quanque qualitatum ex horum conſtare miſtura. Itaque ſi quemadmodum dictorum ſaporum quiſque proueniat, exponere conarentur: lubens equidem auſcultarem, gratiamq; haberem non exiguam. At ſi neque hoc efficiant, imo inſuper ſenſorias omnes differentias in unum confundant, ut parum abſit quin corpora omnia adſtringentia nuncupent: ſanè nec audire ipſe uelim, illosq; obſecrarem, ut inanem contentionem relinquant.

Non ad totam rerum naturam iudicandas medicamentorum facultates, ſicut naturales philoſophi faciunt ſed ad noſtram naturam. Cap. 40

At nos equidem in conſequentibus oſtendere conabimur, cuiuſnam temperamenti ſaporum quiſque ſit ſoboles. In præſenti autem diſcipulos ad experientiam acceſſuros id modo aſſueſcere uelim, ut qđ ad artē eſt utile, ſeligāt, ubi iudicare uelint quo pacto unumquodque nos medicamentorum afficiat. Quippe nō quale ex ſe ſit, & ad totam naturam conſideramus. Nam hoc pacto neque acetum, neq; marinam aquam nos exiccare poſſe, aut ſicca eſſe facultate dici manifeſtum eſt. Siquidem utrunque illorum actu eſt humidum. Verum ſi nos exiccare appareant, ſicca dicentur, ad nos uidelicet, & noſtram naturam parem ſiccādi pôteſtatem obtinentia. Quinetiam & calida, & frigida, & humida eodē dicentur modo, ubi nos ſcilicet calfaciant, refrigerent, atque humectent, eaq; ad nos, non ad totam naturam, nec ex ſe. Atqui ſi huius duntaxat meminerimus, certiſsima omnium erit iudicatrix experientia. Quam qui relinquunt, atq; aliunde ratiocinantur, non ſolum falſa pro ueris ducunt, ſed etiam tractationis uti

A litatem deſtruunt. Proinde nobis propoſitum non eſt, quale ex ſua natura quodq; ſit medicamentum exquirere, uerum quid in nobis efficere poſsit. Atqui hic primi libri finis eſto. At in ſecundo deinceps, oleo ac roſaceo in ſermone ex emplorū uice poſitis, prauas & inibi ratiocinandi uias monſtrabimus. quibus cum medicorum complures utantur, in primis quidem ſeipſos decipiunt, ſecumq; alios multos in errorem pertrahunt. Porrò ubi id erit abſolutum, ad tertiū cōmētariorum tranſiens, quæſtiones logicas, quæ uniuerſam de ſimplicibus medicamentis enarrationem antecedunt, explicare conabor: Vt uidelicet in quarto ipſas iam facultates omnium definire liceat, quas protinus à principio fuiſ-

B ſem aggreſſus, niſi plena paralogiſmis atq; erroribus omnium propè iuniorum eſſent uolumina. Quos prius extergere, atq; ex animis diſcentiū delere oportet, nequid ueritati obſiſtat. Nā, ut Hippocrates inquit, ſic etiam ait Plato, Non ſolum impura corpora quanto plus nutrias, tanto magis lædas: uerumetiam impuris animis ſi nutrientes ſermones offeras, non modo nihil proſis, uerumetiam magnopere obfueris. Itaq; his de cauſis, tum etiam quia amicorum pleriſque uiſum eſt, ut iuniorum medicorum argueremus erores, non tantum in cōgreſsibus, quos quotidie cum illis habemus, ſed etiam hiſce cōmentarijs: neceſſe mihi fuit diutius prioribus

C iſtis duobus immorari, quò uidelicet in tertio purum animi auditorem nactus, quiq; ueras aſſequi rationes poſſit, tum ea exponam, quæ de huius ſpeculatiōis principijs nouiſſe oportet: tum deinceps omnes medicamenti cuiuſque facultates enarrem. Id autem fiet in uniuerſum, ut reor, libris undecim, ea fermè magnitudine cōſtantibus, cuius eſt hic, qui eſt omnium primus, Qui cum conuenientem nunc nactus ſit modum, finem per hanc dictionem accipiat.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI SECVNDI.

Caput. 1. Quòd ſophiſtæ, qui fidem ſenſibus abrogant, demonſtrationis principia incertiora, quàm quæ demonſtrant, efficiant. 2. Quòd abunde ſufficiat iudicandis medicamentorum facultatib. quæ per ſenſum accipitur experientia, iunctis duntaxat paucis epilogiſmis ſiue rationibus cōmunibus. Et quo pacto rationem experientiæ ſcribere oporteat.

3. Quòd neq; à colore, neque ab odore, neq; à conſiſtentia aut conglaciatiōe, neq; à duritate, neq; à leuitate ratiocinari de medicinarum facultate oporteat.

4. Quòd ſophiſtæ rationibus haud uſi ſint ſcientificis ad ea lemmata ſiue ſumptiones, ex quibus perperam de medicinarum facultatibus colligunt, ſed aut ex inductionibus aut exemplis. 5. De oleo & Dioclis ſuper eo uerba, ex libro ad Archidamū.

6. Quòd præterquàm quòd pugnantia de olei facultate Archidamus affert, inſuper improprijs utatur exemplis. 7. Quomodo frigidum paremus

D oleum. 8. De differentijs proprie uocati olei.

9. Quomodo cuiuſq; medicamenti facultatem experiri oporteat. 10. Quòd non ſolum in explorandis medicamentis medici hallucinentur, ſed etiam in opinionibus quas habent de affectibus. 11.

Quod, ut quis probe de olei facultate ratiocinetur, debeat etiam affectionem hominis æſtimare, & de ipſo oleo quale ſit præfinire. 12. Quòd ſalſuginoſa & acria ex accidenti quandoq; morſui medeantur, nempe ſecum quod mordicat educentia. Dulcia uero & epicraſtica contrà, morſum etiam ex accidente aliquando exaſperant. nimirum cum unà corrumpantur, & foueant alantq; cacochymiam. 13. De lacte. cohæret hoc caput cū ſuperiore: & diuelli non debuerat. 14. Quomodo diſcernendum ſit, à cacochymis ne mordicatio ſanata ſit, an ab epicraſticis, hoc eſt temperantibus. 15. De ratione abluendi, & candida faciendi medicamenta.

16. Quod nõ colligatur, oleũ ex eo quod ad tussim quendam cieat impetum, proinde esse mordax. Neq; enim omne quod ad tussiendum impetum ciet, mordax est: Neq; solum quod mordax est ad tussim impetum mouet, sed & quæ pinguia sunt. 17. Quomodo & per quæ ad tussim impetum cieri contingat. 18. Quot modis aqueum & tenue excrementum, ab oleo separari queat. 19. Quod perperam Archidamus inæqualem ex oleo frictionem asseruit. 20. Redarguit prauam medicamentorum facultates inueniendi rationem. 21. Quæ sit recta experiundæ olei facultatis ratio. A 22. Quod oleum ex eorũ sit numero, quæ ex æquo nos excalfaciunt. 23. Quænam sint principia tantæ de medicamentorum facultatibus ambiguitatis. 24. Quod pluribus nos modis excalfacere oleum appareat, nempe ut alimentum: ut medicamentum, ut tegumentum: Et quod excalfacientium nos ac refrigerantium medium quodammodo obtineat. 25. Quod medium sit oleum inter humectantia nos & exiccantia. 26. Quod materiæ rationem obtinet, in mistis mediam tenere temperiem debere: alioquin enim futurum ut mistorum sibi aduersetur actioni. 27. De rosaceo.

GALENI DE SIMPICIVM MEDICAMENTORVM FACVLTATIBVS, Liber Secundus.

Quod sophistæ, qui fidem sensibus abrogant, demonstrationis principia incertiora quàm quæ demonstrantur efficiant. Cap. 1

PROLIXA nobis ut sit de simplicium medicaminum facultatibus oratio, limites suos excedentes sophistæ efficiunt. Nam cum procul principia ducant, sensumq; pro nihilo habeant, seseq; in illa conijciant, quæ philosophis etiam ambigua sunt: simul & ea quæ ipsi ignorant, & ea quæ aperte cognoscuntur subuertunt. Eaq; plerique eorum faciunt non modo naturalis speculationis, sed etiam logicarum methodorum imperitia, quibus utatur necesse est quisquis demonstrare quid aggreditur. Itaque cum nesciant tum ea quæ bene à physicis sunt inuenta, tum etiam ea de quibus non iniuria illi dubitarunt, utrisque tamen contraria asserere sæpenumero non dubitant. Sed, Deum immortalem, age obsecro, si nunc ego sic orsus dicere, quod cum quatuor sint elementa, aer, terra, aqua, & ignis, nulli tamen congenita sit albedo, ac splendidus color extra splendorem & ignem: ac deinde citato Empedoclis ac nonnullorum physicorum aliorum testimonio, splendida corpora omnia plurimum in se ignis habere dicam, haud curans aut niuem, aut cerussam, aut glaciem, aut alia innumera tum splẽdidissima, tum frigidissima inspicere: ac mox suggerente quopiam procedentem à sensu confutationem tergiuersatus, ad rationem accedi iubeam, ac per eam de rerum natura considerandum, haudquaquam sensibus irrationalibus uniuersum committendum censeam, nunquid mentem habentibus insanire uidear, haud intelligens unde rationis desumpsissem initium? Nam mea quidem sententia, ex sensu & per sensum omnia id genus sumuntur axiomata, nempe solem esse splendidum, flammas subflauas, carbones plerosque flauos. Ergo si à sensibus recedendum est, nulla suppetet demonstratio neque nobis eorum quæ modo diximus, neq; Empedocli cum ait:

Vndiq; splendentem solem, calidumq; uidere.

Quæ si uera sunt, perspicuum est, multo ante illa fidem habendam sensibus. Immo, inquiunt, mortales cum simus, à sensibus auspicemur necesse est: uerum illis haudquaquam perpetuo immorandum, sed ad partem diuiniorẽ accedendum, nempe rationem: Nam sensum & animantibus rationis expertibus inesse, rationem solam hominibus esse cum dijs communem. Atq; hi in longum orationem extendunt. Quin etiam ex illis quidam & Anaxagorã in testimonium euocant, qui niuem pronũciarit nõ esse albam. Hic, inquiũt, uir physicus excelsior, ac supra sensum extitit, atq; eius contemnit phantasmata. Ad rationem ire pergit, eaq; duce rerũ naturam scrutatur. At si me quod in mentem uenit fari oportet, qui liber sim scilicet, & in tota adeo uita extra ueritatem studuerim nihil: ad insaniæ extremum, & ultra, peruenisse eos arbitror, quos talia nugari non dispudet. Nam si quæ per sensus euidenter apparent, euertant: unde sumant demonstrationum principia, non habebunt. Sin autem ab his tanquam à fide dignis exordiantur, quo iure ijsdem postea dissident? Nam demonstrationum principia certiora sunt quàm ea quę per illa demonstrantur: quippe cum ista aliunde fidem mutuentur: demonstrationum uero principia non solum ipsa per sese, uerumetiam ad quærendorum inuentionem, quibus credatur idonea sint.

Quòd abunde sufficiat iudicandis medicamentorum facultatibus, quæ per sensum accipitur experientia, iunctis duntaxat paucis epilogismis, siue rationibus communibus. Et quo pacto rationem experientiæ subscribere oporteat. Cap. 2

Equidem optarim nullas non res clare sub sensus nostros cadere, nec quicquam esse quod illos fugeret. Hoc enim pacto nihil dubiũ, nihil ambi-

ambiguum aut anceps usquã foret. Verum quo- A
niam illos quædam effugiunt, rationem illis superinducere conandum est, sic tamen, ut nõ procul, ut illi factitant, nec confusa & infinita colligamus. Verum ante om̃ia nominum significata diligenter definiamus, ne quis postea per æquiuocationem falli posit. Deinde quod ex se quid agit, ab eo quod per accidens, separetur. De quibus supra accurate disseruimus, significataq; eorum quæ facultate aut calida, aut frigida aut sicca, aut humida, aut quiduis aliud dicũtur, discreuimus. Tum quo pacto propriam cuiusque medicamenti facultatẽ ab ijs quæ ex accidenti sunt segregans inuenire quis posit, generatim quidem in tertio De temperamẽtis expositum est,
atq; in hoc tractatu mẽbratim enarrabimus, ceu B
in primo iam libro cœpimus: utq; ibi in aceto & aqua, ita hic in oleo & rosaceo facturi sumus, si modo prius ostenderimus, quãtum delinquant medicorũ nonnulli, qui longe demõstrationum ducunt principia. Nam quid oportuit olei aut rosæ respexisse colorem, quando rebus ipsis uarie uti liceat, nec in sanis solum corporibus, sed & ægrotantibus? quippe cum ipsas per se rosas, aut succum earũ expressum corpori tum sano, tum simplici affecto morbo, ut supra diximus, liceat imponere, atq; oleo miscentes, corporibus aut ualenter refrigeratis, aut excalfactis applicare, siue affricãdo, siue perfundendo, ac irrigãdo, tum in corpus quoq; assumere, idq; aut superne per
os, aut inferne per sedem, ac sic tandem quid ad C
unũquenq; usum proueniat, inspicere. Nam hoc sane nomine medicamentorum omnium uires contemplamur, ut sit quo uti liceat, hypochondrijs, aut capite ardore afflictis, aut refrigeratis, aut exulceratis, aut phlegmone occupatis, aut id genus aliud perpesis, tum ipsis, tum alijs omnibus corporis partibus. Ergo cum tam perspicua simul ac compendiosa adsit uia ad ea quæ inquirimus, etiam'ne colores æstimabimus, aut odores, aut consistentias, aut formas medicamenti cuiusque? perinde factitãtes, atq; ij qui ex imagine aut ficta aut picta cognoscere quempiam uolunt, cum ipsum aspicere non denegetur quem agnoscere cupiunt.

Quòd neq; à calore, neq; ab odore, neque à consistentia, aut conglaciatione, neq; à duritate, neq; à leuitate ratiocinari de medicinarum facultate oporteat. Cap. 3

Atq; hac utiq; parte non leuiter peccare mihi uidentur: multo etiam magis cum incõclusa atq; indemonstrata nugantur, demonstrandi rationis plane imperiti. Nam donemus ignem aut flauum, aut rubrum esse aut utcunq; uoluerint: nec enim refert: quid ergo id facit ad hoc, ut omne rubrum sit calidum? Nam om̃is ignis, uerbi causa, ruber dicendus est: at omne rubrum ignem dicere, ridiculum est: multoq; etiam plus, si omne rubrum calidum quis dixerit. Nam si principio assumptum esset in oratione, omne calidum esse rubrũ, licuisset fortasis mutua axiomatis conuersione rubrum omne calidum concludere: licet non obscure & illic peccetur. Nam quæ mutuo conuertuntur (quod ἀντιστρέφειν uocant) nõ quæ simpliciter conuertuntur quod est ἀναστρέφειν orationes, uere de se mutuo dicũtur. Veruntamẽ propinqua ea fuerit deceptio. Atqui quoniam nec illud orationis initio assumptum erat, nempe omne calidũ esse rubrum: haud licet mutua cõuersione omne rubrum calidum esse colligere. Tribus ergo modis in sermone peccant, qui aiunt rosas temperatura calidas, quòd sint rubræ. Primum quòd non demonstrata hac propositione, omnis ignis rubet, conuertere ex hac aliam, uidelicet, omne rubrum est ignis, tãquam ueram conantur. Secundo quòd nesciunt propo
sitiones quæ ex mutuo ueris cõuertuntur (λόγους ἀντιστρέφοντας uocant) non autẽ simpliciter conuertentes (ἀναστρέφοντας nominant) esse ueras. Tertio quòd etiam si mutuo cõuerterentur, non tamen omne quod colore sit rubro, calidum esse, ex mutua illa cõuersione sequat̃: sed alia eiusmodi, rubrum omne esse ignem. Porrò quòd talia in rem præsentem non modo sint inutilia, sed etiam palàm falsa: cuiuis notum est. debemus enim, non an omne rubrum sit ignis, sed quòd omne rubrum calidum sit, ostendere. Nam si quicquid rubet, ignis fuerit, erit nimirum & rosa nobis ignis. Cæterum logicas methodos ignorantes medici primũ in hoc maxime peccant, quòd proprijs finibus excedant, nimirũ cum sufficiẽs sit experientia, iunctis saltem paucis quibusdam epilogismis, medicaminũ uires exquirere. Deinde tam fœde in rationibus allucinantur, ac pueri modo speculationem logicam ingresi. Eisdem erroribus tenentur, qui ex odoribus medicaminum facultates conijciunt. Nec enim quicquid bene redolet, calidum est (quod quidam dictitant, haud intelligẽtes quo pacto inaudire oporteat quæ ab Aristotele & Theophrasto super hac re sunt prodita, ea quæ nos in quarto harum commentationum definiemus) neq; quicquid calidũ est, bene olet. Quinetiã neq; si quid graue olens est, calidũ etiã fuerit: neq; si calidũ, etiam graue olens. Sic nec siquis quicquid grauiter oleat, frigidũ dicat, nec si quicquid frigidum
D sit, grauiter olere, uerum dixerit. Siquidem calidorũ innumera sunt, partim bene olentia partim grauiter olentia, partim neutra: similiter quoq; frigidorũ. Quanq; quid calida dico ac frigida? cũ debeam dicere calfaciẽtia nos, ac refrigerantia, quæ utiq; inquirimus. Nec enim quod absolute calidum est, aut quod ad hoc expenditur, nunc considerare propositum est, sed quod corpus humanũ excalfaciat. Nec sane etiam quod absolute frigidũ, sed quod hominẽ refrigeret. Denuo ergo hic allucinãtur in homonymia, haud distinctis nominum significatis, tanquam si quis de cane terrestri disserẽs, ad marinũ se oratione transferat, existimans ut animãtis utriusq; nomen, ita & naturam quoque unam esse. At nobis demon-

ſtratum aperte eſt in commentarijs De temperatura (quos & hancce antecedere tractationem protinus in initio commonefecimus) aliud eſſe facultate calidum, aliud actu: & huius quod actu uidelicet calidum eſt, aliud abſolute dici calidum, aliud per exuperantiam, aliud ad ſymmetrũ ſui generis, aliud ad quid uis obuium collatum. Quin & hominem nõ abſolute calidum, ut ignem, ſed exuperantia calidum diximus. Siquidem maiorem in eo calidi portionem ineſſe, ꝙ frigidi. Ergo & quæcunq; ad hunc dicũtur calida poteſtate, illum excalfacere dicuntur: facileq; de illis innititur iudicium, & per experientiam expenditur, paucis indigens (ut ſupra commonui) epilogiſmis. Quos cum ſophiſtæ excedant: & tempus adoleſcentulorũ fruſtra terunt, & ſophiſmatis cauillisq; homines ſeducentes eorum ſoluendorũ imperitos, falſis eos dogmatis opinionibusq; implent. Debebant enim neq; colores memorare, neq; odores, imò neq; cõſiſtentiam, neq; leuitatẽ, aut aſperitatẽ, aut eius generis quodcũq;. Nam quid refert oleum an lentum ſit, aut leue, aut ſplendens, aut liquidum, aut pallidum, aut pingue, aut lubricum, ægreq; corporibus illitum exiccari poſſit? Quippe cum ex nullo omnium eiuſmodi colligere poſſis, ipſum eſſe facultate aut calidum, aut frigidum, aut humidum, aut ſiccum. Siquidem ex genere ſplendentium leuiumq; & lentorum, partim ſunt quæ plane nos calfaciant, partim quæ refrigerent, tum alia quæ exiccent, alia item quæ humectent, non tantum in oleo, ſed & in alijs omnibus. Neq; in ullis adeo accidentium reperire eſt quicq; quod ſolidum perpetuumq; ſit, ut in eo generalem cõſtituere propoſitionem liceat.

Quod ſophiſtæ rationibus haud uſi ſint ſcientificis ad ea lemmata, ſiue ſumptiones, ex quibus perperam de medicinarum facultatibus colligunt, ſed aut ex inductionibus, aut ex exemplis. Cap. 4

Nam omitto, quòd non ſcientificis in omnibus id genus ſint uſi rationibus ſophiſtæ ad inueniẽda lemmata, ſed ex inductione, & quod omnium peſſimum eſt, quòd nec quæ ſit inductionis natura unquã inſpexerint. Quòd ſiquis eos in id prouocet, neq; ſequi audent: & ſi de demõſtratione quis quid agat, increpãt. Immo, quod etiam deterius eſt, non ex inductione ſolum ratiocinari aſſueuerunt, ſed nonnunquã etiam ab exemplis, tanquam rhetores. Nam qui frigidum eſſe oleum aſſerit proinde quòd lentum ſit ut pituita, is per exemplum concludit, par robur præbens demonſtrationis, atq; is qui ipſum calidum contendit, quia lentum ſit ut uiſcum. Nec ſecus is qui calidum dicit, quoniam facile in flammam uertatur uti bitumen, atq; is qui frigidum probat, quòd facile cogatur ac concreſcat ut aqua. Nam differt ex exemplo aut exemplis quid ſuadeas, an ex inductione. Siquidem qui ex exemplis fidem facit: unum aut duo generis eiuſdem adfert, aut certe plane paucula, pleriſq; ſcilicet A præteritis. Qui uero ex inductione, omnia comprehendere nititur quæ per experientiã ſunt cognita: nec quicquã præterire, quoad eius fieri poteſt, quod apertum uulgo ac perſpicuum ſit, ſtudet, niſi quod occultũ eſt & paucis comprehenſum. Quamobrem uiolenta eſt, & uehementer perſuadet quæ ab omnibus quæ experiẽtia ſunt cognita, ducitur inductio: ſolisq; ijs mendacium perſpici poteſt, qui in demõſtratorijs methodis ſunt exercitati. Quare nos de ea copioſius in demonſtrationis libris diſſeruimus, ac forte etiam ſeorſum de ea librum componemus.

De oleo aduerſus Archidamum. Cap. 5

Palàm autem fiet nihilo ſecius & nunc quoq; inductionis natura, multoq; & magis exempli. Nam oĩa in ſumma percurrere ſtatutũ eſt quæ B de olei facultate à medicis ſunt prodita, eaq; probabiliter quidem, quòd ita uiderentur: at non uere: ac primũ illud quod à Diocle in Archidamo ſcriptum eſt, quòd Archidamus dureſcere uriq; cutem ijs qui in eo fricarent exiſtimarit: quapropter etiam ſiccam frictionem prętulit. Oleum enim accendi atq; exurere cum à frictione incaleſceret, putabat: ac propterea admodum humorem exhaurire atq; ſiccare, non ſecus atq; ea aſſorum quæ ungi ſolent. Nam & ipſa magis dureſcere, quàm ſi ea citra oleum aſſaueris. Præſtat autẽ totam aſcribere dictionẽ Dioclis. Habet autem ea hunc in modum: At cum oleo fricare non perinde probabat. Primũ enim inæqualẽ fieri eiuſ-C modi frictionem putabat, quòd manus laberentur ſcilicet, nec æque carnem apprehendere propter pinguedinem poſſent. Præterea dureſcere atq; aduri cutem in illis magis qui ſic fricarentur exiſtimabat, quàm qui ſicca uterentur frictione: oleum quippe accendi & urere à frictione incaleſcens, quemadmodum in aſſis quę uncta ſunt, magis ꝙ non uncta, ubi oleo accenſo incaleſcũt, & ualde exiccantur, indureſcũtq;. Similiter quæ in oleo coquuntur, dura exuſtaq; effici eandem ob cauſam. Ad hæc quemadmodum ligna & coria, & alia cõplura quæ ex oleo fricantur, oleum intrò imbibũt: ita putabat & corpora. Quod cũ fieret, multa quæ ſolita eſſent cum ſpiritu effluere, ac foras prorũpere, tunc concludi arbitraba-D tur: ceu cum cribris, linteis, lana, oĩbusq; adeo per quę percolari quid aſſolet, perfundit ac inungitur, nõ æque liquores fluere per ea ualent. Porrò ubi ea excretio intercepta eſt, quædam intrò recurrere, quædam aceruata inuicẽq; implicita meatus opplere, retenta ſcilicet ab oleo, ꝙ uiſco quid ſimile habeat: ſicut in alijs omnib. apparet, quod pingue eſt, pulueres ac feſtucas, omniaq; eiuſmodi conſectari. Denique ubi obſtructi iam meatus fuerint, perpetuo ac ſenſim omnia deterius perfici eſſe neceſſe, ꝙ in ijs quæ pro conſueto gerunt naturæ modo. Putauit quoq; oleo ineſſe mordacitatẽ, cuius ui oculi illachrymarẽt, & guttur in tuſſim cieretur (quod κέρχειν uocant) tum aluus raderet, excremẽtaq; redderẽtur ſanguino-

guinoleta eo bibito:proinde qui citra frictionem
A ungerentur,nihil affligi:infirmiorẽ enim eſſe mor
dicationẽ,ꝙ quæ ſenſum mouere poſſet. At ſi per
frictionem carnẽ ſubintret, mordicationem moli
ri maligniorem:uelut multa medicamentorũ. ubi
enim illinũtur,minus ualent: at compreſſa introq;
ſubeuntia magis agunt:ſicut ſanè ſi urticis, & alijs
multis ſenſim quempiam contingas,nihil læſeris:
ſin ferias aut premas, utiq; offenderis. Hæc ergo
ſunt quæ Diocles in Archidamo prodidit, quorũ
ſimul tum probabilitatem, tum prauitatem cõſpi
cere eſt.Siquidem quòd quicquid in oleo coqui-
tur,propriam amittat humiditatem, ac friabile du
rumq; celeriter reddatur, cũ alioqui nihil in aqua
tale perpetiatur:ipſa nos docuit experiẽtia. Quã-
B obrem hac utiq; parte nihil Archidamus menti-
tus eſt:debebat tamen,ſicut Ariſtoteles & Theo-
phraſtus,alijq; nõ pauci philoſophi eiuſmodi pro
blemata in phyſicis quæſtionibus & proponunt,
& ſoluunt, ipſe quoque (ſi quidem omnium re-
rum cauſas ſcrutari uoluit)perinde ut illi, uti pro-
ponere,ſic quoq; ſoluere. At cum id minus face-
re appareat, in hoc uel maxime mihi delinquere
uidetur.Nam quod apparet euidenter, id ſemper
primum ponendũ eſt:ac deinde, ſicui libeat,cau-
ſam etiam inſpicere debet, phyſica problemata
hunc in modum componens. Cur oleum quæ in
ipſo coquuntur,ſicca & friabilia efficiat:aqua ue-
ro,humida & mollia.aut, Quamobrem in oleo co
cta ſicceſcãt:at quæ aliter in eo madidata ſunt, ma
C gis propriam ſeruent humiditatem,quàm ſi omni
no non eſſent madidata.Qua ratione ſcyllæ & ur-
ticæ morſus ſanet.Qua de cauſa his medeat̃, cum
ipſum oculos mordicet.Qui fiat,ut reliquum cor-
pus uniuerſum non mordicet, ſed oculos dunta-
xat. Quare guttur exaſperet, ulcera uero leniat.
Quo pacto uentrem ſubducat.Quo modo laſsitu
dines ſanet. Quamobrem inunctos tueatur à fri-
gore.Quare animalia inſecta interficiat. Cur lora
& coria emolliat:at quæ in ipſo coquuntur, durio
ra omnia efficiat.Atq; hoc unum eſt problematũ
genus, ad phyſicum duntaxat attinens. Alterum
uero, quod cõmune quoq; eorum eſt, qui artem
quamuis exercent, eſt tale. Quam ob cauſam car-
nes piſceſq; aſſantes coci oleo prius illinãt. Quid
D ſit quòd athletas oleo fricent gymnaſtæ. Quid e-
tiam quòd pueros pędotribę.Nam cuiuſq; talium
problematum ab experientia profectam cauſam
aſsignare liceat:cocis nimirũ reſponſuris, propte-
rea ſe piſces ac carnes oblinere, quòd ſiccæ adu-
ſtæq; extimæ eorũ reddant̃ partes,ſi citra pingue-
dinem aſſentur.athletas uero ſe ex oleo fricare di-
cturis gymnaſtis,tum quòd quæ ante inerãt laſsi-
tudines ipſum exoluat,et quę futurę ſunt mitiget,
tum ꝙ frictionem æqualem & mitem planè effi-
ciat,corpuſq; ad motus futuros præparet. Eas ob
res ipſi quoq; pædotribę pueros ſe & ante,& poſt
exercitia inungere dicent. Cur autem oleum laſsi
tudini medeatur, haud etiã nouit nec gymnaſtes,
nec pædotriba, nec medicus experientia curans:
nec tamen quia id neſciant,ab euidenter apparen
tibus recedent. Siquidem tametſi ignorant, quã-
obrẽ ueratrũ albũ ſurſum purget, nigrũ deorſum
detrahat, neq; cõpertum habentes, quare cnicus
pituitã ducat,atrã uero bilem epithymũ:tamẽ me
dicamentis ad ea utuntur, ad quæ utenda docuit
experientia:& eos quibus eſt opus curant,& eui-
denter apparentibus fidem habent, eoſq; qui con
traria rationi adſtruunt,derident.

Quòd præterquam quòd pugnantia de olei facultate Archidamus afferat,inſuper improprijs utatur exemplis. Cap. 6

At Archidamus ſupra quàm quòd in multis,
quæ perſpicuo apparent contemnit, inſuper &
hac quoq; parte taxãdus mihi iure uidetur, quòd
dicat meliorem eſſe frictionem ſiccã, quàm quæ
cum oleo adhibetur,quia corpus durius & ſiccius
ijs qui unguntur, efficiatur: mollius autem ijs qui
fricantur ſicci. Dicit porrò nihilo ſecius & in illa
ipſa dictione paulum progreſſus, ligna, pelles, a-
liaq; quæ ex oleo fricantur, ipſum in profundum
tranſmittere, idq; maximum eſſe teſtimonium,
quòd in corporibus noſtris intrò ſubiens meatus
oblinat,ac humidorum prohibeat effluxus. atque
ego quidem quomodo hæc conſonent, neſcio. ſi
enim humorum effluxus prohibet oleum, haud-
quaquam ſiccum dicendum foret,ac proinde fru-
ſtra id tanquã deſiccans in frictionibus repudiat.
Falli præterea in hoc mihi uidetur, quòd ſimiliter
affici putet tum ea quæ in illo coquũtur, tum eos
qui fricantur. Nec enim eadem agere dixerim o-
leum calidum,frigidum,temperatũ,tepidum, aut
feruens,ſicut nec aquam ipſam. Apparet enim &
ipſam,ſi frigida applicetur,cõdenſare,conſtipare,
contrahere,conſtringereq; & repercutere: ſicut ſi
extreme feruida,adurere. At ſi temperata adhibea
tur & moderate calida, laxare, rarefacere, funde-
re,digerere.Porrò ſi nec inſigniter calida nec frigi
da admoueat̃,ſed uelut quæ fontana dicitur, tunc
propoſitorum nihil efficiet: uerum propriam ſui
facultatem exeret. Sic ſi quis oleum expendere
uolet, ab omni prius liberum alieno tum calore
tum frigore ipſum efficiat, atq; ita demum ad ex-
plorandũ accedat:quippe quod ſumme frigidum
fuerit,non ex ſua duntaxat facultate,ſed ex alienę
qualitatis exceſſu nonnihil in contactis operabi-
tur:Ita quoq; quod magnopere calidum. At ſi u-
troq; ipſum liberans,ſic demum examinare uoles,
hoc duntaxat pacto propriam olei uim inueneris.
Quapropter cum quis ex more oleo fricat̃, ſicut
gymnaſtici omes,in ſolo fricat̃ oleo,quod nimirũ
abſq; omni ſit aliena qualitate:at ſi admodum ex-
calfacto,aut ſumme utatur refrigerato, iam com-
poſitam edi actionem neceſſe eſt, nempe ex pro-
pria olei facultate, & aliena qualitate. Sæpe uero,
propriam cuiuſq; medicamenti facultatem obſcu
rari neceſſe eſt,ubi ualentem aliunde qualitatẽ ac
ciuerit.Itaq; qui ſimile fuerit,herbas in oleo feruẽ-
te coquere,ac exercitantium corpora fricare? Ma
xime ſiquidem, uti ſupra oſtẽdimus, extrinſecus
ductas probationes fugere oportet, cum liceat ni
mirũ propriam cuiq; adhibere experientiã. Quod

ſi quam

si quando tamen id quispiam facere uolet, certe si milia cōparare conabitur, sicut in corijs faciebat & loris. Nec enim quispiam oleo in igne præcalfacto, neq; in niue refrigerato, sed obuio quoq; accepto coriū ac lora confricat. Ita puto & pædotribæ factitant, obuio oleo pueros fricātes, neutiquā aut in igne excalfacto, aut in niue refrigerato. Alioqui sanè & nos non raro caput ardore grauatū olei admodum frigidi perfusione refrigerauimus. Porrò si salis nihil oleo sit inditū, tanto magis refrigerabit. Sin etiam omotribes, hoc est crudum fuerit, multo profecto etiam amplius.

Quomodo frigidum paremus oleum. Cap. 7

Porrò præparare illud solemus non aliter atq; aquam, nempe prius excalfacientes, ac deinde aqua mergentes summe frigida: at si etiam fons in ipsum cum strepitu decidat, uasculo nimirum, cui inest oleum, ante diligenter occluso, magis quoq; ac magis ita reddetur frigidum. Multum item frigefeceris, si pręcalfactum in puteum ita demittas, ut aquam contingat, quanq; quod aquam nondū tangit, frigidū item euaserit, sed non perinde. Atq; hoc pacto præparando frigidum reddimus oleū: contrà, calidum. Quo sanè modo etiam utimur in refrigeratis corporibus, in alueum olei calidi demittētes, quibus pars quæpiam obstupuit, aut tremuli sunt, aut conuulsione tentantur, aut motu, sensu'ue priuātur, aut etiam ægre sentire possunt, aut eiusmodi quippiam perpessos. Ergo si quis ex uniuerso usu de medicaminum facultate pronunciet, nunquid excalfacere & refrigerare, tum exiccare & humectare nos oleum, uelut Dioclis Archidamus, siquidem pugnantias considerare animaduerterēq; nesciat, putabit. Nam cum exiccari & fragilia effici quæ in oleo coquuntur dicit, exiccantem & digerentem eius facultatem ostendit. At ubi intro in coria subire, porosq; nostros oblinire, ac naturales humorum effluxus prohibere, rursum sanè quodammodo cōtrariam eius facultatem demōstrat tum digerentibus, tum exiccantibus. Atque in istis uel adhuc quæ apparent proferens, de illis non recte ratiocinatur. At ubi de mordicatione agitur, non ea omnia cōmemorat. Nam quòd oculus mordicet, quòd guttur exasperet, siue ad tussim prouocet, quòd uentrem radat, atq; secessus sanguinolentos efficiat: abunde magna testimonia sunt, mordacem illi inesse facultatem. At quòd ulcera dolore liberet, & uētris mordicationes aut irrigatum, aut infusum omnino sanet, quiq; morsu irritātur mitiget, cum & ipsa non parua sint contrariæ ipsius facultatis indicia: planè omissa sunt. Cæterum si utrisq; propositis quis ratiocinari uolet, duorum alterum euenit: aut enim id faciet Empiricus, qui experientiæ omnia tribuit, dicetq; se in collatione ad aliquid cuiusq; medicamenti facultatem per experientiā cognoscere, ipsius autem per se propriam ignorare naturam: aut ut Rationalis, contrarias inesse medicamento facultates, mordicantem & lenientem: ac deinde ingenti tenebitur anxietate causam dicturus cur interim altera earum agat sensibiliter, interim altera reliqua aut perdita, aut nō clare apparente. Quarum omnium dubitationum solutiones, siquidem ut physica proponantur problemata, sane quàm difficiles sunt: sin ut ad usum referantur artis, multam requirunt experientiam: epilogismos autem non ita multos, sed exactos ac definitos. Nam primum, an omne oleum oculis mordax sit, nec'ne, experientia incunctanter definire præstat, haudquaquā ex tempore in utranq; partem rhetorum more disserere: tum an omne ęque guttur exasperet, aut uentrem subducat aut radat, ut nōnunquā cruentas moueat excretiones: an oleorum hoc quidem hæc faciat, illud uero non: & aliud magis, aliud minus. Olei differentias nunc recenseo, nequis heterogeneis, siue alterius generis existimet, sicut cicini, rhaphanini, caryini, balanini, ac similium. Nam & horum uires medicus noscat oportet: sed in pręsentia eas enumerare nō expedit. Satis est enim, mea quidem sentētia, principio propriissimum & quod maxime ab omnibus hominibus uocatur oleum, cōsiderasse: quando & ipse fructus ex quo fit oleum, solus ex omnibus oliua nuncupetur, & arbor olea (græce utrunque ἐλαία uocatur, & ipsum oleū ἔλαιον) ipsumq; simpliciter primario oleum dicitur: at reliqua omnia per translationem & abusum.

De differentijs proprie uocati olei. Cap. 8

Huius sanè quod proprie oleum appellitant, de quo omnis in præsenti sermo habetur, plures dico esse differentias. Secundum ętatem quidem, cum aut recens est, & uelut mustum, aut ætate uigente aut uetus. Secundum præparandi modum, cum aut simplex solumq; & impermistum fuerit, aut cum sale præparatum. Secundū fructus ipsius diuersitatem, cum is aut immaturus, aut maturus extiterit. Secundum inductam arte alterationem, cum aut quomodo ab initio præparatum fuerit, ita seruatur, aut candidum efficitur. Scriptum uero est de albificatione eius & ab alijs non paucis, & nos quoque in sequentibus de illo nonnihil tradēmus. Horum omnium oleorum facultates ipse equidem experiri studui: quid autem in quoque fieri deprehenderim, postea exponam. At nunc absoluere statui primum quod erat in manibus. Perperam enim mihi uidentur medicorum plerique tum experiri medicamenta, tum de uiribus eorum ratiocinari.

Quomodo cuiusque medicamenti facultatem experiri oporteat. Cap. 9

Quippe cum experiri solum oporteat quæ impermista sunt, & ab omni extranea qualitate aliena: eaq; primum in optima corporis constitutione, deinde in intemperatis, demum in morbis simplicibus: sicut in libro hunc antecedente, & in tertio De temperamentis definitum est. Ratiocinari uero, id quod ex accidente est, semper ab eo quod per se est, distinguentem.

Quod non solum in explorandis medicamentis medici allucinentur, sed etiam in opinionibus quas habent de affectibus. Cap. 10

At nonnulli medicorum non in istis modo allucinan

A cinantur, uerũ etiam in opinionibus quas habent de affectibus. Nam oleum quod lassitudinibus remedio sit, omnes propemodum fatentur: cæterũ quis affectus sit lassitudo, nõ cõsentiunt. Hic eñi articulorũ esse ait siccitatem, ex motionibus desiccatorum: Alter & musculorũ adijcit: Alius porrò contra q̃ hi, humiditatem multã, & tensionem, & caliditatem: fluxione nimirũ partibus uehemẽter agitatis effusa: Alius non humorum multitudinẽ, sed qualitatem solam causatur: prouenire inquiẽs in motionibus immoderatis pinguedinis carnisq; teneræ colliquationes quasdam, quarum pars foras transpiret, reliquum retineatur in corpore: & hoc cum acre mordaxq; sit, affectionẽ efficere ulcerosam. Itaq; etiãsi in hoc cõueniatur, quòd lassitudines sanet oleũ, attamẽ ob ancipitem atq; am-
B biguũ corporis affectum, nihil queat certi de olei facultate colligi. Atq; id sanè non tantum in lassitudine usu uenit, uerumetiã ubi doloris causa, aut mordicationis, aut phlegmones gratia bibẽdum oleum exhibemus, aut per sedem infundimus, aut identidem perfundimus. Siquidẽ ulceribus phlegmone affectis non solum, sed & cum aqua moderate calida perfundimus, ut in lassitudinibus cum lauacro aquæ dulcis: sed nec quæ sit in phlegmone affectio, consentiunt. Porrò ubi per sedẽ ipsum ingerimus, aut bibendum offerimus, ne tunc quidem cognoscimus euidẽter, cuinã corpori ipsum applicamus, an pituitæ, an bilis, an aliorũ aliquorum recrementorũ pleno. Constat enim, nõ perinde hominem affecturum, ubi pituitæ uiscosæ inte-
C stinum omne simul cum uẽtre plenum offendet, atq; ubi biliosis excremẽtis refertum, aut alijs quibusdam acribus humoribus, aut stercore multo, aut horum quidem nullo, sed incidet in uentrem intestinaq; undiquaq; pura: aut præterquã quod pura, etiam exasperata reperiat.

Quod ut quis probe de olei facultate ratiocinetur, debeat etiam affectionem hominis æstimare, & de ipso oleo quale sit præfinire. Cap. 11

Itaq; negligenter admodum & segniter de his omnibus medicorum pleriq; ratiocinãtur, haud indicantes nec quo pacto affecto homini oleum exhibent, nec qualenam ipsum. Ac mox tamẽ dicũt, alij mordicare & radere prorsum partes cor-
D poris internas, alij uero etiamsi præfuerit mordicatio, & huic mederi. Nec enim parum interest, an inijciatur in uentrẽ pituita scatentẽ oleum expers salis (Græci ἄναλον uocãt) & quod re uera oleum est: an quod plurimum accepit salis, in uentrẽ purum. Vtrunq; enim aluum subducit, diuersis tamẽ facultatibus. Nempe illud quod sale uacabat, in pituitoso uentre per lubricitatem, similiter maluis, blitis, moris: Quod uero salem habet, in puro per acrimoniam, perinde ut muria, & marina aqua. Et sanè hoc quidem radet, alterum non radet. Ergo nec absolutè oleum quoduis interna omnino radere dixerimus, aut deiectiones moliri cruentas, neque mordicationes lenire, uerum id cui sal est inditus, in puro uentre radere: cui autem non, in pituitoso non radere.

Quod salsuginosa & acria ex accidente quandoque morsui medeantur, nempe secum quod mordicat educentia. Dulcia uero & epicerastica contrà morsum etiam aliquando ex accidente exasperant, nimirũ cum unà corrumpantur, & foueant alantq; cacochymiam. Cap. 12

Nonnũquam uero mordicationes ex accidẽtè quod salsuginosum est, sanauerit, uelut melicratũ, salsugo, serum lactis. Educunt enim secũ hæc nõnunquam succum mordicationem facientem, ac mordacitatis redduntur medela, perinde ut cætera omnia quæ abluunt & abstergunt. Sed non statim ubi immissa sunt hoc genus medicamẽta, morsum sanant, quin potius tunc etiam exasperãt. Siquidem euacuationis, haud mistionis ratione sanationem moliũtur. Quippe ceratum ex rosaceo & adipe aut pinguedine infusum, sæpenumero morsibus cõtinuo succurrit, idq; mistionis ac temperationis ratione. Sed & oleum ipsum solum, sed dulcissimũ, id frequenter præstitit: sicut certe etiã adeps hirci, aut succus chondri, aut ceratum ex oleo dulci. Nos autem sæpenumero quibus ex frigore interna dolore torquebãtur, ingesto oleo calido dolore liberauimus: ac si maius esse frigus cõijciebamus, addidimus & anethum, oleum excalfacientes: si uero adhuc etiam maius, rutam quoq; & bitumẽ. Eiusmodi igitur auxilia omnia q̃ frigori medeanť dolores mitigant, nõ propterea quod lædentem humorem attemperent aut educãt. At in idem uniuersa confusa sunt plerisq; medicorũ, qui nec norunt dolorem ab intemperãtia natum, ab eo qui ex cacochymia oritur, distinguere: nec quòd medicamentorum quæ doloris gratia inijciuntur, alia excalfaciendo partem refrigeratã sanant, alia humorem mordicantem euacuando, alia miscendo. Sed & subinde mistæ existunt affectiones, ex intemperie uidelicet, & mordicatiõe. In quibus nos consueuimus anethinum, aut rutæ oleũ infundere, anserino in eo liquato adipe: is si non adsit, saltẽ gallinaceo: si nec is quoq;, uel aliorum aliquo: quòd si horum nullus ad manum fuerit, ceram miscemus mordacitatis expertẽ (uoco autem sic eam quę lota est) aut certe oleum ipsum quod effectum est candidũ, infundimus. Nam id ceræ mordacitatis experti proportionale est. Temeraria itaq; pronunciatio est atq; indefinita, tum eorum qui oleum omne omni tempore mordicãs adstruunt, tum eorum qui leniens. Nam quod salem accepit, mordax est: quod aũt eo caret & dulce est, quod quidẽ ex se est, lenire potest. Nam uideri possit & ipsum quando q; pro affectibus quibus applicatur, haud etiam esse eiusmodi. Vnumquodq; eñi temperantiũ medicamentorũ (Græci ἐπικεράννυντα, siue ἐπικεραστικὰ nũcupant) ubi ualentius euasit humoribus mordicãtibus, morsum eorum retundit. Verum si aut ualentioribus facultatibus, aut multis paucum mistum fuerit, unà & ipsum corrumpitur, alitq; cacochymiã, siue succi malignitatem. Quamobrem protinus euacuandi sunt qui ab ijs qui temperandi naturam habẽt, irritantur atq; asperantur: utpote qui multa nec facile mobili corruptione sint repleti.

De

De lacte. Cap. 13

Sic sanè lac frequenter simul atque sumptum fuerit, alijs acescit, alijs in nidorem uertitur, prius quàm probe concoctum corruptionē temperet. In quibus utique primum maxima cacochymiæ pars euacuari debet, atque inde sumendus chondrus, & ptisana, & lac, & alia, quæ ubi probe fuerint cocta, conferunt ad euchymian, hoc est succi in corpore bonitatem. Non tamen quod ad hoc attinet, omnia existimare oportet, aut deteriores, aut contrarias in sese obtinere facultates, neque in sermone scientem eorum quæ eueniunt partem alteram omittere: id quod fecit Archidamus in oleo. Siquidem memorabat oculos ab eo mordicari, guttur ad tussim excitari, & uentrem radi. Cæterū quòd stomachum sæpe cum ualēter morderetur, oleum protinus dulcissimum sanauit, & iniectum totius uentris mordicatiōes lenijt: & à thapsia, urtica, & scilla excitatas sedauit: eorum mentionem non fecit. Ego uero non ambigo, neque fidem non habeo ijs qui aiunt, rebus propemodum omnibus multas ac diuersas inesse facultates: quin ostensurum me idipsum polliceor in libro sequenti. Attamen non proinde adstruo eam quæ in quoque exuperat, non posse cognosci. Verū si quod ex accidente est ab eo quod per sese, distinxeris, omnia clare cognosces. Contēplator enim utrunque in exemplis, propositis uidelicet exempli causa duob. hominibus, quibus similiter os uētris mordicetur, & qui pariter aut succum ptisanæ, aut chondrū, aut panē lotū sumpserint: deinde alteri mordicationē restinctam, alteri uero inauctam ponito: obsecro, nunquid succus ptisanę, aut chondrus, aut panis ex se mordax est, per accidens autē in altero hominum morsum non modo non inauxit, sed mitigauit: an quod ex se quidem erat mitigauit, per accidēs uero in altero irritauit? Ego sanè ex sua natura epicerasticum esse dico succum ptisanæ, & chondrum, & panem, & per Iouem lac quoque: cæterū in altero homine morsum auxisse, quòd properasset à corruptiōe superari. Atque ea utique est (certo scio) ueterū omniū sententia, sed & recentiorū optimi quique ita sapiunt. Verū siquis fuerit quem ego nesciam (nec enim quicquam est quod non audeant iuniorum medicorum quidam) qui cōtendat, ex sua natura corruptiones augere chondrum, panem, aut ptisanam, cæterum in quibusdam ex accidenti nimirum mitigare: is inquā qui talia iactabit, nullā assertionis suæ demonstrationem afferre poterit. At nos dicimus, quòd si ptisana foret cacochymos mali'ue succi, haud unquam mordicationē mitigaret. Atqui cōspicitur frequēter tum superne sumpta, tum per sedē iniecta mitigare: Ex quo patet, per suam quidem naturam boni esse succi: uerū interdum unà cum ijs succis qui mordicationes excitant, corrūpi & ipsum augere symptoma.

Quomodo discernendum sit, à cacochymis ne mordicatio sanata sit, an ab epicerasticis, hoc est tēperantibus. Cap. 14

Forte igitur nos roget quispiam, an nullum unquam cacochymorū mordicationem curauerit? Equidem id nō raro factum cognouit: uerum ea di-

A co non temperando, uerū id quod mordicabat educendo, mordicatiōes sanasse. Ac proinde & statim, & usque dum euacuentur, hominē mordicare, & insuper euacuata asperum relinquere sensum in partibus, aliud medicamen requirentē. Quod non faciunt quæ boni sunt succi & dulcis (Græci εὔχυμα & γλυκύχυμα nominant.) Etenim & protinus mitigant, & absque ut euacuationem efficiāt, tum sensum asperum nullum inducunt, quin potius ipsa cōtra sensuum medentur asperitati. Itaque chondrum, lac, ptisanam in eiusmodi affectibus & edenda præbemus, & per sedem inijcimus, ubi uidelicet melle, aut quopiam eiusmodi quod infestabat extersęrimus: quo tēpore opportunus est & adeps, & ceratum inde dulce, & oleum dulce.

B Porrò & in præsenti & in sequēti deinceps sermone om̄ia me dulcia dicere existimato, tum ea quæ salem non sunt experta, tū ea quæ sunt elota. Quatuor itaque indicijs ac notis, cum possis quod per se lenit distinguere ab eo quod per accidens, facile cuiusque talium medicamētorum facultatem inuenies. Primum indicium est, an statim mitiget, an non. Secundū, an intus maneat sanando, an non. Tertium, an asperitatem quandam in corporibus relinquat, an non. Et quartum, an non ita affectis utile & commodum uideatur. Nam cum nec protinus mordicationem sanat, uerum maiore cū uehementia excernit, nec intus medendo remanet, & molestam corporibus asperitatē relinquit, quā, si denuo offeratur, exasperat: argumentum est rodentis ac mordicantis esse naturæ, cæterū ex acci-

C dente quandoque morsus sanare. At quod & continuo mitigat, et nullā excretionē prouocat, sed nec exasperat dum intus manet, imò exasperatorum medela existit, ipsum quidem natura bonū est: uerum interdū à cacochymia, quæ ipsum alterat corrumpitque, mordax efficit. Atque hæc ita à me dicta sunt, ut simul utriusque medicamentorū generis & tempus, & utendi modū, simulque facultatis inueniendæ rationē docuerit oratio, demōstraueritque & ptisanæ succū, & chondrū, & tragum, & lac, & panem elotū, ex genere esse euchymorū: quin & pinguedinem, & adipem, & oleū dulce & ceram dulcem ex mitigantium esse natura. Fuerit autem cera dulcis, quæ & natura est talis (nam quædam

D gustantibus amaræ sunt) & quæ præterquā quòd est talis, in aqua bona elota est.

De ratione abluendi & candida faciendi medicamenta. Cap. 15

Lauanda porrò est non tantummodo cera, sed & pix, & resina, & oleum, & quicquid aliud aquæ misceri non patitur. Primumque modice concalfactum, mox in uas lati oris ac magnū, cuique insit aquæ copia purissimæ simul & om̄is qualitatis expertis, infundito. Nam in ea quicquid id sit quod abluitur, acrimoniam suam exuit. Deinde contерito, tundito, frangito, manibusque impense subigito, ut unaquæque uidelicet abluendi medicaminis particula aquam possit contingere. Denique effusa priore aqua, rursum quod lauatur excalfaciens, in aliam aquam æque syncerā inijcito, rursumque diutissi-

tisſime contundito, donec qualitatem ſuam in aquam deponat. Id autem guſtu datur cognoſcere. Mox uero & tertio, & quarto, & ſæpius deinceps idem faciendũ, donec aqua nullam etiam ex abluto medicamento qualitatem recipiat. Atq; hũc in modum omnia quæ excalfieri & fundi ſuſtinẽt, lauabis. At ſi qua ſint lapidoſa et dura, uelut cadmia & æris ſquama, & æs uſtum, ea exacte in tenuia comminuẽtem, plurimum in aqua terere fontali puriſsimaq; oportet, ſubinde priore effuſa, quoad nihil in aqua innatet, maneatq; aqua prorſum à cõtriti medicaminis qualitate immunis. Nam quandiu aut qualitatis eius quippiã in guſtu appareat, aut aliquid innatet, tandiu terẽdum atq; effundẽdum eſt. Nam ſi hoc pacto quiduis eorum quæ lauari poſſunt, abluas, mordacitatis expers euadet. Et ſane oleum non tantum mordacitatem exuit, ſed etiam candidius interea efficitur. Oportet uero ipſum non perinde uehemẽter uerberare ut picem, aut ceram, aut reſinã, ne uidelicet adeo aquæ miſceatur, ut ęgre poſtea ſeparari poſsit, ſed ita, ut ubi quieſcere pauliſper ſiueris, facile poſsis innatans detrahere. Sunt & alij modi quibus oleũ efficere poſsis candidũ, quos ſcriptos inuenies apud eos qui præparationũ libros conſcripſere, & qui de materia prodidere, ut & apud Dioſcoridem in primo. Verum pleriq; eorum conſumentes quod in oleo aqueum ac ruſum eſt, reliquum cãdidum efficiũt. At hic abluendo, ueluti ipſum abſtergendo ac detergendo, candidum efficit.

Quod non colligatur oleum ex eo quod ad tuſsim quendam ciat impetũ, proinde eſſe mordax: neq; enim omne quod ad tuſsiendum impetum ciet, mordax eſt: neq; ſolum quod mordax eſt, ad tuſsim impetũ mouet, ſed & quæ pinguia ſunt. Cap. 16

De medicaminum quæ lauari candidaq; effici ſolẽt, diſpoſitione, aliàs dicẽ: nunc ad propoſitũ reuertor. Oleum quod non ſit omphacinũ uocatum, hoc eſt, crudum (id enim aſtringit) neq; cum ſale præparatum, neq; recens, ac uelut etiamnum feruens, ad hæc omnia accurate lotũ, id neq; epotum, neque infuſum mordicationem exercebit. Quod ſi guttur ad tuſsis impetum prouocet, non idcirco mordax dicendũ erit. Nam quicquid mordax eſt & acre, ad tuſsim impetum prouocat: non tamen quicquid impetũ ad tuſsim prouocat, mordax eſt & acre: hoc enim duntaxat pacto mordax eſſe oleum conuiceris, ſi quicquid ad tuſsim impetum mouet, mordax eſſe confeſſum fuerit. Occurrit itaq; denuo hic error nõ leuis, ſed pernicioſus, in concluſi conuerſione commiſſus. Confeſſum enim eſt, omne mordax impetum ad tuſsim mouere, & confeſſum eſt, oleum omne ad tuſsim mouere impetum: uerum his ſuppoſitis non conficitur oleum eſſe mordax, neq; ſi categoricas, neq; ſi hypotheticas efficiamus propoſitiones: quòd ſcilicet ex duabus uniuerſalib. affirmatiuis nihil concludi in ſecunda figura poſsit, neq; concluſio ex neceſsitate ſit uera. Fient autem in ſyllogiſmo categorico duæ propoſitiones iſtæ, Omne mordax ad tuſsim impetũ ciet: ſed & omne oleum ad tuſsim impetum ciet: quibus confeſsis nihil cõcludi

A poterit. Hypotheticam uero propoſitionẽ, quam Chryſippus ἀξίωμα συνημμένον nuncupat, uerũ accipere non licet, neq; à ſenſu, neq; ex ſenſu, neque ex conſequentia rationali. A ſenſu enim, aut per ſenſum, aut ex ſenſu, aut utcunq; nominare placebit, id genus ἀξιώματα deſumpta ſunt: nẽpe, Omne mordax ad tuſsim impetũ ciet: &, Siquid mordax eſt, itidem & ad tuſsim impetum ciet: &, non ſi omne mordax ad tuſsim ciet impetum, protinus quicquid ad tuſsim ciet impetum, mordax erit: neq; omnino ad hoc, Siquid mordax eſt, hoc & ad tuſsim impetum ciet, ſequitur in uniuerſum iſtud, ſiquid ad tuſsim impetũ ciet, ipſum & mordax eſſe: ſed id quidem, ſi non ciat ad tuſsim impetum, haudquaquam mordax eſſe, id inquam uerum eſt: B quippe cum mutuo cõuertantur. Non tamen ſi quid ad tuſsim impetum ciet, continuo & mordax eſt. ſimpliciter enĩ hoc conuertitur, & nõ mutuo. Demonſtratum autem in methodis logicis eſt, quę ex mutuo ueris conuertunt orationes, ipſas quoq; ueras eſſe, at quæ ſimpliciter conuertuntur, nõ perpetuo eſſe ueras. Illas quidem ἀντιστρέφοντας uocãt, has uero ἀναστρέφοντας. Igitur ſi non ex neceſsitate uerũ eſt, ſiquid ad tuſsim impetum mouet, idem mordax eſſe, neque ſanè oleum proinde quòd ad tuſsim impetũ moueat, mordax eſſe cõcludi poterit. Hoc enĩ dũtaxat pacto, nempe ſi in confeſſo eſſet, omne quod ad tuſsim impetum moueat, itidem mordax eſſe, uere talem cõfici concluſionẽ inueniretur, C Si ad tuſsim impetum mouet oleum, utiq; & mordax eſt: quò uidelicet ad hãc ſequatur orationẽ, facta tali aſſumptione: Atqui ad tuſsim mouet impetũ oleũ: ſequitur ergo iuxta primã orationẽ indemonſtratã, mordax igitur oleum eſt. Verum enimuero nõ hoc pacto colligendum illis fuerat, quòd ſi quid mordax eſſet, continuo & ad tuſsim moueret: ſed quod ſola mordacia ad tuſsim impetũ prouocant. ita enim concluderetur, quicquid ad tuſsim moueret impetum, eſſe mordax. At hoc ipſum, ſola uidelicet mordacia ad tuſsim impetũ ciere uideri, & aliene à ſenſu dicitur (quippe cum & pinguia mouere ad tuſsim impetũ appareant) & quod quæritur, prompte aſſumptum eſt neq; ex ſenſu, neq; ex demonſtratione. Præterea hominum id eſt ignorantium, D quænam ſit ad tuſsim impetum mouẽdi affectio, quam fortaſsis ipſis exponere præſtiterit.

Quomodo & per quæ ad tuſsim impetum cieri contingat. Cap. 17

Contingit autem ad tuſsim impetum cieri inæqualitate quadam in gutture pręter naturam prouenięte: quippe cum ſpiritus per puram leuemq; ferri uiam conſuetus, ſi quando in eminentia quædam impingat, tumultum quendam ac uelut inæqualem concuſsionẽ in gutture efficit, atq; ita ad tuſsim animal prouocat: nam ut alias quoq; multas natura hominibus ſalutis gratia ingenitas indidit paſsiones, ad eundem modum & ſternutationem, & tuſsim: Sternutationem quidem, uti ea quę in naribus infeſta moleſtaq; ſunt, propellerẽt: Tuſsim uero, ut quæ in gutture. Porro duplex ea

affectio est, aut resiccata exasperata'ue quæ in arteria est mēbrana: aut inæquali in ea corpore delato, siue id liquidum sit, siue solidum. Hinc seu panis micula, aut alterius cuiuspiam edulij, nobis inuitis in spiritus meatū decidat, tussire adigimur, seu si bibētibus affatim ipsius potus quippiam eò influat, similiter irritamur, atq; ad tussim cōpellimur. Percolatur enim perpetuo per asperam arteriam in pulmonē ipsius potus tam exile quippiā, ut protinus ab instrumētis raptum perfacile quocunq; distribuatur, nec tamen uspiam aceruatim in spiritu semita consistat, neq; animal ad tussim irritet. At ubi uel idipsum plusculū, uel aliud quodpiam seu liquidū, seu solidū corpus in aspera defertur arteria, iam inde tussire necesse est, donec à spiritus uehemētia quod molestat propulsatum eijciatur. Proportionale quippiam huic accidit, ubi in membranam ipsam arteriæ exasperatā spiritus impingit, nisi quòd hæc affectio alia à iam dicta sit. Nunc enim ab arteriæ membrana, aufertur abraditurq; quippiam: intus uero adhęret aliquid in priore affectu. Porrò utriq; cōmunis est spiritalis uiæ inæqualitas. De quibus fusius in causis symptomatū disseruimus. Cæterū impræsentiarū cognouisse sufficit, quòd mordacia gutturis exasperatione, oleosa uero & pinguia illitu inæqualitatē & ad tussim impetū efficiant. Quicquid enim extra naturam in arteriæ incidit tunicā, tenaciterq; illi inhæret: tum organis ipsis, & qui per ea defertur spiritui insolens est, tum animanti quoq; molestum. Nec id nunc dico, quin pleraq; ex oleis mordicantia sint. Nam & quæ admistum habēt salem, & prorsus recētia sunt, ea omnino mordacia quoq; sunt: non propria sui essentia, sed quoniam omnibus plantarum succis geminum insit excrementum (quod abunde indicauit Theophrastus, & nos postea commonstrabimus) alterum crassius, ac uelut terrestrius, alterū tenuius, & uelut aquosius. Sanè & oleo ambo hæc insunt, ad cōcoctionem & discretionem tempus postulantia. Porrò tempore quidem alterum residet, alterū uero consumitur: ac primū quidem, quod uidelicet & terrestre est & crassum, subsidit amurca nuncupatū: alterum uero tenuius, ac uelut aquosius, quodam modo & ipsum compositum est, ex aerea scilicet essentia, & tenui serosa.

Quot modis aqueum & tenue excrementum ab oleo separari queat. Cap. 18

Cæterum serosum istud fului coloris est, à crasso illo terrestriq; subsidēte scilicet qualitate abstersa. At oleum ipsum tum minime mordax, tum cādidum sua natura existit. Quapropter ubi tenue hoc excrementum separatum fuerit, candidius etiam dulciusq; efficitur. Separatur uero multis modis. Aut enim in sole feruēte lati oris uasculo olei pleno deposito, conchis in altum sublatis, subinde cum strepitu desuper conturbant: aut calidos uasculis oleum continentibus cineres subijciunt, solarem quàm fieri possit maxime calorem imitati (maiorē enim idcirco uitant, quòd ipsum in qualitate alteret, prompteq; fumum excitet) aut nu-
A cleos oliuarum, aut frumētum circuncirca apponunt: aut medicamenta uasis ipsis inijciūt. In summa, quod aqueum est, exigūt atq; consumunt, reliquum autem seruant. Itaq; si tam dulci cādidoq; accepto oleo, cuiq; ab initio sal inditus est, ipsum insuper, ut ante positum est, laues, id tibi medicamētorum omnium minime mordax erit. Ac nos quidem persæpe oleum eiusmodi bibendum non nullis exhibuimus, nosq; ipsi experimenti gratia sumpsimus, prorsumq; nullam intestinis mordacitatem attulit, gutturiq; minime ad tussim impetū cōmouit, cumq; oculis esset infusum sensum mouit exiguum, ipsa potius nouitate atq; insolentia, quàm acrimonia molestum. Atq; eiusmodi sanè oleum, ad unguem oleum existens, cuncta tum
B humectat, tum emollit, ubi nec summe (ut monuimus) frigidum, nec calidum applicetur. Porrò cui iniectus sal est, nonnulla quoque inest necessario mordacitas. Verum mirer sanè si quis tantū indat salis, ut oleosam pinguemq; substantiā exuperet: utq; Archidamū scilicet referat, qui ait cutē aduri his qui in oleo fricantur: quandoquidem & id sæpenumero factum uidi, cum aliorum nonnullorū gratia, tum podagræ & arthritidis: fricant eñ partes affectas trito in pauculo oleo sale multo, idq; per intermissiones, haudquaquā in paroxysmis, tum ut superfluum omne exiccent atq; discutiāt, tum ut partibus infirmis bonam comparent habitudinem ac robur. Atq; in hoc quidem sal exuperat, in oleo uero superatur: potiusq; eorū quæ in
C oleo rigata sunt, faciēda cōparatio est, quàm quæ in eo decocta, utpote qui hominē feruenti nequaquam oleo decocturi sumus, uerū temperato uncturi. Præstat enim, id quod aliquoties supra monuimus, ipsum rei euentum sensu perceptilem & exacte manifestū inspicere. Neq; eñ sanè extrinsecus quæsitis opus exemplis est, in rebus nimirū quæ tam clare cognosci possunt. Quin si quando forte obscurum sit quod quæritur, adeo ut ex alijs sibi fidem poscat, neq; illic sanè remotissima dissimillimaq;, propinquis præteritis, accersenda sunt quærendæ facultatis testimonia. Sanè euidens luceq; clarius omnibus hominibus est, quòd frictio ex oleo magis q̄ sicca lassitudinem aufert, corporaq; emollit, cohibēs occludensq; quicquid è no-
D bis foras effluere est natum, haudquaquam digerens & exsiccans. Idipsum & Diocles confessus est, ut qui oblinere poros oleum dixerit, queq; effluūt cohibere, tum coria emollire. Quòd si rerū euidentia illi non sufficiebat, ac proinde extrinsecus adducere coniecturas potius illi uisum est, ea quæ in oleo frigido rigantur, memorare, non quæ in feruenti decoquuntur afferre debebat.

Quod perperam Archidamus inæqualem ex oleo frictionem asseruit. Cap. 19

Quemadmodū in talibus rerum trāsgressus est euidentiam, ita illic quoq;, dum ait inæqualē esse ex oleo frictionē, manibus uidelicet lubrice labētibus. Nam cōtrarium omnes manifestò percipimus, nimirū cū quę ex oleo fit frictio, æqualis existat: inęqualis uero sicca. Cutem enim in frictioni

bus siccis manus coadducũt, ac uelut duplãt, uiolenterq; ac præter naturã complicãt, Dein ubi nõ amplius prior uelut duplatio labentes sequi manus potest: ipsa quidem recurrit, atq; ad continuũ reuellitur: manus uero semel ac uno impetu in alterã cutis partẽ transeunt, inferiorẽ transgressę duplationis partẽ. Ac proinde inæqualem, duram, laboriosam talem sentimus frictionem: duram quidem, quoniam cutis uiolenter & tenditur, & concutitur: eisdem de causis & laboriosam: porrò inæqualem, quandoquidẽ non in omnes cutis partes fricantes incidunt manus, uerũ infernã duplationis partem perpetuo transiliunt: id quod fit tum ob naturales cutis asperitates, idq; potissimum in natu grandioribus, tum quod laxa est cũ alijs pro pẽ omnibus cutis, tum gracilibus maxime & senibus. Quippe si leuis æquabiliter tota & tensa exacte cutis foret: haud facile plicari posset, nec inæquales in se manuũ efficere decursus: uerũ facile reor antorsum percurrerẽt, à primis ad reliqua delabentes: nimirũ cum nullam secum cutis partem ducerent. Atqui cum laxa sit & aspera, externo quopiã medicamẽto indiget, quod & rugas eius impleat, & fricantibus manibus lubricitatem præbeat: quas ad res oleo nihil aptius inuenias. Mirerisq; profecto Archidamum, qui nec rei sit reueritus euidentiã, nec quæ eius sit causa inuenerit, sed in utrisq; pronunciarit contraria: quippe cum inæqualis sicca appareat frictio, æqualis uero quę administratur cum oleo: nec minime ea testimonio suo astruit ratio, quæ causam exponit.

Redarguit prauam medicamentorum facultates inueniendi rationem. Cap. 20

Verum de Archidamo & Diocle satis in præsentia. Volo enim (quãdoquidẽ semel aggressus sum prauam facultatis inueniendæ uiam ostendere, oleo pro exẽplo usus) omnẽ celerrime orationem absoluere. Igitur cum ueteres philosophi calidum esse oleum asseuerãt, non paruo (ut putãt) argumento, quòd celeriter scilicet in flammã uertatur: contradicentes quidã, id illi accidere aiunt, quoniã tenue est, & aereum: cæterũ frigiditatem eius inde adeo monstrari, ꝙ hyeme ocyssime concrescat: nec enim uino solũ acetoq;, sed etiã aqua ipsa prõptius à frigore deuinci. Ad ea rursus obijcientes alij, ꝙ aereum quidem sit non negant, idq; ex leuitate perspicuo apparere dicunt: nõ tamen frigidum esse fatentur: quippe cũ aer omnis sit natura calidus, uti generatio quoq; eius indicio est: nimirum cum extenuata solutaq; calore aqua, aer efficiatur. Constatq; iam inde maximã eos ingredi quæstionẽ clarissimis philosophis dubitatã. Siquidem Aristoteles, quiq; eum sectãtur, calidum esse aera existimant, at Stoici frigidum. Porrò ad celerem olei cõgelationẽ, quod uisum est illis qui frigidum ipsum asserunt: hi qui calidũ contra contendunt, non tam ualide cõcrescere ut aquã contra opponũt: neq; eñ cõgelationẽ in eo esse aiũt, si quis recte expendat, sed uelut cõsistentiã & incrassationem, quia uidelicet crassum est & uiscosum, non quia frigidũ. Itaq; rursum utrinq; in ambiguũ oratio perducitur. Illis quidem, ex eo quod celerius à frigore uincatur oleum, ꝙ aqua: his uero, ex eo quod aqua oleo plus congeletur, contraria adstruentibus. Ad hoc itaq;, quod de his addubitent, neq; ꝙ aereum sit omnibus confessum est. Etenim leuitas quidẽ, inquiunt, huius indiciũ foret: at crassities nõ paruã adfert coniecturã ipsum esse terreũ. Porrò quidã ambo cõponentes, aereũ simul & terrosum constituunt. Sunt qui hos deridẽtes, id quod cũ primis oleo inest, nempe humiditatẽ, adimere ipsos oratione dicãt. Ad hæc nonnulli ex eo quod uiscosum sit, frigidũ esse contendũt, alij uero calidũ, nõnulli siccũ, postremo quidã etiã humidũ. Etenim nisi contractæ cõpactæq; partes eius forent, & inuicem exacte adhærerent, uiscosum haud fore: atqui illos oẽs frigiditatis esse effectus. Nam fundere, extenuare, soluere, partes à se inuicem separare, eam uero esse calidi naturã. At alij contra, uiscosum nihil fieri pronunciant citra calidi uictoriam, ueluti in succorũ omnium patet decoctione, tum eorũ qui ex herbis exprimuntur, tũ qui ex fructibus: quippe qui cũ aquei principio sint, ac cõsistentia tenui liquidaq;, ubi decocti fuerint, crassi uiscosiq; euadant. Quin et ex particularibus utriq; exemplis cõtraria probabiliter adstruunt: alij uiscum, mel, picem liquidam, resinam, & alia id genus quæ in professo & uiscosa sunt & calida, proponentes: alij cicutæ, psylij, atriplicis, blitiq; succũ memorãtes, et ad hęc ueluti colophonem quendam orationi pituitam proferentes: liquido enim ipsis ea & uiscosa esse & frigida uidetur. Quin & ex eo quod quibus uenæ sectione sanguis detrahitur, oleũ instillatũ fluidum reddat sanguinem, utrosq; cõtraria adstruere uidere est. Alij enim tanquã calore fundens, alij uero tanquam frigore lubricitatem præbens, non secus ac glaciem fluxibilitatem ipsum facere asserũt. Atq; inde aliò uersi, de lubricorum omniũ natura disceptant, ad extremã usq; garrulitatem oratione promouentes. Porrò horum errorem condemnantes quidam, ut ipsi aiunt, pinguitudinem proponũt, quæ proxime ad olei naturam accedit, & euidenter deprehẽdi potest cuius sit tẽperamẽti: quippe quæ in nobismetipsis cõsistat, nec fallere nos queat. Nam in sanis, inquiũt, & bene curatis corporibus multa prouenit pinguitudo, quæ ne insanus quidem frigida dixerit: talia enim fieri robusta natura, quã omes naturales philosophi calidam esse rem confitentur. Sed his ediuerso quidam in frigidis temperaturis pinguitudinem prouenire aiũt: uelut fœminæ indicant, quiq; ociosam uitã transigunt. Iam uero & inter gentes ubi frigus quidem superat, pingues, ubi uero calor, graciles prouenire homines asserunt: proferũtq; exempla, Gallos, Thraces, Bithynos, Ponticos, Galatas, sicut frigidæ regionis incolas, ita quoq; in uniuersum pingues: Arabes uero, Libyes, Aegyptios, Aethiopes, quiq; terrã inhabitant calidam, graciles & aridos omes. Nonnulli uero citra particularia exempla, uniuersali inter sese ratione contendunt: partim pinguem in nobis succũ prouenire nõ posse: nisi

A nisi probe à natura cibi cõficiantur, asserẽtes, partim in cibis quidem contineri cõfitentes, à nostro tamẽ calore cõsumi, uelut à flamma oleũ: qui ubi infirmior est redditus, in corpore aceruari. Sunt qui animãtia quoq; in medium afferãt, ut quæ natura frigidiora sunt, pinguiora omnia reperiãtur, ut ursi, oues, sues, quæ calidiora, itidẽ & sicciora, gracilioraq;, & pinguitudine uacantia, ut leones, pardales, canes. Præterea inde adeo, ꝙ madefactę oleo apes, muscæ, uespæ, formicæq; intereãt: alij quidẽ calidum, alij frigidũ cõprobare ipsum tentant, ac rursum alij humidũ, atq; alij siccũ. Etenim cum iam dictæ animãtes exangues sint, ac proinde frigidæ, quidã eas celeriter refrigerari aiũt, atq; ita mori: quidã cõtra dum excalfiunt, haud posse in cõtrariũ mutationẽ proferre. Quin & ꝙ immo B derate exiccantur, alij: quippe cum natura iam antea exiccata sint, immoderationis ratiõe offendi: alij uero ꝙ humectenť, idq; naturæ contrarietate. Atq; ꝙ ex insectis animãtibus cõtraria inuicem colligant, mirũ fortaßis uideri nõ debet, sed ꝙ ex ijs quæ nobismetipsis accidũt, in utrãq; partẽ disserũt, id uero admiratione dignũ est. Quippe alij plus, alij minus sudare nos inquiũt, siquis in balneo ungať. Nec tamẽ ij qui plus asserũt, de facultate eius uniuersali inter sese conueniunt, neq; ij qui minus: uerũ ex ijs qui plus nos sudare asserũt, quidam calori acceptũ referũt, quidã uero uiscositati: priores quidem calidũ sudores prouocare natũ dicentes, uiscosum uero alteri. Quippe uenãdi & aceruãdi eorũ quæ hactenus celeriter defluebãt, C proindeq; sensum fallebãt, facultatẽ obtinens, manifestã ita sudorũ copiã efficere. Porrò qui minus sudare uolunt eos, qui aut in balneis, aut in exercitijs unguntur, alij quidẽ illinẽdi facultatẽ, alij uero refrigerãdi uim illi attribuunt. Quinetiã ex apparentibus, alij resiccare, alij humectare ipsum dicũt: humectare quidẽ, quotquot plus sudare inunctos cẽsent: resiccare uero alij. Quinimo & quod à frigore tueatur inunctos, alij quidẽ crassitudine uiscositateq; instar uestimenti ac munimenti frigus arcere, alij uero per calorẽ naturalem cõtacta excalfacere referũt. Porrò etiã ex eo quod quæ in libris atramento cõscripta sunt, nihil uitiet aut deleat, haud aliter ꝙ arena cinisq;, cum reliqua liquida omnia deleãt: quidam siccã, & uelut exuccam D eius naturam adstruunt, quidam uero partiũ crassiorum, ac minus elaboratarũ. Sic & quod alijs nõ cõmisceatur, hoc alij quidẽ leuitati, partiumq; tenuitati, alij uero crassitudini uiscositatiq; adscribunt, cum succis sui similibus misceatur, ut malue decocto. Eadem asserunt & de hoc quod terra nõ probe oleo irrigetur, tametsi alijs liquoribus madescat, ut uino, aqua, aceto. Ac nonnulli quidem hic essentiæ causantur siccitatẽ, alij tenuitatẽ, sunt qui crassitudinem. Etenim qui tenuitatẽ pro causa afferunt, intactos transire meatus aiunt, at qui crassitudinem, omnino ne ingredi quidem illos asserunt. Neutros uero arguere queas, cum utraq; de causa quædam ne propinquis conmmisceantur, prohiberi possint. Siquidem physicorum nõnullis meatuum cõmoderatio, mistionis esse causa uidetur. Atq; ego nunc sanè illa, in summa tantum relatis solis ratiocinationũ occasionibus, cõmemoro. Quod si quis singillatim unumquodq; extendere uelit, atq; hincinde in utranq; partem disserere, non unũ ille uolumen, sed etiã complura meo iudicio explebit. Licet enim uel iam nunc prospicere, ꝙ non longus solum oratiõis hic euasurus sit error (nec eñ tolerari posset) uerũ quod summam etiam interim attinget physiologiã, sic ut dijudicare nonnunquam nequiret. Porro si cui constaret omnino inutilem esse medicis, longe etiam magis eam rationũ uiam arbitror effugeret. Non enim absolute an calidũ, frigidũ, humidum, siccum'ue unũquodq; medicamentorũ sit, inquirimus, neq; an formicas, apes, uespas, aut aliud animaliũ humectare ualeat, aut resiccare, calfacere, aut frigefacere, sed quomodo ad corpus se habeat humanũ. Cum liceat igitur in hominibus experimentum capere, non recte ad alia uertuntur.

Quæ sit rectè experiundæ olei facultatis ratio. Cap. 21

At recta experiundi ratio, in primis quidem ea est, quæ in corporibus habetur temperatis, deinde ea quæ in intẽperatis, mox, ut sæpenumero antea monuimus, quę in calidis, frigidis, humidis, ac siccis morbis. Vbi animũ aduertere iussimus, ut quod per sese quid ageret, ab eo quod ex accidenti distingueretur. Id quod futurum est, primũ quidem si quàm fieri potest simplicibus affectib. admoueas: deinde si an protinus ab initio quod sensu possit percipi, suam uim exerat, consideres, an post temporis aliquantũ, aut deniq; ubi ablatum fuerit, uelut aqua frigida, quæ caloris efficit repercussum: ad hæc alienæ qualitatis misturæ expers ut sit, danda quã maxime opera est. Quomodo ergo oleũ quis tale efficiat, supra positum est, uerũ quomodo simplici morbo applicari queat, nũc dicemus: id modo prius commemorantes, quòd in morborum differẽtijs ostensum est, corpora quędam ad calidius uersa uideri citra aut malũ succũ aut pectoris uisceris'ue inflammationem, uelut in ingentibus exustionibus euenire assolet: Quædã uero ad frigidius, ut in uocatis iam passim consueto nomine perfrictionibus (ψυγμὸς Græci uocãt.) In talibus utiq; affectionibus si oleum adhibeas, manifesto cõperies, refrigerare nos an calfacere sit natum. Sed illud tamen constet, ut omni prorsum aliena uacet qualitate uehementi. Id eñ perpetuo in omĩ medicamẽto memoria tenere oportet. Atq; hæc quidem summa est rationis. At opus ipsum quod perficitur, experientia commõstrat. Nam qui ardore tenentur, tantum abest ut à calore liberentur, ut etiam magis exæstuent, & procedente tempore calidiores euadant. At algẽtibus, ex olei inunctione perspicua nulla aut noxa, aut utilitas affertur. Ex quo liquet, ut calfacere sit natum, certe non admodum id posse nec euidenter, sicuti resina, pix, bitumẽ. Inaudienda est nunc pix non sicca, itidem nec resina, nec bitumen siccum, nec enim ipsis inungi quis possit, neq; item quæ sol liquarit: quippe hæc nec simplicia, nec sponte nata

nata sunt medicamenta: uerum resina, quæ Græcè αὐτόῤῥυτος, à spontaneo fluxu dicitur, quam in Laconia & Cilicia optimam prouenire nouimus, aut terebinthina, aut lentiscina, quæ liquid etiamnum ac recens sit, aut ex pinea, quæ in fictilibus superne olei ritu innatat: pix autẽ liquida, aut potius quod oleosum in ea superne fluitat, quod utiq; πισσανθον, hoc est, picis florem nuncupant: est enim reuera tanquam picis flos: sic bitumẽ adhuc liquidum, quod ex Medeia importatur: om̃ia enim hæc pinguia sunt, plurimumq; oleosæ naturę possident, ueluti myrrha, stacte, & picinum, iuniperinum, cedrinum, laurinumq; oleum, & alia eiusmodi clarissime refrigeratos recalfaciũt, exæstuantes uero summe excruciant. Atq; hæc quidẽ utrisq; excalfacere, cõfessum est, at oleum neutris admodum, neq; refrigeratos scilicet excalfacere, nec excalfactos offendere. non tamen obscure ijs qui ex ardore febricitant, fastidij cuiusdam causa est, caloremq; augere apparet, queadmodum in exquisitis erysipelatis, quippe quæ biliosæ sunt fluxiones: manifesto enim in his calorẽ adauget, etiamsi applicetur uel frigidissimum. Etenim in ardoribus si salis sit expers, & alioqui etiam candidum, nõnullum sanè solatium, si modo frigidum perfundatur, affert. In erysipelatis autem, quantumuis sit frigidum, nihil iuuerit, cæterum lædere omnes quæ ex pura bile sunt fluxiones, uel maxime est natũ: at quæ ex sanguine constant illi permisto, has quidem minus, non tamen uulgariter. Porrò istis etiam minus, sed tamen perspicuo affligit inflammationes etiamnum feruentes. Ex quibus omnibus coniecturam ducenti, uisum est tandem calorem partem eis quibus applicatur accendere. Apparet enim corporibus mediocriter calidis admotum, moderate illa excalfacere: quæ uero ualide, ualidum accendere calorem.

Quòd oleum ex eorum sit numero quæ ex æquo non excalfaciunt. Cap. 22

Dictum est igitur, in tertio de Temperamẽtis, uenitq; nunc iterum dicẽdum, quòd unũquodq; medicamentorum quæ corpori applicantur, quæ quidem calida esse facultatibus diximus, caloris sui principium à nobis accipiens, partim similiter nos recalfacit, partim ualentius. Atque ex ijs quæ nos æqualiter recalfaciũt, oleum mihi esse uisum est, particulares eius uires inspiciẽti. cõperi enim perpetuo calorem efficere tepidum in ijs quæ mediocriter essent calida, feruentem in feruentibus: proindeq; mihi est uisum neq; conuulsiones, neq; tremores, neq; sensum tum difficilem, tum deperditum magnopere aut iuuare aut lædere. Quippe iuuare nequibat, cum ualenter excalfacere non posset, nec lędere item ualebat, cum omnino non refrigeraret. At ubi adsciticiũ cõparasset calorem uehementem, multum prodesse: nempe ubi in alueolos olei calidi, in quo radices quædam aut herbæ excalfaciẽdi facultate pollentes incoctæ erãt, ita affectos demisissemus. Vnde merito uelut materia quædam cæterorum fuerit medicaminum. Nam si frigida illi cõmisceas, frigidum efficietur

A quod mistum erit, sin calida, calidũ (quippe quod ex media temperie est, utrisq; summis inseruit) utpote quod si calido cõmisceatur, id quod ex ambobus mistum erit, frigidum efficere non ualeat, nempe cum ipsum non sit frigidũ, neq; si frigido, calidum: quippe cum ipsum non sit calidum. Itaq; non immerito alij calfacere ipsum aiunt, alij uero negant. Calfacere eñ uideatur, cum ad parem calfacienti corpori calorem peruenit: hac enim ratione recalfacere rursum potest. Quod uero quã acceperat augere caliditatẽ non potest, haudquaq; calfacere uidetur: quippe cum nõ quam accepit, seruare, sed augere, calfaciendi sit opus.

Quænam sint principia tantæ de medicamentorum facultatibus ambiguitatis. Cap. 23

B Eiusmodi porrò ambiguitatum tria sunt principia. Quòd nõ distinxerint genera eorum quæ nos excalfacere dicuntur, & quod homonymijs siue æquiuocationibus utantur confuse, & quòd nihil relinquant medium. Itaq; calfacere nos dicuntur, & quæ energia siue actu sunt calida, ut ignis, & quę potestate. Tum quę potestate sunt calida, partim alimenta sunt, partim medicamẽta, partim tegumenta. Porrò calidum quoq; ipsum & quod actu est, ita nominare consueuimus, & quod potestate, uelut subinde ante monuimus. Sed & calidum actu est et q̃d simpliciter est calidũ ut ignis: & quod per exuperantiam, ut animal: & quod ad sui generis symmetrum comparatur: & quod ad quiduis obuium. At quod potestate dicit̃, primũ

C quidem distinguitur cõtra id quod est ex accidenti: deinde totidem habet significationum differentias, quot actu calidũ. Etenim cum sit uelut apta quædã materia ei quod est actu calidũ, partim ad ea quę absolute calida nuncupantur, partim ad ea quæ per excellentiã quandã, tũ ad quiddã sui generis, aut speciei deniq;, & ad obuiũ quiduis collatum, propria utiq; fuerit materia. Quocirca cũ ea cõsideremus calida, quæ referunt̃ ad hominẽ, ut alia prorsum omittant̃, æquũ existimamus. In istis ergo om̃ibus peccare solent qui de medicaminũ uiribus cõsiderant: & præterea quòd mediocritates tum in naturalibus nostris tẽperaturis (ut in opere De temperaturis ostendimus) tum in medicamentis expendendis prætereat. Siquidem tanquã necessario id cuius perpenditur facultas, me-

D dicamentũ aut calidũ, aut frigidũ, aut humidũ, aut siccũ esse debeat, ita uerba ipsi faciunt, ac si nõ fieri posset, ut in calfacientiũ nos ac refrigerantium medio quiddam consistat, atq; aliud rursus inter exsiccantia & humectantia. Adeo inuenire est quosdam stupidos, ut ne ubi audierint quidem ueritatem, assequi posint. Itaq; quosdam etiam noui, qui contra contendere adstruereq; conarẽtur, nihil temperamento esse medium.

Quod compluribus nos modis calfacere oleum appareat, nempe ut alimentum, ut medicamentum, ut tegumentum: & quòd excalfacientium nos ac refrigerantium medium quodammodo obtineat. Cap. 24

Verum hos in libris De temperamentis iustis cõfutauimus rationibus, nihilo secius idem in se-

quētibus facturi. Huic autem libro finem iam imponere studens, ad oleum reuertor. Accidit enim illi ut fortasis tanquam alimentum nos excalfaciat, ubi scilicet intrò in corpus assumitur: probatis enim quibusdā tum medicis, tū philosophis, sicut ex cibis, ita ex oleo corpori fieri appositionem uisum est. Accidit uero illi ut tanquā medicamen medium sit nos calfacientium & refrigerantium, tum etiam uelut tegmen nos excalfacit: naturæq; eius uel maxime propria esse imago uidetur eiusmodi. Nam quemadmodum uestimenta à nobis ipsis excalfacta, rursum nos recalfacere consueuerunt, ita & oleum. Sed quemadmodum illa excalfaciente corpore calidiora non euadūt, ita quoq; nec oleum. Recte autem perpendas rem totam, non ad præsens modo, sed & ad futura omnia utilem, si aeris nos ambiētis memineris: qui interim eo qui in nobis est calore usqueadeo redditur frigidior, ut munimētis quibusdam aduersus eū tegminibusq; sit opus: interdum uero usqueadeo rursum calidior euadit, ut ferre nequeas, fugiasq; sub tectum aliquod uel umbram: est aūt etiam quando tanta est moderatione præditus, ut neq; tepefacientia, neque refrigerantia exposcas, sed citra omnem molestiam sensumq; in eo uerseris. Tertiam hanc temperiem quam modo dicebam, symmetram moderatamq;, atq; aliarum mediam esse statuo: ac corpus nostrum neq; excalfacere, neq; refrigerare: cum aliarum duarum altera nos excalfaciat, altera uero refrigeret. Similēq; esse dico mediæ aeris nos ambiētis temperaturæ, tum qui à uestimentis, tum qui ab oleo prouenit, calorē. Porrò si ne sic quidē etiā clarū euasit quod indicare uolo at illo saltē modo apertius opinor intelliges. Duos mihi animo intelligito homines corpore similiter tēperatos, mutuo sese cōtingentes uel pectore & uētre solo, uel manib. & crurib. Quòd si eādem duobus istis hominib. nactus sit tēperiē aer illos ambiēs, ut in trib. ijs corporib. par insit calor, neuter ab altero tūc excalfieri dici queat. Nā quæ similia undiquaque corpora sunt, à se mutuo nullam accipiunt mutationem. At si frigidus sit ambiens, mutuo se calfacere ij homines dicentur, tametsi haudquaquam excalfaciant, sed frigus modo arceant. Vulgo itaque assueti abuti uocibus, id quod frigus arcet, excalfacere aiunt: haud sanè rectè. At qui permittendum ipsis est, ut prout uelint appellent: cæterum per calfaciendi uerbum in utraque dictione idem significari, id uero neutiquam concedendum: haud enim idem est, an ex se quid cuipiam calorem præbeat, an frigus prohibeat. Quibus sic se habentibus, quæcunq; foris nobis iniecta eandem corpori caliditatem obtinēt, siue à se se ipsis, siue ab alijs, siue à nobismetipsis eā nacta fuerint, exacta loquendi ratione neque calfacere, neq; refrigerare dicendum. At si cui abuti libeat, non repugnandum: modo in dictione significationum differentiam commemoret. Siquidē alio quodā modo calfacere nos dicitur aer calidus, atque alio modo qui sit moderatus. Respondet aūt proportione aeri calidiori, pyrethrū, sinapi, piper: moderato autem, pinguitudo, & oleū: actu enim aeres sunt calidi: potentia uero medicinæ. Aera enim calidum haud ipsi efficimus, sed quoniam in eo uersando talem ipsum experimur, ita nuncupamus. At medicamēta, sicuti in tertio De temperamentis demonstratū est, principiū excalfactionis à nobis accipientia, partim æque nos recalfacere sunt nata, partim plus, partim minus. Ex genere aūt eorū quæ æque nos recalfaciunt, oleū est: Cui eidē quoq; à uiscositate, ac quòd difficulter item defluat, tum quòd meatus infarciat, obstruatq;, duplici ratione ut excalfacere uideat euenit: tum inde adeo quòd instar uestimenti aut munimenti illinatur: tum quòd meatus infarciat, prohibeatq; foras effluere magnam uaporosi intus caloris partem. Eadem ratione nec ut resiccētur corpora nostra permittit, nisi sanè applicetur calidū, idq; plusculo tempore. Has itaq; uires eius cum homines omnes experientia compertas habeant, quos largius sudare uolūt, siue à balneo, siue balnei expertes: ijs non protinus ab initio oleum admouēt: uerum in ijs qui morbo laborarunt, ubi sudare inceperint, tum excalfactum perfundunt. In ijs uero qui etiamnum laborāt, ubi abunde iam satis sudarint: Porrò in sanis, siquidem ex longo itinere, aut exercitatione, alio'ue quouis pacto corpus ipsis exhaustum est, eis inungi & ante sudorem permittunt: uerum quibus cruditas est, aut corpus habēt plenum, quod πληθωρικὸν uocant, his neq; in balneo inungi concedunt.

Quòd medium sit oleum inter humectantia nos, & exsiccantia. Cap. 25

Atq; hic quoq; mihi uidetur oleū esse medium inter humectantia nos & resiccātia, uelut inter ex calfacientia & refrigerantia medium cōsistere supra demonstrauimus: humectat enim aqua, exiccat uero tum laurinum, tum cedrinum oleum. At quod simpliciter sic admouetur, citra ullam uidelicet ex arte conciliatam à nobis aut caliditatē aut frigiditatē (huius enim usq; meminisse oportet) talem seruat nostrā temperiē, qualem scilicet accepit: q̄ fieri posit maxime uaporosas omnes corporis expirationes prohibēs. Porrò si plusculum membra frices oleo, calorem ex frictione adscititium comparabis. Atq; hac interim ratione lassos non parū iuuabis, partim quòd in minutos corporis meatus pingue ingrediat, & quę indurata sunt emolliat: partim quòd humiditatem acrem ac subtilem, quæ in lasitudine ex colliquatione proueniens sub cute latebat, per halitū digerat. Conspiciuntur enim exercentibus tum foras effluere sudores, tum intus in uentrē non pauca defluere excrementa, quæ uelut liquamina sunt. Ex hisce autem colligēdum est, cōplura toto in corpore eiusmodi relinqui, quę euacuationē deposcant. Quippe duplex in lasitudinibus affectio nascitur, sicut alibi ostendimus. Nam similares quidem animantis partes resiccātur, humectantur uero uacua spatiola, non utili & naturali humore (nam sic foret plethora, siue repletio) sed tenui & acri mordaciq;: proindeq; remedijs indigēt duplicibus, tū ijs

quæ

quæ siccitatem corporis irrigent, tum ijs quæ humorem acrem euacuent. Itaq; ad hæc aptissima sunt dulcium aquarum lauacra, nimirum quæ humiditate sua instrumentorũ corrigant siccitatem, & caliditate tenuem atq; acrem humorẽ eliciant. At si corporibus inhærere posset aqua, nec facile deflueret, ipsa quidẽ per se sufficeret. Atqui cum ea quæ foris circumfunditur, facile defluat, & quę in poros ingressa corporis nullam habens ansam prōptam effluat, in hoc sanè ipsum utiliter miscetur oleum, maximeq; iuuat, si ex utroq; quis diutius fricetur, id quod ueteres Græci χυτλοῦσθαι nominabant: cui oppositum inposuerunt uocabulum ξηραλοιφεῖν, quod est sicca uti frictione. Est sanè & hoc quoque quodammodo lassitudinem sanare potẽs, sed multum relinquitur ab eo quod χυτλοῦσθαι nuncupant. Nam ut reliqua taceam, ubi cum oleo aqua contunditur teriturq;, haud facile solubili mistione coit, ut quibus ita corporibus inungatur oleum, necesse sit & plusculum inhærere aquam. Quare hic item uelut materia est quędam oleum humectantium exiccantiumq;, sicut ante ostensum est, excalfacientium & refrigerantium. Quippe quod si exiccanti commisceas, totum effeceris exiccans: sin humectanti, & ipsum humectans reddideris. Sæpeq; quod ex ambobus constat, maiorẽ adipiscitur humectandi facultatẽ, quam id quod primario est humectans: quod in aqua accidit. Nam ea primario madefacit: Verũ cũ haud ita diu inhæreat, nec actionẽ obtineat diutinam, leuiter utiq; prodest. Cum ergo illic uelut uinculum fiat oleũ, cogatq; plurimũ quib. auxilio eius opus est, inhærere, longe omniũ optimũ redditur remedium exiccatis squalidisq; corporibus. Sed si exiccans oleo medicamen cōmisceas, puta chalcitin, pyrethrũ, gallam, struthion, siccãs erit quod ex utroque commistum fuerit. Itaque cum omnibus quæ sibi commiscentur, subseruiat, recta ratione uelut omnium existit materia: tametsi utique necessario propriam eorum actionem retundit quidem ac minuit, non tamen utilitatem: imò est ubi eam quoq; adaugeat. Haud est enim idem (quod forte quis autumet) actionem augere cuiuspiam, & utilitatem: quippe cum actio secundum propriam cuiusque facultatem, utilitas uero nonnunquam ex accidenti agat. Differemus autem postea uberius de utilitate quæ per accidens euenit, & nunc quoq; hactenus de ea dicetur, quatenus in præsenti est commodum. Quippe contusa cum oleo aqua, quod hydrelæum uocant, magis auxilio est lassitudinibus, quàm si esset sola: nō quidem quòd suæ uires intẽdantur, sed quòd quibus opus est, diutius inhæreat.

Quod materiæ rationem obtinet, in mistis mediam tenere temperiem debere, alioquin enim futurum, ut mistorum sibi aduersetur actioni. Cap. 26

Quòd autem nisi mediam habeat temperiẽ id, quod ea quæ primario quibus opus est auxiliantur uelut deuinciat, sæpenumero ipsorũ repugnabit actionibus, ex ipsa medicaminum natura generatim addiscere liceat, speciatim aũt ex medicamentorum historia: generatim quidem, quoniam id quod miscetur, si in contrariũ retrahat, admisti sibi facultatem medicamenti uincere interim poterit, & in alteram planè speciem quod ex ambobus miscetur transferre. Siquidem quod materiæ rationem in mistura præstabit, nullam insignem neq; speciem, neq; facultatem exerat oportet. In particularibus uero experiundis hoc maxime pacto addisces, non debere id quod materię rationẽ obtinebit, aut excalfacere, aut frigefacere, aut humectare, aut resiccare, si primũ quidem in memoriam reuoces quæ supra de resina, & pice liquida, myrrha, bitumine, tũ cedrino, et laurino, cæterisq; quæ excalfaciunt, commemorauimus. Hæc enim omnia in aqua trita ad modum olei, calfaciunt magis quam refrigerant, desiccãt plus quàm humectant: quamobrem lassitudinis sensus nō admodum soluere ualent: haud enim eãdem cum aqua uim obtinent, quò scilicet auxilio magis sint, quam aduersentur: neque mediam inter extrema naturam sortita sunt, ut uidelicet tanquã materia quædam inseruiant primario agenti: desiccant enim & excalfaciunt potius, non humectant ac refrigerãt, uelut aqua. Si uero excalfacientium admodum resiccantiumq; cuipiam aquam commisceas, nō modo nihil eorũ quæ agere nata est, fieri uidebis, sed prorsum obscuratam, tanq; omnino admista nō esset. Siquidẽ chalcitis, sandarache, misy, cæteraq; quæ nos uehementer tum excalfaciunt, tum resiccant, ualidas etiamnum suas uires etiam aquæ permista obtinent. Omnino ergo constat, mediam obtinere temperaturã debere, quod utrisq; extremis tanquam materia inseruiet: quem in ordinem oleũ si statuas, nihil utiq; peccaueris, quippe cum omnia singillatim opera tibi cōsentiant. Et accusabis prolixitatis non nos utiq;, sed qui rectã uia præterita prauam prolixamq; sectantur: quorum sanè causa hunc nos sermonem extendere sumus coacti. Ipsa enim ueritas celerrimam inuẽtionem obtinet: ut quæ ab euidenter apparentibus exoriatur. Haudquaquam tamen eousq; orationem prolongaui, quousq; licuerat omnia quæ praue ab ipsis prodita erant scripturum, causasq; errorum edocturum pollicito. Sanè causas dixisse necesse fortassis fuerit: nempe quò qui ex ipsis proueniunt paralogismos in tota particularium medicamentorum iudicandi ratione cauere possis, ueramq; doctrinam cum maiori scientia percipere. Crescit enim nobis de rebus fides, ubi non solum ipsam ueritatem cognouerimus, sed etiam paralogismorum omnium causas edidicerimus.

De rosaceo. Cap. 27

Quod sanè in sequẽtibus efficiemus. Nunc autem ubi de rosaceo ad ea quæ ab initio sunt dicta adiecerimus, orationẽ hoc in loco sistemus. Igitur dictum est, quod neq; odoribus, neq; coloribus, neq; alij omnino accidentium animũ adhibere in expendendis facultatibus rationabile sit, sed ijs quæ perspicuo apparent tũ in sanis corporibus, tum in ægris. Ostensum etiã est, oleũ ubi salis expers purumq; ad unguẽ fuerit, ex media esse materia. Con

ficiendũ itaq; rosaceum, quod exactum simul ac A simplex, req; uera rosaceum erit, ex hoc uidelicet oleo, dandaq; opera, ne quid in se medicaminosius cõtineat, uti apparare solent unguentarij, quo uidelicet tum magis duret, tum odoratius euadat, oleum uidelicet prius quàm rosas inijciant, odoramentis præcõdientes. Ac præstiterit fortassis, ipsis etiam nominibus ea distinguere: quod ueteres fecisse constat. Oleum etenim, rosaceum nominare adsolent, quod absq; odoramentis præparatum est: cui autem & horum aliquid inditum fuerit, non id etiam oleum, sed unguẽtum cognominant. Itaq; cum oleum uelut materia quædam sit excalfacientium refrigerantiumq; medicaminum, ex media uidelicet temperatura, cõstetq; ex oleo & rosis rosaceum, est utiq; & ipsum talis temperaturæ, qualis est rosarum succus. Sane uero facillimũ fuerit, non modo rosarum succi per se, sed B oleo quoq; rosaceo confecto, in sanis pariter atq; ægrotis (ut iam frequenter monuimus) uiriũ eius periculum facere. Experieris ergo eos qui adustione tentantur, ab eo refrigerari, protinusq; utilitatem aliquã percipere: qui uero refrigerati sunt, omnes lędi, uti facile ex utroq; intelligas, uires eius refrigerare magis q̃ excalfacere. Non tamen ualida à rosaceo apparebit refrigeratio, sed quæ proxima uideaт̃ tẽperiei mediæ. Voco aũt id genus medicamẽta, lucidioris doctrinæ gratia, ex prima natura ordineq; refrigerantium: sicut rursum quæ paululum à media temperie ad calidiorem declinarunt, ex primo recessu & ordine excalfacientium: Atq; hæc quidem in pręsentiarum de rosaceo nouisse oportet. Necesse enim erit & in sequenti libro ipsius medicamenti meminisse, & quæ reliqua sunt, dictis adijcere.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI TERTII.

Proœmium. Argumenta libri primi, secundi, & tertij. Cap. 1. Quot modis dicatur, calidum, humidum, frigidum, siccum. 2. Ad quid & quæ, nominum distinxisse significata conduxerit. 3. Quòd cum duplicia sint genere quæ alterãt, alia specifica, alia minime: in specificorum genere consistant medicamentorum facultates. 4. Quòd solis philosophis conuenit de calido, frigido, humido, & sicco, ut ad totam naturam distinguere: medicis uero ut ad homines

5. Quod per exuperantiã dici bifariam apud philosophos accipiatur: nempe ubi aut mole quid exuperat aut qualitate. 6. Quomodo iudicanda sint quæ ex media sunt temperie, nempe si mediæ temperaturæ similem ipsa temperaturam obtineant. 7. Quod sæpe numero pro corporis nostri dispositione, quod per se calidum erat, refrigerare est uisum: quódq; per se erat frigidum, excalfacere. 8. Quod experientia cognosce re iudicareq; medicaminum facultates oporteat.

9. De rosis, & quod ex eis conficitur rosaceo, tum chamæmelo, & lini semine. 10. Quod pro diuersis corporũ affectibus aliàs aliter agere sunt nata, tum quæ mediæ temperaturæ medicamenta sunt, tum quæ paulum in alterutram partem declinant. 11. Quod ex æquo & quod curatur, & quod curat, à medio dissidere debeat, idq; utroq; in cõtraria recedente. 12. Quòd generales medicamentorum facultates ad mediam referendo temperiem, expendere oporteat.

13. Quod quæ sensu simplicia uidentur medicamina, persæpe compositas obtineãt uires: imo uero etiam nonnunquam contrarias. 14. Quod & brassica duas, easq; contrarias in sese facultates obtineat: tum alia plurima. 15. Quamobrem lingua tangentibus ipsam dissimilarib. corporibus, ac per diuersas eius partes simul agentibus, non quam in omnes illa partes inferunt, percipit affectionem: sed ea ex parte primo affecta in totam ipsius diffunditur substãtiam. 16. Quòd rosaceum (utpote olei rosæq; mediam ad unguem naturam obtinens) inflammationum optimum in augmento remedium sit. 17. Quod quæ frigiditate interimunt deleteria, ex mutationis celeritate uti corrũpant euenit, ac proinde alienam requirant caliditatem, quæ uelut manu in totum deducat corpus. De lactuca, cicuta, & anu attica. 18. Quod medicamentorum quæ frigiditate sua interimunt, nullum prorsus genere letale sit ac deleterium, sed sola quãtitate. 19. Quod medicamenta quæ natura sunt frigida, iure à ueteribus potestate frigida appellentur. 20. De actione medicamentorum, quæ putrefactione & erosione nos necant. 21. Quod rectè quæ erodendo putrefaciẽdoq; interimunt medicamenta, genere, non qualitate, deleteria sunt dicta, & quod quanto in corpore morantur diutius, tanto & magis agere sunt nata. 22. Qua causa putrefacientia medicamina, licet genere letalia sint, non tamen perpetuo occidant. 23. Quod in medicamentis dissimilaris substantiæ reperiatur mistura: ac proinde ubi fine suo purgantia frustrantur, interim quidem extremè lædimur, interim nequaquam: quippe ubi deleteriam in se uim permistam obtinent, ad corrumpendum conuertuntur. Si uero uim non habeant deleteriam, concoquunt, talemq; generãt succum, qualem trahere nata erant. 24. Quamobrem, cum qualitatum proprietate attractiones perficiantur, purgantia medicamenta quidem perpetuo humores attrahant familiares, nec tamen unquam à familiaribus attrahantur. An quod efficaciora sint purgantia medicamina, sicut attrahere potius quàm attrahi sint idonea? 25. Quod in purgantibus medicinis duplex insit familiaritas, nempe quædam actu, & quædam potẽtia. 26. De superpurgatiõibus, quas ὑπερκαθάρσεις Græci uocant. 27. Qua causa in superpurgationibus humores minime purganti medicamento familiares, itidem euacuentur. Nempe propter uasorum infirmitatem, osculorum laxitatem, purgantisq; mordacitatem.

C

D

GALENI DE SIMPLICIVM MEDICAMENTORVM FACVLTATIBVS Liber ~~quartus~~. tertius

PROOEMIVM

QVOD equidem nihil, nisi qđ utile curandis morbis foret, hoc tractatu describere decreuerim, primo potissimūq; deos huius rei testes habeo, deinde & amicos meos, qui me, tum ut hoc opus aggrederer, tum ut quę ab alijs perperam de medicamentorum facultatibus sunt prodita, quoad liceat cōmemorarē, assidue hortari nō destiterunt. At si quis erit qui orationis nimia grauet̄ prolixitate, non id mihi iure imputauerit, sed ijs medicis quibus pro ueris probabilia potius scribere studiū fuit. Nam & ego nunc quidem etiam magnopere uereor, ne quia nimis paucis illos confutauimus, sophismata quædam conuersantes cum illis adolescentulos à recta opinione deijciant: quandoquidē si in dialecticis methodis exercitati, aut captionū soluendarū periti ad libros legēdos accederēt, tum sanè & ab ijs qui falsis demonstrationibus utuntur, magis sibi cauerent: & nos qui ueritatem compendio tradimus, rectius intelligerent. Quoniā uero uel ipsorū medicorū plerique nequaq; in istis sunt exercitati, tum inter illos quoq; nonnulli reperiunt̄ ingenio natura tardiusculo: ij nisi nostris suppetijs, qui sophismata arguimus, iuuentur, nō ægre persuasi in sophistarum sententiam perducentur. Itaq; quod ad istos attinet, deesse huic etiam operi quippiam uideatur. Verumenimuero quando ad omnes mihi orationē accommodare non licet, cum tāta sit eorum qui hæc legēt, non modo naturarū, sed etiam ætatis & habituū diuersitas: quod utiq; uisum est fore maximæ parti utilissimū orationis genus, id superioribus duobus cōmētarijs secuti sumus. In quorum priore quidem de aquę acetiq; uiribus contemplati sumus. In secūdo maximam partem de oleo peregimus, pauculis postea de rosaceo adiectis. At in hoc tertio libro eiusmodi utemur oratione, qualem ab initio protinus habere institueramus, id'que definitis primum uocis cuiusque significatis. Deinde tractatus huius uelut elementa tradituri, mox ad syllabas accedemus: ex quibus operis finis, ad quem contendimus, prompte sequetur.

Quot modis dicatur calidum, humidum, frigidum, siccum. Cap. 1

Cæterum uocum definitio nihil accuratius edocebit, quam quæ in tertio De temperamentis, simulq; in primo commentariorum istorum sunt prodita: repetam tamen eam nihilo secius & impræsentiarum. Corporum unumquodq; aut calidum, aut frigidum, aut humidum, aut siccum & dicitur, & apparet, interim quidem ex sua natura, interim autem aduentitia qualitate adsumpta.

A Consueuimus autem quod ex sua natura est, primario, & secundum se, & per se potentia tale & esse & uideri dicere: quod uero adscititiam acquisierit qualitatem ex accidenti quopiam esse uideriq; eiusmodi. Porrò eorum quæ propria sua natura aut calida, aut frigida, aut sicca, aut humida dicuntur: quædam actu seu energia talia existunt, alia potentia: differente quidem hoc potentiæ modo, quem nunc dicebamus, ab eo quem paulò ante diximus. Illic enim ex aduerso diuidebatur ei quod ex accidenti dicitur: hic uero ei quod actu. Sed & eorum quæ actu dicuntur; aliud quidem absolute est calidum, frigidum, siccum, aut humidum, uelut elementa: aliud excessu, ut homo, equus, bos, canis, & uniuersa animalia: aliud ad symmetrum seu generis sui, seu speciei, ut uerbi causa, leo cum homine comparatus, homo autem ætate florens cum puero: aliud ad quiduis obuium, ut Dion ad Theonē. Quin & corpora quæ potentia talia, aut talia dicuntur, unumquodq; ut ad id quod est actu relatum dici necessario monuimus. Id quidem quod facile accēditur, ad id quod actu est absolute calidum: hoc uero quod alia calfacit, ad id quod per exuperātiam: sic quod hominem calfacit, esse ut ad hominem potentia calidū: quod uero bouem, aut equum, ut ad bouem & equum: similiter hoc huic, uerbi causa, homini, illud uero illi calidum, frigidum, siccum, aut humidum est, illius unius naturæ comparatum.

C *Ad quid, & quæ nominum distinxisse significata conduxerit.* Cap. 2

Ex hac nominum discretione & ad assequendam iudicij cognitionem non parum sumus adiuti. Siquidem si ad hominē quid dicatur calidum, à cæteris omnibus recedendum, & in ipso duntaxat homine periculum sumendum explorandūq; censuimus: Si uero quid ad equum, bouem, ceruum, aut aliorum animalium quoduis, in ipso rursum periculum faciendū erit. Interim uero & illos quoq; castigauimus, qui ex consistentia, colore, odore, sapore, grauitate, leuitateq; cuiusq; medicamenti existentē in singulis facultatē inuenire tentarunt. Atq; hæc utiq; rectæ nominū distinctioni cōsentanea uident̄.

D At quæ uelut elementa huius esse tractationis proposuimus, in primarū cōsistere qualitatū cognitione ostēdimus. Quas quidem in lib. De elementis secundum Hippocratem, humiditatem, siccitatem, caliditatem, frigiditatemq; esse demōstrauimus: propeq; harum quoq; intentionem assequebamur ex significatis nominū recte distinguendis. Etenim cum medicamentum ab alimento discerneremus, quòd medicamētum in qualitate alteraret, alimentum uero substantiæ corporis adsimilaretur: rectè hinc ad alterantium nos qualitatū inuentionem perducti sumus.

A *Quod cum duplicia ſint genere quæ alterant, alia ſpecifica alia minime, in ſpecificorum genere conſiſtant medicamentorum facultates.* Cap. 3

Porrò cum duplices ſint in genere alterationes, aliæ ſpecificæ, quæ proprie ſanè & primario dicuntur alterationes: aliæ uero quæ contendunt & contrahunt corporis noſtri particulas, quas utique potius per abuſionem quàm proprie ac primum alterationes cognominant: in primo genere medicamentorum contineri facultates cenſemus. Nec enim quicquam ex ſpecie in ſpeciem mutari queat circa excalfactionem, refrigerationem, humectationem, & reſiccationem. Dico autem ex ſpecie in ſpeciem, uelut cum ex pane, ptiſana, lente, ſanguis, pituita, bilis tum flaua, tum atra, B atq; ex his iterum adeps, os, neruus, caro, arteria, uena, atq; adeo cæterarum animantis partium unaquæq; gignitur. At ſi ſecando nos quippiam, uelut uitrum & enſis: aut contundendo, ut lapis & plumbum: aut ſegregata coarctando, ut uinculum, quadamtenus partes alteret, ea haud pharmaca fuerint: quippe cum eiuſmodi alteratione nullæ rerum omnium ex propria recedant natura. Etenim ſiue minutim panem frangas concidasq́, ſiue minutim conciſum colligas, non tamen propriam ideo formam exuet, neq; caro ex pane fiet per contuſionem, neque os, exempli gratia, per coarctationem. Verum dum in uentre uenisq; concoquitur, in ſanguinem pituitamq́ abit, atq; inde ex iſtis in os, carnem & alias corporis partes tota ſua ſubſtantia alteratur, ueteremq́ naturã exuit, in aliam tranſiens ſpeciem. Nec tamẽ ab alio quopiam quàm calore, frigore, humiditate, ſiccitateq́ eas quæ fiunt in aliam eſſentiæ ſpeciem alterationes mutationesq́, ſinguli corporis affectus accipiũt, ut demonſtratum eſt. Atq; hac ratione primas & elementarias ſpecificas qualitates quatuor eſſe diximus, humiditatem, ſiccitatem, caliditatẽ, & frigiditatem: quærimusq́ quam harum medicamentum unũquodq; in miſtura pollentẽ poſsideat. Atque protinus in hoc primum plerique eas inquirentium lapſi uidentur, quòd uidelicet pollentem abſolute tanquã naturales quidam philoſophi cõſiderarent. Præterea cõplures quoq; eorum decipi uidentur, quod ſine certa methodo Ariſtotelis D Theophraſtiq́ libros perlegant.

Quod ſolis philoſophis conuenit de calido, frigido, humido, & ſicco, ut ad totam naturam diſtinguere, medicis uero ut ad homines. Cap. 4

Siquidem permagni refert, an totius naturæ reſpectu, an hominum duntaxat, de calido, frigido, humido, ſiccoq́ definiamus. Nam totius naturę reſpectu bifariam horum unumquodq; dicitur, partim abſolute, partim per exuperantiam. Abſolute quidem unumquodq; elementorũ: homo uero, equus, & bos, per exuperantiam. Iam aũt cum ad aliquid reſpiciendo exploratio fiat, illud modo cõſiderandũ erit, quodnã ſit illud ad quod dicitur. Nos uero medici non id quęrimus, an in aqua marina humidi ſimpliciter plus ſit ꝗ ſicci (id eñ clare conſpicimus) ſed ſi ad hominẽ cõferendo: neq; tamen rurſum ad hunc ſimpliciter, ac ſi leonem illi compares: quippe cum ſic homine humidior marina fuerit. Quoniam igitur pacto ſcrutabimur an ſicca ſit facultate marina? Quonam alio, obſecro, ꝗ an corpus humanum in ęqualitate quadam reſiccare ualeat? Itaq; in hoc unum modo cæteris relictis intendendũ. Atqui contra faciunt medicorum pleriq;. Nam ad quiduis potius reſpiciunt ꝗ ad hoc. Quomodo ergo ad hoc ſolum conuerſi, reliquis prætermiſsis, quanam in hoc agendi facultate polleat marina cognoſcemus? An uidelicet corpori applicantes, ſicq; eius periculum ſumentes, lauando, rigando, fouendoq;, tum ſubinde lanam, aut ſpongiam marina madẽtem partibus applicando, ad hæc emplaſtris ceratisq; miſcendo, atq; in his omnibus, ab eo quod ex accidẽti quandoq; euenit, id quod à propria medicamẽti ui proficiſcitur diſtinguendo? Nam in hoc omnis inuentionis ſumma conſiſtit, quam uix quiſquam illorũ attingit. Sed eos philoſophorum uerba decipiũt, haud potes homonymiam percipere.

Quòd per exuperantiam dici, bifariam apud philoſophos accipiatur, nempe ubi aut mole quid exuperat, aut qualitate. Cap. 5

Nam non ſolum, ut modo diximus, aliud ſimpliciter, aliud per exuperantiam ab ipſis dicitur (ſimpliciter enim ignis calidus eſt, per exuperantiam homo) uerum quod per exuperantiã dicitur bifariam quoq; dici autumãt: partim ſecundũ ſubſtantiæ molem (uelut & nos quoq; in tẽperamen- C torũ cõmẽtarijs diuiſimus) ut ſi cados duos aquæ ſumme feruentis uni cado aquæ maxime algentis infuderis: partim uero ſecundũ qualitatũ effectũ. Atq; hoc quod ad dogma cõſequitur, ita dicunt, non ex ijs quæ euidenter apparent, ſed per ſyllogiſmum accipientes. Nam ſupponentes frigidum omne cõtrahere conſtipareq;, & ſubſtantiam reddere immobilem, aut ægre mobilem: calidũ uero rarefacere, fundere, coquere, mouere: rationabiliter in plantis omnibus uincere calidum pronunciant: ſiquidem haud aliter neq; nutrimenti ex terra digeſtionem prolixiſsimã, neq; alterationẽ eiuſdem, neq; concoctionem, quin nec incrementum prorſum plantarum, neq; germinationẽ, neq; fructuum generationem perfici poſſe, niſi calidũ ſuperaret: atq; ita rurſum inter plantas, alias calidiores, alias frigidiores cõſtituunt. Ex eadem iſta hypotheſi pendet ea ratio, qua roſas eſſe calidas contenderunt. Siquidem in illis, ſi in alijs ullis plantis, plurimum uincit caliditas. Ex altera rurſum hypotheſi dependet quod de oleo & adipe adſtruunt. Nam quod ocyſsime inflammentur, idcirco calida eſſe ea facultate iudicant. Et alio rurſum modo quæcunq; dulcia ſunt, calida eſſe dicũt: ſiquidem qđ familiariſsima ſint, ſimillimaq́ naturis noſtris quæ calidæ ſunt, ideo & ipſa quoq; calida eſſe uolunt. Atq; philoſophis quidem, utputa qui de tota natura ſcrutantur, recte talia & quæruntur & dicuntur. At medicis, quibus alius eſt ſcopus propoſitus, haud perinde recte: quippe cum in roſarum effectibus calidum non uincat: neq; ſanè quoduis

aliud plantæ genus, eo quod plantæ est, calidũ dici debet: qm̃ nos haud ita calidum quærimus, sed ut ad hominẽ: siquidẽ si quia in actionibus superat caliditas, propterea calidum quid dices, planta unaquæque calida erit, multoque magis animalia omnia. Dicant igit̃, si lubet, papauer, mandragorã, cicutam, salamandrã esse calida: uerum nemo id dicit, sed uelut uno ore omnes esse frigida pronunciant. Atqui animal est salamandra, quod & nutritur & crescit, & mouet̃, quæ sane calido in mistura uincente prouenire asserunt. Quid ergo in istis quidem ad hominẽ respiciunt, in alijs uero ad totã naturã, aut primarũ qualitatũ actiões? At ego non salamandrã modo aut cicutã ut ad hominem frigida esse dici oportere cẽseo, sed alia omnia ad eundẽ modum iudicanda. Siquidẽ cicuta sturnos non modo nõ refrigerat, & enecat, uti nos, sed & alit quoque, & nimirũ etiam calfacit. Quicquid enim substantiam alit calidam, calorẽ eius quadam tenus & auget & tuetur. Atqui corporis sturnorũ calida est substantia, nõ modo qua animalia sunt, sed etiam qua sanguine prædita. Sane subinde in alijs tractatibus demonstratũ à nobis est, amicitias quasdã pugnantiasque qualitatũ omnibus rebus inesse: ac quod familiare est, expedite assimilari: quod uero contrarium ad internecionem ducere cum animantia, tum plantas: Præterea familiaritates illas à totius substantiæ proprietate oriri: Id quod sæpenumero à me & dictũ est, & ostensum. At isti cum ægre id capere possint, segniter & false de complurium medicaminum uiribus pronunciant. Vna enim duntaxat illorum examinandorum regula est, nempe ea quæ ad hominem fit exploratio, id quod secundũ accidens, ab eo quod est per se semper distinguendo. Cui si quis animũ intendat, is nec acetum, nec rosaceum calidum unquam dixerit: quippe cum utrunque nos primario & per se refrigeret: acetum quidem ualide, leuiter autem rosaceum. Porrò quidnam hoc sit Leuiter, ego exponã. Vna enim cũ eo tota medij temperamenti medicamentorũ omnium ratio conspicietur, cuius & in præcedente libro mentionem fecimus, ubi de oleo disserebatur.

Quõ iudicanda sint quæ ex media sunt tẽperie, nẽpe si mediæ tẽperaturæ similem ipsa temperaturã obtineant. Ca. 6

Si quippiam est ex applicatis nobis seu corporibus seu medicamentis, quod actu sic calidum sit ut nos, aut ex contactu similiter calidum euadat, id ex media est temperie, cum nobis nimirum collatum: siquidem secũdum se queat per exuperantiam dici calidum, uelut & nos quoque. At siquid nondũ adeo calidum est ut nos, neque admodũ tale redditur, id temperie humana frigidius est, quantũcunque in eo caliditas exuperet. Etenim admotũ calorẽ, qui in nobis præerat, auferet detrahetque: Quippe si datis duabus aquis calidis, quarũ altera plus, altera minus caleat, misceas minus calentem magis calenti: huius certe feruorẽ extinxeris. Sic si in caliditatem rosacei, quæ tepida est ut ad temperiem humanã, caliditatẽ indideris humanam, prorsum ab hac quid detrahes, & refrigerabis.

Quod sæpenumero pro corporis nostri dispositione, quod per se calidum erat, refrigerare est uisum: quodque per se erat frigidum, excalfacere. Cap. 7

Non ergo stupenda magnopere res est, si quicquam eorũ quæ proprie & per se sunt calida, cum calidiore cõmistum, frigidius efficere ipsum queat. Ea est enim communis alterabilium corporum omniũ natura, uti in se & agant, & patiãtur admotã: quodque minus est calidum, à magis calido calidius euadit: quod uero magis calidum, à minus calido contrà afficitur. Nam id uel ex ipso tactu clarissime discas. Etenim eadem subinde illi tum calida, tum frigida esse uidentur: calidiori quidem facto, frigida: frigidiori uero, calida. Proposuit autẽ mihi dudum quispiã, quãobrem in balneis frigidũ meiamus, foris uero calidum: haud intelligens, in balneis urinam quidem perinde ac foris tepidam esse, uerum nos non æque extrinseca corporis superficie, & dũ lauamur, & ante affectos esse. Nam in balneo ipso calidior ea nobis est quàm urina, extra autem frigidior. Quare & urina non abs re illi calida extra balneum apparet, in balneo autẽ frigida. Quod enim minus quàm ipsa calidum sentitur, uelut refrigerans habet: quod autem magis calidum, tanquam excalfaciens. Liceat uero tibi, periculi faciundi causa, postquam abunde lauando incalueris, pelui aquę modice tepidę intrò iussu tuo allata, in eam manum aut pedem immittere: apparebit enim nõ aqua tepida, sed admodum frigida. At si protinus balneum ingressus, aquam peluis tetigeris, minus uidebit̃ frigida: perpetuo enim quanto plus fueris percalefactus, tãto apparebit frigidior. Nec mirũ uideri debet, si putealiũ aquarum plerique, quæ uidelicet fontes profundos admodum habeant, contactæ hieme uideantur tepidæ. At si à balneo manib. cõtingas calidis, multoque magis si etiamnum in lauacro cõsistens, haud profecto apparebit tepida. Itaque tactũ calidi frigidique dignoscendi normam ponẽtes, ac eius dispositioni iudicium omne tribuentes, merito sane crebro fallimur, ut qui quod haud ex se est frigidũ, id frigidum esse dicamus: quod uero calidũ ex se nõ est, id esse calidũ pronunciemus. Hinc fit ut dum lauamur, frigidam esse urinam credamus: contraque frigore rigentes, aquam è puteis haustam calidam existimemus. At si affectionũ, in quibus eramus dum utranque cõtingeremus, obliuiscamur, ac solius eius qui in nobis factus est sensus meminerimus, periculum est, ne forte aquam aliquando absolute dicamus calidam, urinam uero absolute frigidã: Atqui neutra absolute aut calida aut frigida est, sed ut ad nos: Nec ut ad nos rursum absolute, uerum hoc uidelicet pacto affectos. Absolute autem utraque qualis ad nos est, dici possit, ad mediã, eandemque optimam nostri temperiẽ collata: ut si ad hominem absolute expendat̃, omnino sane ad temperatũ & eucratum expendi oporteat. Sane & hæc quoque peccata omnia à nominũ definitiõe dependent, quam paulominus omnes habent cõtemptui. Etenim cum calidum & frigidũ partim absolute dicatur, partim per exuperãtiam, partim

ut ad symmetrum sui generis cõparatum, partim ut ad quiduis obuiũ collatũ: iure optimo in homonymijs identidẽ fallimur, nescij quidẽ quonã horum modorũ quid calidũ iudicemus, ad alterũ tamen trãseuntes. Verũ sexcenties nũc dictum est, diceturq;, quod in quarto & ultimo eorũ quæ modo recensuimus significatorũ, de medicamentorum uiribus considerare oporteat.

Quod experientia cognoscere iudicareq; medicaminum facultates oporteat. Cap. 8

Non enim an absolute unumquodq; calidum sit, ut ignis (nam id om̃ino etiã foret impossibile) aut an per exuperantiã, ut sanguis cõsiderare propositũ est: neq; an ut ad symmetrũ sui generis aut speciei dicatur calidum, ut leo in animantibus, & quod florentis ætatis est in quauis specie ad ætate prouectũ: sed an ad hominẽ sit calidũ, frigidũ, humidum, aut siccum medicamẽtorũ unum quodq; id uero inquirere statutũ est. Neq; rursum ad hũc, tanquam id quod ad aliquid aliud comparatur, sed si facultate, hoc est, si admotum ipsi, eam partem quã tetigerit reddat aut calidiorẽ, aut frigidiorem, aut humidiorẽ, aut sicciorem. Itaq; in experientia & iudicandi & dignoscendi consistet ratio. Licet reperiantur medicorum pleriq;, qui experientia posthabita, an rubra sit rosa, an bene olens, considerant, negligentes ubi caput ipsis exęstuat, coronis ex rosa contextis, capitiq; impositis, aut succo eius, aut oleo rosaceo, sic uel ipsa experientia id quod res est discere. Nam si excalfiat, magis etiam calida fuerit: sin refrigerentur, frigida, quod perinde est atq; refrigerandæ humanæ naturæ facultate pollere. Nã id perpetuo memoria tenere oportet, quod tãetsi sexcenties dicere non grauatus sim, tamen multi ne sic quidem id capiũt: atq; ignoscendum sane illis est, ut quos sophistæ prolixis suis nugis peruerterunt. Et profecto experientiæ quidem ratio tam facilis est cũ in rosis, tum in cæteris medicamentis omnibus. Nam rosis aut coronari liceat, aut eis contritis hominis ęstuantis os uentriculi illinire, aut succum earũ expressum ebibere, aut oleo aquá ue mistis aliquam corporis partem confricare. Sed quid hæc multis cõmemoro, cũ nonnulli mistum opobalsamo rosarum succũ sub Canis ardoribus refrigerij causa corporibus inungant, usu uidelicet ipso docti cum hoc fecerint, abunde refrigerare? At Herodotus medicus præ eximia uidelicet sapientia, ne mistũ quidem aceto rosaceũ, quod proprie oxyrhodinon uocant, refrigerare nos cõcesserit. Postea memor illo se uti in principijs morborũ phreneticorum, nec ignorans quantam sibi contradicentium turbam inde cieret (quippe omnibus prope medicis confessum est, adeo ut uel Thessali sequaces, hominis impudentissimi, negare nõ audeant, repellendum refrigerandumq; in principijs esse potius quàm calfaciendum aut laxandum) non refrigerare ipsum inquit, sed adstringere. Atqui difficile sane illi neutiquam fuisset, siquando ęstu nimio affligebatur (nam & homo erat, opinor, eisdem obnoxius passionibus quibus & nos) caput oxyrhodino perfundere, sicq; experientiã medicamẽti effectum cognoscere. Immo facilius puto fuerat refrigeratũ eo uti, caput perfundẽdo, auribusq; instillãdo, ac naribus infundẽdo, totãq; adeo frontem perfricando, quẽadmodũ amaricino, irino, cæterisq; eius generis unguẽtis calidis uti assueuimus, cum non mediocriter quidẽ secundũ eum calfaciat oxyrhodinon, ex duobus calidissimis scilicet confectũ medicamentis. Cæterũ si Herodotus eo uti ausus nõ est, æquum arbitror, ut qui nunc uiuunt, eius in sese periculum faciant, ubi aut algẽt, aut æstu laborant, uelut nos sępe in nobismetipsis experti sumus, aliorũq; cõplurium æstuantium caput perfudimus. Præstat enim ipsos prius in sese quę proferunt expertos, ita deniq; ea nobis consulere, ac literis posteritati prodere.

De rosis, & quod ex eis conficitur rosaceo, tum chamæmelo, & lini semine. Cap. 9

Verumenimuero tametsi contradicere nemini statueram, tamen nescio quo pacto huc illorũ me impudentia adegerit. Rursum itaq; redeo ad id quod abinitio proposueram, nempe, experientia iudicandas medicamentorum potẽtias: idq; tum in ijs qui inculpatã sanitate fruuntur illis utendo, tum in ijs, qui quoad fieri licet, quammaxime simplicibus tenentur ægritudinibus, aut calidis aut frigidis, aut humidis aut siccis. Ita enim si iudicaueris, oleum neq; calidum, neque frigidum, ut ad hominem temperatum inuenies: rosaceum uero aliquatenus iam eo frigidius, non aũt uehementer frigidum: uerum ut ego nominare cõsueui, in primo ordine seu limite refrigerantium. Nam ut aqua, uerbi causa, alia ad unguem tẽperata est, alia aut calidior aut frigidior, non adeo tamen ut possis extreme frigidam aut calidam dicere: ita in medicamẽtis quoq; oleum quidem ex media existit temperie: at rosarum succus ex frigidiore quidẽ, sed non ita multo: uerũ caloris est, ut diximus, tepidi. Eiusdem cum illo ordinis est, quod ad calorem tepidum attinet, linospermon quod uocant: uerũ essentiæ suæ crassitudine nõ paruo discrimine ab illius natura recedit, cum rosarum succus exquisite tenuis sit essentiæ: cui rei indicio est, quod celerrime arescat, nec quicquam obtineat uiscositatis, tum cæterorum unguentorum odores exoluat ac obscuret. Neq; enim alia re efficere id uidetur, q̃ quod odoratus meatus opplere præoccupet. Nã cum transire ac penetrare illa cunctantur, ante ipse præoccupat, atque illos implet. Est & chamæmelum tenuitate quidem rosæ persimile, calore uero ad olei uires magis accedens, homini tum familiares, tum temperatas. Quapropter lassitudini, ut siquid aliud, cum primis confert, doloresq; sedat mitigatq;: præterea tensa remittit & laxat: quæq; mediocriter dura sunt emollit, quæq; constipata rarefacit. Ad hæc febres quæ circa uisceris alicuius inflãmationem infestant, discutit dissoluitq;: ac præsertim quæ ex humoribus biliosis, aut cutis densitate proueniunt. Qua de re & ab Aegyptiorũ sapientissimis Soli consecratum est, febriumq; omnium unicum putatur remediũ. Ve-

rum hac quidem in re à ueritate aberrāt. Solas em̄ quas dixi febres sanare potest, easq́; percoctas: licet sane pulchre etiam reliquas oēs adiuuet, quæ melancholicę sunt aut pituitosæ, aut ex uisceris inflāmatione prognatæ. Nā & harū remediū chamęmelum est uel strenuissimū, ubi cōcoctis adhibetur scilicet: quapropter & hypochōdrijs, ut siquid aliud, gratum existit. Quin & tale quoq; esse lini semen uetus sermo prædicat. Nam & ipsum quoque reuera quæ circa hypochondria sunt uisceribus gratū est, minus tn̄ chamæmelo, quippe cum & minus calidum sit, ut est dictū, & preterea essentiæ crassæ. Verum rosa illis nequaquā his in rebus propinqua est: tametsi quod ad caloris tepiditatem & essentiæ tenuitatem attinet, perquàm sanè & ipsa inflammationibus in hypochondrijs con- B sistentibus utilis esse possit, nisi adstrictio (quæ unà quoq; illi inest) multifariā lęderet, quę maximè ijs obest, in quibus chamæmelum præcellit: nempe condensata corpora rarefaciēs, indurata molliens tensa relaxans. Nam ijs omnibus inimica adstrictio est. Attamē ad ascēsus augmētaq́; inflāmationū, ac potissimū earū quæ in exteriorib. membris extant, chamæmelo rosaceū prefertur: quippe cū hę tepida caliditate cū leui adstrictione indigeant. In principio em̄ quę refrigerant atq; adstringunt, per incrementa uero tepida, & mediocriter constringentia: at in uigore ac statu inflāmationū quæcunq; tum moderate calfacere laxareq́;: per declinationes, quæ tum calfacere, tum ualenter discutere ualent, magis cōpetunt. Ac de istis om- C nibus fusius in libris De medēdi methodo tractabimus. Nunc ad propositum conuertor.

Quod pro diuersis corporum affectibus aliàs aliter agere sunt nata, tū quæ mediæ tēperaturæ medicamēta sunt, tum quæ paulum in alterutram partē declinant. Cap. 10

Etenim quæ mediæ sunt temperaturæ, & quæ utramuis in partem leuiter declinant medicamenta, interim calfacere uidebuntur, rursumq́; refrigerare: interim uero neq; excalfacere, neq; refrigerare, sed sicuti corpora acceperūt, ita ea seruare. Nec id illis ab re accidit. Siquidem aqua tepida & urina in balneis quidem frigidæ, algentibus uero calidæ nobis apparent. Cum ergo ex eo quod affecta corpora uarijs subinde modis disponatur, ipsum quod afficit, uarie quoq; agere contingat: li- D quet ex hoc, non rosam, non oleum, non chamęmelum, non lini semen, sed neq; anethū, neq; farinam aut fœnigræci, aut triticeam, neq; alia sexcenta, quæ partim adamussim mediam temperiem sortiuntur, partim paululum ab ea recedunt, eandem ubique æditura esse actionem: quando nec sani eandem omnes temperaturam obtinemus, nec eisdem morbis affligimur ægroti. Iam rosaceum mediam inter oleum & rosarum succum temperiem possidens, (illo enim minus est calidum, hoc aūt magis) refrigerat quidem exustos, idq́; caliditatis suæ tepore: algentes uero paulum etiam calfacit, q̄ uidelicet is quoq; effectus caloris sit tepidi: quemadmodum balneæ rigētes quidem excalfaciunt, æstuantes uero frigefaciunt.

Quod ex æquo & quod curatur, & quod curat, à medio dissidere debeat, idq; utroq; in cōtraria recedēte. Cap. 11

Quocirca si aut refrigerantibus medicamentis, aut excalfaciētibus rosaceum indideris, sicut nec magnopere obfueris, ita nec admodum profueris. Nam caliditas tepida nec est sufficiens quæ refrigerata sunt lædere, nec eadem curare potens. Etenim quicquid curari debet, tanquam quod ab immoderatione seu ametria ad cōmoderationem seu symmetriam reducitur, non id quod bene temperatum sit requirit, uerum id quod contrariā habeat intēperaturam. Siquidem si aquam frigidam temperatam efficere studes, temperatam ei misceri non oportet (sic enim tepidum euadet, quod ex utrisq; cōmistum erit) sed feruens petēda est, eaq́; frigidæ miscenda. Hactenusq; moderata calidior esse debet ea qua frigidam temperare uoles, quatenus uidelicet & frigida ipsa symmetrā frigiditate exuperat. Nam sicut quæ leuiter tantū symmetra frigidior est, ab ea quę multo est calidior, mediam non recipiet tēperiē: sic nec quæ longe frigidior, ab ea quæ paulo calidior. Verū si quod curatione postulat, multo est frigidius, necesse est, quod ipsum curabit, multo quoque calidius existat: Sin paulo frigidius, paulo etiā quod curabit, calidius erit. Vt autem uno uerbo exprimam, tanto abesse à medio quod medebitur, quāto ipsum cui medela adhibetur, oportet: nimirum cū in contrarium utriusq; uergat excessus. Nam quod eandē in partem cum corpore curādo, idq́; æquo tēperamento recessit, id quidem idoneum non est quod alterationem ullam inuehat: quare affectum neq; lædet, neq; iuuabit. Quod autem minus aut plus recessit, alterabit quidem omnino affectū. Sed quod longe plus distat, protinus etiā nocebit. At quod minus est, iuuabit quidem non tamen persanabit. Ergo si affectio quidem frigida sit, at calor medicamenti tepidus, omnino necesse est affectum iuuet quidem, uerū haudquaquā ad naturalem symmetriam reducere poterit: quare nec persanabit. Rursum si affectio quidem sit parua, nempe ut à symmetra naturæ caliditate ad tepiditatem declinet, sitq́; medicamen frigidum, omnino refrigerari affectū, lædiq́; à frigore necesse erit. Eodē quoq; modo si calidior sit moderata tēperatura affectus à similib. ipsius medicamētis in eodē statu seruabitur: lædetur aūt à calidioribus. Porrò iuuabit quidem ab ijs quæ se sunt minus calida, non tamē penitus persanabit. Sanè & hic quoq; rursum homonymia in totā extēsā uitā crebroq́; nos fallens occurrit. Etem̄ quod mediocriter est calidū, id subinde calidū appellamus, sicut balneū qd' est eiusmodi, ac poculū: tū id quod ab hoc multū etiā deficit: ad hæc quoq; et quicquid calidius est. At si exquisita nominū uteremur appellatiōe, quod symmetrū est, nō calidū, sed eucratū, hoc est tēperatū nūcuparemus. Quod aūt ab huius excederet modo, si ad calidius quidem immoderatione sua accederet, tum plus, tum minus calidum: sin ad frigidius, plus minusq́; frigidum. Sic opinor in medicamētis si exquisite loqueremur, quiddam uocaremus

mus eucratū & medium, uelut oleum. Siquid autem eo esset calidius, calidum, ut fœnumgræcum: sin frigidius, frigidum, ut rosam. Cæterū huiusmodi nominum abusus causa extitit, quod nō omnia corpora ab id genus medicamētis refrigerentur, quale est uidelicet rosaceum. Nam cum alia per ęque illi frigida sint, alia etiam frigidiora: illa quidē prorsum ne alterat quidem, hæc uero etiam calfacit: saneq; absurdum uideri posit, si cū quid excalfacere fateamur, tamen frigidum uocitemus, ac si quis aquam putealem, quæ hieme manibus refrigeratis tepida uidetur, frigidam appellitet. His ergo occasionibus perturbatus confususq; nominū usus, rerū quoq; unà confudit notitiam. Similiter uero & de sicco & humido, confusis ipsorum nominibus rerum quoq; notitia confusa est. Ac tametsi exile uideat̄ nominū significata probe distinguere, attamen maximū habere momentū & facultatē ad rerū cognitionem deprehendit̄. Sed de humido & sicco paulo post dicetur, ubi uidelicet omnē de calido & frigido sermonē perfecerimus. Nam non multum etiam reliquū esse uidetur, ubi uidelicet iam semel apparuit, nihil miri esse, ab eodem medicamento corpora diuersa alia quidē excalfieri, alia uero refrigerari, alia autem neutrum omnino perpeti. Etenim in eo quod ad aliquid, facillimum est ad particularia accedentem dicere, quod eiusmodi corpori admotum rosaceum, in qua ipsum temperie nactū est, in ea seruare potest: alteri uero illiusmodi applicatū, excalfacere, alij aūt, refrigerare. At in uniuersum de facultate eius pronunciare, id uero difficile est absq; ut nomina distinguas, atq; de ijs conuenias. Fuerit autem tū distinctio, tū conuentio talis. Quandoquidē corpora humana tū ijs quas ab ortu nacta sunt tēperaturis, tū ijs quas ex ætate postea acquirunt, tum ijs quæ ex uitæ cōsuetudine adueniunt, plurimum inter se differunt, ab ijsdem ea medicamentis uarie alterētur necesse est. Quippe si iuuenem natura calidum, ex uitæ instituto artificiū exercētem, uetulæ mulierculæ eidēq; naturæ frigidę cōpares, non minus illum excellere cōperies, q̃ si ualide calfacientiū medicamentorū quippiam cum refrigerantibus componas.

Quòd generales medicamentorū facultates, ad mediam referentes temperiem, expendere oporteat. Ca. 12

Medium ergo horum mihi quempiam intelligas, qui et natura sit eucratus, hoc est temperatus, & moribus ac cōsuetudine cōuenienti hanc tueatur eucrasiam: dein tres hosce tanquam temperaturæ scopos animo commendes, ac circumspicias, quod in genere calidum est & frigidum, & siccum & humidum, cuius ex ipsis temperiei respectu tale appellare sit optimū. Nonne ad temperatissimā, quæ unica est, pariterq; reliquarū mediā? an ad immoderatas & intēperatas, atq; indefinitas, ac propemodum numero infinitas? Sane mihi ne cōferēda quidē distinctio uidetur, neq; ulla propè cōsideratione indigere, sed homini uel paulum etiā ingenij habenti perspicuū esse, corpus omnibus numeris absolutū & decorū, simplexq; & unum, uelut regulam quandā & scopum proponendum, ac ad ipsum alia omnia dirigenda esse. Esto ergo nobis corpus hoc medicamentorū facultatis regula: quodq; similem illius temperiei caliditatem accēdit, uocetur temperatū etiamsi uel maxime excalfacere senem refrigeratum uideat̄. Quod uero calfacit aut refrigerat corpus eiusmodi, illud quidem calidū, hoc uero uocetur frigidū. Esto autem, quò hæc dilucidius tradantur, ipsorū excessuum ordo, ad frigidum quidem primus, cuius esse dicas rosaceum: secundus, cuius sit ipsa rosa: post hunc tertius & quartus, quoad sermone ad frigidissima pertigerimus, nempe cicutam, succum papaueris, mandragorā, hyoscyamum. Rursum ad calidum, anethum quidem, & fœnumgręcum, prima. Secunda uero deinceps, quæcunque uideatur secunda, tertiaq; & quarta, donec ad exurentia peruentum sit. Ad eundem modum in medicamentis humectantibus ac siccantibus rursus à symmetro exorsi, ordines deinceps ad summa usq; constituamus. Nam huius notitiæ ad medendi methodum non paruus est usus: imò nisi quis hoc pacto definiat, officiet magis legentib. quàm proderit. Siquidem medici, qui nunc quidem simplicium medicamentorum uires exponunt, præter alia multa quæ delinquūt, hoc maxime noxiū est cernere, nempe quòd in calidis, uerbi gratia, anethum, & fœnumgræcum, & misy, & calcem, indifferenter numerent: in frigidis rosaceum, mandragoram, & cicutam: tanquam scilicet propinquum sit aut calci fœnumgræcum, aut cicutæ rosaceum, ac non multis mediantium medicamentorum ordinibus disiuncta. Verum nos pro uiribus rem tam immensam tamq; operosam in ordinem redigere tentemus, exponamusq; quæ uiribus propinqua sunt, quæq; longe dissita. Atque id quidem efficiamus, non probabiles sermones, sed certam ac definitam experientiam pro iudice sumentes: uelut & id quoque superius sæpenumero admonuimus. Enimuero eiusmodi iudicium ut tutissimū quidem erit, ita prolixum quoque, ac plenum laboris, dum propositi finem consequamur. Eos tamen qui hæc relegere uolent, hoc unicum ac solum efformare atque artificiosos reddere poterit, ac uelut oculum quo ueritatem agnoscant, præbere. Ergo quæ adhuc reliqua sunt ad totam uelut elementarem cōstitutionem, postquam ea hoc libro confecerimus, in quarto de saporū uiribus disseremus: quandoquidem & hoc quoque ita uisum amicis est: in quinto autem de omnibus in genere simplicium medicaminum secundis quidem ac compositis facultatibus: atque ita ad particularia in ijs qui de hinc sequentur libris transibimus.

Quòd quæ sensu simplicia uidentur medicamina, persæpe compositas obtineant uires, imò uero etiam non nunquam contrarias Cap. 13

Reliquum autem est id cuius subinde iam ante necessario mentionem quidem fecimus, uerum absolute nondum exposuimus. Est autem istud, nempe omnia propemodum medicamenta, licet sensu

sensu simplicia appareant, natura tamen esse composita: quin & subinde quoq; diuersissimas in sese continere facultates, nempe excernēdi & sistendi incrassandi & extenuandi, rarefaciendi & condensandi, obliniendi & diffundendi, contrahendi, & laxandi, cæterasq; oppositiones uniuersas, ut in sequenti hunc libro patebit. At mirum hoc uideri minime debet in id genus facultatibus, cū uni & eidem medicamento uim calfaciendi & refrigerandi inesse appareat, aut exiccandi & humectandi, aut tenuium partium & crassarum. Quippe nisi primæ efficacissimæq; uirtutes hoc pacto cōplicarent, haud sane quæ ex illis sequūtur, similiter cōplicatę forent. Quin si nos ipsi rhu siccum uerbi gratia, melli cōmisceamus, quod ex ambobus mistis cōfectū est, non modo adstringēdi, sed etiam abstergendi possidere facultatem concedemus: nec cohibēdi solū uētris, sed & euacuādi. At in lacte duas contineri facultates, nempe excernēdi, ac uentrem sistendi, haud itidem concedimus, tametsi id perfacile in serum ac caseum segregeť, confessumq; sit omnibus, illud quidem uentrem subducere, hunc eundem cohibere.

Quod & brassica duas, easq; contrarias, in sese facultates obtineat. Cap. 14

Quòd uero & brassica duas, easq; contrarias, in sese facultates obtineat, neq; id quidem etiam facile concedimus. Nam si succum eius expressum aut solum, aut cum melle hauserimus, expurgare ipsum cernimus: attamen quoniam quod reliquum est, edere nequeamus, adstrictorium esse diffidimus. sed si totam cōcoquas, primamq; eius aquam, in quam succum deposuit, effundas, iterumq; eam alteri aquæ puræ inijcias, rursumq; cōcoctam eximas, succum quidem purgare offendes, brassicam uero ipsam uentrem adstringere: multoq; magis si non bis duntaxat, sed ter aut quater aquam effuderis. Nam quanto exquisitius in aquam succum suum deposuerit, tanto & illi quidem maiorem purgandi uim adijciet, et reliquam sui substantiam, quæ uelut holeris ipsius caro est, restringentem efficiet. Eadem est ratio in beta, atque adeo in omnibus ferme quibus sapor aut acris, aut nitrosus, aut salsus inest. Quippe & lenticula ipsa, tametsi satis magnam adstringendi potentiam gustu refert, tamen eiusmodi quid sortita est. Nam & huius decoctum, uentris soluendi uim obtinet. Verum hic succus etiam, si degustes, perspicuam misturam repræsentat, tanquam si nitroso austerum quid commisceas. Sed et conchularum maris, cæterorumq; fere ostreorum succus plane tum salsus est, tum uētrem soluendi uim obtinet: quamuis eorum caro uentrem reprimat. Verum quod dico deprehendes, si ea quoq; quomodo brassicam censuimus, præparare non graueris. Nam & gallorum ueterum ius uentrem ducit: tametsi caro eundem sistere potest. In æris autem squama sicut duplex qualitas, item gemina quoq; facultas inest: nam & astringit & mordicat: quare adstrictione quidē siccatas ulceratum carniū cicatrices obducit, mordicatiōe uero præ

A humidas colliquat. Quòd si intrò in corpus sumatur, purgat quidem uentrem, uerum nō cohibet. Vincitur enim ea adstringēdi facultas ab acri purgatoriaq; potentia, tanquam si rhu succum scamoneæ cōmisceas. Nam quod ex ambobus mistum erit, soluet uentrem, haud sistet, licet gustū austeritas exuperet. Sic autem non pauca purgantium medicamentorum cum carne mali cydonij exhibita, gustu quidem fallunt, at effectu solo quid ualeant commonstrant. Dantur uero quædam cum palmulæ carne, alia aūt cum myrtis, alia cū mastiche chia, aut alio quopiā eorū quæ tum grata sunt stomacho, tū adstringūt, quò scilicet gustū fallāt, simulq; stomachū minus euertant. Verū tametsi ea quę gustu percipitur qualitate, expurgantia ab

B adstringentibus uincantur, alia tamē facultate ipsa uincunt: persæpe enim lingua à materiæ uicta est copia: cæterum actio pro facultatis uiribus ac robore perficitur. Itaq; cū substātia exigua quidē, sed ualidis prædita uiribus, mista alteri substantiæ plurimæ, eidemq; imbecillæ, in corpus intrò peruenit, gustū quidem fallit, attamen effectū quàm illa efficaciorem exhibet. Sanè permultos huius rei admiratio detinet, remq; rationis expertē absurdāq; existimant, si corpus quodpiā adstringēs purgare queat, uelut aloe, & æris squama, atq; æs ustum. Nam contrariū potius oportebat, nempe uentrē reprimere, haudquaq; ciere. Cæterū quod malū, uerbi causa, cui indita est scamonea, adstringens purgat, nemo miratur: tametsi hinc orsis faci-

C lius erat & in aloe mistam inesse facultatem colligere. Ac si quod ex ea purgat, ab eo quod nō purgat, segregari posset, nō etiam admiratione afficeret: quanquā id sane quodāmodo præstari queat. Nam si aloe accurate lauetur, aut debiliter, aut plane nihil uentrem subducit. Idem usuuenit æris squamæ, ærique usto: quippe quæ nos diligēter elota obscuram modo purgādi uim retinuisse sumus experti. Quinimmo ipsius quoq; qualitatis medicaminosus sapor primo statim gustu facultatis mistionem demonstrat. Nam si unica semper qualitas unicuiq; gustu adstringētiū medicaminū inesset, haud sane inter ipsa alia esui apta, alia medicaminosa forent, sed tantū in plus ac minus adstringendo differrent. At nō ita se res habet. Nam hæc

D quidē, adstrictio mitis ac suauis apparet, alia molesta ingrataq;, & medicamentosa. uelut piri quidem, mali, & mali punici, suauis: squamę uero ęris & aloes, ingrata atq; medicamentosa: tametsi malo cydoneo æris squama minus adstringat. quamobrem nec astrictionis uehementia eam qualitatis absurditatē inuehit: quando innumera propè alia eorū quæ esui sunt, aloe, æris squama, & ipso etiam ære usto plus adstringāt. Atq; in hisce utiq; substātię mistura clare perspicit. At in alijs etiamsi non appareat, tamen eam ratione colligere oportet, ac non putare aliud in aloe adstrictionē moliri, aliud in malo. Vnū eñ in omnibus efficere pro sua natura non adstrictionem modo, sed & aliarū qualitatū unamquanq; rationi consentaneum est. Cęterū quia nullum omnino ab alijs qualitatibus

syncerum reperitur, idcirco diuersi effectus ab alijs atque alijs adstringentiũ edi conspiciunt. Nam alius est effectus mespili, alius æris, alius aloes, alius mororum, exempli gratia, aut gallæ, aut corticis mali granati, aut alũinis, aut rhu: præstitissetque forsitan, qui de adstringẽtiũ medicaminũ uiribus pronunciare sunt ausi, in genere de ipsa potius adstrictione, haudquaque de astringentibus dixisse. Nam quod adstringit, nõ adstringit modo, sed & prẽter adstrictionẽ acre est, aut pingue, aut dulce, aut amarum, aut salsum, aut acidũ. At adstrictio unum id solum perpetuo est quod est, uti & salsitas, & dulcor, & aliarũ qualitatum unaquælibet. Quod si ut adstrictio, ita adstringens unũ esset, sanè unũ quoque perẽniter eius esset opus: Verũ cũ præter adstrictionem insuper alias qualitates reci B piat non paucas, semper quidem omnibus illis aget, sed euidentius aliàs per aliam, nempe uincentem: idque ut ad corporis scilicet cui admotum est affectionẽ: quippe cum & lac, & lens, & brassica, horũ interim citare aluum, illorũ uero sistere cernantur. Et causam quidẽ quamobrẽ nõ perpetuo euidenter agat in corpore unoquoque unica duntaxat qualitas, uisque medicamenti, eam quidem iam mox in sequenti sermone edisserã: Impræsentiarũ uero id quod res habet cõmemorare solummodo proposui, nequis plerisque medicamentis contrarias tum qualitates, tum facultates inesse diffidat. Sed & id quoque multam consideratione & distinctiones non paucas requirit, tametsi omnibus perfacile uideatur, contrarias inuicem & qualita- C tes & facultates inuenire. Ergo citra controuersiam omnes propemodum adstringens cõtrarium ei quod purgat, esse statuunt. Verum neque illud huic contrarium est: quod nos procedente sermone declarabimus. At in præsentia ex superabundanti illud quoque monstrabimus, etiamsi ea quis esse contraria ponat, nihil inde sequi absurdum: cum fieri possit, ut in unam substantiam conueniant uel maxime contrariæ tum qualitates, tum facultates: quippe cum supra ostẽderimus, in succis aliud esse quod grauissimum est, aliud quod leuissimum, aliud tertium toti succo permistũ. Nec miri quicquam est, si & in rosæ succo aliud quidẽ est grauissimum, amurcæ & feci proportionale: aliud leuissimũ, & ipsum proportione respondẽs D flori in quoque succo supernatanti: aliud tertium, quale est quod in musto feruet: ad hæc quartum ipsum uidelicet purissimum ac syncerissimum, cuius hæc tria excrementa existunt. Euenit autem alios quidem succos aut acescere, aut corruptos putrescere: sola uero oleum, mel, & uinum, in longum temporis spacium perdurant. Itaque neque per ebullitionem, neque per secretionem in alijs succis has excrementorum differentias inuenire perspicuo licet: uerum protinus ab initio coctione quadam illis est opus, aut saltem alicuius perdurantis succi mistura. Nam sic rosæ succum melle miscentes, aut oleo incoquẽtes, aut totas rosas ei immergentes, reponimus. Cæterũ quod & in his quoque probabile sit quatuor illa inesse genera, ꝓpriũ ipsius

A succi uidelicet, & tria excrementa, intellectu clarum est, ac potissimum quia qualitas earũ nõ simplex est, imò adstrictionẽ quoque quandam obtinere, si rosam dentibus mandere uoles, uidetur. Habet autem & dulcedinem, & amaritudinẽ, quasique mordicationẽ quandam leuem. Verum satis erat, etiam si horũ nihil gustantibus deprehẽdi posset, tamen ex eo quod nõ extreme adstringat, aliorũ quoque saporũ misturã intelligere. Etenim si solus sit austerus, summus itidem fuerit. At si nõ summus, sequitur quod neque etiã solus. Quam enim proposui adstrictionis generationem, eam si solam citra alias esse cogites, summa hæc sit necesse est: quo modo si sola corpori cuipiam caliditas summe inesset, id ignis utique foret. Nam contrariorum misturæ, summitates ipsas frangunt.

Quam ob rem lingua, tangentibus ipsam dissimilaribus corporibus, ac per diuersas eius partes simul agentibus, nõ quã in oẽs illa partes inferũt, percipit affectionẽ, sed ea ex parte primo affecta in totam ipsius diffunditur substantiam. Ca. 15

Atque in similaribus quidem partibus calor, frigiditas, siccitas, humiditas, particulares differentias efficiunt: in dissimilaribus uero, acrimoniæ, siccitates, austeritates, acerbitates, dulcedines, amaritates, salsitates, aquositates, & unctuositates. Itaque unaquęque similarium in ipsis partium non multas, sed unam qualitatẽ obtinet: quod uero totũ est dissimilare, cõplures. Nam si mille, exempli gratia, hoc in cyatho huius succi corpora contineantur dissimilaria, fieri potest ut centum adstringant, sexaginta mordicẽt, sexcẽta sint dulcia, ducenta amara, quadraginta salsa, sicque mutua mistione tẽperata, ut partẽ nullã accipere sit quantumuis paruam, quæ non sit omniũ particeps: ut in linguæ contactu omnes quidem agant, diuersa tamen unaquæque eius parte, nempe cui ipsam appropinquare contigerit: ipsa uero affectio, ex eo quod primo affectum est, in totam eam diffundatur: ueluti si in frigore ingenti digitum in aquã gelidam repente immittas, tota interim manu horrebis, sæpenumero uero & corpore toto. Nam uelox est ex eo quod primo affectum est in corporibus sensilibus, in totum animal diffusio, ut uidelicet cum calfacto unà concalescat: refrigerato, simul refrigescat: siccato, pariter siccescat: humectato, cohumescat: atqueadeo frequenter etiam contraria uno tempore perpetiatur. Quò autẽ id facilius quod dicitur intelligas, alteri etiam exemplo adhibere animũ præstiterit. Vidisti opinor quandoque coniecto in aquam quietã lapide, ex hoc quidem moueri aquam incipiẽtem, in orbem autem motum extẽdentẽ, tanquã centrũ sit id quod percussit. Cum ergo uno tẽpore in diuersas placidæ tranquillæque aquæ partes duo lapides coniecti duos effecerint circulos, qui per sese inuicem ferantur, contrarios conspicies in quauis aquæ particula motus. Quæ res uiris etiam naturæ studiosis dubitationem non paruam attulit, num aliæ partes ab utroque motuum, an eædem ab utroque mouerentur. Nam quòd circulus circulum non sistat, nec ultra prorsumque ferri prohibeat, id manifestissime

cernitur. Idipsum item fieri mihi intellige, cum eodem tempore pedes quidem in calidã, manus uero in frigidam indideris. In totũ enim corpus utriusq; affectionis motus peruadit, contrariiq; inuicem occurrunt. referatq; forsan nihil, etiamsi contraria non incedant semita, sed unus ab uno, alter ab altero pede proficiscat. Tunc em̃ nec nihil pati corpus, nec ab altero duntaxat dicere queas: nam & manifesto patit, & ab ambobus patitur, incalescens, ac frigescens. Quod utiq; & in febribus lipyriis & hepialis euenire autumno, extra q̃ quòd in illis nõ extrinsecus, sed ex ipso corpore caliditatis frigidatisq; affectus exorit. Quòd si quis dicta assequi nequeat, certe ex eo quod iam dicet, facilime periculũ facere posit. Etem̃ nõ longe ab iis quæ inquirimus abest, sed ex linguæ affectuum numero existit. Nam si parem absinthii portionem melli exquisite cõmistam, linguæ imponas, γλυκύπικρον (quemadmodum poetæ cognominant) hoc est, ex amaro dulce, quod ex ambobus mistũ fuerit, uidebit: nimirũ cum haud alio tẽpore mellis saporẽ lingua sentiat, alio uero absinthii, neque alterũ solum, uerum perpetuo ex utrisq; insolẽtem quandam mistionem permistam. Tale quid euenit cum in unum succum coierint austera & nitrosa facultas, siue natura miscuerit, siue à medico fuerit compositum. Nam eodem tẽpore lingua utriusq; succi qualitatem percipit: ac si percipit, nimirũ & afficitur, idq; pro familiaribus illorũ uiribus. Necesseq; est quanq; aliarum corporis partiũ similiter affici, etiamsi qualitates ipsas non sentiat. Neque enim in patiendo aut non patiendo, ab aliis linguam differre putandũ, uerum eo quòd ipsam nihil familiarium affectuũ ob exquisitam sentiendi facultatem latere posit. Quòd si ad id nonnihil faciat ipsius raritas: quippe succi facilius in profundum penetrantes, atq; in mollicuIas partes actionem exerentes, tum ualidam quidem affectionẽ, tum uero sensum eius imprimũt euidentiorem: ueruntamen maior uis in sensu accurato potius q̃ in affectionis robore consistit: cũ affectionis robur nihilo secius & in exulceratis partibus fiat, sed quia exacta sentiendi ui carent, idcirco succorum qualitates non percipiunt. Liceat uero cum in illis, tum etiam ante illas, nondum uidelicet cute exulcerata, mistam ex contrariis facultatib. actionẽ simul, in corpore fieri colligere. etenim si parti inflammatæ solani succũ imponas, densari eam constipariq;, & cohiberi transpiratus conspicies. Itaq; si plusculo idipsum tempore facias, non rubram seruabis particulam, sed aut liuidam aut atram efficies: id quod asidue in erysipelatis à medicis plerisq; fieri uidere est: nam & ea tempore dura atraq; immodice refrigerando efficiunt. Quòd si ergo non solanum, sed anthemida, hoc est chamæmelum parti inflammatæ imposueris, eam prorsum cõtra affici uidebis: quippe quæ rara, fusa, mollis, laxaq; euadet, [cum nondum cutis exulcerata fuerit,] multũq; illius superfluitatis quæ sub ipsa continetur transpirabitur, nec liuida amplius atraue erit, etiamsi uel plurimis deinceps

A diebus chamæmelo utaris. Fundere enim hoc ac digerere per halitum potest, haudquaquam cõtrahere, condensareue, aut transpiratus prohibere. Quod ergo solano chamæmelum contrarium sit, illinc liquet. Quòd uero etiamsi utranque commisceas, euidenter tamen utriusque uires perspicies, ego sane expertus edisseram: quanquam te quoque malim ipsa re experiunda euẽtum cognoscere, quàm narrãti mihi fidem habere: id quod scio efficiet quisquis ueritatis amore tenetur. Oportet uero ut in re iam patenti orationem absoluere. Si enim simul impositis solano, & anthemide, neque ita densa, dura, tensa, liuidaq; reddatur, atq; si solo usus solano esses: neq; adeo rara, mollis, laxa, rubensq;, ac si chamæmelo solo usus fores, sed di-
B ctorum mediam accipere affectionẽ particula cõspicitur, consentaneum est utrunq; medicamentũ secundum suam operatum esse facultatem. Nam si neutrũ quicquam egisset, sed quieuisset utrumque, quam ab initio affectionẽ particula habebat, eam haud dubie seruasset, non secus ac si omnino nihil impositum foret. Sin autẽ alterum quidem eorum operatum fuisset, alterũ uero penitus deuictum, non mediam affectionem, sed extremarum alterã perpessa particula esset. At si utrunq; agit, eaq; contraria facultatibus fuere, cõtraria utiq; eodem tẽpore corpus perpessum est. Nec enim partitis inter se agendi uicibus operabãtur, tanquam si utrisq; exempli causa totum diem impositis, sex horis prioribus medicamentorũ alterum, reliquis
C uero sex alterum suo uicissim munere fungeretur: nugax enim hęc est hypothesis, nec solum demõstratione, sed probabilitate quoq; omni destituta. Quanquam profecto nec ita quidem fundi contrahiq; subiectam contingit substantiam, uelut in iis qui in balneis lauantur, posteaq; ingrediuntur frigidam, sed potius ita ut si lauanti frigidã aquam adspergas. Sic enim non diuersis temporibus, sed eodem contraria perpetietur. Igitur quemadmodum in medicamentis compositis mirum nõ est, si contrarii simul affectus corporibus infligantur: ita neq; in simplicibus, cum & ipsa sensũ quidem omni atq; cognitione simplicia appareãt, uerum natura sint composita. Quinetiam queadmodum in iis quæ nos componimus ac commiscemus, in-
D terim, si ita uisum est, plus adstringentis succi indimus, interim plus dulcis, aut amari, aut salsi, aut acris, aut cuiuspiam alterius contrariorũ, nonnunquam uero utrosq; partibus paribus: ita quoq; naturã in arboribus, fruticibus, animalibus, & in ipsa quoq; terra contrarios temperare succos paribus aut portionibus, aut uiribus alienum non est. Potest etiam quandoq; alterum uincentem efficere. Itaq; actiones eorum in misturis paribus similes euadent, in imparibus autem diuersæ. Ne quis ergo putet, quod & supra monuimus, nihil referre, adstringentem succum dicas, an adstrictionem. Nam adstrictio una res intelligitur, adstringens uero duplex: sicut & calfaciens partim simplex & summum, ut ignis: partim per exuperantiam caloris, ut sanguis. Sic adstringens quoque aliud sum-

mum est, ut exempli causa, alumen, et melanteria, siue atramentum sutorium, & galla, & rhus: Aliud quia adstrictiõis cuiusdam est particeps, uelut pirum, uinum, malum, rosa: nam minimũ omnino est in rosa qđ adstringit, multis numeris eo quod non est eiusmodi superante. Quapropter non absre exigui quoq; adstrictionis effectus sunt, tanti scilicet, dum à relaxandi facultate quæ rosæ inest, corporũ illi admotorũ robur nõ exoluat. Itaq; mirandum non est, medelam esse eam inflãmationũ ac potissimum dum increscunt adhuc atq; augentur, plusq; etiam dum incipiunt.

Quod rosaceum, utpote olei rosæq; mediam ad unguẽ naturam obtinens, inflammationum optimum in augmento remedium sit. Cap. 16

B Rosaceum uero (utpote cuius natura olei rosæq; in medio est) in inflammationum augmentis optimum est remedium. At oleum cõmodum est ubi inflammationes maxime uigent: id quod experimenta docent: causam autem nos in tractationibus De medendi ratione exponemus. Porrò rosaceum ut quod in medio eorũ ex quibus confectum est consistit, utiq; & in medio tempore utilitatem ostendit. Nam per initia repellere comprimereq; influxus oportet: in uigore autem ita per halitum digerere, ut morsus absit: at in incrementis repellere simul ac digerere. Id quod siquis nudum, citraq; iam dictas ratiocinationes audiat, fortassis fidem non habebit. Nunc autem mirer, siquis adeo sit stupidus, ut rationi nondum acquiescat. Nam semel unoq; impetu ab adstringentibus contrahentibusq; substantiam, ad laxantia fundentiaque transire, planè absurdum est: sicuti sanè ęquum est, in intermedio principij statusq; spatio, dum uidelicet morbi adhuc increscũt, nec planè repellere sicut in principijs, nec itidem digerere sicut in uigore: sed perinde ut morbi conditio media est inter contraria, ita medicinam quoque mediam esse oportet, quæ uidelicet non ut in principijs adstringat, nec ut in uigore digerat. Atqui medium omne ex contrarijs mistum est, ijsq; totis per tota temperatis, aut per exiguas particulas sensum effugientes eorum quibus apponuntur. Porrò hoc an illo modo rosaceũ mistum esse uelis, mea quidem certe nihil refert: nam utroq; modo propositum demonstrari potest. Satis aũt certo scio, si ratiocinationes oẽs tum quas Theophrastus memoriæ prodidit, tum quas nos toto hoc tractatu cõplectimur, multum animo uersaueris, te secundum mistionis modũ reperturum. Quin & in profundũ penetrare, & corpora arentia magis quàm oleum humectare rosaceum potest: arbitrorq; subinde rosaceo te prædensas coriaceas tunicas teri uidisse: quoniam neq; oleum neq; hydrelæum (quod ex aqua & oleo mistis cõstat) eas probe mollire ac madefacere possit, quia uidelicet crassiorum sunt partium, q̃ ut penitus imbibi ac penetrare queant: rosaceo uero præter cætera quæ potest, paucula quędã inest adstrictio haud parum huic rei conferens. Nam quæ magnopere austera acerbaq; sunt, primo statim contactu

A superficiem condensantia, humorem ingredi imbibiq; prohibent: at quæ paululum quidẽ adstringunt, cæterum plurimũ in se continent essentiæ tum tenuis, tum tepidæ, tantum abest ut præ astrictione ingredi altius corpora admota prohibeantur, ut etiã ab ea, magis scilicet impellente, iuuentur. Quæ autem penitus tenuia calidaq; sunt, magis digerũt discutiuntq; humores ex corporibus quibus admouentur, quàm alios ipsa apponant. Porrò quæ frigida sunt & crassioris essentiæ, omnino nullum introducere humorẽ queunt. In quibus uero humiditas inest tenuis pariter & tepida, hęc per essentiæ quidem tenuitatem & tepiditatẽ promptè mobilia, corporum quæ contingunt, meatus subire nihil prohibet. Quod uero non admodum calfaciunt, ex eo liquet, quòd existentem in illis humiditatem non digerant. Si uero prærerquam quòd sint eiusmodi, insuper exiguam adstrictionẽ possideant, quæ tenues particulas meatum iam ingressas in profundum propellere ualeat, ipsamq; extrinsecus superficiem quadamtenus constringere ac condensare, ea inter omnia humectantia efficacissime humectant. Adstrictionis enim natura est, ut meatus occludere præoccupãs, uicinamq; substantiam ad se contrahens, constipansq;, ijs quæ humectare ualent, impedimento existat. At quę adeo infirma est, ut in rosaceo, quæ ipsa uincatur potius q̃ uincat, tenues calidasq; rosacei particulas præuertere quidẽ nequit, sed ubi illæ altius penetrauerint, in ipsam iam tum superficiem agere incipit, pro uiribus constipando, contrahendo, ac condensando. Ex quo necessario sequitur, ut quæ ingredi meatus anteuerterint exigua corpuscula, intrò propellantur, ac meatibus præclusis foras regredi inhibeantur.

C

Quod quæ frigiditate interimunt deleterijs, ex mutationis celeritate uti corrumpant euenit, ac proinde alienam requirãt caliditatem, quæ uelut manu in totum deducat corpus. Cap. 17

Sanè ad opera eiusmodi non mediocriter confert innata corporibus nostris caliditas: quippe quæ intrò ad se attrahat, & cõminuendo extenuet. Hinc est quod & quæ natura frigida sunt medicamenta, nempe quæ deleteria nuncupantur utputa cicuta, papauer, hyoscyami semen, mandragora, & quæ eius sunt generis, citius magisq; in calidis naturis uim suam exerant, cuius & tu, tametsi unum ex ambiguorum difficiliumq; problematum numero habitũ id fuerit, haud difficulter, modo nõ segniter ijs quæ dicimus aduerteris animũ, solutionem inueneris. Etenim cum sit impossibile ut talia interficiant, nisi prius cor refrigerent, sanè intrò cõminuta extenuataq; ingrediantur necesse est. Id quod ex sua natura præstare nequeũt. Quippe quæ crassarum sunt partiũ, nec facile moueri possunt, nec ut minutim concidantur, prorsumq; ferantur, ex sua natura obtinent: uerum adsciticiam caliditatem requirunt, quę in minuta secet, extenuet, atq; comminuat, quæq; uelut manu ducat, atq; in subtiles partiũ omniũ meatus deducat. Itaq; si quando ea absit, cunctantur, tardantq;

D

in

in maioribus meatibus hærentia, et uenis atq; arterijs uelut innatantia, ac tẽporis spacio interim per lõgos errores ac multas iactatiões ab humoribus qui in eis sunt, uicissim nonnihil perpetiũtur. Ostensum est enim iam sæpenumero, in sese mutuo qualitates omnes quadantenus agere. Nam & lapis ab assiduo aquæ stillicidio excauat, gladiusq; ceram secando hebetatur. Monstratum etiam est, actiones à solidis animantiũ partib. perfici, quare cum hæc nondum à refrigerantibus medicamentis refrixerint, animans superstit necesse est. Porrò refrigerari nequeunt prius q̃ illa in proprios illorum meatus subierint: atqui ex sua id natura crassioribus frigidisq; medicamentis datũ non est, nisi succurrat quod uelut deducat. Deducit porrò ut causa primaria, arteriarum attractio (ostendimus enim ipsas inter dilatandum uicinum omne attrahere) ut secundaria uero & materialis, essentiæ tenuitas: quam cum ex natura sua non obtineant frigidiora crassiorumq; partiũ medicamenta, ijs utique opus habent quæ præbeant. Corpora itaque quæcunq; temperaturæ sunt frigidioris, ea arteriarum tractũ imbecilliorem possident (id quod etiã demonstratum est) atq; in minutas particulas medicamentorum substantiam redigere nequeunt. Proinde medicamentum & ipsum cunctando tardandoq; temporis spacio aliquid perpetiatur par est. Itaq; interim accidit ut concoquatur, uelut lactucæ succus. Nam & is tempore cõcoquitur. At si integer ad cor pergere properaret, non secus atque cicuta hominem interficeret: euenit autem id ipsum alijs quoq; omnibus admodum refrigerantibus succis. Nã nisi celeriter interimere possint, sane ex hoc omnino nullius effectus reddũtur. At quæ aut erosione aut putredine enecãt, ijs ut tempore inualescant accidit. Siquidem temporis spatio putrescunt omnia, eoq; magis quo fuerit humidior calidiorq; locus. Merito ergo fit, ut quæ frigore suo noxam inferũt, ijs actionis celeritas ad perniciem proficiat: quippe quæ alioqui spatio excalfacta, uim per quã agebant, deperdant. At quibus actio cõsistit in putredine, ijs tempus actionẽ adauget, quoniam scilicet & putredinẽ. Nec enim animal ullũ interire potest, quin cor ab agendi munere cesset: fieri porrò ut cesset nequit citra maximam intemperiem. Siquidem non simpliciter q̃ par est aut calidius, aut frigidius, moueri desinet: Eodem modo si modice siccum aut humidũ euadat: minus enim suo fungetur ob hasce quidẽ intemperies munere, cæterũ motu nõ uacabit prius quàm immẽsam aut caliditatem aut frigiditatem, aut reliquarũ qualitatum aliquã acceperit. Porrò medicamentis quæ frigore occidunt, ubi ad cor pergere cunctant, simile quid accidit, quod lignis humidis uiridibus frequenter euenit. Hęc siquidẽ si multa aceruatim in ignem cõijciantur, eum celerrime extinguũt: sin undiquaq; in orbem composita prius siccentur, ac incalescãt, & deinde sensim inijciantur, tantũ abest ut extinguãt, ut etiam alimento illi efficiantur. Sic hominem quidem cicuta necat tum ob meatuum amplitudinem, calo

A risq; multitudinem, tũ ob attractionis arteriarum robur ualidum etiamnum ad cor pertingens. Sturnos uero ob causas contrarias haud enecat, utputa cum & retineatur & cunctetur, ac sese temporis tractu concoqui præpararíq; à corde tanquam à foco incalescens sinat, non secus ac ligna extrinsecus. Quare nec id quidem mirum dubiumq; relinquitur, sed est quale lactucis accidit, quippe quæ moderato esu hominem nutriant. At si quispiam expressum earum succum largiter hauserit, non secus profecto morietur, quàm qui aut cicutam, aut papauer sumpserint. Sic lactuca si cor refrigerauerit, interimit: sin concoquatur, alimentum animali efficitur. Ad eundẽ arbitror modum cicuta hominem quidem celeritate distributionis interficit, sturnos uero tarditate ipsa nutrit. Si uero

B exiguum quiddam sumatur, mortẽ homini nequaquam inferet. Id quod anus Atheniensis experimẽto docuit, cuius apud omnes percelebris memoria est: Etenim ea ab exigua cicutæ portione auspicata, nullo detrimento ad permagnam progressa est copiam: principio enim paucum exiguitate ipsa deuictũ est: at consuetudo naturale reddidit. Nec enim nũc locus est, ut cur plurimũ possit cõsuetudo, curq; uelut altera ac adscititia natura sit, uti à ueteribus proditum est, causam reddã. Nam ita maius euaderet operis accessoriũ, quàm ipsum opus, ut omittam quod separatim de hoc tractauimus. Verum connectendus est perficiendusq; præsens sermo.

C *Quòd medicamentorum quæ frigiditate sua interimunt, nullum prorsus genere letale sit, ac deleterium, sed sola quantitate.* Cap. 18

Eorum ergo medicaminum quæ frigore interimunt: nullum genere letale est, sed sola quãtitate. At in erodentibus, putrefacientibus atq; excalfacientib. haud ita se res habet: sed de his paulo post dicetur. Quæcunq; autem frigiditate occidunt, ea exigua quantitate sumpta mortem non adferent, non magis quàm si copiosæ flãmæ pauxillũ aquæ instilles, aut lignũ inijcias humidũ ac uiride. Quẽadmodũ itaq; nisi calorem habeant abundantem, qui tum cõminuat, tum ad cor usq; perducat, interficere nõ poterũt: sic si quod cõminuit ac deducit, multo ualẽtius fuerit, prorsum deuincet, mutabitq;, ac alimento ut sibi sit medicamentũ, efficiet.

D *Quòd medicamenta quæ natura sunt frigida, iure à ueteribus potestate frigida appellentur.* Cap. 19

Quamobrem eius quoq; nunc protinus meminisse oportet, ueteres medicamenta natura frigida, potestate dixisse frigida. Nã ea quoq; quadantenus refrigerandi potentiam à nobis accipiunt, sicut excalfaciendi calida. Quòd si alio modo illa alio uero ista, nihil utiq; refert: generale eñ idem communeq; utrisq; est, nempe alterationis principiũ ex passuro corpore in acturũ medicamentum procedens. Nam quæ potestate quidem sunt calida, alterantur eo duntaxat, quòd incalescant à nobis: at quæ natura frigida, tũ quòd comminuãtur, tum q adscititiũ accipiãt motum. Cum itaq; ipsis tanquã frigidis agere absq; corporis patiẽtis auxi

lio non licet, iure potestate frigida dicuntur. Nam ut actu nos refrigerent, non prorsum ex sese obtinent, uerum à nobis prius perpetiantur ut refrigerent oportet. Etenim in minuta conteri, & aduentitiũ motũ accipere, affectus sunt medicaminum. Attamen si cui libeat ea actu frigida nominare, haud equidẽ repugnẽ, modo omnis in uerbo dissensio sit, res aũt utrisq; confessa. Siquidem (quod paulo supra monuimus) id genus om̃ia calidũ corpus quo agere possint postulant. Ea propter meconiũ, hoc est succus papaueris, & cicuta, si uino mista bibantur, ocyus necãt, licet nõ quouis temperata modo. Si enim ipsa paucissima plurimo uino misceãtur, prorsum deuinci possit. Si uero pauculo multa, deducuntur quidem ad cor, uinci autem nequeunt. Si quis uero papaueris succũ quantus interficere potest, hauserit, ac etiamnũ tamen supersit, recta ratione et hunc quoq; sanabit large epotum uinum uetus, magisq; etiã si generosum fuerit: nã id quoq; magis calefacit. Quòd uero cor nondum admodum refrixerit, liquet quãdoquidem adhuc homo uiuit. Tũ aũt digestionis in corpus tarditate quadantenus mutatũ iam à corpore esse medicamentũ, sicuti lignum uiride ubi proxime ignẽ aliquãdiu iacuerit: nec id quidem obscurum est. Calidum itaq; id tẽporis uinum ebibitum præsentissimũ est remediũ, nosq; etiam quendam extreme iam refrigeratũ uini lesbij potione seruauimus: potestq; idem falernũ, surrentinum, ariusium, tmolites austerũ, ac quotquot calida simul exquisite uinosa fuerint uina, eundẽ cum lesbio præstare ualent effectum. In summa quod tenui perlucidaq; substantia est, colore uermiculo aut flauo, odore gratũ, quodq; multã aquæ misturam exposcit, id tum admodum excalfacere est natũ, tum facile undiq; per corpus uniuersum deferri. Tale ergo natura uinũ, ętate uetus, meracius mistum, eos etiam qui refrigerati iam sunt persanat, nec solum à papaueris succo, aut alio quopiã refrigerantium medicaminũ, uerumetiã qui in morbis aut ex stomachi, aut ex cordis dolore animi patiuntur deliquiũ. At quod cum refrigerãtibus medicamẽtis, quò celeriorẽ mortẽ afferant, bibitur, id nec multum est, nec generosum, sed quod cõminuere ea, ac distributionis sui impetu in cor perducere modo ualeat. Atq; de his quidem hæc sufficiant.

De actione medicamentorum, quæ putrefactione & erosione nos necant. Cap. 20

Quoniam autẽ de ijs etiam medicamẽtis, quæ erosione ac putredine interimere sunt nata, dicturum me, quòd tempore perniciosiora reddantur, & ipso genere naturã nostram corrumpere possunt, non modo multitudine, uelut refrigerantia, sum pollicitus: tempus nunc est promissis satisfacere. Coniuncta est eñ quadamtenus quæ de his habetur oratio, ijs quę de medicamentis potestate calidis dicuntur. Verisimile siquidem est pleraque eorũ etiam actu esse calida, sed idcirco nos fugere, quoniã aut ipsi plurimum habeamus caloris, aut crassa eorum essentia sit. Redigamus enim eadem rursum in memoriã, nempe quod in bal-
A neo frigida uideatur urina: itidemq; memoria repetamus, quòd cum in solium calidum descendere non ualeremus, aliud prius minus calidum ingressi, nullo negocio quod antea intolerandum uidebatur, postea pertulerimus. Quin & aqua fontium tempore hyberno quibus manus algent, tepida apparet, cum alijs minime uideatur eiusmodi. In summa enim (id quod antea quoque diximus) pro suo unumquodq; affectu corpora admota sentire consueuit. Sic ergo si manũ habens frigidam, eam in tritici aceruum immiseris, luculenter calorem percipies: sin calidam, nequaquam. At si stercori columbino accumulato, potissimum syluestrium columbarũ, manum inseras, etiamsi calidam, manifestam tamen senties caliditatẽ. Sic mi-
B sy, sory, chalcitis, ærugo, calx, aliaq; id genus innumera, si illis aceruatis manum altius inijcias, protinus uidebũtur esse calida. Cæterum si bolum ex eis unum acceperis, cuius extrinseca superficies ab ambiente extrinsecus aere sit refrigerata, merito nullum percipies calorem: quippe qui refrigeratas tantum eius partes contingas, idq; anteq̃ in minutas redactæ sint. Ad eundem modum hyeme sæpenumero tum putealis, tum magis fontalis, calida tangentibus est uisa: uerum si quis calfactis prius manibus contigerit, frigida uidebitur: memorari'que sanè possint alia id genus infinita, quibus facile adduci quiuis possit, ut credat medicamenta potestate ut ad nos calida, alteri animantium generi actu esse calida.

C *Quod recte quæ erodendo putrefaciendoq; interimunt medicamenta, genere, non qualitate deleteria sunt dicta: & quòd quanto in corpore morantur diutius, tanto & magis agere sunt nata.* Cap. 21

Atque hæc quidem obiter dicta sunto. Cæterum quæ nos contactu aut per putredinem, aut per erosionem interficiunt (nam de his habebatur oratio) ea rectè quidem ratione humanæ naturæ deleteria toto genere existimata sunt, non ut frigefacientia, duntaxat quantitate: hæc enim interdum uincuntur, & nutrimentũ animali redduntur: putrefacientia autem etiam si quantitate minima sumantur, omnino tamen corrumpunt, quia uidelicet quæ putredini obnoxia sunt, calore humiditateq; putrescere solent. Atqui calidus humidusq; sanguis est. Itaq; putrescere nunquam
D cessare possunt, simulq; uicissim putrefacere, quæ σηπεδονώδη à putrefactione uocantur medicamina. Proinde longo etiam post tempore à quo sumpta sunt, nonnulla interimunt, potissimum quæ crassa, terrenaq; essentia sunt. Hæc enim corporibus nostris inhærentia insidentiaq; dein temporis spatio putrescentia erodunt corrumpuntq; uicinas corporis partes.

Qua causa putrefacientia medicamina, licet genere letalia sint, non tamen perpetuo occidant. Cap. 22

At quæ tenuiora sunt, etiam excerni interim cum excrementis possint: fereq; accidit, ut duas ob causas istas quandoq; medicamẽta putredine erosioneue necãtia nõ interficiant: unã uidelicet, quam modo admodum dicere desij: nempe cum

una cum excrementis excernuntur priusquã iniuria corpus afficiant: A alteram, si cui accipienti bona faueat fortuna, uidelicet aut cibis, aut quę alioqui conferunt, utenti: aut medicum qui curando præsit, nacto. Nam ubi grauis ab ijs noxa illata est, malum neq; uictus ratione, neq; generosorũ medicaminum, medicíq; auxiliantis ope sisti potest. Quòd si prorsum exile sit deleterium, nihil repugnat quò minus illud quoque nihil perficiat, propterea quòd cum recrementis excerni possit, aut idonea uictus ratiõe superari: utputa si cantharidis sit cẽtesima drachmæ particula: nam id priusquam noxã animali inferat, una cum urinis excernatur. Sanè cãtharides urinã cientibus medicinis miscẽtur, sicut pleraq; alia letalia alexipharmacis, hoc est amuletis. Atq; id genus medicamenta cõposita si apte tẽperata fuerint, B omnino efficacissima sunt: quoniam admodum quod ex cantharide conficitur, urinæ mouendæ accommodum est. Feruntur enim alioqui spõte sua cantharides per urinam ad uesicam, atq; sic rodendo eam exulcerãt: uerum ubi paucum ex illis multis miscetur bonis atq; utilibus, illa quidem uelut manu ducũt, rodere tamen nequeũt. Opus est eñ ut quicquid agat, etiam si sit ualentissimum, aliquantã tamen & magnitudinem habeat: quando nimirũ & ignis ipse si prorsum minimus sit, præter quàm quòd non uret, ne calfaciet quidem: quippe cum & centesima scintillæ portiuncula sensu à nobis sit imperceptibilis. Ex quibus patet, quæcunq; frigiditate interimũt, C si paucula sumãtur, nutrire corpus posse, uelut lactucæ succum: at quæ putrefaciendo erodendoq;, ea nunq; nutrire, ne si præ paruitate quidem innoxie corpus permeent: genere nanq; talia humanæ aduersantur naturæ.

Quod in medicamentis, dissimilaris substantiæ reperiatur mistura: ac proinde ubi fine suo purgãtia frustrãtur, interim quidem extreme lædimur, interim nequaquã. quippe ubi deleteriã in se uim permistã obtinẽt, ad corrũpendũ cõuertuntur. Si uero uim nõ habeant deleteriã, concoquũtur, talemq; generãt succũ, qualẽ trahere nata erãt. Cap. 23

Quemadmodũ in saporibus ante monuimus, nullum propè eorum alienæ esse qualitatis expertem, uerũ siue in arboribus, siue in herbis, siue in fructibus mistos semper alterius generis esse saporibus: D ita in medicamẽtis intelligere oportet, multas diuersi generis mistas esse substantias; id quod inuenias, si consideres granum cnidium hoc à cnico differre, quòd plurimũ habeat caliditatis. Nam similitudinem utriusq; substantiæ tactu uisuq; cognoscere liceat: præterq; ea tertiũ est, quòd ambo pituitam detrahãt. Ostensum est siquidem nobis in cõmentarijs De naturalibus facultatibus, quòd qualitatũ quæ in substantijs sunt proprietatibus attractiones perficiantur. Attamen grano cnidio multũ permistum caloris est, qua re à cnico distat. Idcirco purgantiũ medicamentorũ, ubi fortè purgatione frustrãtur, quędam extra q̃ quòd noxam corpori nullam afferunt, etiã alimentum homini præbent: alia uero in corruptionem, ac tanquã in uenenũ uertuntur. prorsum enim medicamẽtum expurgans uel cum uno saltem humorum, qui in corpore sunt nostro, similitudinẽ obtinet, non autem perpetuo permista est uis uenenosa: quamobrem nec perpetuo licet nõ purget, iniuria afficiet, uerum concoctionem accipiet, talemq; producet humorem, qualem trahere natum erat.

Quamobrem, cum qualitatum proprietate attractiones perficiantur, purgantia medicamenta quidem perpetuò humores attrahant familiares, nec tamen unquam à familiaribus attrahantur: An quòd efficaciora sunt purgantia medicamina, sic ut attrahere potius quàm attrahi sint idonea? Cap. 24

Non autem me fugit, qui in naturalium facultatum commentarijs exercitatus ante non sit, hasce ratiocinationes non satis consequi posse. Demonstratum enim ibi est, plerasque perfici attractiones qualitatum familiaritate: proinde quanq; singillatim animantis particulam familiare sibi nutrimentum attrahere. Ad quam sententiam seu dogma sequiť medicamenta purgantia esse quidem detrahẽdis humoribus familiaria, uerum quæ attrahunt, quodammodo esse efficaciora ualentioraq;, sicut magnes lapis ferro: quippe qui ad ferri naturã accedat, inq; ferri metallis reperiatur, eiq; magnopere specie persimilis sit, uerum fortior est quodam modo, ut attrahere sit aptior, quàm attrahi. Quin nec cnicum quoq; à pituitæ natura alienum esse diffidendum est, uti colore suo præ se fert: sed tamen calore ipso quàm pituita ualentius est, ut trahere quàm trahi magis par sit. Ad eundem modum granum cnidium siquando forte à corpore nostro uincatur (id quod assidue cnico usuuenit, rarius autem grano cnidio, nimirum ob robur) uice purgationis alimentum efficitur: uelut ueratrum semper coturnicibus. Volo autem (quandoquidem in hunc sermonẽ descendimus) logici cuiuspiã meminisse theorematis, quod et in commẽtarijs De demõstratione monstrauimus, cæterum in rem præsentem haud inutilis. Est autem theorema eiusmodi. Demonstrationum alię, quòd ex necessitate hoc illi insit cõcludunt: Alię, quòd inesse possibile est. Harum ipsarũ quædam in id quod ex necessitate inest recidunt, quãdo uidelicet ex necessarijs consequuntur principijs, uelut in hoc ipso quod modo monstrauimus. Siquidem in grano & cnico pituitosum inesse succum euidenter monstrare non est: tamen posse esse, ac probabile uerisimileq; esse, ratione colligitur. Sed quia attractiones substantiarum fieri similitudine ostendimus (demonstratum enim subinde est, in purgationibus attractionem esse eorum quæ purgantibus medicamẽtis similia sunt, haud uero omnium simul succorũ alterationem) similitudinem inesse quandam utrisq; substãtijs, & eius uidelicet quod purgat, & eius quod purgatur, necesse est. Porrò cum quod purgať, pituita est: quod trahit, pituitosum sit oportet. Pituitosum aũt esse oportere quod trahit diximus, nõ autẽ planè pituitã. Etenim similitudinẽ inesse substantijs diximus, non identitatem. contrariũ enim cernimus. Nam neq; ferrum attrahit ferrũ, neq; caro carnem, sed lapis

fide-

sideritis ferrum, caro sanguinem. Differunt enim, mea quidem sententia, idem & simile. Quippe pituitæ pituita eadem est, & cnicũ cnico, similis autem pituitæ cnicus, non tamen idem. Neq; enim quæcunq; aut biliosa aut pituitosa dicimus, perinde tanq; bilem aut pituitam continerent sic nuncupamus. Huius enim opinionis absurditatem deteximus cum in Naturalium facultatum cõmentarijs, tum multis alibi locis.

Quod in purgantibus medicinis duplex insit similitudo, nempe quædam actu, & quædam potentia. Cap. 25

Quapropter prætereũda sunt omnia huiusmodi. Illud uero rursus repetẽdum est, quòd purgantium medicaminũ quædam iam etiam possident idoneam ad attractionem similitudinẽ: quædam non perfecte quidem eam obtinent, uerum in animantis corpore accipiunt, non secus atq; urentia medicamenta, quæ caustica Græci uocant. Itaq; duplex quoq; in his similitudo est, una actu, altera potentia, uelut & in alijs omnibus. Quin & permisti sunt similibus in unoquoq; succis, alij dissimiles, qui partim quidem medicaminosi sunt, partim nõ. Quare ubi purgationem haud assequunt, quædam purgantium malum corporibus nostris inferunt, quædam uero alimentum exhibent.

De superpurgationibus, quas ὑπερκαθάρσεις Græci uocant. Cap. 26

Porrò quoniam semel sermonem de purgantibus medicamentis attigimus, præstiterit fortassis non nihil quoq; dicere de nimijs purgationibus, quas ὑπερκαθάρσεις Græci uocãt, quasi superpurgationes dicas. Euenire igitur eæ solent, cum purgans medicamen usqueadeo inualuit, ut in uasorum ad uentrem pertinentiũ osculis mordicationem apertionemq; multam relinquat: assiduéq; irritans conuellensq; corpora, quæ in uasis sunt uires dissoluat atq; deijciat. Nam quod in uẽtre euenire conspicimus, ubi uires eius in extremam inciderunt infirmitatẽ, idem in uenis accidere putandum. Quid porrò est quod in uentre euenit? uomitus totius eius quod deglutijt, ubi uidelicet superiores eius partes debilitas occupauit: intestinorum uero leuitas, ubi inferiores. Ostensum est autẽ & de hisce latius in tractatu De uacuandorũ causis. Huiusmodi affectũ existere in uenis existimandũ est in superpurgationibus. Cum autẽ per initia modica etiamnũ sit & apertio, & imbecillitas, tum & quod tenuissimũ est, minimeq; naturæ familiare, excernit: sed ubi utraq; adaucta est, iam tum etiam crassa, & quæ naturę familiaribus sunt, euacuantur: quamobrẽ flaua bilis primo, pituita secundo loco, tertio loco atra bilis, post hæc postremus omnium in superpurgationibus effundi-

A tur sanguis, utpote qui naturæ succus sit familiarissimus. Ante hũc uero primus quidẽ qui tenuissimus, postremus qui crassissimus. Disseruit autẽ & Hippocrates in opusculo quod de natura humana inscribitur, de ordine qui in istis euacuãdis seruari solet, ac nunc quoq; ne quid huic sermoni desit, dicendum est. Etenim si quod pituitam ducat medicamentũ exhibeas, prima quidem in superpurgationibus flaua, mox atra, tertio loco sanguis eijcitur. At si quod flauam bilem detrahat, pituita consequetur, tertia atra, quartus demũ reddetur sanguis. Quin & si atram bilem purgare sit natum, eam quidem primã euacuabit: post quã flauam, deinde pituitam: omniumq; postremus sequetur sanguis, tanq; ex inanimis iam uasculis B effluens, ut quæ summa iam debilitas occupet, quæq; ad extremam osculorum apertionem peruenerint. Ex quibus manifestum est, postremũ in superpurgatiõibus uacuari humorẽ, qui idem & familiarissimus est: aliorum autem ununquenq; prout aut crassus est, aut tenuis.

Qua causa in superpurgationibus humores minime purganti medicamento familiares itidem euacuentur: nempe propter uasorum infirmitatem, propter osculorum laxitatem, propter purgantis mordacitatem. Cap. 27

Cæterum causæ quamobrem omnino et qui alieni sunt à purgante medicamento succi, unà excernantur, in hisce tribus consistunt, uasculorũ scilicet imbecillitate, osculorum laxitate, & purgantis mordicatione. Cum enim uascula nõ amplius C in sese continere succos possunt, & oscula eorum reclusa fuerint, nec irritare medicamentum desinat, possitq; non amplius familiarem trahere succum, necesse omnino est reliquos quoq; quo diximus ordine excerni. Satis enim erat unica mordicatio, quæ organa ad excretionẽ excitare posset: quanto ergo magis id fiet, ubi et apertio, & imbecillitas uasorum coierit? fit autem ut supra diximus, apertio ob medicamenti potentiã: ob quam uidelicet mordicatio item prouenit. Vasorum autem imbecillitas, tum ob ingentem defatigationem (quam scilicet dum à purgante medicamento mordicarentur, ac ueluti emulgerentur, acquisierãt) tum ob intemperantiam, quæ in superpur- D gationibus occupat. Quencunq; enim humorum penitus euacuaueris, intemperantia consequatur necesse est. Itaq; quòd à purgante & alieni quoq; uacuentur succi, eas habeto causas: porrò quòd supradicto ordine, uacuandorum humorũ tum tenuitas, tum crassitudo in causa est, & adhæc pro ut magis & minus animantium constitutioni succus quilibet familiaris est.

ARGVMENTA LIBRI QVARTI

Prooemiũ: in quo deinceps dicẽda proponit. Cap. 1. Quomodo frigidum corporibus nostris mordax appareat, & qua differat ab ijs quæ caliditate mordicãt, nempe quòd continuum diuellat: Cuius rei causa est quòd & tenues humores compressu exprimantur, & uacua spatia relinquãtur, & mollis substantia in arctiorem locum contrahatur. At calidum, quia substantiæ cõtinuitatem erodat. 2. Quæ uocemus tenuium partium, & quæ crassarũ. 3. Quomodo exerceri oporteat in agnoscẽda cuiusq; saporum facultate. 4. Quòd pharmacorum emplastica uocata, cum media sint in caliditate ac frigiditate, terrestria quoq; esse, ac sine mordicatione siccare oporteat. 5. Quòd duplex est emplasticorum medicaminum natura. Nam partim terrena sunt, atq; exa-

exacte ſicca: partim planè uiſcoſa ac lēta, ſed miſta aqua terraq́;, atq; ut plurimum etiâm aere: Communiter uero omnia mordicatione uacant. 6. Quòd aſtringentia medicamenta acidaq́;, licet utraq; qualitate ſint frigida: inde tamen diuerſa ſunt, ꝙ aſtringentia terrena ſint craſſæq́; eſſentiæ: acida uero tenuis. 7. Quòd per acerbi ſaporis exolutionem naſcatur & auſterus ſapor, & acidus, ac dulcis, ac pinguis. Soluitur autem acerbus ſapor, cum frigidus ſit ac terrenus, aut excalfactione, aut humectatiōe, aut ſimul utraq;. 8. Quòd amara ab immodico naſcantur calore, & immodice ſint calida: Dulcia uero omnia ſint calida miti caliditate, quæq́; non ſupra modum noſtram exuperet caliditatem. 9. Quod pinguia, atq; adeo quæcūq; nutriunt, ex dulciū ſint genere. 10. Quod amara dulciaq́; partim adſcititio calore fiant, partim proprio & ingenito. 11. Quod & acidi ſucci ex frigore proueniāt. 12. Vnde arbitrati ſunt quidā à calore acidum prouenire ſaporē? Ex eo quod uina nequaq; fortia, uere æſtateq́; mutentur: 13. Qua de cauſa ab externo calore uinum natura frigidum infirmumq́; corrumpatur. Quia ſcilicet res quælibet in propria natura proprio ſeruatur calore: corrumpitur uero ab extrinſeca immoderatione atque extinguitur. 14. Quod in ſaporib. aciditas prouenit, calore ipſos A quidem incipiente concoquere: non autem perfectam mutationem atq; alterationem afferre potēte. 15. Qua de cauſa quæ igni admouentur, alia ſuauiora, alia inſuauiora efficiantur. Et qua de cauſa edulia quædā, cum per ſeſe edi non poſsint, ſuauitatem tamen ijs præbeāt, quæ per ipſa præparantur. 16. Qua de cauſa mel à caliditate ualidiorem amaritudinem contrahit: lac uero frequenter etiam dulcius efficitur, quum tamen utraq; guſtui ſint dulcia? An quia mel cum ſummè ſit dulce, nec quicquam addi poſsit ad dulcedinem, in cōſequentem recidit qualitatem: lac uero minus dulce cum ſit, quod reliquum eſt à calore accipit? 17. Quod ſapores acres omnium ſunt calidiſsimi. 18. Qua differunt amarus acriſq́; ſapor? Quod amarus præterq; quod calidus ſit, etiam eſt ſiccus: at acris, utiq; qui non exactus eſt, uberem quandam humiditatē obtinet. 19. Quod ſapor amarus inſit corporibus temperamento ſiccis: & ſi planè amarus ſit, eſculentus non ſit. 20. Quod ſa- B por ſalſus calidus ſit atq; terreſtris, eaq́; ratiōe quadantenus ſapori amaro ſimilis. 21. Quod odorata omnia calida. 22. Quod neq; ex odore, neq; ex calore certo quid definiri de medicaminum temperie poſsit.

GALENI DE SIMPICIVM MEDICAMENTORVM FACVLTATIBVS,

Liber Quartus.

PROOEMIVM.

QVO pacto igitur dicat̄ frigidū, calidum, humidū, ſiccumq́; facultate medicamentū: tum qua ratione id explorare oporteat, ſupra definitum eſt. Porrò quoniam nonnulla emollientia dicuntur, relaxantia, rarefaciētia, condenſantia, emplaſtica, ac digerentia, multaq́; his ſimilia alia, præſtiterit & de his diſſerere: una uero cum iſtis, aut etiam ante ea, de ſaporū omniū & eſſentia, & facultate, de qua & in fine primi horum cōmentariorum uerba fecimus, quando ſcilicet Platonis ex Timæo dictionem adſcripſimus. Verum ibi quidem gratia paſsionū ſenſibilium, quas lingua in quoq; eorū perpeti eſt nata: at hîc de eſſentia & facultate ſermo habebitur: quandoquidem & aliæ animātis partes ſimiliter ut lingua perpetiūtur, ſed paſsionū ſenſum nō exacte percipiunt. At lingua præterq; quod perpetiatur, ſenſus etiam perfectionem poſsidens, earum omniū naturas dignoſcere poteſt. Nec enim hoc dicendum eſt, calidum, frigidum, humidū, ſiccumq́; linguam calfacere, frigefacere, ſiccare, aut humectare poſſe, aliarum uero quamuis non poſſe, imò uti hanc, ita & alias oēs ſingula afficiunt & alterāt, tantum diuerſitate in ipſis exiſtente pro minoris maiorisq́; ratiōe: haudquaq; in ipſo, ut ſic dicam, affici, aut non affici. Quippe quòd lingua non ſecus atq; alia quæuis animantis partium, calidum, frigidum, ſiccum, humidumq́; dignoſcere corpus ualeat, cuiuis clarum eſt: amaritatem uero, dulcedinem, ſalſitatem, aciditatem, auſteritatem, acerbitatem, acrimoniā hæc ſola diſcernere creditur: tametſi paſsionum ſimilitudinē inuenire eſt cum in alijs partibus omnibus tum in ulceratis. Nam cutis duritas denſitas'que excludit, reſiſtit, prohibetq́; quò minus foris incidentium facultates intrò in carnem ipſam penetrent.

C *Quonam modo frigidum corporibus noſtris mordax appareat, & qua differat ab ijs quæ caliditate mordicant: nempè quòd continuum diuellat: cuius rei cauſa eſt, quòd tenues humores compreſſu exprimantur, & uacua ſpatia relinquantur, & mollis ſubſtantia in arctiorem locum contrahatur: at calidum, quia ſubſtantiæ continuitatem erodat. Cap. 1*

Sic enim & illud ab Hippocrate dictū eſt: Vlceribus frigidum mordax, tāetſi cuti priuſquam ulceraretur, mordax nequaquā eſſet. Eſt uero & oculis, & naribus, & ori externis partibus animalis, frigidum mordax, nec minus internis, uētri, & inteſtinis, ut difficile ſit nonnunquam diſcernere, an à frigore quis, an ab humorū mordicetur acrimonia. Eueniunt autem hæc nō abs re. Siquidem D cum frigidum quæcunq; contingit, eorum & contrahat ſubſtantiam & condenſet cōſtringatq́;, primum tenues tum excernant̄ humiditates neceſſe eſt, ſicut ex oculis lachryma, ex naribus muccus: poſtea uero etiā mordax appareat, licet alia ratione quàm in calido. Nec em̄ erodendo quod continuum eſt, ſed diuellendo, moleſtum ac mordax eſt frigidum. Quare nec duris corporibus tale apparet. Nam dum mollia contrahuntur cōprimunturq́;, humidum exprimi cōtingit, ſimulq́; partes diuelli: humidum quidem, ſicut in ſpongia à manibus noſtris contracta compreſſaq́;: diuelli autem, ſicut in ijs quæ diſtrahuntur diuelluntur q́;, ſiue à

noſtris

nostris manibus, siue aliũde. Tale quid rara mollia
A que corpora à frigido perpetiantur necesse est, raritate frigus prompte intrò recipiente, multoque etiam promptius partibus in ea mollibus, quæ in profundo sunt, à frigore concrescentibus. Frigidum itaque spiramẽta cuncta in raris corporibus subiẽs, qualia sunt uulnerata omnia, oculique, & nares, ac os, uenterque, omnes refrigerandorum corporum partes circumquaque amplectitur, & quodammodo multis circumquaque ansis eas contrahens atque cõdensans, à cõtinuis auellit. Quæ dum patiũtur, multa fieri spatia inania necesse est: non tantum quia tenues exprimantur humiditates: uerumetiam quia substãtia mollis in arctum contrahatur. Atqui spatiũ inane in sibi continuis corporibus, seruata etiamnũ continuitate, fieri non potest. Ergo si fieri id constet, clarum est illam deperdi, ac corpus continuum distrahi, ex quo molesta mordaxque sensus exoritur affectio. Tametsi non
B eadẽ utrisque qualitas est, tum ijs quæ frigore mordicãt, tum ijs quæ calore: sed in illis protinus & cõtractionis condensationisque sensus percipitur, in his dissolutionis & fusionis. Quin nec par est utriusque affectus celeritas, uerum in refrigerãtibus quodammodo tardior & cunctantior est mordacitas, at in excalfacientibus celerrime penetrat. Quando igitur abunde definitum est tum ipsa rerum natura, tum etiã qui in nobis fit sensu: clareque expositũ est, quo pacto calidum, quoque frigidum mordax appareat, colligere quenque apud sese nũc oportet uel antequã à nobis id audiat, mordicantium medicaminum alia calida facultate, alia frigida, necessario esse: à nobis autem distinctiones eorum exacte addiscere licebit, ubi prius commone
C fecerimus, poculum & balneum cum temperata sunt, calida à nobis dici nonnunquam appellationis abusu: quandoquidem eucrata siue temperata dici debebant, ac symmetra potius quàm calida. Ergo quę sic calida sunt, grata amicaque sunt: funditur enim quod in corporibus nostris constiterat, atque concretũ fuerat: quo maxime affectu uoluptas animãtibus cõstat. At si moram etiam trahant, sensim quoque & ipsa molesta euadunt. Ad tantam enim fusionis immoderationẽ sic recidunt, ut substantiam nostram etiam digerant, dissoluant, atque dispergant. Verũ nec sic quidẽ mordicatione infe
D stant, sed animi afferunt deliquiũ, uiresque deijciũt, ut mors quoque tandem sequatur. At quæ his magis sunt calida, secant, distrahunt diuiduntque substantiam: quare necessario mordacia uidentur, uelut aqua feruẽs, ac ipse ignis. Eundem in modum frigida quæ contrahunt, nondum tamen contacti corporis continuitatem diuellunt, frigida duntaxat sunt, haud etiã mordacia. At quæ supra quàm quòd cõtrahunt, etiam cõuellunt, ea utique omnia uiolenta condensatione utũtur, quocirca & mordacia apparent. Igitur subiectam materiam cõtrahere & condensare, frigidi semper proprium est: fundere autẽ atque liquare, calidi: utriusque uero immoderatius aucti, cõmunis est mordicatio. Etenim quæ summe frigida calidaque fuerint, præter omẽs alias, quas modo memorabam, raras mollesque partes, cutem etiam nostram inuadunt. Memini me quandoque per niuem iter fecisse tam altam & copiosam, ut nulla terræ pars nuda conspiceret: Aer exactissime purus erat, spirabatque à niue quidam uentus adeo frigidus, ut non oculos modo & nares, & totam adeo faciem mordicaret, uerumetiã si quis forte manum protulisset, similiter illam afficeret. At quæ à summa frigiditate, aut caliditate absunt, cutẽ non mordicant. Frigida quidem, quoniam continuitatem eius ob duritiẽ distrahere nequeant, nec in profundum subire præ superficiei densitate ualeant. Calida autẽ, tum quòd nõ erodant, sed duntaxat fundant, tum quòd interdum meatus prompte penetrent. Plurimũ autem ad id genus passiones facit essentiæ medicamentorum uel tenuitas, uel crassitudo. Siquidem frigida quæ tenuium partium sunt, cum magis in profundum transeant, uehementius etiã proinde mordicant. Calida uero quæ crassarum sunt partiũ, quoniam plus ulcerant, uiolentius idcirco etiam affligunt. Tenuiorum itaque partium aer est, crassiorum terra, medium eorũ tenet aqua. Sed aer accensus fit flamma, terra autem pruna: At aqua uehemẽtem sanè caliditatẽ accipit, sed nec flamma, nec pruna propter innatam humiditatẽ efficitur. Siquidem flamma & pruna, ignis sunt genera: Ignis autem omnis calidus est & siccus: At aqua sicca ut sit, fieri nequit, proindeque ipsius ignis exacte qualitatẽ sicut aer & terra nõ accipit. Nullum est itaque æque calidum pharmacũ, ut aut flamma, aut pruna, aut feruẽs aqua, imò ut sit uel calidissimũ, omnino tamen plurimum ab illis uincitur. Procedit autem ad ustionem usque medicamentorum caliditas, ubi uidelicet in crassa cõsistit essentia. Quæ uero subtilium partium sunt calida, nonnunquam omnino non mordicant, sed calfaciũt duntaxat. Est autem ubi & mordicent, non tamen urant.

Quæ uocemus tenuium partium & quæ crassarũ. Cap. 2

Sed quid tenuium partium, quid'ue crassarum esse intelligamus, cõmemorare oportet. Nempe quæ celeriter in tenuia soluũtur, tenuium appellantur partium. At quæ id perpeti nequeũt, crassarum. Quòd ergo ea soluantur, calor qui est in animantis corpore, cui unũquodque applicari cõtingit, in causa est. Quod autem in tenues crassas'ue partes comminuantur, id à sua ipsorum natura obtinent. Quocirca refrigerantiũ medicaminum ea quæ crassarum sunt partiũ, mordicare nequeunt, utpote quæ extimam cutis superficiem penetrare non ualeant. At quæ tenuiũ sunt partiũ, & perfacile penetrare possunt, & in profundum subeuntia molles animãtis partes mordicãt. Mordicant etiã magis quæ cum tenuiũ sint partium, insuper inæquabilem obtinent temperiem. Sed supra demonstratum est, inæquabilia esse propemodũ omnia. Quippe aut impossibile est, aut perdifficile, ullam inuenire substantiam quæ adamussim similarium sit partiũ. Vinum nãque diximus unũ quidem habere in se recrementũ crassarũ partiũ: unde dum tẽporis spatio secernitur,ferturque deorsum, fæx consistit

sistit: aliud uero secundũ quod florem nuncupãt, quod dum uinum feruet supernatat, sed postea ad fæces subsidit: tertiũ, aqueum, quod toti uino permistum est, hoc primario potissimũq; feruet: quartum præter hæc est ipsum reuera uinum. Ostẽsum uero etiam est, quòd tum in oleo, tũ in lacte, tum in alijs omnibus succis eadem sit recrementorum natura, multoq; magis in totis plãtis, metallicisq; omnibus. Quæ memoria tenentes nunc tempestiuum est de medicamentis omnibus considerare. Ac primum omnium cauẽdum est, ne nobis quoque quod plerisq; omnibus qui talia scrutantur, accidat. Nam quasi omnia similarium forent partium, ita disserunt, nec concedunt neq; uinũ, neq; oleum, neq; reliquorum ullum ex diuersis facultate partibus consistere: immo multo magis mirantur, si de aceto audeamus dicere, ipsum ingenitã uini caliditatem perdidisse, cęterum ex putredine aliam adeptum: cuius sanè sententiæ est tum Aristoteles tum Theophrastus. Nam uinosæ uini partes, dum ipsum in acetum transit, refrigerantur: at aqueum recrementum putrescens adsciticiam caliditatem obtinet, uelut cætera omnia quę putrescunt: fitq; acetum quiddam ex contrariæ facultatis partibus compositum, partim refrigerantibus, partim calidis, sicuti ustorum lignorum omnes cineres. Etenim in illis aliquid uelut fomes quidam igneus per exiguas partes dispersum est, quod & ualde calidum est: reliquum omne tum terreum est, tum frigidum. Idcirco cum cinis aqua maceratur, ac per rariuscula quædam corpora modice colatur, fit ut calidæ acresq; partes unà ferantur: reliquum quod est, frigidum est, nempe quod igneas suas particulas in aquam deposuerit. Vocant eam aquam homines græce κονίαν, latine lixiuiũ: idq; proportione quadam aquæ marinæ, et muriæ dispositionis, generationis & facultatis ergô respondet: illa enim ex aqua saleq; constant: at aqua quæ cinerem abluit, tum ex ipsa, tum ex partibus quas secum rapuit, composita, hoc pacto effecit nominatam κονίαν, id est, lixiuium: quod nisi antea scias ex aqua ac fuliginosis cineris partibus effectum, forsitan simplex et incompositum esse corpus existimes. Eiusmodi quiddam in aceto nobis euenit. Nam cum nequeamus sensu cernere ipsius generationem, rationi diffidimus. Cæterum si nihil aliud, saltem considerantes omphacis cum eo differentiam, æquum esse credere sciemus, quòd non acidus modo, sed & acris quidã alius ei permistus sit sapor: quamobrem perfecte omphacis succus refrigerat, hinc est q summe ardoribus prosit, siue ori uentris impositum, siue totis hypochondrijs, siue cuilibet alij quod refrigerare libeat. Secus uero habet acetum: nec enim ad unguem unum est, neq; tãtum acidum, sed & acris alius quidam ei sapor permistus est. Itaq; quod tantum est acidum, quicquid id fuerit, planè frigidum est, siue pirum, siue malum, siue acinus uuæ, siue rubi, siue ipsius mori, siue rhoeas fructus, hoc est mala punica, siue quiuis alius tum fructus, tum succus, tum planta, ut oxylapathum, & oxalis, quam eandem oxida

A quoq; nominant. Quippe si gustãti uehemẽs atq; manifesta illi inesse aciditas appareat, nec quicquã præ se ferat acrimoniæ, omnino hunc succum refrigerantẽ reperies: quin cõfidenter utitor, siue ad ardores uti consilium est, hypochondrijs imposito, siue ad erysipelas, siue ad alium affectum calidum. Similiter quoq; frigidos affectus ab eo omnes palam lędi cõperies. Porrò ubi mista tibi qualitas appareat cum acrimonia, cõijciendum est caliditatem quoq; inesse, Sin iũcta sit adstrictio, aliud est frigiditatis genus: nã acida frigiditas tenuium est partium, at adstringens crassarum.

Quomodo exerceri oporteat in agnoscenda cuiusq; saporis facultate. Cap. 3

Sed horum paulo post probationes afferemus
B in medium. At quod prius consilium dari oportet ijs qui talia absq; sophistica arrogantia, immo unius ueritatis gratia scrutantur, id nũc tempestiuum est expromere: nempe quòd non sola ratione exerceri per eas methodos logicas, ad quas nũquam hortari desino, quasq; in demonstrationũ cõmentarijs tradidi, sed etiam gustandi exercere sensum in saporibus oporteat, principioq; in ijs exquirendis solicitos esse, quæ unã quampiam habeat qualitatem manifestissimam: ut si acrimoniam cogitatione cõplecti clare uelis, id in allio, cæpis, & quæ ipsis similia sunt, efficies assidue gustando, plurimumq; dentibus mandendo, tũ in longo usu passionis existentis sensum memoriæ diligenter mãdando atq; infigendo: Sin adstrictionem, in galla,
C rho, & similibus: Si uero amaritatem, nitri fellisq; gustu: Si autem dulcedinem, gustu siræi & mellis. Ad hæc siue ἄποιον, hoc est quod qualitatis sit expers, siue qualitate quod ad sensum attineat, medium uoles comprehendere, aquam gustare iubeo, ac diligẽter memoriæ commendare, eamq; potissimũ quæ nullam dictarum præferat qualitatum, neq; dulcedinem, neq; amaritatem, neq; acrimoniam, neq; aciditatem: præter hæc quæ neq; supra modum sit aut calida, aut frigida. Nam hinc exorsus promptius & ad aliorũ obscurorum omnium saporum agnitionẽ peruenies, & ad eorum quos ego quidem dulces, alij uero aqueos appellitant: qualis utiq; est calamorum uiridium, & graminis (agrostem Græci uocãt) ad hęc tritici, hordei, zeę,
D aliorumq; multorũ quæ Theophrastus recenset, inquires an plures sint ponendæ dulciũ saporum species, an uero in maioris tantum ac minoris inter se differre ratione existimandi sint. Sed de his alibi definiam.

Quod pharmacorum emplastica uocata, cum media sint in caliditate ac frigiditate, terrestria quoq; esse, ac sine mordicatione siccare oporteat. Cap. 4

Porrò si qualem præbet sensum aqua planè omnis qualitatis uacua, talem in re sicca inuenias, ea nimirum extra omnem est insignem tum caliditatem, tum frigiditatem, mediam quoad fieri queat constitutionem obtinens, aut certe paulum ad frigidius declinãs. At si talis cum sit in caloris frigorisq; differentia, insuper cõsistentiam nacta sit siccam: terrestris sit, ac citra morsum desiccet, ne-

cesse est. Appellitant eius generis medicamenta omnia medici emplastica: uelut pleraque quę exacte lota sunt, Amylũ, Pompholyx, Cerussa, lapis hæmatites, Cadmeia, terra Cretensis, Cimolia, Chondrus siue alica, Samius aster, & fullonum terra, ex emplasticis sunt pharmacis. Sunt uero ex eis non nulla non terrena solum, sed aquea natura. Quin etiam quædam non parum in se aeris continent, omnia quidem glutinosa, ac proinde emplastica.

Quod duplex est emplasticorum medicaminum natura. Nam partim terrena sunt atque exacte sicca: partim planè uiscosa ac lenta, sed mista aqua terraque, atque ut plurimum etiam aere: communiter uero omnia mordicatione uacant. Cap. 5

Duplex siquidem est emplasticorum medicaminum natura, altera exacte terrea & sicca, altera uiscosa quidẽ omnino, sed ex aqua & terra, & plerunque etiã aere mista, sicut oleum dulce. Positũ autem retro est, quid dulce uocitẽ. Ergo hoc ex aerosa, terrea, aqueaque essentia temperatum est. At oui albumen ex iisdem quodammodo, sed magis tamen terrenũ oleo est. Quin & quod lactis est caseosum, emplasticum quoque est, & suillus adeps. Nam tauri sanè & hirci pinguitudo acrimoniã & multã, & igneã possidet: bouis item ouisque adeps acris est. Nam taliũ animantiũ pingue ob crassitiẽ adeps appellatur. Sunt enim nõ calidiores tantũ, sed & magis terrenę suibus. Porrò anseris & gallinacei calidior est pinguedo & siccior quàm suũ: quin & subtiliorũ partiũ, & minimum terrestris, sicut & auium omniũ: quandoquidem & corporis ipsarum substantia non parum habet aeris. Sed de his alibi tractabitur. Quæcunque ergo pinguedines nondũ ullam nactæ sunt acrimoniam, emplasticam & illinẽdi poros facultatẽ obtinent, eamque tanto efficaciorẽ, quanto sicciores, magisque terrenæ fuerint. Huiusmodi est cera elota: deponit siquidem & ipsa quam habebat à melle acrimoniã. Satis uero constat, hæc à me non dicta esse de cera quæ natura sua amara est, qualis est pontica. Ex absinthio nanque ea amaritudinem obtinet: ac si uel sexcenties eam laueris, prorsum tamen omnem amaritatem haud elueris. Fugienda uero etiam illa cera est, quæ ex acri & thymoso melle conficitur, cum planè ab omni mordacitate alienum præparare uoles medicamentũ. Quocirca ad lauandum idonea est, quæ ex melle facta est tum aquosiore, tum minime mordaci.

Quod adstringentia medicamenta acidaque, licet utraque qualitate sint frigida, inde tamẽ diuersa sunt, quòd adstringẽtia terrena sint crassæque essentiæ, acida uero tenuis. Cap. 6

Atque emplastica quidem medicamẽta eiusmodi sunt: sed ad acida adstringentiaque reuertor. Adstringẽtia certe terrena sunt & crassa corporis cõsistẽtia, qualitate uero frigida. Acida aũt tenuitate pollent corporis, sed perinde ut adstringentia refrigerant. Vtique gemina probatio est, nẽpe ex sensu, quæ ab inductiõe est: & ex ratiõe, quæ ex substantia eorũ colligitur. Prior aũt probatio ea dicetur, quæ uulgo quidẽ est apertior, cæterũ ad scientificam demonstrationẽ minus habet uirium. Arborum fructus quotquot nobis ubi maturuerint

A dulces apparẽt, nuper enati, acerbi sicci que sunt cõsistentia, pro sui nimirũ parẽtis quisque natura (ceu quodam ait loco Theophrastus) oliuæ, uuæ, mala punica, mora, palmulæ, pira: at progressu tẽporis humidiores redduntur, acquiruntque ad acerbitatem aciditatẽ, quam sensim exuentes postea dum maturescunt ac perficiũtur, dulces euadunt. Sunt qui nõ in arboribus, sed postea cum decerpti conditique aliquandiu fuerint, dulcedinẽ accipiunt. Alii sunt qui non interueniẽte aciditate, sed palàm ab acerbitate in dulcedinẽ transeunt, sicut oliuæ. Quin quòd calido maturescunt coquũturque omnes, clarum est: tum quod idipsum duplex sit: alterum propriũ, & cuique ingenitũ: alterũ externum, à sole uidelicet, sed tamen naturæ ipsorum conueniens ac familiare: siquidem meminimus quæ nobis

B perpetuo proposita sunt elemẽta, & ipsum utique clare cognorimus. Porrò si cum initio acerbi essent, tempore maturescẽtes dulcescũt, sequitur ex calore ipsis prouenire dulcedinẽ, acerbitatẽ uero aciditatemque constitisse ex frigore. Quoniã autem principio lignosi cum sint (ut & Theophrastus dixit) sicci quoque sunt: simulque acerbi, uerũ affluentis postea humoris copia acidos efficiat: palàm est saporẽ acerbum magis esse terrenum, acidum autem magis humidum. Itaque & Plato recte definiit dicens. Quæcunque partes eiusmodi in succis deferuntur terrestres, eæ liquefactæ contrahũt atque exiccant humidas linguæ sensibiles partes: ac si exasperant, acerbæ: sin minus id faciant, austeræ

C apparent. Recte autẽ & nos præter hæc dicemus, frigidum esse tẽperie saporẽ eiusmodi. Nam si terrenus fuisset duntaxat, emplasticus, non acerbus foret. Iamque oratio quodãmodo ad essentiã ipsam transgressa saporum, demonstrationem attingit scientificam. Quippe si ab acerbo sapore manifeste linguã contrahi, siccari, asperarique cõtingit, ostẽsumque superiorib. libris est, ab unico frigido cõtrahi, cõstringi densarique corpora: liquet planè frigidum esse saporem acerbum. Quoniã porrò inæquabiliter desiccat (id est eñ quod exasperat) fuerit sanè omnino etiam terrenus. Siquidem aqueus omnia æquabiliter penetrat atque peruadit, eique inseparabile est ac perpetuum, etiamsi diuulsus sit, ut rursum uniatur: at terreno corpori quod in saporibus defertur, iam antea inest diuulsio, simulque

D ut nunquam deinceps facile coeat. Quin si eius recorderis quod utriusque singulatim passionis est proprium, iisdem idem ipsum subscribet ac testificabitur. Velox siquidem acidorũ saporũ trãsitus in sentientibus partibus fieri conspicitur, acerborum aũt tardus. Tum acida quidem in alto magis agere apparẽt, in superficie autẽ acerba. Hæc itaque omnia crassarũ esse partium acerba indicant, acida uero tenuium. Multũ inter se hæc conueniunt, tum ea quæ à rerũ dicta sunt essentia, tum ea quæ per inductionem eorum quæ sensu sunt inuenta. Porrò nihilo deterius fuerit, mentionẽ rursum de nominũ usu facientes, hæc quoque adiicere, nempe quòd utraque adstringere dicantur, tum quæ acerba sunt, tum quæ austera, sed in maioris minorisque

ratio

ratione inter se differat. Tum quod multæ insunt medicamētis qualitates, nō diuersæ tantū, sed & pugnātes, atq; interim etiā subcōtrariæ. Id quod retro satis ostensum est: cæterū ab eo nunc rursus ordiri necesse est. Nam si gustanti tibi idem acerbum & mordax appareat, id missum facias medicamentū iubeo: atq; illud queras, quod absq; mordacitate adstringat. Ac si neq; acidū appareat, neque dulce, neq; amarū, sed ꝗ fieri maxime possit unam possideat qualitatē à mistiōe alienā, nēpe adstrictionem, ita deniq; experiētia examinabis: quomodo sæpenumero faciendū ante proposui. Sin astringit simul ac mordicat, aut aliā quamuis qualitatē seu facultatē adstrictiōi iunctā habeat, frustra est ac superuacaneū, ubi adstrictiōis actionem explorare consiliū est, ad experimentū tale ducere pharmacū. Incertū est enim, num ob adstrictionē, an ob aliam quampiā admistarū illi qualitatum, an ob utrasq;, sic in corpore illi applicato egerit. Etenim chalcitis, misy, chalcāthos, sori, æris squama, cum simul adstringant & mordicent, secundum utrasq; qualitates in quouis admotorū corporum actionem exerunt: nec tamen docere nos aperte queunt, an ab adstrictione urendi uim habeant, an ab acrimonia. Mittere itaq; illa præstiterit, & multa deinceps alia gustare, syncerā seorsum adstrictionē intuentem, ac quoad fieri possit per sese existentem: ac ubi tādem talem quāpiam repereris, ita deniq; medicamentū iudicare ijs methodis quas supra à me frequenter audiuisti: utpote si gustāti tibi balaustium, aut galla, aut citinus, aut hypocystis, aut solanū, aut glaucium, aut acacia, aut succus rhu, aut id genus aliud exacte quidem esse appareat acerbum, nec ullam manifestā habens aliam qualitatem: in hoc iam expēdere ac diligenter explorare adstrictionis actionē oportet. Porrò exploratio ipsa fieri (ut sæpe diximus) debet tum in optima corporum constitutione ad unguem sanorum, tum in simplicibus affectibus, seu calidis, seu frigidis, seu humidis, seu siccis. Nā si corpus sanum manifesto refrigerare cernatur, & calidis prosit affectibus, & euidentem quoque laboranti ipsi frigidam afferat qualitatem: audendum erit de adstrictione, quòd refrigeret, pronunciare. Sin cōtra appareat, sanaq; ab eo corpora incalescant, & calidi affectus exasperētur, frigidiq; iuuentur: non refrigerare, sed excalfacere medicamentū eiusmodi putandum est. Eodem modo de acribus sumendum experimētum, in cæpis, allio, pipere, pyrethro, zinzibere, struthio, helenio, calce. Etenim quemadmodum qui solani succum piperi miscuit, neutrū satis explorare potest: sic nec quæ à natura sunt mista. Eundem in modum contemplādum de acida qualitate, de amara, de dulci censeo, uehementes nimirum, & quæ quantum licet solæ sint in exploratione legēdo, & experientia uires eorū scrutando. Quippe quiduis te, quod modo sit aut acerbum, aut austerum, aut amarū, in experimentum ducere, tanꝗ in eo acerbitatis, austeritatis uel amaritatis facturū periculum, planè absurdū arbitror. Nam si unam duntaxat quali-

A tatem possideat, idem erit medicamenti ipsius & qualitatis experimentum: sin multas, ex omnibus nimirum mistam medicaminū actionem edet: ex quo unius adhuc eius quæ in iudiciū ueniebat actio obscura & incerta permanet. Itaq; si, ut propositū est, iudicare oporteat, nō rectè senserūt qui nihil prorsum pronunciari posse de saporū facultatibus existimarunt, quiq; aliter iudicium ineundum censent. Siquidē & de ipsis aliquid asseri potest, nec iudiciū aliter ꝗ nunc est propositum iniri cōuenit. Sanè si id modo dixissent, planè opus non esse saporum consideratione, cum uires medicamentorum expendimus (nam absq; his medicaminū uires experientia inuenire licet) laude illos potius, ꝗ uituperatione dignos putarē. Verū
B ubi tanꝗ de re necessaria quidem illa sed incōprehensibili disserunt, bis reprehendendos iudico, tum quòd rem non necessariā habeant pro necessaria, tum ꝙ consequi eā se posse desperant. Nam facultatis medicamenti cuiusuis iudicium, abūde citra saporū dignotionem sola reperitur experientia, eum in modū habita quem sexcenties iam antea posui. Atq; ego sanè nunc, non quasi aliter inueniri quod inuestigatᷓ non posset, ad sermonē de saporibus descēdi, sed partim propter eam quę ad principia est sequelā, ut uidelicet ostenderē, omnia ad elementorum rationes cōsequi, nec quicꝗ usquā inueniri pugnans: partim uero etiā ut illos coarguerem, qui adstringētia omnia excalfacere contendunt. Quinimmo fuerit etiam nonnullus
C eius ad præsens negociū usus: sed hæc postea mōstrare conabor. At nunc ad rem propositā reuertor, moneoq; & hortor qui ueritatis sunt amatores, ut ipsimet adstringentia omnia degustent, uti nos fecimus: ac ubi inuenerint aliquo in corpore perfectam adstrictionē, quoad liceat ab aliarum qualitatū mistione alienam, tum deniq; experientia expendere tentēt frigidum sit an calidū, humidum an siccū corpus eiusmodi. Sed hoc quisquis capiet, seorsum ipse faciet. Ego uero ut aliquid de mea afferā pronunciemq; experiētia fortassis necessarium fuerit, atq; in hoc quidem libro in genere, membratim autem in commentarijs sequentibus. Fuerit aūt generalis de omnibus sermo eiusmodi. Corpus omne adstringēs, ab alijs, quod sen-
D su animaduerti posset, qualitatibus syncerum, perpetuo comperi experiendo frigidum: quinetiam nōnulla ex ijs quæ qualitatibus mista erant, nempe quæ modice dulcia, aut amara, aut acria, aperte quoq; refrigerātia reperi, scilicet cum in eis adstringendi refrigerādiq; facultas ita uincerent, ut alias obscurarent. Eadem ratione acida uniuersa, tum ea quæ simpliciter acida essent, sicut oxalida, & oxylapathum: tum mistis quoq; alijs qualitatibus quædam siue dulcibus, siue acribus, siue amaris, nihilo secius refrigerantia expertus sum, qualia sunt mala punica, mala, pruna, uuę, mora, ficus, cerasia, ipsumq; adeo acetū: sed huic, ut supra positum est, permista est quædam acrimonia: fructibus autem ijs quos ὀπώρας Græci uocant, dulcedines quædam & acerbitates: quibusdā uero etiam ama-

amaritates quædam obscuræ ac leues. Tum item A quæ adstringunt pariter, atq; acida sunt, ea omnia quoq; manifesto refrigerare experiẽtia cognoui. Sola uero dulcia omĩa pro dulcedinis modo protinus etiã calorẽ continent. Quocirca eorum quæ admodum dulcia sunt, nullum omnino est frigidum. Fuerint tamen quædam modice dulcia, itidem frigida, scilicet quando plurima corporis ipsius substantia aquea extiterit, sed nõ adeo tamen frigida, ut id quod ualde acerbũ est, aut acidum, sed sicut alicubi retro diximus de illis quæ tepidũ calorẽ possident. Porrò amara omnia calida sunt, ut bilis, nitrũ, uina ualde uetusta, ac numerosa seminum copia. Nam & semen rutæ, potissimũ syluestris, & tordyli & spondyli, melanthijq; & lupini, magisq; agrestes, orobi, & inter hos potius a- B grestes, quiq; à securi pelecinus nuncupatus est, reperitur autẽ in tritico, amygdalæ quædam, quæ ob id ipsum amaræ uocitantur, & cucumerũ quædam semina, & semen mali medici; & ad hæc infinita alia amara apparent gustantibus.

Quod per acerbi saporis exolutionẽ nascatur & austerus sapor, & acidus, & dulcis, ac pinguis. Soluitur autem acerbus sapor, cum frigidus sit & terrenus, aut excalfactione, aut humectatione, aut simul utraq;. Cap. 7

Sed infra copiosius de amaris agemus. Nunc rursum resumpto de astringentibus atq; acidis sermone, conuenientẽ ei finẽ imponamus. Ergo austerum ꝙ sit acerbũ exolutũ, sensum ad memoriã reuocare oportet. At quæ sit eius generatio, nunc dicã. Quãdoquidẽ corpus acerbũ terreũ est ac frigidum, tripliciter necessario exoluitur: aut incalescens, aut humescẽs, aut utrũq; simul perpetiens. C Itaq; si calescat duntaxat: id nec humidius est nec mollius, sed durũ manẽs, solam acquiret dulcedinẽ, uelut robusteæ glandes, ac potissimũ quæ uocantur castaneæ. Sin tantũ humescat, si quidẽ ea crassarũ sit partiũ & aquea humiditas, austerũ euadet: cuiusq; enim saporis uires aquea retũdit ac hebetat humiditas: Si uero aerea, acescet: ostensum nanq; est, frigidũ subtile acidã efficere qualitatẽ. At si pariter & humescat & calefiat, humiditate quidẽ aquea in dulcedinẽ, aerea uero transibit in pinguedinẽ. Perspicuũ ergo hinc iam euasit, quo pacto fructus principio acerbi cum sint, processu tẽporis quidam plane dulcescãt, quidã acescant, D nõnulli fiant austeri, aliqui etiã acerbi permaneãt, tum quidam etiam pingues reddantur. Et sanè secũdum propositarũ qualitatum misturas uariam sortiuntur mutationem. Acerbus ad extremũ perseuerat fructus ilicis, arbuti, fagi, corni: siquidem frigidus siccusq;, qualis erat ab initio, permanet, tantũmodo mole increscens, nulla præterea magna accedente alteratione. Nam & arbores ipsæ tum densissimæ sunt, tum siccissimæ, ac frigidissimæ. Acerbus simul & dulcis myrti fructus est, & piri agrestis, ac roboris. Magis tamẽ dulcis ꝙ acerbus fructus castaneæ quem nominãt. Tantũ acerbus uitis amineæ tum fructus, tum uinũ, ac quotquot his similia sunt. Austerus unaq; dulcis fructus palmæ, et inter uina surrentinũ, sabinũ, albates, ut uocant, & quæ eius sunt generis. Solummodo dulce theræũ, & scybeliticũ, & syreum, & alia quæcunq; cum istis conueniunt. Pinguis exacte tum fructus, tum succus oleæ, tum etiã alij omnes ex quibus oleũ cõficitur, sicut rhicini, raphanidis, & ipsa sesama, nucesq;, & amygdala. Nam id genus omnia uetustate prorsum efficiũtur pinguia, quippe in quibus aquea quidem excrementitiaq; humiditas digeritur, propria uero à calore natiuo elaboratur atq; exacte concoquitur.

Quod amara ab immodico nascantur calore, & immodice sint calida: dulcia uero omnia sint calida miti caliditate, quæq; non supra modum nostram exuperet caliditatem. Cap. 8

Quicũq; ergo fructus oleosi sunt solummodo, edendo ij sunt & dulces: quibus uero alterascentibus amaror aduenit, ij edi nõ possunt. Quippe amarũ omne edi nequit: taleq; efficitur à caloris excessu, sicuti postea docebimus. Verum dulce omne calidum est, nec immodice calorem nostrũ exuperat: imò sicut aqua calida, cuius cõtactus uoluptati est, maxime ubi frixerimus, hactenus uidelicet nos excalfaciens, dum concretas frigore in nobis particulas fundat, nõ tamen soluat aut secet distrahat'ue continuũ, ea, inquam, ut summa afficit uoluptate; ac utilissima est: sic omne eduliũ dulce, calidũ sanè omnino est, sed non tantum calore excedit, ut is lædat, ac molestus sit, sed inter limites se cõtinet fundentis, leuigãtis, ac mollientis. Rursum mihi hic memoria repete quæ sæpe ante posui, quædã esse quæ una, quædã quæ duabus in sese qualitatib. & agunt & patiuntur, quędã uero etiam totis substantijs suis: quorũ in numero & medicamenta nõ pauca posui, & nutrimenta uniuersa. Horũ duplex esse genus apparet, prout significauit & Theophrastus. Nam quędã sunt pinguia, uelut pinguedo: quędã dulcia magis minus'ue, uelut fructus omẽs quibus uescimur, & carnes, tum herbæ item multæ, ac radices, floresq;, & germina. Nam tametsi sunt inter ea quędã acerba, sicut pira syluestria & corna, omnino tamen dulcedine participant, nisi summe sint acerba, uelut galla, rhus: uerum ob hæc iam pro medicamentis ijs magis ꝙ pro cibis utimur. Apparent enim quæ citta laborant mulieres, quiq; impleti sunt, & quibus exolutus est stomachus, ea appetere degustare: alioqui si esuriant, contrà respuere potius tum acerba, tum acida: expetunt autẽ ac sumunt quæ dulcia sunt & pinguia, hisq; expleri desiderant.

Quod pinguia, atq; adeo quæcunq; nutriunt, ex dulcium sunt genere. Cap. 9

Sanè uero fortassis & pingue ipsum dulce est, & quicquid nutrit, ex genere est dulcium. Euenit autem ad illis nõ abs re, sed secũdum ipsam quantum fieri potest nutrimenti substantiã: quippe nutritio est euacuati repletio. Atqui quod euacuatũ est, familiare erat: quamobrem & quod nutrit, familiare sit necesse est. Porrò si familiare & iucundum amicumq; fuerit, protinus etiã ut ad id quod nutritur, modice calidum. Sed in hoc nõ parua est maioris minorisq; ratio: quando nimirum nec ad

cibos accedimus planè secundum naturã affecti. Solum enim corpus eorum qui cibum desiderãt, inanitum sit oportet, si exacti futuri sint familiaris ipsorũ qualitatis cognitores. Nam si præter id calidiores q̃ conueniat aut frigidiores euaserint, seu toto corpore, seu pertinẽtibus ad linguam ac uentrem locis, non solum quæ nutriant, uerumetiam quæ refrigerent aut excalfaciãt, postulabũt. Proinde sanè cibi quoq; illis aliàs alij uidentur iucũdiores. Nam cum duplex sit genere iucundum: alterũ quod impleat id quod euacuatum est, cuiusmodi est nutrimẽtum: alterũ quod medeatur ei quod alteratũ est, id quod iam medicamentũ est: euenit utiq; cibis, ubi nõ modo uacuatis exhibentur corporibus, sed etiã qualitate aliqua mutatis, ut duobus nominibus delectent, ut cibi scilicet, & ut medicinæ. Sed ut medicamenta quidem, refrigerando quædam, & excalfaciendo, & exsiccãdo, & humectando ex ratione iuuabunt & proderunt: Vt nutrimẽta uero, sola ea quæ cognata sunt, & familiaria totis nutriendorum substantijs. Protinus uero istis adest, ut cõueniẽter scilicet sint, ad ea quæ nutriuntur, calida. Quamobrem nec eduliorum, nec medicamentorum una est animãtibus omnibus species. Siquidem pro sua unaquæq; familiari substãtia simul & affectiõe tum delectantur, tum iuuantur ab utrisq;. Sed si hæc sic habent, id quod in cibis minus erit dulce, minus quoq; erit calidũ: quod dulcius, tanto nimirum erit calidius, quanto uidelicet dulcius. Sin ad immodicũ recidat calorem, nec eiusmodi dulce erit, sed iam amarũ apparebit, uelut mel uetustũ atq; decoctũ, itidemq; aliorum dulcium unumquodq;.

Quod amara dulciaq; partim adscititio calore fiant, partim proprio & ingenito. Cap. 10

Etenim ut à moderato calore bifariã cuiq; corpori dulcedo prouenit: partim enim sunt proprio & insito calore dulcia, partim uero adscititio: ad eundem modũ amara. Alia eñ sunt quę suapte natura excalfaciunt per eas quæ tẽporis spatio eueniunt mutationes: alijs autẽ id accidit ab acquisititio calore accensis. At de amaris post dicetur. Cæterum dulcia calore proximè accedunt ad ea quibus apparẽt dulcia: fiunt autem talia (ut ante dictum est) bifariã. Quędam proprio calore, ut mel: quædam adscititio, ut sunt oĩa quæ ab igne præparantur, ac proinde dum calida sunt, suauiora ijs quibus nutritione est opus, apparẽt. Porrò mustũ non suo modo, sed & acquisititio calore dulce esse uidetur. Multũ etiam ceu ardoris (Gręci ἐμπύρευμα uocãt) ut Aristoteles & Theophrastus censuere, ex solari calore tũ acinis, tum alijs inest fructibus: à quo id quod illis aqueum, ac uelut etiamnum semicoctum reliquum est, ad cõcoctionem ducitur conficiturq;: ac transmutanti simile redditur. Nam ex quibuscunq; pomis si succum exprimas, eum protinus nõ secus atq; mustum feruere deprehẽdes: tanto tamẽ feruoris discrimine, quãta erit unius fructus ab alio in calore diuersitas. Sed ubi iam quod aquosum ac semicoctum erat, transmutatũ fuerit, atq; cõfectum, & is qui feruo-

A rem concitabat calor euanuerit, iam tum deniq; quę propriæ sunt succorum proprietates, syncerae cõspiciuntur. Itaq; tunc quæ propria uinorũ natura sit agnoscimus. Qua in re animũ diligenter aduerte, ut austera sensim austeritatẽ deponãt. Semper enim quæ inueterantur, acredinem quandam & dulcedinem adsciscunt: quæ uero prius inerat illis adstrictio, eam tempore abijciunt. Est autem in quibusdam, postq; efferbuerint, dulcedo quædam syncera suauis & propria ipsius succi naturę: non qualis ante erat, mista scilicet ex proprio atq; eo qui circa semicoctum aquosumq; excrementum erat feruore. Igitur si confessum est, uina omnia uetustate fieri calidiora, austera uero primum quidem tempore dulcedinem quandam atque a-
B crimoniam deposita adstrictione acquirere, ac deinde increscente acrimonia sensim dulcedinẽ deponere, ac subinde rursum maiore tempore acria admodum euadere, assidueq; amarescere, ac denique ubi crassescere incipiunt, penitus fieri amara: sanè constat dulce austero esse calidius, ac dulci amarum. Atqui si uerum est, dulcedinem à moderatione prouenire caloris, patet adstrictionem à frigido uincente perfici.

Quod & acidi succi ex frigore proueniant. Cap. 11

Porrò quod aciditas frigoris ui eueniat, & antea ostendimus. Veruntamen, quãdoquidem in præsenti disputatione de naturali uinorũ quę temporis spatio fiat alteratione docuimus, nonnihil quoque & de non naturali dicamus. Itaq; ut uinũ
C acerbum, tempore dulcius primum, mox acrius amariusq; efficitur, deniq; planè etiam amarum redditur: ad eũdem modum quod uelut rigorem perpessum est, acidius protinus reddit', ac si prorsum refrigeretur, penitus acescit. Itemq; quod in fructuum collectione, uindemiaq; per assiduam pluuiã aliena humiditate impletũ fuerit, quodq; alio quouis modo humiditatem accepit, leui occasione ea omnia prompte acescunt: contra euenit ijs quæ igni admouentur. Nam & protinus statim, & temporis progressu postea semper dulciora euadunt. Quòd si multo etiam tempore durauerint, & ipsa nihilominus quàm cætera amarescunt, uideturq; id sibi quodammodo secundum naturalem consentaneum esse rationem. Nam si
D omphax acida est, uua uero dulcis, ac fructibus omnibus maturatio à solari prouenit calore, planũ est, imperfectius & frigidius esse quod acidũ, perfectius uero & calidius quod dulce fuerit. Cum ergo uinũ perfrictione rursum acescat, manifestum est, in eum illud humorem cõuerti, ex quo prouenerat. Diuersis tamen hactenus uiribus omphacis acetiq; succus cõstant. quod aceto accedat ex putrido calore acrimonia quædam. Proinde Aristoteles rectè dixit acetũ proprio quidem uini calore esse frigidum, adscititio calidum. At omphacis succus calorẽ non habet, ac proinde neq; acrimoniam. Accedit uero & in substantiæ tenuitate diuersitas. Siquidem omphacis succo acetum tenuius est: cui rei & sensus adstipulatur. Excellit enim quę ab aceto infligitur frigiditas, eam quæ ab

omphacis succo, uehementia & mistione: imbecillior em̃ est quæ ab omphace fit refrigeratio: cũ etiam alienæ in se caliditatis ne minimum quidẽ contineat. At quæ ab aceto proficiscitur, tanto est ualidior, quanto & tenuior: inest uero illi & acrimonia quædam excalfaciens: quæ tamẽ satis non sit ad superandam ab aciditate prouenientem frigiditatem; uerũ quæ transitus modo celeritatem promoueat. Nam quãto calidum frigido facilius penetrat, tanto acris succus aptior est, qui sensibilium corporum meatus transeat, quàm acidus. Itaque ille uelut precedens uiã sternit: hic uero haud ita tarde insequitur: quo tẽpore sensus perficitur mistus, & qui ægre exponi queat, utpote qui nec plane frigidum esse acetum denunciet: quippe cum in eo ignea quædam percipiatur acrimonia: B nec plane calidum. Nam perpetuo quæ ex præcedente fit acrimonia calfactionem frigus ab insequente aciditate occupãs, obscurat, protinusq́ extinguit: quo fit ut maior multo ex frigore percipiatur sensus, quàm ex calore. Porrò si plurimo melli aceti paulum admisceas, statim & calorem & frigus manifeste percipies. Nam si paulum mellis aceto permisceas, magis frigidum quod fuerit mistum, quàm calidũ uidebitur. Sin multo melli pauxillum misceas aceti, plus calfacere quàm refrigerare conspicietur: & si pari mole utraq; miscueris, acetum tamen etiam uiribus superare comperies. Quòd si, ut est dictum, plus sit multo mellis quàm aceti, æqualia rursum frigus ac calorem in ea mistura conspicies. Multis enim numeris acetũ plus C ab ijs quæ moderate sunt calida, ad frigiditatem recessit, quàm mel ad caliditatem. Proinde & supra demonstrauimus, fieri nõ posse ut uehemens coeat cum dulcedine caliditas: uetusq́ illud uerbum pulchre dictum est: Vera inter sese omnia cõsentanea esse, ac conuenire. Etenim ad hypochondria ardentia præstantior est succus omphacis q̃ aceti, quòd nec uiolentam, ac ferietem habeat frigiditatem, nec eam mordaci admistam caliditati. Debent enim qui sic laborant, sine uiolentia mitigari, ut est dictum, nec foris ullam adsciscere mordacem aut caliditatem, aut acrimoniam. Atq; hæc quidem iam curandi attingunt methodum, quæ multis in locis huic tractationi cõmunis est. Quare ijs denuo relictis ad propositum reuertamur. Itaque omphacis succus non acidus modo est, sed D & acerbus. Nam, ut supra propositum est, omnes prope arborum fructus ortus sui principio, testimonio etiã Theophrasti, gustantibus acerbi sunt: dein ubi humore implentur accedit quidem aciditas, decedit uero acerbitas: haud tamen et quod accedit, & quod amittitur, par est in fructibus omnibus, neq; si speciem, neq; si genus respicias. Etenim inter omphacas aliæ plus acerbitatis, aliæ aciditatis plus obtinent. Sunt & quæ pari portione ambas sortitæ sint: omnes tamen ad refrigerãdos ardores non abs re conueniunt: quippe cum non solum quod acidum est frigidum sit, sed & quod acerbum, uelut & ante à nobis dictum est. Recedit sane & hic rursum oratio ad curandi methodum: quare & rursum ad propositum illam reuocemus. Porrò propositũ, ut reor, ab initio fuerat, de saporibus omnibus differere: ac nunc quidem fere de omnibus uerba fecimus: interim tamẽ oratio is affinitate & alia attingere coacti. Nec em̃ de acerbo modo, & austero, & acido iã diximus, sed & persępe de dulci, & amaro, et acri: reliqua tamẽ quò tota oratio perfecta euadat, adijcienda etiam sunt. atq; in adstringentibus haud ita multum etiã reliquũ est, quod non ex iam dictis clarũ euadat.

Vnde arbitrati sunt quidam à calore acidum prouenire saporem? Ex eo quod uina nequaquam fortia, uere æstateq́; mutentur. Cap. 12

At in acidis deesse fortassis etiamnum uideatur, quod eximios quosdam medicos fefellit. Nã eo quod uina inualida, uere atque æstate alterentur atq; acescant, hyeme uero suas seruent qualitates, hinc adeo quibusdã à calore aciditatẽ nasci uisum est. Quorum auget opinionem & quod uehementius motũ est, & quod longius aduectum. Talia enim omnia cũ infirma fuerint, celerrime acescunt. Quinetiam quidã qui de re rustica scripsere dolia in ædibus ad Aquilonem expositis defodiẽda censent: tanquã frigus scilicet qualitatẽ eorum seruet, mutet autem caliditas. Sane uero et id sæpe numero ipsa experientia comprobatum constat. Acescunt enim uina quædã prompte, ubi in meridianis & soli expositis locis reposita fuerint. Videorq́; dictorum hinc iam orsus solutionem. Etenim quòd non omnia caliditate acescant, sed quæ initio tantum frigidiora sunt, nec id ueteri alicui accidat, id nobis ad ueritatem uiam inueniet.

Qua de causa ab externo calore uinum natura frigidum infirmumq́; corrumpitur? Quia scilicet res quælibet in propria natura proprio seruatur calore, corrũpitur uero ab extrinseca immoderatione, atq; extinguitur. Cap. 13

Quippe causam sermo scrutabiť, propter quã uinum natura frigidum atq; inualidum ab extrinseco arguatur calore. Quanquam per uerbum, arguatur, iam dictum, omnes prius dictæ ambiguitates dissoluantur: persimile enim quid uicinis accidit quæ natura frigidiora aquosioraq́ sunt, quale flãmis exiguis & imbecillis: quippe si eas ad solem feruidum exponas, aut prorsus obscurari aut deniq; etiam extingui conspicies. Sic quoq; si ardentẽ lucernam aut iuxta flammam uehemẽtem magnamq́ deponas, aut ad solem feruidum exponas, marcescere utiq; ac dissipari protinus uidebis. Quinetiã si ualidum uentũ facias infirmæ par uæq; flammæ, citius eam extinxeris q̃ inauxeris. Natura enim infirma, ualidum neq; motum, neq; calorem sustinet, uerum ab ijs dissipatur potius q̃ augetur & crescit. Quanquam ex industria multis in locis uina & commouent & transportant, sicuti sane & in solem efferunt, atq; excalfaciunt, ut etiam quædã insuauia fiant, fumi contrahentia qualitatem. Apud nos sane in Asia in tecta ædium æstate om̃e prope in lagenas transfusum imponũt, postea in edita cubicula, sub quibus inferne multa flamma luceat, transportant. In summa autẽ ad meridiem solemq́; cellas obuertunt, in quibus & citius ea maturescant, & potui idonea euadant.

Nam

Nam quod multo tempore alijs, hoc ijs quæ ſic ex calfacta ſunt, breuiſsimo aduenit. Porrò nihil mirum eſt, qui de colendis agris memoriæ prodiderunt, ob eam quam de ſua regione habebãt experientiam, audacius atq; inconſiderantius de uinis omĩbus definiuiſſe. At Theophraſtus atq; Ariſtoteles experientiam etiam ulteriorem nacti, & in perſcrutandis naturæ rationibus exercitatiores, ac diligẽtius omnia diſtinguentes, cum multa huiuſmodi, tum uero de uino nos docuerunt ꝙ ſimile illis atq; corporibus noſtris accidat. An non eñ & ipſa quoq; prout aut robuſta ſunt, aut infirma ab iiſdem tum iuuari, tum lædi conſpicimus? Etenim ut exercitia ualida, & ſol, calida atq; robuſta corpora etiam ualidiora efficiunt: proſternunt autem & digerunt refrigerantq; quæ non ſunt eiuſcemodi: ſic uina natura calida motus uelut uentilans, ſol excalfaciens, flammæq; iuxta ardentes, celerius concoquũt. Quæ uero frigidiora ſunt & dilutiora, eorum arguunt omnia id genus inbecillitatem, celeriusq; perpeti cogũt, quæ alioqui poſt paſſura eſſent: quippe cum ita comparatum ſit, ut res quælibet in propria ſeruetur natura calore proprio, corrũpatur autem ab immoderatione extrinſeca, nempe caloris humidi aut frigoris abundandantia. Atq; quod ab utroq; efficitur, unũ eſt, non tamen unus generationis modus: quare nõ æque ab idiotis omnibus facilis cognitu eſt hæc corruptionis ratio. Etenim ubi quid rerum calidarum à frigore deuictũ eſt, ne uulgo quidem ignotũ eſt. At ubi circumſiſtente foris calore ualidiore digeſtum ac diſsipatum eſt, eos ſanè qui circa naturam exercitati non ſunt latet, ignorantes caliditatem mediocrem omnibus eſſe utilem, immoderatã uero non minus frigiditate noxiam.

Quòd in ſaporibus aciditas prouenit, calore ipſos quidem incipiente concoquere, non autem perfectam mutationem atq; alterationem afferre potente. Cap. 14

Cæterum in genere hoc noſſe pulchrum eſt, ꝙ aciditas in ſaporibus naſci potiſsimũ uidet̃, dum à calido quidem mutatur, ut tamen nõ ſuperet: id quod ex acidis ructibus uel maxime cõijcias. Nã hi haud quaquam, ubi nulla prorſum facta in uentre eſt ciborum alteratio, prouenire ſolent: quemadmodum nec ubi optime cõcocti, ſed tantũ ubi ſemicocti, ut ita dixerim, fuerint. Voco aũt ſemicoctos, qui à uentriculi calore alteratiõe perpeſsi, non etiã perfecte ab eo ſuperati fuerint. Sic lac, ptiſanæ ſuccus, & quęcunq; eius ſunt generis, tempore æſtiuo citius aceſcunt ꝗ hyeme, poſtulantq; ędes frigidas, ut in ijs repoſita pluſculo tẽpore perdurent. Ex quibus omnibus patet, ꝙ à calore mutante quidẽ, non tamẽ prorſum uincente, aciditatis generetur qualitas: atq; ob id pleriſq; ineſt fructibus prius ꝗ maturuerint. Idq; etiã ijs quæ ab initio de ſaporibus acidis diximus, conſentaneũ uidet̃. Etenim ſi ſimile quid illis uſuuenit quod Borealibus conſtitutionibus accidit, ut tenuis ſcilicet eſſentiæ ſint, ſimulq; frigidi: naſci eos haud ſine calore ſatis conſtat, ſicut nec illum ipſum aerẽ. Proinde quoque quæ ſumme nos refrigerant ac

A interimunt, ueluti cicuta, papaueris ſuccus, hyoſcyamus, mandragora, minime omniũ acida ſunt: quippe licet frigidi ſint ſapores acidi oẽs, haud tamen eouſq; refrigerant, ut interficiãt: non enim ſubtilis forent eſſentiæ, ſi extreme eſſent frigidi. Itaq; nõ modo iam ꝙ frigidus ſit ſapor acidus, ſed & quatenus, iam apparuit. Explorãda porrò eius natura eſt in oxylapatho & oxalide, quã etiã oxida nuncupant: eſt aũt hæc holus ſylueſtre: in iſtis enim maxime mihi ſyncerus eſt uiſus ac ſimplex, nullius particeps acerbitatis, ut ſolent arborũ fructus: perſpicuo enim hi cum acerbitate quadã admiſtam habent aciditatem, ſicut cum acrimonia acetum. Itaq; quod proprie in ſaporibus appellatur acidum à ſola lingua percipi poteſt, ſicut &
B acre: cæterũ quod utriq; cõmune eſt, nempe mordacitas, etiã à tactu ſentitur: utraq; uero lingua agnoſcere nata eſt: nam quæ cõmunia ſunt, ſicut & reliqua corpora ſenſilia: quæ uero propria, tanꝗ guſtus organum percipit: idq; mihi uidetur illi eximium ac peculiare eſſe iuxta totarũ ſubſtantiarũ tum proprietatẽ, tum, ut ita dicam, alienitatẽ. Dictum autem demonſtratũq; ſæpe numero eſt, nec ſecius aliàs quoq; repetam, quid ſit ſecundum totas ſubſtantias agere, aut pati: imò uero & hactenus eius nũc meminero, quod in rem præſentem ſatis ſit, hinc ſumpto initio. Ex quatuor elemẽtis, particulatim corporibus omnibus conſtant generationes impares miſtura, ac diuerſæ. Siquidem quædam ignis aliorúmue elementorum in ſe plus
C continent, quædam aquæ: ſicut alia, ſi fors ita tulit, terræ, nonnulla aeris. Ex eiuſmodi itaque imparitate proprietates corporũ particularium ſunt perfectæ: ex elementis quidem, plantarum: ex his autem, animalium, ſicut in libris De elementis, demonſtratum eſt. Porrò tranſeunt quædam quidem protinus in ſeſe mutuo, nõnulla uero mediantibus alijs: uelut terra in triticũ, hordeũ, et alia id genus: rurſum horum unumquodq; in carnem humanam: cum tamen ipſa terra caro ut fiat ſit impoſsibile, eam uidelicet quæ in medio eſt mutationem tranſiliendo. Attamen eorũ quæ in ſeſe mutuo tranſeũt, quædã promptã celeremq;, quædam diuturnã alteratiõe obtinẽt: at quæ ſimilitudinibus propinqua ſunt, celerem: quę uero remotiora
D tardiorem. Oportebat itaq; meo quidẽ iudicio, in naſci animantibus organũ, quod naturæ ſimilitudines ac diſsimilitudines diſcernendi poteſtate polleret: quod agnoſcens rerũ naturas, familiaria quidem eligeret, aliena uero refugeret. Eiuſmodi ergo lingua eſt, quæ exuberanti ſenſu non calida modo frigidaq;, humida atq; ſicca, ſed etiam quæ familiaria, quæq; non familiaria, ſunt agnoſcit: in hanc enim duntaxat particulam cõplures inſeruntur nerui: cum aliæ oẽs aut unius tantũ, aut duorum ſint participes, nec ita magnorum tamen. Porrò cum quædam naturæ noſtræ magis ſint familiaria, quædã minus: hac partim in hac coniugatione, partim in illa: neceſſario plures guſtus, qualitates extiterunt. Cæterũ omnium quæ nutriunt, communis dulcedo eſt, Nam quicquid nutrit, aut

plus, aut minus est dulce. His uero quæ non nutriunt, cōmune est id quod per negationem aut priuationem sic dicitur, uelut non dulce, & indulce. Particulares autem differentiæ cōplures merito euaserunt: quia id quod cuiq; rerum familiare est unum est: nēpe quia & natura eius familiaris una, aliena uero, plurima: partim plus, partim minus à substantia eius dissidentia. Quæ ita summe acida sunt, acerba, aut amara, aut simpliciter aliam quāuis qualitatem præter dulcem sortita sunt, ea omnia nutrire nequeūt: sicut quæ solum dulcia sunt, omnia nutriunt: inter ea autē quę mista sunt, quot quot dulcia simul & acerba sunt, & crassioris sunt essentiæ, & temperaturę frigidæ: uelut paulo ante ostēdimus. Quotquot uero acida simul & dulcia, tenuiora quidem sunt, quàm acerba: sed & ipsa tamen refrigerāt. Quinetiam amara quidem calida sunt, sed acria his etiam calidiora. Nutriunt ergo hæc omnia, si iunctam habeāt dulcedinem. Cæterum per se dictorum nullum, ut nutriat, satis est. Porrò duplici ratione mista esse assolent, nempe ut dissimilaria sint, & diuersas habeant qualitates in diuersis partibus: aut simplicia & similaria, sed quæ in mutua eorum quæ multum dissident, alteratione consistant: neq; enim mel ex templo fit amarum, sed aut multa coctione aut uetustate amaritudinem induit: nec id tamē illi nisi pedetentim accidit: neq; quotquot ex fructib. dulces ex amaris euadunt, sicut quidam cucumeres & melopepones, & ipsi repēte semelq; ab initio qualitatem abijciunt. Nam ijs quæ à natura mutantur, sensim fiunt mutationes: potissimum ubi in multum dissidentes, aut planè contrarias qualitates alteratio siue transitus perficitur. Sicut ergo quod est summe dulce, aptum esui est: quod uero solum ac syncere amarum, esui ineptum: sic quæ in medio sunt eorum, nutriunt quidem etiam, uerum minus ꝙ dulce. Eadem ratio est in alijs qualitatibus. Nam nutrire præter dulcem nullæ omnino possunt. At elementa multo sanè etiam minus nutriunt, nullamq; gustui qualitatē offerunt: proinde & terra, & aqua (sunt enim ambo gustui insipida) minime nutrire idonea sunt, sicut nec aer, nec ignis. Itaq; pro horum interim admistiōe, dulcium sæpe qualitas exoluitur, aquea ferè essentia in pumilium (ἐπίγεια Græci uocant) fructibus superante (nam triticum, hordeum, fabæ, cicer, & quæ eius sunt generis, cum propter humiditatem principio qualitatum prope expertia sint, temporis successu maturata ac siccata dulciora euadunt) terrestri uero & sicca in paleis, fœno, gramine, & harūdinibus siccis & lignis: quorū tamen quędā priusquā aruerint, dulcia nobis sunt, nutrimentumq; interdum corpori exhibēt, uelut palmæ cerebrū (sic eñ nominant summā eius particulā) & gramen, & molles maluarū radices, maxime quę in Aegypto prouenīūt: ad hæc plerarūq; arborū germina. Siquidē quod nutrit, à similitudine quæ est illi ad id quod nutritur, dulce apparet: à dissimilitudine uero nō dulce. Porrò multæ cū sint dissimilitudines, multas proinde necesse est qualitates esse non dulces:

A quas uerbis quidem efferri est impossibile: attamen memoriam earum mouere suggererec; quodammodo licet, cum omnes homines certissime norint, alium fieri in lingua sensum atque affectum ab acerbis, alium ab acidis, & alium à salsis, aliumq; ab amaris.

Qua de causa quæ igni admouentur, alia suauiora, alia insuauiora efficiantur. Et qua de causa edulia quædam cum per sese edi non possint, suauitatem tamen ijs præbeant quæ per ipsa præparantur. Cap. 15

Itaq; quemadmodum edulia quęcunq; nutriendorum naturæ simillima sunt, ea et dulcedinē summam præ se ferunt, nec ullā præparationē postulant, sic quæ tēperaturā nacta sunt remotiorem, alia condimentis, alia coctione, alia utroq; indigēt.
B Nec uero mirum est, cum condimentorū nullum edendo sit, suauitatē tamē ijs augere quæ per ipsa præparantur: quippe cum fieri possit, ut immoderatis duobus coeūtibus, id quod ex ambobus mistum sit, cōmoderatū euadat, ac proinde quoque dulce appareat: cum immoderata minime sint talia: postea uero quàm & per elixationē & per assationem, & omnino per calidum quiddam præparatio fiat ciborum, nihil etiam absurdū est aut ambiguum, quæ prius non erant suauia, tunc fieri suauissima. Apparet enim calidi natura quib. admota fuerit, ea celeriter alterare, atq; in aliam speciem mutare. Quocirca nec id quoq; dubium est, quæ-
C dam suauiora, quædam uero insuauiora effici igni applicata: tum quædam tempore minimo, quædā plurimo coqui debere. Etenim quæ nutriēdorum corporum temperaturis simillima sunt, ea uel citra coctionem aut præparationem iam dulcia apparent. Quæ uero dissimilia sunt, omnia insuauia sunt antequā præparentur. Porrò quę nimisquam calida sunt, frigido corrigi debent: quæ uero multum frigida, calidorum mistura ciborum, & igni. ad eundem modum humiditate, quæ terrea sunt & sicca: siccitate, quæ plus ꝙ cōueniat aquea sunt & humida. Siccitates ergo, humidorum admistio: humiditates uero, siccorum mistura ignisq; emendant. Maximā rei dictæ fidem affert quæ in ore fit mutatio. Nam qui plusculum sustinuerunt ieiunium, ijs saliua salsa redditur: qui uero plurimū, non
D salsa modo, sed & amara. Sic etiam corpus uniuersum, biliosum habitum contrahit, ac si perinde ut lingua sensu polleret, salsedinem quoq; quæ in ipso est, atq; amaritudinē perfacile, reor, perciperet, ad hæc etiam ipsam dulcedinem quæ naturali inest sanguini. At nunc ubi uase quopiam aut rupto aut aperto affatim calidus sanguis in linguā effunditur, dulcissimns apparet: utiq; si secundum naturam habuerit. Nā morbidus, amarus aut salsus est, aliāue eius generis qualitatē præ se fert. At qui in toto est corpore, nos fugit, nō aliter ꝙ aut bilis, aut pituita. Quanquam & bilis quidem flaua uel minima quapiam parte linguam cōtingēs, perpetuo amara appareat: atra uero acida. Porrò ubi pituita linguam attingit, partim quidem dulcis, partim acida, partim salsa sępe est manifesto uisa, cum & ipsa in toto animali incognita sit.

Qua de causa mel à caliditate ualidiorem amaritudinē contrahit, lac uero frequenter etiā dulcius efficitur cum tamen utraq; gustui sint dulcia? An quia mel cum summe sit dulce, nec quicquam addi possit ad dulcedinem, in consequentem recidit qualitatē: lac uero minus dulce cum sit, quod reliquum est à calore accipit? Cap. 16

Nihil mirum igitur neque cur rerum omnium dulcissimum mel, succum generet amarissimum, neq; cur id maxime ætate florentibus, & calidis natura, & febrientibus, accidat. Nam ut foris, cum plusculum igni admouetur, amarum efficitur: ad eundem modum & in animantium corporibus, ubi syncerum ualidumq; nactum calorem fuerit, biliosum succum procreat. At in temperaturis frigidioribus, siue propter ætatem, siue propter naturam corporis, siue etiam ob morbum facile in bonum & moderatum sanguinem conuertitur: quippe cum neque nimium in ijs corporibus aut excalfiat, aut alteretur, uerum ei quod modice cōctum fuerit, simile quiddam perpetiatur, planè illis adsimilatur, prorsumq; seruat dulcedinem. Et quid obsecro miri, si à ualentiore animantis calore, & longiore coctiōe ueterem mel dulcedinem exuat? cum etiam citra hæc per suum ipsius calorem spacio tēporis amarum euadat? Nam in mutationis dūtaxat celeritate, haudquaquam quòd aliam perpetiatur passionem ab alia causa, differentia consistit: quippe & passio est eadē, & causa quæ mutat. Passio quidem amaritudo: causa uero caliditas immodica. Porrò immodicum, quod ad alteratione̅ ducit, duplex est: aut enim in admoti cōsistit robore, aut in tēporis diuturnitate: alterū ex nobis & igni, alterum ex seipso mel accipit. Et merito sanè tēpore maiore id fit ex ipso: siquidē quod mutat, imbecillius est. Ergo quod à minore lōgiori fit tēpore, quid mirum est à maiore in breuiori perfici? Cæterū lac etsi gustu sit dulce, tamen ex sese nunq; amarum efficitur. Vincitur enim in eo à frigore magis caliditas, q̄ ipsa uincat: proinde etiam repositū acescit. Ex tribus enim substantijs qualitate dissidentibus (uelut supra quoq; dictum est) cōstat. Prima quidē crassa, ex qua caseus conficitur: altera pingui, ex qua butyrum: & tertia aquea, quod serum nuncupamus. Verum ex hisce pinguis quidem uel maxime temperata est, crassa uero paulum ab ea declinat, at excrementū illud serosum, & frigidum & humidum est. Quare lac uniuersum à modice caliditatis corpore longo interuallo relinquitur: quapropter ex se acescit potius quàm amarescit. Ac si gustari posset, ubi in uentre & per uenas concoctum est, ipso etiā melle dulcius inueniretur. Nam quod foris & ex sese mel obtinet, id dum coquitur, lac accipit. Et cū admodum ingens in animante calor extiterit, tātam acquirit lac dulcedinem, quantam mel deperdit. Rectaq; id ratiōe euenit: etenī quod summe dulce est, ac proinde etiam nihil apponi ad eius dulcedinem possit, id ut in consequentem uerti pergat qualitatē necesse est. At cui quid deest, id per concoctionem acquirit. Proinde sanè lac ubi cruditatem in uentre perpetit, duplicē suscipit altera-

A tione. In frigidiore nanq; uentre acescit: in calidiore nidorosum amarūq; efficitur. Non tamen mel coquēdo unquā aciditatē admittit: quippe cum calidius sit, q̄ ut ubi non superet acescat. Itaq; utraque linguam mordicant, tū quod acidū est, tum quod amarū, non tamen id tanq; propriū linguæ sensus possidet. Quippe si in aliam quāuis carnē cute spoliatā ipsa inieceris, & illā sanè etiā mordebit. Ex quo constat, mordacitatē à tactu proprie, non à gustu sentiri. Quin & quæ acria appellātur, uelut pyrethrum, alium, cæpa, non linguā modo mordicant, sed & omnem reliquam nostram carnem: communisq; est mordicatio tribus istis saporibus, acido, amaro, acri. Verum acido quidem, ut frigido simul & subtili (nam & id sæpe monstratū est) amaro uero & acri, ut calidis.

B *Quod sapores acres omnium sunt calidissimi.* Cap. 17

Quod itaq; sapor amarus calidus sit, modo ostēdimus. At de acri uocato, principio ne demonstratione quidem est opus: præuertit enim sensus euidentia, rationis fidem, quare nec quisquā de ipso addubitauit: imò & Plato de eo tanq; omnium calidissimo pronunciat, tum Aristoteles quoq;, & Theophrastus. Atq; adeo nec ueterū, nec recentiorum quisq; est qui secus sentiat, quippe cū excalfactio ex essentiæ eius sit ratione. Itaq; si uel ex plebe quēpiam roges, quid uocet eduliū acre, dixerit sane, puto, quod fortiter dū gustat̄ excalfacit, uelut piper, pyrethrū, nasturciū, alliū, cæpa, & id genus omnia: uideturq; id adeo saporū genus, cum appellatione careret propria, cōmuni per excellentiam usum. Nā cū & sapor amarus, & sapor acidus ambo etiā acres sint: in quocunq; tamen corpore uehementē cōperimus acrimoniam, tametsi neq; amarum sit, neq; acidum, acre appellare cōsueuimus: quanquam multa in specie sint corpora eiusmodi: alia enim edi possunt, alia esui sunt inepta. Ea igitur quæ idonea sunt esui, dulcem quandam saltem obscuram admistam habeant qualitatem necesse est: proinde multis ipsorum pro opsonio utimur, multis uero ut cōdimentis tantū: at ut cibo, ipsorū omnino nullo, idq; ob uirium uehemētiam. Porrò eorū quæ non eduntur, alia mortifera sunt, alia simpliciter medicamenta: omnia saltem cuti nostræ imposita ulcus celeriter moliuntur. Quin & horum quoq; nōnulla qualitatē quandā amaram præferunt, quemadmodum esculentorū quædam dulcem: non tamen uocantur amara: quandoquidem hæc in eis leuis est & infirma, ualida autem uis acrimoniæ. Sunt & quæ ne gustare quidem audeas, cuiusmodi est thapsia, cantharides, & ea quæ erosione aut putrefactione interimunt. Sed & horum gustum esse acrem ex ijs conijcere licet quæ in toto agunt corpore. Multa uero etiam ipso statim odore aliena sunt, planeq; pugnantiam cum homine indicant, uelut & hæc ipsa quæ nūc dicta sunt, & cicutæ, papaueris, mandragoræ, & hyoscyami succus. Quin & nuper quoque herbam quandam conspeximus, quam Centurio quidam ex barbarica circa Aegyptū regione comportauerat, odore adeo graui, adeoq; inamœno

inamœno, ut ne gustare quidem auderem, sed letalem esse coniicerem: utebatur autem ad urgentes articulorum dolores: atq; ipsis etiam laborantibus refrigerandi pollere facultate est uisa. Est autem colore subflauo, odore tam graui, q̃ cicuta: nisi q; leuem quendam instar aromatũ odoris adferat gratiã. Nomen herbæ ex qua succus hic exprimitur, lycopersiũ esse dicebat. Verũ de facultatib. deleterijs alibi tractabit̃. Scire aũt oportet, acres sapores oẽs (nam de istis agebat̃) summe esse calidos, ac deinceps post illos esse amaros: deinde uero dulces. Cum uero in omnibus ampla sit latitudo, is qui magis aut acris, aut amarus, aut dulcis est, magis quoq; est calidus: qui uero minus, tantũ amittit caloris, quantũ abest ab exacta gustus qualitate. Terminus aũt seu finis saporis amari est abstergere: acris uero, urere: at dulcis, nutrire: ubi uidelicet in sua quisq; natura absolutus fuerit, hoc est, ubi quoad fieri posit, minime alienis permisti sint qualitatibus: uelut amarus prorsum quidem est calidus: uerũ qui modo admodũ ex dulci mutatiõe natus est, & minus amarus est, & minus calidus. At qui iãdiu mutatus est, summe amarus est, & ꝓxime ad acrẽ pertingit, ut nõ abstergat solum sed etiã exedat et mordicet: uelut aristolochia quidem, iris, & panax, id modo possunt, nẽpe ulcera abstergere, atq; expurgare. At uitis agrestis, quæ Græce staphis agria dicitur, nihilo ab istis amaritudine uincitur, nisi uel ipsa quoq; uincat: est eñ iam etiam acris, idq; ualde: tum multum quoq; calida, ut non sordem ulceribus auferat modo, sed & ipsam quoq; carnem colliquare posit. Porrò quod in ulceribus nati sunt præstare amari sapores, id ipsum in corpus assumpti efficere ualẽt: abstergunt eñ, expurgantq;, & quę in uenis est crassitiem incidunt: quamobrẽ menses mouent, educendoq; ex pectore pulmoneq; puri auxilianť. Et in summa, siue crassa in eis pituita, siue pus, siue aliud quippiam cõtineat̃ eiusmodi, expurgant: eaq; ratione & comitiali morbo cõpetunt, quicũq; certe naturã nõ habẽt deleteriã ac uenenosam. Illi enim toto genere præter naturã sunt. Sed & ijs qui sanguinẽ spuunt, noxij sunt: quippe cũ isti adstringentia & uiscosa, non incidentia diuidentiaq; exposcant. Atq; hæc quidem iam quadantenus curandi attingunt methodum.

Qua differũt amarus acrisq; sapor? Quòd amarus præter quã quòd calidus sit, etiã est siccus: at acris, utiq; qui nõ exactus est, uberem quandam humiditatem obtinet: Cap. 18

Postea uero quàm de saporibus amaris definiuimus, diximusq; quòd incidendi uim habeant & extenuandi, tum abstergendi, ac nimirum etiam calfaciendi, hactenus tamen, ut non urant, rursum ad acres orationẽ uertamus. Ac primũ exacte ipsos calidos dicimus, deinde exedentes, urẽtes, crustam molientes, ac deniq; etiã colliquantes, eosq; uel cuti impositos esse huiusmodi. Sin intrò in corpus sumantur, siquidem tota substantia animanti cuipiã summe aduersentur, putrefacientes, eiusq; generis animantium deleterios. Sin caloris duntaxat immoderatione, si crassæ sint essentiæ terreęq;

A interiora exulcerãdi pollere facultate: sin tenuis, urinã mouendi, sudoresq; ciendi uim habere: in summa aũt, incidendi, & digerendi per halitũ. Ex quo genere quidam tum exspuitionibus ex thorace, tum mensium motibus auxiliantur. Cæterum quãdo sit, quomodo, & qua methodo utendũ, nõ est præsentis tractationis exponere: de omnibus siquidem eiusmodi in curando methodo differetur: quare de acrium saporũ natura plura scribere supersedebo: sat enim fuerit distinctiones adijcere exactiores, quibus ab amaris differunt. Nec enim sola caliditate uehementi ab illis diuersi esse consueuerunt, sed q; amari omnes non modo calidam habeant facultatem, sed & siccam, cineri (uti eos quis optime comparet) adsimiles. Acres aũt,

B quicunq; utiq; amari nõ sunt, multam interim humiditatem admistam habent, proindeq; corporũ eiusmodi nõ pauca à nobis esitantur. Porrò quòd non calidus modo, sed & siccus est omnis sapor amarus, in primis nos maximeq; discreta docet experientia, de qua sæpenumero uerba supra fecimus. Iis uero qui præter experientiã per rationẽ etiam scrutantur, similiter accidit. Admodũ itaq; excalfactis dulcibus, siue ab igne, siue à calore ingenito, amarorum corporum constare generationẽ indicauimus: quæ protinus consistentia quoq; sicciore apparent: tum uero quoniam absumatur semper ac defluat ab eis humor in uaporem à calore solutus, necesse est reliquum terrenius sicciusq; effici: quippe cum dulce præterq; quòd calidũ sit,

C siue plus, siue minus, necessario sanè & humidum plus minúsue existat. Si autem corporis nostri naturæ maxime est simile, ipsa uero sit tẽperate tum calida, tum humida, id quod ex dulci superassato prouenit, perinde ut calx cinisq; calidum siccũq; necessario efficitur: proinde abstergere quoq;, cõminuere, secare crassos uiscososq; humores, sicut cinis & nitrum, est natum. Nec enim aerea est neq; tenuis, neq; aquea eorum consistentia: sed, ut paulo ante dictum est, terrena, exacte à calore elaborata, ac uelut superassata ipsorum essentia. In comparatione ergo adstringentium quidem, non parum ijs tenuiora sunt medicamẽta amara, ut ad acria uero, crassiora: quamobrem neq; facile crassos uiscososq; humores pertranseunt, uelut

D ea quæ sunt tenuiore essentia, nec incidere perinde ut crassiora nequeunt. In medio autem utriusq; excessus sint oportet quæ incisura sunt, nempe ut neq; prompte penetrẽt perinde ut flamma, neq; dum cunctantur tardantq;, dissecare nõ possint. Verũ de istis in sequenti lib. qui ex ordine est quintus, tractabit̃. Nunc aũt tantũ nouisse suffecerit, q; qualitas omnis amara calidis simul siccisq; substantijs accidit, & præter hæc tenuibus & terrenis. Inaudiendũ est aũt totum quod dicitur coniunctim, haudquaquã utrunq; separatim legẽdũ. Nam sic pugnare cum terreno uideatur tenue. Verum non simpliciter tenue, sed ut in terrena consistentia tale esse amarum assero, uelut calx & cinis, & quicquid exacte perassatũ fuerit, cinisq; redditum: forte autem uerius adsimiles fuligini,

ac ipsius flãmæ fauillæ: quippe quæ gustantibus apparet amara. Ergo crassum & terrenum est corpus, ferrum, ac lapis: fauilla autem & cinis tenue. Ignita itaq; ferrũ lapisq;, calce cinereq; sunt crassiora, multoq; magis quàm fauilla: ad hæc quoq; & calidiora. Sed ferro lapidiq; ignito, ea quæ per erosionem interimunt medicamẽta, similia sunt: quæ à corporis nimirum calore huc perducuntur: uelut chalcitis, mysi, sori, ad hæc arsenicũ, hydrargyros, lithargyros, et alia innumera: crassarum enim sunt partium id genus omnia, ac potestate calida, ac proinde temporis spacio accensa per eam quæ est in animante mutationem, non aliter quàm lapis ferrumq; ignitum uentrẽ tum exulcerant, tum exurunt, cum scilicet in corpus distribui præ grauitate haud possint. Istis autem subtiliora sunt, tãetsi & ipsa terrenæ sunt consistentiæ, calx, cantharis, lepus marinus: quorũ quædam usq; ad iecoris pertingunt regionẽ, quædam uero usq; ad uesicã & pectus, in tanto interim itineris spatio igneam acquirẽtia naturam. Porrò aristolochia & iris his etiam subtiliores sunt: quippe quæ tum humidæ essentiæ, tum aeriæ plus quàm illa obtinent: quod hinc cõstat, quòd neq; adeo sint sicca duraq;, neq; adeo grauia, quapropter & deleteriũ effugere genus. Sanè uero & cantharis, parcè interim sumpta quibusq; oportet admista, præterquam quòd uesicam nihil offendat, etiam renes expurgat: imò et quæ efficaciora conficiuntur ad urinas mouendas medicamenta, nonnihil habent cantharidis. Sed de hisce aliàs habebitur sermo.

Quòd sapor amarus insit corporibus temperamẽto siccis; & si planè amarus sit, esculentus nõ sit. Cap. 19

At amarus sapor quòd siccis temperie corporibus insit, hinc colligere licet, quòd & minimè omnium amara putrescant minimeq; uermes aliaq; nonnulla animalcula, qualia in radicibus herbisq; ac fructibus putrescentibus prouenire solent, procreent. Maxime nanque uidemus in humidis nasci corporibus uermes ac putrilaginem. At quæ exactè amara sunt (uoco autem ita quæ nulla sensu notabili alia participant qualitate) omnibus prope animantibus, nedum hominibus, esui inepta sunt: quippe cum animal omne plus minusq; sit humidum: amara autẽ, sicca: haud aliter quàm cinis & puluis. Itaq; neq; cinerem, neq; puluerem, neq; fauillam, neq; calcem animal ullum esitat, neque eorum quæ planè amara sunt quicquam. Absinthium enim non solum amarum est, sed & adstringit: marina uero aqua salsa potius est, quam amara, plurimum in se habens aquæ potabilis: id quod & ab Aristotele olim satis est demonstratũ. At aqua quæ est in lacu Palæstinæ in caua Syria, quem alij quidẽ mare uocãt mortuũ, alij stagnũ bituminosum, gustãtib. nõ salsa modo, sed & amara est. Salem uero etiã habet ex sese natum, perinde amarum: primoq; statim aspectu unà cum uniuerso mari tum candidior, tũ crassior apparet, salsugini meræ similis: in quam si salem inijcias, ne liquari quidem etiã possit: plurimũ eñ eius in se habet: ac si quis in eam se mergat, continuo sale te-

A nuissimo uelut conspersus undiq; emergere conspicitur. Quapropter etiam aqua illa quàm cætera marina grauior est, idq; tanto pondere quantò fluuiali marina. Itaque ne si teipsum quidem dimittas, in profundum deferri possis: ita attollit eleuatq; aqua: nõ sanè quia natura leuis sit, quod quidam ueterum sophistarum prodidit, sed ut cẽsuit Aristoteles, propter grauitatem instar luti quæ leuiora sunt gestans. Proinde si hominẽ ligatis manibus pedibusq; in stagni illius aquam conieceris, deorsum haud fereť: quin uerò sicut naues in mari onera plura quàm in fluuijs citra submersionem portare ualent, eundẽ in modum in stagno mortuo multo plura quã in mari. Tanto enim est quę in illo est aqua, marina grauior, quanto marina la-
B custri aut fluuiali. Inest enim ei salis substãtia, quæ terrea grauisq; est. Ipsiq; tibi marinã, si lubet, efficere licet sale in aqua fluuiali colliquato, cognoscereq; quanto grauior reddatur aqua eiusmodi q̃ sit dulcis. Quin & modum iam inuenerunt, moderatam ad saliendũ conficiendi salsuginẽ, si ouũ in ea uideať natare. Nam ubi etiamnũ sidit, ac nondum super salsuginis superficiẽ innatat, aquosa magis est & dulcis: grauiter uero salsa est, ubi tanta est salis copia indita, ut amplius liquari qui postea adijcitur nequeat. Quam aquã si pendere nõ grauaberis, omniũ aquarũ cõperies grauissimã: Itaq; ego quandoq; inanẽ esse diuitis cuiusdam ambitionẽ ostendi, qui tantã in Italiam maris mortui aquam deuexit, quæ cisternã implere posset. Nã id ipsum
C ego expedite præstiti, sale plurimo in aquam potabilem cõiecto. Longe etiã grauiorẽ eiusmodi effeceris aquam, si quamplurimũ salis liquatum sub Canis exortum, ubi potissimum æstus iam fuerit ualentissimus, torreri siueris, haud aliter quàm in stagno bituminoso: sic enim hæc aqua perinde ut illa grauis efficietur: ac si ligatum hominẽ, aut aliud animal, in ipsam conieceris, instar nauis super aquã fereť. Quin uero & amarior protinus quoq; eiusmodi erit aqua, si decoquere ipsam in igne lubeat. Nam quicquid salsum plusculum excalfeceris, amarũ tibi euadet. Sic & ipsius bituminosi lacus aqua in caua calidaq; regione contenta, dum sole torretur, amara efficitur: proindéque æstate quàm hyeme amarior est. Ac si quid eius haustum
D in uase cauo regionéque aprica (quemadmodum nos effecimus) æstiuo tẽpore deponas, cõtinuo amarior sese reddita uidebitur. Verum hæc omnia ijs quæ paulo superius de amari generatione diximus, abunde subscribũt. Cæterũ cuius gratia oratio ad bituminosum digressa est stagnum, id nondum omne expositum est: nullum enim in eo neque animal, neq; planta inesse conspicit: imò cum duo in eum fluuij confluant longe maximi, pisciumq; copia scatẽtes, maxime qui prope Ierichontem fluit, quem Iordanem nominãt, nullus omnino pisciũ fluuiorũ ostia excedit: ac si captos quis in lacum inijciat, celeriter mori conspicit: adeo est omnibus tum hominibus, tũ plantis inimicũ quod exactè amarũ est, & quod squalidũ pariter & siccum est, atq; natura uelut fuliginem ab exassatiõe

referens

referens. Quanquã ne illius quidẽ ſtagni aqua ex acte amara ſit: quippe cũ nec ipſe ſal. Vocant aũt eum Sodomenũ, à circumiacentibus ſtagnũ montibus, quos Sodoma appellitãt. multiq; ipſum accolæ ad omnia, ad quæ nos alio utimur ſale, accõmodãt. uis eius nõ modo plus q̃ cuiuſuis alterius ſalis exiccatoria eſt, ſed & extenuare nata: quia ſcilicet plus q̃ alius exaſſatus eſt. Omni enim ſali obſcura quædam adſtringendi uis ineſt, qua eas quæ condiunt carnes cõſtringit, dẽſatq;: potiſsimũ ubi durus & minime fragilis extiterit. Talis eſt exactiſsimus quidẽ foſsilis ferè omnis: Minus aũt illo marinus: tum qui multis in locis aquis leuiter ſalſis areſcẽtibus prouenit: Tertiũ locũ obtinet, abſtergere magis quàm adſtringere cõtrahereq; potẽs: Proximas his uires habet Sodomiticus, æque atque marinus durus: cæterum ob admiſtam amaritudinem, facultatem ualentius abſtergentem ac digerentẽ quàm marinus poſsidet. Sic & nitrum ipſum, & ipſius ſpuma, & quod compoſita appellatione uocatur aphrolitrum, cæteris magis extergere poſſunt, nempe quia minime adſtringunt, et exacte ſunt amara.

Quod ſapor ſalſus calidus ſit & terreſtris, eaq; ratione quadantenus ſapori amaro ſimilis. Cap. 20

Etẽm propinquus eſt ſapor ſalſus amaro: quippe terreni ambo ſunt, & calidi: nõ obſcura tamen diuerſitate diſsident, q uidelicet amarus à colore arido plus ſit extenuatus & elaboratus. Sic in genere ſalis, qui durior eſt & denſior, terreſtriorq;, qualis ferè eſt uniuerſus foſsilis, minus calidus eſt, ſubtiliumq; minus partium: qui uero rumpi facilis, laxusq;, tenuior ſimul & calidior eſt: in quo genere eſt & qui ſubamarus eſt, mediam quodammodo naturam inter ſalem durum & aphronitrũ obtinens. Sanè & inter aphronitra quædam ſunt duræ craſſæq; eſſentiæ, quæq; nec facile liquari in aqua queant. Verum de prauis nõ eſt in hoc loco nobis ſermo, ſed de ijs quę iuxta nominis rationẽ, eſſentiam habent ſpumoſam, qualis utiq; eſt ipſa nitri ſpuma. Eſt enim ea omniũ modo dictorum tenuiſsima: uelut & Aſiæ petræ flos: multum eñ & hic quoq; tenuis eſt, ſed aphronitro minus calidus. Quare utiq; carnium excreſcentiam minore cruciatu colliquat: mordicat aũt eas nitri ſpuma: mordicat uero & aphronitrũ, nec ſecius quoq; & ipſum nitrũ, tametſi illis ſit minus calidũ. Verũ ſupra monuimus, eſſentiã craſſam plus erodere, ubi nimirũ calorem quendam nacta fuerit. Nulla eñ eius pars ſine cruciatu celeriterq; tranſit, ſicut eius quæ ſubtilis eſt, uerum retenta & immorans ac tardans, pluſculoq; tempore uni corporis noſtri particulæ inhęrens, haud immerito moleſta redditur inſtar pali carni infixi.

Quod odorata omnia calida, Cap. 21

Cæterum ubi de ſaporibus omnibus, quæ conuenire uiſum eſt, expoſuimus, reliquum fuerit de odoribus diſſerere: quippe cum huius ſenſibilium generis gratia, odoris ſenſum natura crearit. Sanè pleriq; ſimiliter ſaporibus nos afficiũt. Siquidem acida omnia, & ante iſta ipſum adeo acetum ſimi-

A liter odoratum guſtumq; mouet: tum acria quoq; uelut allia cæpe, et ipſa non minus q̃ guſtum, odoratum quoq; offendunt, mordicantq;. Sic in alijs ſingulatim ſimilis propemodũ eſt odoris ſenſus ſenſui guſtus. Itaq; quorundã corporũ, etiam non guſtantes, qualitatẽ cognoſcimus, ueluti fimi: proinde omnino ne guſtare quidẽ aggredimur: quia ſcilicet admodũ fides habeaẽ odoratui. Quinetiã ſi qua boni odoris edulia putrilagine corrupta, odore nos ſuo offẽdũt, protinus ea abijcimus haud guſtare dignati: fereq; in omnibus mutuo conſentiunt odoratus & guſtus: attamẽ in odore ſuauiſsimis, uelut roſa, plurimũ differunt diſsidẽtq;: tantũ enim abeſt ut guſtãtibus ſuauia ſint, ut amaritudinem non paucã præ ſe ferant, tametſi amarum nunquã odoratũ eſt, neq; ut medicamen nobis ſuaue, neq; ut cibus. Quænam igitur huius ſit

B diſſonantiæ cauſa, licet Theophraſtus quæſiuerit, tamen præſtiterit & quæ nos de ea cognoſcimus exponere. Amari ſaporis generationẽ ex dulcibus à calore extenuatis prouenire iam clare docuimus: apparuitq; calidiora ſimul & tenuiora tẽperie eſſe amara, q̃ dulcia. ſed & odoris ſenſus in ipſis cerebri eſt uentriculis, uelut & id quoq; alibi à nobis demonſtratum eſt: & odorabilium uaporoſa eſt ſubſtantia. Ea enim quæ à corporibus defluunt, ambienti permiſta, ac deinde per narium inſpirationẽ in cerebrum delata, ſenſum mouent.

C Recta ergo ratione, quæcũq; uaporoſa, omnia eadem & calida ſunt: quippe cum uaporum copia à calore proueniat, non tamen protinus quicquid odoratum eſt, ſuaue eſſe colligitur. Siquidem non omne id ſpiritui in cerebri uentriculis cõtento familiare eſt. Etenim quemadmodũ qui linguæ obueniunt ſapores, ij qui familiariſsimi, ijdẽ & dulces erant: qui uero non familiares, complures habebant differentias: ita odores qui familiares ſunt cerebri ſpiritui, ijdem & grati ſunt & ſuaues: qui uero nõ familiares, multis differẽtijs à ſeſe mutuo diſsident. Cæterum non omnino impoſita ſunt nomina perinde ut ſaporibus. Dicimus eñ quippiam acidum acremq; habere odorem, ſed auſterum, acerbum, ſalſum, aut amarum haud etiam dicimus. Verum in haſce duas appellationes odora

D bilium pleraq; reducimus, beneolentia, et graueolentia appellantes: beneolẽtia quidem proportione quadam ad ea quæ linguæ ſunt dulcia: graueolentia uero ad ea quæ non dulcia. uno enim nomine totũ hoc in ſaporibus genus appellari nequit. uidetur autem à corporibus non odoratis aut omnino paucum defluere, aut quod pro mole ſua nõ ſit moderatum, ſicut in ijs quæ exacte tum ſalſa, tum acerba ſunt. Exacte aũt cũ tale aut tale quid dicimus, ſyncerum, & quantũ fieri poſsit, alterius qualitatis expers dicimus. Siquidem craſſa utriſq; eſſentia eſt, & ad hoc acerborum etiam frigida, quare uériſimile eſt, quod ab ijs defluit, paucum eſſe & craſſum, & mole ſua terreum, ac proinde per inſpirationem in cerebrum non incidere.

Quod

Quòd neq; ex odore, neq; ex colore certo quid definiri de medicaminum temperie poßit. Cap. 22

Itaq; haud solida res est, ex odore de sensibiliũ temperatura conijcere perinde ut ex gustu. Nam quę odore carent: crassam quidem essentiam obtinent: cæterum quæ sit eorum in calore frigoreq; natura, id uero nondum constat. At quæ odorata sunt, tenuia utiq; sunt quadantenus & calida. Verum eius tenuitatis caliditatisq; quantitas haud etiam indicatur. Porrò maxima potissimaq; causa, quamobrem in odoratis nihil euidens de temperatura iudicari queat, inæqualitas est substantiæ, de qua sæpenumero uerba mihi iam habita sunt, ubi demonstrabam, corpora pleraq; dissimilari esse substãtia. Ac nunc quoq; etiam claritatis gratia in exemplo proponam, nempe rosam, quæ nõ ea modo ratione dissimilaris est, qua pars quidẽ eius continet, pars uero continetur (cõtinens quidem, durum & terreum: quod continetur, succus est humidus) imò & succi ipsius tria sunt excremẽta, quemadmodum supra necessarium esse demõstratum est: unum terreum, quale est in uinis fæx: alterum aereum, quod ipsum quoq; uini flori proportione respõdet: tertium aqueum, quod in omnibus bullitionẽ efficere corruptionẽq; diximus, ubi nimirũ neq; deuictum, neq; plane alteratum ebullitionis tempore fuerit. Sanè huius excremẽti gratia quidam succos non nisi coctos reponunt alij in sole feruenti præsiccatos: nam terrei aerijq; gratia non admodum corrumpendos metuunt, cum ea & separari uideant, ægreq; corruptibilem sortita substantiam: quandoquidem temperamentum nacta sunt siccum. Sed de istis supra abunde disseruimus. Cæterum in rosæ natura aliud gustantibus acerbum est, quod terreum ut sit & crassum frigidumq;, necesse est: aliud uero amarum, quod tenue est & calidum: & tertium in his aqueum, necessario quidẽ frigidum, sed in tenuitatis cras- A situdinisq; oppositione quadantenus summorum medium: cuius mistura neq; ipsum illud adstringens, neq; ipsum amarum, summe est tale quale dicitur: qualitates enim omnes exoluit aquei admistio. Ipsum itaq; hoc aqueum elaboratũ extenuatumq; atq; excalfactum quodammodo uidetur, ac proinde facile in uaporem solui, & hac ratione rosam tum odoratam esse, tum celerrime resiccari. Atque hæc omnia de eo ex gustu conijcias: at per odorem haud æque, quippe cum non æque omes eius partes euaporent, nec perinde sensum moueant. In gustu autem omnes similiter gustabilium corporum particulæ in linguam incidũt, sensumq; mouent pro sua natura singulæ. Quare certum tutumq; non est, de tota medicamentorum facultate ex odore conijcere. B Nam ea sola agnosci possunt quæ modo posuimus. Multo minus ex coloribus de medicinarum uirtutibus colligere quid ualeas: quippe cum in singulis coloribus calida, frigida, humida, siccaq; reperias: quemadmodum in primis huius operis cõmentarijs ostendimus. In quoq; tñ singulatim genere aut seminis, aut radicis, aut succi ex colore indicationẽ quandam liceat sumere: utpote cepa, scilla, uinũ, quanto fuerint albidiora, tanto & minus sunt calidæ: quæ uero subflaua fuluaq;, calidiora. Idem usuuenit tritico, milio, ochris, phaselis, ciceri, ireos radici, asphodeliq;, alijsq; compluribus. In quoq; eñ genere in uniuersum fulua, flaua, rubraq; omnia albis sunt calidiora. Itaq; & si hinc quoq; de medi- C camentorum uiribus cõiectura fieri queat, tamen sermoni adijciatur, optimum sanè esse (ut & dictum & ostensum sæpenumero est) per experientiam discretam facultates inuenire. in hac enim falli non possis: quanquam prius quàm experientia uirtutem agnoscas, gustus pleraq; indicet, pauculum etiam approbante ipso odore.

ARGVMENTA CAP. LIBRI QVINTI.

Procemium. Cap. 1. De usu medicamentorum. 2. De pus mouẽtib. atq; emolliẽtibus medicamẽtis. 3. Tribus modis dicitur molle & durum, partim ut extreme tale: partim ut per excellẽtiã: partim ut ad symmetrum generis eiusdẽ, aut speciei, aut quiduis obuiũ. 4. Quot modis fiunt dura? Nempe aut resiccatione, aut concretione, aut nimia impletione, aut harũ cõiugatione quapiã. 5. De medicamẽtis pus mouentibus. 6. De ortu scirri. 7. Emollientia medicamẽta in hoc à pus mouentibus differunt, quòd emollientia calidiora sunt, & moderate desiccant existentem in partibus humiditatẽ: Pus aũt mouentia corporibus nostris similem calorem obtinent, atq; existentem in eis humiditatem seruant. 8. Quòd pus mouentia etiam emplastica esse cõueniat, &c. 9. Quòd medicamenta indurantia humido frigidoq; sint temperamento. 10. De tendentibus laxantibusq; medicamentis. 11. Quòd poros purgantium medicaminũ unumquodq; calidum sit & tenuium partium: nam amara omnia, & nitrosa sunt. 12. Quòd urinam cientia ex acrium genere sint, ac proinde calida & sicca, tum quòd sanguinem serosum segregent, crassum uero cogant. 13. Quòd rarefaciẽtium temperies moderatæ sit tum caliditatis tum siccitatis, consistentiæ uero tenuium partium: Anastomoticorum autem tum calidior, tum etiam mordax atque acris ac crassarum partium: Porrò condensantium astringens atque aquea potius: Stipantium autẽ siue stegnoticon, crassarum partium & frigida. D 14. Quòd escharotica crassæ sunt consistentiæ, ac uehementer caustica siue urentia, adeò ut corpus sensibiliter colliquent. At septica, uidelicet non dicuntur proprie caustica, & ipsa colliquare sunt nata, non tamen tam ualenter quàm escharotica: ad hæc consistentia sunt tenui, ac proinde latenter moliuntur colliquationem. 15. Quòd cicatricem inducentia medicamenta constrictoria esse & desiccatoria cõueniat: quæ uero ulcerum caua implẽt, mediocriter extergentia & morsu uacantia. 16. Quòd attrahentium essentia & calida sit, & tenuium partium: Repercutientium uero, & frigida, & crassarum. 17. Alexiteriarum & alexipharmacarum facultatum, quædam alterando quod mortiferum est, iuuant: quædam uero euacuando. Et earum quæ alterant, aliæ una aut duabus qualitatibus agunt: aliæ tota essentia. Similiter quæ euacuant, quædam substantiæ similitudine euacuant, quædam facultate subtili ac tenui.

18. Quòd anodynorum id eſt dolorem ſedantium, A & paregoricorum, id eſt, lenientium aut mitigantium uocatorum medicamentorum, quædam reuera ſunt eiuſmodi, uelut calida coniunctã habentia partium tenuitatem: Alia uero nomine duntaxat, uelut narcotica, id eſt, ſtupefacientia, qualia ſunt refrigerantia omnia. 19. Duobus modis dicitur cathartica, id eſt purgans facultas: aut enim quocunq; modo expurgãs corporis recrementa, aut quia uim attractoriam familiarium ſuccorum obtinet. 20. Quod lac generantium aut ſemen prouocantium facultas moderate ſit calida & humida: Alimentorum uero totius eſſentiæ conſiſtat ſimilitudine. 21. Quod menſes mouentium medicaminum facultas calidior eſt & modice deſiccat: B Alimentorum uero eſt ſecundum totius ſubſtantiæ ſimilitudinem. 22. Quod quæ ſemen prouocant, quorundam ut medicamentorum quidem facultas eſt flatuoſa & calida: aliorum uero ut ciborum, flatuoſa quidem etiam, ſed tota ſubſtantia familiaris. Quod bechica, diuretica, ſputum uel excreationem educentia, lac & mẽſes mouẽtia, omnia ſint attenuantis facultatis, &c.

23. De facultatibus à corporis partibus cognominatis: de quibus etiã in præcedenti capite nonnihil.

24. De inani nominum uſurpatione, quam medici recentiores, & inter eos maxine methodici induxerunt: ſcilicet metaſyncritica quædam medicamina appellando. 25. Quo pacto contrarias indicare facultates oporteat. 26. De limitatione ac finitione ordinis cuiuſq; excalfacientium, frigefacientium, humectantium, & deſiccantium.

GALENI DE SIMPLICIVM MEDICAMENTORVM FACVLTATIBVS

Liber quintus.

PROOEMIVM

QVINTVM librum de ſimplicium medicamentorum facultatibus orſurus, ea primũ repetam, quæ ſupra demonſtrata in rem præſentem cenſentur accommoda, ſumpto ab elemẽtis principio, aqua, uidelicet, igne, aere, ac terra, quæ nonnulli à qualitatibus denominãtes, humidum, calidum, ſiccũ, & frigidum eſſe aiũt. Sunt ergo qualitates hæ, humiditas, ſiccitas, caliditas, frigiditas. C Quæ uero ab illis denominãtur corpora, ea ſunt tum cõmunia omnium elementa, tum ea quæ per harum excellentiam aut humida, aut ſicca, aut calida, aut frigida nuncupãtur, tum ea quæ ad conueniens ſiue ſymmetrum generis eiuſdem aut ſpeciei conferũtur, quæq; ad quiduis obuium. Sane de horũ differentia frequenter tractauimus, nec minus diximus quatenus differat nutrimentũ à medicamento, & quòd nutrimentum uincitur ac ſuperatur ab eo quod nutritur, medicamẽtum autem contrà: ipſum enim uincit atq; ſuperat corpus cuius fuerit medicamentũ: quippe cum utriuſq; referat ad aliquid notio. D Oſtenſum præterea eſt, medicamentũ alterare natũ eſſe aut una quapiam qualitate, nempe aut calfaciendo, aut refrigerando, aut humectando, aut ſiccãdo, aut dictorũ cõiugatione quapiã: aut tota ſui ſubſtãtia, ſicuti cõplura letalium medicamẽtorũ, nec pauca alexiteriorum ſeu amuletorũ, tũ purgãtia omnia, ac pleraq; eorũ quæ epiſpaſtica, hoc eſt attrahentia nuncupãt. Sed de iſtis quæ reliqua ſunt infra adijciam. Quæ uero una duabúſue qualitatibus in uniuerſum corpus noſtrũ agunt, ea in hoc lib. exponã, rurſum hic ſumpta hypotheſi ſuperius demonſtrata, ꝙ ſimplicium medicaminũ pleraq; diſsimilarium ſint partium, req; uera cõpoſita: cæterũ appellari ſimplicia, quòd cuiuſmodi ſunt, talia natura ſint, nec quicquam ex noſtra induſtria aſſumpſerint; quinetiam ꝙ quædam craſſarum ſunt partium, & terrena ſuis ſubſtãtijs, quædam tenuia & aerea, alia uero aquea, & dictorũ media. Hęc cum ſint ſuperioribus libris demõſtrata hypotheſis mihi ſunto, ad ea quæ nunc dicenda ueniunt. His ergo propoſitis ordienda iam oratio eſt.

De uſu medicamentorum. Cap. I

Vſus eſt frequenter hominibus medicamentorum ob id ipſum tantummodo, ut aut refrigerent, aut humectent, aut calfaciant, aut ſiccent, aut per coniugationem horum quid agant. Interim uero, ut quod ſupra modum laxatum eſt contendant atque contrahant, aut quod intenſum eſt laxent, aut quod condenſatum eſt rarefaciant, aut rarum condenſent, aut durum emolliant, aut immodicam mollitiem ad duritatem reuocent, aut plenum euacuent, aut uacuum impleant, aut generis eius aliud quid agant. Nam quiſquis perfrixerit, non medicus tantum, ſed quiuis etiam ex plebe, ab ipſa rei natura ductus, calfaciens medicamen inuenire deſiderat: aut ardenti febre ęſtuans, quod refrigeret. Sic priuatus quiſpiam ſi ulcus habeat nimis molle ac humidum, id medicum deſiccare iubet: aut ſi ſiccum & exuccum, humectare. Quinetiam cum ſiccitatem pariter, atq; caliditatem toto corpore percipiunt, ceu qui æſtuant, ſiue uſti ſunt, aut defatigati, lauari expetunt, frigidamq; bibunt, tum quidquid refrigerare, ſimul & humectare poteſt, ſtudioſe exquirunt, uotiq; ſæpe cõpotes fiunt, atq; ipſa natura duce eorum remedia pleriq; idiotarum inueniunt. At phlegmones, ſcirrhi, œdematis, eryſipelatis, putredinis, herpetis, gangrenæ, nullus ex illis ſibi remedium peruestigandum ſumit, tanquam unumquodque eorum maius iam ſit quàm pro captu hominis plebei, ac ſcientiam requirat uenerabiliorem. Eam ſcientiam nuncupant Medicinam, & qui eam exercet, Medicum. Atq; hucuſq; & ipſi procedunt, ut ſciant ulcus cauum carne impleri, ſordidum purgari debere, æquabile cicatrice induci. Non tamen norũt quid carne impleat, quid purget, quid cica-

cicatrice inducat. Sic sanè etiam si musculum habeant durum aut tensum laxum'ue, quòd duro quidem mollientibus sit opus; tenso autem laxantibus, laxo uero cōtendentibus, id satis perspiciunt, non tamen compertum habent, medicamentum quod aut emolliat, aut laxet, aut contendat, sed ea inuenire opus est medici. Siquidem inuenias ex plebe quosdā, qui non secus atq; medici medicamentorum pollent inuentione, sed hactenus, dum calida modo ac frigida, humida ac sicca perquiruntur: uerū in ijs quæ modo dicebamus, prorsum rudes reperias. Tametsi, ceu ante nouimus, haud omnium tum calfacientium, tum refrigerantium, tum humectantium, atq; exiccantium, æque facilis est atque expedita inuentio. Quippe quòd napy pyrethrumq; excalfaciunt, & portulaca solanumq; refrigerant, tum aqua & oleum humectant, & acetum & marina aqua desiccant, penè omnibus non medicis duntaxat, sed & idiotis confessum est. At rosaceum an ne calfacere, an refrigerare dicendum, similiter acetum, oleum, & eius generis non pauca, ingenti controuersia iactata sunt. Verum de talium facultate in quatuor ante hunc libris disputauimus. In primo ac secundo sophistarum redarguentes epicheremata, seu in utranque partem ratiocinationes monstrantes ueramq; methodum, cuius quis ductu medicamentorum facultates inueniat. In tertio, missis sophistis, omnes ab initio logicas exposuimus quæstiones, quibus maxime insistas, quibusq;, ut sic dicam, artificiosè efformatus, idoneus sis ac sufficiēs qui medicamentorū omnium facultates inuestiges. In quarto de proprijs linguæ sensorijs disserui quos sapores appellitant, id indicans, quo pacto hinc orsus, primas inuenias tum qualitates, tum facultates. Attigi porrò etiā in extremo libro qualitates odoratus, docens quantum itidem & hinc iuuari queas ad primarū inuentionē facultatū. At in hoc quinto libro aliud mihi propositum est facultatum genus expromere, quas uocare potes secundas ac tertias post primas & omniū cōmunes. Siquidem cum particulatim unumquodq; nō pari modo ex illis temperatum sit, aliud, puto ex ijs laxatorium euasit, aliud intensorium, aliud emolliens, aut indurans, aut rarefaciens, aut cōdensans: tum ex operibus quę edere nata sunt, facultates in se habere dicta sunt rarefaciendi, condensandi, emolliendi, indurandi, illinendi, extergendi, attrahendi, repellendi, ad hæc laxādi, cōtendendi, ora reserandi, ac cōtrahendi, incrassandi, extenuandi, dolores sedādi, ac ciendi (illas ἀνωδύνους, has ὀδυνηρὰς nominant) cōcoquendi, puris mouendi, digerendi per halitū, sudoris prouocādi, saporis cōciliandi, stuporis accersendi, animū alienandi (ἐκστατικὰς nūcupant) putrefaciēdi, urendi, erodendi, crustam faciendi, fundendi, densandi, succum prauum procreandi, attēperandi, purgandi, sistendi, exasperandi, leniendi, infarciendi, farctu liberādi: ac cum ulterius etiā procedunt, ac prope particulatim opera appellant, urinas ciendi, uomitus proritandi, subducendi uentris, ac lubricandi, per

A nares & os purgandi, quas ἐῤῥίνους & ἀποφλεγματικὰς uocant, menses mouendi aut comprimendi, similiter lactis ac seminis tum generandi & extinguendi, tum prouocandi & reprimendi, magisq; etiā cū à iecore hepaticas, à liene splenicas, ab auribus oticas, ab oculis ophthalmicas, à dētib. odonticas, à coxa ischyadicas, à renibus nephriticas, à pedibus podagricas, ab articulis arthriticas, à costis pleuriticas, à tussi bechicas, & à calculis cōminuendis λιθων θρυπτικὰς facultates uocitāt, ad particulares perueniunt. Pari modo quædā dicta est à procreanda in ulceribus carne facultas sarcotica, ab inducenda cicatrice epulotica, à glutinādo colletica, à purgatione cathartica, ab excrescentia carnis detrahenda cathæretica: fereq; numerari ne-

B queant omnes particulatim facultates, si ab unoquoq; singulatim eorū quæ perficiunt deflexa illis imponere nomina aggrediamur. Sed præclarius sanè ac methodo dignius est, si missam facientes orationē tum prolixam, tum confusam, cōmodis speciebus cōpositas medicamentorū facultates cōpendio definiamus, non puris mouendi aut mitigandi, aut doloris sedandi, aut per halitū digerendi, aut laxandi in triticeæ farinæ cataplasmate facultatē inesse dictitantes, sed modice tum humidam, tum calidā: superius namq; positū est, in quo significato eiusmodi dictionē efferimus. Similiter non urinas, aut menses prouocans, aut bechicum esse medicamen, aut pleuriticis, aut peripneumonicis, aut purulentis (quos ἐμπύους uocant) cōgru-

C ere, aut morbis comitialibus, & spasmis, & palpitationibus, & tremoribus, & ruptionibus, & spasmatibus prodesse, neq; carne implere, aut purgare sinuosa ulcera, aut lateris, iecoris, lienisue dolores sedare, neq; chœradas discutere, aut ex ossibus carnes educere; ad eundē modum neq; genituræ profluuio congruere, aut in uteri fomēta utiliter misceri emollientē & reserantē: quin nec quod neuos & ephelides detergeat, & inueteratū capitis dolorē sanet, aut fœtū corrumpat detrahatq;: sed sufficit hactenus dixisse calidam, hactenus siccā, & eatenus tenuiū partiū illis obuenisse tēperiem, sicq; tum omnia quæ nunc memorata sunt, tū longe item plura indicasse: quin alio quoq; modo de ea dixisse sat est amaram esse, sed non extreme, im-

D mo ita ut dulcedo quædā admista appareat. At primus doctrinę modus empiricorū proprius est, secundus uirū potissimū rationalem decet: atq; hūc mihi nunc exponere statutum est.

De pus mouētibus, atq; emolliētibus medicamentis. Ca. 2

Cæterum uniuersa ea quæ quatuor superioribus libris sunt dicta, propria sunt ipsius de medicamentis speculationis, nisi si quando per affinitatem curandi methodū sermo attigit: at in quo nūc uersamur, ad illam magis pertinet: quapropter sæpe cōsilium mihi fuit, omnino intactum præterire. Verū quādoquidē uisum est prçexercēdos esse eos qui assequi deberent curandi rationis intētiones, & pleriq; ex amicis, potissimūq; ij quorum in gratiam hunc tractatū cōscribere sum aggressus, ita me facere cēsuerūt; idcirco sermonē hunc hoc

in libro absoluam, sumpto exordio ab emollienti A bus, & pus mouentibus. Quæ cum utraq; sint calida humidaq;, diuerso tamen utrunq; modo. Hæc ceu simillimū corpori in pus mouendo calorem producentia, absq; ulla existentis in eo humiditatis, aut cōsumptione, aut adiectione: illa uero ceu maiorem quàm pro natura accendentia, ac nonnihil quoq; humiditatis contrahentia. Porrò perspicua est notaq; pus mouentiū notio. Siquidē suppuratio in pus est mutatio.

Tribus modis dicitur molle & durum, partim ut extreme tale, partim ut per excellētiam, partim ut ad symmetrū generis eiusdem aut speciei, aut quiduis obuium. Cap. 3

Sed de emollientibus medicamentis, ipsaq; adeo emollitione non perinde simpliciter loqui licet, quia uidelicet nec de duro mollíq; corpore. Si B quidem partim absolute durum dicitur, ut terra: partim per excessum, ut unguis, calcar, cornu: partim ad symmetrum sui generis aut speciei, ut hoc animal, puta elephas, aut hic homo, puta Hercules: partim ad quiduis obuiū collatum, ut Diogenes ad Aristotelem. Pari modo dicitur molle, aut ut summe eiusmodi, aut per excessum, aut ad symmetron sui generis aut speciei, aut ad quiduis obuium. Quod uero tripliciter quoq; id genus om̄ia dicere liceat, partim ut à mistura aliena, summasq; habētia qualitates à quibus nūcupata sunt, partim ut ad symmetrō sui generis aut speciei, partim ad quiduis obuium collata, et ꝙ nihil retulerit, illo an hoc modo dixeris, frequēter mihi ostēsum est. Omissis itaq; cæteris significatis, de mollib. durisq;, C ut ad optime cōparatum habitūq; hominē contēplemur, quem sanè regulā ac mensurā statuimus omniū quæ eum in modū dicunt: nec tñ ad illius partē quamcunq;, puta os adipemúe, sed quę temperie media est, nempe cutē, maximeq; eam quæ in manibus est, ubi perfecta est tangēdi potentia. In unū aūt redit, si quod per excessum ad totā substantiā dicit, sic molle durūq; appellites, quandoquidem medium quoddam est tactus noster: uti & Aristoteli uisum est, & Plato quoq; sensisse uidetur, cum ait. Dura quidem quibus caro nostra cedit, mollia uero, quæ cedunt carni. Nam cutem hominis eo ipso in lib. Timæo scilicet, genere esse carnē ostendit. Quin & Aristoteles cū ait molle esse quod in se cedit, durū quod nō cedit, idē ꝗd D Plato sensisse uidetur, & maxime ꝙ ad tactum ea iudicanda censet, tanquam ad medium. Quod uero in cōparatione ad quiduis obuium durum est ac molle, id in eo ꝙ magis minusq; cedat, iudicari uidetur. Quin & ipsam cutem nostram aut musculum aut partem aliam quamlibet cum induratam dicimus, cum naturali eius statu aduentitium affectum conferentes ita nominamus. Sanè corporum hoc pacto affectorum ad statum naturalem reditus emollitio est.

Quot modis fiunt dura? nempe aut resiccatione, aut concretione, aut nimia impletione, aut harum coniugatione quapiam. Cap. 4

Porrò cum uarie quidq; durius efficiatur, nempe aut siccescens, aut concrescens, aut nimia repletione, adeo ut uehemēter distendatur, aut coniugatione quapiam, sequitur ut & propria suaq; cuiq; emolliēdi sit ratio. Itaq; de omnib. deinceps distinguamus. Interim illud prius cōmonefacientes, nominū uerborūq; copiam plerunq; non esse indecoram, sed potius eius cōtrarium: illiberalem uero tum esse, cum non est necesse de illis distinguere. Nam ita & Plato prodidit. Et nobis in præsens necessitas incūbit de duri significatis definire principio rursum ab ijs desumpto quæ modo dicere desiimus. Nam quod in se cedit, molle est, siquidem corpus simplex fuerit. Siquidē quod ex pluribus constat aut sese contingentibus, sicut tritici aceruus, aut inuicem implicatis, ut lana & pili, simul & cedere potest, nec tamen esse molle. Contra in ijs quæ summe plena sunt, uelut utres, uesicæq;, neutrū latus in se cedit, nec tamen quod continetur durum est, sicut nec quod continet ubi impletum est, durius seipso euasit, aut aduentitiū alium affectum est adeptum, nisi ꝙ nunc tensum est, quod hactenus fuerat laxū. Quamobrem ego id renitens, Græce ἀντίτυπον, non durum appello, quando nimirum accuratius loqui propono. Permitto tamen qui uelit durū appellare: quin & ipse sæpe sic nuncupo. Sed illud tamen moneo non unam esse induratorum naturam, neq; unam medelam. Nam quod à siccitate induratum est, humectari postulat: quod uero à congelatione, excalfieri: quod autem à repletione, inaniri: quod deniq; à siccitate simul concretioneq;, humectari simul ac concalescere: quod uero à congelatione pariter & impletione, pariter quoq; & calfieri & euacuari. Siccantur itaq; corpora citra congelationem, tum in ualidis exercitijs, tum in sole feruenti, tum inedia ingenti, tum in febre ardenti, & medicamentis quæ ita siccant ut non refrigerent quoq;. Congelantur à uehementi duntaxat frigore. Sicut sanè & implentur à largi tantum humoris affluxu. At siccantur simul & congelantur coeuntibus quæ simul conuenire possunt causis: ut si quis supra modum laboret in frigore. Sic quoque replentur simul & cōgelantur ab influxu frigido, ac partis refrigeratione. Frigoris rursus ipsius causa triplex est: una à foris incidentibus, puta, aere, aqua, medicamēto, quod sæpe factitant in erysipelatis. Altera ex propria patientis particulæ temperie. Tertia ab influente in ipsam humore prouenit. Nam is sæpenumero seipso calidior effectus est, aut putrescens, aut contactu calidarum natura partium alterascens, cum interim quod partibus natura frigidioribus affricuit frigus, plurimo perdurat tempore. Atq; tot quidem modis corpora tum indurantur, tum molliuntur. At medicamen emolliens (Græce uocant μαλακτικὸν) non de omnibus ijs modis efferre uidentur, sed peculiariter de ijs quæ cōgelatione induruerunt, magisq; etiam si in eis contentus sit humor præter naturā, uelut in scirrhosis. Quippe si à siccitate induruerit, humectare, nō mollire id præcipiunt: sicut impleta euacuare, non emollire. Sed de nominibus neq; contendere honestum est, neq; cu-

riosum esse necesse: uerum rerum insistere diuersitatibus præstat: in quibus siquid peccatur, ingẽs ęgrotis damnum malumq́ prouenit. Itaque quod resiccatum est, humectãtia poscit remedia, de quibus supra abunde disserui. At quod à frigore congelatum est, excalfacientia postulat: quæ nec ipsa obscura sunt. At quod impletum est, aut refrigerantia requirit, aut excalfaciẽtia, aut quæ proprie uocantur siccantia. Vniuersa siquidem hęc humorẽ superfluũ euacuãt, sed sua ac peculiari quodq́ ratione. Frigida quidem duobus modis nempe repellentia, simulq́ cum calore multam educentia humiditatem, sicut Aristoteles docuit. Quæ uero excalfaciunt, dum cõtentum in calescentibus corporibus humorem in uapores dissoluunt. Quæ autem desiccant, uelut quæ uocantur diaphoretica, hoc est per halitum digerentia, & ipsa duplici ratione, aut humores ebibentia cum poris quibusdam insunt, aut totam alterantia partem. Verum quando tempestiuus cuiusq; sit usus, non est præsentis negocij definire, sed ad curandi attinet methodum. Quæ uero à frigore pariter & siccitate indurere, ea excalfacere pariter & madefacere expedit, non sicut pus mouentia calore & humiditate secundum naturã attemperatis, sed tanto esse medicamen expedit calidius, quanto exuperauit frigiditas: tantóque siccius, quanto & uicit siccitas. In quibus mensuram finire ad curandi itidem methodum pertinet. Sufficiat autem hic medicamentorum speciei formulam quandam exponere, idq́ pauculis exemplis. Igitur oleum et aqua calida humectant simul & excalfaciũt. Quod si ambo in unum misceantur, multo magis tum excalfaciet, tum humectabit quod ex ipsis erit mistum, sicut aquæ potabilis balnea cum oleo copioso exhibita. Idem efficit eduliorum qualitas, si similiter habeat. Itaq; ingentis famis, quam βούλιμον nominant, illiusmodi sunt remedia. Est enim ea affectio frigiditas iuncta siccitati: & sanatio eius per contraria perficitur. Veruntamẽ cataplasma quod ex farina triticea conficitur, in tẽperatis naturis pus mouens, nec quicquam naturalis partiũ humiditatis aufert, quod quidẽ relatu sit dignũ: multoq́ magis nec apponit: sicut nec calorẽ intendere potest, nec hebetare, sed tantum in substãtia ipsa augere. Cæterũ non idem est, qualitatẽ intendere, & augere substantiam. Sed hæc paulo post accuratius ostendam. Attamen id genus medicamẽta humida calidaq; dicimus, nõ ceu calidiora humidioraq; quàm nostra sit substãtia, sed ceu similem habentia nobis tẽperiem, quæ calida & humida est iuxta ueterem sermonem, uelut in libris De temperamentis ostẽdimus. Nec tamen sic aquam humidã aut galbanũ calidum dicimus: sed illam tanquam quæ carnem nostrã riget, hoc tanq; quod calfaciat. Nam tãetsi aqua calida euacuare partes quæ per humorum influxum contumuerunt ualeat, similares tamen saltem omnino humectat, sicut in primo libro à me demonstratum est.

De medicamentis pus mouentibus. Cap. 5

Medicamenta itaq; quæ pus mouent, eo quòd

A perinde ut aqua calida excalfaciant, superfluum in spacijs uacuis contentum humorem per halitũ digerunt: sicut in libello De inæquali intemperie monstrauimus. Ipsis tamen similaribus corporibus secundum naturam affectis, humiditatis nihil neq; adijciunt, neq; adimunt, quod quidem manifestum sit, & sentiri queat. Quippe cum temperaturam possident similem, earum substantiam tueri potius quàm alterare possunt. Nam in suppurationibus humiditas quidẽ alteratur, itemq́ siqua sit caro contusa: cætera uero quæ secundum naturam habẽt, substãtiã suam seruant. Etenim cum tres in animalium corpore fiant alterationes: una planè secũdum naturam est, cum uidelicet in uentre cibus coquitur, aut in uisceribus & uasis qui inibi generatur succus, unde rursum pars unaquæque nutriatur. Altera contra planè præter naturam, nempe in putrescentibns omnibus. Atque hæ quodammodo inuicẽ sibi contrariæ sunt. Tertia ex utraque mista & media est, partim primæ quidquam obtinẽs ac naturalis, partim huius contrariæ quæ est præter naturam. Siquidem alterationi secundum naturam duo hæc insunt, ut & ex familiari animantis natura fiat alteratio, & ab ingenito calore planè superetur. Ei uero quæ præter naturã est, & ab aliena caliditate mutatio prouenit, & ad nihil utile. At media earum, quæ scilicet suppurationes comitatur, ab ingenito quidem fit calore, sed non planè uincente: neque enim ex materia peragitur quæ prorsum benigna sit, neq; tamen ex omnino aliena. Itaque quemadmodum naturales alterationes, quæ ab innato proueniũt calore, à simili extrinsecus iuuantur, pari modo & quæ in mouendo pure conspicitur. Nam quid æque concoctioni uentris cõferre nouimus, atq; corpus humanum illi impositũ? Proinde quidam puellos noctu admouentes per quietẽ, longe euidentissimũ adiumentũ sentiunt. Cõfert siquidem amplius, magisq́ multo familiaris est eo calore qui à fomentis paratur. Eiusdẽ gratia utilitatis quidam paruos catellos per quietem uẽtri imponũt, copiam coquentis cibos caliditatis adaugentes, non qualitatẽ. Tale esse debet quod ad mouendũ pus adhibebitur medicamentũ, qualis est in naturis tẽperatis calor natiuus. At si iusto calidior natura fuerit, in eo corpore, quod pus mouebit medicamen, calidius sit oportet: tanto nimirum temperato calidius, quanto & natura eius tẽperatam in caliditate exuperat. Itaque clarum iam illud est ex curandi methodo, cuiusq; singulatim hominis suũ ac proprium esse puris mouendi medicamentum. Nec minus illud constat, quod sæpenumero iam demonstratũ, horũ cõprobatur testimonio, omnes medicamentorũ facultates ut ad optime temperatũ hominẽ explorandas. Siquidem nulla cõstitui ars possit, nisi prius uelut regula ac scopo generi materiæ in qua uersatur cõstituto, ad illum iam particularia omnia dirigantur. Rursum ergo proposito tanq; scopo quodam in hoc sermone optime tẽperato homine, eius respectu aliud esse dicimus medicamentũ pus mouens, q̃ quod in-

durata emollit, esseq; eorum temperaturas, quas superius esse posuimus: Eius quidē quod naturæ in mouēdo pure auxilio est cōmoderatā & similē ei corpori cui admouetur: ac proinde quod natura nostra humida sit & calida, humida calidaq; medicamēta eiusmodi frequenter appellari: Eius uero quod indurata emollit, tēperata natura multo calidiorem, non tamen iam ualde calidam

De ortu scirrhi. Cap. 6

Oritur autem induratorū affectio ex fluxione uiscosa & crassa, paruis particulæ poris siue meatibus impacta. Digesto uero per halitum quod tenue est eius ac subtile, ac deinde quod reliquū est refrigerato ac uelut cōgelato, uocata sequitur scirrhosis: ac proinde frigidū pathos aiunt, & percalfaciētia curari. Porrò quoniam cum frigiditate humor redūdat superfluus idcirco etiam cōpositam eius esse medelam, ob refrigerationem scilicet ex calfacientia poscente affectu, ob alienā uero & superuacaneam humiditatē, euacuantia. Vnde fit, ut eorum quæ scirrhi in morem indurata sunt, nullum curari ualeat, neq; à ualide exiccantibus, neq; à fortiter excalfacientibus, neq; ab ijs quæ utraq; hæc præstare possunt. Nam quæ ualde excalfaciunt, hȩrens ac contentum in particula humidum uiolenter digerentia atq; elicientia, reliquum omne desiccant, & incurabile cōstituūt: quæ uero fortiter desiccant, etiamsi non excalfaciant, tamē ipsa non per medium, euacuando scilicet quod subtile est, sed ex professo, ac ex natura sua ad summā duritiē infixam particulæ fluxionē adigunt. Sola igitur ea quæ calfaciunt, sed nō admodum, unaq; exiccant nō magnopere, eiusmodi sanare affectus possunt: uocanturq; ea medicamenta Græce μαλακτικά (Latine emollientia nomino) eodem tēpore utrumq; agentia, nempe quod congelatum est fundentia, & sensim per halitum digerentia.

Emollientia medicamenta in hoc à pus mouentibus differunt, quòd emollientia calidiora sunt, & moderate desiccant existentem in partibus humiditatem: pus autem mouentia corporibus quidem nostris similem calorem obtinent, sed tamen existentem in eis humiditatem seruant. Cap. 7

Quapropter calida sunt id genus medicamenta, nec admodum sicca, atq; à pus mouentibus eo dissidentia, quòd calidiora sint, & sicciora. Illa enim cognatam ac simillimam corporibus nostris caliditatem possident: emollientia uero licet ualidiorem habeant, non tantam tamen ut attractionis uiolentia reliquum desiccent. Præterea ea quȩ pus mouent, humorem qui præfuit in partibus induratis, seruant: emollientia uero paulum quiddam eius absumunt. Proinde quamuis innumera sint calfacientia simul atq; exiccantia medicamenta, sola tamen ea quæ cōuenientē ac symmetrum calorem possident, unaq; illi respondentē sortita sunt siccitatem, mollire que scirrhi instar indurata sunt, possunt, quale est bdellium, styrax, galbanū, thymiama ammoniacū, medulla tū ceruina, tum uitulina, adeps caprinus, & taurinus, & quæ eius sunt generis. Nam nunc consiliū non est omnem expromere materiā, sed solum de id genus facul-

A tatibus omnibus generalem cōstituere doctrinā. Præstat nanq; in genere de pus mouentibus atq; emollientibus cognoscere, quòd illa æqualem accedunt calorē ei qui est in homine secundum naturā: quæ uero emolliunt, multo maiorē. Quocirca illa quidem quantitate potius quàm qualitate caloris agere sunt nata: at quæ indurata emolliūt, qualitate potius. Itaq; si in parte quæ supuratione indiget, assiduo impositas seruare manus, aut aliā quamuis partem possibile foret, celerrime sic suppuratio procederet. Pari quoq; modo si medicamentum hominis tēperaturæ sit quamsimillimū, ocyssime cōcoquet quod in pus uerti debet, ut est nonnunq; caro, nimirum ubi contusa fuerit, interdum uero humor qui phlegmonem produxit.

B *Quod pus mouentia etiam emplastica esse conueniat.* Cap. 8

Quinetiā quòd emplasticū esse debeat eius generis medicamentum, ut exacte suppuratorium sit, & ipsum liquido mihi apparere uidetur. Nam si substantiā innati caloris augere, non intendere qualitatem ipsam conueniat, poros corporis obstructos esse necessum est, quò uidelicet halituosos transpiratus includant. Siquidem ea cataplasmata quæ aut detergētia, aut ualidius excalfacientia, halitus difflari permittunt, exiccant quidē, sed pus nō mouent. Talis est hordeacea, cicerum, fœnigræci, fabaceaq; farina, amplius etiā ærina, eruina, panici, lupinorū, milij, omniūq; adeo exiccantium: quippe cum tum per ea quæ detergunt, etiamsi non admodum excalfaciant, sed quia obstru-

C ctione liberāt, referantq; meatus, unà quoq; calor particulæ euolet, ut naturalis haudquaq; seruetur cōmoderatio: tum ab admodum excalfaciētibus huius etiam non parum uacuetur, & qui reliquus est incalescat, ex quo fit ut natiui caloris substātia diminuatur, sed qualitas intēdatur. Quorum neutrum fieri expedit, uerum halituosum & calidum spiritum cōtineri quamplurimū, & ad unguem caliditate symmetrum: quippe cum hic in pueris copiosissimus, oēs actiones naturales adaugeat. Sed sunt quos id fugit, & cum hoc quod ignorēt, Hippocratem insuper accusare non uerentur, quòd dixerit crescentia plurimum habere caloris innati.

D Sed nos dicta eius haud perperā capere oportet, ac cognoscere innatum dixisse calorem, quem in quoq; animantiū & natiuum spiritū nominamus, de quo & Aristoteles scriptū reliquit. Verū nihil prohibet, sanguineam substātiam simulq; aeream unà cum spiritu calidum inaudire innatū. Ac Stoici quidem nunc ipsum spiritū animæ esse substantiam autumāt. Nos sane de animæ substantia non admodum pronunciare quippiā audemus, & ad præsens superuacaneum arbitramur. Quanquam nos iam ante spiritum innatum, etiamsi non sit animæ essentia, saltē primū eius esse instrumentum in commētarijs de Hippocratis Platonisq; placitis demonstrauimus: et certe dicimus eū spiritum in omnibus animantis cōtineri partibus, sed non undiquaq; esse sui similem, ueluti nec sanguinem, esse necesse. Tum in spacijs inanibus non paruam eius inesse substantiā, imò potius, uelut materiam quandam

quandam leuiculam etiamnum mutationem exposcentem ad innati spiritus qualitatibus suis absoluti generationem, nihilo secius tamē iam tum etiam admodum ad naturalia opera conducentem. Porrò autem unum ex naturalibus operibus est, ea quæ in pus fit conuersio. Nam & illic quædam perficitur coctio. Cum autem quidquam coquere consilium est, quamplurimū, meo iudicio, spiritū seruari intus oportet. Atqui digeritur tum ab euaporantibus ac detergētibus, qualis est hordeacea fabaceaꝗ farina: tum à resiccantibus, qualis est panici, lupinorū, milij: tum ab excalfacientibus, qualis est fœnigræci. Quin multo etiam magis ab ijsque simul et excalfacere et resiccare possunt, puta lolio, eruo, cicere, ochris. Igitur omniū ad puris generationē aptissimum est, ex ijs utiꝗ quæ perfundunt aqua tēperata, aut cui additum oleū est, quod hydrelæum Græci uocāt: ex ijs uero quæ irrigātur, oleū temperatum. At ex ijs quæ ex hydreleo illinūtur, farina triticea, & panis ipse. Sed is modice coctus sit oportet. Nam qui plurimum coctus est, quodāmodo siccior est, aptusꝗ phlegmonis quæ ęgrius concoctionē admittunt: qui uero minus, ijs quæ admodū calidæ sunt atꝗ, ut sic dixerim, feruent, cōgruit. Tum cui plus additum olei fuerit, pertinacius coctioni aduersantibus cōuenit: Cui minus, feruētibus magis competit. Et sanè quod ex pane conficit cataplasma, difficulter coctioni cedentibus phlegmonis idoneum est, siquidem pani tum sal, tum fermētum admistum est. Quod uero ex triticea farina præparatum est, calidioribus utilius est. Et ipsius etiā triticeæ farinæ quæ pura est, tum panis quoꝗ qui purus est, puri mouēdo cōpetentior est, nimirū cum furfur minus sit calidū, & magis desiccet. Farina aūt pura, quęꝗ alere est nata, humida est et calida: qualia certe ad pus producendū conferre ostēdimus. Itaꝗ medicamēta quæ phlegmone tentatis imponuntur partibus, si calida sint & humida, ad pus mouendū conducūt, uti adeps suillus, & uitulinus, Nam tauri & caprę acriores esse ostēdimus: quamobrē phlegmonis tum frigidioribus, tū durioribus magis congruunt. At suillus ijs quæ proprie phlegmonę appellant, familiarissimus est. Est & adeps gallinaceorū familiarissimus, magisꝗ etiam anserū, quodāmodo tamen ad digerendū potentior: est enim substātia sua tenuior, sicut & bubulus & caprarū crassior & terrenus magis. Quin & agrestiū animalium omniū acrior est adeps simulꝗ siccior multo ꝗ domesticorum, maximeꝗ pardalis & leonis. Quare horū nullus omnino puri mouēdo idoneus est, sed, ut dixi, suillus & uitulinus. Porrò pus mouēt & pix, & resina, nēpè oleo quopiā aut rosaceo subactæ. Sed & hic ad ferventes phlegmonas ex rosaceo eas liquare oportet: ad frigidiores uero excalfacientiū quopiam, puta cicino, raphanino, ueteri sicyonio. Quòd si quādo sola utaris cera, alijs ad manum nullis, ad pus mouendum, & ipsam in excalfacientiū quopiam dissoluere oportebit: quippe cum ipsa per se minus sit calida quàm ut pus mouere possit. Siquidē illinendi certè uim obtinet. Solis itaꝗ feruentibus phlegmonis apta est, ex calidorum olerum quopiam liquata, Verum quemadmodū hæc symmetria ac mediocritate inferior est, ut ad medias temperie phlegmonas, hominūꝗ & partiū naturas, sic paulum quiddā excedūt resina & pix. Quapropter hæc omnia simul mista moderate pus mouēt. Sed hæc iam ad tractatum de medicamentorum compositione attinēt, quem ut aliquatenus attingeremus, speculationis ipsius nos sequela adegit. Rursum ergo ad propositum reuerto r. Est autem propositū, definire quæ sit in genere pus mouentium natura. Dictum uero est, quòd modice eam humectantē & excalfacientē esse oporteat: quod alijs uerbis est, ut neꝗ excellat, neꝗ inferius sit tēperatura corporis ipsum immutantis, sed quoad fieri possit simillimum. Cæterū quòd medicamentum puri mouendo idoneum tale sit facultate, & actu, siue energia fiat eiusmodi, dum corpori nostro admotum est, sæpenumerò iam ante dictum est: sed nunc nihilo secius id repetimus, quandoquidem utrobiꝗ eius meminisse oportet. Atque eiusmodi est pus mouentis medicamenti temperies. Porrò corporis ipsius constitutio emplastica est: cum maxime pollēt quæ lenta & uiscosa sunt, uelut adeps porcinus, butyrum, thus, & quod ex farina triticea conficitur cataplasma: quippe quæ moderate tum calida, tum humida lentaꝗ sunt, ac proinde puri mouendo idonea. Chondrus tamen farina triticea siccior est, quanquam nihilo minus lentus sit, nisi forte etiā amplius: unde fit ut in medijs temperatura phlegmonis puri mouendo ineptior, in humidioribus etiam triticea farina præstantior sit. Verum & hæc iam præsentis cōmentationis limites excedunt. Itaꝗ denuo ad medicamenta duritates emolliētia reuertor, hactenus & hic curandi methodum attingens, quantū dicendorum claritati cōducat. Scirrhum uocant tumorem præter naturam, doloris uacuum, sed durum. Sunt aūt inter eos quidam, qui ubi plurimum increuerint, simulatꝗ indurati fuerint, nō modo dolore carent, uerū etiam sensum exiguum, aut etiam nullum habēt reliquum: porrò nascuntur ex humore crasso & frigido, quales sunt in animaliū corporibus duntaxat duo, bilis uidelicet atra, & superexiccata pituita. Proinde tumores scirrhosi omnino aut pituitosæ sunt substātiæ, aut atrabilariæ, aut ex utraque misti. Sed de agnitione eorum non est nunc tempestiuū differere, uerum de medicamentis emollientibus illud ut nunc dicā opportunum est, nempè quòd proprie uocantur emollientia, quæ medentur scirrhosis tumoribus ex pituita resiccata crassoꝗ humore prognatis. Consueuerunt autem ij potissimum in musculorum capitibus, & qui ex eis prodeūt tendonibus consistere. At quæ ab atrabilario succo duruerūt, cancrosa sunt omnia, & ab emollientibus medicinis exasperātur. Sed his quo pacto prospicere oporteat, in Commētarijs methodi curandi docebimus. Quæ uero à lento crassoꝗ humore cōgelato indurata sunt, calida poscunt siccaꝗ medi-

camenta. sed non tamen quæ ualida sunt ac uiolenta: sed sufficit interim ut secundi aut tertij sint ordinis excalfacientiũ, primi exsiccantium. Porrò cum non exigua sit in corporibus sic induratis maioris minorisq; latitudo, necesse utique est & medicamentorum illis medentium non paruam esse latitudinẽ. Siquidem adeps caprinus, & gallinarum, quæ sic indurata fuere iuuarunt. Verum illi quidem imbecilliores sunt, & moderatas duritates emolliunt. Valentior gallinarum gallorumq; adipe anserinus est, caprarũ uero hircinus, ualidior quoq; & taurinus, sed minus tamẽ quàm hircinus. Quinetiam medulla ceruina modice emollit, & cum ea uitulina: quippe cum id genus omnia medicamenta calida sint, & mediocriter sicca, multoq; magis excalfacere quàm exsiccare nata. Vnde siquis forte ea quandoq; calida dicat & humida, non repugnandum: nam paulum absunt ab ijs qui neq; humectant, neq; desiccant. Eodem ex genere sunt, quanquam ualidiora, ammoniacum thymiama, & styrax, & galbanum, & bdellium scythicum: sed ad emolliẽdum præstantiora ex ijs sunt quæ recentia sunt. Siquidem inueterata ualidius quàm oportet desiccant. Id ipsum usuuenit in medulla & adipe, quippe quæ & ipsa uetustate seipsis tum acriora, tũ sicciora euadunt. Quin & oleum quoq; sicyonium ex hoc est genere, nec in postremis id quod inueteratum est, & ea quæ præparantur, ut susinum. Sed de compositis hic dicere statutum nõ est. Porrò radix altheæ, & cucumeris agrestis, nonnullæq; aliæ plantę partim in oleo, partim in aqua decoctæ, emollientium medicamentorum facultatem induunt, sicut maluæ agrestis folia tum cruda, tum cocta. Atq; hoc simplex medicamentum est, sicut porcinus adeps uetustatem passus, sed salis nihil oportet adijcere, sicut nec alijs quæ emolliũt: ualde enim desiccat sal. Porrò quæcunque alia emollire possunt, seu simplicia seu composita sint medicamenta (alibi enim ea recensebimus) calida sunt ex secundo & interdum ex tertio ordine, leuiter uero sicca. Sed & his sanè illinendi uis (emplasticam uocant) insit necesse est, non aliter quàm ijs quæ pus mouent. Sed quanto maiore euacuandi facultate pollere debent, tanto utique minus etiam meatus illitu obstruere.

Quòd medicamenta indurantia humido frigidoq; sint temperamento. Cap. 9

Sanè emollientium facultas medicamẽtorum abunde iam exposita est, proinde deinceps de indurantibus uerba faciã. Frigida itaque hæc sint oportet & humida, uelut semperuiuum, portulaca, psyllium, lenticula palustris, solanum: aut hoc quidem certe non est temperamẽto humido, sed medium absolute humectantis & exsiccantis: ex pugnantibus facultatibus compositum, exsiccante uidelicet & humectante: nimirum cum & duplicem in se habeat substantiam, terrenam & aqueã. Sed iam non est mihi consilium, ad particularem materiam sermonem deducere, uerum generales duntaxat breuiter facultates definire. Sanè siquid simul & refrigeret & desiccet, & ipsum profecto omnino indurabit: sed non est ex ijs quæ proprie indurant. Siquidem congelatione potius quàm euacuatione durum efficitur corpus, prout supra posuimus. At si quid sit quod proinde quia natiuum humorem non retinet, induratum est, id siccum potius quàm durum appellabimus: cõstatq; eius sanatio rigatione & humectatione, non emollitione: sicut certe & tensio curatur laxatione, & laxatio tensione.

De tendentibus laxantibusq; medicamentis. Cap. 10

Sed hæc ut se habeant liquido conspiciuntur, cum in cute, quemadmodũ & ab Hippocrate dictum est, cutis durę mollificatio, tẽsæ laxatio: tum etiam frequenter in articulis. Igitur laxatio prouenit humectatis immodice quæ circa eos sunt ligamentis pariter & tendonibus: tensio uero non etiam simpliciter, sed aut plusculum exsiccatis, aut refrigeratis, aut phlegmone affectis, aut scirrho. Atq; ita quidem in articulis. In cute uero non tantum ita, sed musculis quoque qui ei subiecti sunt, quoquo modo in tumorem sublatis. Nam & præ carnis sæpe copia quibusdam tenditur. Quod uero & in phlegmonis idipsum illi accidat, supra positum est. Quamobrem no simpliciter una est species laxantium remediorum, utpote cum alia humectando, alia calfaciendo, alia uero emolliendo, quædam euacuando, nonnulla tumores præter naturam purgando, alia etiam per coniugationem horum quampiam agentia, laxare assolent. At Thessalus, fereq; sequaces eius uniuersi, sicut in alijs multis, ita & in his appellatiões simul cum rebus confundunt, quicquid obuium est, citra ullam examinationem cõscribentes. Quamobrem ubi quæ in manibus sunt absoluerimus, necesse nobis forsan fuerit aliquando in eos stylum conuertere: in præsentiarum autem quod dicta continuo sequitur persequamur, rursum sumpto principio ab ijs medicamentis quæ uocãtur emplastica, quia sæpe iam ante & de ijs diximus. Breuiter ergo Emplasticum medicamentum est, quod tenaciter corporis poris siue meatibus illitum inhæret. Porrò abunde dictum est nobis de pororum, quos nos statuimus, natura in libris De temperamentis, demonstratum autem est & in libro hunc præcedente, mordacitate uacare omnino debere medicamentũ emplasticũ: nã si qua illi inerit mordacitas, hærere in poris nõ poterit, sed omnino facile excernetur, aut partiũ aliquam liquãdo, aut certe humorem aliquem ex alto attrahendo. Sed & illud satis constet, terrenę consistentiæ & uiscosum esse oportere emplasticum.

Quòd poros purgantium medicaminum unumquodq; calidum sit, & tenuium partium: nam amara omnia & nitrosa sunt. Cap. 11

Sed de istis supra abunde dictum est. Quod uero illi contrarium est, dici queat poros repurgans, & infarctu liberans, sicut & ipsum emplasticum non modo emplasticum dicitur, sed & ἐμφρακτικὸν quasi dicas infarciens. Fuerit autem id sicut effectu contrarium, ita & corporis natura, neque

uiſcoſum, neq; mordacitatis expers, ſed nitroſum & ſubtile. Nam in ratione maioris ac minoris differunt, ſubſtantiæ genere minime diuerſa, tum emplaſtica ab iis quæ ſordem nutriunt, tum repurgantia ab extergentibus. Nam quæ in ſuperficie ſordem auferunt, ſiue in cute, ſiue in ulceribus, ea extergentia ſiue rhyptica nominantur. Quæ uero poros etiam expurgant, ea ſubtiliorum his partium ſunt & emplaſticis contraria: proinde pororum ecphractica & eccathartica quaſi expurgantia & farctu liberantia dicas, appellantur. Sunt autem hęc tum nitroſa, tum amara. Atq; cuti extimę impoſita ſolam nitroſam qualitatē poſsideāt exactam eſt opus ad ea peragenda quæ dicta ſunt. At intrò in corpus aſſumpta, etiamſi adiūcta ſit quædam adſtrictio, poſsint tamen ſic quoq; magnos purgare abſtergereq; meatus, cuiuſmodi ſunt in uaſis. Nam foris meatuū exiguitas prius ab adſtrictione occluſa, quàm probe queat expurgari; nō etiam inde in altum abſtergentem ſubſtantiam recipit, nec expurgatur. At quæ circa uentrem ſunt partes omnes, quæq; in iocinore, liene, aliisq; omnibus uiſceribus, cum maximos in ſe meatus habeant, maius accipiunt commodum ex uaſorum corroboratione, quàm propter oſculorum exiguitatem lædantur. Proin intus abſinthium repurgare poteſt, foris non poteſt: quippe quod compoſitum eſt, ut ſupra dixi, ex amara acerbaq; facultate. Quamobrem eius generis medicamenta particulatim ut perſequar, non eſt neceſſe. Quæcunq; enim repereris nitroſa & amara, ea ad purgandos meatus omnes ualere noueris. At cutis uniuerſæ ac ulcerum ſordes, nō hæc tantū, ſed & uiribus minora auferre poſſunt, qualia ſunt dulcia quæ tenuium ſunt partiū, puta mel, & ex cerealibus ſeminibus quædam, ut eruum, fabæ, hordeum, lupini: Quanquā in ipſis fabacea hordeaceaq; farina tantum extergit, non etiam meatus farctu liberat: erui autem & lupinorum potiſsimum ſi amara fuerint, ſupra q̄ quòd extergunt, nōnihil quoq; meatus purgare ualent. Simile quiddam amygdalis accidit: nam & horum ipſorum ea quæ amara ſunt, & detergunt, & meatus expurgāt: quæ uero edendo ſunt, detergunt quidem, non tamen infarctu liberant. Quin & urticæ ſemen non ſecus atq; eruū amygdalaq; amara, meatus purgat. Ex eodem genere ſcilicet ſunt ſcilla & iris, & quæcunq; alia uincentem in ſe qualitatem amaram poſsident. Siquidem nitrum ipſum per ſe, & aphrolitrum, & ſpuma nitri, & ſeriphon, & abrotonū, & id genus reliqua cum cibo potuq; aſſumpta eandem uim obtinent. Protinus enim his ineſt, ut craſſos lentosq; humores extenuandi uim obtineant, ſicut emplaſticis omnib. craſſos lentosq; corporis ſuccos reddendi. Quamobrem lentis ac pituitoſis thoracis pulmōisq; humoribus, aut puri, & incidēdis & extenuandis & educendis aptiora inuenire alia præ iſtis medicamenta nequeas. Iiſdem iſtis & iocinoris obſtructiones expurges, & modicas etiam lienis: nam quæ maiores ſunt, uehementiora deſiderant, nempe capparis corticē, radices tamarices,

A ſcolopēdrion, & ſcillam, & eam quæ id ipſum nomine repræſentat, aſplenos appellata. Sed tamen iſtis utēdum in quoq; uiſcerum eſt: ad iecur, ipſis per ſeſe duntaxat: ad lienē uero, miſtis aceto, aut ei incoctis: ad thoracem pulmonēq;, melicrato, ptiſanæ, oxymeliti, aut dulcium uinorum cuipiā. Sed hæc ad curandi pertinent methodum: proinde in præſens rationibus ea confirmare omitto. Nam & in illo opere, & in alio quod De componendis medicamentis inſcribetur, eas explicabo.

Quòd urinam cientia ex acrium genere ſint, ac proinde calida & ſicca, tum quòd ſanguinem ſeroſum ſegregent, craſſum uero cogant. Cap. 12

Porrò quæ neceſſe eſt ut dictis adiiciā, ea duntaxat expromam, nempe cum plurimam mouere B urinam annitimur, non admodum dictis utendū pharmacis, ſed quæ acriora ſunt, & magis excalfaciūt. Dictum ſiquidem ſupra eſt, acre omne eſſe calidum: eius generis ſunt ſemen apii, petroſelini, fœniculi, dauci, agrioſelini, ſmyrnii, & ſanè ipſum quoque ſeſeli, & ammi, & phu, & meon, & aſaron, & acoron, à quibus ſanguis non extenuatur duntaxat, ſed & funditur ac ſecernitur, non ſecus atque lac quod coagulatur ſeroſo uidelicet & tenui ſeorſum ſegregato, craſſo uero in ſeſe coeunte. Siquidem quò facillime ad ſe attrahant renes quod in ſanguine aqueū tenueq; ac ſeroſum eſt, utraque hæc conferunt, nempe totius ſanguinis primum fuſio, deinde ſegregatio, quorum neutrum abſq; ualido calore peragi queat. Quamob- C rem puris ex thorace expuitioni ea omnia aduerſa ſunt: quippe cum natura eorum ſit tum excalfactoria exiccatoriaq;, tum etiam ſecretoria, & coactoria. Cogitur quidem in ſeſe quod craſſum eſt, excernitur uero ac ſecernitur in ipſo coactu quod in ſanguine ſeroſum ac tenue defertur. Atq; hoc ad ſeſe trahere renes anteuertunt: quod uero coactum eſt atq; exiccatum, haud etiam facile expuitur. Proinde ut modo poſui, incidēdi uim habeat eiuſmodi medicamentum oportet, ſed nō tamen inſigniter calidam, ne uidelicet ualide deſiccet: ac eiuſdem profecto commoditatis gratia cum ſorbitiunculis potionibusq; humectantibus exhiberi poſtulat. At quæ renes expurgant, & ipſa quidem incidentia ſunt, uerum larga humiditate non D indigent. Porrò quæ calloſas ſiue tophaceas conſiſtentias incidere ſunt idonea, & ipſa utique admodum incidunt, ſed minimum caloris poſsidēt. Quippe caliditas callum porrum'ue ipſa contrahit ac procreat, nō incidit neq; diuidit. At quæ minus ſunt calida, cum hoc quod incidere ualeant, meliora quoq; ſunt, uelut radices regiorum aſparagorum, & rubi, & betonica, & polium, tum ochra, & uitrum uſtum, & ex ſcilla confectum acetum, & quæ ſunt eius generis. At Theſſalus inſulſiſsimus atq; imperitiſsimus, ſicut pleraque alia artis contumeliis ac probris immerito afficit: ita & hæc quoq; diſcerpere contendit, nullum eſſe medicamentum cenſens quod proprie ſit aut hepaticum, aut nephriticum, aut pleuriticum.

Quod rarefacientium temperies moderatæ sit tum caliditatis, tum siccitatis, consistentiæ uero tenuium partiũ: anastomoticorum autem cum calidior, tum etiam mordax atq; acris, ac crassarum partium: porrò condensantium adstringens & aquea potius: stipantiũ uero siue στυγνωτικῶν, crassarũ partium, & frigida. Cap. 13

Sed illius peccata alijs libris detexi. In præsenti aũt libro reliquas simplicium medicamentorum facultates edisseram, exordio rursus ab aperientibus ac rarefacientib. (illa anastomotica, hæc caræotica nominant) desumpto. Videntur enim & hæc quodã sanè modo iam dictis esse uicina: nẽpe quę extergere, incidere, obstructiones tollere, diuidereq; diximus: quanquam non undiquaq; esse similia. Sanè & horum ante omnia distinguẽda notio est, ac sic inquirenda substãtia. Quæ cutis meatus reserant, rarefacientia dicimus: quę uero uasorum oscula, aperientia. Quin & illis contrariorũ, quod poros contrahit, condensans appellitant: quod autem osculum occludit, haud etiã proprio designãt nomine, sed generalioribus, puta contrahens, occludens, constringens, obstruens nominant. Porrò utriusq; natura sic habet: rarefaciẽtium quidem tum modice calida est, tum minime desiccãs, tum tenuium partium: aperientium uero, tũ crassarum partium, tum acris ac mordax. His porrò contrariorum, condensantiũ quidem frigida sanè, sed nõ terrena, neq; aerea, sed potius aquea. Eorum autẽ quæ apertiones siue anastomoseis occludũt, crassarum partium, et frigida. Exempla horum sunt, rarefacientis quidem naturæ chamæmelũ, et althea, & quod ex ipsis pręparatur oleũ, nec minus quod ex agrestibus conficitur cucumeribus. Quin & uetus, & cicinũ, & raphaninum oleum ex eadẽ sunt nota. Aperientis uero facultatis, quæ acria sunt simulq; terrena, cyclaminus, allia, cæpe, fel taurinũ, unguẽtorumq; adeo omniũ quæ simul crassarum sunt partium, & calida, subsidentiæ: cuiusmodi est irinum, & amaracinum, quæ utiq; & occæcatas aperiunt hæmorrhoidas. Porrò quæ uteri os à phlegmone, aut scirrho, aut ariditate occlusum aperire dicuntur, ex accidenti, non autem primariò et per se eiusmodi habere facultatẽ censentur, uelut nec ea quæ labiorum à phlegmone occlusorũ, aut genarum, aut narium, aut gutturis, aut præputij, aut sedis, aut alterius eiusmodi osculi instrumẽti phlegmonem sanant, atq; occlusionem corrigunt. Ea nanq; phlegmonẽ soluere dici possint, haudquaquam aperiẽtia siue anastomotica. Peccat sane in istis Dioscorides, nonnunquam aperientis inquiens facultatis medicamentum quod laxat, aut emollit, aut humęctat, aut phlegmonẽ soluit. Atq; rarefacientium & aperientiũ eiusmodi sunt essentiæ. At eorum quæ ipsis contraria sunt, condensantium quidem, aquæ est frigidæ, semperuiui, portulacæ, tribuli uiridis, psyllij, herbæ, quam muris aurem uocitant, lenticulæ palustris, & ut semel dicã, quæcunq; refrigerant, sed nõ adstringunt. Proinde et mandragora, cicuta, altercum, papauer, ipsas nunc dico herbas, siquis modice utatur, cõdensandi uim obtinent: sin liberalius, non modo condensandi, sed & obstupefaciendi: si uero etiam plurimum, nõn tantũ obstupefaciendi, sed & enecãdi. At eorum quæ aperientibus aduersantur, substantia, cum sit crassarũ partium, & frigida, adstringentium est omnium, quæ quidem admistam non habent acrimoniam. Quorum sanè materiæ abunde multa posuimus in quarto huius exempla: in quo & essentiam eiusmodi medicaminum terrenã frigidamq; exposuimus. Mirũ ergo uideri nõ debet, si sola cõtrahere occludereq; possit aperta præter naturam uasorum oscula: soli enim huic, quæcũq; requirunt ea quæ contrahi debent, omnia adsunt: nimirũ quæ consistentiæ crassitudine foris incumbat, nec paruos meatus penetrare possit, tum frigiditate sua intrò premat, atq; undiquaq; in sese contacta uicinaq; corpora cogat ac contrahat. Nã proinde quod desiccat (eiusmodi enim esse ostensum est quicquid adstringit) humorem depascitur, & partem roborat. Itaq; si hæc omnia cõueniãt, osculum cludetur, ceu à manibus foris, ipsis nimirũ adstringentis substantię partibus contractũ. Ea uero medicamenta quæ frigida quidem sunt aut æque, aut amplius, sed substantiam sortita sunt aqueam, ea inquam, debiliter & cõtrahunt, & constringũt, nimirum propter mollitiem: quippe quicquid ualenter tum constipare, tum constringere debet, robur quoddam renitens & durum habeat oportet: qua cũ careãt medicamẽta naturæ magis aqueæ, tenues quidem poros in unoquoq; corpore contrahunt atq; condensant, cæterum instrumentum undiquaq; totum cõstringere nequeũt. Quamobrem merito talia cõdensantia quidem sunt (græce πυκνωτικὰ) non tamen obstruentia, (græce στυγνωτικὰ dicta.) Intelligas nunc uelim obstruẽtia siue stegnotica me dicere corpora, quæ sensibiles excretiones cohibẽt: corpus enim stegnoticũ, quod στέγει siue claudit ac continet in se, nec quicquam quod sensu queat percipi, ex sese emittit, grçce στεγνὸν nuncupatur. Atq; hæc eiusmodi sunt tũ temperaturæ, tum facultatis. At rarefaciẽtia prorsum quidem calfaciunt: nec enim aliter diffundere & laxare possent substantiam: ad quod consequitur, ut & pori dilatentur. Debent autẽ non admodum esse calida temperie: si quidem ea iã acria sunt, & inhorrere faciunt: neq; item exiccatoria: nam & hæc sensilia corpora colliquant, doloremq; in ipsis excitant.

Quod escharotica crassæ sint consistentiæ, ac uehementer caustica, siue urentia: adeo ut corpus sensibiliter colliquẽt: ac septica, quæ uidelicet non dicũtur proprie caustica, & ipsa colliquare sunt nata: non tamen tã ualenter quàm escharotica: ad hæc consistentia sunt tenui, ac proinde latentem moliuntur colliquationem. Cap. 14

Itaq; quæ citra molestiam excalfaciũt, ea sola omnium sunt rarefacientia. Si uero non modo calida fuerint, sed etiam consistentia crassa, siquidem uehemẽtia sint, & caustica, hoc est urẽtia: & ignis instar corpus colliquant, & sæpe escharas, hoc est crustas, ritu cauterij efficiunt. Porrò si debilius quàm ut urere possint calfaciãt, anastomoticam siue aperiendi uim obtinent. Itaq; medicamen omne anastomoti-

stomoticum essentiæ quidē terreæ simulq́ igneæ est, hactenus tamen excalfaciens, ut nōdum urat. Si porrò causticū sit, non tamen uehementer, præterea essentiæ tenuioris, id planè ab omni aberit mordacitate: aut cum exiguo tū dolore, tum morsu carnosas partes eliquabit. Nā quod non confertim alterat, uti quæ uehemēter sunt calida, quodq́ non ægre penetrat, sicut quæ crassæ sunt essentiæ, latentem ea actionem obtinent. Siquidem alterationes subitę confertæq́, mutationes maxime sensibiles sunt, tum penetrationes quæ uiolētæ sunt. Quippe quod in crassa essentia causticum est, id cuicunq́ inhæserit parti, aculei ritu infixum excruciat. Verum hoc quidem escharoticum est, perinde ut caustica: cæterum de quibus nunc agitur, crustam non faciunt, & uocantur septica, hoc est putrefacientia, haud quidem appellatione propria (nam quæ uere sunt septica, humectant simul & calfaciunt) ueruntamen symptomatis similitudo, ut sic appellemus, effecit: utpote cū ab utrisq́ nullo doloris sensu fiat corruptio. Multis em̄ modis corrumpi quid potest. Siquidem quæ nimio plus refrigerata sunt aut excalfacta, tum exiccata aut humectata, ea omnia corrumpuntur: cęterum non quicquid corrumpitur, σήπεσθαι, hoc est putrescere dicimus, sed quibus id cū fœtore accidit. Sed de nominibus non admodum esse solicitum oportet: uerum nouisse expedit ea medicamina, quæ septa & septica nuncupantur, ut sunt auripigmētum (ἀρσενικὸν Græci uocāt) sandaraca, chrysocolla, dryopteris, pityocampe, aconitū, omnia tum eliquare, tum colliquare, ac potissimum carnē tenellā, idq́ absq́ dolore. Sed sunt inter ea quædā quæ proprie uocant cathæretica, hoc est detractoria, eisq́ utuntur ad inducendam ulceribus excrescentibus cicatricē. Sunt tamē & ipsa eiusdem genere facultatis, septices scilicet: uerum tantulo imbecillioris, ꝙ extimam modo superficiē quam contigerint detrahant, non tamen in altum subire ualeāt, uelut asię petrę flos, quanq́ nec talia ipsius reuera facultatis cicatricem inducentis, ꝙ uocant ἐπουλωτικὴν, sunt. Siquidem quæ huius sunt facultatis, non detrahere, neq́ liquare carnem sunt nata, uerū indurare & desiccare, cuiusmodi sunt alumē, galla, omphacitis uocata, æs combustum, maxime lotum: nā quod lotū nō est, quiddā obtinet cathæreticū, uelut et æris squama. Nā quod lotum est, omniū medicaminum cicatricem inducētium longe præstātissimum est: quippe quod probe cicatricem inducit, modice adstringat oportet atq́ desiccet. Quapropter spinæ Aegyptiæ fructus, & mali granati putamina sicca, & eius generis uniuersa cicatrici inducendæ sunt medicamina.

Quod cicatricem inducentia medicamenta adstrictoria esse desiccatoria conueniat: quæ uero ulcerū caua implent, mediocriter extergentia, & morsu uacantia. Cap. 15

Cæterum cōfusa est apud plerosq́ medicorum non solum appellatio, uerumetiam omnium id genus medicaminum facultatis cognitio. Siquidem quæ carnem detrahere ac colliquare sunt nata, ea nōnunquam nominant epulotica, hoc est cicatricem inducentia, scilicet ꝙ horum sæpe usu ulcera ad cicatricē perueniant: sed id neq́ primario, neq́ peculiari ipsorum facultate, neq́ in omni usu sequit̃. Siquidem ad exactum pulueris leuorē redacta id genus medicamēta per specilli cuspidē carnem leuiter cōtingentia, ad cicatricem ulcera perducunt. At si paulo largius utare, mordicant colli quantq́ carnem, & ulcus cauum efficiunt, contra quàm in ijs quæ re uera sunt epulotica. Siquidem nisi satis magnam eorū quantitatē imponas, nihil proficies. Id enim est in planis ulceribus ad cicatricem ducendis cōsilium, ut caro alteretur, fiatq́ cutis: id quod perficitur per ea quæ illam cōtrahere, constringere, cōstipare, densare, præterea siccare, & calli instar indurare ualeant: quippe cū cutis uelut in callum durata caro sit. Quæ igitur medicamēta sic agere possint, primario proprieq́ dicuntur epulotica, siue ad cicatricem perducētia: cætera uero, nempe cathæretica, hoc est detractoria, secundario, & per accidens: sicut & ea quæ absq́ adstrictione desiccandi uim habent mordacitatis expertem. Nam & hæc quoq́ ex accidente cicatricē inducunt, cuiusmodi utiq́ medicamētum est myrrha, & lithargyrus, & ostreum, & diphryges combusta: quandoquidē et ipsa sæpenumero cicatricē inducunt illita. Cæterum scire oportet, ubi tum in his libris, tum alijs omnibus hanc uocem sæpenumero adijcio, id me uelle significare, ꝙ aliquando promissa frustrent̃, propterea ꝙ nec primario, nec sua facultate efficiāt. Porrò epulotica medicamenta ulcus omne planum claudere cicatrice ualent: sicut mediocriter citraq́ morsum abstergētia cauitates implere. Cæterū de hoc genus medicamentis fusius dicetur in commentarijs De ratione curandi, cum quo multis locis magna est huius libri affinitas, ceu etiam ab initio præfatus sum. Proinde suspenso de istis sermone, ad alterum genus facultatum, nempe attrahētium & repercutientiū, siue repellentium, transeundum censeo.

Quod attrahentium essentia & calida sit, & tenuium partium: repercutientium uero & frigida, & crassarum. Cap. 16

Igitur attrahentes sunt, quæ ex alto uehementius extrahunt: repercutientes uero, quæ in altum occurrentes sibi succos repellunt. At essentia illis quidem calida est, et tenuiū partiū: his uero frigida, & crassarū. Attrahit enim perpetuo calidū, repellit uero frigidū: uerū quod cū caliditate cōiunctā habet partiū tenuitatem, trahit uehementius: ꝙ uero cum frigiditate partiū crassitudinē, id uiolentius propellit. Itaq́ ex actionis uehementia nomen utriq́ impositū est. Atq́ adstringentiū quidē nota est essentia: attrahentiū autē alia sponte nata est, alia uero ex putrescente arescenteq́ generationem sortita. Sponte nata, ut dictamni essentia, & propoleos, & thapsiæ, & sagapeni, & succorū cyrenaici & medici, & si qua his similis extiterit. Ex putrefactione, qualis est fermēti, & psorici, quod uocant. Quòd si fimis quoque ex putrefactionē generatio constat, utiq́ omnes attrahendi facultate pollebunt. Sed nō parua illis inest diuersitas:

Nam

Nam columbinus admodum attrahit: ex ęquo autem utrinq; ab hoc recesserũt, ad calidius quidem anserinus, ad frigidius uero gallinaceus: hoc etiã magis uincũtur humanus & suillus. At canũ stercus simile est medicamentis extergentibus, maxime si uescantur ossibus. Crocodilorum autem terrestrium stercus magis etiam id perficit atq; absoluit. Sed & aliud est attrahentiũ genus medicamẽtorũ, quod qualitatis familiaritate attrahit: id q̃d aliud est nihil, q̃ totius essentiæ similitudine, ceu quæ nutriuntur, familiaria nutrimenta attrahunt. talium medicamentorum sunt purgantia omnia, & nonnulla alexiteriorũ siue amuletorum. Cæterũ calida ut sint id genus omnia necesse est. Nam inter ea quæ essentijs similia sunt, quod calidius est, id potẽtius attrahit, utpote quod similitudini auxiliariũ adiũxerit calorẽ. Siquidem cum ipsum duabus causis attrahat, superabit id quod una duntaxat trahit. Porrò nihil refert ἐπισπαστικὴν, aut ἑλκτικὴν, aut ἑλκυστικὴν δύναμιν dicas, latine attrahentem siue attractoriam facultatem.

Alexiteriarum & alexipharmacarũ facultatum, quædam alterando quod mortiferum est iuuant, quædam uero euacuando. Et earum quæ alterant, aliæ una aut duabus qualitatibus agunt, aliæ tota essentia. Similiter quæ euacuant, quædam substantiæ similitudine euacuant, quædam caliditate subtili ac tenui. Cap. 17

Verum quãdoquidem de istis abunde dictum est: transeamus ad facultates quas uocant alexiterias: & alexipharmacas. Est autem harum natura duplex. Siquidem quædam alterant, quædam uero euacuant ex corpore patiente, seu uenenum corrumpens, seu deleteriũ medicamen. Alterant igitur aut una qualitate; aut duarũ coniugatione, aut deniq; tota substantia. Euacuãt totius substantiæ similitudine, & caliditate subtilium partium. Quatuor itaq; sunt uniuersæ differentiæ proficiscentis ab illis utilitatis, duæ alterantes, & duæ uacuantes. Atq; ea sane quę qualitatis contrarietate auxilio est, manifesta est. Nam si frigidũ sit medicamen deleteriũ, aut uenenum animãtis, ab excalfacientibus petẽdum remedium: sin calidum, à refrigerantibus. Si uero humidum, ab exiccãtibus: sin siccum, ab humectantibus. Sic etiam si humidum sit & frigidum, ab exiccantibus & excalfacientibus: sin calidum et siccum, ab humectantibus & refrigerantibus: & in reliquis duabus coniugationibus ex proportione. Sed nec obscura est alteratio quæ fit per totius substantiæ facultatẽ, utiq; ijs qui memoria tenent quæ demonstrata sunt in commentarijs De naturalibus facultatibus, & in illis quæ inscribuntur De temperamẽtis. Siquidẽ facultates quæ deleteria medicamina alterant, naturam habent mediam inter corpora perpetiẽtia, & medicamenta ipsa lędentia, ut uidelicet eadem sit proportio corporis ad facultatem alexiteriam, quæ illius ad deleteriam: & rursum deleterij ad alexiterium, quæ alexiterij ad corpus. Ea propter propemodũ omnia quę deleterijs aduersantur, si largius sumpta fuerint, grauiter animãtis corpus oblædunt. Quamobrem ea moderatione quantitatis omnes id genus facultates, exhibere oportet, ut neq; copia nimia corpus offendãt, neq; exiguitate sua à deleterijs uincantur. Sed hoc iam attinet ad curandi methodum. Nunc autem quæ reliqua sunt persequamur. Omne deleterium uenenum à foris impositis medicamentis euacuatur, nempe aut caliditate attractionem molientibus, aut totius substantiæ similitudine. Sed & hic quoad fieri poterit maxime medium natura alexiterium sit oportet, corporis uidelicet quod curatur, & ueneni lædentis. Nam si aduersissimũ foret corpori, in ipsum ageret potius, ceu deleteriũ, haud euacuaret uenenũ. Etẽ, ut claritatis gratia summam repetamus, scire oportet, deleterias facultates uniuersas temperatura esse aduersissimas corporibus quæ ab ipsis læduntur. Itaq; si à similibus temperie medicamentis euacuentur, erũt & hæc corporum naturis contraria. Sane & sunt quadantenus contraria, non tamẽ adeo ut interimant, sed ambigant potius, in medio sita eorum quę ex professo corpus animantis lædunt, & quæ iuuãt. Porrò nihil intererit, deleterias facultates, an phtharticas, an phthoropœas, an alio quouis modo appellare uoles: similiter nec an alexiterias, an alexipharmacas. Attamen si qui ea quæ uenenatarum bestiarum ictus aut uenena sanant, alexiteria nominare uelint, quæ uero medentur deleterijs, alexipharmaca, ceu quidam censuere, disceptandũ cum istis ac pugnandum de nominibus non est. Nec enim ex istis comparatur curãdi morbos peritia, sed ex rerum ipsarum cognitione.

Quod anodynorum, hoc est dolorem sedantium, & paregoricorum, hoc est lenientium aut mitigantium uocatorum medicamentorum, quædam reuera sunt eiusmodi, uelut calida coniunctam habentia partium tenuitatẽ: alia uero nomine duntaxat, ueluti narcotica, hoc est stupefacientia, qualia sunt refrigerãtia omnia. Cap. 18

Porrò quandoquidem & de his quod ad præsens conueniat satis iam expositum est, transeundum deinceps est ad sermonem De facultatibus anodynis, hoc est dolorem sedantibus, & paregoricis aut prayntícis, id est lenientibus aut mitigantibus, aut utcunq; nuncupare libebit. Facultas igitur anodyna, alia reuera est, alia tantum dicitur, tanquam si quisquam hominem mortuum dicat anodynon, quia dolore uacet. Cæterum facultas reuera anodyna est eorum quæ primo ordine excalfaciunt, si utiq; in essentia tenui contineatur. At facultas eorum quæ dicuntur, frigidorum est, quæ absoluto utentia frigore partem obstupefaciunt. Est autem stupor paulo minus q̃ insensibilitas, ac sensus priuatio. Porrò quæ affectum sanando, dolorem sedãt, nec ea merito anodyna dici possunt. Nam id commune est omnium quæ curant. Itaq; quæ reuera sunt anodyna, partium sint tenuium, et calidiora quàm quę symmetra sunt, necesse est, ut scilicet euacuent, ac digerant, tum rarefaciant, extenuent, concoquant, & æquabile reddãt quicquid in partibus dolore uexatis aut humorũ acrium, aut lentorum, aut crassorũ, aut multorum tenuibus spiramentis infarctorũ, aut etiã uaporosi,

aut

aut crassi, aut admodũ frigidi spiritus exitũ commodum nõ inuenientis inhæsit, atq; inclusum est. Itaq; nihil prorsum adstrictionis habeat oportet, ne si pars quidem aut etiã affectus exposcant. Ex quibus liquet, quod interdum affectionem non iuuabunt, sed dolorem tantummodo mitigabũt, quando uidelicet reuera dicentur anodyna. Interdum uero etiam affectum ipsum adiuuabũt, & facultatem habebũt duplicem, nempe anodynam, & sanãtem. Sed de talibus copiosius agetur in curãdi uoluminibus. At in præsenti hoc dixisse sufficiat, nempe quod horum anodynorũ proprie nũcupatorum medicamentorum quædam, ut est ante dictum, primi sunt ordinis excalfacientiũ, quæ sane proprie sunt anodyna, ceu oleũ anethinum: quædam uero similiter ut corpus nostrum, uelut pus mouentia nuncupata, de quorum materia supra dissertum est. Sed de ipsorum usu in libris De curandi ratione definietur. At ea quæ καταφορὰς, id est soporem epota moliuntur, ac proinde ὑπνωτικά, hoc est somnum conciliantia à plerisq; appellantur, temperiem sortiũtur uel summe aduersam ijs quæ reuera sunt anodyna. Refrigerant siquidem omnia corpus, & sensum eousq; obstupefaciunt, ut si paulo liberalius ebibantur, mortem afferant. Cæterum ad usum propositum optima sunt quæ desiccãt. Nam quæ frigida cum sint, humiditatis item copiam obtinent, ceu cicuta, ea potui non sunt utilia: talis est mandragora, excepto cortice eius sicco, & altercum, præter semen. Sed tamen & in his candidum semen atro præstat. At sunt quæ tota essentia nobis contraria sunt. proinde si uel minimum eorũ assumptum fuerit, omnino lædat necesse est, ceu dryopteris, & pityocampe, & thapsia, & solanum manicum, & hydrargyros, & fungorum nonnulli, præterea saliua & fel uenenatorum animalium. Nam talia omnia genera sunt deleteria, non quantitate. Ac proinde nihil eorũ in alexiterias antidotos inditur, ueluti papaueris succus, & myrrha, & styrax, & crocus. Siquidẽ hæc si largius bibantur, quædã dementant, quædã mortẽ inferunt: uerũ conuenienti quadam mensura alijs admista adiuuant. Porrò quæcunq; inter ea mentem lædunt, continuo etiam pleraq; caput degrauant, uaporum prauorum cõgerie ipsum implentia. Sed & quædam os uentriculi tentant atq; affligunt, ut et inde caput per consensum lædatur. Communiter uero uniuersa duobus modis cerebrum affligunt læduntq;, aut cum tota substantia sunt contraria, aut cum una duabusue qualitatibus temperaturam immutant.

Duobus modis dicitur cathartica, hoc est purgans, facultas: aut enim quocunq; modo expurgans corporis recrementa, aut quia uim attractoriam familiarium succorum obtinet. Cap. 19

Cæterum quoniam de his sufficienter dictum iam est, quod quidem ad præsentia faciat, tempestiuum nunc est, resumptis dictorũ capitibus, ea adijcere quæ sermoni reliqua esse uideatur. Nam in ueritate quidẽ nihil est reliquum, nimirũ cum secundæ iam facultates omnes sint expositæ, qua-

A les sint genere scilicet, nec paucæ speciatim superius explanatæ ceu exẽpla, unde quis orsus, quorumq; auxilio reliquas ipse queat assequi. Verum nihilo sese res deterius habebit, si claritatis gratia breuibus iterum capitibus ea fuero complexus. Primum enim facultatem omnes purgatoriam in ore habent, haud tamen omnes perinde intelligunt: quia uocabulum duo significat: Alterũ commune omnium quæ quouis modo animalis excrementa expurgant: Alterum uero quod per excellentiam de ijs tantũmodo dicitur, quæ aut per uomitum, aut per uentris deiectionem purgent: nõ tanquam eiusdem sit generis tũ ea quæ fit per nares, tum ea quæ per os fit purgatio. Vocãt autem ea medicamenta, quæ naribus (quas Græci ῥινὰς
B nominant) capitis purgandi gratia infunduntur errhina. At quæ in ore colluunt, aut dentibus mãduntur, omnia una nomenclatura comprehẽdentes apophlegmatizonta nuncupãt. Eiusdem cum istis sunt generis, quæ uuluæ admota expurgant. Quæcunq; siquidẽ purgare animaduertimus, ea trahendi uim possidẽt, alia unum quempiam succum, alia duos, aut etiam plures: & id illis inter sese commune est. Nam quæ crassis lentisq; humoribus extenuandis aut urinã ciere possunt, aut ex pectore pulmoneq; eijciendis excreationibus auxiliari, purgãt sane & ea quidem quodam modo, uerum antedictis non similiter nuncupantur, sed alia uocãtur uretica, alia bechica, alia menses mouentia, hac re à superioribus diuersa, quòd non ha-
C beant uim familiarium succorum attractricem, ut illa. Quamobrem & in hisce sermo aliã distinctionem postulat, nempe huiusmodi. Quæ in pessis, aut fomẽtis, aut quouis modo simili, uuluæ admouentur, ea duplici ratione agere cõsueuerunt. Nã alia calfaciendo duntaxat prouocant, alia facultatibus attractorijs & purgatorijs, quas uocãt, quas demõstrauimus trahendorum familiaritate attractiones peragere. At quæ hoc nomine bibũtur, ut sanguinem extenuent, & meatus obstructione liberent aperiantq;, ea trahendi facultate uacuationem non perficiunt. Atq; priore quidem cum purgantibus eiusdem sunt generis, secũda uero cum ijs quæ lac et sanguinem generant: de quibus paulo infra uerba faciemus, ubi prius de bechicis dis-
D sertum à nobis fuerit: quandoquidem & hæc bifariã nominata sunt, partim quia tussim prouocent, partim quia sedent. Atqui contrariæ horum facultates sunt. Alia enim extenuandi naturam habẽt, alia incrassandi. Atq; extenuãdi quidem facultas in calidis & tenuium partium substantijs sita est, incrassandi uero in frigidis & crassarum partium essentijs inest. Atque hic sermo hoc in loco finem habeat. Conuenit autem transire ad id quod paulò ante distulimus. Est enim societas & similitudo quædam tum operum tum facultatum in ijs quæ prouocant sedantq; menses, lac, & semen. Sed & affinia illis quodammodo uicinaq; sunt quæ urinas mouent, & bechica. Proinde de quolibet seorsum disserendum est.

Quod lac generantium, aut semen prouocantium facultas moderate sit calida & humida, alimentorum uero in totius essentiæ consistat similitudine. Cap. 20

Lactis et seminis effectrices facultates sunt partim in medicamentis tantum, partim in alimētis. In medicamentis, cum succos pituitosos excalfacientes in sanguinē uertimus. In alimentis autem secundum substantiæ totius similitudinem, ubi uidelicet boni sunt succi, & humida, ac tepide calida, ceu ipsum lac. Siquidē sanguis caloris est particeps animali mediocris: plus ꝙ uero mediocris, bilis: sicut pituita, frigiditatis. In medio autem pituitæ & sanguinis est lac, utiq; quod ad calorē attinet: Non tamen æque ab utroq; abest, sed longius abest à pituita, propius accedit ad sanguinē. Cum ergo minus quàm expediat ad ubera lactis uenit, uelis autem copiose prouenire, ipsum contemplator sanguinem. Aut enim paucior est quàm conueniat, aut deterior. Itaq; qui paucior est, uniuersam uictus rationem exposcit humectantem & excalfacientem: qui autem deterior est, si quidem biliosus fuerit, primum purgationem desiderat, mox uictū quem modo dicebamus: sin pituitosus, medicamenta requirit excalfacientia, aut primo aut secundo ordine, non tamen desiccantia. Verū inter ea potiora sunt quæ nō tantū sunt medicamenta, sed & nutrimenta, uelut eruca, fœniculum, anethum. Dico autē ipsas herbas etiamnum uirentes & humidas. Nam siccæ, plus quàm oporteat et excalfaciunt & desiccant. Huius generis est & smyrnium, apium, sion, polium, eaq; uirētia prius ꝙ siccentur: quippe cum ea quæ desiccant, humorem sanguinis depascētia, ipsum crassiorem simul pauciorem q; efficiant: tum si natura quoq; sint calida, iusto etiam calidiorem, sin frigida, frigidiorē. Debet enim esse modice calidus, ac neutiquam crassus, ut lac generet. Quocirca quæ sunt illiusmodi, extinguunt magis lac quàm procreāt. At quæ sic ut dictum est calfaciunt, nullamq; insignem adiūctam habent siccitatem, lactis procreatricem habere facultatem merito dicta sunt. Verū ea numero sunt perquam exigua. Nec enim profecto facile inuentu est quod propositam in temperie sortitum sit mediocritatem: cæterū infinita sunt et multitudine incomprehensa quæ lac lædant: Etenim quæcunq; plus ꝙ expediat calefaciunt, quæq; desiccant aut refrigerant, partim qualitatē ipsius sanguinis uitiantia, partim ipsum minorem reddentia, lac prouenire prohibent.

Quod menses mouentium medicaminum facultas calidior est, & modice desiccat, alimentorum uero est secundū totius substantiæ similitudinem. Cap. 21

Porrò dictis adsimilē uim obtinent, quæcunq; prouocare aut sedare menses possunt. Vtrorunq; enim communis materia est, nempe sanguis in uenis contentus. Itaq; ubi hic fluxilis fuerit, & qualitate contemperatus, utiq; abundantē suppeditat copiam. Communes quinetiam uberibus uteroq; uenæ sunt non exiles. At quæ nam eæ sint, alibi dictum est. Itaq; ubi ad alterutram partium sanguis defertur, altera siccescit. Proinde quibus menses

A mediocriter ferūtur, ijs lac in mamillis [non] colligit: quibus uero hoc large suppetit, ijs planè mēses supprimuntur. Itaq; mirandum non est, si tum uictus, tum medicamēta similia sint, nempe & ea quæ generant sedantq; in menses singulos ex utero purgationē, & ea quæ lactis in uberibus generationem procurant ac supprimunt. Quanquam hactenus differant, quod & calidioribus & magis incidentibus purgatio menstrua nōnunquam indigeat: quippe cum ea in parte sitæ magis aperiri debeant, ꝙ quæ tendunt in mām̄as, & sanguinem fluxilem magis requirāt, nimirum cum uterus ad delationem eius nihil conferat. Mittūtur enim in uenas quæ illi cōmittuntur, haud attrahūtur menses. At sanguis in ubera non tantum mittitur, sed B & trahitur: ac proinde leuiore subsidio medicaminum opus habet, cū non abunde in mammas confluit. Et medicinæ quæ iuuāt ut sanguis in mamillas eat: deficientes atq; imperfectas purgationes eam adiuuant. Sin autem multum oblæsæ sint, aut planè retētæ, nulla ex eiusmodi eas sanare potest: uerum Sabina, & Meum, & Iris, et Calamintha, et Pulegium, tum Dictamnum, Asarum, Costus, Casia, Cinamonum, Amomū, Aristolochia, Buniū, & eius generis reliqua absolutas uteri purgationum retentiones sanant: nam talia quoq; urinam promouent. Sed ab ijs quæ hoc ipsum tantum appellantur, nempe uretica, hoc quidem differunt, quòd non uehementer desiccēt. Siquidem excalfactio tribus generibus medicaminum cōmunis C est, puta quæ lacti procreando succurrunt, quæq; mensibus ciendis, aut urinæ conueniunt. Differūt tamen caloris mensura: tum etiam quod quædam desiccant, quædam non. Siquidem quæ non desiccant, & modice excalfaciunt, lacti generando utilia sunt. Quæ uero plus excalfaciunt, non tamē ualenter desiccant, mensib. eliciendis sunt congrua. Verum & utraq; hæc urinas prouocant: et ad hæc cum primis ea quæ desiccantia etiam calefaciunt. Proinde ea peculiariter dicuntur uretica, siue urinam mouentia, non quia solum moueant urinas, sed quia solas, absq; ut etiam menses aut lac. Nam præter alia et reddēdis ex pectore pulmoneq; excreationibus incōmoda sunt desiccantia. Poscunt enim & ipsa incidi quidem, at non siccari, ceu & D renum uesicæq; calculi. Verum de talibus medicamentis supra disserui.

Quod quæ semen prouocant, quorundam ut medicamentorum quidem facultas est flatuosa et calida, aliorum uero ut ciborum flatuosa quidem etiam, sed tota substantia familiaris. Cap. 22

Vt lac, ita & semen quædam generare dicūtur, & quæ his sunt contraria, extinguere: tum quædā prouocare, & ipsis contraria supprimere: ac generare quidem, quæ procreant quod antea nō erat, extinguere uero quæ corrumpūt: prouocare aūt, quæ quod in alto delitescebat, in apertum proferunt, & his cōtraria, quæ supprimunt. Igitur semē generant cibi quidem qui bene nutriūt, & flatuosi sunt, totisq; substantijs familiares, medicamenta uero flatuosa & calida. Extinguunt autē desic-

cantia

cantia & refrigerantia omnia, & quæ totis substã tijs sunt contraria. Porrò prouocant quæcunq; calida sunt et flatuosa absq; desiccatione, supprimũt uero cõtraria. Etenim cum seminis substantia ex bona superfluitate generationem sortiatur, sitq; etiam efflatuosa, bene nutriant & flatuosa sint necesse est quæcunq; semen aut procreare, aut prouocare possunt. Itaq; bulbi, cicer, fabæ, polypodes, conus, edulia dicuntur multi seminis, & sunt. At scincus & satyrion medicamenta sunt. Porrò simul cibi ac medicamina multi seminis sunt lini semen & eruca. Cæterum quæ refrigerare sunt nata tum edulia, tum medicamine semen cogentia, incrassantia, & stabile reddentia, uim habent ipsum supprimentem, non autem corrumpentem: nempe lactuca, blitum, atriplex, cucurbita, mora, melopepones, cucumeres seu pepones, seu nõ pepones, hoc est maturi, seu non. Porrò quæ resiccant, prorsum ne esse quidem semen permittunt, etiamsi calida sint natura, uelut ruta. Si autem nõ calfaciũt, multominus, ut nymphæa. Atq; hæc sanè rationabile est substantiæ proprietate contrarie affecta esse semini. Eandem proportionẽ tum esculentorum tum medicamẽtorum est inuenire in lacte & mẽsibus. Porrò alio modo sub idem genus cadunt, quæ respirantium instrumentorũ reijciendis excreationibus auxiliãtur, quæq; urinam ciere possunt. Hęc enim omnia extenuandi facultatem obtinent, uti cõtraria incrassandi. Sed de uictu extenuante priuatim conscriptum est, nihilo secius in eodẽ uolumine indicatis quæ incrassant. Verum extenuantia & incrassantia medicamẽta ex libris qui deinceps sequentur seligito: in extenuantibus quidem scopum habẽs caliditatem iũctam partium tenuitati, in incrassantibus uero cõtraria. Ostẽsum enim est in superioribus libris, q; propria quædam sit medicamẽtorum essentiæ tenuis natura, non solis excalfacientibus cõiuncta. Eadem ratione & incrassantium natura non solis inest refrigerantibus. Cæterum ut in talibus facultatibus proportio quædam inest, eundem in modum quærendum est in omnibus, etiamsi nomen non sit impositum. Vocantur enim quædam oxydorcicæ facultates, quæ oculos, ubi nullum illis insit sensibile pathema, male tamen munere suo fungentes corrigunt, & in integrum restituũt. Ac nimirum & in auribus, & in naribus, & per quęq; aliorũ sensuũ singulatim proportione talis quędã sit facultas necesse est, nec tamẽ facultas nominata est ab acumine auditus oxycoos, sicut nec in olfactu, nec in gustu, nec in tactu, cũ tamẽ in reb. ipsis sensilib. ex proportiõe insit. Porrò siquis similitudinẽ plus etiam extẽdat, per quanq; nostri particulam talem existere medicamentorũ facultatẽ necesse est, à qua uidelicet melior reddatur partis ipsius actio, ut uerbi causa, uentris actio. Siquidẽ talẽ eius imbecillitatẽ inuenire est sæpenumero, qualis est in oculis amblyopia, hoc est hebetudo uisus, cum ij nec phlegmone teneanť, nec influxu torqueanť, nec ulcerati sint, nec aliud quiduis mali perpesi. Et sanè in medicamẽtis quæ affectum uentris eiusmodi emendant, peptica siue concoquentia nuncupantur, appellationis quidem figura nihil proportionale habentia oxydorcicis, cæterum opere ipso & facultate similia.

De facultatibus à partibus corporis cognominatis. Cap. 23

Porrò quoniam & quasdam appellatas à corporis partib. facultates esse diximus, nihilo fuerit deterius & de his disserere. Nec eñ (quod quispiam forsan existimet) omnibus partis affectibus congruũt, nec ita uni, ut alij nihil prosint, sed quoniam frequentissime aut maxime agant ea in parte à qua nomen sunt mutuatæ. Ophthalmicæ quidem quandoquidem maxime ac plurimum ad oculos ipsas usurpamus, uelut collyrio διὰ ῥόδων, & alio διὰ πομφόλυγος, & eo quod cygnum uocant, itemq; eo quod Libianum appellant, & alijs omnibus quibus uti quidẽ liceat & ad aures affectas, aut os, aut nares, præterea pudendũ, & anũ: uerum non ita frequenter, nec tanto cum fructu, Rursum autem alias nũcupamus hepaticas, alias splenicas, pleuriticasq;, & stomachicas: nimirũ cũ & ipsas ea in parte quam nomine designãt, sæpissime simul ac potissime prodesse cõspicimus. Porrò quæ sit profectus & adiumenti causa, in opere De curandi ratione explicabimus, in quo cætera quoq; omnia de medicamentorum usu exponentur. Itaq; nihil etiam hic hęrendum atq; immorandum est, nisi quod uocabulorum nonnihil declarandus est usus: quem cum alij nonnulli recentiorum medicorum, tum præsertim qui uocãtur Methodici, inaniter innouarunt atq; induxerunt.

De inani nominum usurpatione, quam medici recentiores, & inter eos maxime Methodici induxerunt. Cap. 24.

Nam quod stalticas quasdã facultates, hoc est sistentes seu supprimentes, & constringentes, & contrahentes, & repellẽtes, aut alias id genus proferant, id nequaquam absurdum est, nec obscurũ. At cum metasyncriticas tum materias, tum facultates nominant, nec apertum est quod dicũt, nec uerum, nec etiam sectæ congruens eorum, qui se fugitare profitentur quæ à dogmaticis opinionibus (ὑπολήψεις uocant) proficiscitur indicationẽ. Sufficere nanq; aiunt sibi apparentes communitates. Atqui, excedentibus corporis meatibus ex statu naturali in statum præter naturã, in proprietate excedẽdi existere quædam pathe, ea dogmatica hypolepsis est. Sequitur uero ad hanc quasdã esse facultates eiusmodi παθῶν metasyncriticas, uidelicet quæ commutent meatuum alienam à natura confusionem: nã sic usurpant nomina Thessali sequaces: atq; ad ea quæ diutina fluxione uexantur, facultates eiuscemodi adhibent, cum nec monstrarint meatuum alterationes in talibus prouenire affectibus, neq; q; hæc medicamẽta transmutare (nã ita uerto τὸ μετασυγκρίνειν) uitiatũ meatuum statũ possint, demõstrare ualeãt. Nam, per deos immortales, cur obsecro napy, thapsia, pyrethrum, capparis, & absolute quæcunq; urere possunt, si diutius corpori inhæreant, meatuũ statum commutant. Nam q; partes quæ tentãtur assidua fluxione, ab hoc genus medicamentis iuuentur,

A perſpicuè uidetur:at quamobrem iuuentur, naturalis ſpeculationis problema eſt. Ac nos quidem dicimus earũ frigidam ſimul atq; humidam eſſe temperiem, ac proinde poſcere medicamẽta quæ ſimul & excalfaciant, & deſiccent. Atq; alij aliam cauſam proferent, pro opinione nimirum quam conceperunt de corporis elementis. Nec tamen uſurpari conuenit metaſyncriſeos uocabulum à quoquam alterius ſectæ, præterquam eorum qui animantium corpora & exiſtimant & appellitãt ſyncrimata, ſeu confuſiones ex corpuſculis inſecabilibus, minimisq;, et partitionis expertibus, ac ſimilaribus: quanquam nec iſtis omnibus, ſed ijs dũtaxat, qui, uti Theſſalus in Canone, meatuum alterationi id genus morbos aſcribunt. Nõ enim B qua methodicus eſt Theſſalus id dicit (ſiquidem ubi tanquam methodicus diſſerit, illic ab oſculorũ recedit indicatione) ſed quia dogmaticus, ſcilicet ab ijſdem quæ Aſclepiades ponit elementis exorſus, cæterũ haud utrobiq; ſequens. Sed nunc tempus non eſt ſuper talibus prolixius diſſerere. Nam quædam curandi methodo magis ſunt propria, quædam uero in opere de Themiſonis & Theſſali ſecta exactius expromentur. Tempeſtiuum itaq; nunc eſt, cõtractis huius libri uelis quieſcere, ſi modo duo illi præterea capita adiecero: alterum ſuperius dilatum, nempe de facultatibus contrarijs: alterum ad inſequẽtem ſermonem neceſſarium, definiturus ſcilicet cuiuſq; tum excalfacientium, tum refrigerantium, tum exiccantium C atq; humectantium ordinem.

Quo pacto contrarias iudicare facultates oporteat. Cap. 25

Igitur contrarias iudicare facultates ex operibus oportet, ſicut toto hoc libro ſæpenumero oſtendimus, dicentes quaſdam facultates emplaſticas: & his contrarias extergentes tum farctu liberantes & infarcientes, præterea emollientes & indurantes, ac laxantes & contendentes: nã adſtringentes, aut acres, aut amaras, aut acidas, aut dulces, non facultates medicamentorum, ſed guſtus eſſe qualitates mõſtrauimus. Itaq; in his aut prorſum quærenda non eſt contrarietas, aut non ut in facultatibus quærenda. Quanquam & in iſtis duplex eſt ſcopus, nempe earum actiones, & temperaturæ. Actiones quidem, in denſando & rarefaD ciendo, aut quippiam ex alto extrahendo, aut repellendo, incraſſando materias, aut extenuando, aut infarciendo meatus, aut farctu liberãdo. Temperaturæ uero in calido, frigido, humido, et ſicco: de quibus omnibus abunde in quarto libro determinatum eſt: monſtrantibus nobis quòd adſtringens terreſtre ſit et frigidum: acidum uero ſubtile frigidum: amarum autem terreſtre ſubtile: deniq; quod abſq; inſigni qualitate frigidum aqueũ. Sic acre igneum oſtendimus: ſalſum uero terreſtre calidum, nondum tamen igneum: ſimiliter dulce calidum, ſed nondum urens. Quæ uero oleoſa ſunt, omnia aquea ſunt & aeria. Secuta ſanè ſunt temperaturas eorum & opera. Nam adſtringens contrahere, conſtringere, dẽſare, repellere, & incraſſare: ad hæc omnia refrigerare exiccareq; natum eſt: Acidum uerò incidere, extenuare, diuidere, farctu liberare, perpurgare (διακαθαίρειν Græci uocant) citra excalfactionem. Acre uero ſimiliter ut acidum agere, quod ad extenuationẽ perpurgationemq; attinet: cæterum hoc differt, quòd acidũ refrigeret, acre uero excalfaciat: ad hæc quòd illud repercutiat, hoc attrahat & digerat. Sic amarũ quoq; meatus perpurgat, abſtergit, extenuat, incidit humorum craſsitiem abſq; manifeſta excalfactione: Frigidum uero aqueum incraſſat, cogit, contrahit, conſtringit, extinguit, atq; obſtupefacit. Porrò acre extenuat, perpurgat, digerit, perrumpit, attrahit, & eſcharam ſiue cruſtam efficit. At ſalſum contrahit, conſtringit, condiendo ſeruat, deſiccat citra apertam aut caliditatem aut frigiditatem. Dulce uero cõcoquit, laxat, rarefacit. Oleoſum deniq; humectat, emollit, laxat. Facilius itaq; iam erit ex modo dictis ponderantem ſapores, inuenire qui temperamento, quiq; operibus ſint contrarij.

De limitatione ac finitione ordinis cuiuſq; excalfacientium, frigefacientium, humectantiũ, & deſiccantiũ. Cap. 25

Porrò congruens iam tempus eſt, definitis temperamentorum & facultatum quæ in medicamẽtis ſunt ordinibus, hunc librum abſoluere. Igitur ſymmetrũ appellare medicamen conuenit, quod neq; excalfacit, neq; deſiccat, neq; frigefacit, neq; humectat, neq; calidum, frigidum, humidum, ſiccũue eſt. Quod uero aut calidius, aut humidius, aut frigidius, aut ſiccius eſt, à uincente ſeu excedẽte cognominatur facultate. Porrò per unũquenque exceſſum quatuor poſuiſſe ordines, quod ad uſum ſpectat, ſufficit: calidum quidem nominantes primi ordinis, quod nos excalfacit, nõ tamen euidenter, uerum ut opus ſit inſuper demonſtratione rationali: ſic frigidum, humidum, et ſiccum, quod demonſtrationem requirat etiam, nondum actionem ualentem adeptum. Quæ uero manifeſte aut calfacere, aut frigefacere, aut humectare, aut deſiccare poſſunt: ea ſecundi eſſe ordinis dicẽtur. At quæ iam uehementer quidem, non tamen ſumme, tertij. Quæ autem adeo excalfacere poſſunt, ut eſcharam moliantur, & urant, quarti. Sic quoq; quæ uehementius refrigerant, adeo ut extinguant, & ipſa quarti ſunt ordinis. Cęterum nullum inuenire eſt quod quarto ordine deſiccet, quod non etiam urat: nam quod ſumme deſiccat, omnino id etiam deurit. Attamẽ tertij ordinis exſiccantium eſſe quippiam queat, quod non urat, ceu omnia quæ uehementer adſtringunt, ex quibus eſt omphacion, rhus, alumen, balauſtium, galla omphacitis. In his autem ipſis quædam uicina iam ſunt adurentibus, ut ſquama æris, & æs uſtũ, quaſi inter tertium quartumq; ordinem dubie hęreant. In medio tertij eſt æs uſtum: ſi lotum ſit. In principio tertij hypocyſtis. Sic autem & in ſecundo & quarto differentias conſtituere licet triplices. Nec enim perinde urit cauterium, & ſinapi, licet ambo quarti ſint ordinis. De his ſanè omnib. in ſequentibus libris per ſingula ſeorſum medicamenta determinabitur.

ARGVMENTA CAP. LIBRI SEXTI

Procœmiū, in quo argumentū primi et secundi huius operis librorum explicat: deinde huius & sequētium librorum: quodq; ij legendi non sint, nisi priores quinq; bene teneantur. Quòd uaria nomina Babyloniorum & Aegyptiorum, & à quibusdam conficta, tanquam uana omiserit. Censura ueterum & recentiorum qui de medicamentis simplicibus scripserūt, ex quibus præcipue reprehendit Pamphilum & Andreā, maximè uero laudat Dioscoridem. Cap. 1. Abrotonum: itē de tribus absinthij generibus, & de abrotono usto. 2. Agnus id est Vitex. 3. Agrostis id est Gramen simpliciter: & gramen cuius radix edendo est, & parnasi gramen. 4. Anchusa, & quatuor eius genera. 5. Agaricum. 6. Ageraton. 7. Adianton. 8. Aizoon id est sedum. 9. Aegilops. 10. Aera id est lolium. 11. Aegirus id est populus. 12. Acacia. 13. Acalephe id est urtica. 14. Acanthus. 15. Acanthium. 16. Acanthus leuce id est spina alba. 17. Acāthus Aegyptia. 18. Acorus. 19. Aconitum. 20. Acte, sambucus. 21. Alimū. Alisma, uide Damasoniū. 22. Aloe. 23. Alyssum. 24. Alsine. 25. Amaracus id est parthenium: de sampsucho enim infra. 26. Ambrosia. 27. Ami. 28. Amarāthus. 29. Amurca. 30. Ampeloprasum. 31. Ampelos agria, uitis syluestris: item de uite cultiua, & alba, & nigra. 32. De amygdalis. 33. Ammoniacū. 34. Amomum. 35. Anagallis. 36. Anagyrus. 37. Andro sæmon. 38. Androsaces. 39. Andrachne id est portulaca. 40. Anemone. 41. Anethū. 42. Anthyllis 43. Anthemis. 44. Anisum. 45. Antirinū, uel Anarinū. 46. Aparine. 47. Apios id est pyrus arbor: & de pyris syluestribus. 48. Apocynon. 49. Argemone. 50. Arisaron. 51. Aristolochia. 52. Arceuthus id est iuniperus. 53. Arction: & Arction alterum quod personatā uocant. Arcticū, uide Bunium. 54. Arnoglossum id est plantago. 55. Arū. 56. Artemisia. 57. Asarū. 58. Asclepias. 59. Aspalathus. 60. Asparagi. 61. Asplenon. 62. Astragalus. 63. Aster Atticus, uide infra, Buboniū. 64. Astaphis id est uua passa: & de staphisagria. 65. Asphodelus. 66. Atractylis. 67. Atriplex. 68. Aphace. 69. Absinthiū: De cuius tribus generibus supra etiā in Abrotono docuit. uide infra, Seriphum. 70. Balanus id est glans unguētaria. 71. Balsamū. 72. Balaustiū. 73. Batus id est rubus. 74. Batrachium id est ranūculus. 75. Bdelliū. 76. Bechium id est tussilago. 77. Blitum. 78.

A Bulbus: & de bulbo uomitorio. 79. Buboniū, uide etiā Aster Atticus. 80. Buglossum. 81. Bunium, alias Arcticū. 82. Buphthalmum. 83. Brathy id est Sabina. 84. Britānica. 85. Bromus id est auena. 86. Bryō id est muscus marinus: & de musco arborū. 87. Gallion. 88. Gentiana. 89. Gigarta id est acinorum uuæ nuclei. 90. Gingidiū. 91. Glauciū. 92. Glaux. 93. Glechon id est pulegium. 94. Gloeos id est sordes seu strigmenta balneorum. 95. Glycyrriza. 96. Glycyside. 97. Gnaphaliū id est tomentū herba. 98. Gongylis id est rapum. 99. Damasoniū, uel alisma. 100. Daucus & de semine dauci: (uide etiā infra in Staphylino id est pastinaca) 101. De lauro. 102. De lauro Alexandrina herba, & Chamædaphne, & Daphnoide. De daphnoide, uide etiā in Clematide infra. 103. Dictamnus. 104. Dipsacus. 105. Dorycnidiū. 106. Dracūculus. 107. Dryopteris. 108. Drys id est quer-
B cus, & glādes. 109. Ebiscus, uide infra in Malua. 110. Ebenus. 111. Olea: & de Oleis primum ex oliua arbore, tum dulci tum acerbo: deinde de alijs diuersis quæ seminibus exprimuntur, ut Cicinum, raphaninū, sesaminum, &c. Rursus de differentijs olei ex oliua. Et de illis oleis quæ floribus aut alijs iniectis fiūt: quibus si aromata addas, myra id est ungenta dicentur. 112. Elatine. 113. Elaphoboscū. 114. Heleniū id est Inula. 115. Elelisphacus id est saluia. 116. Elleborus uterq;. 117. Helxine: & altera, cissampelus quoq; dicta. 118. Elymus id est panicū. 119. Empetrum. 120. Epithymū. 121. Epimedium. 122. Epimelis uel unedo: uide Comarus infra. 123. Erebinthus id est cicer: & de agresti cicere. 124. Erice. 125. Serpyllū. 126. Erysimon id est irio. 127. Erythrodanon id est rubia. 128. Eupa-
C torium. 129. Euphorbiū. 130. Ephemerum non letale. 131. Echinus, alias Erinus. 132. Zea. 133. Zingiber. 134. Zythus. 135. Zyme id est fermentū. 136. Hedyosmus id est mintha. & calamintha. 137. Hedysarū id est securidaca. 138. Hemerocalles. 139. Hemionitis. 140. Erigerō id est senecio. 141. Eryngiū. 142. Thalietrū, alias thalictrū. 143. Thapsia. 144. De thermo id est lupino satiuo et syluestri. 145. Thlaspi. 146. Thridax id est lactuca. 147. Thymus. 148. Idæa radix. 149. Ixos id est uiscū. 150. Ion id est uiola. 151. Hippuris. 152. Hippomarathrū uide marathrū. 153. Isatis. 154. Isopyron. 155. Itea id est salix.

GALENI DE SIMPICIVM MEDICAMENTORVM FACVLTATIBVS,

Liber Sextus.

PROOEMIVM.

DE simpliciū medicaminū forma pariter & facultate scribere nobis aggressis primis duobus libris ante omnia prauos modos ratiocinationum, quibus recentiorū medicorū plerīq; usi grauissime allucinantur, indicare est uisum. In tertio uelut elementa quædam totius doctrinæ tradidimus. Deinde uero in quarto de saporib. disquisiuimus, studio inueniendorum omnium quæ ex illis ad facultatum conducere cognitionē possent. disseruimus autem in extremo ipsius libri de qualitatibus medicamētorū quæ ad odoratū attinēt. Porrò in quinto ad reliquū facultatū genus trans-
D gressi, quod quidē ab ipsis operibus quæ peragere natæ sunt, denominatur, et illic quoq; cuiusque substantiam ostendimus, Et sanè generalis sermo de simplicium medicamentorū facultate uniuersus iam finē sortitus uidetur. Tempus uero ad sermones particulares, seu speciales, seu utcunq; nominare cuiq; uisum erit, transire. Et sanè hi priuatim in unoquoq; medicamine peragētur, ceu protinus in initio fecimus: in horum cōmentariorum primo quidem de aqua & aceto cōtemplati: in secundo uero de oleo & rosaceo. nisi quòd illic uelut in exemplis sermonem transegimus aduersus eos qui non rectè de illorum facultate quid protulissent: hic aūt breuibus de unoquoq; disserā, non amplius curans, siquis male de quouis eorū quip-

piam pronunciarit: id tantum scripturus quod mihi uidebitur uerissimū, omissa aduersus illos qui quid peccarunt, concertatione. Porrò quòd non modo obscura futura est oratio ijs qui superiora ignorant, uerum demonstrationis quoq; fide destituta, uel me tacente clarum arbitror. Sed tamen & in memoriam reduxisse forsan præstiterit, primum quidem quòd in natura tēperatissima faciēdum est medicaminum facultatis periculū, postea deinceps in morbis simplicibus. At siquis ex gustus qualitatibus indicatorie cōiectari uelit de eorum facultate, in quarto monstrauimus quænam sit in his methodus. Siquis ergo aut negligēter lectis superioribus, aut planè non lectis, statim ad hunc librum pergat, festinans quamprimū medicaminum facultatis peritus effici, haud certam eorum habebit notitiā. Cæterum quoniam medicamenta omnia partim sunt partes animalium, aut plātarum, aut fructuum, aut horū liquores (quos ὀπὸς Græci uocāt) aut succi, partim uero ex metallis sumuntur: optimum mihi uisum est de plantis ante omnia disserere, tum quòd numerosissimum illarum est genus, tum quòd uiriū robore præcellentissimū: inde de metallicis tractare, atq; hinc ad animalium partes transire. Quinetiā eo illas ordine perscribere decreui, qui in elemētis uisitur, eas plantarum primo loco collocās, quarum appellationes initium sui sortitę sunt elementum α: secundo uero loco quæ à β incipiunt, & sic tertio, quarto, quintoq; loco: atq; ita deinceps, pro literarum uidelicet ordine. Nā & Pamphilus eū in modum tractatum de herbis cōposuit. Verum is ad fabulas uersus aniles est, simulq; præstigiaturas quasdā deliras Aegyptias, iunctis nōnullis incantationibus, quas cū herbas colligunt admurmurāt. Et sanè utitur ad periapta, id est quæ suspenduntur, & manganeas nō solum curiosas, & à medicina alienas, sed etiam falsas uniuersas. At nos neq; horum quippiā, neq; nugaces istorum narrabimus transformationes: nec enim uel paruis admodum pueris utiles tales esse fabulas existimamus, nedū ijs qui medicinæ opera obire properāt. Et profecto protinus in Aphorismorum initio ab Hippocrate dictum mihi uidet, Vita breuis, ars uero longa: ut tēpus non in inutilia impenderemus, uerum quā maximo studio festinaremus uiā incedere cōpendiosissimam, nempe per ea quæ sunt in arte utilissima. Pleraq; uero ista herbarum nomina aut Aegyptiaca, aut babylonia, quæq; nōnulli aut priuatim, aut notæ gratia illis imposuerunt, hic adscribere mihi uisum est superuacuū: nā præstat, siquis hæc uolet curiosius persequi, seorsum & per se apud illos legere qui transtulere: nā ita & libros illos inscribunt, ut qui eos nō composuerint: uelut Xenocrates Aphrodisiensis fecit, uir cum in alijs supra modum curiosus, tum à præstigiatura nō alienus. At Pamphilus, is scilicet qui libros De herbis cōposuit, planè ex ijs quæ uel ipse scribit, præ se fert grammaticum, indicatq; se nec conspexisse herbas de quibus conscribit, nec uires earum expertum, sed ijs qui ante ipsum scripsere, fidem ha-

A buisse circa illam explorationem. Sic sanè libros expleuit, annexo ad quanq; herbā nominum aceruo, deinde etiam exponens siqua ex homine ferebatur trāsformatio: tum epodos et libationes atq; thymiamata, quæ in colligendis illis adhibebant, adscribens: necnon & alias eiusmodi præstigiaturas nugaces. At Anazarbēsis Dioscorides quinq; libris materiā omnem utilem absoluit, non herbarum tantum, sed & arborum, & fructuū, & succorum, & liquorum, memorans insuper et metallica omnia, & partes animalium. Et mihi utiq; uidetur omnium perfectissime tractatum de materia medicamentorum cōfecisse. Nā licet à maioribus eo plurima de illis bene scripta extent, tamen à nemine omniū æque de omnibus: nisi siquis Tanitrum

B prædicet Asclepiadis. Nā & huic cætera bene dicta esse probantur extra ratiocinationes quas super causis affert. Atq; hæc nimirum perlegere debet quisquis peritus medicamentorū materiæ euadere studet. Ad hæc quoq; quæ scripta reliquit Heraclides Tarentinus, & Crateuas, & Mantias: uerum illi nō similiter scripserūt, nec in unum collegerunt omnia, ceu Dioscorides, qui de materia quinq; libris fecit titulum, uerum seorsum, uerbi causa, de præparatione aut probatione scripserūt, ut Heraclides Tarentinus: seorsum uero de purgātibus, aut propotismis, aut clysmis, ut fecit Mātias: separatim de facile parabilibus remedijs, uti Apollonius: aut de ijs quæ secundū locos, ut Mantias. Porrò plerunq; medicamentorum usum ue-

C teres in curādi tractatibus prodiderūt, ut & iuniorum medicorum propè omnes. Nā & ab Hippocrate dicta sunt multa, & ab Euriphonte, & Dieuche, & Diocle, & Plistonico, & Praxagora, & Herophilo. Nec est ueterum medicorum quisquam, qui nō aliquid plus minusúe arti cōtulerit ad medicamentorum scientiā, idq; citra præstigiaturam aut mēdacium, quæ postea inuexit Andreas. Itaq; cui ocium suppetit legendis utiliter de medicamētis scriptis libris, multos quidē habet, ut est dictū, antiquorum, sed nec paucos iuniorum, adusq; Pāphilum & Archigenem. Quin et Rufus Ephesius cum multa medicamenta in curandi libris conscripserit, tum de herbis uersibus hexametris quinq; libros cōposuit. Nec metus est, defecturos libros

D utiles, etiāsi in tota uita quis aliud nihil quàm de medicamentis legere uolet. Verum abstinēdum ab Andrea est, alijsq; similiter mendacibus: multoq; etiā magis fugiendus Pamphilus, qui ne per somnium quidem herbas uidit, quarum aggreditur figuras perscribere. nam id genus hominum (quomodo assimilauit eos Heraclides Tarentinus) simillimum est præconibus, qui formā ac notas fugitiui mancipij, licet ipsi nō uiderint unquā, præconio tamen publicāt: notas enim ab alijs qui norunt accipiunt, & ceu cantilenā eas proferunt: ut si forte is quem præconio indicant, propè adsisteret, agnoscere tamen non possent. Equidē non possem non accusare & illos quoq;, qui primi herbarū formas scriptis docere sunt conati, cum melius existimem ab ipso præceptore oculis discere,

ac non adsimilari ijs qui ex libris prodeunt gubernatores: nam sic & uerior & manifestior esset doctrina, nō herbarum modo & fruticū arborumq́; sed & aliorum omnium medicaminū. Verū enim uero si omnino libris est opus, quis adeo miser est, ut præteritis scriptis Dioscoridis, Nigri, Heraclidis, Crateuæ, & aliorum innumerorū qui in arte ipsa consenuerunt, libros grammaticos scribentis incantationes, trāsformationes, & decanorum dæmoniorumq́ herbas sacras perferat? Nā quòd hominibus istis præstigiatoribus unicū fuerit studium, ut uulgus imperitum talia scribentes in sui admirationem uerterent, uel ex ipsis Pamphili libris discere liceat, qui primā inter herbas conscripsit Abrotonon omnibus nobis cognitā: ac deinde Agnon siue uiticem, & ipsam admodum notā: inde Agrostin herbam, nec uulgo ignotam: mox Anchusam, quā nec ipsam quispiā ignorat: sicut nec Adianton, quæ illi deinceps scripta legitur: atque in his utiq; nihil, quod quidem sciā, superuacuum scribit: uerum postea herbæ meminit nomine (ut ait) Aeti, hoc est Aquilæ, de qua fatetur Græcorum nulli quicquam esse proditum, uerum scriptā se reperisse in libello quopiam ex ijs qui inscribuntur Mercurio Aegyptio, continente trigintasex sacras horoscoporum herbas. Quas clarū est esse omnes nugas meras, atq; autoris ipsius figmēta similia Ophionicis Cōchlacibus. Nec em̄ prorsum quispiā extitit Conchlax: ad risum em̄ fictum nomē est, sicut pleraq; alia in libro eius cōscripta. Nec trigintasex herbæ illæ ultra nomen ipsum quicquā sunt, nec ulla ipsis res subiacet: uerū Pamphilo ocium fortasis supererat, inutiles fabulas libris intexere. At nos nunc quoq; tempus nos perdidisse arbitramur, qui prolixius eorum meminimus. Itaq; quæ utilia sunt, iam nunc ordiamur.

Abrotonon, Absinthij genera tria, abrotonum ustum. Cap. I

Abrotoni herbæ nec speciem formam ue scribere post tot tantosq́ uiros oportet, nec particulares actiones, ceu illi factitarunt, quas ut non definite distincteq́, saltem clare significarunt: uerum & nos quoq; eas copiosius exponemus in opere De componendis pharmacis, simulq́ De paratu facilibus: interim uero etiam in Curandi methodi libris, nimirum ubi exposcet usus. Verū quod ab initio propositum fuit, nēpe uniuersales dūtaxat medicamentorum omnium facultates inspicere, id quidem & in alijs consentaneum est, & nunc sanè etiam faciendū dicendumq́, Abrotonon esse calidum & siccum facultate, in tertio ordine siue recessu post media sitū. Porrò quod eiusmodi ordo ut ad temperatam naturā expenditur, sæpe ante diximus. Sed & inueniemus temperiē eius non minime quidē et ex gustu ducta coniectura, utpote cum sit admodum amarum. Porrò saporē eiusmodi, cum terrenæ sit essentiæ, à largo calore extenuatum ostendimus. Itaq; non instrenue excalfacit pariter & desiccat. Quinimmo & cū distincta illa experientia, de qua supra frequēter dictū est, diligenter explorassemus, ex eadem temperie medicamē hoc comperimus. Nam siue comam cum

A floribus (nam reliqua eius palea inutilis est) cōtusam ulceri puro illinas, mordax & irritans uidebitur: siue eo in oleo macerato caput uoles aut uentrē perfundere, admodū calfacere reperies. Quin & si quibus per circuitum redeunt rigores, eos ante inuasionē rigorū hoc uoles cōfricare, minus utiq; rigore cōcutientur: immo & sensus quidē protinus ubi admotū fuerit, ipsum calfacere percipit. Porrò quòd lūbricos interimat, par est, nimirum cū sit amarum, ac proinde uel antequā experiaris manifestū, siquidē memoria teneas quę in horum cōmentariorum quarto de amari saporis natura prodidimus. Sciesq́ protinus, quòd et digerēdi et incidendi quandā uim habeat: sed & ꝙ magis ꝙ̃ Absinthio id ipsi necessario insit, in promptu erit

B colligere, primū quidē ex gustu (paucissimæ siquidē acerbitatis particeps Abrotonō est, nō paucæ uero Absinthium) deinde ex eo ꝙ inimicū sit stomacho Abrotonon, uelut etiā Seriphon: gratum uero & amicū, Absinthium. Siquidē de istis supra ostensum est, quòd amarum ipsum per se omnifariam infensum sit stomacho: austerum uero, aut acerbum, aut in summa adstringēs, stomacho amicum. Porrò ubi qualitates hæ inuicē permistæ fuerint, quæ uehemētior fuerit, ea utiq; uicerit. Atq; hæc satis est in hoc tractatu nouisse. Mōstrabitur autem in libris De ratione curādi, quo pacto quis optime medicamēto eiusmodi uti posit. Ac proinde quærendum haud etiam est, quamobrē cum malo cydoneo cocto illitū aut pane, oculorum sa

C nat phlegmonas, neq; quòd cū farina hordeacea tritum ac coctum digerat phymata. Neutrū siquidem horum nec aliorum quiduis huic proposito nobis tractatui proprium est: sed qui Empiricam profitentur doctrinam, ij in paratu facilibus medicamentis ea conscribunt. At qui ex ratione artem tractare uolunt, ijs opus est methodo curandi. Nā alioqui damnum magis ꝙ̃ utilitatem ex tali consequant narratione. Sanè Hippocrati, qui in Aphorismis scripsit: Dolores oculorum soluit meri potio, aut balneū, aut fomentatio, aut sanguinis missio, aut purgatio: nec adiecit quosnam dolores uini potio, quos balneum, quos fomētum, quos sanguinis missio, & quos purgatio, ignoscendum forsan quis arbitretur, tribus, ut arbitror, de causis. Si

D quidem aphoristicam faciebat doctrinam, in qua propter breuitatem & compēdium pleraq; ita dici concessum est: et omnia quæ dolores soluunt enumerauit, tametsi nō definijt ad quem dolorem quodnam ex illis cōgrueret. Tum multis in locis aliorū librorum occasiones nobis præstitit, distinctiones in ijs quæ hoc pacto dicuntur inueniēdi. At qui neq; in alijs libris de talibus scripsere distinctionibus, aut in enarratorio & prolixo tractatu aphoristicè tamē ac breuiter scribunt, aut insuper etiā ex multis unum tantum indicāt: ij plus nos lædunt ꝙ̃ iuuāt. Nā cum sint multæ in ophthalmijs differentiæ, atq; una duntaxat ex eis prædictū poscat cataplasma, aliæ uero omnes ab eo lædātur: si quis ad id omnes sine discrimine adhibeat, multo plus lædet ꝙ̃ iuuabit. Ad hunc itaq; modum non

tantum de Abrotono,sed de alijs quoq; omnibus
scribendum nobis est,eas quidem facultates quæ
sunt in calefaciendo, frigefaciendo, humectãdo,
siccandoq;, ijs quas sæpenumero memorauimus
methodis,reperiẽtibus: quæ uero secundũ totius
substantiæ proprietatem perficiunt,sola experiẽ-
tia.Et de his ostensum est quod deleteriæ sint, &
deleteriarum alexiteriæ & purgatoriæ.Nã has ex
ratione inuenire est impossibile, præterquã ꝙ in
quibusdã suspicionem duntaxat probabilẽ inue-
nire liceat.At de facultatibus quę hoc pacto inue
niunt,separatim postea differemus, ubi uidelicet
prius singulatim per quodq; medicamẽtum de ijs
quæ calefaciendo,frigefaciendo,humectãdo,sic-
candoq; agunt:tũ de ijs quæ ad has cõsequuntur,
narrationẽ absoluero. Porrò ubi unũ modo adie-
cero,finẽ faciam de Abrotono dicendi, nempe ꝙ
summe suspiciendus ille Pamphilus etiamsi hanc
primã herbarum recensuit,ac forsan ut nullam de
inceps aliã,tamen hanc saltem oculis suis cõspica
ri uoluerit,attamen uel maxime allucinat,existi-
mãs hanc herbã à Romanis appellari Santonicũ:
differt eñ ab Abrotono Sãtonicũ, uelut etiã Dio
scorides exactissime scripsit in tertio de materia,
& omnes id norunt tũ medici, tũ rhopopolæ. Nã
Abrotoni duæ sunt species, altera quam marem,
altera quam fœminam nuncupãt: quod ipsum de
finitum est tum apud Dioscoridem, tum apud ip-
sum Pamphilum,aliosq; innumeros. At aliud est
ab eo Absinthiũ, cuius rursum tres statuẽdæ sunt
species,quarum unã eodem cum genere ipso no-
mine appellitant:cuiusmodi potissimum est Pon
ticum:alterum Sãtonicum:tertium Seriphum. Si
uero aliud placet appellare Absinthiũ, aliud uero
Seriphum,aliud autẽ Santonicum, nihil interest,
quod ad præsens certe attinet. Nec enim nomen
diuisuri uenimus,sed studium nobis est ipsis de re
bus.Porrò quoniã hæc tum specie seu forma, tum
gustu,tum facultatibus inter sese diuersa sunt, nõ
obscure uno, si ita lubet, omnia nomine nuncu-
pes,uerum exacte uires earũ edoceas. Ac nos sa-
nè sufficienter ipsas formas à Dioscoride explica
tas esse,alijsq; non paucis,iã diximus.Itaq; denuo
eadem scribenda non sunt, quæ maioribus recte
sunt prodita. At siquid illi in facultatibus omise-
re indistinctum, cuius profecto gratia ad hãc nar-
rationẽ uenimus,ea nos adijcere tentabimus. Ab
sinthium quidem dictis minus est calidum, nem-
pe plurimam obtinẽs adstrictionem. Quod cum
sit & minus quoq; tenuium ꝙ illa partiũ, & utiq;
minori etiam quàm illa ad eundem modum exte
nuandi facultate,attamen non minus desiccatori
um est. At cæterorum Santonicum quidem à San
tonia regione in qua nascit, nomen sortitum,pro
ximam habet facultatem, Seripho paulo imbecil
lius in extenuando & calfaciendo desiccandoq;.
Porrò ipsum Seriphon Abrotono minus est cali-
dum,uerum calidius Absinthio, stomacho impẽ-
dio inimicum, nempe cum amaritate salsedinem
quandam præ se ferens. Sed & quandam, licet mi
nimam,adstrictionem obtinet. Sic et Abrotonon

A & Sãtonicum admodum infesta sunt stomacho.
Solum autem inter ea Absinthiũ, & maxime pon
ticum,gratum est stomacho, quia plurimã adstri-
ctionem continet. Abrotonum ustum, calidum,
siccumq; facultate est, magis etiam ꝙ Cucurbita
sicca usta,& Anethi radix.Illa eñ ulceribus humi
dis simul & citra phlegmonem callo induratis cõ
ueniunt,ac proinde maxime ulceribus in puden-
dorum præputijs cõpetere uidenẽ. At cinis Abro
toni ulceribus omnib. mordax est:ac idcirco cum
oleo tenui,cicino scilicet, aut rhaphanino, aut si-
cyonio, aut ueteri & maxime Sabino ad alopeci-
as accommodatur:tum barbam segnius tardiusq;
enascẽtem cum aliquo dictorum oleorum elicit:
sed nec minus illis lentiscino maceratum. Quip-
B pe pro eo ꝙ tenuiũ est partium, rarefaciendi uim
obtinet,& mordax est,& calidum:quas utiq; ma-
xime eius facultates nouisse oportet, nec quicꝗ
etiam particulare in hoc tractatu requirere.

Agnos. Vitex. Cap. 2

Agnos,aut lygos,hoc est uitex, planta illa fru-
ticosa, calidus quidem est & siccus tertio ordine,
uerum multum tenuis substantiæ,tum gustu acris
simul & adstringens:ipsas tamen uitices ad medi-
cinam habet inutiles:cæterum folia semenq; cali-
da siccaq; facultate sunt,substantia uero tenui.Nã
& utentibus ita apparet, & gustantibus acre si-
mul et subadstringẽs percipitur tum folium, tum
flos, tum semen. Edendo tamen etiam semen est:
uerum tam perspicuo calfacit, ut capiti hoc nomi
C ne dolorem pariat. At si frigatur (nam & sic edit
cum tragematis)minus caput tentat.Porrò flatus
uentris discutit & cum non frictus, & multo ma-
gis cum frictus fuerit. Cohibet porrò impetus in
uenerem,tum frictionis expers, tum etiam ipsam
expertus: folia itẽ floresq; ipsius fruticis idipsum
prestare possunt.Itaq; nõ tantum esa potaq; ad ca
stitatem cõferre creduntur, uerum etiã substrata.
Hinc est ꝙ Athenis in Thesmophorijs, hoc est sa-
cris Cereris,mulieres totum sibi fruticem subster-
nunt.Hinc illi quoq; nomẽ inditum agni, hoc est
casti.Ex quib.omnibus manifestum est,siquidem
memoria teneamus quæ superioribus cõmenta-
rijs sunt dicta,agnum calfacere, simulq; exiccare,
tum omnium maxime flatus discutere.Porrò ꝙ te
D nuium sit partium, facultas eius indicio est. Nam
ꝙ caput tentat,nõ magis à multitudine uaporum
ab eo prognatorum,ꝙ à caliditate eius ac subtili-
tate partium fieri rationabile est. Nã si flatuosum
spiritum procreare posset, sanè & uentrẽ inflaret,
& uenerem stimularet, perinde ut eruca. Verum
cum nõ tantum non excitare, immo etiã reprime
re queat,fuerit profecto secundum rutæ maximè
facultatẽ tum in excalfaciendo, tum in resiccãdo,
nõ tamen illi par est.Nã utroq; paulo est inferior.
Siquidem ruta tum magis est excalfactoria,tum
magis desiccatoria.Differt etiam qualitatis simul
ac facultatis mistione. Nã agni semen ac germina
modicam ferunt adstrictionẽ: at ruta ubi aruerit,
exacte amara est & acris; ubi uero humida, sub-
amara.Nõ tamẽ austeritas aut acerbitas illi inest,

aut sicui uideatur inesse, ea utique omnino obscura (scio) uidebitur, nec par ei quæ est in agno. Quocirca & ad iecur & lienem indurata & obstructa agni semẽ potius quam rutæ competit. Sed hæc ad curandi iam methodũ pertinet, quã ut omnino non attingã de medicamentorum pronuncians facultatibus, fieri nõ potest: uerũ celeriter ad rem propositã reflectere, uiri est utique temperati. Magisque etiam id in sequentibus medicamẽtis efficere conabor, hoc est, ubi ex quibusdam euidentibus generalem facultatẽ collegero, particulares postea actiones omittam. Nam in præsens id nouisse sufficit, quod agnus calidus est & siccus facultate, idque nõ mediocriter, sed tertio excessu, tũ admodũ tenuiũ partiũ. Hæc qui norit, ac postea methodum curãdi didicerit, ipsemet inueniet quo pacto mẽses hinc cieat, quo pacto partes induratas digerat, quo pacto lassitudinẽ soluẽs, seu acopũ, & excalfactorium ex eo unguentum præparetur.

Agrostis. Gramen. Cap. 3

Graminis radix modice frigida est & sicca: mordacitatẽ quandã exiguã, & partiũ tenuitatẽ obtinẽs. at herba ipsa primo quidẽ excessu refrigerat, in humiditate uero & siccitate moderata. Porrò semẽ alibi quidẽ imbecillũ est, in Parnaso uerò desiccatorium, & tenuiũ partium, & subacerbum.

Agrostis esculenta.

Gramen esculentam habet radicem, ubi mollis fuerit, dulcẽ quidem instar aquæ, sed acre quiddam exiguum & subacerbum obtinentem. Hæc herba planè aquea gustãtibus est. ex quibus apertum est, radicem modice esse tum frigidam, tum siccam, ac proinde cruẽta ulcera glutinare. At ipsa herba illita non uehementer refrigerat, in medio cõstituta humiditatis & siccitatis. Porrò mordacitas & tenuitas quæ radici inest, exigua est quidem, sed interdum tamen lapides frangere assolet, si quis eam decoctam ebibat. At semen alterius quidem imbecillum est: eius uerò quæ in Parnaso nascitur, urinam ciet, & fluxus uentris & stomachi resiccat: uis enim eius est exiccatoria, tenuium partium, & subacerba.

Anchusa. Cap. 4

Anchusæ quadruplex species est. Quarũ onoclea quidem radicẽ habet admodum refrigerantem & desiccantem, tum adstringentem & subamaram, tum quæ sufficiat extenuandis & extergendis humoribus biliosis, corporibusque condensandis. Cęterum folia habet imbecilliora quidem radice, adstringũt tamẽ & ipsa, & desiccãt. Porrò lycopsos cognominata refrigerat & desiccat, magisque quam onoclea adstringit. at onochelos calidior est, & magis medicata. nam plusculũ habet & gustu ipso protinus acrimoniæ. hac uerò etiam calidior est quarta, quæ & minor est, & amarior, & magis etiam medicata est.

De Anchusarum differentia.

Anchusæ non omnes easdem uires obtinent. nam onoclea quam uocant, radicem habet simul adstringentem & subamarã, corporibus condensandis & modice extenuandis idoneã, tum abstergendis quoque & abluendis biliosis & salsis succis. Dictum enim suprà est, quod qualitas acerba mista amaritudini ea præstare queat. Sic sanè aurigini & lienosis & renum affectibus est utilis. Sed & refrigerare idonea est. Et sanè cum polenta illita iuuat erysipelata, et abstergit nõ modo epota, sed et foris imposita. Proinde uitiligines & lepras sanat cum aceto. Ac radicis quidem hæc opera sunt, & operum facultates quas diximus. At folia ipsius herbæ radice quidẽ sunt imbecilliora, non tamen aliena sunt à resiccatione, & astrictione. Itaque etiã profluuiũ sanant pota cum uino. Et quę lycopsos nominatur, eodem modo erysipelatis cõgruit, & radicem habet quam onoclea magis adstringentem. At onocheli & alcibiadiæ cognominatæ uis magis est medicata. nam & gustu protinus maiorem habet acrimoniã, & eos qui à uiperis morsi sunt, admodũ iuuat tum illita, tum suspensa, tũ esa. Reliqua uero, nempe quarta quæ parua est, & ferè nomine caret ex illis sola, alcibiadio quidẽ persimilis est, uerũ et amarior, et magis medicaminosa, ac proinde ad latos lũbricos idonea, oxybaphi mensura cum hyssopo & nasturtio epota.

Agarici radix. Cap. 5

Agarici radix, hoc est quæ trunco innascitur, primo quidem gustu dulcis, sed paulo post subamara apparet, & acrimonię quandã speciem temporis spatio inducit, leuiculæque adstrictionis. Est & consistentia laxa. Ex quibus omnibus manifestum est, siquidem quæ superius dicta sunt meminerimus, quod medicamẽtum hoc compositum est ex substantia aeria & terrea à caliditate extenuata. Porrò minimũ habet essentiæ aqueæ. Hac ratione & digerendi uim habet, & crassitudinem incidendi, tum infarctus uiscerum expurgandi: proinde regio morbo laborantes sanat, eos utique qui sic ab infarctu iecoris laborant. Iuuat & morbo comitiali obnoxios eadem facultate: tum rigores per circuitum recurrentes ex crassis aut uiscosis humorib. natos sanat. Iuuat & eos qui à bestijs frigore lædẽtibus, morsi sunt aut compuncti, tum foris in affecta parte impositum, tum intrò in corpus sumptum pondere drachmę unius cum uino diluto. Est & purgatorium.

Ageratum. Cap. 6

Ageratum facultatem digerendi habet, & leuiter quadantenus phlegmone liberandi.

Adiantum. Cap. 7

Adiantum in caliditate quidem & frigiditate symmetrũ est, uerum desiccat, & extenuat, & digerit. Etem caput ex alopecia glabrũ capillis conuestit, et strumas et abscessus digerit, lapidesque frãgit epotũ, & uiscosorũ crassorumque è pectore pulmoneque excreationibus nõ mediocriter cõfert, et uentris profluuiũ sistit: non tamen ullam manifestam caliditatem affert, sicut nec frigiditatem. Verum posuerit ipsum quispiã secundũ hanc oppositionem & temperiem in ordine medio.

Aeizoon. Semperuiuum. Cap. 8

Aezoon, utrumque, tum maius, tum minus, desiccat quidem leuiter, quandoquidẽ & mediocriter astringit

astringit, omnis alterius uehementis qualitatis expers: quare in eo plus cæteris abundat essentia aquea. Cæterũ nõ mediocriter refrigerat. Est enim ex tertio ordine, & recessu refrigerantium. Hinc etiam ad erysipelata, & herpetes, & phlegmonas à fluxione natas accommodatur.

Aegilops. Auena. Cap. 9

Aegilops digerẽdi uim possidet: id quod ex gustu patet: leuiter em̃ est acris. uerũ ex eo liquet, ꝙ phlegmonas induratas & ægilopas sanat.

Aera. Lolium. Cap. 10

Lolium desiccat & calfacit efficaciter, ut propinqua sit acribus, magis ꝙ̃ iris: sed non est perinde ut illa subtilis essentiæ, uerum multum in hoc deficit. Secundum hoc ponat ipsam quispiam in principio tertij ordinis excalfacientium, secundi uero extremo exiccantium.

Aegirus. Populus nigra. Cap. 11

Aegiri, siue populi nigræ flores calidi quidem sunt in primo recessu à temperatis: at in differẽtia quæ habetur in siccando & humectãdo, paulum quiddã ad siccius deflexerunt, sed & subtiliorum potius ꝙ̃ crassiorum sunt partium. Et folia quoq; ipsius quodammodo floribus similia sunt, nisi ꝙ ad omnia imbecilliora, minusq; efficacia. Sed & resina eius floribus similem facultatem obtinet, atq; etiam calidiorem. Porrò semen tum resina, tum floribus & subtiliorum est partium, & exiccantius, non tamen admodum calidius.

Acacia. Cap. 12

Acaciæ & plãta ipsa acerba est, & fructus, & succus, qui lotus quidẽ & imbecillior, & minus mordax redditur, utpote acrimoniam quandam in lauatione deponẽs. Porrò si parti alicui sanæ illinatur, protinus eam & sicciorem, & contractã efficiet, nullum quidem caloris sensum inuehẽs, sed nec frigoris admodũ ualentẽ. Vnde constat medicamen id esse frigidũ & terrosum, immista quadam etiam essentia aquea. Et sanè coniectura est, non esse similare, uerum quasdam in sese dispersas habere partes tenues & calidas, quę in ipsa ablutione segregentur. Estoq; & hoc tertij ordinis exiccantium, & secundi refrigerantium, ubi quidem elotum fuerit, absq; eo uerò primi.

Acalephe. Vrtica. Cap. 13

Vrtica: & huius herbæ tum fructus, tum folia (nam hæc potissimum sunt usui) admodum digerentis sunt facultatis, adeò ut phymata & parotidas sanent. Sed & quiddã flatuosum obtinẽt, quo & uenerem extimulant, & maxime ubi cum musto semen bibitur. Porrò ꝙ nõ uehementer calfaciat, sed multum tenuium sit partium, testimonio est crassorũ uiscosorũq; humorũ ex pectore pulmoneq; eductio, tum quòd partes quas cõtigerit pruriant. Porrò flatuosum eius, cuius esse particeps dicta est, dũ cõcoquitur, nascit: nõ em̃ actu flatuosa est, sed facultate. Ventrẽ aũt modice subducit ipsa dũtaxat abstersione, ac ueluti titillatione, non purgatione. Et gangrænosa, & cancrosa, & in totum quæ exiccari citra mordicationẽ postulant, ea conueniẽter sanat: nimirum cum subtilium partium sit, & tẽperaturæ siccæ, nõ tamen tantum habens caliditatis, ut iam mordicet.

Acanthos. Spina uulgaris. Cap. 14

Acanthos, alij quidem Melamphyllum nominant, alij uerò Pæderota. Folia quidem mediocriter digerentẽ facultatẽ obtinẽt, at radix exiccatoria est, & leuiter incisoria, & tenuium partium.

Acanthion. Cap. 15

Acanthium: radix huius et folia facultatis sunt excalfactoriæ, ut & ijs qui cõuelluntur auxilient.

Acanthaleuce. Spina alba. Cap. 16

Acanthaleuce. Hanc quidam Leucacanthon nominant: radix eius desiccatoria est, & modice astringens. quamobrem & cœliacos & dysentericos iuuat, & sanguinis reiectiones cohibet, œdemataq; illitu contrahit, ac dentes dolentes iuuat, si decocto eius colluantur: semen tenuis essentiæ & calidæ facultatis est. Itaq; potui dari pueris qui conuelluntur conuenit.

Acantha Aegyptia. Cap. 17

Spina Aegyptia, quidam Arabicam uocant: similis aũt est spinæ albæ nostrati, uerũ facultate ualidius astringẽte pariter & desiccãte. Itaq; profluuium muliebre radix eius iuuat, & alia quibus auxilio est, quæ apud nos nascit spina: sed efficacius tamẽ omnia iuuãt tum radix, tũ fructus. Ita etiam folia. Et ulcera sedis si insuffletur, ad cicatricẽ perducit, mediocrem habens & non molestam adstrictionem.

Acorum. Cap. 18

Acorum, huius utimur radice, quæ gustu acris est, et modice amaro, odoreq; nõ iniucundo. Itaq; facultatis calidæ est, & consistentiæ tenuis. Huic consentaneum est, ut urinam moueat, & lienes induratos iuuet, tum ceratoidis crassitiem detergeat simulatq; extenuet: sed ad hoc melior est ipsius succus. Omnino uero siccificum esse clarum est. & sanè ordinis esto tertij in utroq;, in calfaciendo scilicet & desiccando.

Aconitum, siue Pardalianches. Cap. 19

Aconitum, siue Pardalianches. Hoc septicæ & uenenosæ facultatis est. Itaq; in cibo potuq; fugiendum: attamen ad putrefaciendum quædam extra corpus, aut circa sedem aptũ est: herbæ autem radix ad hæc utilis est.

Aconitum, seu Lycoctonum.

Aconitum, seu Lycoctonum: est & hoc similis alteri facultatis, sed peculiariter lupos interficit, sicut illud pardos.

Acte, Sabucus, & Ebulus. Cap. 20

Acte, tum magna illa & arborea, tum herbacea, quam & Chamæacten Græci uocant (Latini hanc Ebulum, illam Sabucum) utraq; potentiam habet tum desiccandi, tum conglutinandi, modiceq; digerendi.

Alimum. Cap. 21

Alimum: hæc planta frutex est, plurimo in Cilicia præcipue prouẽtu, ubi & germina eius recentia esitant, & reponunt quoq; in posterum futura usui. Semẽ pariter & lac planta ipsa generat, estq; gustus acris & subadstringentis. Ex quibus omnibus palàm est, ipsam esse dissimilarem. Maior aũt

pars

pars eius calida eſt temperate, cum humiditate inconfecta, & leuiter flatuoſa.

Aloe. Cap. 22

Hæc herba nõ admodum apud nos prouenit: & quæ naſcitur in magna Syria, aquoſior eſt, & facultatis imbecillioris: attamen uſq; adeo deſiccare poteſt, ut uulnera glutinet. At in regionibus calidioribus, qualis eſt Cœleſyria, & Arabia, multo eſt melior. Optima aũt Indica, cuius liquor eſt id quod ad nos importaẽ cognominatum Aloe, medicamentũ ad plurimas res propter ſiccitatẽ mordicationis expertem utile. Eſt autem non ſimplicis naturæ, ſed, ut eſt indicio guſtus, adſtringit ſimul & amara eſt: adſtringit quidẽ modice, ſed fortiter amara eſt. Subducit & uentrẽ, utputa ex numero medicamentorũ, quæ Græci ab excernẽdo ſtercore uocant, ἐκκοπρωτικά. Itaq; ex dictis patet (ſiquidem memoria tenemus quę in quarto libro ſunt demonſtrata) ꝙ tertij ſit ordinis exiccãtium, calfacientium autẽ aut primi intenſi, aut ſecundi remiſsi. Sed & ipſius facultatis miſturam atteſtantur particularia eius opera. Nam et gratum ſtomacho medicamen eſt, ut ſiquid aliud: & ſinus glutinat. Sanat et ulcera quę ęgre ad cicatricẽduci poſſunt, & maxime quæ in ano ſunt & pudendo. Iuuat & eorum phlegmonas aqua ſubacta, & uulnera eundem ad modum glutinat. Cõgruit ſimiliter utenti & ad phlegmonas in ore, ac naribus & oculis. In ſumma, repellere & digerere ſimul poteſt, cum hoc ut paulum extergat, quantum uidelicet ulceribus puris non ſit moleſtum.

Alyſſon. Cap. 23

Nuncupata eſt hæc herba alyſſon, quòd mirifice iuuet morſos à cane rabido. Sed & rabiẽti quoque data ſæpe in totum ſanauit: atq; hoc ex totius ſubſtantiæ ſimilitudine efficit. Dictumq; prius eſt talem facultatem ex ſola percipi experiẽtia, et planè nulla cõſtare methodo. Quòd ſiquis ad multa experiatur, cognoſcet facultatem habere mediocriter ſiccificam, & digerentẽ, cum hoc ut abſterſorium nonnihil etiam obtineat. Hac ratione & uitiliginem & ephelin expurgat.

Alſine. *Auriculamuris.* Cap. 24

Alſine, aut Myoſota. Siquidẽ hęc facultatẽ Helxinæ obtinet, nẽpe refrigerãtem & humectantẽ: eſt enim eſſentiæ aqueæ, frigidæ: quare & citra adſtrictionẽ refrigerat. Quocirca ad feruentes phlegmonas & mediocria eryſipelata competit.

Amaracon, Parthenium Dioſcoridi. Cap. 25

Amaracon excalfacit non inſtrenue, nõ ualde autẽ deſiccat, ſed in caliditate quidem tertij eſt ordinis, in ſiccitate uero ſecundi.

Ambroſia. Cap. 26

Ambroſia illita uim habet adſtringentem, ac repellentem.

Ami. Cap. 27

Herbæ quã uocãt Ami, ſemẽ maxime eſt utile: facultatis eſt excalfactoriæ, & deſiccatoriæ, tenuiumq; partiũ. Sed & guſtu ſubamarũ eſt, & acre. & clarũ eſt ꝙ & digerat, & urinã moueat. Fuerit aũt in calfaciẽdo reſiccãdoq; ex ordine tertio inteſo.

A *Amarantum, Dioſcoridi Helichryſos.* Cap. 28

Amarãtum facultatis eſt incidentis & extenuãtis: coma igitur eius mẽſes cum uino pota educit. Sed & grumos ſanguinis liquare ac ſoluere creditur, non ſolum in uentre, ſed & in ueſica: Sed tunc potius cum mulſo bibenda. Et omnes ſimpliciter fluxiones pota deſiccat, ſtomacho infeſta.

Amorge. *Amurca.* Cap. 29

Amurca terreſtris eſt ſubſtantiæ, calidæ, nõ tamen tantum poſsidet caliditatis ut palàm mordicet. Quòd ſi coquaẽ quoq;, multo etiã magis terroſa reddiẽ: et fuerit ſanè ex ſecundo ordine excalfacientium, & ſiccantium intenſo quodammodo magis. Sic & ulcera corporum temperatura ſiccorum curat: quæ uero in alijs omnibus ſunt, exaſperat. B Siquidem contrahit perinde ut reſina, & pix ſicca, & bitumen. Quæ & ipſa in corporibus admodum duris, quæ uulnus habẽt aut ſinũ, glutinatoria ſunt: alia uero omnia cõtendunt atq; irritãt.

Ampeloprason. Cap. 30

Ampeloprason. Si inter allium & praſon, hoc eſt porrum, medium quiddã cõcipias, facultatem ampeloprasi inueneris. Eſt enim agreſte, ut ſic dicam, porrum: quamobrem & acrius eo & ſiccius eſt, ſicut agreſtia omnia reliqua hortẽſibus, ac proinde ſtomacho ꝙ illud nocẽtius: ſed & craſſos & lentos humores potentius incidit, ualentiusq; infarcta organa, obſtructione liberat. Hac quoq; ratione urinas ſæpe prouocauit, ubi à craſsis & lentis retinebãtur humorib. Adeo uero eſt calidum, C ut illitum cataplaſmatis modo exulceret. Dictum eſt autẽ retro; quòd quæ eum in modum ſunt calida, extremi ſint ordinis.

Ampelos agria. *Vitis agreſtis.* Cap. 31

Vitis agreſtis racemi extergẽdi uim habent, ut ephelis, & neruos, & id genus omia in extima cute exiſtentia curare poſsint. Sed & adſtrictionem quandam extrema germina (ἀκρέμονας Græci uocant) obtinent, quæ & ſale condiri aſſolent.

Ampelos hemeros. *Vitis ſatiua & culta.*

Vitis cultæ adſimilis facultas eſt agreſti, ſed ad omnia imbecillior.

Ampelos leuce. *Vitis alba.*

Ampeli leuces, quã & bryoniam & pſilothrum uocãt, prima quidẽ germina ab omnibus pro more edi uere ſolent, utpote edulium ſtomacho D propter adſtrictionẽ acceptũ, ſed & ſubamarã & modice acrem adſtrictionem poſsident: quare & urinam modice cient. At radix & abſtergentem, & deſiccãtem uim habet, & moderate calidã: quam obrẽ et lienes induratos liquat tum epota, tum foris cum ficubus impoſita: & pſoram & lepram ſanat. Porrò fructus eius racemi ſpeciem præferẽs, ijs qui coria depſant, eſt utilis.

Ampelos melæna. *Vitis nigra.*

Vitis nigra. Vocatur autem hæc proprie bryonia, ſupradictæ tamen ad omnia ſimilis, niſi quòd imbecillior.

Amygdala. Cap. 32

Amygdala, quæ quidẽ palàm amara ſunt, omnino extenuãdi uim poſsidẽt, quod & qualitas ipſa indicat

indicat, & experientia comprobat. Ac de amara quidem qualitate in quarto horum commẽtariorum proditum est. Cæterum duo experientiæ exempla proponi satis est, unde uim eorum possis discere. Siquidem ephelin expurgant, & excreationibus ex pectore pulmoneq; crassorum lentorumq; humorum impendio cõferunt. Porrò hæc ostensa sunt, genere quidem incidentis, specie uero extergentis esse facultatis. Quin et quòd per accidens facultatem item habeant ab obstructione liberandi, & ipsum supra demõstratum est. Sed & experientia monstrat. Nam in iecore crassorum uiscosorumq; humorũ in extremis uasis impactorũ obstructiones, abunde expurgãt expediuntq;. Quin & laterum dolores ab huiusmodi causa natos, & lienis, & coli, & renum [sanant.] Porrò & ipsa arbor similem sortita uim est. Nam huius radices coctæ atq; illitæ ephelis purgant. Quotquot uero sunt amygdala dulcia, et ipsa leuiculam amaritudinem possident, quæ tamen dulcedine superante occultatur: cæterum id temporis spatio clarum fit. Demonstratum autẽ retro est, qualitatem dulcem moderate esse calidam.

Ammoniacum. Cap. 33

Ammoniacum, opos siue liquor est ferulæ cuiusdam: hoc habet emolliendi facultatem intensam, adeo ut & articulorum tophos dissoluat, & lienes induratos sanet, & chœradas siue strumas per halitum digerat.

Amomum. Cap. 34

C Amomum acoro similem facultatem obtinet, nisi quòd acorum siccius sit, maiore autem concoquendi facultate amomum.

Anagallis. Cap. 35

Anagallis utraq;, tum ea quæ cœruleum habet florem, tum ea quæ purpureum, admodum extergentis sunt facultatis. Habent uero nonnihil etiã caloris, & quandã trahendi facultatem, adeo ut & infixa corpori extrahãt. Succus earũ ex narib. purgat caput eadẽ de causa. In summa autẽ, desiccandi uim habent citra mordicationem: quamobrem & uulnera glutinant, & putrida ulcera adiuuant.

Anagyrus. Cap. 36

Anagyrus frutex est grauiter olẽs, & digerẽtis excalfacientisq; facultatis. Sed folia etiãnum uirẽtia cũ propter humiditatis admistionẽ minus sint D acria, idcirco tumẽtia reprimũt: at resiccata incidẽtis sunt exiccãtisq; facultatis. Similẽ ferè facultatẽ habet radicis eius cortex. Semẽ autem magis subtilium est partium. Sed & uomitum prouocat.

Androsæmum. Cap. 37

Androsæmum, planta fruticosa, natura duplex: ũnum ẽm ascyron, et ascyroides nuncupatum est, species hyperici. Alterum uero à quibusdã dionysias appellatur. Est autem semen eorum purgatorium. Foliorum uero facultas modice extergens & desiccans, ut & ambusta curare credatur. Cæterum in uino austero decocta, uinum ipsum uulnerum grandium glutinatorium efficiunt.

Androsaces. Cap. 38

Androsaces, amara & acris herba. Potest autẽ A resiccata ebibitaq; tum ipsa, tum fructus eius magnopere urinam prouocare, & nimirum etiam digerere, & desiccare.

Andrachne. Portulaca. Cap. 39

Andrachne, frigida & aquea tẽperie est, paucæ particeps austeritatis, proinde fluxiões repellit, et maxime biliosas & calidas: cum eo quod eas mutet, & in qualitate alteret, magnopere refrigerãs. Et fuerit sanè in refrigerãdi quidem facultate tertij excessus à temperatis ac medijs, in humectãdi uero secũdi. Hac ratiõe & æstuãtes, ut si quid aliud, adiuuat, tũ uẽtris osculo imposita, tũ totis hypochõdrijs, maxime in febrib. hecticis. Præterea dentiũ stuporẽ sanat, nẽpe quæ ab acidorum cõtactu aspere exiccata fuerãt leniens, atq; replens, ut B pote cũ uiscosam habeat humiditatẽ. Similiter uerò & succus eius. Itaq; non foris modò impositus, sed epotus quoq; refrigerat. Hoc sanè & toti herbæ comesæ accidit. Quoniã autem restringit, utiliter dysentericis editur, & muliebri profluuio, & sanguinis reiectionibus. Sed ad hæc quidem multo est, quàm herba, succus ipsius efficacior.

Anemone. Cap. 40

Anemonæ omnes extrahendi, & attrahẽdi, & ora uasorum reserandi facultatem obtinent. Itaq; radix cõmansa pituitam euocat, & succus ex naribus purgat, & oculorum cicatrices extenuat. Insuper sordida ulcerũ anemonæ expurgãt, & lepras detrahũt, mẽsesq; appositæ eliciunt, & lac trahũt.

Anethum. Cap. 41

Anethum adeo excalfacit, ut habendum sit aut secundi ordinis intensi, aut tertij remissi. Exiccantium uero ordinis est secundi incipiẽtis, aut primi finiẽtis. Itaq; merito in oleo decoctum digerit, dolorem sedat, somnum conciliat, & crudos & incoctos humores cõcoquit. Fit enim ex eo oleum, cuius propinqua sit tẽperies pus mouentibus, & cõcoquẽtibus uocatis medicamẽtis, nisi quatenus paulò illis tũ subtilius est, ac proinde digerens. Vstũ aũt tertij ordinis tum excalfacientium, tum desiccantium fit, & proinde ulceribus nimis humidis mollibusq; prodest, potissimum ijs quæ in pudendis consistunt: at quæ in præputio sunt inueterata, ea probè cicatrice includit. Cæterũ uiride & succulentum, humidius est scilicet, & minus calidum: itaq; magis concoquit, & somnum cõciliat, sed minus digerit. Idcirco mihi uidentur ueteres coronis ex eo plexis uti solere in symposiis.

Anthyllis. Cap. 42

Anthyllis duplex est, sed utraq; modice desiccat, ut & ulcera glutinet. Cæterum altera, ea scilicet quæ chamæpityi adsimilis est, quadãtenus subtiliorum est partium quàm altera, adeo ut & comitialibus competat. Quin & ipsa magis quàm altera extergere potest.

Anthemis, aut Chamæmelum. Cap. 43

Anthemis, aut Chamæmelũ. Dictum quidẽ in tertio libro copiosius est de hac herba, diceturq; nunc summatim quòd calfacit & desiccat in primo ordine: est & tenuium partium, ac proinde digerendi, laxandi, & rarefaciendi uim obtinet.

Anisum

Anisum. Cap. 44

Anisi semen maxime utile est, acre & subamarum, ut prope ad urentium accedat caliditatē. Est autem & in siccando tertij ordinis, sicut & in calfaciendo. Proinde & urinam ciet, & digerit, & flatus uentris reprimit.

Antirinum. Cap. 45

Antirinum aut anarinū semen habet uituli naribus simile, ad sanationes inutile. Ipsum autē adsimilis est cum bubonio facultatis, sed multo minoris. Itaq; ex illo de hoc conijcito.

Aparine. Cap. 46

Aparine, quidam philanthropon, alij omphacocarpum cognominant, modice extergit, & desiccat, habetq; nonnihil subtilium partium.

Apios. Pirus. Cap. 47

Piri folia pariter ac turiōes austera sunt: fructus dulcedinis quiddā obtinet aqueæ, ex quibus clara quoq; temperies est, inæqualis secundum partes. Nam pars una terrea est, alia aquea, cæterū utraq; frigida: tum alia temperata. Proinde esu pira stomacho grata sunt, & sitim prohibent. Illita autem desiccant, & modice refrigerāt. Nam ego ijs illitis uulnus glutinasse me memini, cum aliud ad manum esset nihil.

Achrades. Pira syluestria.

Achrades uocatæ magis q̃ pira reliqua astringunt, & desiccant, & proinde sane maiora uulnera glutinant, fluxusq; repellunt.

Apocynum, aut Cynocrambe. Cap. 48

Apocynum, aut Cynocrambe. Vocant autem quidam eam Cynomorum, quādoquidem canes celerrime interimit, sicut Lycoctonon lupos. Est autem hominibus uenenum, herba multum grauiter olens: proinde omnino calida est, non instrenue, non tamen proportione desiccat. Itaq; illita admodum digerentis est facultatis.

Argemone. Cap. 49

Et huius herbæ facultas abstersoria est, & digerens.

Arisarum. Cap. 50

Arisarū multo minus est Aro. Radicem habet oliuæ magnitudine, sed multo est ipsa acrius.

Aristolochia. Cap. 51

Aristolochiæ radix multo est ad medicationes utilissima, amara & subacris. Sed ex illis omnium subtilissima est rotunda: aliarum uero duarū quæ Clematis appellatur, fragrantior est; itaque ea ad unguenta utuntur unguentarij: sed ad sanationes infirmior. At lōge minus quidem tenuitatis obtinet quàm rotunda: sed nec ipsa inefficax est, uerū abstergendi atq; excalfaciendi potentiam possidet, minus quidem quàm rotūda abstergens ac digerens, sed non minus calfaciens, imò forsan plus quoq;. Itaq; in quibus usus est modicæ abstersionis, cōmodior est longa, puta in ulceribus carne explendis, & fomētationibus uteri. At in quibus crassum humorem ualidius extenuare oportet, illic usus est rotundæ. Proinde dolores ab infarctu aut crassitie crudorum spirituum natos magis curat rotunda, & spicula extrahit, & putredines sanat, & sordida ulcera repurgat, dentes et gingiuas

A cādidas efficit. Auxilio est & asthmaticis, singultiētibus, comitialibus, podagricis, si cum aqua bibatur: tum ruptis & cōuulsis, ut si quod aliud medicamentum idoneum est.

Arceuthus. Iuniperus. Cap. 52

Iuniperus, calida & sicca, utrinq; tertij ordinis. At fructus similiter quidē calidus est, sed non similiter siccus, uerum in hoc primi fuerit ordinis.

Arctium. Lappa minor. Cap. 53

Arctium illud quod uerbasco est simile, radice tenera, candida, dulci, caule oblongo & molli, semine Cymimo simili, facultatis est admodum tenuium partiū, & ob id exsiccantis [extergētisq;] tamen modice. Quamobrem radix ac semen eius cocta cum uino quadantenus dolores dentiū mitigant.
B Porrò ambusta & chimethla non horū modo decoctum perfusum, sed & caules teneriores sanare possunt. Arctiū aliud, lappa maior, bardana. Alterū uero Arctiū, quod Prosopitida uocāt, cuiusq; folia cucurbitæ simillima sunt, nisi quatenus tum maiora, tum duriora: digerit simul & desiccat, sed & adstringit nonnihil: quamobrem folia eius ueteribus ulceribus mederi possint.

Arnoglossum. Plantago. Cap. 54

Arnoglossum, mistæ & hoc est tēperaturæ. habet enim quiddam aqueum frigidum, habet uero & austerum quiddam, id quod terreum est, siccum, frigidum. Itaq; refrigerat simul & desiccat, & in utroque secundi excessus à medijs est. Porrò medicamenta quæ cum hoc quòd refrigerant, u-
C nà etiam adstringunt, ea & ad ulcera rebellia omnia, & ad fluxiones & putredines conueniunt, ac proinde & ad dysenterias. Nam & sanguinis profluuia sistunt, & siquid aduratur refrigerant: tum sinus quoq; glutinant, & alia ulcera recētia simul & uetera. In omnibus ferè id genus medicamētis primas tenet, aut certe nulli secundum est Arnoglossum, idq; temperaturæ symmetria & conuenientia. Nam siccitatē obtinet morsus expertem, & frigiditatem quæ nōdum obstupefaciat, & fructus & radix similis sunt facultatis, nisi quod tum sicci oris, tum minus frigidæ. Sed & semen subtilium est partium, & minus frigidæ facultatis: nempe difflato ex eo ac digesto excremento aqueo. Hac ratione & radicibus utuntur ad dentium do-
D lores tum mādentes tum collutionibus incoquētes; præterea ad iocinoris & renum obstructiones non has tantum adhibent, sed folia quoq;, & multo magis semina. Hæc enim omnia quandam in se abstergendi facultatem obtinent: quam & in herba uiridi inesse satis conijci potest, uerum ab humiditatis copia deuinci.

Arum. Cap. 55

Terrena & ipsum essentia constat, sed calida: proinde extergendi uim possidet, uerum non ualentem, sicut Dracontium. Est itaq; in exsiccando & calefaciendo primi ordinis. Radices eius maxime sunt utiles: siquidem comesę crassitiem humorum mediocriter incidunt, adeo ut & excreationibus ex pectore idoneæ sint; sed magis tamen aptum est Dracontium.

Artemisia. Cap. 56

Duplex quidẽ est herba Artemisia, sed utraq; excalfacit, & modice desiccat: & sunt, quod ad calfactionem attinet, excessus secũdi: quod uero ad resiccationem, aut primi intensi, aut secundi remissi: sunt autem & modice tenuium partiũ. Itaq; ad renum calculos mediocriter commodæ sunt, & ad fomentationes uteri.

Asarum. Cap. 57

Huius herbæ radices utiles sunt, facultate similes radicibus acori, intensiores tamen. Itaq; ex ijs quæ de illis prodita sunt, hic facienda coniectura.

Asclepias. Cap. 58

In tertio Dioscorides de hac herba conscripsit: at nos eius nondum periculum fecimus.

Aspalathos. Cap. 59

B Aspalathus gustu quidem acris simul & adstringens est, facultate uero ex dissimilaribus constat, nempe partibus suis acribus excalfaciens, partibus uero alijs, austeris scilicet, refrigerans. Itaq; utriusq; ratiõe desiccat, & proinde ad putredines & fluxiones est utilis.

Asparagus. Cap. 60

Asparagus petræus aut myacanthinus abstergendi uim habet, idq; citra manifestam aut caliditatem aut frigiditatẽ. Hinc renes ac iecur infarctu liberat, & maxime herbæ ipsius radices & semen. Quin et dentium dolores sanat siccitatis nomine, quam uel maxime dentes requirunt. Porrò Athenienses per ph. dicunt Aspharagus.

Asplenum. Cap. 61

C Asplenum, tenuium quidem partium, non tamen calida est herba. Hac utiq; ratione & lapides frangit, & lienes liquat.

Astragalos. Cap. 62

Astragalos fruticellus est exiguus, radices habens adstrictorias: quamobrem etiam ex numero est non instrenue exiccantium. Nam ulcera uetera glutinat, & aluum fluxu tẽtatam sistit, siquis in uino decoctam radicẽ bibat. Plurimus huius fruticis prouentus est in Pheneo Arcadiæ.

Aster atticus. Cap. 63

Aster atticus. Alij bubonium uocant, nõ ob id tantum, quod illitũ, sed etiã quòd suspensum bubonas sanare creditur: habet quiddam etiam digerens, habet uero non minime & refrigerans quiddam ac reprimens: ut mistæ sit potẽtię, uti rosa: uerum id non adstringit. D

Astaphis. Vua. Cap. 64

Astaphis, culta quidem, concoquẽdi, astringendi, & leuiter digerendi facultatem possidet. At agrestis uehementer acrem obtinet, adeo ut ex capite purget, quod ἀποφλεγματίζειν Græci dicunt, abstergatq; ualenter. Itaq; ad psoram accõmoda est. Sed & urendi uim habet.

Asphodelus. Cap. 65

Asphodelus. Et huius radix utilis est, sicut Ari, Asari, & Dracontij, nempe extergẽtis facultatis: ustæ aũt cinis calidior, & exsiccatior, subtiliorq;, ac digerere potentior efficitur, ac proinde & alopecias sanat.

A *Atractylis.* Cap. 66

Atractylis aut Cnicus agrestis: hæc planta ex spinarum est genere: facultatem habet desiccandi & modice digerendi.

Atraphaxis. *Atriplex.* Cap. 67

Atriplex humida & frigida temperie est, humida quidem secundi ordinis à medijs, frigida uero primi, quam utiq; tepidam esse caliditatem posuimus, cuiusmodi rosis inest: non tamen adstrictionis est particeps, sed aquea est, & nimirũ terrena, similiter maluæ. Quin & uentrem celeriter permeat, ut illa, ob lubricitatem. Porrò paululum omnino eius est quod digerendi obtinet potentiam. Hortensis autẽ atriplex & malua, q̃ agrestes tum humidiores sunt, tum frigidiores. Proinde phlegmonis & phygethlis incipiẽtibus gliscentibusq;, & emollibus etiamnum, ac uelut feruentibus hortenses, uigentibus autem & declinãtibus ac indurescentibus commodiores sunt agrestes. Semen eius abstergendi uim habet: itaq; ad auriginẽ ex hepatis infarctu prognatam utilis est.

Aphace. Cap. 68

Aphace uim habet adstringẽdi, sicut & ipsa lenticula (φακὸν Græci uocant.) Sed & similiter ut lenticulæ edi solet: cæterũ ęgrius q̃ illę cõcoquit: ualentius autem desiccat, & moderati caloris est.

Absinthium. Cap. 69

Absinthium adstrictoriã, & amaram, & acrem simul qualitates possidet, excalfaciens pariter & extergẽs, & roborans & desiccans: proinde biliosos uentris humores per egestionẽ infernam propellit ac per urinas euacuat. Magis autẽ quod in uenis est biliosum, per urinas expurgat. Ob hæc contentã in uentre pituitã nihil adiuuat sumptũ: sic sanè si in thorace aut pulmone cõtineat. Nam adstringens in eo facultas, q̃ amara ualentior est. Porrò quod insit quoq; acrimonia, idcirco maiori portione calidũ est quàm frigidum. At si opus est generatim comprehensam eius temperiem secundum primas circumscribere facultates (etsi anomœomeres & dissimilare sit) calidum ipsum dixerim primi excessus, siccum tertij. Succus autẽ eius longe quàm herba ipsa calidior est.

Balanos. Cap. 70

Balanus myrepsica, hoc est glans unguentaria, adfertur ex barbarica regione. Vtuntur unguentarij carnis eius succo, qui facultate calidus est. Reliquiæ autem unde expressus est succus, terrestres scilicet & duræ, uincentem habent qualitatem amarã. Sed & admista est quædam adstrictio: Proinde extergentẽ simul & incidentem contrahentemq; & stipantẽ effectum possident. Itaq; ad ionthos, lentes, ephelin, & pruritũ, deinde & ad psoram, & lepram cõueniunt. Verũ enimuero & lienes liquãt iecurq; indurescentia. Quòd siquis carnem eius drachmæ põdere cum melicrato bibat, medicamen experietur uomitoriũ. Sæpe etiã per infernam aluum largiter subducit. Itaq; cum hoc medicamẽto utimur ad uiscerum expurgationẽ, & maxime iocinoris lienisq;, ex oxycrato ipsum exhibere consueuimus. Gaudet uero uel maxime

alioqui

alioqui aceto ad actiones extrinsecas. Adeo enim efficax efficitur, ut & psoras, & lepras extergeat, & multo etiã magis quæ his sunt minora, lentes, uitiliginem, ionthos, ephelin, exanthemata, achoras, tum ulcerosa, & quæ crassi sunt succi omnia. Sed & cicatricib. decorẽ affert. Porrò quòd cum illinẽda est lieni, præstet admistam esse farinarum quampiam exiccantium: cuiusmodi est erui ac lolij farina: id iam potius ad componendorum medicaminum tractationem, haudquaquam ad præsens institutum pertinet: sed & in paratu facilibus ipsum dicetur. Verum in præsens sufficit abstergẽtem & incidentem cum adstrictione quapiam propositi medicaminis dixisse facultatẽ, ac sic ad aliud transgredi: cortex tamẽ eius admodum adstringit. Itaq; & hunc quoq; posis ubi ualidus usus est adstrictionis, accommodare.

Balsamum. *Cap.* 71

Balsamũ desiccat & excalfacit secundo excessu: est autem & tenuium partium, adeo ut odoratum sit. Sed liquor eius subtiliorũ etiam partiũ est quàm ipsa planta, nõ tamen adeo calidus, quàm quidam existimant, tenuitate partium falsi. Porrò fructus eius persimilis facultatis est, cæterum longe in subtilitate partium inferior.

Balaustium. *Cap.* 72

Balaustium flos est agrestis punicæ, sicut domesticarũ cytinus: ualenter gustum adstringit. Et sanè desiccantis & refrigerantis facultatis est, & nimirum etiam crassæ essentiæ, siquidem memores sumus eorum quæ in quarto horum cõmentariorum sunt prodita, ubi ostendimus omne adstringens terrestre esse frigidum. Aliarum autem qualitatum nullius præ se fert indiciũ. Proinde ipsum quis censeat strenue & exiccare & refrigerare. Siquidem non perperam in quarto horum uoluminum terreis frigidis corporibus adstringẽtem inesse qualitatem demonstratum est. Sanè uero & euentus ipse comprobat. Nam si intertriginibus & alijs ulceribus ipsum illinas, celerrime illa uidebis cicatricem contrahere. Hoc sanè nomine & ad sanguinem reijcientes, & ad dysenteriam, tum ad uentris uteriq; profluuia non est quispiam medicorũ qui curandi tractatus cõscripsere qui hoc non utatur medicamento.

Batus. *Rubus.* *Cap.* 73

Rubi folia, germina, flos, fructus, & radix qualitate adstringente participant, eaq; non obscura. Sed hoc inter se differunt, quòd folia mollia & recens nata plurimũ in se habeant substantię aqueę, paucum uero adstrictionis: eadem ratione & germina. Itaq; si mandantur, aphthas & alia oris ulcera sanãt. Quin & alia uulnera glutinare ualent. Est enim eorum temperies & ex terrea frigida essentia, & aquea tepida. At fructus, siquidem maturus fuerit, non parum habet succi calidi tẽperati, qui dulcis est, uti mõstrauimus. Itaq; ob hoc & ob modicam adstrictionem esui non insuauis est. At immaturus à frigida substãtia terrea uincitur, ac proinde acerbus est & ualde exsiccatorius. Et sanè uterq; reconditur ualidius quàm recens desiccans. Sed & flos eandem uim fructui immaturo possidet: utraq; ad dysenterias, & uentris profluuium, tum robur deperditum, & sanguinis expuitionẽ idonea remedia. Porrò radix præter adstrictionẽ non paucam habet substantiã in sese tenuem, per quam & lapides renum comminuit.

Batrachium. *Cap.* 74

Batrachium quatuor habet speciatim differentias. Omnia uero uehementer acrẽ qualitatẽ possident, adeo ut cum dolore exulcerẽt: hac ratione si moderate ac cõuenienter utare, psoras & lepras excoriant, & ungues diuellunt: tum leprosis stigmata digerũt, & acrochordonas & myrmecias detrahunt. Quin & alopecias iuuant pauco tempore admota. Nam si diutius inhæreãt, non excoriatur solum ipsa cutis, sed & in crustam uritur. Atq; hæc omnia caulis & foliorum sunt opera, si imponas uirentia. Porrò radix arefacta sternutationem prouocat similiter alijs quę ualenter desiccãt: Sed & dentes dolentes iuuat, ut & frangat eos, ualenti scilicet exsiccatione: & ut semel dicã, calida & sicca ualde est tum radix, tum uniuersa adeo herba.

Bdellium. *Cap.* 75

Bdellium, quod scythicũ nominant, quod sanè & atrius est, & resinosum magis, emolliẽtis admodum & efficacis uirtutis est. At alterum, nempe arabicũ, quod dilucidius est, magis desiccat quàm emollientia. Igitur recens & humidum est, & contusum facile mollescit, ad omnia ad quæ scythicum idoneum. At quod antiquius est, & admodum gustu amarum, & acre, & siccum, ab eorum quæ indurata molliũt mediocritate excidit. Vtuntur autem quidam illis, & potissimum arabico, & ad bronchocelas, & hydrocelas, saliua matutina ieiunaq; subigentes, ut emplastri cõsistentiam accipiat. Porrò arabicum & calculos renum in potu sumptũ frangere apparet, tum urinas ciere, & crudorum flatuum discursus, præterea laterum dolores & rupturas persanare.

Bechium. *Tussilago.* *Cap.* 76

Bechium inde adeò nuncupatum est, quòd bechas, hoc est tusses & orthopnœas iuuare sit creditum, si quis folia arida aut radicem in prunis urens ascendentẽ inde fuliginem inspiratu attrahat. Est autẽ modice acris, ut sine molestia noxa'ue omes thoracis abscessus credita sit rumpere. Sanè folia uirentia partes cruda phlegmone obsessas illitu extrinsecus adiuuãt, nempe ob aqueæ substantiæ admistionem, qua omnia uiridia teneraq; participant, alia plus alia minus. Nam sicca bechij folia acriora sunt quàm ut phlegmonis conueniant.

Blitum. *Cap.* 77

Blitũ holus est esculentũ humidę frigidęq; temperaturæ in secũdo maxime excessu à tẽperatis.

Bulbus satiuus. *Cap.* 78

Bulbus esculẽtus quidem frigidiorem & crassiorem lentumq; succum procreat. Nam & coctu difficilis est, & flatuosus, & uenerem prouocans. Attamẽ illitus ob amaritatem simul & adstrictionem abstergit simul & glutinat, et nimirum etiam exsiccat. Est eñ ostensum, amaritudinẽ in exter-

gentibus esse substantijs, adstrictionẽ uero in glutinantibus. At siccitas utranque consequitur.

Bolbos emeticos, Bulbus uomitorius.

Bulbus uomitorius multo est calidioris temperaturæ quàm superior.

Bubonium. Cap. 79

Buboniũ, aut Aster atticus, nũcupatum est ita, quia creditum est bubonas sanare tum illitũ, tum inguini adalligatum. Est autem mediocriter digerẽtis facultatis, quia uidelicet & modice calidum est, nec uehementer: nec ita desiccat ut tendat, maxime cum etiamnum molle ac recens fuerit.

Buglossum. Cap. 80

Buglossum humidæ calidæque tẽperiei est. Itaque uinis iniectum, lætitiæ ac hilaritatis causa esse creditum est. Sed & ijs qui ob supremi gutturis (pharynga Græci uocant) asperitatẽ tussiunt, coctum in melicrato conuenit.

Bunium. Cap. 81

Bunium, alij Arctium, adeo excalfacit, ut & urinam moueat, & menses prouocet: sed & pseudobunium adsimilis illi caliditatis est.

Buphthalmum. Cap. 82

Buphthalmum sic appellatũ est à floribus, qui figura quidem boum oculis uideantur adsimiles, colore autem anthemidis floribus simillimi sunt, sed multo tum maiores, tum acriores: proinde & uehementius digerunt, adeo ut & duritias sanent cerato misti.

Brathy. Sabina. Cap. 83

Sabina ex numero est fortiter exsiccãtium, idque secundũ tres qualitates quas in gustu præ se fert, similiter cupresso, nisi quod ea et acrior est, & ut sic dixerim, magis aromatica, seu odoratior. Igitur huius quã modo dixi qualitatis est particeps, nẽpe acrimoniæ cõsistentis in tẽperamento calido, præterea amaritudinis & adstrictionis obscurioris quàm in cupresso. Quantũ enim ipsa cupressum superat in acrimonia, tantũ ab ipso superatur in adstrictiõe. Quo manifestũ est quod omnino calidior est cupresso, & ob id etiã potentius digerit. Itaque glutinare nequit uulnera ob siccitatis & caliditatis robur. Nam utriusque illi tantũ inest, ut etiã tendat, & inflammationẽ afferat. At putredinibus similiter cupresso accõmodari potest, maxime ubi rebelliores fuerint & diuturniores. Nam hæ citra noxã uim medicamẽti perferunt. Quin & quæ atra sunt reddita, & admodũ sordida, ea cum melle expurgat. Carbũculos item soluit. Porrò essentiæ tenuitate mẽses quoque prouocat, ut si quid aliud: & sanguinem per urinas mouet. Fœtũ etiam uiuentem interficit, & mortuũ educit. Esto autẽ hoc medicamen tertij ordinis tum excalfacientiũ, tum desiccantium, ex numero eorum quæ uel maxime tenuium sunt partiũ. Et hoc utique nomine unguentis inditur, & maxime gleucino, & in multas antidotos inijcitur. Quidam uero etiã cinnamomi uice duplum eius subijciunt. Est enim extenuãdi & digerendi facultatis, si epotum fuerit.

Bretanica. Cap. 84

Bretanicæ herbæ folia astringentia sunt, & uul- A nerum glutinatoria, similia agrestibus lapathis, nisi quatenus atriora sunt, magisque hirta. Sed & expressus ex illis succus perinde natus est adstringere: itaque coctum quidam reponunt tanquam inter stomatica medicamẽta efficacissimũ. Videtur enim sanare etiam putrescentia.

Bromus. Cap. 85

Bromus unũ ex leguminibus. uerũ ut medicamentũ similẽ hordeo uim obtinet. Nã illitũ desiccat & digerit mediocriter, & sine morsu. Temperiem aũt habet paulo frigidiorẽ. Nõnihil etiã adstrictionis obtinet, ut uentris profluuia iuuet.

Bryon thalattion. Alga marina. Cap. 86

Bryon thalattion compositum est ex terrena & aquea essentia, utraque frigida. Siquidem & gustum adstringit, & calidis quibusuis illitum, ea refrigerat & adiuuat. B

Bryon aut Splanchnon. Muscus.

Bryon, quidã uero Splanchnon. Inuenitur autem in quercubus, & piceis, & populis albis, uim habet adstringentẽ inualidã. Nec enim multũ est frigidũ, sed proxime fermè medijs, quia uidelicet & digerendi & emolliẽdi facultatis est particeps, maxime quod in cedrinis lignis reperitur.

Gallium. Cap. 87

Gallium inde adeo nomẽ sortitũ est suũ, quod lac coagulet. Adsimile autem est aparinæ, facultatem obtinens exsiccatoriã & subacrẽ: flos eius sanguinis profluuijs cõpetere uidetur, & combustis mederi. Est autem boni odoris, & coloris lutei.

Gentiana. Cap. 88

C Gentiana. huius herbæ radix multũ est efficax, cum opus est extenuatione, purgatione, abstersione, obstructionis liberatione: nec mirum si hæc possit, cum impense sit amara.

Gigarta, siue acinorum uuæ nuclei. Cap. 89

Acinorum uuæ nuclei ex secundo ordine sunt exsiccantiũ, refrigerantiũ uero primo. Substantia eorũ crassa est et terrena: cui gustus indicio est, nimirũ cum acerbi appareant. Quin & experientia cõprobat. Nam omnibus uentris cum profluuio iunctis affectibus impendio conferunt.

Gingidium. Cap. 90

Gingidium sicut gustu amaritatẽ & adstrictionem præfert, sic temperie quoque ipsa caliditatẽ & frigiditatẽ. Secundum utranque uero qualitatẽ desiccatorium est. Sed enim stomacho amicum est, D utpote non paruam obtinẽs adstrictionẽ. Quamobrem non admodum conspicuã caliditatẽ possidet: duobus autem numeris desiccat.

Glaucium. Cap. 91

Glauciũ astringit cum quodam fastidio. Tum adeo insigniter refrigerat, ut solum sæpe erysipelata, utique si ualentia non fuerint, curare possit. Mistura eius composita est ex aquea terreaque substantia: utraque sanè frigida, uerum non summe, sed ceu aqua fontana.

Glaux. Cap. 92

Glaux herba. & ipsa lactis generandi uim obtinere uidetur. Quod si sit, calida quodammodo humidaque fuerit.

Gli-

Glichon. Pulegium. Cap. 93

Pulegium: & hæc herba, quandoquidē acris & subamara est, ualde tum excalfacit, tum extenuat. Porrò ꝙ excalfaciat, abunde magnũ est testimonium, ꝙ illita rubrificat: & siquis diutius toleret, exulcerat quoq;. Quod uero extenuet, satis indicat, cũ humida, crassa & lenta ex thorace & pulmone excreatu facilia faciat, mensesq; moueat.

Glœos. Strigmenta balneorum. Cap. 94

Glœos modice emolliendi uim obtinet.

Glycyriza. Dulcis radix. Cap. 95

Huius fruticis radicũ succus in primis utilis est, similiter ut eius radices dulcis, simulq; leuiter adstringēs. Proinde asperitates lenire potest, nec modo in arteria, uerũetiam uesica scabra, idq; tēperaturæ mediocritate. Quocirca fuerit sanè natura eius familiaris nostrę tēperaturæ: nam tale mōstratum est esse dulce: sed cum adstrictio quędã adiũcta sit, uniuersum eius temperamentũ, quantum ex caliditate & adstrictione est, tepidæ potissimũ caliditatis fuerit, quã proxime accedēs ad symmetrum siue temperatum. Porrò quoniam temperie quoq; est humidũ id quod modice est dulce, iure sanè etiam siti congruens medicamentum est, nimirum modice humidum, simul & humana natura frigidius. Refert Dioscorides, radicē siccam ad leuorem redactam, pterygiorum seu unguium oculorum idoneum esse illitu remedium.

Glycysida. Pæonia. Cap. 96

Glycysida, quã pentorobon & pæoniã nuncupãt, radicē habet leuiter adstringentē cum quadã dulcedine: ac si plusculũ dentibus mãdas, acrimoniam item quampiã subamarã subesse percipies. Proinde menses ciet ex melicrato amygdali pota quãtitate. Sanè tundere eam necesse est, ac ita cribratam inspergere. Expurgat porrò etiã iecur obstructum, & renes: sed hæc efficere nata est qua acris & subamara est: qua uero quiddam etiam adstrictorium obtinet, in uentre prouenientes fluxiones sistere potest. Cæterũ eam tunc in austerorum uinorum quopiam decoctam potare conuenit. Est porrò omnino & resiccatoria. Eapropter haud desperauerim eam ex collo pueris suspēsam merito comitialem morbũ sanare. Equidem uidi puellum quandoq; octo totis mēsibus morbo comitiali liberũ, ac postea forte fortuna cum quod à collo suspensum erat decidisset, protinus denuo conuulsione correptũ, rursusq; suspēso in locũ illius alio, inculpate postea egisse. Porrò uisum est mihi satius esse rursum id collo detrahere, certioris experientiæ gratia: id cum fecissem, ac puer iterum esset cōuulsus, magnã recētis radicis partem ex collo eius suspēdimus, ac deinceps prorsum sanus effectus est puer, nec postea cōuulsus est. Rationabile itaq; erat, aut partes quaspiã à radice defluentes, ac deinde per inspirationē attractas, affectos ita locos curare, aut aerē à radice assidue mutari & alterari. Nam hoc pacto succus cyrenaicus columellã phlegmone affectã iuuat, et melanthiũ frictũ palàm catarrhos & coryzas desiccat, siquis id in calidũ linteum ratũ liget, assidueq; calorē ex eo per inspirationē in nares attrahat. Quinetiã si cōpluribus linis, & maxime marinę purpurę, collo uiperæ iniectis illis uiperam præfoces: eaq; postea cuiuspiam collo obuincias, mirifice profuerit tum paristhmijs, tum omnibus ijs quæ in collo expullulant. Sanè de talibus priuatim aliquando forte conscribam. Ac nunc pæoniæ cognoscendum temperamētum est tum exsiccatorium, tum subtilium esse partium, haud tamen insigniter calidũ, sed aut symmetrum, aut pauxillo calidius.

Gnaphalium. Cap. 97

Gnaphaliũ inde adeò nominatũ est, ꝙ folijs eius mollibus pro tomēto utant̃. Sunt aũt candida, & modice adstringunt, ac proinde quidã id exhibent ex austerorũ uinorũ quopiã dysentericis.

Gongylis. Rapum. Cap. 98

Gongylidis semē uenerem excitat, utpote spiritum flatuosum procreās. Sic & radix coctu difficilis est, inflatq;, & semen generat.

Damasonium. Alisma. Cap. 99

Damasoniũ, aut Alisma. De hac herba in tertio libro tradit Dioscorides, ꝙ radix eius epota dysenterias sanet, & aluum sistat, atq; œdemata mitiget. Sed nos ea quidē experti nō sumus: ꝙ autem constitutos in renibus calculos aqua in qua decocta fuerit, pota comminuat, id certe experti sumus. Ex quo liquet quòd abstersoriam quandam facultatem obtinet.

Daucus. Staphylinus. Cap. 100

Daucus, quē quidã staphylinũ nuncupãt, agrestis quidē domestico minus est esui idoneus, cæterum in omnib. uehemētior: at domesticus esui aptior: sed imbecillior, acrē, et calefaciēdi facultatē obtinet, ac proinde etiam extenuãdi. Certe radix prẹter iam cōprehensa flatuosum quiddã obtinet ac uenereum. Semen autem domestici quidem & ipsum quãdam ad uenerem ciendi potentiã possidet. Agrestis uero planè flatu caret, quod ἄφυσον uocant: ac proinde urinam mensesq; ciet.

Dauci semen.

Dauci herbę semen excalfaciendi uehementer facultatem habet, ut inter prima efficax sit tum urinæ mouendæ medicamen, tum mēsibus prouocandis. Multum etiam digerere per halitum foris impositum ualet. Ipsa uero herba similē quidem uim obtinet, tamē semine infirmiorem, nimirum ob aquẹę humiditatis misturam, quanquam utiq; & ipsa calida sit temperie.

Daphne arbor. Laurus. Cap. 101

Lauri arboris & folia & fructus desiccãt & calfaciunt uehemēter, plusq; etiam fructus quàm folia. At radicis cortex minus quidem acris est & calidus, plus tamen amarus, habetq; etiã adstrictionis nonnihil. Quamobrē & calculos cōfringit, & iecori prodest: bibitur ex uino fragrante triũ obolorum pondere.

Daphne herba. Cap. 102

Daphnes herbæ, quam & daphnen Alexandrinam appellitant, temperatura euidenter est calida, & gustantibus acris simul est & subamara, potaq; tum urinas, tum menses prolicit.

Chamædaphne. Laureola. Daphnoides.

Porrò chamædaphnes germina tenera edi q̃ꝗ assolẽt. Est aũt persimilis uiribus daphnæ Alexandrinæ, sicut sanè & quod daphnoides nũcupant.

Dictamnum. Cap. 103

Dictamnum tenuiore essentia constat q̃ pulegium, cætera illi simile. At quod uocant pseudodictamnum, ad omnia imbecillius dictamno est.

Dipsacos. Labrum Veneris. Cap. 104

Dipsaci spinæ radix ex secundo ordine exsiccatoria est, habetq́ nonnihil abstersorium.

Dorycnidium. Cap. 105.

Dorycnidium tẽperamẽto papaueri simile est, & mandragoræ, ac quæcunq́ parẽ habent refrigerandi potentiã: excellit & frigiditate aquea: quãobrem pauculum quidem, soporem conciliat, plusculum uero sumptũ interimit.

Dracontium. Dracunculus. Cap. 106

Dracuntiũ quiddã Aro persimile obtinet tum folijs, tum radice, cęterũ illo tum acrius est, tum amarius: ac proinde calfactoriũ magis, & tenuioribus partibus. Habet etiã leuiculam quandam adstrictionẽ, quæ quandoquidem cum cõprehensis duabus qualitatibus, acri scilicet & amara coniuncta est, medicamentũ factũ est, ut quę maxime, efficax. Nam radix uiscera omnia expurgat, crassos potissimũ & lentos succos extenuãs: optimumq́ remediũ est contumaciũ ulcerũ, quæ κακοήθη nuncupant. Expurgat quoq́ extergetq́ profecto strenue tum alia quæ extersionẽ desiderant, tum uitiliginẽ cum aceto, tum folia item, utpote similẽ facultatem habentia, ulceribus uulneribusq́ recẽs inflictis accõmoda sunt, & quanto minus fuerint sicca, tanto magis cõglutinant. Nam quæ sicciora sunt, uiribus sunt acrioribus q̃ ut uulneribus conueniant. Creditum quoq́ est, caseum humidum si illis foris tectus reponatur, ob tẽperaturæ illorum siccitatẽ à putredine cõseruari. Fructus ualentior est non folijs tantũ, sed & radice: itaq́ & cancros & polypodas eliquare creditus est. Succus quoq́ eius, uitia oculorum expurgat.

Dryopteris. Filicula. Cap. 107

Dryopteris gustu mistam qualitatem præfert. dulcem, acrem, amaram, in radice uero item acerbam. Facultatem habet septicam; proinde etiam pilis glabram cutem efficit.

Drys. Quercus, siue Robur. Cap. 108

Quercus partes omnes adstringentis facultatis participes sunt. Sed plus tamen habet quæ in trunci cortice mẽbrana subest, tum quæ sub glandis ipsius caliculo, ea uidelicet quæ fructus carnẽ cõuestit. Quamobrẽ ad profluuiũ muliebre, & sanguinis expuitiones tum dysenterias & diuturnos uentris fluxus cõmodam esse credũt. Maxime uero ea utunt̃ decocta. Valentius tamen adstringũt fagus & ilex, seu quis eas species esse Roboris uelit, seu toto genere diuersas. Quin & folia harum plantarũ tenella illita non instrenue desiccare ualent, minus autẽ quæ sunt alterius Roboris, nimirum quãto minus sortita sunt adstrictionis. Siquidem ego quandoq́ glutinasse me uulnus memini

A securi inflictum, cum nullum adesset ad manũ medicamen præter ipsius quercus folia: terebã ea in leui petra, & uulnus omnemq́ uicinũ locũ contexi. Eandem folijs uim habet & fructus Roboris, eoq́ medici nonnulli ad incipientes & crescẽtes utuntur phlegmonas. Nam quæ iam uehementes sunt, adstringentia respuunt. Sed talia ad curandi potius rationem q̃ præsentẽ tractatũ attinẽt. Cæterum in præsentia nouisse, ꝙ eatenus adstringentem, quatenus dictum est, facultatẽ quercus obtineat, sufficit: ac proinde desiccãdi, atq́ adstringendi: excalfaciendi aũt paulo infra media, in genere scilicet eorum quæ (ut sic dicam) tepida sunt.

Ebiscus. Althea. Cap. 109

Ebiscus, siue althea: est aũt malua agrestis: facul-
B tate digerẽdi, laxandi, ἀφλεγμάντως, hoc est phlegmone leuãdi, mitigandi, concoquendi difficilia cõcoctu tubercula. Radix porrò eius & semẽ cætera quidẽ pari folijs modo agũt, uerũ tenuiorum partiũ, magisq́ exsiccatoriã, ad hæc magis extersoriã facultatẽ ostendũt, ut et uitiligines detergãt, & semen renũ calculos cõfringat. At radicis decoctum ad dysenteriã, diarrœã, hoc est profluuiũ, & sanguinis reiectionẽ aptũ est, nempe cum adstringentem quandam facultatẽ possideat.

Ebenus. Cap. 110

Ebenus ex ijs lignis est, quæ trita cum aqua in succum soluuntur. Vis ei inest excalfaciẽdi, extergendi, & tenuium partium. Quamobrem quæ pupillas offuscant, extergere creditur: miscetur alijs
C remedijs ocularibus, quæ ad ulcera uetera, fluxiones & bullas siue pustulas accommoda sunt.

Elæa. Olea. Cap. 111

Oliuæ rami quantũ habent adstrictionis, tantæ & frigiditatis participes sunt. Fructus uero, siquidem ad unguẽ maturuit, moderate calidus est: sin immaturus est, magis tũ adstringit, tũ refrigerat.

Elæon. Oleum.

Oleum quod ex oliuis conficit̃, quod sanè proprijssimo nomine oleũ appellamus, cuiusmodi sit tẽperaturæ, superioribus libris definitũ est. Quippe humectatoriũ esse & moderate calidũ ostendimus. Eiusmodi est quod est dulcissimũ: fitq́ potissimũ ex oliuis, quas Græci δρυπεπεῖς uocant, nos druppas. Cæterũ quod omotribes & omphacinũ
D nuncupãt, id quantũ in se habet adstrictionis, tantum etiam illi inest frigiditatis. Porrò oleũ uetus quod quidẽ ex dulci inueterato efficit̃, & calidius est, & potentiorib. ad euaporandũ uiribus. Quod uero ex crudo, id dum reliquũ quippiam seruauerit adstrictionis, mistæ permanet facultatis: ubi uero illã prorsum abiecerit, reliquo fit simile. Quinetiam quicunq́ in præparando ramos inijciunt, ij & ipsi omphacino simile oleum efficiunt. Cæterum rogandum non est, quo pacto sit præparatũ, sed gustandum est potius: ac si præferat adstrictionis quippiam, eatenus etiam frigidum esse existimandũ, ceu illud quod ab Iberia portat̃, quod spanum, id est Hispanicum nominant. Quod si nequaquam gustantibus adstringere appareat, sed adamussim uideat̃ dulce, id modice esse calidum putan

putandum. Porrò si tenue quoque cernatur (tale est quod purum est, quodque intuenti trãslucidum uidetur) ac modicum eius latissime per cutẽ extensum sibi maneat continuũ, celeriterque à cute cõbibatur, id utique pro optimo ducendũ, ac olei uirtute quã maxime pollere, quale est Sabinũ. Porrò quòd oleum lotum minime omniũ mordacitatẽ continet, supra positum est. Cæterum quo potissimum modo id probissime laues, in sequẽti tradam opere, quod inscribetur De medicaminũ cõpositione: ubi & de sicyonio, & si quod eius generis præterea oleũ est, agetur: nunc sermo mihi est de simplicibus, adijciamque et de alijs olei speciebus. Vocatur enim quoddam cicinũ oleum, in Aegypto maxime proueniens ex fructu ricini. Tum raphaninũ, sesaminum, amygdalinũ, caryinum: adhæc sinapinum, lentiscinũ, laurinum, melanthinũ, terebinthinum, mastichinũ, myrtinũ, balaninũ, hyoscyaminũ: nec pauca præter hæc ex fructibus expressa omnia, cæterum tantum inter sese discrepantia, quantum & fructus ipsi à se inuicem dissidẽt. Est enim cicinum tum tenuius, tum ad discutiendum potentius, quam simillimũ oleo ex oliua uetusto. Quamobrẽ siquando in medicamenti cõpositione cicinũ oleũ adscriptũ fuerit, si ipsum nõ adsit, communi utendũ oleo, maxime si fuerit sabinum. Raphaninum autẽ cætera huic simile est, sed calidius tamen, at hoc etiã calidius sinapinum. Huic simile est quod ex melanthio, hoc est gith, conficitur. Pugnant cum istis myrtinum & sesaminum, tum quòd adstringãt, tum quod crassarũ sint partium. mistæ facultatis est lentiscinũ & terebinthinum, & mastichinum: non enim tantum emolliunt, sed & adstringunt. Amygdalinum porro amaritatem exuperantem possidet, cæterum cuiusdã etiam adstrictionis est particeps: non tamen caryinum, sed id uel maxime simplicis est digerendi facultatis. Calidius eo est laurinũ, & maiore digerendi ui præditum, & hoc etiã magis cedrinum: proximum ei est quod ex nigra pice conficitur. Dadinum, minus quidem laurino calidum, uerum ualentius desiccans. Hyoscyaminum uero mistæ facultatis est, emolliendi uidelicet, & refrigerandi: Oleum porrò cicinum uentrẽ subducit. Hoc uero magis, quod fit ex gnidio grano, tanto nimirum, quãto granũ potentiorẽ purgandi uim obtinet, quã cicis, id est ricinus. Iam quod ex agresti oliua oleũ exprimitur, non simplicẽ tẽperaturã obtinet: sed extergit, simulque adstringit. Squalidissimum id est ex omni olei genere, & post istricum quoque: deinceps illis est Hispanum. Pinguissimũ est libycum, & cilicium: simul autem pingue & tenue sabinum. in medio comprehensorum omnium sunt tum id quod per Cyclades insulas nascitur: tũ quod per Græciam, Asiamque. Porrò oleum pingue æstimatur iudicaturque uiscositate: tenue uero, si perluceat, si purum sit, si plurimũ minima eius portione inũgatur, si facile à cute combibatur. Ex dictis cognoscere iam liceat & de alijs olei generib. quæ æquiuoce ipsis dicuntur unguentis, puta rosaceo, melino, liliaceo, & quæcunque id genus floribus, fructibus, germinibus, folijs in oleo maceratis conficiuntur. Horum quodque ubi unà cum aromatibus præparantur, unguentum efficitur. De his copiosius dicetur in opere De componẽdis medicamẽtis. Porrò ubi quod in præsentiarum utile est exposuero, desinam. Pro cuiusque iniectorũ natura oleum uariari cõtingit. Ex ijs ergo quæ in toto hoc opere de quoque injciendorum generatim disces, singillatim quoque confectum ex ijsdem oleum cognoscere dabitur.

Elatine. Cap. 112

Elatine modice tũ refrigerat, tum adstringit.

Elaphoboscus. Cap. 113

Elaphoboscus facultatis est excalfactoriæ, & tenuium partium, ac proinde exiccatoriæ secundo maxime excessuum ordine.

Elenium. Enula campana. Cap. 114

Elenij herbæ radix maxime est utilis, nõ primo statim occursu excalfaciens, ac proinde dicẽda est non calida & sicca exacte, ceu piper, cum atrum tum candidum, sed cum recrementitio humore. Quapropter eligmatis, quæ faciũt ad educendos ex pectore pulmoneque crassos lentosque humores, idonee cõmiscetur. Rubrificant eius quoque ui partes frigidis ac diuturnis uexatas affectibus, cuiusmodi sunt nõnullæ coxarum passiones, ischiadas uocãt, & exiguæ assiduæque articulorũ quorundã præ humiditate procidentiæ ac luxationes.

Elelisphacos. Saluia. Cap. 115

Elelisphacos euidẽter excalfacit, ac leuiter subadstringit.

Elleborus. Veratrum. Cap. 116

Elleborus uterque tũ albus, tũ niger exrergentis est & excalfaciẽtis facultatis. Quãobrẽ ad alphos, lichenas, psoras leprasque accõmodi sunt. Quinetiam niger si in fistulam callo induratã infundatur duobus tribus'ue diebus, callum detrahit. Dentibus prodest cũ aceto colluẽtibus. Sunt aũt in tertio ordine excalfacientiũ & desiccantium. Porrò niger gustu acrior est, candidus amarior.

Elxine. Cap. 117

Elxine, Alij perdiciũ nominãt, alij parthenium, alij sideritin, sunt qui heracleã appellitẽt: cæterũ uis ei inest abstergendi & constringẽdi cũ humiditate subfrigida. Quãobrem phlegmonas omes ab initio & augmẽto sanat usque ad statũ (ἀκμὴν Græci uocant) & maxime si calidæ fuerint. Quinetiã incipientibus phygethlis cataplasmatis ritu illinitur. Tum etiã ad aurium dolores phlegmonosos succus eius mediocriter profuerit. Gargarizandũ item nõnulli exhibent ad paristhmia. Sunt uero etiã ex medicis quidam, qui ijs qui diutina tussi uexantur, illam exhibuerint. Certe euidẽs extergendi experimentũ præbet & in uasis uitreis.

Elxine cissampelus.

Elxine, quæ & cissampelos nuncupatur, digerendi facultatem obtinet.

Elymus. Meline. Panicum. Cap. 118

Panicum ex leguminũ genere est, milio speciẽ simile, facultate certe pauci nutrimenti, & exiccatoria. Sistit quoque nonnihil uentris fluxus; ceu

ipsum etiam milium. Si uero foris illinatur, exiccat atque refrigerat.

Empetron. *Cap.* 119

Empetron ad solas purgationes esse uidetur commodum, bilem ac pituitam educens. Gustu salsum est: proinde ad alia quoque utaris licet, ad quæ pollere ostendimus substantiam salsam. Nominatur item prasoides.

Epithymum. *Cap.* 120

Epithymũ thymi facultatẽ habet, ad omnia efficacius: exiccat & excalfacit in tertio gradu.

Epimedium. *Cap.* 121

Epimedij uis est moderate refrigeratoria cũ aquea humiditate: quare nullam habet insignẽ qualitatẽ: uberibus illitũ ea recte seruare potest. Aiũt uero si potu hauriatur, sterilitatem parere.

Epimelis. *Cap.* 122

Epimelis: acerba hec plãta est, utq; dixerit quispiam, pomus syluestris. Vocat aũt ab Italiæ rusticis Vnedon. Ingẽs eius in Calabria prouetus. Fructus eius acerbus quidẽ est, nihilominus tamẽ stomacho ingratus, & capitis mouẽs dolores. Admista siquidẽ est ei aliena quæpiam qualitas.

Erebinthus. Cicer. *Cap.* 123

Cicer, legumẽ est flatuosũm, copiosi nutrimenti, aluo mouẽdæ habile, ciendæ urinæ idoneum, lacti & semini generando aptum: prolicit uero & mẽses. Porrò quod uocat crium, hoc est arietinũ, cæteris efficacius urinam prouocat. Decoctum eius calculos renum confringit. Reliquum autem cicerum genus (uocatur autem orobieum) eadem ui pollet, puta attrahendi, digerendi, incidendi, extergendi. Sunt eñ calidi, & modice sicci: participes item sunt amaritatis: cuius ui & lienẽ, & iecur, & renes expurgãt, psorasq; & lepras, & lichenes extergunt, tũ abscessus post aures prouenientes (παρωτίδας Græci uocant) & testes induratos discutiunt. Tum etiam ulcera, quæ cacoethe uocant, cum melle sanant.

Erebinthus agrestis.

Erebinthus agrestis ad omnia efficacior domestico est, hoc est tum calidior, tum siccior, quanto & acrior & amarior.

Erice. *Cap.* 124

Erice digerendi per halitum facultatẽ obtinet, Flore eius potissimum ac folijs utendum.

Erpylus. Serpyllum. *Cap.* 125

Serpyllum usq; adeo excalfacit, ut & menses, & urinas moueat: gustu multum est acre.

Erysimum. Irio. *Cap.* 126

Erysimi semẽ sicut gustu nasturtio apparet simile, ita facultate igneũ est, excalfactoriũ. Porrò ubi in eligmate uti ex usu est, præstat aqua maceratũ refrigerare, aut linteolo inuolutũ & crusta pistoria circũlitũ torrere. Vtile est cũ eligmatis ad promouẽdas crassorũ lentorũq; pectoris pulmonisq; humorũ expuitiões. Quin & parotides induratas & duritias antiquas uberũ et testiculorũ iuuat. Refert Dioscorides, q cum aqua & melle cataplasmi in morem illitum occultis prosit cancris.

Erythrodanum. Rubia passiua. *Cap.* 127

Est aũt tinctorũ rubia radix acerba, & gustu a-A mara. Itaq; quæcunq; agere dictæ sunt superiore libro, ubi eiusmodi coiuerint qualitates, ea omnia in hac radice luculenter cõspicies: quippe cum & lienem & iecur expurget, & urinas crassas multas ac nonnunquam etiam sanguinolentas moueat. Quin & menses ciet, & mediocriter quæ extersionem postulant extergit: proinde uitiligines albas cum aceto illita iuuat. Sunt qui eã ischiadicis, hoc est coxendicum doloribus afflictis, & resolutis, in potu cum melicrato exhibeant.

Eupatorium. *Cap.* 128

Eupatorium herba ipsa tenuium partium, incidendi extergendiq; facultatem citra manifestam caliditatem obtinet: quocirca obstructiones iecoris expurgat. Inest itidem ei & adstrictio quædam B per quam robur uisceri addit.

Euphorbium. *Cap.* 129

Euphorbium causticæ siue urentis & tenuium partium facultatis est, alijs succis similiter.

Ephemerum. *Cap.* 130

Ephemerum, nõ illud letale ac deleterium, sed alterum, quod & irin agrestem cognominant, folia et caulem lilio similem obtinet, radicem oblongam, non rotundam ceu colchicum, digiti potissimum crassitudine, adstringẽs, & boni suauisq; odoris. Ex quibus palàm fit, facultatis temperaturæq; esse mistæ, nempe repellentis, & halitu euaporantis. Testificantur opera quæ particulatim edit. Siquidẽ non inefficaciter radix eius in dentium doloribus colluitur. Tum phymatum augmẽ C to & statui folio cõgruunt. Oportet aũt ea in uino decocta prius quàm pus moueas, illinire.

Echinus herba. *Cap.* 131

Echini herbæ fructus acerbus est, ac proinde repellentis & exiccatoriæ facultatis. Vtunt eo ad oculorum fluxiones & aurium.

Zea *Cap.* 132

Zeia uniuersa sua facultate quodãmodo in medio est tritici & hordei. Itaq; ex illis cognoscatur.

Zingiberis. *Cap.* 133

Zingiberis radix utilis est, utiq; quam ex Barbaria ad nos cõuehunt. Excalfacit, sed non primo statim occursu uelut piper: unde sanè & minus esse subtilium partiũ quàm piper existimandum, siquidem in tenues solueretur partes, et celerrime D actu ut illud fieret calidum. Apparet enim illaborata & crassior adhuc quædam ei inesse substantia, nec ea sicca & terrestris, sed humida potius atq; aquea. Quo fit ut facile perforetur, cum scilicet recrementitia insit humiditas, Neq; eñ quicq; eorum quæ aut planè sicca sunt, aut humida, sed elaboratam & familiarem continentia humiditatem, huic uitio obnoxia sunt. Idem usuuenit piperi longo. Atque hinc est quòd diutius perseuerat quẽ proficiscitur à zingibere aut pipere longo caliditas, quàm quæ ab albo aut nigro. Nam sicut ab aridis calamis flamma simul celerrime accenditur, & undequaque dispergitur; eundem in modum quæ à siccis potestate medicamentis editur caliditas. At quæ prodit ab humidioribus, ceu ligna sunt uiridia, & tardius accenditur, & durat diutius

diutius. Ex quo fit ut utriusque medicamenti diuersus sit usus. Siquidem ubi totum corpus celeriter excalfacere consilium est, ea tunc exhibenda sunt quæ & celerrime à caloris nostri contactu incalescant, & promptissime undequaque ferantur. Verum ubi partem quamuis refrigeratam recalfacere studemus, contra agendum, nimirum quæ tarde calescentia plurimo tempore perdurent, ea præbendo. Cæterum licet zingiber & piper album hac ratione à nigro pipere differant, non magna tamen est differentia: at nasturtium, si napi, thapsia, & agrestium columbarum stercus maiori tempore perfecte accenduntur, & plurimo tempore perdurant.

Zythus. Cap. 134

B Zythus acrior est non parum hordeo, & succi praui, utpote qui ex putredine proueniat: est & flatuosus: tum partim acris est & calidus: parte uero plurima frigidus, aqueus, acidus.

Zyme. Fermentum. Cap. 135

Fermentum tenuium est partium, & mediocriter calidum. Proinde sanè sine molestia ac mordacitate quæ in profundo sunt tum extrahit, tum digerit. Cæterũ ex contrarijs & ipsum facultatibus temperatum est, sicut alia multa. Particeps nanq; est aciditatis cuiusdam frigidæ, & caliditatis ex putredine natæ, cui accedit ad ea quæ ex salsis est & farinæ natura.

Hedyosmos. Menta. Cap. 136

C Hedyosmos: alij uero minthen odoratam nuncupant. Est enim & alia quædam minthe nõ odorata, quam calaminthen uocãt. Vtraq; gustu acri, & facultate calida est, ex tertio ordine excalfacientium. Infirmior tamen est menta odorata quàm calamintha: minus excalfacit. Vt enim in uniuersum dicã, hæc ceu syluestris quædã est, illa ceu domestica: quãobrẽ sanè ob eam quæ ex cultu accedit humiditatem, mediocriter item ad uenerẽ excitat. Id quod omnibus accidit quæ humiditatem semicoctam & flatuosam cõtinent. Ob talem ipsius herbæ temperaturam in abscessibus ea quidam cum polenta mista utuntur. Id quod in calamintha facere nequeas, propterea quòd ualẽtius tum excalfaciat, tum desiccet, q id genus poscãt. D Habet uero etiam quiddam amarum in se & acerbum: illo quidem lumbricos interficit: acerbitate uero si cum oxycrato bibatur, recentes sanguinis reiectiones reprimit. Substantiæ est, ut si qua alia herba, tenuium partium.

Hedysarum. Cap. 137

Hedysarum, aut pelecinus. Huius fruticis semẽ colore ruffum est, utrinq; anceps, uti secures. Amarum & subacerbum apparet. Quamobrẽ potum gratũ est stomacho, & uiscerũ obstructiones expurgat. Idem præstant totius fruticis germina.

Hemerocalles. Cap. 138

Hemerocalles radicem habet lilij radici similẽ, non figura tantum, sed & uiribus: prodest non secus atq; illa, igni ambustis: quippe quæ leuiter digerentem facultatem habeat, & cum hoc nõnihil adstringentem.

A *Hemionitis.* Cap. 139

Hemionitis simul & adstrictionem & amaritudinem possidet: quamobrem cum aceto pota lienosis auxilio est.

Erygeron. Cap. 140

Erigeron facultatem mistam obtinet, simul refrigeratoriam, & modice digerentem.

Eryngium. Cap. 141

Eryngiũ caliditate aut parum aut nihil potest, quod temperatũ est superat: cæterum nõ paruam habet siccitatem in tenui essentia consistentem.

Thalietrum. Cap. 142

Thalietrum folia habet coriandro similia, caulem crassitudine rutæ. Vis ei inest exiccatoria citra morsum: itaque ulcera inueterata ad cicatricem perducit.

Thapsia. Cap. 143

Thapsia acrẽ habet ac ualenter excalfacientẽ facultatem cũ humiditate coniunctã. Quãobrem ex alto uiolenter extrahit, & quod extraxit digerit. Verũ plusculum ad ea efficiẽda tempus postulat, ut quæ larga humiditate impleta est, cuius uitio etiam fit ut celeriter corrumpatur.

Thermus. Lupinus. Cap. 144

Lupinus edi potest coctus, multis ante diebus per macerationem amaritudine in aqua deposita. Fitq; tunc nutrimentum succi crassi: cæterũ ut medicamentũ ita præparatus ex genere est emplasticorũ. At ubi natiua etiãdũ manet amaritas, extergendi digerendiq; uim obtinet. Interficit lumbricos tum illitus, tũ addito melle linctus, tũ ex posca epotus. Quin & decoctũ eius lumbricos eijcere potest: tum etiam foris identidem perfusum uitiligines, achoras, pustulas, exanthemata Græci uocãt, psoras, gangrenas, ulcera maligna, quæ cacoethe uocãt, iuuat, partim extergendo, partim citra mordacitatẽ digerendo siccandoq;: expurgat iecur & lienẽ cũ ruta & pipere suauitatis gratia assumptum. Elicit menses ac fœtum cũ myrrha & melle impositũ. Porro lupinorũ farina sine mordicatione digerit: nec enim liuida tantũ, sed & chœradas & phymata curat: sed tunc in aceto, aut oxymelite, aut posca coquaĩ oportet, idq; pro laborãtium tẽperamẽto & affectus diuersitate, qđ ex usu est eligendo. Sed non est præsentis instituti talia distinguere. Digerit itẽ quæ liuida sunt: & quæcunq; modo diximus præstare posse decoctũ, eadem omia efficit & farina. Sunt uero etiã qui eam ischiadicis cataplasmatis modo illinunt.

Thermos agrios. Lupinus agrestis.

Lupinus agrestis amarior est, & ad omia ualentior domestico, eiusdem genere cũ ipso facultatis.

Thlaspi. Cap. 145

Thlaspi semen habet & ipsum facultatẽ acrẽ, adeo ut internos abscessus potũ disrumpat, menses ciet, & fœtũ necat. Per sedẽ infusum sanguinolenta euacuãs ischiadib. prodest. Est em̃ alioqui tum superne, tum inferne, biliosorum humorum euacuatorium oxybaphi mensura epotum.

Thridax. Lactuca. Cap. 146

Lactuca humidum est frigidumq; holus, nõ tamen

men

men extreme (ſiquidem edendo non foret) uerũ maxime ſecundum aquæ, ut ſic dicam, fontanæ frigiditatem: proinde ad ualidas phlegmonas accommodum eſt, & ad parua & leuia eryſipelata: non tamen maioribus ſatisfacere idonea eſt. Eſt etiam edulium ſiti aduerſum. At ſemen potu genituræ profluuium cohibet: quamobrem etiam ijs qui libidinoſis ſomnijs uexantur, datur, ſic & agreſtis lactucæ ſemẽ, cuius colligitur ſuccus, argemata & caligines expurgans, tum aduſtiones cum lacte mulierum iniungi ſolitus.

Thymum. Cap. 147

Thymum incidit & calfacit uehementer: ob id & urinam, & menſes prouocat, fœtum euellit, uiſcera potum expurgat, educendis ex thorace & pulmone confert. Itaq; in excalfaciendo exiccandoq; in tertio ordine ſtatuendum eſt.

Idæa radix. Cap. 148

Idæa radix guſtu admodũ acerba eſt: ac ſi opere periculum facias, eandem uim præferet, nimirũ ſanguinis profluuia, alui fluxus, dyſenterias, profluuium mulierum, & quæcunq; eius ſunt generis tum pota, tum foris impoſita curans.

Ixos, Viſcum. Cap. 149

Viſcum ex plurima aerea & aquea, paucíſsima terrena ſubſtantia conſtat. Nam acrimonia in eo amaritudinem excellit. Itaq; etiam effectus ſubſtãtiæ reſpõdent. Siquidẽ ualenter ex alto humores extrahit, nec eos tantum tenues, ſed & craſsiores, eosq; diffundit ac digerit. Eſt autem ex eorum genere quæ non protinus admota excalfaciunt, ſed quæ tempus requirũt, uelut thapſia: ſed & ſupra hoc commonuimus, ineſſe calidis facultate medicamentis, ubi largum continent humorem recrementitium.

Ios, Viola. Cap. 150

Violæ folia aqueã & ſuffrigidã ſubſtantiã ſuperantẽ poſſident: proinde tũ per ſe, tum cum polenta illita calidas phlegmonas mitigant. Imponuntur & ori uentriculi æſtuanti, & oculis.

Hippuris. Cauda equina. Cap. 151

Hippuris adſtringentem cum amaritudine facultatem poſſidet, ac proinde ualenter, ſimulq; citra mordacitatem exiccantem. Itaq; uulnera uel maxima conglutinat, etiamſi præſectos eſſe neruos contigerit: præterea uocatas enterocelas glutinat. Ad hæc ad ſanguinis reiectionem, ad profluuium muliebre, potiſsimum rubrum, & ad dyſenterias reliquosq; uentris fluxus ſtrenuũ ac generoſum eſt remedium herba ipſa, aut ex aqua, aut ex uino epota. Sunt qui de ea ſcriptum reliquerunt, quòd nonnunquam etiam ueſicæ, ac tenuium inteſtinorum uulnera ſanauit. Eius uero ſuccus prodeſt etiam profluuio ſanguinis prorumpenti ex naribus, tum fluxui obnoxijs in uentre paſsionibus ex auſterorum uinorum quopiam potus: ac ſi febre teneantur, ex aqua.

Hippomarathrum. Cap. 152

Hippomarathrũ: unà cum fœniculo & de ipſo differemus.

A

Iſatis. Cap. 153

Iſatis domeſtica quidem, qua utũtur tinctores, facultatis eſt ualenter exiccantis, nondum tamen mordentis: eſt enim ſimul amara atq; adſtringens. Proinde magna uulnera corporum durorum glutinat, etiam ſi in capitibus muſculorum fuerint: & ſanguinis profluuio laborantibus partibus utiliter illinitur: tumores œdematodeas mirifice digerit ſimul ac reprimit, & aduerſus omnia ulcera maligna & cacoethe mirabiliter reſiſtit, etiamſi putreſcant, etiamſi exedantur ac erodantur. Quòd ſi quando quàm pro laborantis natura ualentior apparet, folijs eius tritis miſcere oportebit aut panem, aut hordeaceam farinam, aut triticeam, aut polentam, pro uincente nimirũ in unoquoq; affe-
B ctu. At iſatis ſylueſtris manifeſte iam acre quiddã tum guſtu, tum actiõe præfert. Proinde quàm domeſtica ualentius deſiccans ualentius humidis etiam putredinibus obſiſtit, ad cætera uero iam cõprehenſa deterior. Minus enim moderate mordaciterq; deſiccat. talia enim irritantur hoc pacto, et phlegmone grauari incipiunt. Cęterum ob facultatis robur lienoſis quoque utilis fuerit, cum altera nondum prodeſſe poſsit.

Iſopyron, aut Phaſiolon. Cap. 154

Iſopyrum aut Phaſiolum ſemen habet amarum & ſubacerbum. Extergit itaq; & incidit humores craſſos cum hoc ut corpora contrahat & conſtringat. Quamobrem excreationibus pectoris conducit, & iecur expurgat, & ſanguinem ſpuenti-
C bus non eſt aduerſum: imò etiam iuuare creditur. Nam propter temperaturæ miſtionem contrarijs etiam congruere uidetur.

Itea. Salix. Cap. 155

Salicis folijs ad cruenti uulneris glutinationem uti poſsis: uerum floribus eius maxime prope omnes utũtur medici ad exiccantis emplaſtri præparationem: eſt enim uis eorum ita deſiccatoria, ut morſu abſtineat: habet uero etiam quandam adſtrictionẽ. Sunt uero etiam, qui ſuccum ex ea expreſſum, medicamen ſeruẽt mordacitatis expers, & exiccatorium, ad multas res utile. Haud enim inuenias quid ad plures res utilius medicamento citra mordacitatem exiccante, quod paulum etiã adſtringat: ſicut in opere De medicamentorum
D cõpoſitione exactius docebimus. Porrò arboris cortex ſimilem facultatem obtinet tum floribus, tum folijs, niſi quòd temperaturæ ſit ſiccioris, uelut omnes cortices: ſed hunc quidam comburũt, eiuſq; cinere utũtur ad ea omnia quæ ualenter deſiccare oportet. Nam clauos quos uocant, callos (Græci τύλους uocant) myrmecias tollunt, aceto ipſum macerantes. Nonnulli autem dum floret ſalix, corticem eius incidũt, & ſuccum quendam colligunt, utunturq; ad ea quæ pupillas offuſcant, extergente uidelicet ſimulq; tenuium partium medicamine. Vti uero illo ad multa quis poſsit, ſiquidem talis fuerit.

Procemium, Omnino nnceſſarium eſſe ut omnes huius operis libri ordine legantur. Quód in hoc & ſe quente libro reliquas ſtirpium primas præſertim facul tates perſequatur. Quod partium craſsitudo ac tenui tas, & graduum differentiæ non poſſunt prorſus ex quiſite oſtendi: ſed quantum tamen ad curandum ſufficere uidetur, Graduum quatuor differentias ex plicat Cap. 1. Calaminthe. Vide etiam ſupra in Hedyoſmo. 2. Calamus aromaticus. 3. Calamus phragmites, id eſt, arundo. 4. Cacanū, Dioſcoridi ca calia. 5. Cannabis. 6. Capnium, id eſt fumaria. 7. Capparis. 8. Cardamon, id eſt naſturtium. 9. Cardamomum. 10. Caros. 11. Caſia. 12. Ca rya, id eſt nux. 13. Caucalis. 14. Carpeſium. 15. Cenchros, id eſt milium. 16. Cedrus. 17. Centaurium maius. 18. Centaurium minus. 19. Ceraſus. 20. Ceratonia, id eſt ſiliqua arbor. 21. Ceſtros, id eſt betonica. 22. Cecis, id eſt galla. 23. Cera. 24. Cici. 25. Cinamomum. 26. Circea. 27. Ciſthus, uel ciſtharus. 28. Ci ſthus uel ladanū. 29. Ciſſus, id eſt hedera. 30. Cli nopodiū. 31. Clematis, & daphnoides. 32. Cnicus. 33. Coccus Cnidius. 34. Coccus, id eſt granum tinctorium. 35. Coccymelea, id eſt prunus dome ſtica, & ſylueſtris. 36. Glutinum librarium ex farina. 37. Cucurbita. 38. Colocynthis. 39. Comarus id eſt arbutus: uide ſupra Epimelis. 40. Commi uel gummi. 41. Conia, id eſt lixiuium. 42. Conyza. 43. Coriandrum, Dioſcorides notatur, & obiter de eryſipelatis natura, nomine & curatione. 44. Co ronopus. 45. Coſtus. 46. Cotyledon, id eſt, aceta bulum herba. 47. Crania id eſt cornus. 48. Crami be, id eſt braſsica. 49. Braſsica ſylueſtris. 50. Braſ ſica marina. 51. Crateogonon. 52. Crethmum. 53. Crithe, id eſt hordeum. 54. Crimnon, & puls. 55. Crinon: i. lilium. 56. Crocodilion. 57. Cro cus. 58. Crommyon, id eſt cepe. 59. Cyamus id eſt faba. 60. Cyclaminus. 61. Cyminum. 62. Cy nosbatus, id eſt caninus rubus. 63. Cypariſſus, id eſt cupreſſus. 64. Cyperus. 65. Cyprus. 66. Cy tiſus. 67. Conion, id eſt cicuta. 68. Conu carpos, id eſt pineæ nuces. 69. Lagopus. 70. Lathyris. 71. Lampſane. 72. Lapathum. 73. Limoni um. 74. Lichen. 75. Leontopetalon. 76. Lepidi um. 77. Leucas. 78. Leucacanthum. 79. Leu coium. 80. Leuce, id eſt, populus alba. 81. Liba notus, id eſt thus. 82. Libanotides. 83 Lignys, id eſt fuligo in genere: & priuatim thuris, terebinthi, myr rhæ, ſtyracis, picis liquidæ, cedri. 84. Libyſticum 85. Lini ſemen. 86. Linozoſtis, id eſt Mercuria lis. 87. Lonchitis. 88. Lycium. 89. Lyſima chium. 90. Lychnis 91. Lotus herba. 92. Lotus arbor. 93. Macer cortex. 94. Malabathrum. 95. Malua, & arboraſcēs malua uel althea: de qua & ſupra in Ebiſco. 96. Mandragoras. 97. Mara thrum, id eſt fœniculum ſatiuum, & duo ſylueſtria. 98. Maſtiche. 99. Melanthium. 100. Melilo tus. 101. Mel, & ſacchar. 102. Meliſſophylon, id eſt apiaſtrum. 103. Meſpilum. 104. Medium 105. Mecon, id eſt papauer, tum erraticū, tum alia. 106. Mecon ceratitis, id eſt Papauer cornutum. 107. Mecon Heraclea, Dioſcoridi papauer ſpume um: Vide Peplus infra. 108. Melea, id eſt malus. 109. Melea, id eſt malus perſica. 110. Mala Ar meniaca ſiue præcocia. 111. Malus Medica. 112 Me on. 113. Milax aſpera: Dioſcoridi ſmilax. 114. Mi lax leuis. 115. Morus. 116. Myagrus. 117. My ces, id eſt fungus. 118. Myle, Dioſcoridi Moly: Vi de Moly infra. 119. Muris auricula. 120. Myrica. 121. Myriophyllon, id eſt mille folium. 122. Myr rhis. 123. Myrtus. 124. Moly ſiue ruta agreſtis, uide Myle ſuperius.

GALENI DE SIMPLICIVM MEDICAMENTORVM FACVLTATIBVS

Liber Septimus.

PROOEMIVM

SEPTIMVM de ſimpliciū medicaminum facultatibus cōmentarium ſcripturus, ne ceſſariū duxi præfari, ſolis ijs apertū ac clarū fore, qui in ſu perioribus libris nō uelut ali ud agētes aut obiter fuerint uerſati: alios uero potius per peram inauditurus, q̃ eorū quæ in eo dicēda ſunt aliquid addiſcituros exiſtimo: tum ſeſe falſuros, et nos forſan tanq̃ non recte quædā ſcripſerimus, ca lumniaturos, atq; conuicijs laceraturos. Itaq; qui ſanioris mentis ſunt, monitis ſcio auſcultabunt: ac ſiqua illis cura eſt præſentis huius ſpeculationis, ab initio totū opus perlegent. At qui præ curioſi tate potius q̃ diſcendi ſtudio huc acceſſerunt, mo nita noſtra cōtemnent. Enimuero mirū uideri nō debet, ſi inuenti ſunt qui myſteriorū libros à my ſterijs alieni legere non ſunt reueriti. Verum illos ſui autores non ſcripſerāt prophanis: nec ego, me Hercules, ijs qui in principijs non ſunt exercitati. Exponent hoc in libro, & eo qui hūc ſubſequitur reliquarum plantarū primæ facultates, eo doctri næ ordine, qui in literis à quibus incipiunt uiſitur. Antecedēte itaq; libro uſq; ad, ι, progreſſi ſumus. Hic aūt principiū ſumemus à κ: id modo præmo nentes etiā quod & ante demōſtrata principia to tum referemus. Siquidē hinc omīs mēbratim me dicamentorū in agēdo prouenit diuerſitas, q̃ ha ctenus eorū unūquodq; aut calidū eſt, aut frigidū, aut ſiccū, aut humidū, aut tenuiū partiū, aut craſſa rum. Cæterū iuxta exactā ueritatē quatenus com prehēſorū uno quoq; proceſſum ſit, explicatu cer te eſt impoſsibile. Sed nos id tamen claris limiti bus circūſcribere ſumus conati, qui quidē ad artis uſum ſufficerent: Vnum eſſe medicamētorum ge nus monſtrantes, quod ad ſimilem corporibus no ſtris tēperaturā pertingeret, cū à calore qui in illis eſt, mutatiōis alterationiſq; acciperet principium. Alterū, quod calidius q̃ nos efficeret: cuius qua tuor cōſtituēdos eſſe ordines uiſum eſt. Primū qui ſenſu obſcurus ſit, adeo ut ratione ſit opus, quæ ue rum deprehendat. Alterum ab eo ſecundum quo dāmodo iam ſenſu clarum. Tertiū deinde alium, qui

A qui ualenter quidem excalfaciat, sed nondū urat. Quem sequitur quartus & postremus iam adurens. Sic quoq; refrigerantium. Primū quidem eorum quæ rationis subsidio indigent, ut refrigerare demonstrentur. Secundū eorum quæ sensibiliter refrigerant. Tertiū eorū quæ ualenter. Quartū eorum quæ extingunt, ac mortē frigore inducunt. Proportione istorum & de humectantibus.

Calamintha. Nepeta. Cap. 1

Calamintha essentia est tenui, & calida siccaq; tēperie, ex tertio quodammodo ordine utraque qualitate. Horum manifesta sunt indicia, partim gustu apparentia, partim experientia cognita. Gustu siquidem acris & palam calida est, ac paulum omnino amaritudinis obtinet. Periclitantibus autem & corpori admouentibus extrinsecus imposi- B ta primum quidem ualde excalfacit & mordicat, cutemq; exugit, postremo etiam ulcus efficit. In corpus aūt intro assumpta, tum ipsa per sese sicca, tum etiam cum melicrato, perspicuo calfacit & sudores ciet, omneq; corpus tū digerit, tum exiccat. Ea ratione ducti quidam ipsam contra corporis concussiones rigoresq; per circuitum repetentes adhibuerunt: foris quidem oleo incoctā toti corpori inunguentes cū frictione non segni, intrò assumentes sicuti est dictum. Quin etiam & coxendicibus eam quidem in ægritudinibus isciadicis tanquam strenuum remedium illiniunt. Trahit enim quæ in profundo hærent ad superficiem, totumq; adeo articulum excalfacit, cutemq; nō obscure adurit, mēsesq; tum epota, tum apposita ad- C modum efficaciter prouocat. Bonum etiam elephanticorum remedium, non eo quòd strenue tenues humores digerat, uerumetiā quia extenuet & incidat ualenter crassos, qui talem morbū procreant. Sic & cicatricibus atris candorem reddit, & sugillata digerit. Sed ad talia coctam in uino adhibere præstat, & uiridem ac recentem potius, q̃ siccam. Quippe arefacta uehemētior redditur, & ad urendum promptior. Porrò talis cum sit, ad uenenatarū bestiarum morsum assumitur, uelut etiam cauteria, & quæcunq; medicamēta calida sunt & acria, tenuiumq; partium, quæq; facile ex alto ad sese circumiacentem omnem humiditatē possunt attrahere. Cæterum quæ illi in est amaritas, plane exigua est, uerum quædam ita efficaciter a- D git, ut quæ ualentissima est, nimirum cum coniuncta sit uehemēti calori cum tenui essentia. Quare & ascaridas & lumbricos succus eius aut infusus, aut epotus enecat. Eadē ratione auriū uermes, aut si alicubi in ulcere putredinoso, talis prouenerit affectus. Sic & conceptū seu pota, seu admota interimit & eijcit. Igitur incidendi quidem eis uis adest propter calorem eius, tenuitatem, & amaritudinem: abstergendi uero propter unicam amaritudinem. Itaq; asthmaticis ob omnia ante dicta prodest: ictericis uero, siue regio morbo laborātibus, potissimū ob amaritudinem, sicut alia fere ōmia amara, utpote abstergentia & exuperantia in iecinore prouenientes obstructiones. Ad omnia iam dicta efficacior est montana.

Calamus odoratus. Cap. 2

Calamus odoratus leuiculam quandam adstrictionem, ac minimam acrimoniā possidet: magna ex parte essentia eius terrena est & aerea, in caliditatis frigiditatisq; coniugatione tēperata. Quāobrem moderate urinam mouet, & facultatibus quæ iecori stomachoq; imponuntur, misceri potest: tum in fomenta quoq; uteri, quæ phlegmones gratia, aut irritandis mensibus assumuntur, utiliter admiscetur. Ponatur itaq; habeaturq; secundi ordinis eorum quæ excalfaciunt & desiccant, ualentius tamen desiccant quàm excalfaciunt. Inest quoq; ei quædam partium tenuitas, uelut alijs omnibus odoratis, siue aromatibus. Cæterum illorum compluribus tenuium partium plurimum, calamo uero non multum adest.

Calamus phragmites. Canna. Cap. 3

Calami phragmitis radicem cum bulbis aculeos & stipites ex alto extrahere quidam scripsere, ceu trahendi quædam uis ei inesset. Nos tamen eius rei periculum non fecimus: uerum quantum gustu liceat conijcere, abstergentem facultatem possidet non paucam, minimeq; acrem. Attamen folia ipsa uiridia moderate perfrigerant, & simul non modicæ abstergentis sunt facultatis: cortex uero eius combustus admodū tenuium partium & digerentis facultatis efficitur, adiūctum habēs abstersorium quiddam, ut exiccet & excalfaciat tertio quodammodo ordine, plus tamen desiccet quàm exalfaciat. Vitandus est eius flos, quam anthelen uocant. Nam si in aures incidat, adeo tenaciter adherens affigitur, ut auelli non posit, auditumq; uitiat: quamobrem sæpissime exurdat.

Cancanus. Cacalia. Cap. 4

Cancani radix facultatem habet mordacitatis expertē, & modice exiccantē, essentiam crassam, & emplasticam. Quapropter macerata uino sicut tragacātha, & lincta arteriæ asperitates sanat: nec minus si quis eam cōmandat: succus eius defluens prodest arteriæ similiter ut glyciriza.

Canabis. Cap. 5

Canabis semē flatus extinguit: adeoq; desiccat ut si plusculum edatur, genituram exiccet. Sunt qui uiridem succū exprimentes ad auriū dolores, ab obstructione, opinor, natos, eo utantur.

Capnios. Fumus. Cap. 6

Capnios, alij capnos, acris simul & amaræ qualitatis est particeps: nec tamen plane expers est acerbæ. Quamobrem urinam biliosam multamq; prouocat, sanatq; iocinoris obstructiones & debilitates. Succus eius oculorū aciem acuit, non paulum trahēs lachrymarum, uelut ipse fumus. Nam hinc ei appellatio indita. Plebeius quidam ea uti solebat ad stomachum roborandum, unaq; uentrem lubricandum. Siquidem herbam primum desiccatam condebat: porro cum uti uolebat, subductionis quidem gratia, melicrato inspergebat: roborandi uero causa, uino nimirum diluto.

Capparis. Cap. 7

Cappatis radicis cortex uincentem habet qualitatem amaram, proximam acrem, deinde acer-

bam. Ex quo liquet quòd diuersis pugnantibusq; A constet facultatibus: quippe abstergere, purgare, incidere potest amaritudine, excalfacere, incidere, digerere acrimonia: porrò cõtrahere, densare, constringere, acerbitate. Itaq; lienes induratos, siquid aliud, hoc medicamẽtũ iuuare ualet, tũ foris idoneis illiniẽdis remedijs admistũ, tũ intrò in corpus assumptũ, siue decoctũ in aceto aut oxymelite, & id genus, siue aridum cõtusum, illisq; permistum: quippe cum aperte crassos lentósq; humores hoc pacto sumptũ euacuet, nec eos tantũ per urinas, sed & per uentrẽ sæpe etiã sanguinolentos defert, unde & lienes adiuti sunt, & coxarũ dolores. Quinetiã menses promouet, & ex capite purgat detrahitq;, quod ἀποφλεγματίζειν uocant, auxiliaturq; ruptis atq; cõuulsis. Cæterũ cuinã ipsum B potioni in quoq; affectuũ misceri cõueniat, nõ est præsentis instituti persequi, sed aut eius ubi de cõponendis agitur medicamẽtis, aut ubi curandi traditur methodus. Porrò radicis eius cortex ulceribus malignis cataplasmatis modo impositus non malũ est remediũ: ut qui illa extergere ualeat, nec segniter desiccare. Præterea dentiũ labores prædictarum qualitatũ ratione adiuuat, interim cũ aceto coctus, interim cum uino, sæpe etiã solus dentibus mansus ac morsus. Sed non pertinet ad præsens negocium, quando quodq; horum tẽpestiuũ sit, definire: nec enim id nunc propositũ est: sed ex quoq; particulariũ eius operũ, uirium eius quandam sumere indicationẽ, sermonẽ ad principia ab initio proposita reducendo. Ex dictis ergo clarũ C est, incidẽdi quandã ei facultatẽ inesse, itẽq; extergendi, digerẽdi cõtrahendi. Vitiligines siquidem cum aceto detrahit, & chœradas & duros tumores digerit idoneis ad ea medicamentis mistus. Radicis cortici, fructus proportione uiriũ respondet nisi ꝙ ad omnia sit imbecillior. Imò & folia & caules eius similem uim obtinent: meminiq; me folijs quandoq; paucis diebus duriciem chœradis naturam referentẽ discussisse. Sed admiscemus scilicet illis quippiã quod eorũ uirium obtũdat uehementiam. Nec mirum est ꝙ aurium uermes amaritate occidant sua. Porrò capparis quæ in admodũ feruentibus regionibus prouenit, ut quam fert Arabia, multo est nostrate acrior, adeo ut plurimum D etiam habeat facultatis adurentis.

Cardamum. Nasturtium. Cap. 8

Nasturtij semen adurentis seu causticæ facultatis particeps est, ueluti napy: proinde coxendicis & capitis dolores, atque adeo quodcunq; rubrificationem postulat, eo excalfaciunt sicut napy. Miscetur quoq; remedijs quæ exhibentur asthmaticis, tanquam ualẽter crassos succos incidere ualeat, uelut & napy. Nam per omnia ei simile est. Porrò & herba arefacta similem semini uim possidet. Humida uero est ac uiridis propter aqueæ humiditatis admistionem multo semine inferiorem: adeoq; tunc mordacitas eius moderata est, ut cum pane ea uti liceat ceu obsonio.

Cardamomum. Cap. 9

Cardamomum est & ipsum sanè facultatis admodum calidæ, nõ tamen usq; adeo ut nasturtiũ, sed quanto suauius magisq; fragrãs est nasturtio, tanto & imbecillior ei calida facultas inest: nec enim ulcerare idoneũ est uel ipsum per se illitum. Porrò adiunctum habet quiddam etiam amaritudinis, qua lumbricos interficit, & cũ aceto ualenter psoras detergit.

Caron. Cap. 10

Cari semen calfacit & exiccat tertio quodammodo ordine, moderate acrem qualitatem possidens: itaq; & flatus extinguit, & urinas ciet, nõ semen tantum, sed & tota planta.

Casia. Cap. 11

Casia exiccat & excalfacit tertio quodammodò ordine, sed & tenuiũ admodũ partiũ est, gustu uero plurimũ habet acrimoniæ, leuiter quoq; nõnihil adstringens. Quamobrem ob hæc omnia incidit simulq; digerit quæ in corpore sunt recremẽta, & ad hæc robur etiam instrumentis addit. Idoneum uero etiã suppressis mensibus, cum uidelicet à copia simul & crassitudine excrementorum quod sufficiat euacuari nequit.

Carya. Nuces. Cap. 12

Carya arbor tũ in folijs, tum in germinibus adstrictionem quandam possidet, cæterum euidentem multãq; in nucis putamine recenti pariter & sicco: proinde eo fullones quoq; uti solẽt. At nos eius expressi succo, similiter & mororum & ruborum, in melle decocto, uice stomatici medicaminis utimur, & ad omnia reliqua adhibemus ad quæ modo dicti succi cõuenire censentur. Porrò ipsius id quod edendo est, oleosum est, & tenue: itaq; etiam facile in bilem transit: & quo diutius reconditum fuerit, magis tale efficitur. Quamobrem oleũ ex eo inueterato exprimere liceat. Tũc sanè admodum fit per halitũ euaporatoriũ. Itaque quidam eo gangrenas & carbunculos, & ægilopas sanant, ac nonnulli ad neurotrota, hoc est neruorum uulnera utuntur. Cæterum si recens sit, adstringentis nonnihil qualitatis etiam obtinet. At quod imperfectũ est etiamdum, ac nondũ siccum ueluti reliqui fructus omnes qui uirides sunt, plenum est semicoctæ humiditatis. Putamen autem ipsius siccum ustum, tenuium partium & exiccatorium est medicamẽtũ, morsus expers. Est & aliud genus nucũ minorũ, quæ nimirũ ponticæ nuncupantur, plus habẽs essentiæ terrestris ac frigidę: itaq; etiã gustanti austerior tum cortex, tum planta, tum fructus apparet: cætera magnæ nuci similes sunt, quæ à quibusdam uocatur Græce κάρυον βασιλικόν, (Latinè Iuglans.) Appellatur autem parua hæc nux λεπτοκάρυον Græcè, (Latinè Auellana.)

Caucalis. Cap. 13

Caucalis, quidã daucum syluestrem nuncupãt: est enim ei adsimilis gustu simul ac uiribus: excalfacit enim ut ille, & desiccat, tum urinã ciet, & muria ad repositionem conditur.

Carpesium Cap. 14

Carpesium simile est uocato phu, hoc est ualerianæ, non gustu tantum, sed & facultate. Sed plus habet

habet tenuitatis: proinde magis eo etiam uiscerũ obstructiones extergit, & urinam mouet, renesq; calculis degrauatos expurgat. Non tamen eatenus tenuium est partium, ut liceat loco cinnamomi, si non ad manum sit, usurpare, sicuti faciebat Quintus. Præstantius est ponticum carpesium laertio, non tamẽ uel ipsum cinnamomi uiribus uicinum est, immo non paruo deterius optima casia. Nuncupatur utrumq; à montibus quibusdam Pamphyliæ in quibus nascitur. Ingens eius prouentus est in Sida.

Cenchrus. Milium. Cap. 15

Milium primo ordine refrigerat. Exiccat uero tertio exoluto, aut certè secundo intenso. Paululum etiam habet tenuitatis. Ex hac tum consistentia, tum temperatura esu quidẽ planè inter omnia frumentaria edulia minimum cõfert nutrimenti. Sed & uentrem desiccat. Porrò foris impositum in sacculis idoneum est fomentum ijs quæ citra morsum exiccari postulant: & cataplasmatis modò illitũ exiccare potest: attamẽ admodũ friabile est: ꝓinde difficilis est eius in cataplasmatis usus.

Cedrus. Cap. 16

Cedrus specie duplex est, altera fruticosa iuniperis adsimilis, altera arbor non exigua: utraq; est calidæ siccæq; temperaturæ tertij quodammodo ordinis secundum utrunq;. Cæterum cedrea (uocatur ita cedri oleum) quartũ etiam ordinem uidetur attingere, quemadmodũ calida, simul & tenuium partium. Mollem itaq; carnem prompte citraq; dolorẽ putrefacit, sicut alia omnia, quæ cũ eiusdem sint in calfaciendo ordinis, adiunctã etiam habent substantiæ tenuitatẽ. At in duris plusculo tẽpore & uix effectum potest cõsequi. Porrò talia omnia medicamenta septica uocantur, & septa: sed inter sese maioris minorisq; ratione dissident. Est autem in hoc genere medicamẽtorum ex primo & infirmissimo ordine cedrea: pleraq; enim eorum admodum sunt efficacia. Talia itaq; & mortuorum corporum carnes corrumpunt: at cedrea exiccat, simulq; à corruptione tuetur corpora demortua, utpote humiditates eorum depascens, cęterum solida corpora haud attingens. At in uiuentibus calor ipse qui in corporibus est, cedreæ uires adaugens, causa efficitur ut teneræ ab ea carnes deurantur. Nec mirum uideri debet, si cum tanta polleat potentia, lendes, pediculos, & ascarides, & in auribus natos uermes interficere ualeat, tum fœtum uiuentem quidem interimat, mortuum autẽ eijciat, sicut sanè etiam coitus semen pudẽdo circũlita. Proinde partui aduersum est medicamentum, si sic utaris, nulli secundum: Aliaq; multa eiusmodi particulatim efficit. Itaq; argumẽtum est ipsum ualenter excalfacere, sicut ubi dentium foraminibus instillatur. Siquidẽ dolores eorũ mitigat, sed & ipsos cõfringit. Extenuat quoq; oculorum cicatrices: & uisus hebetudini ab humorum crassitudine ortæ medetur. Porrò quod eius est pinguissimum, & ad unguem oleosum, quod suspensis supra eam dum coquitur lanis excipit ac colligitur, tota cedrea tenuius qui- A dem est, sed minus acre, quanquam nõ minus excalfaciẽs. Eandem quippe rationem habet ad id, quod reliquũ est cedreæ, crassius illud uidelicet, q̃ oleum ad amurcam. Proinde illud, utpote crassius, mordax est, & maiore aperiẽdi facultate præditum. Itaq; ulcera irritat, phlegmonesq; illis excitat. Porrò oleosa illa cedrea adeo clementibus est uiribus, ut etiam plebeij experientia docti uulnera ouibus occasione tondendi à forfice facta, illa illita sanent, sicut etiam pice humida. Vtuntur autem ea & ad ouium scabiem, & ricinos, Græci κρότωνας uocant. Porrò cedrides (nam ita fructum cedri nuncupant) moderatiores uires obtinent, adeo, ut comedi quoq; possint. Attamen si liberalius ijs utare, capiti dolorem inferent, ardoremq; B ac morsum in uentre percipies.

Centaurium maius. Cap. 17

Centaurij magni radix sicut gustu contrarias qualitates, ita in usu contrarios effectus præstat. Gustu itaq; acris simul adstringẽsq; apparet cum leuicula dulcedine. At in actionib. acrimonia quidem caliditatis opera ostentat, mẽses prouocans, & fœtum mortuum euellens, uiuumq; corrumpens atq; eijciẽs. Adstrictio uero, opera crassæ terrenæq; frigiditatis, cum ulcera glutinet, & sanguinem reijcientibus prosit. Exhibentur autem eius drachmæ duæ, febrientibus quidem cum aqua, febri uero liberis cum uino. Porrò secundũ omnium simul qualitatum actionem, ruptis, cõuulsis, dyspnœæ, siue spirandi difficultati, tum inuetera- C tæ tussi cõuenit. Nec enim in talibus euacuare solum quod pręter naturam est oportet, sed partem quoq; euacuatã roborare ac cõfirmare. Vacuationi itaq; accõmoda est acrimonia utiq; cũ non sola sit ac pura, sed aut dulcedini iuncta, aut certe non prorsum amaritudini. Siquidẽ uehementiam tũc atq; uiolentiã mista illi tẽperata quadam substantia, cuiusmodi est dulcis, non obtinebit. Porrò ad ea quæ euacuata sunt, roboranda contrahendaq;, adstrictione est opus. Eadem quę radix & succus ipsius efficit: utunturq; eo quidam uice lycij.

Centaurium minus. Cap. 18

Centaurij minoris radix planè inefficax est, sed caulis eius extremus, & potius folia quæ illi inhęrent, & flores, utiliora sunt: uincit in eis qualitas D amara, paululum habens & adstrictionis, atq; ob eiusmodi temperamentum admodum exiccatorium est medicamen, expers mordacitatis. Porrò quod omnia talia utiliora sint, supra commonui, & nunc nihilo secius tamen nos repetere tempestiuum est, omnes eius particulatim actiones memorantes. Vlcera itaq; magna herbæ ipsius recentis illitu glutinãtur: & uetusta, quæq; ægre ad cicatricem perduci queunt, cicatrice eodem modo utentibus includuntur. Arefacta uero glutinatorijs & desiccatorijs miscetur facultatibus, ijs uidelicet quæ sinus & fistulas sanare sunt natæ, ueteresq; duritias emollire, tum ulcerum maligna & cacoethe sanare. Miscetur etiam ijs quæ rheumaticis affectibus medẽtur. In quibus ea medicamina præstantissima sunt, quæ uehemẽter desiccan

tia cum quadam adstrictione nullam habent mordacitatē. Decoctū herbæ quidā ischiadicis infundunt, ceu biliosa & crassa ducēs: nam & talia purgat: quanq; cum adeo uehementer operabitur ut crueta euacuet, tunc plus proderit. Succus porrò eius cum adsimilis sit facultatis, hoc est exiccatoriæ & abstersoriæ, & cætera iam cōprehensa pulchre prę̄stare potest: & cum melle oculis illinitur, mensesq; & fœtum euocat. Sunt qui ipsum præbeant & ijs quibus nerui affecti sunt, ut qui euacuet & desiccet innoxie quæ impleta sunt: quippe cum iocinoris quoq; obstructiones optime expediat, bonumq; sit lieni indurato remediū foris impositum, nec secius si quis bibere sustineat.

Cerasus. Cap. 19

Cerasus arbor fructum fert non paris adstrictionis in omnibus particulatim plantis participem. Nam & in harum, sicut etiam malorum granatorum, & malorum, quibusdam austera qualitas, in quibusdam uero dulcis, nonnullis autem acida exuperat. Quinetiam ipsorum dulcium ea quæ nondum cocta sunt ac matura, quædam admodum sunt acerba, quædam similiter moris acida. Sed in moris immaturis acida qualitas acerbam exuperat, in cerasiis non semper. Ergo quæ dulcia sunt, magis quæ in intestinis sunt subducunt, sed minus grata stomacho sunt. Contra austera acida pituitosis excrementosisq; stomachis sunt apta. Siquidem austeris magis desiccant, & nonnihil etiam incidunt. Porrò ipsius arboris gummi communem omnibus uiscosis & mordacitatis expertibus medicaminibus facultatē obtinet, quę & ad arterias exasperatas accōmoda est. Proprie autē, siquidem quod quidam subscribunt, uerum est, calculis uexatos adiuuat. Nam sic illi tenuium partium inesset facultas quædam.

Ceratonia. Cap. 20

Ceratonia exiccantis est & adstringentis facultatis, sicut & fructus eius, quæ ceratia uocant, nōnihil etiam dulcedinis continens. Accidit autem istis quiddā simile cerasiis. Nam si humida sumas, magis uentrē subducunt: sicca uero magis sistunt: utpote cum humiditatē expirent, & quod essentiæ est crassioris, tantum reliquum habeant.

Cestrum. Betonica. Psychrotrophum. Cap. 21

Cestrum, aut Psychrotrophum, Romanæ uero Betonica, uim habet incidendi, ut gustus indicat. Amariuscula enim est & subacris ipsa herba: id quod ostendit & particulatim edita actio. Nam consistentes in renibus calculos rumpit: & pulmonē, pectus, & iecur expurgat abstergitq;: menses quoq; ciet: & comitialibus prodest, tum rupta conuulsaq; curat: & omnibus bestiarū morsibus ulceri illita auxiliatur, postremo acidum ructantibus, (ὀξυρεγμιῶντας Græci uocant) & ischiadicis bibita auxilio est.

Cecis. Galla. Cap. 22

Galla quæ omphacitis nuncupatur, admodum acerbum est medicamē, pleraq; sui parte essentiæ terrenæ & frigidæ, per quam desiccat & repercutit fluxiones; ad hæc constringit cōtrahitq; partes

A laxas ac languidas, omnibusq; fluxionum affectibus strenue resistit. Esto uero tertij in desiccando, secundi aūt in refrigerādo ordinis. Altera aūt galla, flaua illa & magna laxaq;, & ipsa desiccat quidē sed tanto minus, & quanto minus acerbæ qualitatis est particeps. Cocta itaq; per se, ac deinde trita cataplasma est non instrenuum sedis phlegmonarum, ac procidentiarū. Porrò coquenda est, si modica opus sit adstrictiōe, in aqua: sin uehemētiore in uino. At si augere insuper adstrictionē sit opus, uino utere austeriusculo. Hanc rustici nostrates οἰνοκηκίδα, quasi uinigallā dicas, nomināt. Deniq; gallæ combustæ sanguinis reprimendi facultatē acquirunt, ac nimirū etiam calorem & acrimoniam ex ustione assumunt: suntq; ijs quæ ignem

B expertæ non fuerint, tum subtiliorum partium, tum maiore desiccādi potestate. Cæterum cum ad sanguinis suppressionem præparare eas uoles, carbonibus impositas dum undequaq; candeant, aceto aut uino extinguere oportebit.

Cera. Cap. 23

Cera quodāmodo medium tenet calfacientium, refrigerantium, humectantium, & desiccantium. Habet uero quiddam etiā essentię crassæ, atq; emplasticum: quamobrē non modo exiccare, sed & per accidēs humectare uideri fortasis poterit, perspirationes uidelicet prohibēs. Quamobrem aliorū medicamentorū tum excalfaciētium, tum refrigerantium materia est. Ipsa aūt per se ex genere fuerit debiliter concoquentiū: nec tamen intrò

C in corpus assumptum, sed foris impositum. Habet enim paulum quiddam digerētis calidæq; potentiæ, quæ plurima melli inerat.

Cici. Ricinus. Cap. 24

Ricini fructus quēadmodum expurgat, detergit ac digerit, sic quoq; folium, sed undequaq; debilius. Oleum quod ex semine cōficitur, tum calidius est, tum tenuiorū partiū, q̄ est oleum cōmune, ac proinde potentius quoq; digerit.

Cinnamomum. Cap. 25

Cinnamomū summe tenuium est partium, nō summe tamen calidum, sed ex tertio ordine: nihil autem æque desiccat eorum quæ pari sunt excalfaciendi facultate propter tenuitatem scilicet essentiæ. At Cinnamomis est uelut imbecillum cin-

D namomum. Nonnulli esse pseudocinnamomum nuncupant.

Circæa. Cap. 26

Circææ herbæ radicem scribit Dioscorides ex uino dulci potā secūdas purgare: est em̄ boni odoris, & calfactoria: semen aūt eius in sorbitione exhibitum ad lactis generationem conducit.

Cisthus. Cap. 27

Cisthus aut Cistharus, frutex est gustu adstringens, omnibusq; particulatim operibus. Attamē folia & parua germina trita adeo desiccāt adstringuntq;, ut ulcera glutinare ualeant. At flores magis sunt efficaces, adeo ut cum uino poti dysenterias, uentris imbecillitates, fluxusq; ac humiditates sanent; cataplasmatis ritu illita ulcerum putredinosa iuuant. Est enim facultas eorum non instrē-

nue desiccans, ferecq; secundi excessus à temperatis absoluti. Adeo uero frutex hic frigidus est, ut tepidi caloris sit particeps. Porrò hypocistis, quã uocãt, multo est magis adstrictoria quàm folia, admodum efficax remedium ad omnes fluxionum affectus, puta sanguinis reiectiones, profluuia muliebria, cœliacos, dysentericosq; affectus. Quin si quam partem roborare consilium sit, quæ uidelicet plusculo humore exoluta fuerit, robur ac firmitatem illi non segniter addit. Sic sanè stomachicis epithematis hepaticisq; cõmiscetur, & ex uiperis confecto antidoto inditur, nimirum quo corpora confirmet ac roboret.

Cisthus. *Cap.* 28

Cisthus aut Ladanum. In calidis regionibus hic cisthus proueniens, tametsi haud alius sit genere quàm qui apud nos nascitur: eximiam tamen à regione ac peculiarem, digerentemq; caliditatem nactus est: atq; utroq; à nostrate differt, tum quia frigiditatem deposuit, tum quia calorẽ assumpsit. Itaq; cętera quidem huius cisthi, illis quę in nostrate uisuntur, similia sunt. Verum ladanũ quod uocant, ex eo prouenit, medicamentũ primo excessu iam quodãmodo cõplete calidum, ut uidelicet & secundum attingat, habens etiam adstrictionis paululum. Ad hæc substantia tenui, ac proinde emolliens, siue malacticum, pariterq; moderate digerens, ac uidelicet etiã συμπεπτικόν, hoc est concoquens. Itaq; mirandum non est, si peculiariter ad uteri uitia conueniat, quandoquidem ad dicta paulum quiddam adstrictiõis obtinet. Quocirca diffluẽtes capillos retinet. Nam quicquid ad radices eorum praui humoris sederit, id o͂me absumit: tum meatus quibus infixi sunt, contrahit. Cæterũ alopecias, & ophiases, sanare non potest, utpote grauiores uires quàm quæ ladano insunt, poscentes: quippe proueniunt ista ex prauis succis lentis crassisq;, quos secantia ac digerentia medicamenta potissimum euocant atque euacuant. At uero hæc tenuium partium sint facultatis oportet ac minime adstringentis, non tamen usqueadeo tenuium partium, & desiccatoriæ, ut nimio plus desiccent, unaq; cum collectis inibi succis præter naturam, naturalem quoq; humiditatẽ incrementa pilis suppeditãtem absumant. Nam sic non magis alopeciam sanabũt, quàm caluitiem afferent. Sed hæc ad curandi rationem pertinent.

Cissos. *Hedera.* *Cap.* 29

Hedera ex contrarijs composita est facultatibus: habet enim quiddam adstringentis substantiæ, quam terrenam & frigidam esse ostendimus: habétque etiam nonnihil acris, quam calidam esse uel gustus cõprobat: Nec deest tertia: aqueam nanque substantiam quandam tepidam obtinet, certe si uiridis sit. Siquidem dum arescit, hæc prima exhalet necesse est: manetq; quæ terrea est & frigida adstringensq;, & ea quæ calida & acris. Viridis autẽ, folijs eius in uino decoctis, ulcera grandia conglutinat: quæq; maligna sunt, ad sanitatem reducit: tum igne factas exulcerationes cicatrice includit. Porrò cum aceto decocta folia lie-

A nosis prosunt. Flores autem quodammodo ualidiores sunt, ut ad leuorem redacti cum cerato ambustis conueniant. Præterea succus medicamentũ est errhinon, hoc est, in nares fusum, capiti purgando idoneum: tum uetustas aurium fluxiões sanat, ad hæc ulcera uetera tum in auribus, tum in naribus. Porro si acrior appareat, aut rosaceo aut dulci oleo miscetur. Lachryma eius lendes interimit, pilis nudat: usqueadeo calidæ potestatis, ut obscure adurat: est enim uelut aqueus quidam liquor, sicut aliæ omnes lachrymæ.

Clinopodium. *Cap.* 30

Clinopodium excalfaciendi uim obtinet, sed nondum adurendi: est uero etiam essentia subtili: ponatq; ipsum quispiam in tertio ordine tum excalfacientium, tum resiccantium. B

Clematis. *Cap.* 31

Clematidis folia acrem & adurentem siue causticam facultatem obtinent, adeo ut & lepras excorient. Fuerit itaq; in quarti ordinis excalfacientium initio. Vocatur autem clematis & daphnoides, quod quidã myrsinoides, alij polygonoides appellitant. Cæterũ id nequaquam exulceratorium est aut acre, sicut quod ante dictũ est, imò pro fluuijs ac dysenterijs cũ uino potum prodest, dentiumq; dolores mansum mitigat: tum uteri quoque doloribus in pesso admotum usui est: tantum abest ut perinde urat aut ulceret, ceu illud superius. Sed summe nobis suspiciendus Pamphilus ille, sicuti in reliquis nugatur de ijs quæ nunquam C uidit, literis ea mandans, sic hæc ambo in unum confudit. At Dioscorides utriusq; in quarto meminit, & eius quæ simpliciter uocatur clematoides, idq; in fine libri: & alterius, sed in principio. quam obrem non est necesse, ut ego rursum notis suis utrunq; depingam, sicut nec in alijs feci.

Cnicus. *Cap.* 32

Cnici semine duntaxat ad purgationes utimur. Tertij est ordinis excalfacientium, si quis foris eo uti uolet.

Coccus gnidius. *Granum gnidium.* *Cap.* 33

Granum gnidium & ipsum quoq; purgat: sed acris est adurentisq; facultatis.

Coccos baphicos. *Granum tinctorium.* *Cap.* 34

D Granũ tinctoriũ adstringentẽ simulq; amaram qualitatem possidet. Vtraq; sine morsu desiccat. Proinde ad ingentia uulnera cõgruit, & ad neruorum uulnerationes. Sed tunc ipsum quidam cum aceto terunt, alij cum oximelite.

Coccymelea. *Prunus.* *Cap.* 35

Pruni fructus uentrẽ subducit, recens quidem plus, aridus minus. Cæterum haud scio cur Dioscorides pruna damascena siccata uentrem sistere dicat, cum & ipsa palàm etiam subducant, minus tamen quàm quæ importantur ex Iberia. Siquidẽ damascena magis adstringũt: at quæ Iberia fert, dulciora sunt. Quin & ipsæ arbores fructibus proportione respondẽt. Minus enim adstringunt quæ in Iberia nascuntur, magis uero quæ Damasci. Cæterum ut in summa dicam, quorũ in folijs aut in germinibus adstrictio quædam inesse apparet mani-

festa, ijs decoctis phlegmonę in columella aut tonsillis existentes idonee colluunt. Porrò agrestium fructus euidenter adstrictorius est, uentreq; sistit. Nominatur autem hæc planta in Asia prumnum. Gummi autem arboris sunt qui dicant cum uino potum lapides cōfringere, cum aceto, puerorum sanare lichenas. Ac si id præstat, clarum est extenuandi incidendiq; illi facultatem inesse.

Colla, aut gluten, *Cap.* 36

Gluten quod ad libros præparant ex similagine & polline, emplasticæ cōcoctoriæq; facultatis est, quibuscunq; ipsum partibus illinas.

Colocynthe. *Cucurbita.* *Cap.* 37

Cucurbita humidæ frigidæq; tēperaturæ est utraq; qualitate secūdi ordinis: quo circa ramentorum eius succus ad auriū dolores cum phlegmone iunctos cū rosaceo utilis est, sic tota quoq; illita calidas phlegmonas mediocriter refrigerat. In esu autem humida est, & sitim propellens.

Colocynthis. *Cap.* 38

Colocynthis gustu amara est. Sed quæ illi amaritudinis dū potat adsunt opera, ea euidenter efficere nequit ob purgatoriam facultatem quā ualidam in sese cōtinet: nimirū cum ijs quæ expurgat, ante & ipsa per aluū excerni præuertens. Viridis ipsius succus intritus ischiadibus prodest.

Commarus. *Arbutus.* *Cap.* 39

Arbutus arbor ipsa qualitate acerba unà cum fructu est. Eum memecylum nuncupant. Est autem hic & infensus stomacho, & capiti dolorem commouens.

Commi. *Gummi* *Cap.* 40

Gummi lachryma est congelata concretaq; in truncis arborū ipsam producentiū, uelut resina quoq; in multis uisitur quæ resinam proferre possunt. Cęterum quod exiccatoriæ emplasticæq; potentiæ sit, constat. Præterea asperitatibus medetur.

Conia. *Lixiuium.* *Cap.* 41

Lixiuium: sic quòd uelut ablutio est cineris, nominatur. Porro omnium maxime tum abstersorium tum exicatoriū illud est quod ex cinere ficus & tithymallorum efficitur: fereq; septicæ seu putrefacientis est facultatis, quæ cuiusmodi sit, in quinto uolumine exposui.

Conyza. *Cap.* 42

Conyza & maior, & minor adsimilis sunt tum tēperaturæ, tum facultatis, gustu amaræ & acres: excalfaciuntq; admodū luculenter, siue quis folia cum teneris ramulis (est enim fruticosa planta) parti cuipiā illinat, siue ubi in oleo coxerit, eo utatur. Siquidem concussiones siue rigores per circuitū redeuntes tale sanare oleum uidet. Flores quoq; eorum adsimilis sunt facultatis. Itaque quidam & ipsos cum folijs tritos in uino bibendos exhibent ad menses fortiter ducendos, eijciēdumq; fœtum. Est & tertium conyzæ genus in locis humidioribus prouenięns, utrisq; illis tū graueolentius, tum imbecillius. Sed primæ memoratæ tertij sunt ordinis in excalfaciendo exiccandoq;.

Coriannon, Corion, Coriandrum. *Cap.* 43

Coriannon, siue Corion, aut utcunque uocare lubet. Vetustiores Græci Coriannon nominabant: at recentiores medici omnes Corion appellitant, sicut & Dioscorides, refrigeratoriam esse herbam ipsam dictitans, sed perperam. Siquidem ex contrarijs facultatibus constat & cōposita est, plurimum habens essentiæ amaræ, quā ostendimus esse tenuium partium, & terrenā. Nec parum etiam aqueæ humiditatis obtinet, quæ tepetis est facultatis: his adiunctum est quoq; adstrictionis pauxillum. Ex quibus omnibus uarie quidem agit ea quæ scribit Dioscorides, sed non tantum ex refrigeratione. Cæterū ego cuiusq; particulatim actionis causam enarrabo, tametsi propositū fuerat mihi unius duntaxat hoc in libro sententiam expromere, sed forte nihil obstabit: imò, si uerum fatendum est, proderit nonnihil, superiores methodos, quæ in paucis medicamentis sunt dictæ, hic repetere. Primum ergo non Dioscorides tantum, sed & alij cōplures medicorū indeterminate de morbis pronunciant, sicut sane hac quoq; tēpestate non paucos inuenias medicos uel insignes, præter alia, hac in re turpissime allucinantes. Interdū enim atra, liuida frigidaq; reddita parte quę erysipelas habuit, nec amplius refrigerātia poscēte pharmaca, ceu antea, sed ea quæ infixum parti præter naturam humorem eliciant, quidam tamē refrigerare perseuerant: alij ad digerētia quidem transeunt, cæterum ea erysipelas sanare dicunt. Quanquam scribant, incipientibus etiamnum atque gliscentibus crescentibus ue erysipelatis alia esse medicamenta, alia uero iam declinantibus ac flaccescentibus. Sed ita res non habet. Neq; enim erysipelas etiam uocari debet postea quàm inflammatio eius, & feruor, ac biliosum illud abierint: neque quæ facultate sunt frigida, neque quæ illa sanant, remedio esse putandum: sed uelut si uel in initio protinus aut percussis, aut alia de causa quauis tumor in parte quapiam aut liuidus, aut niger extiterit, eum esse frigidū affectum existimabis, & quæ digerant excalfaciantq; poscere: ad eundem, opinor, modum, si calida affectio in frigidam reciderit, negligēda quidē prior est, sed secunda alio appellando nomine: aut si displicet nominis mutatio saltē sicut quidā alia scribūt principij alia declinationis remedia, haud frigida esse autumantes declinationis remedia: concedendū sane est, si cui ita placet, ut talis affectio etiam erysipelas uocetur: sed eam etiam calidam dicere ubi iam refrigerata est, id uero neutiquā cōcedendū. Itaque ne quod tūc ei auxilio est, refrigeratoriū esse credamus, sicut Dioscorides coriandrum, qui cum pane aut polēta erysipelas curet illitū. Nam quod ad unguem est erysipelas, quod utique inflammatum est & flauum, haud unquam sanare queat cum pane coriandrum, sed illud quod iam refrigeratum est. Proinde nos superioribus uoluminibus, cum determinita ac definita experientia cuiusq; medicaminis facultatē explorandum censuimus, quàm maxime fieri posset simplicissimū eligi affectum consuluimus. At pleriq; medici neque quòd uel plurimi morborum protinus ab initio

tio compositi inuadant, norunt, neq; quòd alius affectus sit erysipelas exactũ, alius uero is qui uocatur ab omnib. nobis usitate, ut à ueterib. quoq; phlegmone: alij autẽ inter hos medij plurimi, partim ut sic dicam, erysipelata phlegmonode, partim phlegmonæ erysipelatodεις. Ac inuenias non nunquam ubi neutrum uincat, sed ad unguem paria sint. Quinetiã nonnunq; œdematodes esse erysipelas conspicitur, sicut aliud scirrhodes: ut compositorum morborum non paruus aceruetur numerus. De quibus copiosius cũ alibi disseruimus, tum in curandi rationis uoluminibus. Dicetur autem et nũc, quoad saltem eorum meminisse necesse est, quòd exactum erysipelas haud unquam ab ante dicto cataplasmate curari posit. Voco autem exactum, cum à biliosa fluxione pars impleta fuerit. Porrò quòd longe à refrigeratione absit coriandrum, uel ex ijs quæ ipse scripsit Dioscorides, discere liceat. Nam chœradas siue strumas cũ eregmo, siue lomento, inquit, discutit. Porrò ꝙ nullum refrigerantium medicamentorũ idoneum sit discutiẽdis chœradibus, uel ipsum Dioscoridem non dubitaturũ arbitror, quippe qui sexcenta scripserit medicamẽta chœradas sanare potẽtia, quæ omnia tum temperie calida tum actionibus digerentia esse confessus est.

Coronopus. Cap. 44

Coronopodis radix cœliacis prodesse creditur manducata.

Costus. Cap. 45

Costus leuiculam planè amaram, plurimam autem acrem & calidam in se qualitatem simul & facultatem continet, adeo ut etiam exulceret, cum ex oleo corpus eorum in quibus per circuitum rigor inuadit, ante accessionem illo confricatur: sic uero etiam in resolutis, & ischiadicis, atq; in summa in quibus excalfacere partem quamuis, aut ex alto in superficiem extrahere quippiam est opus, ad costum cõfugitur. Eadem de causa urinas mensesq; prouocat, & ad rupta, conuulsa, ac laterũ dolores cõgruit. Porrò ob amaritatem quæ illi inest, lumbricos necat. Ob eandem & ad contractas uelut ex sole maculas, ἐφήλιδας Græci uocant, cum aqua aut melle usurpant. Inest item flatuosa quædam illius temperiei humiditas, per quam & uenerem excitat cum uino mulso.

Cotyledon. Vmbilicus Veneris. Cap. 46

Cotyledon facultatis mistæ est, nempe humidę subfrigidæ, & cuiusdam obscure adstringentis, & cum ea leuiter amarę. Vnde refrigerat, repercutit, abstergit, & discutit. Itaq; phlegmonas erysipelatodεις & erysipelata phlegmonode curat: & maxime stomachi ardore æstuantis admodum utile est epiplasma. Putantur folia cum radice manducata calculos confringere, & urinam mouere.

Cranea. Cornus. Cap. 47

Corni arboris fructus admodum acerbus est, esui aptus. Itaq; mirum uideri nõ debet, ipsum ualenter uentrem restringere, sicut & mespila. Folia quoque & germina gustu acerba sunt, ualenterq; desiccant. Itaque maxima uulnera glutinare possunt potissimum durorũ corporum: at paruis uulneribus & mollioribus corporibus magis contraria sunt. Nam nimium ea contendunt, ac plus satis desiccant.

Crambe. Braßica. Cap. 48

Brassica esculenta desiccãdi uim habet tũ esca, tum foris imposita, nõ tamẽ etiã admodũ acrem. Sed ita ut & ulcera glutinet, & maligna ulcera sanet, præterea phlegmonas iam induratas, ac ægre solubiles, & id genus quoq; erysipelata. Eadem facultate epinyctidas et herpetes sanat. Habet quiddam etiã in se abstersorium, quo lepras curat. Porrò semẽ eius potum lumbricos interficit, maxime brassicæ Aegyptiæ, quanto ea scilicet tẽperatura siccior est. Sanè amaræ qualitatis particeps semẽ est, sicut uidelicet omnia alia medicamẽta quæ ad lumbricos idonea sunt. Secundũ eandẽ facultatem ephelidas, & lentes, & quæcunq; modicã abstersionem postulant, adiuuat. Porrò caules brassicę combusti cineres efficiunt admodum desiccantes, ut uidelicet iam & causticam siue adurentem uim participent. Hac ratione ei ueterem adipem commiscentes, ad inueteratos laterum dolores, & si quid eius fuerit generis, abhibent. Nam ualenter digerens pharmacum efficitur.

Crambe agria. Braßica agrestis. Cap. 49

Brassica agrestis quodãmodo calidior sicciorq; domestica est, ceu alia propemodum omnia agrestia sui generis domesticis secundum utraq; hanc facultatem ualentiora sunt. Quamobrem neq; intra corpus citra noxam sumitur, ut quę longius ab humana recesserit temperatura. Eadem de causa & gustãtibus amarior est quàm domestica: quanquam domestica quoq; acrimonię nõnihil et amaritudinis contineat, sed utranq; habet agrestis ualidam: quare etiam extergit & digerit quam domestica ualentius.

Crambe thalattia. Braßica marina. Cap. 50

Brassica marina supra q̃ quòd uentrẽ deijciat, utpote subsalsa & subamara gustu, fuerit sanè etiã ad externos corporis usus, & ad omnia ea ad quæ tales qualitates accõmodantur idonea.

Cratæogonos. Cap. 51

Cratæogoni herbę fructus & acris gustanti est, & utenti frigidus, similis milio.

Crethmon. Cap. 52

Crethmon gustantibus salsum est, cum paucula amaritate: quamobrem uis eius est exsiccatoria & abstersoria. Vtraque tamen imbecillior eo est quàm in amaris.

Crithe. Hordeum. Cap. 53

Hordeum primi est ordinis in exsiccando & refrigerando: habet etiam pauxillum abstersionis. Paulo etiam plus desiccat quàm farina fabacea, cui non insint cortices: cætera uero similia sunt foris utentibus. In cibo autẽ hoc fabis præstat, quòd flatuosam naturã exuat: fabis, quantumcunq; coxeris, flatuosa natura remanet, sunt enim crassioris essentiæ q̃ hordeum: quamobrem eo plus etiã alunt: porrò quoniam utrunque paulum modo à medio recesit, multo sunt usui. Nam talia medicamenta

menta

menta multis alijs miscentur ceu materiæ quædã: itaq; etiam cera & oleum non paucis medicamentis coniunguntur. Alphiton uero, hoc est polenta, multo plus hordeo desiccat. A

Crimnon. Cap. 54

Crimnon quod crassæ essentiæ est tum in tritico, tum in zea, ita appellari consueuit. Plus nutrit quàm polenta, sed ægrius concoquitur. Porrò sorbitio quam ex eo conficiunt, poltos nuncupatur, eaq; si ex zea conficiatur, leuiter uentrem sistit, ac potissimum si frigatur.

Crinos. Lilium. Cap. 55

Lilij flos temperaturam mistam obtinet partim ex tenui, partim ex terrena essentia, ex qua utique habet ut gustu sit amara, partim ex aquea, eaq; tẽperata. Itaq; etiam quod ex eo conficitur oleum, citra morsum digerendi simulq; emolliendi facultatem obtinet: unde fit ut uteri duritiebus sit aptissimum. Porrò radix foliaq; per se trita desiccant & abstergunt, & digerũt moderate: proinde quoque ambustis competunt. Siquidem hæc quoque moderatè desiccantẽ extergentemq; facultatẽ postulant. Radicem ergo tostam, ac deinde cum rosaceo contritam, ambustis quoad obducatur cicatrix imponunt: quippe cum alioqui & aliorum ulcerum omnium bonum sit inducendæ cicatrici remedium. Quinetiã uteros emollit, mensesq; prouocat. Folia uero præcoquentes, & ipsa ad obductam usq; cicatricem imponunt, non in ambustionibus duntaxat, sed alijs quoq; uulneribus. Sed & sunt qui aceto ea condientes ad uulnera suo tempore utantur. Plus tamen inest abstergentis facultatis in radice quàm in folijs, quanquã tamen nec in ea ipsa multũ insit, sicut prædiximus. Nam primi ordinis abstergentium est medicaminum: itaq; cum aut uitiligines, aut psorã, aut leprã, aut achoras, aut aliquid id genus extergere uolumus, commiscemus illi aliquid aliorum medicaminum ualidius extergentium, cuiusmodi est mel. Cæterum si id moderate illi ac conuenienter admisceatur, & ad neruorum diuisiones competit, & ad alia uniuersa quæ ualẽter exsiccari postulãt absq; morsu. Imposuimus uero etiam quãdoq; & foliorum succum cum aceto & melle coctum. Quinque partibus succi plus utroq; erat: eratq; insigne medicamen ad omnia ea quæ exsiccari postulant absque morsu, ceu uulnera omnia ingẽtia, & maxime quę in capitibus musculorum eueniunt: tum ea quæ nimis mollia sunt, & diuturna, atq; ægre ad cicatricem perducuntur. Sed hæc iam ad medicamentorum componendorum institutum attinent, à quo quantum licet abstinere in præsentiarum adnitor, cæterum rerum ipsarũ natura sæpenumero ut attingam adigit: celeriter uero relinquẽda sunt, atq; ad propositum reuertendum.

Crocodilium. Cap. 56

Crocodilij semẽ acre est atq; odoratum urinam mensesq; ciens. Itaq; facultatem habuerit calidam digerentẽ & exsiccantẽ. Succus tũ caulis, tũ seminis, ut quæ similis sint facultatis, nephriticos adiuuant. Radix pectoris excreationibus ualẽter cõducit, minus quidẽ ꝙ semen acris, non tamen minus amara. Trahit uero etiam per nares saguinem.

Crocus. Cap. 57

Crocus paulum etiam adstringẽs quid obtinet, quod terreum frigidumq; ostendimus: sed superat in eo calfaciens & qualitas, & facultas, ut tota eius essentia secundi sit ordinis excalfacientium, & primi exsiccantium: proinde concoquẽdi quoq; uim quandam obtinet, adiuuãte scilicet in hoc & paucula illa adstrictione. Quippe quibus medicamentis, cum non admodum excalfaciant, paucula adest adstrictio, ea parem facultatem habent essentijs emplasticis uocatis, quas cum iunctas esse caliditati non uehementi contigerit, pepticas, hoc est concoquentes esse ostendimus.

Crommyon. Cæpa. Cap. 58

Cæpa ex quarto est ordine excalfacientiũ: essentia eius potius crassarũ est partiũ: unde etiã hęmorrhoidas aperit tum apposita, tum cum aceto inuncta. In sole alphos abstergit, tũ alopecijs attrita pilos alcyonio citius restituit. Porrò si succum eius exprimas, quod reliquũ est admodum terreę substantiæ est, eiusq; calidæ: at succus aqueæ aereæq; caliditatis. Hic igitur ijs qui suffusi sunt, aut aciem oculorum obtusam præ crassitudine humorũ obtinent, inunctus prodest: ex huius temperatura tota cæpa flatuosa est manducata. Itaq; quæ temperatura sunt sicciore, minus flatuum generant. B

Cyamos. Faba. Cap. 59

Faba in utroq; medij temperamẽti proxime est in excalfaciẽdo & refrigerãdo. Caro eius paulum quoq; abstergẽtis facultatis cõtinet, sicut putamẽ nonnihil adstringentis: idcirco medicorũ nõnulli totam fabã cum oxycrato decoctam dysentericis, cœliacis, uomentibus, quos ἐμετικοὺς nominãt, exhibuerunt. Porrò ut edulium, flatulenta est, ac coctu difficilis, si quid aliud: excreatiõibus ex pectore & pulmone idonea. Vt medicamentũ uero foris imposita, desiccat innoxie. In podagricis ea sæpenumero usi sumus ex aqua decocta, & ita adipi suillo admista. Ad neruorũ tum contusiones, tum uulnerationes, farinam eius cum oxymelite imposuimus. Ad eos quos ex ictu iam phlegmone occupauerat, cum polenta. Sed & testium & uberũ aptum est cataplasma. Nam hæ partes cum phlegmone tenentur, moderatè refrigerari amãt, maxime cum ubera ex lacte in ipsis concreto phlegmonem patiantur. Quin lac quoq; ab eo cataplasmate extinguitur, sicut puerorũ pubes farina fabacea illita plurimo tempore glabra permanet. C D

Cyclaminos. Rapum, siue tuber terræ. Cap. 60

Cyclaminus uarias uires possidet. Nam & adstringit, & incidit, & ora uenarum aperit, & attrahit, & digerit: clarum id est ex particularibus operibus. Nam succus eius hæmorrhoidas reserat, uiolenterq; ad secessum prouocat in crocide siue floccis appositus. Sic etiam facultatibus phymata, strumas, aliasq; durities digerentibus cõmiscetur, ac suffusis cum melle illitus competit: ad hæc quoq; per nares expurgat. Adeo uehemens eius facultas est, ut abdomine illito uentrẽ subducat, & fœ-

tum interimat. Nam & alioqui ualidũ interimẽdo cõceptui medicamẽ est, in pesso additus. Tota autem radix succo imbecillior est, quanquam & ipsa uehemens sit. Nam & menses siue epota, siue apposita euocat, & aurigini prodest, nõ modo ipsum uiscus expurgans, sed etiã quæ in toto corpore bilis fuerit, eam per sudorẽ eijciens. Proinde sanè post potionẽ, sudoris adiuuãda prouocatio est. Modus eius bibendi est drachmarũ trium, siue cum melicrato, siue cum passo. Cutem detergit cum in alijs, tum quòd alopecias, ephelidas, omniaque exanthemata siue efflorescentias curet: lienem quoque induratũ iuuat emplastri modo illita tũ recẽs, tum arida. Sunt qui radicẽ siccam asthmaticis seu anhelantibus exhibeant. Porrò altera cyclaminus, quã quidam cyssanthemon nominãt, propterea quod cysso, hoc est hederæ flore sit assimilis, radicem quidem superuacaneã habet, sed fructum admodum efficacem: nam hic cum uino pluribus diebus potus lienes sanat, urinas mouens ac uentrem subducens: locos quoque eijcit, & asthmaticis prodest. Qualitas eius gustanti acris est, & sublenta.

Cyminum. Cuminum. Cap. 61

Cymini semine maxime utimur, quemadmodum anisi, ligustici, cari, petroselini. Est uero & facultatis excalfaciẽtis, sicut illorum unumquodque, tum urinam mouentis & flatum extinguentis: ex tertio ordine excalfacientium.

Cynos batus. Sentis canis. Cap. 62

Huius fruticis fructus nõ segniter adstrictorius est, folia uero mediocriter. Itaque particularis eius usus haud ignotus est. Cauendũ ab eo quod in fructu eius lanæ speciẽ habet, ceu arteriã uitians.

Cyparissus. Cupressus. Cap. 63

Cupressi folia, germina, pilulæ recentes & molles, magna ulcera cõglutinãt in duris corporibus: ex quo clarũ est quod resiccãdi uim habeat absque insigni acrimonia, aut caliditate, sicut certe & gustus testificaẽ. Apparet enim in ea leuis quidẽ acrimonia, sed plurima amaritudo, multoque etiam plus acerbitatis in tota planta. Tanta ei inest acrimonia caliditasque, quãta satis sit deducẽdæ in altũ acerbitati, ac nullam tamẽ mordicationẽ aut caliditatem in corporib. efficiat. Proinde in alto latẽtes in flaccidis putrescentibusque affectibus humiditates innoxiè tutoque depascit, atque absumit, cum quæ excalfaciunt simul desiccantque, eas quidem quæ contetæ sunt absumãt, cæterũ acrimonia & caliditate alias attrahant. Sic enterocœlicos iuuãt: siquidem exsiccat, roburque addit corporis partibus præ humiditate laxis: utpote cũ adstrictio in altũ subeat, deducẽte ipsa caliditate quæ admista est, eum seruante modũ, ut deducere quidẽ ualeat, nõ tamen mordicare queat. Quidã ea utunẽ ad carbunculos, & herpetes polentæ miscentes, tanquam absumat citra excalfactionẽ eos morbos facientẽ humiditatem. Sunt qui ad erysipelata utantur, admista nimirum polenta cum aqua aut oxycrato aquoso.

Cyperus. Iuncus quadratus. Cap. 64

Cyperi radices maximè usui sunt, excalfaciẽtes pariter & exsiccãtes absque mordacitate. Itaque ulceribus quę præ nimia humiditate cicatricẽ difficulter admittũt, mirifice prosunt: habẽt enim quiddã etiam adstringẽs: quapropter ulceri item oris conueniũt. Quin & incidendi uim quampiã illis inesse testificandũ, quia & calculo uexatis congruũt, & urinam mensesque prouocant.

Cypros. Cap. 65

Cyprus, huius arboris folia summaque germina in usum ueniunt, & facultatis, & qualitatis mistæ: habent enim quiddam digerens cum aquea substantia modice calida, habentque etiã adstrictoriũ quiddam ex terrena substantia frigida. Itaque eorũ decocto quidam ambusta fouent. Vtuntur uero etiam aduersus igneas phlegmonas & carbũculos. Nam absque molestia & morsu desiccant. Quinetiã sponte prouenientibus in ore ulceribus aphthodesi, & ipsis puerorũ aphthis cõmansa accõmoda sunt.

Cytisus. Cap. 66

Cytisi folia digerendi facultatẽ obtinent aqueæ & temperatæ mistam, sicut & maluæ.

Coneion. Cicuta. Cap. 67

Cicuta quòd extreme refrigerantis sit facultatis, omnes norunt.

Conos. Cap. 68

Coni fructus, quem quidam cocalon nuncupant, & strobilon, uiridis totus, habet cum humiditate amaritudinem quampiam & acrimoniam: proinde purulentis, & quibuscunque adeo quę in thorace & pulmone sunt, facile extussire & expuere expedit, accommodus est. Porrò fructus ex eo esculentus, nutrimentum est coctu difficile, & ualidum. At ut medicamen asperitati leniendæ congruit, cum uidelicet in aqua maceratus omnem in ea acrimoniam reliquerit. Nam reliquum omne minus mordax, magisque emplasticum redditur: in medio calidæ & frigidæ qualitatis consistens, ex aquea & terrea mistum substantia, minimum participans aereæ.

Lagopus. Cap. 69

Lagopus facultatis est desiccantis, adeo ut fluxus alui probe exsiccet.

Lathyris. Cap. 70

Lathyris sunt qui dicant & hanc esse tithymalli speciem, tum quòd similiter illis succum habeat, tum quòd eodem modo purget, totaque illis facultate assimilis sit, nisi quòd semen gustantibus uideatur dulce: quod sanè etiam maxime purgatoriam uim possidet.

Lampsane. Cap. 71

Lampsane esa quidem succos prauos procreat, cæterum illita abstergendi nõnullam digerendique facultatem possidet.

Lapathum. Cap. 72

Lapathum moderate digerentem sortitum facultatem est, at oxylapathũ mistam: nam cum eo quòd digerit, nonnihil quoque repercutit. Semẽ eorum manifestã quoque quãdam adstrictionem obtinet, ut & dysenterias, & diarrhœas siue profluuia sanet, & maxime oxylapathi. Porrò hippolapathum, quod in totũ in paludibus prouenit, easdem dictis facultates obtinet, sed imbecilliores.

Lemonium. Cap. 73

Lemonij fructũ, utpote acerbum, exhibent cœliacis, & dysentericis, hæmoptoicisq́, siue sanguinem spuentibus: iuuat & profluuium muliebre. Satis est oxybaphi mensura.

Lechen. Cap. 74

Lechen qui in petris nascitur, est uelut muscus quidem, sed recte ex plantarum censeri genere potest. Porrò ita nominatus uidetur, quòd lechenas curet: extergentẽ habet ac modice refrigerantem facultatem, utranq; uero resiccantem. Atq; abstergentẽ quidem atq; exsiccantẽ à petra obtinet, refrigerantẽ uero ab humore aqueo: nascitur enim in humidis & grauiter olẽtibus saxis. Porrò quod ex talibus cõponitur, aduersum esse phlegmonæ (quod aphlegmanton uocant) nihil mirũ est. Cæterum an hæmorrhagias sistat, ut refert Dioscorides, id uero neutiquam dicere queam.

Leontopetalon. Cap. 75

Leontopetali radice maxime utimur: digerendi facultatem & exsiccandi excalfaciendiq; in tertio ordine posidet.

Lepidium. Cap. 76

Lepidium ex quarto est ordine excalfacientiũ, simile nasturtio tum odore, tum gustu, tum uiribus: sed minus eo desiccat.

Leucas. Cap. 77

Leucas acrem posidet qualitatem exuperantem, temperaturam uero calidam siccamq; in tertio quodammodo ordine.

Leucacanthon. Cap. 78

Leucacanthon, quidam autem polygonaton, alij ischiada nuncupant, huius amara radix est, ac proinde incidit, & exsiccat in tertio ordine: in calfaciendo autem ex primo est ordine.

Leucoion. Cap. 79

Leucoij frutex uniuersus extergentem facultatem posidet, ac tenuium partium, plus tamen flores, & inter hos qui sint sicciores magis etiam q̃ uirides, adeo ut & oculorum cicatrices crassas extenuent. Tum menses quoq; decoctum eorum mouet, & locos, partumq; emortuum elicit, ac si bibatur, abortum facit. Est ergo id medicamentum, ut si quod aliud, amarũ. Ac si quis uirium eius uehementiam multa aqua admista retundat ac mitiget, aut certe id genus aliquo, habebit & ad phlegmonem non malum medicamen. Sic decoctum eius si non merum fuerit, uteri phlegmonas identidem perfusum sanat, potissimum quæ diutino tempore ad scirrhi modum induruere. Sic cum cerato ulcera ægre ad cicatricem peruenientia curat. Sunt uero etiã qui cum melle & ad aphthas adhibeant. Semen cum eiusdem sit facultatis, aptissimum est duarum drachmarum mensura potum, tum mensibus ciendis impositum conuenire creditur, partumq; uiuentem interficere, ac mortuum eijcere. Radices similis quoque facultatis, nisi quatenus crassioris sunt essentiæ, & magis terrenæ, cum aceto lienes induratos sanant. Nonnulli uero & phlegmonas induratas ijs curant.

Leuce. Populus alba. Cap. 80

Leuce arbor mistæ quodãmodo temperaturæ

A est, ex aquea tepida & terrena extenuata essentia, quãobrem & abstergẽtis facultatis est particeps.

Libanotus. Thus. Cap. 81

Thus excalfacit ordine secũdo, desiccat primo, habet quoq; adstrictionẽ pusillã. Sed minimũ manifesta adstrictio ex cãdido: cortex eius euidenter adstringit: proinde sanè strenue quoq; desiccat, adeo ut ex secundo sit ordine cõpleto desiccantiũ. Est autem crassiorũ partium q̃ ipsum thus, & minimum habet acrimoniæ. Ob has ergo tum facultates, tum qualitates multus est eius usus apud medicos in hæmoptoicis, stomachicis, cœliacis, ac dysentericis, non tantũ ijs quæ extrinsecus applicantur, ipsum admiscentes, sed & ijs quæ intrò in corpus sumũtur. Fuligo eius tum siccioris, tum ca-

B lidioris est facultatis q̃ ipsum thus, adeo ut ad tertium usq; excessum perueniat. Habet uero etiã abstersorium quiddam. Itaq; eo nomine & expurgare & implere quæ in oculis consistunt ulcera uidetur, uelut & myrrhæ, & styracis fuligo.

Libanotides. Cap. 82

Libanotides tres sunt, una sterilis, duæ fructum ferentes: omnes uero eiusdem facultatis, emollientis & digerẽtis. Succus tum radicis, tum herbæ mistus melli obtusam oculorum aciem ab humorum crassitudine emendat. Porrò eius libanotidis quæ ad coronas est utilis, quam Romani rosmarinum nuncupant, decoctum regio morbo laborãtes potum adiuuat. Omnes enim libanotides abstergentis & incidentis facultatis participes sunt.

C

Lignys. Fuligo. Cap. 83

Fuligo omnis exsiccatoria est, ac proinde terrestris est essentiæ, habens quasdam etiam ignis qui materiam combussit, reliquias: sed id pusillum est. Porrò tota natura terrena est, tenuiũ partium. Sed quæ speciatim in ea differẽtiæ sunt, eæ pro usta materia eueniunt: ex acriore & calidiore, tali etiã proueniente fuligine, ex dulciore simili quoq; & hinc fuligine proueniente. Primum enim thuris fuligine utuntur in ocularias medicinas mista, eas uidelicet quæ ad oculos etiamnũ phlegmone tentatos accõmodantur. atq; etiamnũ fluxione uexãtur, & ulcera habent: nam & illa expurgat, & carne implet. Ad hæc usurpant quoq; eã ad facultates quas à palpebris exornãdis uocãt calliblepharas. Præte-

D rea terebinthinæ myrrhæq; fuligo molestia caret, non aliter q̃ thuris: sed styracis quodãmodo uiolentior est: magis etiam picis liquidæ, qua etiã magis cedriæ. Porrò acrioribus utuntur ad uitia superciliorũ uocata ptila, & erosos oculorũ angulos humidosq; citra phlegmonẽ. At mollioribus mitioribusq; tum ad hæc, tum ad ea ad quæ cõpetere paulo superius diximus thuris fuliginem.

Libysticum. Cap. 84

Libystici radix & semen ex genere excalfacientium sunt, adeo ut & menses cieant, & urinas prouocent, flatusq; extinguant.

Linospermon. Lini semen. Cap. 85

Lini semẽ esum flatuosum est, etiãsi frigat: adeo sanè recrementitia humiditate plenũ est. Est uero etiã in primo ordine quodãmodo calidũ, ac humi-

dita-

ditatis & siccitatis quodãmodo in medio est sitũ.

Linozostis. Mercurialis. Cap. 86

Linozostide utuntur omnes ad uentris purgationes duntaxat. Verũ enimuero si quis eius facere periculum uolet in cataplasmate, sane admodũ eam esse digerentis experietur facultatis.

Lonchitis. Cap. 87

Lonchitidis, eius uidelicet quę semẽ habet triangulare, cuspidis figura, radix potissimum quodam modo similis est radici dauci: proinde urinam ciet. Porrò eius quæ scolopẽdriæ similia habet folia, ea ad glutinanda uulnera idonea sunt uiridia, sed sicca cum aceto lienes induratos sanant.

Lycion. Cap. 88

Lycion, siue pyxacãthon, arbor spinosa, ex qua lycium quod uocant conficitur, id uidelicet medicamentum liquidum quo ad sugillata utuntur, & sedis orisq; phlegmonas, ulcerationesq;, tum herpetas, putredines, & ulcera contumacia, & aures pure fluentes, & intertrigines, ac paronychias. Est autẽ facultatis exsiccatoriæ, cõpositũ ex diuersi generis substãtijs, quas ἑτερογενεῖς Græci uocãt, altera quidẽ tenuiũ partiũ digerente atq; calida, altera terrestri et frigida, ex qua adstrictionẽ obtinet. Porrò hæc qualitas pusilla medicamẽto inest, digerit uero et desiccat nõ parũ, nempe in secũdo ordine: in calore autem medijs & symmetris proximũ est: proinde ad diuersos affectus hoc utuntur medicamine, ut abstergente quidẽ assumentes ad ea quæ pupillis tenebras offundũt. Vt adstrictorio uero, cœliacis, dysentericis, ac muliebri profluuio adhibẽtes. Lyciũ hoc in Lycia & Cappadocia plurimũ prouenit. Sed Indicũ ad omnia ualentius est.

Lysimachios. Cap. 89

Lysimachios superantẽ habet qualitatẽ adstrictoriã, per quam & ulcera glutinat, erũpentemq; ex naribus sanguinem si obturetur reprimit: quin & reliquas sanguinis eruptiões sistere potest tum ipsa, tum succus eius multo magis. Pota & per clysterem immissa dysenterias, sanguinis reiectiões, ac muliebre profluuium sanat.

Lychnis. Cap. 90

Lychnidos coronariæ semen calidum est secundo quodammodo ordine, aut iam etiã tertio: siccum sane eodem modo.

Lotos. Cap. 91

Lotus domestica, quã quidã triphyllon, hoc est trifoliũ nominant, ut mediocriter extergendi uim possidet, sic etiam exsiccandi: in caliditatis frigiditatisq; cõiugatione media quodãmodo est, et temperata. Lotus autẽ agrestis plurima in Libya prouenit: semen eius secundi est ordinis excalfacientium, habetq; nonnihil abstersoriũ. Porrò Aegyptiæ loti semen etiam in panes fingitur.

Lotos arbor. Cap. 92

Lotus arbor non ita multæ adstrictoriæ qualitatis est particeps, sed & tenuium partium est, & exsiccatoria. Itaq; lignorum assulæ derasæ muliebri accommodantur profluuio, & dysenterijs, & cœliacis affectibus. Decoquuntur uero interim in aqua, interim in uino, nimirum prout usus popo-

A scerit, nec insunduntur tantum, sed & bibuntur. Quinetiã quòd pilos defluentes cohibeat, nõ mediocre signum est ipsum adstringentis esse cuiusdam, similiter mediocriter desiccantis facultatis. Dictum quippe est in sermone de ladano eiusmodi esse facultatis oportere, quod fluentes capillos esset cohibiturum.

Macer. Cap. 93

Macer, cortex est, qui ex India conuehitur, gustu multum acerbo, cum leuicula quadam acrimonia odorata, iucundum sane redolens, ut pleraque aromata siue odorata quæ ex India conuehuntur. Videtur itaque & ipse ex mista constare essentia, pleraq; terrena frigida, paucula uero calida, & tenuium partium. Quamobrem ualenter desiccat, B adstringitq;: proinde cœliacis & dysentericis miscetur facultatibus, in tertio exsiccantium consistens ordine, in caloris frigorisq; differentia neutrum insigniter efficiens.

Malabathrum. Cap. 94

Malabathri folium cum spica nardi simillimam facultatem obtinet.

Malache. Malua. Cap. 95

Malua, agrestis quidem, digerẽtis paululum & emollientis leuiter est facultatis: hortẽsis uero quãto plus habet aqueæ humiditatis, tanto facultate imbecillior est. Semen ipsarum tanto ualidius est, quãto & siccius. Porrò huius generis est & ea quæ anadendromalache nuncupatꝰ, sed efficacior prædictis in digerendo. Appellatur etiam Althea.

Mandragora. Cap. 96

C Mandragora uincentem habet facultatem refrigeratoriam, adeo ut tertij sit ordinis refrigerantiũ. Veruntamẽ nonnihil etiam caloris inest & in pomis humiditatis: proinde soporem ea conciliandi uim habet. Radicis cortex cum sit ualentissimus, non tantum refrigerat, sed & desiccat: reliquum quod intus est imbecillum est.

Marathrum. Fœniculum. Cap. 97

Fœniculum tam ualenter excalfacit, ut ex tertio ordine excalfacientium censeri promereatur: desiccat uero non æque, sed ipsum quispiam in hoc primi esse ordinis posuerit: proinde lac procreat: quod, si admodum desiccaret, non sane efficeret. suffusis eadem ratiõe auxiliatur, urinas men D sesq; ciet. Porrò est & alterum fœniculum, quod præ magnitudine hippomarathrum nuncupant, cuius radix ac semen amplius quàm domestici, desiccandi uim obtinet: quocirca uentrem quoq; eo nomine sistere uidetur. Nec sane manifesta illis inesse uidetur adstrictio. Huius non radix modo, sed & semen Cachryi assimile est, potestq; & calculos frangere, & auriginosos sanare, mẽsesq; & urinas mouere: non tamẽ lac congerere, sicut illud superius. Aliud est hippomarathrum, cuius semen rotundum est & acre, simile semini coriandri, facultate quidem hippomarathro simile, sed debilius.

Mastiche. Cap. 98

Mastiche cãdida quidem, & Chia cõsueto more cognominata, quodammodo ex cõtrarijs composita facultatibus est, adstringente uidelicet & emol-

emolliente. Proinde stomachi, uẽtris, intestinorũ, iecorisq́ inflammationibus cõpetit, utpote secundo ordine excalfaciens & desiccans. Nigra uero, quæ Aegyptia cognominatur, tũ magis desiccat, tum minus adstringit: quãobrem aptior est ad ea quæ ualidiorẽ digestionẽ per halitum exposcunt: hac ratione furunculis bonum est remediũ. Porrò oleum unguentũq́ mastichinũ ex Chia confici tur, nõ admodũ sanè ex Aegyptia. Cæterum similis est & ipsum mastichæ facultatis.

Melanthium. Nigella. Cap. 99

Melanthium excalfacit atq; desiccat tertio ordine. Videtur etiam tenuium esse partiũ: hoc enim nomine catarrhos sanat in linteo admotum, atq; assiduo olfactum. Quinetiam si intro in corpus sumatur, uel maxime flatus extinguit. Vnde cõstat essentiæ ipsum esse subtilis, & ad unguem à calidi tate elaboratæ. Propterea sanè etiam amarum est. Ostensum uero in quarto horum uoluminũ est, quòd cum ad extremam tenuitatem atq; elaborationem terrena pertingit substantia, amara proueniat qualitas. Itaq; mirum non est si lumbricos interimat non esum modò, sed etiam foris impositum. Siquidem & id præstare posse saporem amarum mõstratum est. Nec sane etiam mirandum si lepras, clauos, myrmecias eijciat, ei præsertim qui in superioribus libris cõprehensorum haud est immemor. Sic uero etiã orthopnœam iuuat, & menses prouocat, qui utiq; ob crassitiem aut uiscositatem retenti fuerint. In summa uero, ubi sectione, extersione, desiccatione, excalfactione est opus, præstantissimum id remedium est.

Melilotum. Cap. 100

Melilotũ mistæ facultatis est: habet eñ quiddã adstringens: sed & digerit & cõcoquit: copiosior enim in eo est substantia calida quàm frigida.

Mel. Cap. 101

Mel desiccat & excalfacit ordine secundo. Est aũt simplicis, quoad fieri potest, tũ facultatis, tum temperamenti, extergescẽtis, ut nobis appellare mos est, medicamentorũ speciei existens. Porrò coctũ minus acre abstersoriũq́ redditur: itaq; ad sinuosorũ ulcerũ glutinationes eo utunt. Cæterũ si quod mel amarum est, ceu Sardoum, clarum est & ipsum mistæ esse facultatis, tanq̃ si nostrũ quispiam ei absinthium admiscuisset. Sed & Sacchar, ut uocant, quod ex India atq; felici Arabia conuehitur, in calamis, ut aiunt, cõcrescit, & ipsum mellis est species, minus certe nostrate dulcius, sed ad similes ei uires obtinens, quod ad abstergendum desiccandũ, & digerendũ attinet. Porrò quatenus nec inimicum stomacho est ceu nostras nec sitim afferens, eatenus ab illo substantia differt.

Melissophyllon. Citrago. Cap. 102

Melissophyllum marrubio simile est facultate, sed plurimum ab eo uincitur: quamobrem nec utitur eo quispiam. Superuacaneum siquidem foret præsente marrubio, cuius tantus est ubiq; terrarum prouentus, uelle uti melissophyllo: cæterum si cui forte ad manum quandoq; marrubium non

A fuerit, illo uti liceat, modo non exciderit quanto ab hoc exuperetur.

Mespilum. Cap. 103

Mespilũ, alij tricoccũ nominãt, quòd tria intus in uniuersum gerat grana, quorum unũquodq; arboris est semẽ, ceu ea quę in malis inueniunt, ipsius mali: & nuclei, ipsius uitis: & ficus, minuta illa grana quas cẽchramidas Gręci uocãt. Arboris huius fructus admodũ acerbus est, uixq; edi possit, uentrẽ strenue coercẽs. Quin & in germinibus & folijs acerba hæc qualitas non pauca reperitur.

Medion. Trifolium odoratum. Cap. 104

Medij radicẽ contra atq; semen ipsum tẽperatã esse contigit: nam illa quidẽ austera est, & fluxiones cohibet cum alias, tum uero etiam profluuiũ

B muliebre quod uocant. At semen tantũ abest ut tale quid efficiat, ut etiam menses cieat, nimirũ tenuium partium, & incidendi facultatis.

Mecon. Papauer. 105

Papauer alterum rhœas nũcupatum est, quòd scilicet celeriter flos eius defluat. Alterum domesticum, quandoquidem colitur. Quin & alteræ duæ sunt species syluestris papaueris: alterum uelut incidentem calicem sustinens, alterum longiorem q̃ illud calicem obtinens, totum autem procerius ac squalidius. Ab hoc succus defluit, atque hinc est quod hanc speciem quidam rhœada nominẽt. Porrò omnium facultas refrigeratoria est.

C Cæterum satiui semen, quod & thylacite cognominant, mediocriter somnum conciliat, uisu candidum: proinde pani ipsum inspergunt, ac melle maceratũ edunt. At eius quod primo loco recensuimus, cuius florẽ celeriter decidere posuimus, ualidius semen refrigerat: itaq; nequaquã eo quis innoxiè solo uti possit, sicut satiuo siue domestico, sed melli admiscens. Admodũ uero si ita sumptum sit, somnum conciliat. Cæterũ pusillum eius inspergunt ijs quæ ex melle cõficiuntur bellarijs, atq; placentis, panibusq́. Porrò tertio loco dicti semen atrum etiam medicamentosum est, admodum refrigerans. At quod quarto loco positum est, omnium est medicatissimum tum in semine, tum in caliculis, tum in folijs, tum in succo. Valide enim refrigerat, ad stuporem usq; & mortem

D perducens. Sed medici, quòd probè eo utantur, medicamentis miscentes, frigiditatis uehementiam retundunt. Est enim ex quarto & ultimo refrigerãtium ordine. Porrò quo pacto maximè ex methodo mistionem facere oporteat, non est præsentis tractationis proprium, sed eius quę de componendis medicamentis agit, quæ post hoc opus à nobis exponetur.

Mecon ceratitis. Papauer cornutum. Cap. 106

Papauer cornutũ nominatũ quidem sic est à semine leuem inuersionẽ habente, uelut & fœnum græcũ: ut bouis cornu esse uideatur simile. Vocatur porrò à quibusdam paralium, quandoquidem ut plurimũ iuxta mare nascit: Vim habet incidendi, & abstergendi. Itaq; radix herbæ in aqua decocta ad dimidiũ, hepaticos affectus adiuuat. Porrò folia & flores sordida admodũ & contumacia ulcera

cera iuuant: sed ea reijcere oportet ulceribus iam expurgatis. Adeo enim abstergere ualent, ut & puræ quoque carnis nonnihil eliquent. Hoc uirium robore nõ sordem duntaxat, sed & crustam ulceribus detrahit.

Mecon Heracleia. Papauer Herculeum. Cap. 107

Papauer herculeũ, uocat̃ uero & aphrodes, hoc est spumosum: eo quod totũ cãdidũ est & spumosum, exile. Semen habet pituitã expurgans.

Melea. Malus. Cap. 108

Malus nõ omnis eiusdem naturæ est, uelut nec eiusdem fructus. Quippe quędã mala dulcia sunt, quædam austera, nõnulla acida, alia extremè exoluta & aquea: & sanè in istis aqueum exuperat: ut temperies eorũ sit tum humidior, tum frigidior: in acerbis autem terrenum frigidum. In austeris uero tum istud, tum aqueũ frigidũ, sicut in dulcibus aqueũ temperatũ. Sic quoq; succi cortices, foliaq; arborũ inter sese dissident. Itaq; si austeriora sint atq; acidiora, uulnera illis glutinare posis, tum in phlegmonarum principio influxionem repercutere, ac stomachum uentremq; exolutũ, ac languidum roborare: at aquosioribus mediocres phlegmonas incipiẽtes & gliscẽtes remittere. Sed hæc iam ad curãdi rationem attinẽt: proinde ea citius etiam relinquẽda. Porrò quod plurima pomis omnibus recremẽtitia frigidaq; insit humiditas: uel hinc liqueat, quòd eorum omnium nullus omnino succus durare, ac uetustatem ferre posit, uerũ acescant corrumpanturq; uniuersi. Solus enim cydoniorum & struthiorũ (utpote quę propter uincentem adstrictionẽ minus cæteris sunt humida) succus coctus cum melle durare potest, tametsi ipse per se non ita durare queat.

Melea persice. Malus persica. Cap. 109

Melea persice, hæc uulgo nunc ab omnibus uocatur Persice tãtum, illo uidelicet omisso Melea. Ipsa igitur arbor in germinibus & folijs uincentẽ habet amarã qualitatem: proinde folia eius trita & super umbilicum imposita lumbricos necant. Alioqui sanè etiam digerens medicamen est, Fructus eius, nempe esculentum hoc persicum, humidior est & frigidior temperie.

Melea armenice. Malus armenica. Cap. 110

Melea armenice, huius uetus nomẽ defecit. Vocant enim omnes tum fructũ tum arborẽ præcocion. Fructus humidior frigidiorq; est, utrunq; secundo quodãmodo excessu maximè maturus.

Melea medice. Malus medica. Cap. 111

Melea medice, huius fructus non amplius malum medicum, sed ab omnibus citrium, nuncupari adsolet: in semine quidem uincentem habens qualitatem acidam & siccam, ut ipsum tertij sit ordinis resiccantium refrigerantiumq;: in cortice uero itidem desiccantem temperiem est sortitus, nõ parum tamen habentem acrimoniæ: proinde desiccat hic secundo excessu, non tamẽ frigidus est, sed aut tẽperatus, aut paulo infrà. Porrò caro eius pariter crasi succi est, & pituitosa frigidaq;. Nam & ipsa editur sicut & cortex, semẽ omne edi ineptum est, tum humidũ illud & acidũ, de quo primũ disserui, & nucleus qui in illo inuenit̃, id quod reuera semen est. Hic amarus est, & digerẽdi uidelicet siccãdiq; facultatem obtinens, secundo quodammodo ordine à tẽperatis recedens. Folia uero deniq; exsiccandi ac digerendi uim obtinent.

Meum. Cap. 112

Meum, huius radices perutiles sunt, calidæ tertio ordine, siccæ secundo: proinde urinam mensesq; ciere uolentes hoc utuntur pharmaco. Sed si plusculum sumatur, capiti dolorem mouet, utpote cum plusculum sit calidum quàm siccum: quippe cum humiditatem crudiusculam etiamnũ & flatuosam caliditatem ad caput deferat, atq; ita ipsum afficiat lædatq;.

Milax trachea, hoc est aspera. Smilax Dioscor. Cap. 113

Milax trachea clauiculis sarmẽtosis plena est. Varie nanque arboribus circumuoluitur sursum deorsum. Folia leuiter acria gustantibus sunt, & alioqui utentibus calida.

Milax lea, hoc est leuis. Cap. 114

Milax lea quodammodo iam dictæ similes uires obtinet.

Morea. Morus. Cap. 115

Mori fructus maturus quidem uentrem subducit, immaturus uero ubi aruerit, admodum restringit. Itaq; ad dysenterias accommodus est, & affectiones cœliacas, & quascunq; alias fluentes: contunditur autem, ac obsonijs commiscetur, uelut rhoi fructus: aut sicui ita uideatur, ex aqua aut uino bibat. Porrò quòd maturorum succus ad stomatica medicamenta sit utilis, propter eam uidelicet quæ inest illi adstrictionem, neminẽ latet. Præterea ad alia complura particularia, quæ mediocrem poscunt adstrictionem competit. At matura mora præter acerbitatem & aciditatem sortita sunt: & tota adeo arbitror in omnibus suis partibus mistam aliquam uim obtinere uidetur ex restringente & purgante compositam. Attamen in radicis cortice purgatoria cum quadam amaritudine exuperat, adeo ut & latum lumbricum interficiat. In alijs autem partibus restringens uincit: in folijs tamen & germinibus quodammodo media utrisque temperies est.

Myagros. Cap. 116

Myagri semen pingue est: nam si tundat̃, oleosum quid effundit, quod emplasticã uim obtinet.

Myces. Fungus. Cap. 117

Fungus frigida humidaq; admodũ planta est: quamobrem etiam proxime ad deleteriã & enecantem facultatem accedit: & sanè inter eos sunt qui interficiant, potisimum qui ex natura mistam habent qualitatem putredinosam.

Myle. Moly Dioscoridi. Cap. 118

Myles radix paruo bulbo similis est, facultatis cõtrahẽtis: nam cũ unguento irino apertam uuluam sanare scribit Dioscorides.

Myos otis. Auricula muris. Cap. 119

Myos otis, quidam uero myos ota: desiccat secundo ordine: cæterum nullam euidentem caliditatem posidet.

Myri-

Myrice. Tamarix. Cap. 120

Myrice abstergentis est accidentis facultatis, absq; perspicua desiccatione: habet uero etiam ad strictionem nonnullam. Has ob qualitates facultatesq; admodum prodest lieni indurato decocta cum aceto, aut uino, siue radice, siue folijs, siue extremis ramulis. Sanat porrò dentium dolores. Cæterum fructus & cortex non paucam sortita sunt adstrictionem, adeo ut gallæ omphacitidi proxima sint, nisi quòd acerbitas euidēs est in galla, sed myricæ fructui temperatura inest inæqualis: immista est ēm naturæ eius multa partium tenuitas, atq; uis abstergendi: quòd sanè gallæ non accidit. Attamen ubi galla forte ad manum non erit, eo uti liceat ad omnia ad quæ illa utimur: in eisdem & cortice. Porrò myricæ combustæ cinis admodum desiccatoriç facultatis est, plurimam habens abstergendi & incidendi facultatem, pauxillam adstringendi.

Myriophyllon. Cap. 121

Myriophyllon usq; eo desiccatoriæ facultatis est, ut uulnera glutinet.

Myrrhis. Cap. 122

Myrrhis, quidam myrrhan nominãt: radicē habet odoris iucundi, & dulcem, quæq; menses moueat, tum ea quæ thoracē ac pulmonē degrauant, purgantem. Itaq; ex secundo ordine fuerit excal-

A facientium, adiuncta quadam partium tenuitate.

Myrrhine. Myrtus. Cap. 123

Myrtus, ex contrarijs substantijs hęc planta cõstat: uincit tamē in ea frigidum terrenum. Habet uero etiam tenue quiddam calidum. Itaq; ualēter desiccat. Porrò tum folia, tum germina, tum fructus, tum succus, non parum inter se in adstrictione dissident. Porrò quod ramis & trunco adnascitur tuberosum, quã quidam myrthada nuncupãt, quanto dictis siccius est, tãto et desiccat et adstringit uehementius. Quidam id tondentes reponũt, post ea uino subigentes in pastillos formãt. Folia item arida uiridibus plus desiccant: miscet enim uirentibus humiditas quædam. Porrò succus non tantum ex uirentibus folijs exprimitur, sed & fru-
B ctu. Restringendi uim hæc omnia habent tum foris imposita, tum intrò sumpta in corpus: quòd scilicet nondum ullam deleteriam aut purgatoriam substantiam habeant admistam.

Moly. Cap. 124

Moly, hoc quidam uocant Peganon agrion, hoc est rutam syluestrem, Nonnulli Harmolan, Syri Besasan, sicut Cappadoces Moly, quia radicem habeat nigram, & florem lacteum. uis eius tenuium partium est, & calida tertio ordine: unde & crassos humores dissecat, ac digerit, & urinam mouet.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI OCTAVI.

C Procœmium, in quo iterum admonet ne quis hæc legat, præcedentibus libris non lectis. Cap. 1. Nardi spica. 2. Nardus Celtica. 3. Nardus montana.
4. Narthex, id est ferula. 5. Napy. i. sinapi. 6. Narcissus. 7. Neuras, quæ & poterium. 8. Nerion uel rhododaphne. 9. Nymphea. 10. Xanthium. 11. Xyris. 12. Xiphiũ, id est gladiolus. 13. Oe, id est sorbus.
14. Oenos, id est uinum. 15. Olynthi, id est grossi.
16. Olostion. 17. Olyra. 18. Onagrum. 19. Onosma. 20. Onobrychis. 21. Ononis. 22. Oxos, id est acetum. 23. Oxyacanthus. 24. Opos, id est liquor Cyrenaicus, uel Medicus, uel Syriacus per excellentiã: alioquin enim ex quauis radice, aut caule inciso fluens liquor sic appellatur. 25. Origana diuersa. Orminũ, uide Phormium. 26. Orobus, id est eruum. 27. Orobanche. 28. Oryza. 29. Orchis, id est testiculus herba. 30. Orchis Serapias. 31. Osiris. 32. Pancratiõ Pæoniæ meminit in Glycyside. 33. paliurus. 34. pyrus. 35. panaces Herculeum: dixit autem supra, Origanum quoq; syluestre sic appellari. 36. panaces Asclepium. 37. panaces Chironium. 38. paronychia.
D 39. pentaphyllum. 40. peplus, quam aliqui item papauer spumeum uocant, de quo supra. 41. peplium.
42. piper. 43. persea. 44. periclymenum. 45. peristereon, id est uerbenaca. 46. petasites. 47. petroselinum. 48. peucedanum. 49. peganon, id est ruta.
50. pix. 51. Oleũ è pice liquida. 52. pistacia. 53. pinei nuclei. 54. pinus & picea. 55. pityusa. 56. platanus. 57. polygonum utrunq;. 58. polygalon. 59. polygonaton. 60. polemonium. 61. polium maius siue fruticosum, & minus. 62. polycnemon. 63. potamogeton. 64. Polypodium. 65. prasium. 66. propolis.
67. ptarmice. 68. ptelea, id est ulmus. 69. pteris, id est filix mas et fœmina. 70. pycnocomũ. 71. pyrethrũ.
72. pyros, id est triticũ: & de amylo, cataplasmate ex pane, ac fermento, de quo etiã supra in Zyme. 73. Rhãnus. 74. Raphanis, id est radicula. 75. Rheũ uel Rha-

C 76. Resinæ. 77. Rosæ. 78. Rhodia radix. 79. Rhododaphne. 80. Rhœa, id est malus punica. 81. Rhus.
82. Rhypos, id est sordes è statuis gymnasiorum, & ex palæstris mixtus puluere, oleo, sudoreq; & sordibus hominum. Vide infra etiam in fine libri. 10. 83. Sagapenum. 84. sampsuchum. 85. saprotes, id est caries lignorum. 86. sarcocolla. 87. satyrium. 88. selinon, id est apium. 89. seris, id est intybus. 90. seriphum: uide supra in absinthio. 91. seseli. 92. sesamum. 93. sesamoides maius & minus. 94. sideritis & Achillea. 95. sicyos, id est cucumis. 96. Cucumis syluestris & elaterium. 97. silphium. 98. sison. 99. sium. 100. sisarum.
101. sisymbrium. 102. sisymbriũ cardamine. 103. scãdix. 104. scilla. 105. scolymus. i. carduus. 106. scordion. 107. scorodõ, id est allium. 108. scorodoprasum.
109. scorpioides. 110. smilax, id est taxus. 111. Myrrha: & myrrha Bæotica. 112. smyrnium: uide Petroselinum supra. 113. sonchus. 114. sparganium. 115. sparta, id est genista. 116. staphylinus, id est pastinaca: uide
D Daucus supra. 117. stachys. 118. stœbe. 118. stœchas.
120. stratiotes aquaticus & terrestris. 121. struthiũ.
122. styrax. 123. ficus fructus, & ficus arbor. 124. symphytum petræum. 125. symphytum magnũ. 126. spondylus, uel ium. 127. schinus, id est lentiscus. 128. schœnuanthos, id est iunci rotundi odorati flos. 129. Iuncus palustris. 130. Terebinthus. 131. Teutlon, id est beta.
132. Teucrium. 133. Tephra, id est cinis: & de calce.
134. Telephium. 135. Telis, id est fœnogræcum. 136. Tithymalli. 127. Tragacantha. 138. Tragium. 139. Tragoriganum. 140. Tribulus uterq;. 141. Tripolium.
142. Trifolium. 143. Trichomanes. 144. Trychnus (alias strychnus) id est solanum, quatuor generum.
145. Hyacinthi. 146. Hydna. i. tubera. 147. Hydropiper. 148. Hyoscyamus. 149. Hypericum. 150. Hypecoum. 151. Hypoglossum. 152. Hyssopus. 153. Lẽtes.
154. Lens palustris. 155. phaleris. 156. phalangites.
157. phlomos, id est uerbascum. 158 phœnix, id est

palma. 159. Phormium, Paulo Aeginetæ horminum, & Dioscoridi. 160. Phu. 161. Phycos, id est alga. 162. Phyllitis. 163. Phyllon, id est foliū malabathri. 164. Chalbane, id est galbanum. 165. Chamædrys. 166. Chamæcissus, id est hedera terrestris. 167. Chamælea. 168. Chamæleuce: uide Bechium supra. existi-

A matur enim à doctioribus eadem. 169. Chamæleon. 170. Chamæpitys. 171. Chamæsyce. 172. Chelidonium. 173. Chondrila. 174. Chondrus, id est far. 75. Chrysocome. 176. pseudodictamnus. 177. psyllium. 178. Ocimum. 179. Ocimoides.

GALENI DE SIMPLICIVM MEDICAMENTORVM FACVLTATIBVS

Liber octauus.

PROOEMIVM

QVANTVM itaq; reliquū est facultatis secundū naturā, id hoc libro dicetur: nec id quidē omne, sed tantum effectriciū qualitatū actiones. Nam totius substantiæ plantarū opera postea per se exponam. Commonefactis itaq; lectoribus de ijs quæ supra tractauimus, nempe ꝙ cuiusq; simplicis facultatis in maioris minorisq; ratiōe discriminationē quatuor ordinibus notauimus, quodq; perspicuis limitibus cuiusq; ordinis latitudinē circūscripsimus, tum quod inueniendarū facultatū rationē quandā ac uiam docuimus, horumq; omnium demonstrationes confecimus, ac scopos posuimus, & cuiusq; facultatis iudicandi normas tum peculiares, tum communes: sic iam reliqua adijciemus, hortantes, siquis sit qui in superioribus uersatus non sit, ut aut hæc omnino relinquat, aut si amās laboris est, ab initio prius totum opus perlegat. Siquidem prius quàm in illis exercitatus fuerit, obscura omnia & demōstrationis expertia uidebuntur dicenda.

Nardu stachys. Spica nardi. Cap. 1

Nardi spica excalfacit excessu primo, desiccat secundo iam completo. Composita est ex adstringente sufficiēter substantia, & acri calida nō multa, & quadam leuiter amara: ex his constans facultatibus radix & ad iecur, & ad stomachum rationabiliter cōuenit tum pota, tum extrinsecus imposita. Vrinā ciet, morsus stomachi sanat, in uentre ac intestinis consistentes fluxiones desiccat, ad hæc & eas quæ in capite & thorace. Valentior est uocata Indica, quæ nigrior est quàm Syriaca.

Nardus Celtica, hoc est Gallica Cap. 2

Nardus Gallica iam dictis similis quadantenus in genere facultatis est, cæterū ad omnia imbecillior, præterquam ad prouocādam urinam. Siquidem calidior illis est, sed minus adstringit.

Nardus orea, hoc est montana. Cap. 3

Nardus montana, quæ & thylacitis, & pyritis nuncupatur, plurima in Cilicia nascitur, sed prædictis debilior.

Narthex. Ferula. Cap. 4

Ferulæ semen excalfacit & attenuat. Cæterum id quod intus inest, quod medullā uocant, adstringentem qualitatem participat, cuius nomine sanguinem spuentibus & cœliacis conuenit.

Napy. Sinapi. Cap. 5

Sinapi calfacit & desiccat ordine quarto.

Narcissus. Cap. 6

B Narcissi radix usqueadeo exsiccandi facultate pollet, ut & maxima ulcera cōglutinet uel ad incisiones usq;, quæ circa tendones accidūt. Habet uero quiddam abstersorium & attractatorium.

Neuras. Poterium. Cap. 7

Neuras, quidam Poterium uocant: desiccandi absq; morsu facultatē possidet, adeo ut & neruos incisos glutinare credat̄. Radices eius potissimū eiusmodi uim obtinent: quin & decoctum earum quidam exhibent ijs quibus affecti sunt nerui.

Nerium, aut Rododaphne. Cap. 8

Nerium, aut Rhododaphne, notus omnibus frutex: foris quidem illitus digerēdi uim obtinet. Porrò si intrò in corpus assumatur, perniciosus ac uenenosus non tantum hominibus, sed plerisque etiam pecudibus est.

Nymphea. Cap. 9

C Nympheæ tum radix, tū semen desiccandi uim habet citra morsum. Itaq; uentris profluuia cohibet, semenq; siue per insomnia, siue alio pacto immodice profluens retinet. Iuuat porrò etiā dysentericos. Cæterum nymphea quæ candidam habet radicem, potentioris est facultatis, ut & muliebri medeatur profluuio. Verum & hæc, & ea quoque quæ atram habet radicem, ex uino nigro austero bibitur. Porrò nonnullam habent quoq; & abstergendi potentiam. Itaq; & alphos sanant, & alopecias. Cæterum ad alphos macerantur aqua, ad alopecias, pice liquida. Sed ad hæc aptior est ea cuius radix nigra est, sicut ad alia, cuius alba.

Xanthium. Cap. 10

Xanthium uocatur etiam phasganium. Semen digerendi uim obtinet.

Xyris. Cap. 11

D Xyris: quidam xyrida: tenuium partium, attractoriæ, digerendi, ac nimirum etiam desiccandi est facultatis cum radix, tum multo etiam amplius fructus qui quidem & urinam ciet: & lienes induratos sanare potest.

Xiphion. Gladiolus. Cap. 12

Xiphij radix, & maxime altera illa quæ superior est, attrahentem, digerentem, & desiccantem scilicet facultatem etiam possidet.

Oe. Sorbus. Cap. 13

Sorbus arbor. cuius fructus græce ὄα uocant, & à plerisq; ὄα, hoc est sorba nominant̄, adstringentē obtinet qualitatē, sed multo imbecilliorem ꝙ mespilus. proinde sanè etiam esui iucūda est, minusq; ꝙ mespilus uentrem constringens.

Oenos. Vinum. Cap. 14

Vinum ex secundo est ordine excalfacientium: sed quod admodum uetus est, ex tertio: sicut mustum quod uocant, ex primo. Caliditati eius proportione respondet siccitas.

Olynthi. Grossi. Cap. 15

Grossi acrem uim possidet propter succum totius arboris communem qui illis inest. Cocti itaq; duros tumores discutiunt, crudi uerò myrmecias & thymos eijciunt.

Olostium. Cap. 16

Olostium desiccandi uim habet cum adstrictione: quamobrem ipsum ad rupta potui exhibent.

Olyra. Cap. 17

Olyra mediam tritici & hordei naturam possidet, tam ut nutrimentũ, quàm ut medicamentum. Ex illis igitur de istis colligito.

Onagron. Cap. 18

Onagron aut onathera, aut onathyris, huius radix arefacta uinosum quiddam redolet. Sed & facultatis uini est maxime.

Onosma. Cap. 19

Onosma, uel osmas, uel phlonitis, uel ononis, ex acri & amara constat substantia: proinde quoque creditur foetus necare & eijcere, folijs eius in uino potis.

Onobrychis. Cap. 20

Onobrychis rarefaciendi digerendiq; uim obtinet: proinde folia eius uirentis etiamnum, illita ad morem cataplasmatis, phymata digerũt: arefactae uero si cum uino bibatur, stranguriás sanãt. Quin etiam sudores elicit cum oleo inuncta.

Ononis. Cap. 21

Ononis radicẽ habet tertio quadantenus ordine excalfacientem. Radix eius maxime est utilis, habens quippiã & abstersorium & incisoriũ. Itaq; non tantũ urinas prouocat, sed & lapides cõstringit. Eadem facultate & crustas detrahit. Vtuntur porrò ea quoq; & ad dentiũ dolores: collui uidelicet eam in oxycrato coctam praecipientes.

Oxos. Acetum. Cap. 22

Acetũ in primo horum commentariorum mistae esse substantiae, nempe frigidae pariter & calidae, eiusq; utriusq; tenuium partium, demonstratum est. Caeterum calidam frigida exuperat. Porrò magnam desiccandi facultatem obtinet, adeo ut sit tertij ordinis desiccantium iam completi utique cum ualidum extiterit.

Oxyacanthos. Cap. 23

Oxyacanthus. Haec arbor ut piro sylvestri similem habet speciem, ita & uires nõ dissimiles: quin & ipsi fructus: piri quidem sylvestris, prorsum atq; absolute amarus est: caeterum oxyacanthes & tenuium est partium, & paulum quiddã incisiuum obtinet. Porrò arboris huius fructus, piri sylvestris fructui similis non est, uerũ myrtis, scilicet rubens & rarus. Habet uero & nucleos. Porrò non esus tantum, sed & bibitus affectus omnes fluxionum, quos ῥοώδεις Graeci uocant, cohibet.

Opus, siue succus. Cap. 24

Opus, siue succus Cyrenaicus quidem omnes & caliditate & tenuitate exuperat, ac proinde etiam

A omnium maxime per halitum digerit: quanquam sanè & reliqui admodum calidi sunt & spirituosi: siquidem plurima eorum pars essentiç aereç est & igneae. Porrò complures habentur succi. Quauis nanq; radice incisa aut caule, quod ex uulnere crassum ac lentum effluit, succus est: cęterũ specialius, & uelut per excellentiã quãdam Cyrenaicum ita nuncupant, & Medicum, & Syriacum.

Origanus. Cap. 25

Origanus, heracleotica quidem efficacior est onitide: sed agrestis, quã quidam Panaces heracliũ, alij Conylem cognominãt, ualentior utraque est. Omnes uero incidendi, extenuãdi, exsiccãdi, calfaciendiq; facultatẽ possident: haecq; tertio excessu obtinent. Porrò ea quam Tragoriganum appellitant, B assumpsit etiam adstrictionis quippiam.

Orobus. Eruum. Cap. 26

Orobus desiccat quidem excessu secũdo intenso, calfacit uerò primo. Porrò quatenus amaritatis est particeps, eatenus incidit, extergit, atq; obstructiones expedit. Caeterum si sumatur copiose, sanguinem per urinas euocat.

Orobanche. Eruangina. Cap. 27

Orobanche siccae frigidaeq; temperaturae est in primo ordine.

Oryza. Cap. 28

Oryza habet adstrictoriũ quippiam: quare mediocriter uentrem sistit.

Orchis. Testiculus canis. Cap. 29

Orchis, nuncupatur & herba haec Cynos orchis. C Radici eius bulbosae ac geminae uis inest humida & calida, ac gustantibus dulciuscula est. Caeterum maior radix multam uidetur habere humiditatem excremẽtitiam, & flatuosam: quapropter epota uenerem excitat. Altera uerò, minor uidelicet, econtra nimirum admodum elaborata: ut sit eius temperamentũ ad calidius & siccius uergẽs. Itaq; haec radix tantum abest ut ad coitum stimulet, ut etiam planè contrà cohibeat ac reprimat. Eduntur bulborum more tostae.

Orchis. Serapias. Cap. 30

Orchis, quẽ & Serapiada nuncupãt, sicciorẽ facultatem obtinet quàm ut primi ordinis haberi mereatur, quocirca nec perinde ad uenerẽ accõmodus est. Oedemata illitus discutit. ulcera sordida expurgat. herpetes sanat. Siccatus multo amplius desic- D cat. Nam & putrescentia cõtumaciaq; ulcera sanitati restituit: quippe cum & subadstringens sit, ac proinde etiam uentrẽ ex uino potus sistit.

Osiris. Cap. 31

Osiridi herbae, ex qua fiunt & scopę amara inest qualitas, & obstructiões expediẽdi facultas. Quare & in iocinore cõsistẽtes adiuuat obstructiones.

Pancration. Cap. 32

Pancratium. Radix huius scyllae similẽ gustum refert. Quare ea quidam pro scylla, si ea non adsit, utũtur: efficit enim omnia in genere quidem similiter, sed longe imbecillius.

Paliurus. Cap. 33

Paliuri folia & radix adeo nõ obscuram habent adstringendi facultatem, ut & uentrem fluentem cohibeat: adeoq; digerunt, ut & phymata curent,

quæ quidem non admodũ phlegmonodes sunt & A calida. Fructus porrò tantã obtinet incidẽdi uim, ut & calculos uesicæ comminuat, & pectoris pulmonisq; excretionibus auxilietur.

Papyrus. Cap. 34

Papyrus ipsa quidẽ per se in usum medicinalem haud ingreditur. At macerata aut usta utilis efficitur. Igitur oxycrato uino'ue macerata recẽtia ulcera glutinat, maxime in circulum circumposita. Verum hic quidem est ceu materia quæ medicamina sanantia accipiat: at ubi usta fuerit, medicamen est exiccatorium, uelut & chartæ combustæ cinis nisi quatenus infirmior est quàm papyri.

Panax Heracleum Cap. 35

Panaces Heracleum. Ex hoc fit uocatus opopanax, radicibus eius & caulibus scilicet excisis. Porrò opopanax ipse lõgè est ad plurimos usus aptissimus, utpote excalfaciens, emolliens, & digerẽs: B ponatq; ipsum quispiam in calfaciendo tertij ordinis, in desiccãdo uero secundi. Cortex radicis exiccatorium simul & excalfactorium est medicamentum: sed minus q̃ succus. Quin & nonnullam habet abstergendi facultatẽ. Quare eo quoq; utimur & ad nuda ossium, & ad ulcera maligna & contumacia. Sufficienter enim talia carnẽ procreant, scilicet abstergendo simul ac desiccando, nec ita magnopere calfaciẽdo, quæ omnia ad carnẽ generandam necessaria sunt: uelut in libris De curandi ratione ostendimus. Fructus calidus & ipse est, ac C mensibus mouendis medicamen accommodum. Cæterum nescio quo pacto nunc omnes ex more non panaces, sed panaca herbam hanc uocitent.

Panaces Asclepeum. Cap. 36

Panaces Asclepeum minus est calidum supra dicto panace: quamobrem floribus eius & semine melli mistis, ad ulcera, phymata, & phagedænas utuntur.

Panax Cheroneum. Cap. 37

Panaces Cheroneum & ipsum similem prædicto facultatem possidet.

Paronychia. Cap. 38

Paronychia ab effectu nominata est: sanat enim paronychias: & ut refert Dioscorides, fauos quoque. Vis eius est tenuium partiũ, & exsiccatoria, morsu uacans. Talia enim sint oportet quæ paronychias sanant. Porrò satis constat tale esse idone- D um ad digerendos affectus omnes qui digeri postulãt. Talia enim sunt quæ cum ex tertio sint ordine excalfacientium & desiccantium, uelut & hoc, essentiæ insuper subtilis sunt.

Pentaphyllum. Cap. 39

Pentaphylli radix desiccat uehementer, minimum uero acris est: quare multo est usui uelut alia quoq; omnia quæ cum sint tenuium partium, citra morsum desiccant. Est enim hæc radix desiccatoria ex tertio ordine, minimum habens euidentis caliditatis.

Peplos. Cap. 40

Peplos, quidam uero mecona aphrode. & hic frutex succum habet similem tithymallis, cum in alijs, tum quia purgat ceu illi.

Peplium. Cap. 41

Peplium, & hic quoque fruticulus succum obtinet sicut tithymallis: nasciturq; plerunq; ad mare, radicem habens superuacuam, ut & peplos: succum uero ualidum, non tamen admodum utilem: sed semen utile est & flatuosum, similiter semini pepli purgans.

Peperi. Piper. Cap. 42

Piperis radix uires costo similes potissimum obtinet. Porrò fructus nuper quidem admodũ germinantis, longum piper est: quare etiam maturo humidius est: humiditatis eius indiciũ est, q facile repositum perforetur, ac nõ protinus mordicet, sed pòst paulo incipiat, uerũ plusculum duret. Porrò fructus qui uelut omphax est, piper album est, nigro quidem acrius. Nam illud iam quasi superassatum est, & superexsiccatũ. Verum utrunq; ualenter tum excalfacit, tum desiccat.

Persea. Cap. 43

Perseæ folia adstringentem uim modice participant, adeo ut queant etiam nonnunq; utiliter sanguinis eruptione affectis partibus imponi.

Periclymenos. Volucrum maius. Cap. 44

Periclymeni utilis est tũ fructus, tum folia, adeo uehementer incidentis pariter & excalfaciẽtis facultatis, ut si plusculum bibãtur, urinã sanguinolentam efficiant, principio quidem urinam duntaxat mouentia: porrò foris cum oleo illita excalfaciunt. Iuuãt & lienosos difficulter spirantes. Competens potionis mensura est drachmæ unius cũ uino. Porrò desiccat quoq; semen: & quidã aiunt, si copiosius bibatur, sterilitatem bibentibus afferre. Sed & sunt qui certum dierum numerũ ad talem potionem præfiniunt, ut Dioscorides, qui septem & triginta eos tradi refert. Hic etiam urinã cruentam reddi à sexto die memorat.

Peristereon. Cap. 45

Peristereon, appellata est inde adeo, q in ea peristeræ, hoc est columbæ uersentur. Vim habet hactenus desiccantem, ut uulnera conglutinet.

Petasites. Cap. 46

Petasites ex tertio est ordine desiccantium. Quamobrem ad cacoethe & phagedænica ulcera eam adhibent.

Petroselinum. Cap. 47

Petroselini semen maxime usui est, cum tota etiam herba unà cum radice similẽ sed imbecilliorem facultatem sortiatur. Est autem ut gustu acre cum amaritudine, sic & in operibus calidum, unà cum incidendi effectu. Hinc menses & urinas affatim prouocat. Est & aphyson, hoc est, flatus extinguit. Fuerit itaque & ipsum tertij ordinis tum excalfacientium, tum desiccantium. Porrò Cilices, id modo petroselinon appellant, quod natum est in Amano. Sed id smyrnium potius fuerit, quàm petroselinum. Non tamen ita multum à petroselini uiribus abest.

Peucedanum. Cap. 48

Peucedani radice quidem maxime, sed tamen etiam succo & liquore utimur. Sunt autem omnia hæc eiusdem speciei facultatis: sed ualẽtior succus, admo-

admodum excalfaciens & digerens: quare affectibus omnibus circa neruos consistentibus conuenire creditur, tum morbis in pulmone thoraceque ex crassitudine & uiscositate humorum prouenientibus. Atque intrò quidem in corpus sumptus, sed tamen etiã olfactu prodest. Porrò quod incidat & extenuet, sæpe etiã dentium perforatorũ dolores cauitati impositus protinus sedauit, quia uidelicet tenuium est partium, & excalfactorius. Quinetiam lienes induratos iuuat nempe incidendo, digerendo atque extenuãdo crassos humores: sed & radice ad hæc uti liceat, quæ & squamas celerrime ab ossibus detrahit, quia uidelicet ualide desiccat, minus tamen quàm succus excalfaciens. Et ulceribus cõtumacibus remediũ est optimũ arida illita: ipsa eñ expurgat, carnem inducit, & ad cicatricem perducit, excalfaciens quidem ordine secundo iam completo, desiccans uero tertio iam incipiente.

B

Peganon. Ruta. Cap. 49

Ruta agrestis ex quarto est ordine excalfacientium & siccantium: domestica uero ex tertio. Est autem non solum gustu acri, sed & amaro. Ex quo sane etiam digerere atque incidere crassos lentosque humores potest. Ob eam uim & per urinas euacuat. Quin & tenuium est partium, flatusque extinguit. Quare ad inflationes competit, ac ueneris appetitum cohibet, digeritque atque exsiccat sane strenue: est enim eorum ex numero medicamentorũ quæ ualenter desiccant. Porrò quod superius moly & besasan nominari diximus, & ipsum utique fuerit ruta syluestris.

C

Pissa. Pix. Cap. 50

Pix sicca quidẽ desiccat & excalfacit secundo à mediocribus siue symmetris excessu: ac plus desiccare potest quàm excalfacere. Humida uero econtra, plus uidelicet calfacit quàm desiccat: habetque nonnullam partiũ tenuitatẽ, quo & asthmaticos & purulentos adiuuat. Satis est autem cyathi linxisse mensurã melli mistæ. Sed & abstergẽdi quandam uim habent, atque cõcoquendi digerendique: ueluti & in gustu leuem amaritatẽ & acrimoniã. Sic leprosos ungues eximunt mistæ cum cera, lichenasque detergunt: concoquunt item duros & crudos tumores omnes cataplasmatis inditæ. Ad ea oĩa humida ualentior est. Arida uero pix tametsi ad hæc quidẽ deterior est, glutinandis tamen uulneribus magis congruit. Ex his itaque clarum est, humidæ pici calidam humiditatem affatim esse admistam.

D

Pissełæum. Cap. 51

Pissełæum ex humida pice efficitur, genere quidem illi simile, sed essentiæ tenuioris.

Pistacium. Cap. 52

Pistacium, in Syria ubertim hæc planta nascitur. Fructus eius quodammodo tenuioris essentiæ est, subamarum quid & odoratum habẽs: obstructiones itaque liberat, sed maxime iecoris, ueruntamen etiam thoracis, pulmonisque.

Pityides. Cap. 53

Pityides, nominatur ita fructus pityων, hoc est picearum. At quidam per abusum similiter quoque pini fructum nuncupant. Mistam uim obtinent, utpote adstringẽtes, & acrimoniã quandam cum amaritate possidentes: quamobrem thoracis pulmonisque expuitionibus conferunt.

Pitys. Picea. Cap. 54

Piceæ cortex uincentem habet facultatem adstrictoriã, usqueadeo ut et intertrigines bellissime sanet, & uentrẽ potus sistat, sed & ambusta cicatrice includit. Porrò tedæ cortex illi adsimilis est, sed uiribus tamen moderatioribus. In folijs arboris utriusque, ut quę multo sunt cortice humidiora, uis in est ulcerum glutinatoria. In cono, quanquam his similis sit, ualidior tamen facultas est tum in cortice, tum in folijs, adeo ut dictorum nihil probe efficere queat, uerũ molestam quampiã habeat mordacitatẽ. Porrò fuligo quæ ex dictis colligitur, ad pilos superciliorũ accõmoda est, itemque ad angulos oculorũ erosos, lippientes, ac lachrymantes.

Pityusa. Cap. 55

Pityusa, & hanc quidem speciem putant esse tithymalli, quòd succum habeat ut illæ, quod'que similiter illis purget: cætera'que omnia uiribus illis est adsimilis.

Platanus. Cap. 56

Platanus humidioris frigidiorisque essentię est nõ ita multo quàm symmetra. Proinde folia uiridia trita & illita, non obscure phlegmonas nascentes adiuuant. Cortex autem & pilulæ magis desiccantem uim obtinent, ut ille quidẽ in aceto coctus ad dentium adhibeatur dolores, pilulæ uero cũ adipe ad ulcera ambusta. Sunt autem qui cortice cõbusto medicamen desiccatoriũ & abstersoriũ efficiunt, ut cum aqua lepras sanet: per sese autẽ illitum, ob humorem nimium ulcera uetera & sordida. Vitandus est puluis folijs arboris insidẽs: alioqui si spiritu attrahatur, arteriam offendit, ualenter desiccãs & exasperans, uocemque lædit, sicut sane etiam uisum & auditum, si in oculos aut aures inciderit.

Polygonon. Seminalis. Cap. 57

Polygonon uti adstrictionẽ quandam obtinet, ita sane uincit in eo aqueum frigidum: ut uidelicet secundi sit ordinis medicaminum refrigerãtium, aut etiã quodãmodo in initio tertij: proinde sane quibus stomachus æstu feruet, foris frigidum illitum prodest, uelut etiã erysipelata & calidas phlegmonas iuuat. Porrò tale cum sit, & fluxiones repercutit, & hac ratione uidetur esse exsiccatoriũ. Quare cum herpetum, tum ulcerum, tum aliorum bonum est remedium, tum etiam efficacissimum in inflammatis partibus. Est & cruentorum uulnerum glutinatorium. Sed & aurium ulceribus prodest. Ac si uel plurimũ insit puris, hoc tamẽ etiam desiccat. Easdem ob facultates sistit profluuium muliebre, ac dysenteriam, & sanguinis eiectiones, & undecunque aliunde immoderatius quippiam feratur. Refert Dioscorides, quod & urinam prouocet exhibitum stillicidio & stranguria affectis: nõ tamen exacte dispositionem discriminat, in qua ipsum dari expediat. Porrò mas ad omnia dicta quàm fœmina ualidioris est effectus.

Polygalon. Cap. 58

Polygalon modice austera folia obtinet: uidentur

tur autem si bibantur lac generare. Itaq; superauerit in eo calidum ac humidum.

Polygonatum. Cap. 59

Polygonatum mistam habet tum facultatem, tum qualitatem: habet enim ad adstrictionis pariter & acrimoniæ quippiam, nec non fastidiosam quandam amaritatem explicatu difficilem. Quocirca nec admodum est usui, sed tantum quòd radicem eius quidam uulneribus illinũt. Sunt etiam qui næuos in facie illo detergant.

Polemonium. Cap. 60

Polemonium, quidam philetęrium, quidam (uelut Cappadoces) chiliodynamon: tenuium partiũ est, & desiccãdi uim obtinet: quamobrem quidam radicem eius cum uino ad ischiadicos, dysenteriã, lienemq; induratum potui exhibent.

Polium. Cap. 61

Polium amarum est gustantibus, & modice acre: obstructione itaq; liberat uiscera omnia, urinamq; & menses ciet: ac uiride etiamnum magna uulnera glutinat, et maxime species eius fruticosa: aridum cũ fuerit, rebellia ulcera sanat insperssum: & magis hoc præstat quod minus est, quo etiam utimur ad antidotos: nam & acrius & amarius est hoc quàm maius, adeo ut ex tertio sit ordine desiccantiũ, ex secũdo autem completo excalfacientiũ.

Polycnemon. Cap. 62

Polycnemon desiccat & excalfacit secundo excessu. Itaq; & ipsum ulcera glutinat.

Potamogeton. Cap. 63

Potamogeton adstringit & refrigerat similiter polygono, sed essentia eius crassior quàm polygoni est.

Polypodium Cap. 64

Polypodium dulcem simul & austeram habet uincentem qualitatem: ut facultatis sit admodum quidem desiccantis, citra morsum tamen.

Prasium. Marrubium. Cap. 65

Prasium sicut gustu amarum est, ita si quis utatur, cõuenientem huic sapori actionem possidet, iecur ac lienem obstructione liberans, & thoracem pulmonemq; expurgans, ac menses promouens. Sed & illitum detergit ac digerit: ponatq; ipsum quispiam in caliditate quidem secundi ordinis iam completi, in siccitate tertij medij aut completi. Succo eius ad aciei oculorum claritatem utuntur cum melle. Quinetiam & per nares aurigi nem purgãt, et ad aurium dolores inueteratos adhibent, utiq; in quibus obstructionem disiicere, meatumq; ipsum & ramos meningum seu membranarum expurgare est usus.

Propolis. Cap. 66

Propolis extergentis nõ ita ualentis est facultatis, cæterum admodum ualenter attrahentis: est enim essentia tenui, porrò excalfacit ordine secũdo completo, aut certe tertio incipiente.

Ptarmice. Cap. 67

Ptarmices flores quidem ciendæ sternutationis uim obtinent: unde & herbæ nomen obuenit. Totus autem frutex si contundatur uiridis, sugillata, & reliquas ecchymoses digerit: est enim temperies eius calida & sicca, uiridis etiamnum ordine secundo, siccatæ tertio.

Ptelea. Vlmus. Cap. 68

Vlmi folijs quandoq; recens uulnus glutinauimus, confidentes adstringentem pariter & abstergentem inesse illis facultatem. Cortex amplius etiam subamarus est & adstrictorius. Itaq; cum aceto & lepram sanat. Porrò uiridis etiamnũ ac recẽs si uulnerib. uinculi uice circumligetur, ea glutinare potest. Radices eandem uim obtinent: nam & decocto earum quidam perfundũt fracturas, quæ topho siue callo inducto opus habent.

Pteris. Filix. Thelypteris. Cap. 69

Filix radicem habet maxime utilem: latũ enim lumbricũ interficit, siquis eam quatuor drachmis in melicrato ebibat. Ad eundem modum partum uiuũ quidẽ necare, mortuum autẽ eijcere mirũ nõ est. Est enim amara, paulum habens adstrictionis. Quamobrem ulceribus imposita uim habet ualẽter desiccandi: non tamen mordax est. Similem ei uim habet Thelypteris nominata.

Pycnocomum. Cap. 70

Pycnocomi radix, fructus, folia, omnia digerendi attrahendiq; habent facultatem, utpote quæ & gustu sunt acria: folia itaq; phymata & furunculos discutiunt, fructus ualentior est: & hæc quidem efficere potest mistus alicui digerẽtium cataplasmatum, cuiusmodi est quod ex hordeacea farina conficitur: palos & alia id genus infixa ad extimam cutem elicit. Porrò radix ad supradicta quidem deterior est & infirmior, cæterum bilem flauam expurgat.

Pyrethron. Cap. 71

Pyrethri radice potissime utimur causticã urentemue facultatẽ obtinẽte, qua utiq; etiã dentes refrigeratos mitigat: & ad rigores ante periodum cũ oleo confricatur. Ad hæc stupidos quoq;, quos ναρκώδεις uocant, & resolutos adiuuat.

Pyros. Triticum. Cap. 72

Triticum ut alimentum quidẽ quam habeat naturam, non est huius instituti exponere, ut medicamentum uero foris impositum primi est ordinis excalfacientium: non tamen nec resiccare: nec refrigerare manifesto potest, habet uero etiam quiddam lentoris, obstruẽtisq; naturæ. Porrò quod ex eo conficitur amylum, eo tum frigidius est, tũ siccius. Quod uero ex pane fit cataplasma uim habet magis digerentem ꝙ quod ex tritico: nimirũ cum & salem, & fermentũ panis adiuncta habeat: quippe cum fermentum uim habeat attrahendi digerẽdiq; ea quæ in alto resident.

Rhamnus. Cap. 73

Rhamnus desiccat & digerit excessu secundo, refrigerat in primo completo, aut secundo incipiente: proinde herpetes sanat, & erysipelata non magnopere calida. Cæterum ad hæc teneris utendum est folijs.

Raphanis. Radicula. Cap. 74

Raphanis excalfacit quidem excessu tertio, desiccat uero secundo: agrestis autem in utroq; efficacior est. Quin & semen ipsum planta efficacius est

est. Facultas ei inest digerendi. Itaq; ad sugillata, & alia id genus liuida ob talem facultatem accommoda existunt.

Rheum. Rha. Cap. 75

Rheum, quidam id Rha nuncupant: mistã habet tum tẽperaturã, tum facultatem: habet enim quiddam terrestre frigidum, ceu indicio est adstrictio: & adiuncta est quædam caliditas; siquidem si plusculum mãdat, subacre conspicitur. Quinetiam aereæ cuiusdam substantiæ subtilis est particeps, quod indicat tum laxitas, tũ leuitas, uerum & opera: ob id enim non tantũ conuulsis, sed et ruptis, & orthopnœæ prodest. Sic quoq; liuentia & lichenas sanat illitũ cum aceto. Porrò ꝙ adstrictionis opera haud instrenua sunt, hinc discere liceat, ꝙ sanguinem expuentibus, cœliacis, et dysentericis conferat: nec enim reluctatur terrestri frigido tenue aereum: immo eo quod deducat, & in altũ perducat, ualentioris effectus causa existit.

Rhetinæ. Resinæ. Cap. 76

Resinæ omnes desiccant & excalfaciunt. Cæterum inter se discrepant: quòd plus ac minus habeant in gustu quidem acrimoniæ in facultate uero caliditatis: tum quòd aliæ plus, aliæ minus sortitæ sunt partium tenuitatis: præterea quòd nonnullæ adstrictionis sunt participes, aliæ nequaquam. Primas meruit omnium non iniuria lentiscina. Eam uocant mastichen. Nam præterquam quòd paucula ei adest adstrictio, adeo ut stomachi uentriq;, & iecoris imbecillitatibus, & phlegmonis conueniat, insuper illi inest mordacitate uacans desiccatio. Minimum enim acris est & maxime tenuium partium. Inter alias præfertur terebinthina, nanifestam quidem, nõ tamen similiter atq; mastiche adstrictionem possidens: cæterum adiunctam habet amaritudinẽ quandã, per quam magis etiam quàm mastiche digerit. Ob eandem qualitatẽ inest & abstersio, tãta quidem, ut & psoras sanet. Quin etiam quæ in profundo resident, cæteris resinis magis attrahit, nimirũ cum illis maiorem habeat partium tenuitatẽ. Attamen pinea & hoc etiã magis strobilina, acriores quidem ea sunt, sed non magis tamen digerunt neque attrahunt: Mediæ inter has sunt picea & abietina, acriores quidem quàm terebinthina, minus tamen quàm aut pinea, aut strobilina. Habet porrò etiam emolliens quiddam terebinthina. Secundum locum habet in emolliendo lentiscina, sicut & cyparissina acrimoniæ.

Rhodos. Rosa. Cap. 77

Rosarum uis atq; facultas superiorib. libris pluribus uerbis exposita est, nempe ꝙ ex aquea substantia calida mista duabus alijs qualitatibus, adstringẽti uidelicet & amaræ, cõposita sit. Quinetiam cuius sit naturę utraq;, amara scilicet et adstringẽs, in horum cõmentariorum quarto declarauimus. Flos earũ magis etiã ipsis rosis adstringit, ac proinde sanè etiam exiccatorius est.

Rhodia rhiza. Radix Rhodia. Cap. 78

Rhodia radix, ea uidelicet quæ in Macedonia nascitur, tenuium partium, & digerẽtis est facultatis. In calfaciendo uero secundi ordinis censenda est, aut certe tertij incipientis.

Rhododaphne. Cap. 79

Rhododaphne tota sua essentia uenenum est. nec tantum homini, sed plerisq; pecoribus. At tẽperie sanè tertij est ordinis excalfacientium, incipientis utiq;, primi autem desiccantium.

Rhœa. Malum granatum, siue punicum Cap. 80

Malum granatum omne adstringentem qualitatem obtinet, nõ tamen in omnibus ea exuperat. Sunt enim inter ea quædam acida, quædam plus dulcia quàm austera. Et sanè quæ ab unoquoque eorum procedit utilitas, secundũ uincentem eueniat qualitatem necesse est. Dictum autem in quarto horum cõmentariorum est super dulci sapore, austero, & acido. Itaq; ex illis de malorum punicorum differentia liceat colligere. Porrò succi ipsius acini tum adstringentiores, tum exiccantiores sunt, his etiam magis putamina: uocantur autem Sidia. adsimilem illis uim habẽt Cytini; sic enim eorum appellantur flores.

Rhus. Cap. 81

Rhus fruticosa planta adstringit, desiccat. Nam & coriarij ad desiccandum & adstringendũ planta utuntur: ac proinde βυρσοδεψικὴ græce (latine Excoriaria) appellata est. Porrò medicis in usu sunt in primis fructus eius & succus multũ austeræ qualitatis. Consentaneus est usus particularis ipsi gustus sensui. Fuerit itaque & hoc medicamen ex tertio ordine exiccantium, ex secundo uero refrigerantium.

Rhypos. Sordes. Cap. 82

Sordes in gymnasiorum statuis, aut uasis æreis in quibus largum oleum inhæret, digerẽdi emolliendiq; uim obtinet: In palæstris autẽ, quantũ acceperit pulueris, tantũ etiã diuersa est. Hãc sordem πάτον græci uocant. Prior cruda phymata digerit: secunda optimum est, phlegmones mamillarũ remedium. Siquidem feruorem earum ueluti igneum extinguit, & quod affluit repellit: denique & quod cõtinetur halitu digerit. Cõstat enim ex puluere, oleo, sorde humana, et sudore: Ac puluis quidem emplasticam uim habet, & refrigeratoriam, repercussoriamq;: oleũ uero emollit: porrò sudor & sordes digerentia sunt. Cæterum quæ à statuis corraditur cum puluerem nõ habeat, & ab ære æruginem quandã sumpserit, nõ iniuria acrior est: porrò huius mentionẽ modo fecimus, quòd maxima sui parte oleosæ substãtiæ est, quæ ex planta originẽ sortiatur. Sed & ubi de ijs quæ ab animalibus proueniunt uerba faciemus, eius tum quoq; meminisse necesse erit propter sudorem.

Sagapenum Cap. 83

Sagapenum liquor est calidus, & tenuium partium, sicut & alij liquores. Sed & abstersionem quandam possidet, qua oculorum cicatrices expurgat atque extenuat. Quin & suffusionibus & hebetudinibus oculorum, quæ ob humorum prouenium crassitiem, non malum est medicamentum. At ipsa planta ex qua prouenit, ferulæ assimilis, imbecilla & inutilis est. Sanè ipsa primum

sagapenũ appellatur. At liquor eius abusiue hoc nomen obtinet, ceu alia quoque multa ex nominis defectu per abusum nuncupamus. Perfectius nanq; foret ipsum cognominare nõ sagapenum, sed sagapeni succum.

Sampsychon. Meiurana. Cap. 84

Sampsychon tenuiũ partiũ, & digerẽtis est facultatis: desiccat em̃ & excalfacit ordine tertio.

Saprotes Xylων. Caries lignorum, Cap. 85

Caries lignorum, & maxime quæ particeps est adstrictionis simul & abstersionis, uelut ulmus, expurgat impletq; ulcera humida.

Sarcocolla. Cap. 86

Sarcocolla lachryma est arboris persicæ: mistã uim habet ex emplastica quadã substantia, & paucula amara: itaq; citra morsum desiccat, ac proinde glutinare ulcera ualet

Satyrium. Triphyllon. Cap. 87

Satyrium aut triphyllum humidum & calidum temperatura est: quamobrẽ gustu quoq; apparet dulce. Attamen recrementitiam & flatuosam humiditatem possidet. Quocirca ad uenerẽ incitat. Hæc uero & herbæ ipsius radix præstare potest. Porrò ut quidam aiunt, ex uino nigro austero potum sanat opisthotonon.

Selinon. Apium. Cap. 88

Selinum usqueadeo calidum est, ut & urinas & mẽses cieat, flatus quoq; discutit, & magis semen quàm herba ipsa, sed & oreoselini & hipposelini similis uis est: uerum hipposelinon imbecillius est, oreoselinon ualentius.

Seris. Cichorium. Cap. 89

Seris holus est subamarũ, & magis quod agreste est, quod ob ipsum picrida, hoc est amaram quidam nuncupant, quidam uero cichorium appellant. Est autem ea siccæ frigidæq; temperaturæ, utrunq; secundo excessu: porrò domestica magis etiã q̃ agrestis refrigerat. Sed & humiditatis multæ admistio siccitatem extinguit: uerum utraq; adstringentis qualitatis est particeps, uelut & chondrila: nam & ipsa est sereos species.

Seriphum. Cap. 90

Seriphum, dictum sanè de hoc est & in sexto libro in sermone De absinthio. Est enim absinthio tum specie, tum gustu simile: attamẽ discrepat: gustu quidem quandoquidem non æque ut illud adstringat, plusq; excalfaciat, amaritatemq; quandã cum salsedine resipiat: tum quòd stomacho infestum sit, magisq; absinthio lumbricos necet, siue foris impositũ, siue intrò in corpus assumptum. Et sanè calfacere ipsum in secundo ordine intenso censendum est, exiccare in tertio.

Seseli. Cap. 91

Seseleos, & radix, & fructus usqueadeo excalfacit, ut admodum urinam mouere queat. Sed & tenuium est partium, ut & comitiali morbo & orthopnœis competat.

Sesamon. Cap. 92

Sesamon non parum in se continet uiscosum & pingue; quare emplasticum est & emolliens, ac modice calidum. Eiusdem facultatis est quod

A conficitur oleum: & herbæ quoq; decoctum similem uim obtinet.

Sesamoides. Cap. 93

Sesamoides magnum, quod & anticyricos helleboros appellatum est, propterea uidelicet quia semen eius ut helleborus expurgat: hoc et reliqua facultate helleboro simile est. Nam & in abstergendo, excalfaciendo, desiccandoq;, similem illi uim obtinet.

Sesamoides album.

Sesamoidis albi semen nonnullã item amaram qualitatem continet: sed multum amarum est: excalfacit itaq;, rumpit, & extergit.

Sideritis. Cap. 94

Sideritis habet quidem etiam abstergẽdi quandam facultatem, sed plurima eius pars humida est, & mediocriter frigida: paucula uero inest adstri-
B ctio: quare phlegmonem sedat, & glutinandi uim habet. Quidam etiam uocant Achilleon Sideritin quæ propositę quidem, quod ad iam dicta attinet uiribus est non dissimilibus, cæterũ adstrictione exuperat: quare ad sanguinis eruptiones, dysenterias, & muliebre profluuium congruit.

Sicyos. Cucumis. Cap. 95

Cucumis esculentus, pepon quidẽ, hoc est maturus, tenuioris essentiæ est: qui immaturus est, crassioris. Sed & abstergẽdi & incidendi facultas eis inest: quare & urinam mouent, et corpus splendidum reddunt, ac magis quoq; si quis semine are facto contusoq; atq; cribrato uice pulueris abstersorij, siue ῥύμματος utatur. Superat in eis humida frigidaq; temperies, non tamen magnopere, sed
C quasi in secundo censetur ordine. Attamen si quis aut semen, aut radicem arefaciat, haud etiam humidæ fuerit naturæ, sed iam desiccantis, idq; in primo quodammodo ordine, aut etiam secundo, sed incipiẽte. Est & in istis maior abstergẽdi facultas, quàm in fructus ipsius carne.

Sicyos agrios. Cucumis agrestis. Cap. 96

Cucumeris agrestis tum fructus ipsius succus, quem uocant elaterium, tum non minime radicis & foliorum ad medicationes perutilis est. Elaterium itaq; menses ciet, & fœtum interimit appositũ ceu alia omnia amara & subtilium partium, maxime si quam habeant caliditatẽ, uelut nimirũ elaterium: summe siquidem amarum est, leuiter calidum: ut ex secundo sit ordine excalfacientiũ: por-
D rò tale protinus quoq; digerẽdi uim possidet. Sic igitur eo angina laborantes inungunt quidã cum melle aut oleo uetere. Bonum item est regio morbo affectis fusum cum lacte in nares. Sed & dolores capitis sanat hoc usu. Atq; elaterium quidem eiusmodi est. At radicis succus, ut & foliorum, licet elaterio similem uim habeat, imbecilliorem tamen. Sed & ipsa radix adsimilem facultatem possidet: abstergit namq;, digerit, atq; emollit. Porrò cortex ea potentius desiccat.

Silphium. Laserpitium. Cap. 97

Silphij liquor calidissimus est: uerũ enimuero et folia, & caulis, & radix sat strenue excalfaciunt. Sed omnia flatulentæ magis essentiæ sunt, ac proinde

inde coctu difficilia: foris tamen imposita corpori efficaciora: & omnium potissimũ liquor admodum trahentẽ facultatem possidens. Attamen & excrescentias amoliendi, & liquandi uim quandã propter propositam temperiem obtinet.

Sison. *Cap.* 98

Sison calidus & subamarus gustu est: quare & urinam mouet, & concoquit, mensesq́ꝫ prouocat, omnesq́ꝫ uiscerum obstructiones disiicit.

Sion. *Cap.* 99

Sion quantũ gustu odoratum est, tantum etiam excalfaciẽtis facultatis est particeps. Sed & digerit, & urinam mouet, & calculos renum frãgit, & menses euocat.

Sisaron. *Cap.* 100

Sisari radix cocta stomacho grata est, & urinam mouet, secundo ordine excalfaciens, adiectam habens amaritatem quandam cum leuicula adstrictione.

Sisymbrium. *Cap.* 101

Sisymbrium tenuium partium, digerentis, excalfacientis & resiccantis facultatis est, & temperaturæ in tertio ordine. Sed & semen eius tenuium partium est, & calidum. Quocirca ipsum quidam cum uino exhibent singultientibus, & tormina patientibus.

Sisymbrium. *Cap.* 102

Sisymbrium, quod quidam cardaminen uocant, quandoquidem cardamo, id est nasturtio simile quiddam gustu præfert: cum siccum est, tertij est ordinis excalfacientium & desiccantium: cum humidum & uiride, secundi.

Scandix. *Cap.* 103

Scandix ex agrestium olerum genere est, subacre & amarum, adeo ut in siccando & excalfaciendo aut secundi ordinis intensi [aut tertij incipientis] urinam ualenter ciet, & uiscera obstructione liberat, ex dictis qualitatibus constans.

Scilla. *Cap.* 104

Scilla admodum incidentem facultatem obtinet, non tamen admodum calidam. Sed secundũ hoc eam quispiam secundi ordinis censeat excalfaciẽtium. Præstat autem aut assam, aut elixam sumere: sic enim uirium eius uehementia exoluitur.

Scolymus. *Cap.* 105

Scolymi radix copiosam urinam graueolẽtem elicit, si quis eam in uino coctã bibat: ac proinde graueolentiam sanat tum alarum, tum totius corporis. Atq́ꝫ hoc sanè medicamẽto ex tota inest essentia, nimirũ cum succus sit purgatorius. At quæ secundum qualitates edit actio, calidum in secundo ordine completo, aut tertio incipiẽte, medicamen indicat, siccum uero in secundo.

Scordium. *Cap.* 106

Scordium, ex uarijs id tũ saporibus, tum facultatibus constat, nam & amarum quid obtinet, & acerbũ, & acre, & maxime scorodo, hoc est allio, adsimilis eius est acrimonia: unde sanè, mea sentẽtia, nomẽclaturam sortitum est. Expurgat igitur simulq́ꝫ excalfacit uiscera, tũ menses urinamq́ꝫ prouocat. Propterea conuulsa ruptaq́ꝫ & laterũ dolores ab obstructione & frigore natos sanat epotũ:

A denique uiride quidem illitum magna uulnera conglutinat: sed sordida purgat, & contumacia ad cicatricem perducit illitum aridum.

Scorodum. *Allium.* *Cap.* 107

Allium desiccat & excalfacit quarto excessũ. Porrò ophioscorodon agreste allium est, domestico ualentius, ceu reliqua agrestia omnia.

Scorodoprasson. *Cap.* 108

Scorodoprasson sicut gustu & odore mediam scorodi, hoc est alij, & prasi, id est porri, qualitatẽ possidet, ita & uiribus.

Scorpioides. *Cap.* 109

Scorpioides excalfacit ordine tertio, desiccat secundo.

Smilax. *Cap.* 110

Smilax aut Taxus arbor est uenenosę facultatis.

B *Smyrna.* *Myrrha.* *Cap.* 111

Myrrha secundi ordinis est tum excalfacientiũ, tum desiccantium. Itaq́ꝫ capitum uulneribus illita glutinare ea potest. Inest & amaritas non pauca, per quam fœtũ & lumbricos tum enecat, tum eijcit. Adest hinc ei & abstergendi potentia. Sic igitũ ocularibus miscetũ facultatibus, utiq́ꝫ quæ ad ulcera & crassas cicatrices præparantũ. Eadem de causa inditur & medicamentis, quæ ad tussim ueterẽ & asthma, siue anhelationẽ exhibentũ: non tamen arteriam exasperat sicut abstergentium nonnulla. Verum adeo moderatã obtinet abstersionẽ, ut nõ nulli eam arteriacis quæ uocant medicamẽtis cõmisceant, tanq́ꝫ sufficienter excalfaciens & desiccans medicamẽ: scilicet abstersionem proficiscentem ab amaritudine nihil uerentes.

C *Smyrna Bœotica.* *Myrrha.*

Smyrna bœotica uim habet excalfaciendi, fundendi, emolliendi.

Smyrnium. *Cap.* 112

Smyrnium quidam hipposelinum agreste cognominant. Ex eodem genere & ipsum cum apio est, & petroselino. Fueritq́ꝫ apio quidem ualidius, imbecillius petroselino, Menses itaque & urinas mouet, calidum siccúmque tertio ordine. Cilices petroselinum nominant quod in Amano nascitur. Sed & ipsum smyrnium minus est petroselino smyrnioq́ꝫ acre: proinde sanè ulcerib. imponi potest, quia uidelicet sine molestia desiccet. Sed & digerere quæ indurata sunt potest. Reliqua uis eius apio & petroselino similis est. Quocirca & semine eius utimur ad menses, urinas, & asthmata, siue anhelationes.

D *Sonchus.* *Cap* 113

Sonchus ubi adoleuerit, ex spinosis plantis est. Cęterum uiridis etiamnum & tener esitur perinde ut cætera olera. Temperamentum eius quodammodo mistum est: constat enim ex aquea terreaq́ꝫ essentia, utraque leuiter frigida. Nam & adstrictionis cuiusdam est particeps: & siue cataplasmatis in morem illinatur, siue edatur, manifesto refrigerat: postea uero quàm planè resiccatus fuerit, terrestre eius temperamentũ redditur, modicam habens caliditatem.

Sparganium. *Cap.* 114

Sparganiũ & ipsum desiccantis est facultatis.

Spar

Spartum. Genista. Cap. 115

Sparti, quo & uites alligãt, tum fructus, tũ uirgarũ succus nõ instrenue trahẽtis est facultatis.

Staphilinus. Pastinaca. Cap. 116

Staphilinus satiuus imbecillior, agrestis ad omnia potentior est. Vrinas mensesq; prouocat cum herba quidẽ tota, tum maxime semẽ ac radix. Habet porrò etiam abstersorium in se quippiã: quam obrem ulcerum phagædenica quidam folijs eius cum melle, quò pura reddant, illinunt.

Stachys. Cap. 117

Stachys, frutex ille marrubio similis, gustu acri & amaro, tertij est ordinis excalfaciẽtium. Quam obrem rationabiliter menses prouocat, Sed & abortum affert, & secundas eijcit.

Stœbe. Cap. 118

Stœbes fructus & folia maximo sunt usui, adstringendi uim habentia mordacitatis expertem. Sed & desiccant euidenter in tertio ferè ordine incipiẽte: quamobrem decoctum eorum dysentericis inijcitur, & auribus pure fluentibus, tum uulnera magna conglutinat. Euidentius hæc præstat cum uino atro austero. Valenter enim desiccat omnes præter naturam humiditates. Præterea folia uiridia si illinãtur, uim habent erumpẽtis sanguinis supprimendi, deniq; et oculorum ex ictu suffusiones illita iuuant.

Stœchas. Cap. 119

Stœchadis gustu quidem qualitas amara est, & mediocriter subadstringens, cæterũ temperies cõposita, nẽpe ex terrena essentia frigida exigua, unde sanè adstringit: & extenuata altera terrena copiosiore, à qua utiq; amara est. Ob utrorunq; uero conuenientiam & coitum, obstructione liberare, extenuare, extergere, roborareq; tum uiscera omnia, tum totum corpus est nata. Supra nanq; ostensum est, ꝙ quæ ex eiusmodi essentijs constãt medicamina, dictos effectus reddere possint.

Stratiotes. Cap. 120

Stratiotes aquaticus quidem humida & frigida facultate est, terrestris uero nonnihil habet adstrictionis: proinde sanè & ulcera glutinare potest, et ulceribus esse utilis. Sunt qui eo et ad sanguinis eruptiones utantur, & ad fistulas.

Struthion. Cap. 121

Struthij radice potissimum utuntur, utpote gustu acri, & calida siccaq; temperamẽto, ex quarto quodammodo ordine excalfacientium: Sed & abstergit & irritat: proinde quoq; sternutationẽ prouocat, ceu cætera omnia quæ calida sunt tẽperie, & gustu acria.

Styrax. Cap. 122

Styrax excalfacit, emollit, concoquit: quamob rẽ tussibus, catarrhis, pituitæ destillationibus, grauedinibus, raucedinibusq;, quas κορύζας & βράγχους uocant, prodest. Tum menses seu potum seu admotum prolicit. Combusti eius fuligo, thuris fuligini quodam modo est similis.

Syca. Ficus Cap. 123

Ficus aridę uim habent excalfaciẽdi ordine primo etiam completo, aut secũdo incipiente: habẽt uero etiam partium tenuitatem quãdam. Ex istis

A duobus idoneæ sunt quæ tubercula dura concoquant: statim uero etiam ea digerũt. Atq; ipsæ per se illitæ eiusmodi uim obtinent. Sed & decoctum earum eiusdem utiq; naturæ est. Verum ubi magis concoquere consilium est, miscenda est farina triticea: ubi uero plus digerere, hordeacea: panis horum in medio. Sed hæc magis sunt propria tractatus De medicamentorũ cõpositione, & rationis curandi: uerum in præsentiarũ hæc de ischiadibus nouisse sufficiat. Porrò scire oportet, ꝙ quæ pinguiores sunt, magis possunt concoquere: quę uero gustu acriores, magis tum extergere, tum digerere. Cæterum quod ex ijs plurimũ in aqua coctis efficitur, simile est melli non solum consistentia, sed & facultate. Porrò ficus uirides comesæ

B propter admistam humiditatem facultatis sunt imbecillioris: subducũt tamen aluum utræq; tum humidæ tum siccæ. Porrò ficus caprifici acris & digerentis facultatis sunt: sic etiam domesticarum grossi, Græce uocant ὀλώνθυς: inest ẽm illis nonnihil etiam succi ex ficu arbore.

Syce. Ficus arbor

Ficus arbor calidæ tenuiumq; partium temperaturæ est, ceu indicant tum liquor eius, tum foliorum succus. Valenter enim eorum uterq; calidus est. Itaq; non mordicat tantum, aut uehementer abstergit, sed & ulcerat, & ora uasorum reserat, & uerrucas quas myrmecias uocant, eijcit, sed & purgare potest. Porro ficus agrestis, quam erineũ græce (latinè caprificum) nominant, tum opus, tum succus ad omnia quàm satiuæ ualentior est. Sed &

C cradæ earũ adeo sunt calidæ, tenuiumq; partium, ut carnes bubulas duras, si coquẽdis adijciantur, friabiles ac teneras efficiant.

Symphytum petræum. Cap. 124

Symphyton petręum ex contrarijs constat uiribus: habet enim secandi uim quãpiam, qua collectum in thorace pulmõeq; pus expurgare potest: habetq; etiã quandã contrahẽdi uim, qua eiectionibus sanguinis auxiliaĩ: & tertia ad eas inest humiditas quædam nõ immodice calida, per quam gustãtibus dulce apparet, & odoratu iucundum. Mansum sitim extinguit, & arteriæ asperitates sanat. Porrò secundum omnium dictarũ uirium mistionẽ simul digerere abunde potest, simulq; corpora contrahere constringereq;: proinde enterocelis imponitur, & ad conuulsa & rupta cum oxy

D melite bibitur. Porrò qui ipsum in uino decoctũ ad muliebre exhibent profluuium, utuntur tanquam desiccante & contrahente. Qui uero ad nephritim, tanquam expurgante & incidente.

Symphytum magnum Cap. 125

Symphyton alterum, puta magnũ, similem dicto uim habet: non tamen gustantibus dulce est, aut odorantibus odoratum. Sed his sanè à modo scripto diuersum est. Cæterum quatenus uiscositatem quandã & mordacitatẽ obtinet, scillæ simile est: utitorq; ad omnia ad quæ iam dicto.

Sphondylon. Cap. 126

Sphondyli fructus acris & secãtis est facultatis: itaque ad asthma & comitialem morbum aptum est medicamẽ: prodest & aurigini. Et radix, nimirum

rum adsimilis facultatis, ad eadem accommodatur. A Sed & insuper fistularũ callos tollit: cæterum imponere eam oportet circumrasam. Porrò floris etiam succus ad diuturniora auriũ ulcera conueniens reponitur.

Schinos. Lentiscus. *Cap.* 127

Schinos, frutex hic ex aquea essentia leuiter calida, & terrena frigida non pauca compositus est. Desiccat igitur secundo ordine cõpleto, aut tertio incipiente: in caliditatis & frigiditatis differẽtia quodammodo est medius & symmetrus. Similem omnibus sui partibus adstrictionẽ obtinet in radicibus, ramis, extremis turionibus, germinibus, ac folijs: prę terea fructu, & cortice: ac si succũ ex folijs eius uiridib. exprimas, similis hic ordinis est, moderate adstringẽs. B Itaq; bibitur & per se, & cum alijs medicamentis, quæ dysenterias & alui affectus sanant: quin & ad sanguinis expuitiões, sanguinisq; ex utero eruptiones, tum sedis uuluæq; procidentias idoneus est, utpote ad hypocystida nonnihil propè accedens.

Schinuanthos. Schini flos. *Cap.* 128

Schinuanthos modice calfacit, modiceq; etiam adstringit: nec planè à tenuitatis natura alienus est. Quocirca his de causis urinam mouet, mensesq; ciet adhibitum siue in fomentationẽ, siue in potionem, prodest & iecoris & stomachi, ac uentris phlegmõis. Magis eo adstringit radix. Quod uero florẽ uocant, calidius est. Porrò in omnibus sui partibus, in alijs magis, alijs minus, gustantibus apparet adstrictio: C proinde medicinis quę hęmoptoicis, siue sanguinem reijcíẽtibus exhibentur, commiscetur.

Schœnos lea. Iuncus leuis. *Cap.* 129

Schœnos lea, quædam oxyschœnos, alia holoschœnos nuncupatur: gracilior duriorq; oxyschœnos, crassior laxiorq; holoschœnos. Fructus holoschœni somnũ affert. At oxyschœni duę sunt species: altera sterilis, cuius quidem in medicina nullus usus est: altera uero semen fert: cõciliat uero & huius semẽ somnũ, sed minus q̃ oligoschœni: quanquam tamen hoc caput tentet. Vtrunq; si frictum cum uino bibatur, uẽtris fluxus desiccat, & muliebre profluuium rubrũ sistit. Ex quibus clarum est, q; composita eorum temperies est, ex terrena uidelicet essentia leuiter frigida, D & aquea leuiter calida: ut & inferna desiccare possint, & sensim frigidos ad caput uapores submittere, quibus somnolentos efficiant.

Terminthos. Terebinthus. *Cap.* 130

Terebinthi tum cortex, tum folia, tum fructus adstrictorium quiddam obtinent. Sed & secundo ordine excalfaciunt. Itaq; q; etiam desiccent manifestum est, recentes quidem etiamnum humidiq; modice: sicci uero, ordine secundo. Cæterum fructus aridus propinquus est etiã tertio ordini desiccantium. Est enim adeo calidus, ut mandentibus protinus eius caliditas percipiat. Itaq; etiam urinam prouocat, & lienibus prodest.

Teutlon. Beta. *Cap.* 131

Beta nitrosæ facultatis particeps est, qua tũ digerit tum extergit, & per nares purgat. Cæterũ cocta nitrositatẽ omnẽ exuit, fitq; facultatis aphlegmantæ, hoc est phlegmonis aduersę, leuiter digerentis. Porrò ad detergendum digerendumq; ualidior est beta alba. Nam nigra adiunctum habet adstrictionis quippiam, & magis in radice quàm alijs partibus.

Teucrium. *Cap.* 132

Teucrium incidendi & tenuiũ partium facultatis est: quare lienes sanat. Ponatq; ipsum quispiam in tertio exiccantium, secundo uero excalfacientium ordine.

Tephra. Cinis. *Cap.* 133

Cinis, combustorum lignorũ aut aliarum materierum reliquiæ sic nuncupantur, cõpositæ ex contrarijs tum qualitatibus, tum substantijs. Habet enim in se partim terrenum, partim uelut fuliginosum, græce æthalodes, siue lygniodes, id est fuliginosum, siue quomodocunq; quis appellare uolet: atq; hæ sanè partes sunt tenues, & quæ maceratis aqua cineribus & percolata unà asportantur atq; abeunt. Quod uero reliquũ est, terreum est & infirmum, cinerum calida facultate deposita. Sed non omnis cinis eadem temperatura præditus est, sed pro cõbustæ materiæ diuersitate uariatur. At nescio quo pacto Dioscorides omnes cineres adstringendi habere uim prodiderit, cum ficulneus eiusmodi omnis qualitatis sit expers, utpote cum & ipsa arbor nulla sui parte acerbã qualitatẽ præferat, ceu quercus, ilex, arbutus, fagus, lentiscus, hedera, & hoc genus alia, uerum plena succo ualido tota sit, eoq; acri & calido. Ergo ex acerbis utiq; lignis factus cinis, nõ parum adstringit: meminiq; me quandoq; cum aliud ad manum non esset medicamen, sanguinis suppressisse eruptionem. Verum nullus unquam ad tale uti ficulneo audeat. Siquidem hic acrimoniæ multũ adurentisq; facultatis obtinet, mistæ abstersioni: & utroq; differt ab eo qui ex quercinis lignis conficitur, tum q; in eo fuligineũ multo est acrius, tũ q; in illis terrenum quodammodo subadstringens est, in hac abstergens, ueluti in cinere tithymallorum. Est & calx cineris quædã species, cæterũ tenuioris essentiæ q̃ qui ex lignis fit: nimirũ quanto lapides exactius torreri ut cinis fiãt postulant: non tamen multum reliquũ in se habet uelut naturæ igneæ, quod uocant ἐμπύρευμα. Proinde elota medicamen est citra morsum desiccãs, magisq; si bis terúe lauetur. Cęterum si marina aqua abluta sit, admodum digerit. Dicetur porrò de ea ubi de metallicis sermo habebitur.

Telephium. *Cap.* 134

Telephium exiccandi & detergendi facultate est, nõ tamen insigniter calida: uerum in hoc forsan quispiã ipsum secundi esse ordinis cẽseat. Desiccat tamen secũdo ordine intenso: aut certe principio tertij: proinde ad putrida ulcera cõuenit, & uitiliginem utranq; sanat cum aceto.

Telis. Fœnumgræcum. *Cap.* 135

Fœnumgræcum calidum est secundi ordinis, desiccat primo: proinde feruẽtes phlegmonas ir-

ritat

ritat acerbatq́; quæ uero minus sunt calidæ, & magis duræ, eas digerendo curat.

Tithymalli. Cap. 136

Tithymalli omnes uincentem habēt acrem calidamq́; facultatē, inest uero & amaritas. Validissimus itaq; eorum est liquor: secundū locum tenēt fructus & folia. Sed & radix dictarū facultatū particeps est: sed nō ex æquo. Sanè ipsa cum aceto decocta dolores sanat dētiū, maxime qui illis erosis proueniunt: at liquores, ut qui ualentiorem uim habeant, in foramina quidem ipsa dentium induntur: cæterum si aliam corporis partem contigerint, cōtinuo adurunt, ulcerantq́; proinde foris illis cera circūlinitur: quippe cū ex quarto sint excalfacientiū ordine, quē esse adurentiū posuimus. Sic pilos quoq; succus inūctus tollit. Porrò cū uehementior sit, oleo miscet̄, & si id identidem ac sæpe fiat, tandem prorsum pilorū radices adustę corrumpentur, corpusq́; depile reddetur. Eadem facultate uerrucas, quas acrochordonas nominant, & myrmecias, & pterygia, siue oculorum ungues & thymos auferunt, detergentq́; lichenas & psoras: quia scilicet & abstergendi facultas inest propter amaritudinem. Præterea ulcerum phagedænica, anthracode, & gāgrænode, quia ualēter tum excalfaciunt, tum desiccāt, si in tempore & moderate utare, iuuare aliquando poterunt. Verūenim uero & fistularum callos eximunt. Cæterum hæc omnia genere quidem similiter, imbecillius tamē & folia, & fructus, præstare possunt. Quibus sanè & ad pisces in aqua stagnali capiendos uti assolēt. Celerrime nanq; ab illis in uertiginē acti ac semimortui redditi, ad aquæ superficiem feruntur. Porrò cum septem sint eorum genera, ualentissimus est quem characian nomināt, quē utiq; etiam quidam marem cognominant, & fœmina nuncupata myrsinites: & qui in petris nascitur ad modum arboris: deinceps qui phlomo adsimilis est, & cyparissias: deinde paralius siue marinus: deniq; helioscopius. Proportione uero cōprehensæ illorū facultatis & cinis & lixiuium erit.

Tragacantha. Cap. 137

Tragacantha similem gummi uim obtinet, emplasticam quandam, & quæ acrimoniā obtundit. Et sanè similiter illi desiccat.

Tragion. Cap. 138

Tragij folia, fructus, lachrymaq́; trahentis digerentisq́; sunt facultatis. Est uero & tenuiū partiū, & facultate in principio tertij ordinis calida: stipites & hęretia corporibus extrahit, lapides frangit, mēses mouet drachmæ pondere potum. Porrò in Creta sola nascitur, lentisco adsimile. Cæterum alterum tragium hoc minus, cuius folia scolopendrio similia sunt, uisitur quidem multis in locis: sed non parum habet facultatis adstringentis: ut & ad fluxionum affectus conueniat.

Tragoriganum. Cap. 139

De tragorigano in sermone de origano supra est dictum.

Tribolos. Cap. 140

Tribolus ex humida essentia modice frigida & sicca nō mediocriter & ipsa frigida cōponitur: in terrestri tamē superat terreū frigidū: quod adstringens ostēdimus: in aquatico uero aqueū. Propter utrūq; itaq; & cōtra phlegmonarū generationes, & omnino contra omnes influxus congruit. Porrò terrestris ipsius fructus cum tenuiū sit partium potus lapides in renibus comminuit.

Tripolium. Cap. 141

Tripolij radix gustanti acris est, & facultate calida in tertio excessu.

Triphyllum. Cap. 142

Triphyllum, quidam asphaltion, quidam oxyphyllon, nonnulli myniantes, sunt & qui cnicium uocitent: prima quidem tria ab accidentibus frutici, reliqua duo nomina haud scio unde. Vis plantæ est calida & sicca ut bitumen, cui odore est similis, utrinq; tertio ordine. Proinde pota laterum dolores ab obstructione natos iuuat, & urinam mensesq́; prouocat.

Trichomanes. Cap. 143

Trichomanes eadem præstat quæ adiantum.

Trychnon. Solanum. Cap. 144

Trychnon quidam præposito s strychnum uocant. Esculentum quidem quod in hortis nascitur notum est omnibus, utunturq́; ad omnia ea quę refrigerari adstringiq́; postulant. Potest enim hæc duo ordine secundo. Cæterorum non esculentorum unum quidē nuncupatur alicacabū, fructum habens rufum, acino uuæ tū figura, tum magnitudine adsimilem quo & ad coronas utuntur: alterū uero fruticosum, à cōciliando somno hypnoticū: & tertium, quod insaniam afferat, manicū appellitant. Alicacabū igitur in foliorū facultate hortēsi solano simile est, fructū habens ciendæ urinæ idoneum proinde cōpluribus facultatibus cōpositis quę ad iecur, ad uesicam, & renes accōmodantur, adiungitur. Solani uero hypnotici cortex radicis si cum uino bibat̄, somnū accersit drach. pondere sumptus. Sed & cętera quoq; papaueris succo persimilis est, nisi q̃ hactenus imbecillior est, quòd ipse tertij habeatur ordinis refrigerātiū, cum hic positus sit in quarto. Huius solani semē urinam ciendi potestatem habet. Cæterum si plus duodecim corymbis hauseris, dementiā quoq; adsciscet. Porrò quod reliquum est ex propositis solanis, ad medicationes quæ intrò in corpus adhibent̄, inutile est. Nam si quatuor eius drachmæ offerantur, mortem inferent: si pauciores, saltē insaniā. Vna certe innoxiè sumitur, cæterū nec ipsa utile quid obtinet. Verum si foris corpori emplastri modo illinatur, ulcera cacoethe, & nomode, siue pascentia curat. Sed ad talia radicis cortex prefertur, desiccans secundo ordine iam completo, & tertio incipiente, refrigerans secundo incipiente.

Hyacinthus. Cap. 145

Hyacinthi radix bulbosa est, ordinis primi in desiccando: secundi uero completi, aut certe tertij incipientis in refrigerādo. Itaq; pueros diutissime seruare impuberes illita creditur. Fructus leuiter extergit & adstringit: quāobrem & ipse regio morbo laborantib. exhibet̄ in uino, ordine quidē

tertio

tertio quadantenus desiccans, cæterum in medio consistens caliditatis ac frigiditatis.

Hydnon. Tuber terræ. *Cap.* 146

Hydna omnibus nota sunt. Substantiam habẽt uincentem terrestrẽ quidem, sed tamen cum paucula quadam tenuitate mistam.

Hydropeperi. *Cap.* 147

Hydropeperi à locis in quibus nascitur, & à similitudine quæ illi cum pipere in gustu est, nomẽ sortitum est. Cæterum non usqueadeo calidum est quàm piper. Attamen herba ipsa etiamnum uiridis cataplasmatis in modum imposita, sugillata & tumores induratos digerit.

Hyoscyamus. Altercum. *Cap.* 148

Hyoscyamus cui semen atrum est, insaniam ac soporem affert: sed is cui semen mediocriter flauum est, propinquam ei facultatem possidet. Verum utriq; fugiendi sunt ut inutiles & uenenosi, seu deleterij. Cęterum cui semen ac flos candidus est, ad sanationes uel maxime idoneus est, ex tertio quodammodo ordine refrigerantium. Porrò flos eius quidem cui semen est nigrum, mediocriter purpureus est: eius uero cui est subflauum, leuiter mali colorem refert.

Hypericum. *Cap.* 149

Hypericum calfacit & desiccat, essentia tenui, adeo ut & menses & urinas prouocet. Sed ad hęc totus sumendus est fructus, non tantum semen. Porrò cum folijs impositus uiridis ad cicatricẽ ducit ulcera cum alia, tum etiam ambusta. Cæterum si sicca contusa inspergas, sanabis & mollia nimis, humidaq; & putredinosa ulcerum. Sunt & qui ischiadicis bibendum exhibeant.

Hypecoon. *Cap.* 150

Hypecoon refrigerandi uim habet ex tertio ordine refrigerantium, ut parum absit à papauere.

Hypoglosson. *Cap.* 151

Hypoglosson inde adeo nũcupata est, ꝙ summis corymbis uelut ligulæ quædã exeũt. Cæterũ radix & succus fruticis emolliendi uim possidẽt.

Hyssopum *Cap.* 152

Hyssopum desiccat & excalfacit ordine tertio: sed & tenuium est partium.

Phaci. Lentes. *Cap.* 153

Lentes ualenter adstringunt: medium tenent caliditatis & frigiditatis, desiccant tamen in secundo ordine: ipsum itaque earum corpus desiccat & sistit uentrem: cæterum decoctum prouocat: proinde etiam prior aqua abijcitur, ubi retentionis causa adhibentur.

Phacos. Lenticula palustris. *Cap.* 154

Lenticula palustris humidæ frigidæq; temperaturę est, utrinq; ex secundo quodãmodo ordine.

Phaleris. *Cap.* 155

Phaleridis tũ succus, tum semen, tum folia potari utiliter creduntur ad uesicæ dolores, ceu in se se habeant tenue quiddam & calidum.

Phalangites. *Cap.* 156

Phalangites, sic appellata est, quòd morsis à phalangijs auxilietur: est autem facultatis tenuium partium desiccantis: quamobrem & tormina patientibus succurrit.

Phlomus. Verbascum. *Cap.* 157

Phlomos, quidam per p literam & scribunt, & proferunt. Quædam folijs alba est, quædam uero nigra. Et albæ quidem mas est, cuius folia angustiora: fœmina, cuius maiora. Et præter has est alia phlomos agria cognominata, flores habet aureos & luteos, siue melini coloris. Sed & alia præter has est, quam proprie phlomida nominãt, & thryallida. Priorum itaq; duarum radix acerba gustu est, & fluxionis affectibus prodest. sed & ad dentium dolorem eam quidam colluũt. Attamen folia digerendi uim habent: sic & aliarũ folia, & maxime eius quæ aurei coloris flores obtinet, qui etiam pilos flauos faciant. Omnium enim folia desiccandi & detergendi uim possident.

Phœnix. Palma. *Cap.* 158

Phœnix arbor adstrictoriæ facultatis omnibus sui partibus est particeps. Igitur ramorum succus est, ex aquea substantia tepida & terrea frigida cõstans. Similis facultatis est encephalos quem uocant, hoc est cerebrum siue medulla, esui aptus. At fructus eius, & maxime dulcis, non paucam obtinet caliditatem. Cæterum cum edendo sit, multo est usui, non tantum foris impositum, ubi quid roborare & desiccare, contrahere, stipare, densareq; cõsilium est: sed & tanquam cibus sumptus & simul cum alijs & per se. Porrò quod elaten uocant, nempe tenerum illud palmæ germen eandem cum cerebro eius facultatem possidet. Quod uero uelut tegmen eius est, adstringentem & ipsum qualitatem habet, uerum plus quàm dicta omnia exiccat: utpote quod & essentiæ consistentia illis siccius est, & minimum habet humiditatis. Itaq; iure utuntur illo ad ulcerum putrescentia, miscentq; medicamẽtis articulos plus iusto laxatos contrahentibus: ad hæc facultatibus hepaticis & stomachicis, seu intrò sumantur, seu foris admoueantur. Sed & radix plantę desiccatoriæ citra morsum facultatis est, adiũctum habẽs & ipsa adstrictionis quippiam.

Phorbion, Dioscoridi orminum. *Cap.* 159

Phorbij semine ad leucomata, hoc est albugines, cum melle applicant. Sed & spicula extrahere creditur. Porrò & ipsa herba idem præstare uidetur. Ex quibus constat quòd tenuium partium, & attrahendi detergendiq; potentiam obtinet.

Phu. *Cap.* 160

Phu, odorata quodammodo est huius herbæ radix, nardo uiribus similis: sed tamen ad pleraq; infirmior, urinas mouet plus ꝙ aut Indica, aut Syrica nardus, perinde ut Gallica.

Phycos. Alga. *Cap.* 161

Phycos humens etiamnum & uirẽs ex mari exemptus desiccat & refrigerat ordine secundo: habet enim quiddam modice acerbum.

Phyllitis. *Cap.* 162

Phyllitis cũ qualitatis sit acerbæ, nõ absurde diarrhœas, siue profluuia, & dysenterias pota iuuat.

Phyllon malabathru. Folium malabathri. *Cap.* 163

Folium malabathri nardo similẽ uim possidet.

Chalbane. Galbanum. Cap. 164

Galbanum ſuccus eſt plantæ ferulaceæ mollięndi & digerendi ui. Fueritq́ ſanè ex tertio ordine excalfacientium incipiente, aut ſecundo completo: in deſiccando uero ex ſecundo incipiente.

Chamædrys. Cap. 165

Chamædrys uincentem habet qualitatem amaram: eſt & quodammodo acris. Quocirca merito lienes colliquat, & urinas ac menſes prouocat, craſsitudinem humorum incidit, & uiſcerum obſtructiones purgat. Ponatq́ eam quiſpiam in tertio ordine excalfacientium & deſiccantium: plus tamen calfacit quàm deſiccat.

Chamæciſſos. Cap. 166

Chamæciſsi flos cum ſit admodum amarus, iecur obſtructione liberat, daturq́ ex coxendice laborantibus.

Chamelæa. Cap. 167

Chamelæa uincentem habet qualitatem amarã: quãobrẽ admodũ ſordida ulcera, & quæ maximas habent cruſtas, cum melle purgare poteſt.

Chamæleuce. Cap. 168

Chamæleuce calidæ facultatis eſt tertio quodammodo ordine, ſiccæ primo.

Chamæleon Cap. 169

Chamæleontis radix, nigri quidem, letale quiddam obtinet: quamobrem foris utiq́ uſus eius ad pſoras adhibetur, & lichenas, & uitiligines, & in ſumma, quæ deterſionem poſtulant: præterea digerentibus & emollientibus pharmacis commiſcetur: & phagedęnica ulcera ſanat illita. Eſt enim ſicca tertio ordine, calfacit uero ſecundo ordine abſoluto. Porrò albi chamæleontis radix potui datur cum uino auſtero menſura oxybaphi. Exhibẽt ſanè etiam aqua inter cutem laborantibus adſimilem habentem temperiem ipſius nigri radici, niſi quatenus illa acrior eſt.

Chamæpitys Cap. 170

Chamæpitys guſtu quidem amarum ſaporem ualidiorem acri obtinent, effectu uero expurgat abſtergitq́ uiſcera plus quàm calfacit: proinde auriginoſis, & omnino quibus facile iecur obſtruit, bonum eſt remedium. Quin & menſes ducit tum pota, tum appoſita cum melle. Sed & urinæ mouendæ medicamẽ eſt. Sunt autem etiam qui eam exhibent decoctam in melicrato ijs qui coxendicis doloribus torquẽtur. Herba porrò ipſa uiridis uulnera magna conglutinat, & ulcera putreſcentia ſanat, pręterea uberũ duricies diſcutit. Eſt enim in ſiccãdo ordinis tertij, in calfaciẽdo uero ſecũdi.

Chamæſyce. Cap. 171

Chamæſyce abſtergendi ſimul & acrẽ uim poſſidet. Itaque acrochordonas & myrmecias caules eius teneriores in modum cataplaſmatis admoti, quiq́ ex eis profluit liquor, auferunt. Cum melle uero craſſas oculorum cicatrices detergũt: ſed & hebetudinem uiſus à craſsicie natam adiuuant, ſicut ſanè & ſuffuſionum principia.

Chelidonium. Cap. 172

Chelidonium extergentis admodum & calidæ facultatis eſt: ſed & ſuccus eius ad acuendum uiſum cõmodus eſt, utiq́ in quibus craſſum quiddam in pupilla colligit digeſtione atq́ diſcuſsione indigens. Vſi ſunt radice eius quidam ad auriginem ab obſtructione iecoris proficiſcentem, in uino eam albo potui exhibentes cum aniſo. Similiter manſa confert dentium doloribus. Porrò chelidoniũ minus cum acrius ſit maiore, in cataplaſmate impoſitum, celeriter cutem exulcerat, ungueſq́ ſcabros eijcit. Succus eius per nares purgat, utpote admodũ acer. Itaq́ hęc herba quarti ordinis fuerit calfacientium incipientis. Maius autẽ chelidoniũ tertij eſt ordinis abſoluti iam, idq́ tum in calfaciẽdo, tum in ſiccando.

Chondrila. Cap. 173

Chondrila, & hanc quidam ſerin nominant. Eſt enim eiuſdẽ ferè cum illa facultatis: niſi ꝙ guſtu amariuſcula eſt ac proinde facultate ſiccantiore.

Chondrus. Cap. 174

Chondrus eſt ſanè nutrimentum optimũ, ſicuti & triticum: ſed huius inſtituti non eſt de nutrimẽto diſtinguere: uerum ut medicamen emplaſticæ facultatis eſt, temperie tritico ſimilis, plus tamen illo uiſcoſus: quare ſanè etiã illo plus nutrit. Eſtq́ ceu materia quædã idonea excipiendis aceto, marina aqua, muria, & id genus alijs ualenter deſiccãtibus: proinde quidã ex genere admodũ exiccantium eſſe & hoc ſemen autumarũt. Cæterũ chondrus ex numero eſt potius concoquentium, ut & triticum, quæ minime profecto deſiccant. At ob exiccantium medicaminũ admiſtionẽ, cum quod ex illis conpoſitum eſt, exiccatorium ſit, medicorum complures in errorem inducti ſunt, ut falsò putarent deſiccationem chondro acceptam ferendam, ijs quæ admiſta erant præteritis.

Chryſocome. Cap. 175

Chryſocome, uocatͬ & chryſites. Radix uincentes habet acrem ſimul & adſtringentẽ qualitates quare non admodum multi uſus eſt. Vſui tamen eſt decocta in melicrato in peripneumonijs, & morbis hepaticis ſiue iecorarijs: ſed & menſtruæ purgationis prouocandæ uim quandam obtinet.

Pſeudodictamnum. Cap. 176

Pſeudodictãnũ imbecillẽ dictamni uim habet.

Pſyllium. Cap. 177

Pſyllium ſemẽ habet admodũ utile, ex ſecundo refrigerantiũ ordine: in deſiccando uero & humectando medium quodãmodo eſt & ſymmetrũ.

Ocimon. Cap. 178

Ocimum ex ſecundo eſt ordine calfacientium, habet autem recrementitiam humiditatem: proinde nec commodum eſt quod in corpus ſumatur. Cæterum foris impoſitum, ad digerendum & concoquendum idoneum eſt.

Ocimoides. Cap. 179

Ocimoides, quidam philiteriũ cognominant. Radix ſuperuacua eſt. At ſemẽ tenuiũ partium, & deſiccãtis citra mordicationem facultatis eſt.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI NONI.

A Proœmium, quo continetur primum propositio sequentium: deinde de acrium & astringētium differētia: Contra illos qui acria & cōstringentia cōfundunt. Vsta nulla esse frigida: sed acria dum uruntur, multum sui caloris deponere: reliqua uero calidiora fieri quàm prius erant. Cap. 1. De differentijs terræ secundum rusticos, philosophos, & uulgus. 2. De differentijs terræ uulgo dictæ, est autem ea quæ in tenax lutum commixta, ac facile ab humore soluitur. Et primum de Lemnia terra, quæ triplex est. De peregrinationib. suis, & Lemni topographia. De diuersis uiribus terræ Lemniæ cum experimentis Galeni. 3. De ablutione terræ.

4. De terra Samia, Selinusia, Chia, & stella Samia. 5. De Cimolia 6. Recenset quædam communia omni terræ. Omnis terræ proprium igne nō fundi. De ampelitide terra, Cretica, Eretria, & Pnigitide.

7. De bolo Armeno, cum multis experimentis

B 8. De lapidibus in genere: & priuatim de hematite. Quòd ueteres masculino, posteriores fœminino genere lithon dixerint, & quòd petram aliqui uocent nō quēuis lapidem, sed unum duntaxat genus durissimum, se promiscue uti. 9. De hæmatite, galactite, melitite. Experimenta Galeni. 10. De schisto. 11. De thyite ex Aethiopia. 12. De Iudaico, & experimentum de eo in calculo renum. 13. De pyrite, & emplastro ex eo: communiq́ lapidum apparatu. & de arena.

14. De phrygio 15. De agerato. 16. De Assio.

17. De Gagate cum experimento suo. 18. Magnes. 19. Arabius. 20. Alabastrites onyx.

21. Smiris. 22. Pumex: uide etiam infra cap. 40.

23. Lapides in spongijs, & lapides Cappadocij.

C 24. De ostracite, & Geode, & cote naxia. 25. Ophites. 26. De iaspide uiridi, & omphatitide (aetius & Paulus Ophitin legerunt.) De hieracite & Indico

27. Sapphirus. 28. aphroselinus & hieracites.

29. De Metallicis pharmacis. 30. De salibus: de quibus etiam infra libro xi. prope finem. 31. De sale armeniaco. 32. arsenicum. 33. De aphronitro, & aphonitro. 34. Gypsus, cum experimento Galeni: & Gypsus usta. 35. Diphryges, cum experimentis. Quòd adolescens adhuc didicerit magna mercede data, Lemnium sigillum, pompholygem, opobalsamum, & Lycium Indicum ita mentiri, ut à ueris nemo discerneret. 36. De sulphure, cum experimentis suis.

37. De ærugine: & quæ falsò dicantur epulotica, id est cicatricem ducentia. 38. Cadmia. 39. Cinnabari. 40. Pumex: de quo etiam supra cap. xxij.

41. Lixiuium è cinere. 42. Cyanus. 43. Squama æris & ferri, & stomomatis. 44. Lithargyrus.

45. Nitrum: cuius etiam infra meminit circa finem undecimi. 46. Melanteria. 47. atramentū scriptorium. 48. Misy. 49. Molybdena. 50. Plumbum & quòd crescat: de utilitate plumbei mortarij ac pistilli. Experimenta. 51. Testa. 52. pompholyx, spodium, & antispodium. 53. Sandarica 54. Sandix, uide cap. 66. 55. Scoria, cum experimento. 56. Stimmi. 57. alumen. triplex. 58. Calx. 59. Hydrargyrus, id est argētum uiuum. 60. Fucus: uide ca. 66.

61. Calcanthum, id est atramentum sutorium. Descriptio fodinæ in Cypro. 62. Chalcitis 63. æs ustum. 64. æris flos. 65. Chrysocolla fossilis & factitia. Vide infra libro decimo, capite decimo sexto, ubi de hominis urina agit. 66. Cerussa, sandix, fucus.

67. psoricon.

GALENI DE SIMPLICIVM

MEDICAMENTORVM FACVLTATIBVS

Liber nonus.

PROOEMIVM.

QVOTQVOT plantarū partes sunt, & fructus, & succi, atq; liquores, supra dicta sūt omnia. Nunc aūt de reliquis medicamentis, quæ metallorum genere cēsentur, quæq; ipsius terræ species sunt disserere propositum est: post quæ deinceps nōnihil tractabit̃. De partibus animaliū, utiq; quibus ceu medicamētis ad curatiōes D utimur. Cęterū pręstare mihi uidet̃, cōmuniter de illis omnibus præfari, quo uidelicet tum clarius intelligi possint, tum quæ dicēda sunt, distincte ceu in articulos inaudiant̃. Nā si quis in omnibus sequatur scriptores siue medicamentorū, siue materiarum, siue illorum præparandorū: in multis profecto turpissime allucinabit̃, & ea quæ præfinite ac determinate à me posita sunt, perperā accipiet. Cæterū cū duo sint capita cōmunis orationis iam proponendæ: Alterum est, an sponte nascentium medicaminū quæ cōbusta sunt, calidiora arbitrari oporteat, an frigidiora: Alterum de medicamētis adstringentibus, quorū in genere esse supra ostensum est tum austera, tū acerba. Itaq; super his quidem in quarto horū cōmētariorū uerba fecimus: sed & modo commemorare satius fuerit, medicamentis adstringētibus & facultatē & qualitatem inesse cū acribus pugnantissimā. Adstringunt em̄ Acacia, Balaustiū, Hypocystis, Cytini, Galla, Rheon, Rhus, Omphaciū, Mespila, Corna, Malicorium, Myrta. Acria uero sunt Euphorbiū, Allium, Cæpa, Porrū, Sinapi, Piper, Gingiberi, Smyrniū, Origanum, Pulegiū, Calaminthe, & Thymus. Reuocandū itaq; in memoriā duntaxat qualem cuiusq; dictorū percipimus sensum, & protinus sequetur qualitatis eorū diuersitas, quā in quarto libro exposui unà cū alijs omnibus gustus differentijs. Sanè contrahunt cōstipantq; atq; cōdensant substātiā nostrā adstringētia: ac proinde in quauis corporis nostri partē extrinsecus imposita, continuo illā rugosam et contractā efficiunt, cōtrà q̃ acria, quæ imposita cuti perspicuo eam excalfaciūt atq; in molem attollunt, rubente colore: ac si diutius immorent̃, etiā ulcerant. Hæc itaq; euidenter apparent tum incidere, tū excalfacere, tum etiam à uicinis partibus ad sese sanguinē attrahere: at adstringentia refrigerādo, cōtrahendo, cōstringendoq; in illis etiā contentū repellere. Facultas itaq; aduersissima est adstringentib. cum acribus: nec quæ in gustu apparet qualitas, simile quippiā obtinet. Quid ergo nonnullis in mentē uenerit, ut piper, alliū, atq; adeò acria omnia adstringere dice-

rent,ſanè cogitatiõe aſſequi nequeo. Nã ſi ut hæc A
adſtringere dictitãt,ita Rhun,Balauſtiũ, Ompha
ciũ,Meſpilũ,& quotquot eius ſunt generis, acria
cognominarẽt,diuerſa ac cõmutata in nominib.
cõſuetudine:ignaros profecto illos uocũ, & earũ
ſignificatuũ,nõ tamẽ guſtandi aut olfaciendi care
re iudicio dicerem. Nunc uero cũ res duas & olfa
ctu, & guſtu, & effectibus ſuis contrariã inter ſeſe
naturã oſtentantes,una appellatione nuncupent:
admirãda profecto hominũ aut ſtupiditas eſt, aut
dementia,aut ſimul utraq;: perinde eñ faciũt atq;
illi qui & ignis, & niuis eundẽ eſſe ſenſum aiunt.
Atq; adeo in quẽdam quondã incidi, qui præ tam
aliena atq; abſurda uſurpandorũ uocabulorũ con
ſuetudine diceret nihil prohibere quo minus di-
ceretur nix eandem igni habere tum qualitatem, B
tum facultatẽ:quia uidelicet & hæc quãdoq; uiſa
ſit pedes diutius per eam ambulantium aduſiſſe.
Sanè non pro paruo tẽpore opus eſt, ut illis homi
nibus ſordem animi expurges. At quibus non in
tam profunda ignorantię caligine degere cõtigit,
ac quartũ horum cõmentariorum perlegerint, ijs
quæ iam dicta ſunt,memorię cauſa repetita ſuffici
unt.quò diſtincte nomina de quaq; propriarũ re-
rum ita inaudiãt, quẽadmodũ Latinis efferre Grę
ciſq; mos eſt. Trãſibo uero ad ſecundũ ſcẽma ſiue
ſpeculationẽ, haud etiã de nomine & ſignificato
eius habendum,uerum de rei natura.Nam pleriq;
exiſtimãt combuſta omnia ſeipſis effici frigidiora.
Alij econtra,cõbuſtorũ omnium augeri calidita-
tem exiſtimant: utriq; ſanè errãtes. Conſpiciũtur C
enim liquidò quædam calidiora reddita & ad gu-
ſtum,& ad tactum, & eam quæ in uſu cernitur fa-
cultatẽ:uelut ſupra dicebam de acribus & adſtrin
gentibus. Quædam contrà aduſtione minus ap-
parent calida: idq; clare diſcernimus tũ tactu,tum
uſu. Dico autem uſum, ceu ante dixi, cum cuti im
poſita alia calidiorem rubentioremq; partem effi-
ciunt,alia exanguem & frigidam: et alia molem at
tollunt,alia contrahunt. Igitur acria multum calo
ris amittunt uſta. At quæ eiuſmodi non ſunt,aſſu-
munt. Sanè cõbuſtorum omniũ nullum planè eſt
frigidum.Relinquitur enim in illis uelut ἐμπύρευ
μα, hoc eſt ignitio quædam: nã ita uocabat Ariſto
teles: atq; id eſt quod per ablutiões detergitur,ex
combuſtorum ſubſtãtia ſubtiliſsimum: quod ubi D
cum aqua abierit,quod uſti reliquum eſt,ſubſtan-
tia terrena eſt. Siquidem humidum omne combu
ſtio abſumit, reliquum aũt terrenum eſt unà cum
empyreumate ab Ariſtotele uocato. Hoc ergo
ubi per lotionem ablatum ac ſemotũ fuerit, aqua
in qua medicamen ablutum eſt, calidam adſciuit
facultatẽ,eamq; tenuium partiũ: quod reliquum
uero eſt, terreum eſt, deſiccare citra mordacitatẽ
potens.De his quidem & ſupra diximus: cęterum
nihilo deterius eſt in memoriã nunc ea reuocaſſe,
ut refricata illorum memoria, ſimul quæ dicenda
ſunt,exactius quis aſſequatur.

De terræ differentijs. *Cap.* I

Cum duæ ſint res quæ terræ uocabulo ſignifi-
cantur, neceſſarium duxi prius eas diſtinguere,
ut clariora ſint quę dicẽda ueniũt.Altera ſanè Grę
cis pariter Latiniſq; conſueta eſt. Siquidẽ ubi triti
cũ,hordeũ,aut aliud quodpiã ſeminũ, quę cerealia
nũcupant, ſeminant, mediocriter humidã eſſe ter
ram oportere aiunt: at ubi uites, ficus, oleas, aut
aliam quãuis arborem plantant,fugiendã præcipi
unt tum eã quæ uliginis planè expers ſit, & arida,
tum quæ humida ſit & lutoſa. Nã lutũ uocant ter-
ram humido maceratã. Tum qui de colẽdis agris
ſeu georgica cõſcribunt,in regionũ differentijs a-
tram terrã, argilloſam, arenoſamq; diſcriminãtes
efferunt: ſed & pinguẽ terrã uocãt, ex qua lutum
fit uiſcoſum ac lentũ: Alterã uero contrà q̃ hanc
diſpoſitã,quæ lutũ efficiat, pinguitudinis expers,
& friabile,ut ſic dicam. Atq; hoc eſt unũ terræ uo-
cabuli ſignificatũ, omnibus uſitatũ. Alterũ eſt ſo-
lis philoſophis uſurpatũ, cum aiunt elementa cor
porum eſſe terram,aquam,aerem & ignem. Cor-
pus nanq; extreme ſiccum ac frigidum terrã nun-
cupant. Secũdum hos ergo nullum cõpoſitorum
corporum terra cenſetur elementaris: aiunt tamẽ
ea plurimũ habere terræ, puta adamantẽ, & ſaxa:
& quanto corpore fuerint duriore, tãto magis ea
dicũt eſſe terrea, contra q̃ agricolæ.Haud eñ quo
durior ſit corporum cõſiſtentia, eo plus terreã eſſe
dictitant, uerum lapides & petras planè ad agri-
culturam eſſe ineptiſsima contendunt. Cæterum
eam eſſe terrã dicunt exactiſsimã, quæ q̃ longiſsi
me receſsit à ſaxi cõſiſtentia: quippe cũ & argillo-
ſam & arenoſam ad pleraq; damnent inutilem.Se
cundum itaq; ſignificatũ quod à philoſophis cele
bratur, tribus finietur generibus terræ differen-
tiæ.Siquidem unum eius genus lapis eſt, alterum
corpus metallicũ,tertiũ uero terra quæ colit̃: facta
apud eos differẽtia de metallicis corporibus quæ
fundi poſſunt,uelut ære,ſtãno,plumbo. Hæc eñ
quidam aiunt nõ terrę,ſed aquæ plus cõtinere. At
tamen cæteri homines oẽs eam duntaxat terram
nominant, quę humido macerata lutũ efficit̃: de
qua utiq; et ego nunc ſtatui differẽtias exponere,
id modo præfatus, q̃ propoſita ſectio corporũ ter
renorũ in lapides, metallica, & terrã quæ colitur,
abſq; corporib. quæ proprie phyſica ſeu naturalia
nominant̃, dicta eſt. Nã ſi ea accedãt, tũ ligna om-
nia, & fructuũ partes cõplures, uelut etiã animali
um, eſſentia eſſe terrena dicent̃: fructuũ quidẽ par
tes, ut nuclei oliuarum, & acini uuarum, putami-
na nucum & conorũ, & eius generis multa alia.
Animalium uero, oſſa, cornua, dẽtes. Verũ de plã
tarũ partibus, quæ terrenæ utiq; ſunt & duræ, par-
tim iam ſupra dictũ eſt, partim etiam nunc dicet̃.
Et de ijs quæ animantium ſunt infra tractabit̃, ubi
prius terræ ſpecies abſoluero. Licet eñ ea tibi aut
differentias, aut ſpecies, aut etiã appellare genera.
Dico autem hæc, lapides, metallica corpora, terrã
in lutum ſolubilem. Ac primum omnium dicã ab
Latinis nuncupatæ terræ differentias, quæ cõmu
ne hoc habet: ut addita aqua continuo ſoluatur &
fiat lutũ. Nam quod à philoſophis ſic appellatur,
non habet omnibus commune, ſed illis tantũ con
ſuetum ac celebratum ſignificatum.

De differentijs nominatæ passim terræ Cap. 2

Terram usitate Latinis uocari dixi, quæ iniecta aqua statim soluitur, et fit lutum. Huiusmodi ergo est quam homines ad culturam elaborant, differentias habens quasdam sanè secundum propriam rationem, dum pinguis est & uiscosa, quæ utique omnino & atra colore est: alia uero friabilior, & pinguitudinis expers, quam uocāt argillā, quæ sanè quodammodo candidior est. Atq; hæ contrariissimæ sunt differentiæ. Aliæ harū in medio sunt, alteri atq; alteri magis accedētes: atq; adeo quędā etiam quæ ex æquo ad unguem in medio, pari interuallo ab utraq; distant. At aliæ sunt terræ differentiæ ex diuersi generis corporum natæ commistione, qua ratione lapidosæ & arenosæ habētur: atq; admistam talium substantiam segregāt largæ aquæ effusione ac maceratione, dum totum humidum efficiatur. Cum enim id effectū est, id quod defertur atq; inest lapidosum atq; arenosum, id omne subsidit, et terra exacta supernatat. Tale quiddam & in Lemnia terra uisitur, quā cognomināt quidam milton lemniam, id est rubricā lemniam, & alij quidā sphragida lemniā, hoc est sigillū lemnium, ob impressum uidelicet illi sigillum, Dianæ sacrum. Siquidem hanc terram sacerdos cum patrio quodā honore sumēs, haud mactatis animalibus, sed tritico atq; hordeo piamenti gratia terrę redditis, in urbem comportat: quam deinde aqua maceratam, atq; in lutum redactam, ubi ualenter cōturbauit, paulumq; inde quiescere siuit, aquam quæ supernatat, aufert, & mox quod sub ea est lutum tollit, ac reliquum duntaxat quod ad imum subsedit, lapidosum scilicet et arenosum, relinquit ut inutile ac superuacaneū. Porrò lutum illud pingue usq; eo desiccat, dum mollis ceræ cōsistētiam accipiat: huiusq; exiguis acceptis particulis, sacrū Dianę signum imprimit. Ac postea rursum in umbra siccādum reponit, donec omnē planè humiditatem amittat, fiatq; illud medicis omnibus cognitum medicamē lemnia sphragis, siue sigillum. Sic enim quidā illam cognomināt ob impressam illi sphragida, hoc est sigillum: ceu etiam nonnulli ob colorem lemniam milton siue rubricam appellitant. Verum ab ea differt, quòd contactu nō contaminet atq; illa: & secundum collem in Lemno qui totus colore fuluo est, & in quo neq; arbor, neque planta nascitur, tantum huiusmodi terra uisitur. Porrò tres eius signantur differētiæ: una quā posuimus terræ sacræ, quā alij nemini præter unā sacerdotē contingere fas est: altera uero eius quæ reuera miltos est, siue rubrica, utuntur aūt ea potissimum fabri: demum tertia eius quæ extergit, qua utuntur qui lintea & uestes lauāt, quib. utiq; collibitum est. Cęterū cum & apud Dioscoridem & alios quosdam scriptum legissem, lemnię terrę hircinū misceri sanguinē, atq; ex luto quod ea mistione cōficiebatur, sacerdotem lemnias sphragidas tum conformare, tum consignare, cupiebam profectò & ipse mistionis modū inspicere atque symmetriā. Itaq; quemadmodū in Cyprum nauigaueram uidendorū quæ in ea sunt metallorum

A gratia, & in cauā Syriam Palæstinæ partem profectus fueram, bituminis & aliorum quorundam inspiciendorum causa, ita nec in Lemnum enauigare piguit, ut quantum sanguinis terræ admisceretur, conspicerem. Nam iterū cum Romā pedestri petere itinere per Thraciam & Macedoniā, prius à Troade Alexandræa in Lemnum adnauigaui nactus illic nauē quæ ad Thessalonicā cursum destinabat. Conueniebā autem cum nauclero, ut in cursu Lemno appelleret. Et sanè ille præstitit, sed non ad eam ciuitatem ad quam oportebat. Antea ēm nesciuerā duas esse in insula ciuitates, sed credebam, ut Samus, Chius, Cos, Andrus, Tenus, & omnes adeo quæ in Aegeo sunt mari, unam duntaxat ciuitatē habēt toti insulæ cognominem, ita et Lemnum nominis sui unam habere ciuitatem.

B Porrò ut ex naui descenderā, intellexi ciuitati nomen esse Myrinæ: nec in regiōe ciuitatis illius aut Philoctetis tēplum esse, aut sacrum Neptuni collem, sed in altera quæ uocaretur Hephestias: nec ciuitatem eam Myrinæ esse propinquā. Cumq; me nauclerus expectare nō posset, distuli, ut cū Roma in Asiam redirem, tūc Hephestiada uiserem: id quod feci prout sperauerā & proposuerā. nam ubi ex Italia in Macedoniā traiecissem, eamq; penè totā pedestri itinere pertransiissem, peruenissemq; Philippos, quæ ciuitas est finitima Thraciæ: inde ad mare descendi quod proximum aberat centū uiginti stadijs: primumq; Thason trāsmisi distantem plus minus ducentis stadijs: atq; il-

C linc in Lemnum septingentis, ac rursum ferme septingentis in Alexandræam Troada traieci. Ac proinde sanè ex industria tū de nauigatione, tum de stadijs adscripsi, ut si quem eadem quæ me caperet Hephestiada uisendi cupiditas, cognito eius situ, sic nauigationem institueret. In tota nanque insula Lemno orientem spectat Hephestias, occidētem uero Myrina. Et quod à poeta dictum de Vulcano est, qui græce dicitur Hephestus, Decidit in Lemnum, propter collis naturam occasionem sumpsisse fabulæ crediderim. Apparet enim cōbusto simillimus tū colore ipso, tū etiā quia nihil in eo nascitur. In hūc itaq; collem sacerdos quo tempore ego ad insulam accesserā, egressa, certo quodam tritici hordeiq; numero in terram conie-

D cto, alijsq; quibusdam pro religione patria perpetratis, plaustrū totum terra impleuit. Atq; ubi in urbē cōuexisset, quo dixi modo, illas fama hominum adeo celebratas lemnias sphragidas præparabat. Visum ergo mihi erat percontari, nunquid unq; antea hircinum aut caprinū sanguinem huic misceri solitum, memoriæ proditum accepisset. Quo audito omnes in risum soluti sunt, nec ij sanè quiuis ex uulgo, sed uiri oppidò q; eruditi cum in alijs, tum præcipue in uniuersa patriæ historia. Quin & à quodā librum accepi quondā ab incolarum quopiam cōscriptum, qui omnem lemniæ terræ usum edocebat. Quamobrem nec me quoque piguit huius medicamēti periculum facere, acceptis sphragidum uiginti millibus. Sed & is à quo librū dono accepi, inter principes habitus,

ad multa hoc utebatur medicamine. Siquidem ad A
uulnera tum uetera, tū cicatrici inducēdæ contu-
maciā: ad hæc ad morsus uiperæ, atq; adeo oēs fe-
rarum morsus, necnō aduersus medicamēta leta-
lia nō ante modo exhibere, sed & pòst sphragide
uti cōsueuerat. Addebat porrò sese periculum fe-
cisse medicamēti, quod quia fructum iuniperi ac-
cipit διὰ τῶν ἀρκευθίδων nuncupat̃, cui utiq; inde-
bat̃ & terra lemnia: uomitūq; ciere aiebat, siquis
cum etiānū in uentre letale uenenū hæreret, alexi
teriū siue amuletū ebibisset. Et sanè nos quoq; hu-
ius fecimus periculū in lepore marino, et canthari
dibus, cum sese tale quippiam accepisse homines
suspicarētur: uerum hausto quod lemniam sphra-
gida habebat medicamento, protinus omne euo-
muerunt, nec postea ullum illis accidit symptoma B
eorum quæ ad leporē & cantharides comitari cō
sueuerunt. tametsi cōuicta esset perniciosorū me-
dicaminum exhibitio. Cæterum an ad alia morti-
fera medicamenta, hæc inquam quæ uocant dele
teria, eandem uim habeat medicamentum quod
ex fructu iuniperi & terra lemnia conficitur, mihi
utiq; ignotū est. At ille ab Hephestiade profecto
asserebat, adeo ut & rabientis canis morsum eam
sanare diceret in uino diluto epotam, at ulceri ex
aceto impense acri impositā. Sed & aliarum fera-
rū ictus ex aceto sanare referebat, extrinsecus fo-
lijs insuper impositis, quæ putredini resistere didi
cimus. In primis uero prædicabat Scordium, dein
de Centaurium exile, inde Marrubium. Porrò si
quādo nos sanè ad ulcera cacoethe & putrida ter C
ram lemniā adhibuimus, magnifice profuit. Vsus
aūt est pro prauitatis ulceris magnitudine. Quip-
pe id quod grauiter olet, impēdioq; laxū molleq;
est, ac sordidum, sustinet ut uel per acerrimū ace-
tum lemnia terra in lutosam soluatur consistenti
am, aliorū more pastillorū, quorū alius alio utit̃:
dico autē Polyidæ, & Pasionis & Andronis, & eo
qui nunc inuentus est, & Bithynus appellatus. Si
quidē hi oēs ualēter desiccātes prosunt ulceribus
contumacibus, soluti interim quidē in uino dulci,
interim sapa, interim œnomelite, nōnunq; etiā al
borū quopiā, aut fuluorū, aut flauorū, prout nimi
rū usus postulat. Nā de talibus alibi definiet̃. Simi
liter uero quandoq; soluunt̃ aut ex aceto, aut ui- D
no, aut aqua, aut oxymelite, aut oxycrato, aut me
licrato. Porrò lemnia terra ex aliquo cōprehenso
rum soluta, medicamē fit idoneū tū recētibus glu
tinandis uulneribus, tum medendis irueteratis, ę-
gre ad cicatricem uenientibus, & contumacibus.
Similiter autē & alia quæuis terra pharmacodes
siue medicamentosa. Necesse enim erit distingue
re, sicuti supra, ab elementari terra, in qua & lapi-
des comprehendebantur, eam quæ in lutum solui
tur: sic nunc ab ea quæ colitur, medicamentosam:
nihilo enim deterius erit ita eā cognominasse qua
ad curationes utimur: tametsi eius quoq; quę coli
tur, si qua pinguis est, cōmoda est ad curationem
earum omniū partium quæ desiccari poscunt: un-
de sanè ea & Alexandriæ & per Aegyptum utun
tur multi sua utiq; sponte ac iudicio, multi uero e-
tiam moniti somnijs. Vidi enim Alexādrię quos-
dam aqua inter cutem laborātes ac lienosos Ae-
gyptiæ terræ luto utētes, qui sibi suras, femora, cu
bitos, brachia, tergū, latera, pectusq; inungerent,
ac perspicuo iuuarentur. Eūdem in modum & ue
teres phlegmonas, & laxa œdemata adiuuat lutū
hoc. Noui siquidem quosdam, qui ex immodica
per hæmorrhoidas euacuatione turgētes effecti
ac tumidi, nō obscure fuere adiuti. Sed & quidam
diutinos fixosq; parte quapiam dolores perpes-
si, luto hoc planè persanati sunt: desiccandi nanq;
uim terra quæuis possidet. Quoniam uero cor-
pus eius natura siccum est, & quia prorsum igneę
substantiæ mistionis est expers, ita desiccat, ut
minime sit mordax: ad quod tamen etiam pro-
ficit si lauetur.

De terræ lotione. Cap. 3

Cæterum lauatur terra omnis ad eundem mo-
dum quo propositum est de lemnia. Primū qui-
dem maceratur aqua, quæ nullam habet medica-
mentosæ qualitatis suspicionē: at ubi lutum con-
sederit, effundit̃ quæ innatat aqua: ac quod in fun
do erat, segregat̃ à lapidosis atq; arenosis quæ ad
imum resederūt. Ac si exercitatū habeas gustan-
di sensum, ipse iudex eris accuratus, quā oporteat
terram lauare, quam nō. Nam quædam lauari nō
desiderant, quædā etiam bis terq; elui exposcunt.
Ac lemniam quidem paratā accipis semel à sacer
dote lotam, quæ iterum ablui non exigit.

De terra Samia. Cap. 4

At Samiam ne lauari quidem opus est: utimur
autem altera eius specie magis, quam Samium a-
stera cognominant, ad sanguinis expuitiones un
decūq; natas, uelut etiam Lemnio sigillo. Eadem
ui iuuant sanguinis ex utero profluuia, & uocatū
fluxum muliebrem. Quin & prosunt exulceratio
nibus dysentericis antequā putrescentia euadant
ulcera. Nomas id genus affectus appellare medi-
cis mos est, ab eo quod putredo depascat, & ad ui-
cinas partes serpat, quod græce dicit̃ νέμεσθαι, u-
nà cum primum uitiata & ipsas corrumpens. Ta-
metsi etiam in istis quādoq; sum usus Lemnia, &
palàm profuit tum per sedē infusa, tum epota, u-
tiq; antea: quod facere solemus ulceribus melicra
to priore ablutis, posteriore uero muria. Injcieba
tur ergo per succū arnoglossæ: bibebatur uero ex
oxycrato aquoso. Sed nec parū efficacioribus ui-
det̃ esse uiribus Lemnia terra quàm Samia: quare
nec ea quæ iam phlegmone tētari cœperint, uim
eius perferunt, sed clare irritantur, atq; exasperan
tur, potissimum si uir sit habitus mollioris, quem
malacosarcon Græci uocāt. At à Samia adeo non
exasperatur ulla sic affectarum partium, ut etiam
mitigentur, maxime quæ humidiores sunt & la-
xiores, uelut ubera, testes, adenes. Idonee autē u-
taris terra eiusmodi, si ubi ad leuorē redegeris per
aquā, tantum admisceas olei rosati boni, quod mi
stione sua medicamentū à resiccatiōe prohibeat:
sed & commodum utileq; est, ubi sic præparatum
fuerit, ad alias quoq; phlegmonas calidas, & bu-
bonas incipiētes, & fluxiōes podagricas, & sum-
matim

matim ubi refrigerare statutũ est mediocriter cum mitigatione ac lenitiõe:ut euidẽter appareat uim Samiæ mediocriter esse refrigeratoriam. Quin & magis quodãmodo aerea est eius essentia collata ad lemniam, cuius argumentum est & leuitas. His itaq; notis & omnem aliam terram medicaminosam æstimato. Dico autem notas cõsistentiæ tum leuitatem, tum grauitatem, prętereaq; in gustu asperitatem ac leuitatem, ad hæc tenacitatẽ, & abstergendi potentiam. Tenax enim & uiscosus est Samius aster, cum & Lemnia sphragis eiusmodi paululum quiddam habeat. Absterforiam quoq; facultatem moderatã obtinent & Selinusia terra, & Chia: quamobrem mulieres quędam ad faciem ijs utuntur. Ostensum autem est in tertio libro De ratione curãdi, quicquid leuiter absterget, producendæ ulcerum carni esse idoneum. Id autem si etiam desiccet, cicatrici inducendæ habile est. Porrò omnium ex ijs aptissima sunt & ad ulcera quæ in summa cute consistunt, & ad ambusta, illa quæ cum citra morsum exsiccant, tum neq; manifesto excalfaciunt, neq; refrigerant. Quocirca terra Selinusia & terra Chia pulcherrima sunt ad ambusta ulcerũ remedia. Exposcunt enim ea moderatissime extergentia medicamina absq; insigni aut calfactione, aut refrigeratione: quod utiq; inest tum Selinusiæ, tum Chiæ, tum Samiæ terræ. Ostensum est autem quòd & huius species est Aster quẽ uocant, reliqua terra hoc præstans, ꝙ uiscosum quiddam ac tenax obtineat. Quocirca quod cum ad alia ulcera, tum ad ambusta pertinet, alijs terris quę tenacitatem nõ habent, conferendus nõ est. Siquidem substantiã tenacitas magis reddit emplasticã, ꝙ ut sinat abstergere: scilicet ubi nulla utiq; alia adsit acrimonia uiscoso tenaciq; corpori, ut in uiscocernere est. Attamen Chia & Selinusia terra inferiores sunt Samia ad phlegmonas in mamillis, testibus, atq; inguinibus incipientes: tametsi ubi inopia est aliorum quæ summe prosunt, nec ipsæ planè ineptæ sunt & incommodæ.

De cimolia. Cap. 5

Porrò Cimolia cum mistæ sit facultatis, partim refrigerat, partim etiam digerit, sed leuiter: proindedum lauatur, hanc facultatem deponit atque exuit. Absq; eo secundum utrasq; agit facultates, ceu alia quoq; compositorũ medicamentorũ plurima digerentia pariter & repercutiẽtia. Porrò utranq; facultatem facile indicat dum illi miscentur humores naturæ contrariæ. Nam si mista sit repercutientibus refrigerantibusq;, lutum quod ex ipsa & illis conficitur, refrigerãs repercutiensq; efficit. Sin digerentibus, & ipsum digerens. Sic ambustis conuenit. Atq; idiotæ quidam protinus aceto maceratam illinunt. Sed in tali usu non impensè acre sit acetum oportet. At si tale sit, aquã miscere præstat. Et illud mihi semper memoria teneto, ceu cõmune omnis terræ leuis. Omnes enim ambusta iuuant, continuo illitæ ex aceto, aut oxycrato, nimirum bullas existere prohibentes. Cæterum contemplandum insuper est, corporis curandi quæ sit natura siue habitudo, dura'ne an mollis: id in uni-

A uersum præ oculis habẽdo, corpora mollia ualentium medicaminũ uim haud posse perferre, dura uero posse. Sed hæc huius instituti nõ sunt, uerum copiosius exponentur tum in tractatu De cõponendis pharmacis, tum in libris De facile parabilibus. Præsens aũt narratio à principio id studuit, ut generales inueniret facultates. Quibus animũ intendens quispiam cõplura habiturus est ad particularis usus copiam, utiq; si utendi eorum uiam ac rationem insuper adiunxerit atq; edidicerit.

Communia quædam omni terræ. Cap. 6

Quare immorandũ nõ est: Verũ quod antea dictum est, nunc in memoriã reuocare oportet, nempe terrã ipsam expertem mistionis substantiæ generis alterius, uim habere citra morsum desiccãdi.
B Atqui cum nullum reperire corpus queas mistionis ad unguem expers, inspiciẽda item est eorum quæ illi accidunt cõmistio, idq; secũdum leuitatis & grauitatis differentias, easq; quæ in gustu uisuntur. Nam si qua eluceat adstrictio, tantum assumpsit frigiditatis, quantũ habet & adstrictionis. Sin etiam acrimonia quædam appareat, tantum inesse scito caliditatis, quantũ & acrimoniæ. Similiter in leui & graui uidendum: cum leuitas illi inde proueniat, ꝙ larga & copiosa in tota eius temperie aerea insit substãtia: grauitas uero quantũ maior sit, tãto itidem syncerior terra existat. Terræ propriũ est, quod igni admota non fundatur aut liquescat: id quod accidit plumbo, stanno, argento, & auro. Itaq; cum terrã audis ab argento nominari argyri-
C ten (nam ita nuncupant quidã illas quæ ex metallis sumuntur) haud putes per totũ terrę immistum esse argentũ, aurum, aut ferrũ: sed contingere, coniunctasq; esse paruis terræ particulis immistas particulas paruas: in chrysite quidẽ, quæ ab auro dicitur, auri: in argyrite, quæ ab argẽto, argenti: in siderite, quæ à ferro, ferri: easq; ab igne in fornacibus fusas, coire ad inuicẽ. Eundem in modũ quæ uitrũ cõtinet terra arenosa est. In arena enim potissimũ eiusmodi substantiæ frustula reperiuntur sæpenumero parua. Et qui earum rerum periti sunt, conspectis arenis talibus haud difficulter cognoscũt, quantũ ex eis colligi queat uitri. Sed & auri quoq; frustula exigua frequenter non paruo numero in quibusdam inueniuntur arenis. Verũ non ex qua-
D uis arena, qui negocio huic sunt dediti, aurum utrumq; extrahunt: sed eas eligunt arenas quę quã minimo impendio plurimum congerunt. Siquidem post multos sumptus quos in fornacibus instruendis facere necesse est, si paulum mòdo colligeretur substantiæ, damnosum id ipsis esset. Itaq; cum in plurimis arenis auri uitriq; frustula parua contineãtur, qui talia callent, non ad quasuis accedunt. Ad eundem modum neq; æs, aut argentũ, aut ferrũ, aut stannum, plumbum'ue ex quauis terra colligunt. Nec tamen ubi dictorum quodq; ab admista terra separauerint, quę reliqua est, alijs terris est similis: quas passim sic ab omnibus nuncupari proposui, quæ cõmunem habent notam, ꝙ irrigatæ facile soluantur in lutum. nam terræ quę in metallis est, reliquiæ lapideæ fiunt, nec macerari ri-

gari'ue possunt. Dico autem rigari, per totam substantiã humectari: madescere uero, extima tãtum superficie madefieri, haud etiã in altũ penetrante humore: illud τέγγεσθαι, hoc βρέχεσθαι Græci appellitant. Sic fit cadmia, quam uocãt, lapidea, nec ipsa rigari potis. Sed de talibus corporibus infra disseretur. Nunc autem ad medicaminosam terram reuertor, quæ proinde quod aqua irrigata facile in lutum soluitur, terra appellatur, quia uero ea utimur uelut alijs medicamentis, idcirco non iniuria grece pharmacitis, latine medicaminosa sola uocatur: nempe quia aut sola est eiusmodi, aut euidentiorem uim medicaminosam posside t. Id quod sanè uerũ est. Nominatur autem ampelites nõ quod uitẽ in eã serere præstat, sed ꝙ uiti circumlita interimat nascentes in ea uermes, quos scnipas apud nos uinitores cognominant. Nascuntur porrò hi ineunte uere, cum germinare uites, turgereq́ earũ pars unde germen exit (quem oculum nominãt) incipiunt. Hos igitur oculos scnipes depascentes, non leuem uiti noxam afferunt: ac proinde oculorum istorum radices, qui hæc sapiunt, inungunt ac illinunt. Hac itaq́ ratione ampelites & pharmacites id genus terra appellata est; uel ex eo quòd scnipas perdat quantum habeat facultatis medicaminosæ indicans. Sed & à reliqua terra, qua ad curationes utimur, multũ diuersa est: quippe quæ proxime ad lapideam perueniat: quamobrem misceri eam in medicaminum scriptionibus cõperies, ubi exsiccare atq́ digerere quid opus est. Nec em̃ mordacitatis expers est, nec moderata, nec mitigandi uim obtinet uelut Chia, Samia, & Selinusia. Atq́ de Cimolia quidem dictum est, quod illis paulo sit ualentior, ueruntamen etiam morsus expers, maxime si elota sit. Cretica uero terra istis quodammodo assimilis est: uerum admodum imbecilla est, multum habens substantiæ aereæ: inest tamen ei uis extergendi: quamobrem ea homines uasis argenteis sordidis splendorem recuperant. Itaq́ & hæc tibi usui fuerit ad ea omnia, ad quæ alias sine morsu extergẽtes idoneas esse posuimus. Harum omnium Lemnia ualentissimas uires obtinet. siquidẽ & adstrictio ei quædã inest. Porrò Eretriẽsis hac etiam ualentiorẽ possidet, hactenus tamen, ut nondum mordicet. Quòd si lauetur, ualde moderata efficitur, nõ secus atq́ supradictæ. Expedit uero hanc terram non semel, sed bis terq́ lauare, ut & Cimoliam. Quin & urunt eam quidã, quò uidelicet essentiæ reddant subtilioris & acrioris, ut & ad digerendi potentiã transeat. Cæterũ si usta lauetur, tunc deposita in aquam acrimonia, subtilitatem quidem quam ex tostione acquisiuerat, retinens, desiccantior constituitur. Quocirca cum ustionem non experta, communi ratione terræ cuiuslibet, ulceribus sit accõmoda, magis certe iam congruit & ad ea quæ carnem sibi restitui ægre patiuntur, & ad ea quæ ad cicatricem difficulter perueniunt, si postquam cõbusta fuerit, abluatur. Porrò cum duæ eius species sint, ea quæ colore est cinericio, illi quæ admodũ albida est præfertur. Est & alia terra dicta Pnigites, tota quidem facultate

A Cimoliæ assimilis, cæterum colore diuersa. Est em̃ atra, perinde ut Ampelites. Porrò uiscositatem & tenacitatẽ non minorem ꝙ Samia terra obtinet, immo nonnunquã etiam maiorem.

De bolo Armenica cum multis experimentis. Cap. 7.

Cæterum durante hac immani & graui peste, allata ad me terra est ex Armenia ea quæ Cappadociæ finitima est, etiam siccantior, colore pallido. Lapidem qui donarat, nõ terram appellabat: promptissimeq́ in leuorem soluitur, ceu etiam calx. Sic enim uidelicet nuncupo petram combustam. Verum uti nec in illa arenosum quippiam admistum est: ita nec in Armenica. Nam posteaq́ in mortario pistillo cõminuta est, adeò est leuis, nec plus est lapidea, quàm aut calx, aut Samius a-
B ster: tametsi non ęque ut aster leuis est. Itaque illo etiam magis conspissata est, minusq́ aeria, quam obrem opinionem ac phantasiam præbet ijs qui negligentius intuẽtur, quasi lapis esset. Cæterum quod ad præsentia attinet, nihil interest lapidem an terram uocites, si id modo teneamus, ꝙ summe desiccat. Siquidem ad dysenterias & uentris profluuia, tũ sanguinis exspuitiones, & catarrhos, ad hæc ad putrescentia oris ulcera in primis competit. Quin & eos magnifice iuuat quibus ex capite in thoracem fluxio decumbit: quamobrem illis quib. ex tali occasione assidua difficilis est anhelitus, ualide prodest. Sed & eos qui phthoe la-
C borant, adiuuat. Vlcus enim eorum desiccat: ut haud etiam tussiant, nisi in uictu peccetur non leuiter, aut ambiens derepente ad intemperiem recidat. Ac mihi uidetur, quòd, sicut in fistulis sæpe conspeximus, non in alijs partibus duntaxat, sed in ipso etiã ano, ut citra collyrij immissionẽ quod sordem & callum auferret, ipso dũtaxat desiccante medicamine contraherentur ac clauderenť, ita quoq́ in pulmõis eueniat ulcere. Siquidẽ et ipsum ab exsiccãtib. iuuari medicamẽtis perinde cõspicitur, utiq́ cũ mediocre est, nõ admodũ magnũ. Itaque uisi sunt quidã eorũ qui talia habebant, prorsum esse liberati. Ac quidã qui Roma in Libyã talem ob causam profecti sunt planè se sanos esse credidere: & sanè usq́ ad annos aliq̃t inculpate transi gebãt: postea uero cũ nõ pari degerẽt cura & cau-
D tiõe, reditus morbi apparuit. Hos ergo ut dixi, bolus armenica euidẽter audiuit: quin & eos qui Romę agũt, qui assiduo difficultate spirãdi discruciãtur, magis etiã. Porrò in magna hac peste, cuius eadem facies fuit atq́ eius quæ Thucydidis memoria grassabatur, quotquot hoc medicamen bibere, celeriter curati sũt. At quibus nõ profuit, oẽs interiere, scilicet cũ nec alio quouis iuuarenť. Vnde colligiť quod ijs duntaxat nõ fuerit auxilio, qui planè erãt incurabiles. Cæterũ bibiť ex uino albo, consistentia tenui, modice diluto, si aut planè febri careat, aut leuiter ea teneať: sin grauius febriat, admodum aqueo. Non tamen calore uehemẽtes sunt febres pestilentiales. Porrò de ulcerib. resiccari postulantibus quid attinet dicere quantam uim habeat bolus hæc armenica? Liberum est autem utcũq́ appellare uelis, siue lapidem, ut ijs qui

mihi donauit: siue terram, ut ego, quandoquidem humidis rigari patitur.

De lapidibus. Cap. 8

Ex sponte natis corporibus sunt et lapides, hoc est diuersi à uulgo nūcupata terra, quòd rigari nō sustinent. Vires habēt partim secundū totius substantiæ proprietatem, partim secundum qualitates effectrices. Porrò ut hæc differant, superius docui. Nunc autem sermo nobis esto de illis quæ secundum effectrices agunt qualitates: in quibus sanè est & utēdi ratio ac methodus. Siquidem ut ostendimus, facultates quæ proprietatis totius substantiæ ratiōe insunt, à methodo ac ratione alienæ sunt, & per solam noscunt̃ experientiā. Nam cur hic lapis tacto uulnere, unde sanguis prorūpit, cursum eius reprimat ac sistat, haud nouimus. At cur lapis quē uocāt Hęmatiten, in oculares facultates indatur, haud latet. Nam id rationis inuentū est. Si enim in cote oculari eum teras cum aqua donec mellis crassitiē accipiat, adstringentē facultatem percipies. Atqui didicisti ꝙ phlegmonas etiānum gliscentes, potissimū quæ contingunt in partibus neruosis, restringentibus medicamentis repercutere oporteat: at ubi haud etiam sanguis in partem affluit, adstringentibus medicinis, quę digerāt adiungere, & sensim ad ipsa sola transire. Atq; de huiusmodi quidem facultatibus in lapidibus disseremus, ubi ea prius in memoriam reuocarimus, de quibus fuse locuti sumus in libro contra eos conscripto, qui insultant ijs qui uoce solœcismū committunt. Nam horum quidam λίθον (quę uox lapidem Græcis significat) masculino genere efferri non sinunt: uerū si dicas, ἔμβαλλον τὸν λίθον ἐπὶ τὸν κύνα, non aliter uociferantur, ꝙ si ipsis in caput lapis esset coniectus: uelut etiam si quis dixerit τὸν δρῦν (quercum sonat) exclamant tanꝙ fuste percussi. Itaq; si quis eorum suasu cōsueta medicis nomina mutare in animum inducat, dicēs τὴν λίθον, τὴν αἱματίτην, & τὴν πυρίτην, & τὴν γαλακτίτην, & τὴν σχιστὴν ut curiosus sanè & stolidus damnabitur: nimirum cum ueteres ex more omnes masculine efferant eorum differentias, αἱματίτην, πυρίτην, γαλακτίτην, μελιτίτην, γαγάτην, σχιστὸν, φρύγιον, ἀράβιον, μεμφίτην. Econtrario uero τὴν πέτραν fœminine pronunciant, non τὸν πέτρον masculine. Nam ἀσίαν πέτραν, non ἄσιον πέτρον nominant, λίθον ἄσιον, hoc est lapidem asium, ceu etiam asiæ petræ florem. Porrò ex petra combusta calcem fieri dicunt. Attamen Heraclides Tarentinus, & alij nonnulli, non ex quouis lapide calcem fieri uolunt, sed ex sola petra, nuncupantes ita per excellētiam solum qui sit lapidum durissimus. Equidem ego uel ex industria & studio cōsueui mutatis inuicem nominibus utroque modo talia efferre, de quibus inutiliter nonnulli rixantur, id re ipsa commonstrans, nihil offendi enarrationis claritatem utrouis modo quis dixerit. Cæterum mirandum non est, qui ignorant enarrationis naturalis aut unā solamq; habendam uirtutē, ipsam scilicet perspicuitatem ac claritatē, aut certe omnium aliarum primam principemq; atq; optimam, si

A ad tantas uertātur nugas. Itaq; de ijs lapidibus primum disseram, qui mortarij aut cotis attritu in liquorem succum'ue soluuntur.

Hæmatites, Galactites, & Melitites. Cap. 9

Porrò talium quoq; unus est hæmatites quem uocant, à coloris similitudine id appellationis sortitus: sicut & galactites, quando & ipse in succum solutus, lacti similis conspicitur. Huic autem colori adsimilem succum efficiens melitites à mellis similitudine, quod gustu repræsentat, nuncupatus est. Porrò ostensum in quarto horum commentariorū est, ꝙ succus omnis dulcis à temperato calore talis eueniat, adstringens uero à frigore. Habebit ergo lapis hæmatites tantū frigiditatis, quantum habet adstrictiōis: melitites uero calorē temperatum: mediam autem utriusq; temperiem galactites. Merito itaq; ausi sunt medici ocularibus facultatibus lapidem miscere hęmatiten. Ac solo eo uti possis superciljs exasperatis: siquidē cū phlegmone aspera sint reddita, ex ouo ipsum diluens: ac si magis, etiam per decoctum fœnigreci. Sin uero citra phlegmonem, ex aqua. Incipito uero semper à modice humido, per specillum infundens. Vbi autem quòd uires eius ferat conspexeris, magis ac magis crassum efficies: ac tandē adeo crassum facies, ut specilli cuspide inungas secundum subiectionē aut euersionem supercilij. Hic idem lapis similiter in cote contritus, sanguinis expuitioni cōpetit, omnibusq; ulceribus. Porrò siccus si ad tantum redactus fuerit leuorem, ut pollinem tenuitate æquet, reprimit excrescētia. Atq; eo nullus solo atq; per sese utit̃. Ego uero, uti proposui, usus sum facultate eius ex gustus qualitate cōperta, cum mox experiētia periclitari uellē, nunquid recte coniecissem. Et ipsa quidem oculorū ulcera solus per se cicatrice includit (ut paulo ante cōprehensum est) attritus, cæterum aut affusus, aut inunctus. Nam & id experientia exploratum habeo.

Schistos. Cap. 10

Huic lapidi persimilem uim obtinet, uerū infirmiorē, is qui uocat̃ schistus: ac post eū galactites. At melitites caliditatis etiā nōnihil, ut dixi, adiunxit. Vt itaq; unusquisq; leuiter ac sensim ab hæmatitis facultate recedit, ita ad oculos in usum ducit̃: est tamen mitior. Porrò mitiora remedia partibus etiamnū phlegmone afflictis semper gratiora sunt atq; iucūdiora: cæterū liberis iam phlegmone partibus infirmiora ꝙ quæ persanare ualeant. Porrò cum lapidibus omnibus cōmune sit ut desiccent: quotquot ex ijs in succū soluti, aut alioqui ad leuorem triti, nullam euidentē qualitatē in gustu obtinent, hos putandū est esse tum infirmissimos, tum mitissimos, tum minime mordaces. At qui manifestam gustui qualitatē afferūt, hi pro qualitatis proportione potentiā possident: ac siquidem adstringant, ad cōprimendum, constringendū, spissandū, & contrahendum: si uero mordicent, ad excalfaciendum, digerendū, & liquandū. medij eorū sunt qui abstergent citra mordicationē. Igitur hæmatites, schistos, galactites, ac melitites, in succū soluūtur quo posui modo, ad cotem aut mortarium attriti

triti: cum sint & alij lapides in succũ solubiles, ut qui in Aegypto nascitur, quo utuntur ad splendorẽ linteis conciliandũ. Est aũt omniũ dictorũ minime qualitatis particeps, nec adstrictionem, nec morsum, nec abstersionem præ se ferẽs: quo circa hoc ipsum duntaxat lapidi huic inest, quòd desiccet uidelicet: proinde cerato eum miscentes, ad cicatricem ulceribus inducendam in mollibus corporibus usurpant. Sed & ocularibus miscetur facultatibus perinde ut modo dicti: at quãto est maiore emolliẽdi ui ꝙ prædicti, quòd nullam uidelicet effectricem qualitatẽ habeat, tanto etiã moderatior est, magisq; dolorem leuat. Hunc lapidem quidã moroxũ, nõnulli leucographida nũcupãt.

Dioscoridis Thyites. Cap. 11

Omnium dictorum lapidum ualentissimã uim habet is qui ex Aethiopia affertur, quadantenus subuiridis, ut Iaspis, quem Thyiten uocant. Soluitur hic lapis in succum colore lacteum, gustu uero acrem, ac proinde illum nemo ocularibus miscet facultatibus, nec fluxiones repercutientibus, neq; ulcera sanantibus: sed tantum ad purgandũ, & abstergendum quæ pupillam offuscant absq; phlegmone: ex quibus sunt cicatrices recentes, quas attenuare potest: sed & oculorum ungues (Græci pterygia uocant) utiq; si non admodum duri fuerint.

Iudaicus. Cap. 12

Est & alius lapis uiribus ualentioribus in Palæstina Syria proueniens, colore candido, specie cõcinna, lineas habens ceu torno ductas. appellitãt eum à loco in quo nasci consueuit, Iudaicũ: utunturq; ad uesicæ lapides, in cote soluentes, & ex aquæ calidæ tribus cyathis potui præbentes. Sanè in quibus nos experti sumus, profecit nihil, quod ad lapides uesicæ pertinet: uerum ad eos qui in renibus hærent, efficax est.

Pyrites. Cap. 13

Vnus eorum qui ualidam facultatẽ possident, est et pyrites quem uocant, quo utimur digerenti emplastro admisto: adijcit ei & schistos. Ab hoc medicamine & pus sæpenumero, & consistentia grumosa in spatijs intermedijs musculorum nata, per halitum digesta sunt. Cæterum ubi in usum uocantur lapides, admodum uehementer cõtusi, atq; ad leuorem redacti sint oportet, similiter atque ea quæ in ophthalmicas facultates admiscentur. Etenim nisi pollinis instar cõminuãtur, adeo ut in profundum corporũ quibus applicant subeant, assimiles manẽt istis marinis, & fluuiatilibus arenis, quæ & ipsæ cõmunem omnium lapidum uim possident. Siquidem exiccant tumentem ab aqua inter cutem carnem, uidelicet laborante in eis excalfactis decumbente. Non tamen ad aliud quippiam eis utimur tanquam prædictis, puta ad ophthalmicas & sistentes tum sanguinem, tum muliebre profluuium facultates, præterea ad glutinanda ulcera cicatrice claudenda, carne implenda. Nam qui ex eis acres non sunt, ad hæc omnia sunt utiles: uelut & acres, quorum posterius mentionem faciã, ad detergendum abstergendumq;,

A tum detrahendum, extenuandum, digerendum, ualenterq; siccandum, & colliquandum.

Phrygius. Cap. 14

Huius facultatis habetur & phrygius quem uocant. Sed eo semper utor combusto quidem ad ulcera putrida, idq; aut ipso per se, aut ex aceto, aut œnomelite, aut oxycrato: ad oculos uero medicamentum siccum efficiens: quod multi nunc acceptum à me obtinent. Miscentur ei & alia quæpiã. Dicetur autem de ipso in opere de componendis pharmacis. Nunc satis est de generali eius facultate explicuisse: ualide enim desiccat, habẽs quiddã adstrictionis simul & mordicationis. Dictum uero superius est, ea esse omia optima medicamina, plurimiq; usus, quæ mistas in sese hasce facultates B habent, nempe repercutientem, & digerentem.

Ageratus. Cap. 15

Est autem lapis ageratus quẽ uocant, quo utuntur coriarij, facultatis mistæ, adstringentis scilicet, & digerentis. Sed de sola adstringente considerandum. Iuuat quidẽ euidenter columellas phlegmone grauatas: non tamen apertam gustu adstrictionem præferre aut acrimoniam conspicitur.

Assius. Cap. 16

Est & alius lapis in Asso proueniens, quem ob id ipsum Asion cognominant, non durus ut petræ. Siquidẽ color illi est pariterq; consistentia ceu tophi, friabilis & laxus. Innascitur ei quiddam farinæ tenuissimæ simillimum, qualis in molarum parietibus adhærere uisitur. Appellitãt hoc medicamentum C petræ asiæ florem. Est uero & subtilium partium, ut sine morsu nimis molles carnes ac fluidas eliquet. Petra uero in qua nascitur, tametsi uim habeat illi similem, actionis tamen uehementia inferior est. Hoc enim ea potior est flos, nõ tantum quod magis colliquet ac digerat, & uelut sale condita seruet, sed & quia hæc præstet absq; uehemẽti mordicatione. Habet & salsedinem quandam in gustu hic asiæ petræ flos: ut coniectura sit illum nasci ex eo quòd ros ex mari in petram residens, postea à sole desiccetur.

Gagates. Cap. 17

Est & alius lapis colore atro, qui ubi igni admotus fuerit, persimilem bitumini odorem exhibet: quem Dioscorides nonnulliq; alij in Lycia inue- D niri prodiderunt, ad fluuium nomine Gagaten, unde & ipsi lapidi nomenclaturam inditã dicunt. Ego tamen eum fluuium non uidi, tametsi parua nauicula totius Lycię littora legerim, quò uidelicet quæ in ea sunt inspicerem. Crustaceos uero lapides, & qui in ignem additi exilem flammam ederent, complures ex Cœle Syria asportaui, natos in colle mari mortuo, quod uocant, circumdato, qua orientem spectat, ubi & bitumen est: eratq; lapidum odor similis bitumini. Vtebarq; eis ad tumores in genu diuturnos, & ęgre curabiles, mistis uidelicet facultatibus quæ ad hoc symptoma probatæ fuerãt. Planeq; uisum est mihi euidentiorem earum facultatũ reddidisse. Miscui uero ipsum & Barbaro emplastro appellato: et palã medicamẽtum effectum est exsiccãtius, adeo ut & sinus con-

tra-

traheret, nedũ cruenta uulnera glutinaret, ad quæ competere maxime creditur. Est & alius lapis, cuius meminit Nicander hunc in modum.

Si lapis uratur candenti Thracius igne, &
Post madefiat aqua, flagrabit totus: at idem
Mox oleo affuso penitus restinguitur: adfert
Thracius hũc ad nos pastor de flumine, nomẽ
Cui Pontus.

Verum nullus eius in medicina usus est: neꝗ Nicander præter graueolentiam, quæ suffitu feras fugat, quicquam ei adscripsit.

Magnites, quæ & Heraclea. Magnes. Cap. 18

Ex lapidibus unus est & magnites, & heraclea quam uocant, adsimilem hæmatiti uim obtinens.

Arabius. Cap. 19

Attamen arabius quem nominãt, lapis ebori similis, desiccantis abstergentisꝗ facultatis est.

Alabastrites. Cap. 20

Et alabastrites uocatus onyx in medicinæ usum ingreditur combustus. Quidam eum bibendum dant stomachicis.

Smiris. Cap. 21

Sed & smiris ꝙ multã abstergentẽ habeat facultatem, clarũ est uel ex eo ꝙ dactylioglyphi, hoc est qui annulos exculpunt, eum in usum illo utantur. Quinetiã ꝙ dentes puros efficiat, experti sumus.

Cisseris. Pumex Cap. 22

Cæterũ si pumex inter lapides recenseri potest, & ipse eiusdem est facultatis, quod certe ad abstersionẽ attinet, uelut etiã figulina testa, ac multo magis ea quæ fornaciũ est. Sed smiris acrimonię quiddam obtinet: proinde causticis & desiccantibus facultatibus addit, eisꝗ quæ curant gingiuas laxas, ac mollitie fluidas. Pumex autem si comburatur, haud erit inferior eosdem ad usus Smire.

De lapidibus qui in spongijs reperiuntur. Cap. 23

Lapides qui reperiuntur in spongijs, frangendi uim obtinent, non tamen ita ualidam ut lapides in uesica comminuant: & qui id scriptũ reliquerunt, mentiti sunt. Verũ qui in renibus consistunt rumpunt, uelut qui ex Cappadocia cõuehuntur, quos in Argeo nasci aiunt. Soluũtur autem hi in succũ colore lacteũ: ex quo liquet, quòd extenuãdi uim obtinent absꝗ ut insigniter excalfaciant.

Ostracites. Cap. 24

Porrò ostraciten uocatũ lapidẽ prędicare quosdam audio quasi desiccãdi ualenter facultatẽ obtineat, temperatã ex adstrictiõe & acrimonia, uelut Geoden nomine pupillas expurgare, & uberũ testiũꝗ phlegmonas sanare, ex aqua uidelicet dilutũ. Attamẽ cotis Naxię ramentũ mãmas uirginib. suo tẽpore prohibet tumescere, & puerorũ testes, tanꝗ uidelicet particeps facultatis refrigeratoriæ.

Ophites. Cap. 25

Sed ophites quẽ uocant lapis extergendi confringendiꝗ uim possidet, ceu etiã uitrũ. Admodũ enim ipsum ex uino albo ac tenui epotum lapides uesicæ conterit atꝗ cõfringit. Verum ipsum in lapidibus quispiam forte non numeret.

Iaspis uiridis Cap. 26

Proprietatẽ nonnulli lapidibus quibusdã testi-

A monio suo adscribũt, talẽ qualẽ reuera habet Iaspis uirens, nempe stomachum adhæsu uetrisꝗ os adiuuans. Ac nonnulli quoꝗ annulis inserũt, scalpuntꝗ in eo draconem radios habentẽ: uelut rex Nechepsos memoriæ prodidit in quarto & decimo libro. Sanè huius ego quoque lapidis abunde feci periculum. Torquem enim ex huiusmodi lapillis confectum à collo suspendi, ita ut lapides os uentris contingerent. Apparebant autem nihilo secius prodesse, etiamsi sculpturam non haberent quam scripsit Nechepsos. Porrò lapidem ophiten uir fide dignus reuera iuuare morsos à uipera suspensum retulit. Sed eiusmodi facultates extra usum sunt methodo constantem. uelut etiam cum Hieracites & Indicus profluentem ex hæmorrhoi-
B dibus sistunt sanguinem.

Sapphyrus. Cap. 27

Sed & Sapphyrus ictos à scorpio epotus iuuare creditur.

Aphroselinus. Cap. 28

Et aphroselinus quem uocant, comitiali morbo uexatos: non tamen nos experti sumus. Sunt uerò & alij lapides nonnulli, qui aduersus quædam suspẽduntur. Cæterum quidam characteres quosdam & literas inscriptas habent: sicut qui hæmorrhoidibus congruit Hieracites: cuius nos fecimus periculum. Sed non est nunc tempus de illis differere, qui sola experientia fidem habent, ac non ra-
C tionali quadam methodo in usum ueniunt. Aliud de his tempus erit & locus. Nunc autẽ ad id quod toto opere propositum fuit, reuertor.

Metallica medicamenta. Cap. 29

Metallica medicamẽta appellare medicis mos est, quorum generatio in metallis est, siue spontanea, siue per fornacem facta. Et ad hæc tertio loco sunt quæ rursum homines ex his ipsis præparant quouis modo, uelut cerussam, psoricum, sandyca, phycum. Deinceps itaꝗ de singulis dicetur ea serie literarum, qua quodꝗ nomen incipit. Verum illud primum de omnibus illis dicemus cõmuni præfatiõe, qualem de lapidibus paulo ante habuimus, et his etiam superius de terra medicaminosa. Nam ut illis id inter sese omnibus commune est, ut desiccent, ita metallicis quoꝗ medicamẽtis o-
D mnibus: est enim essentia eorũ terrea, secundum elementaris uidelicet terræ significatum nunc loquendo. Sed quemadmodũ à nobis ex terra figulina dolia, & fictilia, ollæꝗ, & alia eiusmodi parantur, per ignem, qui torrendo humiditatẽ absumit, durata, eundem in modũ in terra, caliditate diutina mistã ex terra & aqua, nonnunꝗ etiã aere, substantiã uniente temperanteꝗ, ac postea desiccãte, metallicorũ medicamentorũ proueniunt cõsistentiæ. Porrò locorũ in quibus hæc proueniunt, natura, prout plus minusꝗ est frigida, alia plus, alia minus congelat ac cogit. Quemadmodum itaque in terræ differentijs plurima inest essentia terræ elementaris, paulum uero aeris: ita in metallicis multum immistũ est igneæ substãtiæ. In medio eorum sunt lapides. Proinde pleraꝗ metallicorum medicamentorũ alia semel aut bis, alia uero frequẽtius

lota

lota, idonea sunt ad desiccantes sine morsu facultates. Atq; hæ sunt cōmunes rationes quas præscire oporteat. Deinceps uero dicētur quæ cuiq; singulatim sunt propriæ, idq; iuxta literarū, à quibus appellationes incipiunt, ordinem.

Hales. Sales. Cap. 30

Sal partim ex mari prouenit, in salinis uidelicet, quas Græci uocāt halas, cuius & inter marina medicamenta mentionem facturi sumus: partim ex terra effoditur, Græci ὀρυκτὸς ἅλας nominant, cōmuni metallicorū genere cōprehensus. Vtriq; uis adsimilis est, siue fossilis sit, siue ex mari oriundus. De quibus et supra uerba fecimus libro quarto, eo loco ubi salsum ac salsuginosum saporē ab amaro distinximus. Ac nunc quoq; dicetur, q; aphronitri quidē amarus est & abstergens: salis uero tanto in abstergēdo inferior est, quantū accesit adstrictionis. Est ēm ex duabus qualitatib. mistus abstergēte uidelicet, & adstringente. Porrò quòd magnopere uterq; desiccet, supra monstratum est: Cæterum utriusq; in medio est spuma litri.

Armeniacum. Cap. 31

Armeniacum uim habet extergentem cum leuicula acrimonia, & leuissima adstrictione. Itaque tale cum sit, ocularibus miscetur facultatibus. Et ipso per sese quoq; ad pollinis leuorē redacto, utuntur sicco ad pilorum in superciliis incrementum: nempe ubi præ humorum acrimonia partim excidunt, partim uero nec crescūt, nec aluntur. Siquidem depastis his acrimoniis, in bonum naturæ habitū pars reducitur, cuius cum alia sint munera, tum etiam producendi, incrementū præbendi, ac roborandi qui in superciliis sunt pili: quippe cum prima & ex professo quædam sint medicamentorum opera: quædā uero mediante natura, quæ animantiū corpus dispensat, edunt, uelut quæ in ipsis calliblephara nuncupant. Ipsa enim partes oblæsas mediocriter desiccant, pilos corrumpentē humiditatē absumendo, quæ ubi abolita est, tum natura ad proprias redit actiones, nimirum sublatis quæ hactenus impedimento fuerant.

Arrhenicum. Auripigmentum. Cap. 32

Arrhenice, siue arrhenicum (utroque enim modo appellitāt) facultatis est causticæ, siue urentis, idq; tam combustum quàm ustionis expers. Cæterum id constat ustione reddi tenuiorum partium. Vtuntur porrò eo ceu adurente ad denudandam pilis partem quamuis. Verum si diutius inhæreat, nec cuti etiam ipsi parcet.

Aphrolitrum. Cap. 33

Aphrolitrum ab aphonitro differt. Litri enim aphros, hoc est spuma, medicamentum est exsiccatorium, aspectu triticeæ farinæ similis. Etenim alba est, non ut asiæ petræ flos, cinericea. Aphonitrum uero farinæ speciem nō habet, neq; solutum est, sed cōgelatum & coactum, quo qui in balneis sordes exterunt, quotidie utuntur: ea detergendi facultate, ut nō modo sordes extergeat, sed etiam pruritum sanet, nempe digerendis quæ ipsum excitāt saniebus. Non abs re itaq; medici ex eo multa digerentium medicaminum præparant. At spu-

A ma litri, eiusdem quidē cum litro tum naturæ, tum facultatis est, cæterum essentiæ tenuioris. Dictum tamen paulo ante est, aphrolitrum in medio consistentem habere facultatē aphonitri & salis. Aphonitro enim sola inest uis extergendi: sali uero etiam astringēdi. Aphrolitro uero, ambæ facultates sunt. Verum adstringens modica, extersoria uero multò amplior.

Gypsus. Gypsum. Cap. 34

Gypsum & ipsum ad cōmunem omnium terrenorum lapidosorumq; corporum facultatem, qua desiccare dicta sunt, insuper hoc adiūctum habet, quòd est facultatis emplasticæ. Vnitur enim ipsa ad sese, & cogitur lapidescitq; macerata. Quamobrem siccis medicamētis, quæ ad sanguinis accom-
B modantur eruptionem, utiliter cōmiscetur. Nam ipsa per sese lapidosa fit coacta ac cōgelata: proinde rigare diluereq; illam excogitaui tenui alboq; oui liquore, quod ad ophthalmias utile est, admisto quod in farina triticea est pollinis tenuissimi, qui in parietibus molarum residet. Excipere uero quod sic maceratum est tenellis leporis pilis, aut qui perinde sunt molles, expedit.

Gypsum κεκαυμένον, hoc est, deustum.

Gypsum combustum non æque emplasticam uim habet, cæterum tenuiorum est partium, & ualentius desiccat. Quin & repercussorium est, maxime si maceretur oxycrato.

Diphryges. Cap. 35

Diphryges mistam habet tum qualitatem, tum
C facultatem. Habet enim in sese quiddam & mediocriter adstringens, mediocriter acre: quamobrem ulcerum rebellium optimum medicamē est. Conuexi autem & huius medicamenti uim ingentem ex Cypro Solis, ubi metallum ab urbe abest, quasi triginta stadiis. Proiectum enim erat in medio spacio ædium quæ ante metallum extructæ erant, & uici qui ei subiacet. Cæterum præfectus ac procurator metalli, id quod post cadmiam reperiretur, esse dicebat inutile: itaq; abiici non secus atq; ustorum in foco lignorum cinerem. Verum hoc mihi multo utilissimū factum est medicamentū, tum ad putrescentia oris ulcera, siue per se, siue cum melle cui detracta sit spuma: tum ad anginam, uidelicet ubi iam per adstringentiū medicaminū auxilium
D constitit quod influebat. Præterea columellā ubi præsecuissem, ipso solo & statim, & usq; ad cicatricem sum usus, ac frequenter exacte occlusam effecit cicatricē tum huius particulæ, tum omniū adeo exulceratorū: sic in ulceribus omnibus pudendorum, atq; ani. Vsus aūt similis est ut in oris ulceribus: siquidem eæ partes eisdem ferè medicamētis gaudent, nimirū calidæ similiter ac humidæ. Verū hæc oratio iam tractatum de cōponendis medicamentis attingit. Ea itaq; omissa, ad id quod propositum est pergamus, uniuersalem medicamenti cuiusq; facultatē exponentes, sicut sanè diphrygis diximus. Adiiciā uero huic qui de illo habetur sermoni, rem nō modo de diphryge scitu utilē, sed & de lemnia sphragide, & pōpholyge, & opobalsamo, & lycio Indico. Nam etiamnū adolescens didici

hęc ita præparare, ut à ueris natiuisq; nihil differre uiderentur. Nam qui me docebat ingenti mercede, homo curiosissimus erat, nō in his tantum, sed & alijs similibus. Itaq; in Lemnum, in Cyprum, in Palæstinam Syriam eo studio nauigaui, ut medicamentorum istorum cuiusq; uim magnam, quæ in omnem uitam meam satis forent, reponerem. Sed & lycium Indicū cum aloe Indica id temporis commodum accipere contigit, cum à Palæstina iter reflecterem: cum persuasum haberem, eo ipso quòd à camelis cum tota sarcina aduectum esset, procul dubio esse Indicum: quodq; adulteratum haud nosci ab ijs qui portassent posset, propterea quòd materia, ex qua id præparatur atq; adulteratur, illis in locis haud nasceretur. Porrò satius uisum est mihi, quibus rationibus ea adulterātur, haudquaquam adscribere, utpote cum homines scelerati in lucro ponant talia posse discere. Nec enim necessarium est cum uerorum ac germanorū notis ac indicijs, adulterādorū nosse cōpositiones, cum nihil ad ea discernenda cōferant: imò optem, si queam, quæ à maioribus me perperam conficiendorum atq; adulterandorū medicaminū proditæ sunt compositiones, omnes prorsum delere atq; extirpare.

Theon. Sulfur. Cap. 36

Sulfur omne trahēdi uim possidet, estq; temperamenti calidi, atq; essentiæ tenuis, adeo ut ad multa uenenatorum animalium resistat. Siquidem ego aduersus turturem marinum & draconem sæpenumero eo sum usus: et cum id piscatores quosdam docuissem, reuerso post aliquantum temporis magnifice medicamentū hoc commendarunt. Vsus eius est ut & siccū ictui inspergatur, & cum saliua mistum: nam cum & hoc excogitassem, ab experientia comprobari reperi. Sed & urina maceratum idem effecturum excogitaui. Docebam enim piscatores medicamenta maxime parabilia, dixiq; pulchre illos & cum oleo ueteri, & melle & resina terebinthina usuros. Et sanè horū omnium experiētia iudicium præstitit. Quin & psoras & lichenas, & lepras, nō raro hoc medicamento cum resina terebinthina sanaui. Extergit enim omnes id genus affectus, absq; ut in profundum repellat, cum alia multa medicamenta quæ illos curent, mistam habeant potentiam, nempe ut digerant pariter & repercutiant.

Ios. Aerugo. Cap. 37

Aerugo gustantibus acrem qualitatem offert, digerens, detrahens, & liquans non teneram modo sed & duram carnem. Porrò supra dictum est, nonnullos eius generis medicamenta, epulotica, hoc est, quæ cicatricem inducant, appellare, cum ijs in tenuissimū pollinem tritis per specilli cuspidem contigerint ulcera excrescentia, ac postridie cōtracta reperiant: tametsi illos haud lateat, si paulo plus impositum foret, sese ulcus non contractū, sed erosum inuenturos. Siquidem colliquat & digerit carnem cum medicamenta epulotica contrahant, constipent, constringant, & calli in morem illam indurent. Quin & gustum mordicat ærugo, non tantum ipsa ulcera. Quòd si pauculum eius ce-

A rato non pauco admisceas, id quod ex ambobus mistum est, citra morsum exterget. Dictum uero supra est de talium medicamentorum natura, tum ut sese quidam fallunt, ex talibus cōpositionibus aut sarcoticam, aut epuloticam adscribentes facultatem medicamentis quibus minime oportet, utpote cum ipsa id præstare nequeāt, uerum ea quæ ex ipsis composita sunt.

Cadmia. Cap. 38

Cadmia fit ubi in fornacibus æs paratur, nempe tota terra ex qua æs generatur, in fornacibus in altum egerēte uelut fuliginem quampiam, & fauillam, siue utcunq; appellare libebit. At si non terram, sed lapidem nuncupare uelis, ex quo in fornacibus secernēdo partim fit æs partim cadmia, partim diphryges, nihil sanè retulerit. Sed & in argenteis B metallis efficitur simili secretione siue generatione, aut quomodocunq; uocare uoles. Quin & ex pyrite lapide in fornacibus usto fit cadmia. Cæterum absq; fornace in Cypro cadmia inuenitur: ac iure quispiā illam lapidem nūcupet. Itaq; in Solis, quo tempore ego in insula peregrinabar, paucissimū etiam reliquū erat cadmiæ quæ in fornacibus prouenit. Verum lapidibus qui in montibus & riuis reperiebātur, à metallis profecto acceptis, eos in Asiam Italiāq; portaui ad amicos, à quibus summam inibam gratiā, quòd se uel maximū munus accepisse diceret, & quę alia omi cadmia multo esset præstantior. Et talem certe merito quis lapidosam uocet cadmiā. At eius quæ cōbusta est, aliam botryitin, aliam placitin medici nuncupant: C Botryitin quidem, quæ in editioribus domorū, in quibus fornaces extructę sunt partibus colligitur: Placitin uero, quæ in inferioribus. Ac liquet sanè botryitin partium esse tenuiorum, crassiorum uero placitin, utranq; autem ui desiccādi ceu alia metallica omnia, & lapidosa terrenaq;. Porrò præter desiccandi facultatem mediocriter item extergit. Attamen quæ in fornacibus colligitur, igneæ facultatis aliquid habeat necesse est. Merito itaq; lauantes eam, medicamentum efficiūt mediocriter tum desiccans, tum extergēs absq; mordicatione, utile ad ulcera carnis impletionem poscētia, & in oculis, & in toto corpore. Porrò ulcera magnopere humida aut putrescentia in corporibus impendio mollibus, qualia sunt eunuchorum, puerorū, D ac mulierū, eiusmodi cadmia adiuuat. At in durioribus & cōtentioribus, quæ ualentius desiccant requiruntur. Itaq; illud semper memoria tenendum, sermonē ad temperatā & mediam excessuū naturam in ijs quæ ita simpliciter efferūtur, referendū: puta, cum dicimus medicamentū aut ulcera carne implere, aut cicatrice claudere, aut aliud quiduis eius generis præstare, ad quam utiq; & nos respicientes, leuiter desiccatoriā abstersoriāq; cadmiæ inesse facultatē dicimus. In caliditatis autē & frigiditatis differentia, temperata quodāmodo existit cadmia, nempe neutrum insigniter efficiens.

Cinnabari. Cap. 39

Cinnabari modice acrem facultatem obtinet. Habet uero & adstrictionis quippiam.

Ciseris. *Pumex.* *Cap.* 40

A Pumicem si inter metallica recenseas, calumniabuntur quibus animus prurit accusandi libidine, & si inter lapides ponas, lapidem esse negabunt: ac multo minus terram esse concedent, nec marinorum haberi quodpiam uolent. Atqui alicubi tamen de illo dicendum est: quippe qui in sarcotica indatur medicamenta, & ea quæ dentes extergunt, partim ustionem nō expertus, partim etiam ustus, quando uidelicet, alijs omnibus combustis similiter, substantiæ efficitur tenuioris. Cæterum ustione quiddam acquirit acrimoniæ, quam rursum lotione exuit. Videri autem poterit splendorem conciliare non tantum facultate, sed etiam asperitate: uelut etiam si smirin, aut testam, aut hoc
B genus quippiam tritum admoueas. Quæ certe & ipsa splendorem afferunt, forte utroq;, tum quia detergendi habeant facultatem, tum quia asperitatem. Eundem in modum cornua deusta dentes splendidos efficiunt.

Conia. *Lixiuium ex cinere.* *Cap.* 41

Lixiuium, abluto cinere fit lixiuium. Cinerem autem, ustorum corporum reliquias Latini nuncupant, siue natura sint lapidea, siue arborum animalium'ue particulæ. Fit ergo lixiuium pro eius quod eluitur natura: eius quidem quod empyreuma, siue igneam naturam habet acerrimam, ipsum quoq; acerrimum est, eius quod tale nō est, etiam moderatius. Quare & septicis uocatis facultatibus commiscetur, utpote causticam caliditatem possidens, sed propter substātiæ tenuitatem citra
C dolorem adurens.

Cyanos. *Cœruleus.* *Cap.* 42

Cyanos siue masculino, siue fœminino genere pronunciare uelis: hoc medicamen acri facultate est tum detrahendi, quā καθαιρετικὴν uocant, tum digerendi, potētiore quàm Cinnabari. Inest quoq; ei nonnulla adstrictio.

Lepis, id est squama æris & ferri. *Cap.* 43

Squama alia est æris medicamen, multo utilissimum: alia ferri & stomomatis. Quidā uero nominant & helitin lepida siue squamam. Omnes sanè uehementer desiccant. At inter sese diuersæ sunt, tum quòd alia magis, alia minus exsiccat: tū quòd alia crassioris, alia tenuioris sit essentiæ: quodq;
D plus minus'ue adstrictiōis sint participes. Helitis certe principem in desiccādo locū obtinet. nam & subtilissimæ omniū substantiæ est: nimirū quæ & æruginis nonnihil assumpserit. Maiorem obtinet adstrictionem squama ferri, & hac etiā maiorem stomomatis: quamobrem ad contumacia ulcera meliores sunt quàm squama æris. Detrahit & liquat carnem potentius squama æris, & hac etiam ualentius helitis. Omnes autem squamæ nō instrenue mordaces sunt. Ex quo clarum est, quòd essentiæ ipsarum consistentia nō admodum tenuis est, sed potius crassa. Siquidem inter quæ eādem uim obtinent, minus est mordax quod est tenuius: ceu superioribus libris ostendimus.

Lithargyros. *Cap.* 44

Lithargyrus desiccat quidem uelut alia omnia metallica, lapidea, terrenaq; medicamenta, uerum omnium id efficit moderatissime: & secundū alias tum qualitates, tum facultates quodammodo in medio est, neq; manifesto excalfaciens, neq; refrigerans: modica tamen adstringendi abstergēdiq; facultas ei inest: quamobrem inferior est & sarcoticis medicamentis, quæ mediocriter extergentia ostendimus, & contrahentibus atq; adstringentibus. Cæterum ad intertrigines femorum utilis medela est: quandoquidem utriusq; iam dictæ facultatis leuiter est particeps. Iure itaq; medij ordinis in metallicis habebitur. Proinde ea freque̅ter utimur ceu materia ijs miscentes quæ ualente̅ facultatem obtinent siue mordicantem, siue adstringentem, sicut in liquescētibus ad pleraq; medicamenta ceram adhibemus tanquam materiam, quia scilicet & ipsa quodammodo medium tenet eorum quæ ualentem facultatem possident.

Litrum. *Cap.* 45

Litrum dictū est suprà in medio esse aphronitri & salis uiriū: cæterū ustum propius ad aphrolitrū accedit, utpote exustiōe tenuius redditū. desiccat itaq; ac digerit: & si intro in corpus sumatur, secat & extenuat crassos lentosq; succos potētius multo q̃ sal. Aphronitrum uero, nisi grauis urgeat necessitas, deuorandum non est, nimirū inimicū stomacho: quandoquidem plus etiā litro incidit. Sanè ad fungos suffocantes, rusticus quidam uti eo assolet: & semper profuisse probatū est. Cæterum litro usto simul & non usto, & multo etiam magis eius spuma in talibus uti consueuimus.

Melanteria. *Cap.* 46

Melanteria ex medicamentis est multū adstringentibus, cum hoc quòd oīa propemodum adstringentia tenuitate exuperet.

Melan graphicū. *Atramentū scriptorium.* *Cap.* 47

Atramentū quo scribimus, admodum & ipsum desiccat aqua solutum: ulcera autem igni ambusta protinus illitum iuuat: at si acetum quoq; habeat, multo magis.

Misy. *Cap.* 48

Misy in metallo Cypri, cuius modo mētionem feci, in montibus Solorū, domus erat ingēs, cuius ad parietem dextrū, sed ad nos utiq; qui ingrediebamur sinistrum, descensus erat in ipsum metallum, in quo quasdam conspexi in longissimū porrectas ueluti zonas alias super alias, numero tres: infima erat ipsius soreos, super quam erat altera chalciteos, suprema misyos. Cæterum id temporis præfectus metalli, his commonstratis: Sicut, inquit, nunc aduenis in cadmię fornacarię inopia, ita horū trium admirandas has uides diuitias. Itaq; ego ingenti eius acccepto pondere, primum quidem in Asiam, deinde Romā attuli, & usq; modo habui, elapsis iam annis plus minus triginta. Et forte quadam absolutum fuit hoc opus adusque octauum librum ante annos uiginti, nec adiectus fuit nonus, partim quod lapides quosdam nōdum cōspexissem, partim ob alia negocia quæ mihi interea temporis obuenere. Nunc autem cum nonum hunc librum cæteris addere pararem, interea

forte

forte fortuna mihi accidit res spectatu longe pulcherrima, ac si quispiam eo studio ac industria magno cum artificio effecisset. Nam cum misy opus haberem ad medicamen quodpiã præparandum, bolum eius accepi, quam ferè plena manu teneas, qualem sanè consistentiam misy nõ admodum solet habere, cum in parua frustula diuidatur. Miratus itaq; insolitam eius condensationem, bolo fracta, extimũ quidem misy circumquaq; reperi eius quod intus erat uelut efflorescentiam. Porrò sub eo, inter chalcitin uidelicet & misy, quiddam erat medium uergens ex chalcite ad misy, ex dimidio iam cõmutatum: principio enim bolus fuerat chalciteos, ceterũ quod in alto erat, perfecta erat chalcitis, nullam dum alterationem experta. Hoc igitur ubi uidissem, cogitatione repetens & in metallo ita super chalcitin nasci ipsum misy, ut ęrugo super æs, in mentem subijt inspicere quod seruabatur adhuc apud me reliquũ ipsius soreos, nunquid & ipsum ullam accepisset mutationem in chalcitin: & quædã certe apparuit suspicio, ut uideret & ipsum forte longo tẽpore mutationem in chalcitin posse accipere. Itaq; mirum non est, tria hæc medicamina eiusdem genere facultatis esse, sori dico & chalcitin, & misy, tenuitate & crassitudine inter se diuersa. Crassissimũ enim est inter ipsa sori, tenuissimum misy, mediam utriusq; facultatem habet chalcitis. Adurũt uniuersa hæc tria, & eschăras quas uocant efficiunt. Attamen etiamsi urant, nonnihil quoq; adstringunt. Cæterum misy admotum corporibus duris minus chalcite mordicat, tametsi ea non minus sit calidum: uerum id habet beneficio tenuitatis. Porrò cum utraq; hæc in decoctionibus fundantur, & magis chalcitis quàm misy, sori tamen non liquescit, nimirum quòd lapidosius sit ac uehementius compactum: sicut rursum misy quia à congenito calore elaboratius est, ac proinde siccius chalcite, idcirco merito quoq; ægrius liquescit.

Molybdæna. Plumbago. Cap. 49

Molybdæna similem lithargyro uim possidet, tantũ à media temperie ad frigidius paulum quid recedens. Sed nec abstergentis facultatis est particeps. Vtraq; autem hæc medicamina liquari possunt, ac nõ ut lapides, & cadmia, & arena liquationem respuunt, sed celerrime liquãtur, ubi oleo additum nonnihil aceti est: liquantur tamen etiã admista aqua, sed diutissima coctione. Porrò ceu in Cypro Cadmiam, quæ in montibus & riuis nascitur, accipiebã, quæ & ipsa lapidis, ut dixi, species est: ad eundem modum Molibdænam multã cum alijs proiectam lapidibus conspexi in uia quæ ad Ergasteria ducit à Pergamo. Vocatur autem Ergasteria pagus quidam in quo metalla sunt, inter Cyzicum & Pergamũ, quadringentis & quadraginta stadijs distans à Pergamo.

Molibdos. Plumbum. Cap. 50

Plumbum facultatis est refrigeratoriæ. Siquidẽ non modo multam habet substãtiam humidam à frigore cõgelatam coactamq;, sed & aeream, paucam autem terream. Igitur quòd plurimam habet

A essentiæ humidæ à frigore coactæ, indicium tibi esto, quòd ubi admotum est igni, celeriter fundatur fluatq;. Quòd uero & aereæ sit particeps, hoc habeto signum. Omnium quæ nouimus, unicum plumbum tum mole ipsa, tum pondere augetur, si condatur in ædibus subterraneis aerem habentibus turbidum, ita ut quæcunq; illic ponantur, celeriter situm colligant. Tum etiam plumbea statuarum uincula, quibus earum pedes annectuntur, sępenumero creuisse uisum est, & quædam adeo intumuisse, ut ex lapidibus dependerẽt crystalli modo uerrucæ. Atque hæ probabiles quidem sunt humiditatis eius frigiditatisq; notæ, prius q̃ experiaris: cæterum scientificæ & certę per experientiam cognoscuntur. Præparato igitur mortario, simulq; B pistillo, utrisq; ex plumbo, infunde quemlibet liquorum, itaq; terito ut & pistillus, & plumbeum mortarium succum quendam reddat, id quod ex utroq; constabit, multo erit frigidius quàm liquor ipse fuerat. Licet autem & aquam, & uinum tenue aqueum, & oleum inijcere, aut quiduis eiusmodi. At si etiam plus efficere succum uoles refrigeratorium, oleum omphacinum sit, aut rosaceũ, aut melinum, aut myrtinũ. Porrò si succo qui proueniet uti uoles, optimum habebis remedium & ad phlegmonas in sede cum ulcere aut rugis augescentes, & ad eas quæ in pudendis, testibusq; & uberibus consistunt: similiter aduersus cæteras omnes fluxiones incipientes, quæ aut in inguina, aut in pe- C des, aut in alium quemuis articulum decumbunt. Sed & ulceribus rebellibus utile est. Nam ad cancros eo utens, uirtutem medicamenti mirabere. Quòd si celeriter multum succi plumbei uoles colligere, conare in sole terere, aut quocunque certe modo aere excalfacto. Multo autem utilissimum habebis medicamentum, si adfuso refrigerantium succorum quopiam teras, ceu semperuiui, cotyledonis, intybi, lactucæ, chõdriles, psilij, omphacis, portulacæ. Porrò si qua horum non facile in succũ soluuntur, uelut portulaca, misceto illis aliorũ succorum quempiam, uelut omphacis, qui & ipse per sese prædicto mortario inditus, medicamentũ efficit refrigeratorium longe pulcherrimum. Quin & in laminam diductum plumbum ipsum per sese athletarum sese exercitantium lumbis insternitur, D ubi Veneris somnijs uexãtur scilicet: nimirũ haud obscure eos refrigerans. Sed & bractea tenuis pro beganglio illigata planè ipsum dissipat. Illigabit autem probe quisquis ab Hippocrate didicerit in ipsam noxam potius firmandum, quàm hinc uel inde. Mirum ergo nõ est, si plumbum crematum, ac rursus ablutum, refrigerantis efficiatur facultatis, cum ante lotionem mistæ fuerit. Et hoc ipsum medicamen, nempe plumbum combustũ, bonum est ad ulcera rebellia. Vbi uero lotum fuerit, multo optimum medicamen est & ad ulcerum impletionem, & ad eadem cicatrice obducenda. Conuenit & Chironeis quæ uocant ulceribus, & cancrosis omnibus, & putredinosis, tum ipsum per sese, tum medicamినum ad cicatricem perducentium, quibusdam commistum, quale est quod ex Cad-

mia conficitur. Cæterum soluẽdum est principio, A si copiosa sit sanies, quotidie: si minus, tertio aut quarto quoq; die. Verum foris spongiam imponi to aquæ frigidæ, quæ si desiccetur, rursum mergatur. Sed hæc fusius quàm pro instituto diximus, plusculum sermonis affinitate prouecti. At tẽpus iam est sequentia deinceps persequi.

Ostracon. Testa. Cap. 51

Testa desiccãdi uim possidet, atq; abstergendi, maxime quæ ex fornacibus est, quòd uidelicet tosta sit. Quocirca Emplastrus quã uocant Hephestiada, ex hac præparata uidelicet, optimũ est medicamen inducendæ cicatrici.

Pompholyx. Spodium. Cap. 52

Pompholyx fit & in æris fornace, uelut & Cadmia: fitq; & dum in fornacibus Cadmia uritur, ut B in Cypro. Cum enim præfectus ad æris fornacem instructas res non haberet, præcepit ex ipsa Cadmia præparari (præsentibus atque inspectantibus nobis) pompholyga, uidelicet minutis Cadmiæ fragmentis in ignem coniectis, qui ante ærarium iacebat follem. Camera erat incurua, nusquam pertusa, sed integra, quæ egestam ab usta Cadmia fauillam excipiebat, quam ubi collegissent, habebãt pompholyga. At quod reflectens in pauimentum recidebat, spodos est quam uocant, quæ plurima ubi æs in fornacibus uritur, colligi assolet. Quidã eam spodium neutro genere pronunciant: Cui uidetur similem habere facultatem quod uocãt Antispodium. At ego illo usus sum nunquam, cum large mihi semper pompholyx suppeteret. Nec e- C nim quisquam ubi hæc adsit, spodio uti uelit, nedum antispodio. Est autem pompholyx medicamentum propè omnium quæ citra morsum desiccant, si elota fuerit, præstantissimum: quamobrem ad ulcera cancrosa idonea est, & ad alia omnia maligna. Itaq; inditur collyrijs quæ ad oculorum imponuntur fluxiones, quæq; bullas siue pustulas in eis natas curant. Præterea ad pudendorum ac sedis ulcera optimum est medicamen, nimirum sine morsu desiccans. Sed non est huius negocij in istis diutius immorari.

Sandarace. Cap. 53

Sandarace urentis est facultatis, ceu Arsenicum quod uocant. Merito itaq; eam digerẽtibus facultatibus commiscent, atq; extergentibus. D

Sandix. Cap. 54

Sandix qua sit facultate prædita, in sermone de psimythio explicabitur.

Scoria. Cap. 55

Scoria omnis resiccatorium medicamen est, potissimum autem ferri. Siquidem ad leuorem redigens ipsam in aceto quamacerrimo, postea'que decoquens, ad aures quæ longo iam tempore pure fluxerunt, ea utor pro medicamento maximè exsiccatorio, adeo ut mirentur qui præparantem me uident, & ante rei periculum fidem non habeant, aures tale posse ferre medicamen. Porrò argẽti scoriam proprie helcysma appellant. Verum emplastris quibusdam resiccatoriæ facultatis commiscetur.

Stimmi. Cap. 56

Stimmi, ad facultatem desiccantem adiunctam habet hoc medicamen adstrictionẽ: quamobrem & ocularibus medicinis commiscetur, & illis scilicet quæ conformantur in collyria quæ uocant, & siccis, quæ utiq; sicca collyria cognominant.

Stypteria schiste, strongyle, & hygra. Alumen fissile, rotundum, & humidum. Cap. 57

Stypteria, huius medicamenti nomen ab adstrictione deductum est: nam adest illi uehementissima. Cæterum cum sit crassarum partium, tenuior quodammodo est quæ uocatur schiste, hoc est fissilis: proxima est strongyle, & astragalotis. Admodum autem crassa est, tum liquida, tum placitis, & plinthitis appellata.

Titanos. Calx. Cap. 58

Calx, uiua quidem, quæ ἄσβεστος græce dicitur, uehementer urit, adeo ut crustas efficiat: extincta uero protinus etiam crustam molitur & ipsa: at post diem unum aut alterum minus urit, minus'que inducere crustam potest. At uero temporis progressu prorsum nec crustam quidem gignere queat, tametsi etiamnum calfaciat, carnem'que liquet. Porrò si lauetur in aqua, suam mordacitatem exuit, efficitq; nuncupatam græce κονίαν, (latine lixiuium.) At ipsa absque morsu resiccat: ac si bis ter'que, aut amplius abluta fuerit, planè mordacitatis expers constituitur, ac strenue absque mordacitate exsiccat.

Hydrargyros. Cap. 59

Hydrargyrus non est ex sponte nascẽtibus medicamentis, sed ex ijs quæ præparantur, uelut psimythium, ærugo, psoricum, lythargyros. Nullum autem eius feci periculum, neq; quod interimat, si deuoretur, neq; ubi foris admota sit.

Phycos. Cap. 60

Phycos cuiusnam sit facultatis, ubi de psimythio agetur, exponam.

Chalcanthos. Atramentum sutorium. Cap. 61

Chalcanthos. Forte fortuna & chalcanthum in chalcitin transire cõspexi. Asportaui enim ex Cypro & huius medicamenti ingentem copiam. Extimum eius omne post annos plus minus uiginti chalcitis effectum est, intima eius parte chalcãthi speciem seruante. Quamobrem & usque in hunc diem quod sic mutatur, asseruo, obseruãs dum ad imum usque uoluẽtibus annis procedat mutatio, ceu chalcitidis quoq; in misy: ut est antè positum. Cæterum mirari subit de hoc medicamento, quo pacto uehementissimæ adstrictioni admista est caliditas nõ instrenua. Constat ergo quòd omnium maxime condire seruare'que carnes humidas potest, nimirum caliditate humiditatem absumens, atque adstrictione substantiam contrahens atque constipans: hoc enim opere nonnihil etiam humiditatis ipsius exprimit. Constringit uero, desiccat, atque contrahit in sese totius substantiam carnis. Porrò quo tempore in Cypro diuersabar, hunc in modum medicamentum hoc colligi cõspexi. Domus erat magna quidem, sed humilis, ingressui in metallum obiecta. Ad parietem autem domus sinistrum

A niſtrum, qui erat ingredientibus dexter, effoſſus erat ſpecus in continentem collem, ea latitudine, ut tres ſeſe uiri in eo contingerent, tanta uero altitudine, ut uiro ſumme procero recto liceret incedere: Specus hic decliuis quidem erat, ſed non planus, uerũ multis locis præruptus. Porrò ad finem eius quaſi in ſtadium porrecti, lacus erat aquæ uiridis & craſſæ, calore tepenti. At in toto deſcẽſu calor ſimilis qualis in primis balneorum ædibus percipitur: quas, quòd in eis corpora præmolliri ſoleant, promalacteria appellare conſueuerunt. Aqua uero quotidie guttatim ex pertuſo colle deſtillans, quatuor & uiginti horis totius diei ac noctis colligi aſſolet ad amphoras Romanas quaſi octo. Eam uincti quidã in piſcinas quaſdam quadratas fictiles in domo ad ingreſſum poſita ſitas B efferebant, in quibus paucis diebus concreſcebat fiebatq; chalcanthus. Mihi uero ubi ad terminum effoſſi ſpecus deſcendiſſem, ubi uidelicet tepida hæc uiridiſq; aqua colligit̃, æris odor uiſus eſt ſuffocans, & toleratu difficilis, chalcitin æruginemq; redolens. Et aqua quoq; guſtu præferebat qualitatem eiuſmodi. Ea propter & nudi, & cum ſumma feſtinatione amphoras uincti exportabãt, nec longiorem illic moram perferre poterant, ſed celeriter recurrebant. Accenſi autẽ erant mediocribus in ſpecu interuallis lychni, qui nec ipſi longo tempore durabãt, ſed celerrime extinguebãtur. Hunc ergo ſpecum pedetentim excauatum multis annis, ab ijs tunc didici. Hæc enim, inquiebant, aqua uiridis quam uides ex colle in lacum manantem, C ſenſim ſeipſa minor effici aſſolet. At ubi propè adeſt ut deſinat, rurſum uincti, quod continens eſt ipſius collis, perfodere pergunt: euenitq; aliquando olim ut ſubito quicquid perfoſſum eſſet, concideret, omneſq; ad unum occideret, ac totam uiam corrumperet. Id ubi fit, alio foramini fodiẽdo eouſq; inſiſtũt, quoad rurſum aqua illis adſit. Hæc habui quæ tibi de chalcantho exponenda cenſerem, & ſanè fortaſſe non neceſſaria, cæterum quæ ſcire præſtaret quàm ignorare. Memineris autẽ, quòd ad ſiniſtram manum ingredientibus conſpectum nobis dixerim metallum ſoreos, chalciteos, & miſyos: ut ex his conijcere liceat, aquam pluuiam totius collis terram illam colluere atque abluere, ex D qua ſponte quidem fiebat ſori, miſy, & chalcitis: & per fornaces æs, cadmia, pompholyx, ſpodium, & diphriges.

Chalcitis. Cap. 62

Chalcitis, dictum de ea eſt in ſermone de Miſy: nunc autem tantum dixiſſe ſufficiat, quòd miſtas habeat adſtringentem acremq; facultates. Cæterum uincit acris, ut quæ adeo eſt uehemens, ut carnem urat, uocatamq; eſcharam efficiat. Vſtum hoc medicamen minus quidem mordicat, cæterum nonminus deſiccat: ſed & adſtrictionis non parum remittit. Itaque undequaq; melior eſt chalcitis uſta quàm quæ non uſta eſt, nempe partibus

tunc quidem tenuioribus redditis, ceu alia omnia combuſta, uerum haud aſſumpta acrimonia, uelut in alijs multis accidit. Didiciſti porrò, quòd uſta omnia ſi lauentur, moderatiora reddantur, minuſq; mordacia.

Chalcos cecaumenos. Aes uſtum. Cap. 63

Aes uſtum habet & acrimoniam quandam, ſed & adſtrictionis eſt particeps. Proinde ſi lauet̃, pulcherrimum eſt medicamẽ, inducẽdis cicatricibus: quanq; idipſum præſtare & antequã lauet̃ poſſit, potiſſimum in carne duriore: alioqui in molliore commodius eſt quod ablutum eſt.

Chalcu anthos. Flos æris. Cap. 64

Flos æris tenuioris eſſentiæ eſt, q̃ aut æs uſtum, aut ſquama. Merito itaq; ex eo factis collyrijs extergunt auferuntq; ſuperciliorum magnas aſperitates, quas uocant ſycoſ*e*s.

Chryſocolla. Cap. 65

Chryſocolla, & hoc medicamentum ex ijs eſt quæ carnem liquant, non tamen ualenter mordicat, quanquam ſit facultate admodum digerente deſiccanteq;. Igitur quidam id modo quod in metallis inuenitur, ita nominant: alij uero id quod in æreo mortario piſtilloq; æreo ex pueri urina præparatur: id quod quidam inter æruginum differentias numerant. Satius uero eſt ipſum præparare tempore æſtiuo, aut certe aere prorſum calido, urinam in mortario terentes. Præſtat autem æs, ex quo mortarium piſtillumq; conficias, rubrum ſit. Nam quo æs mollius fuerit, eo plus circumagendo piſtillo deteritur. Hoc medicamentum aptiſſimum eſt ulceribus contumacibus, tum per ſe, tum alijs miſtum, ut in opere de componendis medicamentis referetur. Nunc autem id nouiſſe ſat eſt, quòd quanto plus quàm chryſocolla metallica deſiccat, minuſq; mordicat, tãto etiam ipſam excellit tenuitate. Ipſam tamen chryſocollam illam ſi uras, multo tenuiorem efficies.

Pſimmythium. Ceruſſa. Cap. 66

Pſimmythium, & hoc medicamẽ teſtimonium præbet modo dictæ facultati. Nam ſi ex acri aceto ſoluatur, guſtu tamen neq; acre erit, neq; mordax, ſed emplaſticum & refrigeratorium: facultatis æruginì diſsimillimæ, tametſi & illa conficiatur aceto æs diſſoluente. Porrò ceruſſa aduſta, in ſandyca quam uocant, tranſit, medicamentum ſeipſo tenuius, nondum tamen excalfaciẽs. Phycos autem ſeruata ceruſſæ frigiditate, tenuitatem aſſumpſit, ut per eam in profundum altumq; corporum quibus admouetur, uis eius penetrare ualeat.

Pſoricum. Cap. 67

Pſoricũ, Conficitur hoc medicamẽ dupla chalcite admiſta lithargyro: antè tamen utriſq; aceto acerrimo ſolutis, ſicq; in ollam nouam coniectis, quam fimo æſtate media diebus quadraginta obrutam ſepelies. Hoc medicamẽ deſiccatorium eſt, ſimulq; minus chalcitide mordax: nimirũ cum partibus conſtet tenuioribus.

Procœmium. Summatim argumenta præcedentium huius operis librorum omnium perstringit: & ꝙ deinceps ea remedia perscripturus sit quæ ab animalibus sumuntur (In hoc quidem libro ab excrementis: in undecimo autem ab ipsis animalibus aut partibus eorum: & circa finem eius de marinis quibusdam rebus) Deinde inuehitur in Xenocratem & similes, qui humanas partes aliquas & excrementa omne genus, quorum multa abominanda sunt, in remedijs posuerūt etiam intra corpus sumendis: Postremo in eos qui noxia medicamenta literis mandant. Cap. 1. De sanguine. 2. De suillo sanguine, & columbino, cum experimentis. 3. De columbino sanguine (uide etiam circa finem præcedentis capitis) cum experimento. Laus rosacei ad ossa caluariæ pertusa. 4. De sanguine uespertiliōis, capræ, galli & gallinæ: agni & hœdi cū aceto ad hæmoptoicos: Vrsi deniqꝫ capræ & hirci & tauri ad abscessus. Reprehendit autem hoc & duobus sequentibus capitibus, curiosa & exquisita nimis & superstitiosa pharmaca. Imprimis autem hoc capite, & posteriore parte præcedētis, damnat curiosum usum ex sanguine animalium quorundā, quorum loco promptiora alia & præstantiora medicamenta habemus. 5. De sanguine uiridium ranarum paruarum & ricini, falsum esse non renasci pilos palpebrarum, si euulsis eis illinantur. 6. Quòd sanguine crocodili, equorum admissariorum: & murium nunquam uoluerit uti. 7. De lacte. Lactis optimi notæ. Lac abluit ut aqua, illinit ut adeps, abstergit que seri ratione. Quorum animalium lacte utendum. Butyrum uide etiam sequens caput. 8. Serum lactis. Quomodo igniendum sit lac cum lapidibus. Lactis integri facultates cum aliæ multæ, tum contra uenena. Mendacia de canino lacte. 9. De caseo. Experimentum de caseo uetere ad poros in arthritide: & aliud quod caseus nouus uulnera glutinet. 10. De butyro (de quo etiam in fine capitis septimi) cum experimentis suis 11. Coagulum, cum experimento. Phocæ coagulū. 12. Fel aut bilis. Nomen & colores fellis. De tauri felle pluscula.

A Differentiæ eius ex colore & substantia. Fella diuersa, quadrupedum, auium, piscium. 13. De sudore (obiter quid temperie ambientis significetur) sapore & colore eius: Et quid medici de eo scripserint, nisi uel superstitiosa quædam, uel superflua, id est quæ commodius per alia medicamenta efficiantur. Experimentum ad bubonem. 14. De urina. 15. De humana urina, & potu contra pestem, alijsqꝫ uiribus. Experimentū ad ulcera, & pedes offensos. Chrysocolla quomodo fiat ex pueri urina, deqꝫ usu eius ad ulcera maligna: Vide supra lib. 9. cap. 65. Sedimenti urinæ usus ad erysipelata. Vrinæ potum ad orthopnœam non laudat, quando quidem frustra eam expertus sit: nec alias ob causas intra corpus sumi approbat. 16. De sputo, & remedijs ab eo expertis. Quòd uenenosis animalibus præcipuè scorpijs aduersetur. 17. De his quæ in corpore cōtra naturam gignuntur, ut calculus uesicæ, pus: ꝙ non adhibenda sint pro remedijs. 18. De stercore: nō utendum esse humano: sed bubulo, caprino, &c. quæ minus fœtent. 19. De canino stercore & eius experimētis.
B 20. De humano stercore: & experimentum contra periculum suffocationis ab inflammatione circa fauces.
21. De lupino stercore, & experimēto eius ad colicā.
22. De caprino stercore, cum experimētis aliquot: Et ꝙ parabilib. huiusmodi, quæ homines auersari solent, alijs tantum remedijs destituti, & in duris rusticisqꝫ corporibus utendum sit. De excrementorum qualitate & differentia in genere. 23. De bubulo stercore, cū experimentis Mysi medici. 24. De ouillo stercore, cū experimētis eiusdem. 25. De columbino stercore, cum suis experimentis. Qui affectus phœnigmo indigeant.
26. De gallinaceo fimo, cū experimentis. 27. De fimo anserum & ciconiarum: & ꝙ quidam falso ciconiarum fimum ad epilepsiam & dispnœam conferre scripserint. 28. De muscerda, qua quidā ad alopecias utebatur: alius glandibus, quæ supponuntur, miscebat.
C 29. De fimo crocodili terrestris, & sturnorū. 30. De sordibus aurium, & cutis humanæ: & œsypo.

GALENI DE SIMPLICIVM MEDICAMENTORVM FACVLTATIBVS,

Liber decimus.

PROOEMIVM.

NIHIL eorum quæ nunc dicenda ueniūt, magnopere iuuare poterit eos qui ea quæ principio huius tractationis, primis uidelicet quinqꝫ libris tradita sunt, ignorant: imò quędā fortassis noxæ occasio erunt illi, qui cū scriptis hic medicamētis uti uolet, rationē tamen ac methodum non habeat. Tanqꝫ itaqꝫ illa didiceris, ita tecū uerba faciā, repetita totius tractatus summa. Ostensum est, medicamēta quæ effectricib. nominatis qualitatibus agunt, nempe caliditate, frigiditate, humiditate & siccitate, harū mistione effici acerba, austera, salsa, salsuginosa, amara, acria, dulcia: preterea extergētia, repercutiētia, attrahentia, emollientia, urentia, septica, crustifica: ad hæc secundū alias actiōes magis speciales sarcotica, synulotica, glutinatoria tū fistularū, tum ulcerum, aut carnis excrescentiā detrahētia. Ostensum quoqꝫ est, quo pacto uniuersalis facultas experiētia unica demonstratorie inueniatur, nec ea uulgari & quauis, sed quæ cum dictis adhibeatur limitationibus. Cæterum inuenta semel facultate uniuersali, nulla insuper experientia opus esse ad particulares actiones, nisi ad cōfirmationem eorū quæ ratio reperit. Sic ergo nunc quoqꝫ iudiciū faciamus propositæ materiæ, quæ est ea quæ ab animātibus accipit̃. In tribus enim libris qui insequunt̃ quintū, nempe sexto, septimo, D & octauo, materiā ad plantas attinētem exposuimus, non sanè omnē quæ uniuerso terrarū orbe reperiatur, sed quantū nobis experiri eius datū est. In superiore uero qui est totius operis nonus, eam quæ uersatur in terrosis ac lapidosis, enarrauimus. Reliquum porrò nunc est, ut eam quæ ab animalibus sumitur materiam, diuidamus. Deinde restāt quæ in mari, paludibus, aut omino in aqua nascuntur, quæ quidem neqꝫ plantæ, neqꝫ terra, neque lapis, neqꝫ animal sunt. Ea planè paucissima sunt, & ultimo loco scribenda, postquam uidelicet quę ad animantium corpora pertinent, absoluero. In quibus is doctrinæ ordo seruabitur, qui in nomenclaturarū primis uisitur literis. Porrò sicut in plantarum materia etiam de succis, qui ex ipsis fiunt, disserui: ita nunc quoque non solum edocebo solidarum in animalibus partium facultatem, sed eorum

rum quoq; quæ in ipsis continentur, puta pituitæ, bilis, sanguinis, urinæ, stercoris, et similiũ. Igitur in ijs quæ superius sunt dicta, haud ita multa particularia eorum quæ in materijs cõscripta sunt à medicis, ignota mihi fuere: uerum operam dedi, ut ipse per experiẽtiam facultates eorum cognoscerem. Quòd si quid ignorabam, planè nec de illo quicquam cõscripsi, haud credendum alijs censens, ne de uno quidem eiusmodi, quòd certum habeam nonnullos multa mentiri. At in præsenti materia non ita se res habet. Ingenue siquidem fateor, cõplura esse tum partium, tum liquorum in animantium corporibus comprehensorum, quorum nullius eiusmodi feci periculum, cuiusmodi quidam scriptum reliquerunt. Siquidem quædam eorum abominanda detestandaq; sunt, quædam etiam legibus uetita, de quib. haud scio quo pacto scribere licuit Xenocrati, homini nõ olim nato, sed pro auorum nostrorum seculo, cum imperium Romanum hominibus uesci uetuisset. Atq; ille sanè, tanquam ipsemet fuerit expertus, magna profectò fiducia scribit, quosnã affectus curare ualeat comesum cerebrũ, aut carnes, aut iecur humanũ: quos autem capitis, suræ & digitorum ossa partim usta, partim ustionem non experta: quæ deniq; & sanguis. Sed hæc sanè tametsi contra leges sunt, non tamen sunt fœda atq; abominanda. At potio sudoris, aut urinæ, aut mensium mulieris, abominanda detestandaq; est: atq; horũ in primis stercus, quod tamen scribit Xenocrates, si oris ac gutturis partibus inungatur, & in uentrẽ deuoretur, quid præstare ualeat. Scripsit etiam de aurium sordibus deuorandis. At ego ne has quidem unquam deuorare sustineam, ne si in totum quidem morbo deinceps liber degerem. Atq; his etiam magis abominandum puto stercus. Estq; probrum grauius homini modesto audire κοπροφάγον, hoc est stercoriuorum, quàm fellatorem aut cinędum: & inter fellatores magis execramur qui phœnicissent, quàm qui lesbiantur. Cui nõ dissimile mihi uidetur perpeti qui mẽses bibere sustinet. Itaq; horum nemo periculum facere non auersabitur, hominum certe secundum naturam habentiũ: neq; insuper quæ tametsi modestiora uideantur, tamen etiam fœda sunt, nempe partem aliquã corporis stercore inungi, perpeti, ob affectum scilicet, si quẽ patiatur: aut humano semine, id quod γόνον, hoc est geniturã, appellare solet Xenocrates: summaq; diligẽtia distinguit, quænam ipsa genitura sola illita, quæ uero ubi ex sinu mulieris post coitum uiri effluxerit. Nam ingens sit medicamentorum penuria oportet, ubi quis quò chimethla, siue perniones curet, uiri semen conquirere cogitur, quod in mulieris congressu intus nõ remansit, uerum effluxit, atq; effusum est. Atque pleraq; sanè eiusmodi materiæ species est in ijs, quæ de utilitate ab animalib. percipienda, ab illo sunt conscripta. Siquidẽ non quã uim habeat epota urina, aut deuoratum illitúmue oris partibus stercus dũtaxat hominis enarrat, uerum etiam aliorum cuiusq; animalium, atq; alia etiam non pauca rarorum & paratu difficilium, pu-

A ta cũ elephanti aut equi Niloi meminit. Nam basiliscum reptilium generis bestiam ne uidere quidem mihi unquam contigit: & si uera sunt quæ de illa referũtur, periculosum etiam est uel propè accedere ad hoc animal. Non dissimilia ijs qui à Xenocrate scripta sunt, & ab alijs prodita sunt de animalibus, ex quibus & ipse Xenocrates pleraq; exscripsit. Nam unde illi tantarum taliumq; rerũ experiundarum fuisset copia? Sanè rex quõdam noster Attalus cum ambitiosissime talia ad experientiam conquireret, tamen pauciora scribere conspicitur. Porrò quidam Ateuristi eandem tractationem commendans, perlegendã mihi tradidit: cæterum iudicio meo nec illa quidem etiam ita ab illo conscripta est, ut omnia ipse fuerit intuitus, B oculisq; suis præsens cõspexerit. Proinde nec ego basiliscorum, aut elephantorum, aut equorum Niloorum, neq; alterius cuiusquam, cuius ipse periculum non fecerim, meminero. Porrò φίλτρων ἀγωγίμων, ὀνειροπομπῶν & μισήθρων (ex industria enim ipsa illorum nomina recensui) hoc est eorum quæ amorẽ conciliant, somnia inducũt, & exosos faciunt, planè nec si abunde illa forem expertus, mẽtionem facere in animũ inducerem, sicuti nec letalium medicamentorum, aut aliorũ ut ipsi uocant, παθοποιῶν. Nam illa sanè ridicula sunt, constringere ac uincire aduersarios, ut in iudicio nihil possint eloqui, aut grauidę aborsum afferre, aut ut ne unquam deinceps cõcipiat efficere, et quęcũq; eius sunt generis. Sanè horum pleraque uel C antequam facias periculum, scire licet esse impossibilia: quædam uero possibilia, cæterum uitæ mortalium noxia. Itaq; ego, per deos, admiror, qua cogitatione, quóue consilio ad ea scribẽda quidam accesserint. Nam quæ uiuẽtibus dedecori atq; ignominiæ sunt prodita, quo pacto sibi post mortẽ gloriæ fore sperarunt? Itaq; si regia potestate præditi in hominibus morti condemnatis illa experirentur, nihil graue committerẽt. At ubi totam uitam degunt priuati, atq; eiusmodi potestatis expertes ad ea scribenda accedunt, duorum alterum necesse est: Aut enim si experti non sunt, ea cõscribunt quæ ipsi ignorant: aut si experti sunt, hominũ omniũ sunt uel impijssimi, qui experiundi gratia hominibus innoxijs perniciosa medicamenta D exhibent, ac nõnunquam etiam honestis ac probis uiris. Nam quidam medicis duobus ad unguentariorum officinam cõspectis, attulit ad eos mel, uenditurus scilicet: illi ubi gustassent, de precio disceptant: at hic tanquam illi parum offerrent, properè subducit sese: uerum medicorum neuter seruatus est. Itaq; non minus qui scribunt, quàm qui talia perpetrãt, immo magis etiam odio digni sunt: quanto scilicet minor iniuria ac scelus est, quod solus facias, quàm quod cũ multis. Deinde cum eo qui perpetrauit, moritur & malorum theorematum experientia. At eorum qui scriptis prodidere, immortalis est malitia arma prauis hominibus suppeditans. Iam igitur nos dicamus de ijs rebus quæ humano generi sunt utiles, utique quarum fecimus periculum.

Hæma. Sanguis. Cap. 1

A Sanguis, intelligendum uidelicet est animalis secundum naturam habentis: nam is re uera sanguis est. At melancholicus, aut picrocholus, aut pituitosus, aut serosus, aut putridus, sanguis est mistus, ex sanguine scilicet uero, & succo, aut saníe illi permista. Tum ipsius quoque sanguinis naturalis in quoque animali alius est liquidior, alius siccior: hic magis, ille minus calidus. Nam frigidus sanguis nullus est.

De sanguine suillo. Cap. 2

Sanguis suillus humidus est, & minus calidus: humano maxime temperie similis. Siquidē & carnes suum humanis sunt similes. Comperti enim sunt hospites & coqui complures, qui humanas carnes pro suillis uenderent: tametsi qui eas edissent, nullum omnino discrimen percipere potuerint. Quin & ipse narrantes audiui uiros fide dignos sese in diuersorio publico ius esitasse delicatum cū carnibus suauissimis: cæterū cum iam pene saturi essent, inuenisse digiti partem anteriorē, quæ uidelicet ad unguem est, quo perculsi, ac metuentes eos qui agebant in diuersorio, ne scilicet se quoque uorarent, ceu ei rei assueti, protinus quidem illinc exiere, ac uomitu redditis quæ ederāt, ita iter denuo ingressi sunt. Sed & in ipso facinore homines mactantes deprehensos non ita multo post referebant. Itaque iure quispiam existimet suillum sanguinem humano esse simillimū. Ex tali enim sanguine tum prima constat generatio, tum postea nutritio carnibus. Itaque quisquis sanguinē humanū morbo alicui utilem esse ait, in suillo primum id comprobet: ac si nō eandem, saltem similem actionem ostendat. Nam etsi aliquatenus inferior sit humano sanguine, saltē assimile quippiam efficiet, quo cognito, ab humano pleniorē fore utilitatem sperabimus. Nam si ne paulū quidē promissis respōdeat, nō erit cur in hūano experiri oporteat. Quippe similia efficere posse similia, experti sumus. Nam columbæ sanguinem Pergameni nostri, atque adeo per totam fere Asiam qui capitis ossa confracta perforant, in crassum cerebri inuolucrū effundere assolent. Postea quidam cum haberet palumbum, nec esset ad manum columba, usus est palumbi sanguine, & tamen seruatus est homo ille. Et alius turturem eundem ad usum applicans, nihil hominem læsit. Siquidem similibus ad eosdem uti affectus, ubi quæ antea expertus sis non adsunt, unum est ex confessis, & experientia comprobatis. Et humanæ uitæ pleraque hunc in modum peraguntur.

Hæma peristerâs. Sanguis columbæ. Cap. 3

Porrò quoniam exempli uice mentionem feci sanguinis colūbini, nihilo deterius fuerit iam ipsum sermone proponere. Siquidem eo ad hyposphagmata id est sugillata in oculis cōsistentia quidā utunt, protinus uidelicet sumentes qui ex animante mactata effluit. Nam calidū in hyposphagmata affundunt, uenis ad alarū exortus incisis, quò uidelicet ad multos usus idē animal sufficiat. Alter pullorū tenerorū extractis pēnis (sūt aūt hę molles, & fistulas humore plenas obtinēt) eū ipsum humorē exprimebat, oculis instillās. At alijs medicis controuersia fuit, pulli ne sanguinem, an colūbę adultę meningi affundere oporteret: et an maris, an fœminæ. Ego uero sexcentos noui eorū quibus Romæ perforata fuere capitis ossa, nec quicquam ab usu rosacei citra columbæ sanguinē offensos. Verum id calidum sit æque atque columbæ sanguis, necesse est. Ac fortassis ipsa tantum caliditatis in cōtactu moderatione est utilis, haud quaquam eximia & incognita facultate. Adest illi quoque bona facultatis tēperatura. Sed quid hoc? Nam & hæc rosaceo inest, præterquam quòd leuiter adstringat. Itaque melius inuenire nihil possis in capite perforato, quàm ut rosaceo probo utare. Indicaui autem supra, quo pacto oporteat rosaceum, de quo queri non liceat, præparare. Sed & collyria sunt plurima quæ medeantur hyposphagmatis, & maxime quod plurimā recipit myrrham, quale est quod à Democrate compositum est, quod uocant diasmyrnon. Secundo sunt quæ habent multum thuris: post quæ sunt quæ ex croco constant. Quin & fœnigræci succus sanguine columbino in hoc utique præstat. Quid ergo moramur aut columbos, aut palumbos, aut turtures, cum omniū medicamentorū paratu facillimū habeamus fœnumgræcum? tum memorata collyria in prōptu seruemus? Ad eundem modum nec noctuæ sanguine ad difficulter spirantes egebimus: quanque sunt qui non sanguinem bibendū exhibeant, sed ipsam iubeāt coctā edere ex albo iure. Ac sanguinem quidem alij aquę, alij uino instillantes exhibent. Et fuit etiam quidā qui immodice hunc sanguinem apud mulierem assidue difficulter spirantem extolleret, & cum rogarem, qualem ab eo sciret curatā spirandi difficultatē, ne id quidem nouerat, quod plures essent. Et sanè in muliere quidem est usus, uerum profuit nihil.

Hæma nycteridos. Sanguis uespertilionis. Cap. 4

Sicut nec sanguis uespertilionis, quem scribūt quidam, si uirginū uberibus illinatur, plurimo eatēpore ab extuberatione tueri. Est autē & ipsum falsum, ueluti & quòd enasci sub alis pilos prohibeat: id quod recte Xenocrates tanquam mendacium calumniatus est. Verum ipse censet post illius usum aut calcanthon inspergendū, aut semē cicutæ. Aitque ubi hoc factum erit, aut prorsum pilos non prodituros, aut certe lanuginosos: ceu leue atque exile medicamentū adderet cicutæ semen, ac nō per sese sufficiat strenue refrigerare partes quibus fuerit impositū. Alij uero & puerorū pudendis sanguinem uespertilionis illinūt, credentes ita diutissime eas partes à pube seruari posse immunes. Atqui non oportebat putare diutissime, uerū perpetuo fore tales, uelut existimant & alas. Ergo ex refrigeratione partis uehemēti eiusmodi quippiam posse contingere, non est à ratione alienum. Non tamen adeo frigidæ facultatis est uespertilionis sanguis. Nam in totū nullus sanguis frigidus est. Sunt tamen non pauci qui pro alimēto habēt sanguinem leporis, gallinarum, et caprarū: uerum

leporis

leporis & gallinarum cōplures etiam eorum qui urbes incolunt: at agrestes uentres ipsarum caprarum sanguine illarum una cum adipe implēt, uti Homerus ait solitos sponsos Penelopes. Sed nunc non tractatur de ijs quæ ciborū loco sumuntur, sed quæ adhibentur ut medicamēta. Sed quædam sunt, uti supra posui, alimenta simul & medicamenta, quorum hic facienda mentio est, quatenus medicamenta, non quatenus alimenta. Etenim qui aqua inter cutem laborantibus sanguinē caprarum cum melle exhibuerunt, eum ut medicamen, non ut alimentum obtulere: tum qui ad dysenteriam tosto eo, & ad uentris fluxum sunt usi. Videturq; mihi quispiā crassam eius essentiā & terreā cum caliditate exiccatoriā esse suspicatus, ad hunc usum perductus. Porrò galli gallinæq; sanguinē cū ab ipsis ad meningū siue cerebri mēbranarū hæmorrhagiā scriptū inuenissem, nec magnū quippiā effecturū speraui, nec ausus sum experiri. Simul em̄ metuebā, ne curiosus & stolidus uiderer, si tantis, tāq; probatis remedijs semel præteritis, confiderē sanguinē gallinaceum illis plus posse præstare. Simul uero cū eiusmodi sanguinis eruptio admodū sit periculosa, nō est mihi uisum fore honestū, si ad ea quę inexplorata essent, transissem. Siquidem periculosa est eiusmodi experientia, & quæ solis regibus in homines noxios merito usurpatur. Desperabam uero etiam de sanguine agnorū, quem quidam comitiali morbo mederi potum scripserūt. Itaq; nec hunc quidem etiam experimento dare sum ausus. Quòd si quis experiri uolet, certò scio damnabit qui talia scripserunt. Siquidem quæcunq; potu iuuant epilepticos, ea facultatis sunt incidentis. At sanguis agninus omnium minime talis est. Porrò quod de hœdorū sanguine prodidit Xenocrates, cū existimassem non esse impossibile, ratus ob aceti mistionem posse aliquid efficere, persuasi cuidam in agro degenti, ac rei rusticæ quidem studioso, cæterum primis disciplinis erudito, retulitq; se in duobus sanguinē expuentibus usum, nonnullam utilitatem expertum. Cæterum illorum neuter ex ijs quæ mihi narrabat, neque ex arteria, neque ex larynge aut pulmone expuisse uisus est. Xenocrates igitur in primo libro De percipienda ab animantibus utilitate, ubi de hœdis disserit, scribit in hæc uerba: Ad hæmoptoicos, hoc est sanguinem spuentes, admodum utilis est hœdorum sanguis. oportet autem nondum concreto plus minus mensura semicotylæ tantundem admiscere aceti acris, idq; feruefactum trifariam partiri, & in singulos dies singulas partes exorbendas præbere. Itaq; liceat tibi forte fortuna in agro deprehenso, ubi reliquorum fuerit inopia hoc uti, cum citra periculum id experiri posis. Vrsorum uero sanguis si abscessibus imponatur, fieri potest ut concoquat. Adijciā uero etiam caprinum, hircinū, taurinum. Licetq; tibi, si uoles, præteritis decem millibus medicaminum parate promptorum, quibus concoquuntur abscessus, ursos, tauros, ac hircos mactare, quolibet scilicet usu: nec enim quispiam semel imposi-

A to in parte medicamento promissum eius exiget, nec etiam si refrixerit ut iam cogatur.

De sanguine uiridium ranarum. Cap. 5

Porrò cum assereret quidā sanguinē uiridium ranarum, paruarū scilicet, quas quidam brexātes nuncupant, si euulsis ex palpebris pilis inungeretur, ut in posterū ne recrescerent prohibiturū, falsum id cōperi facto periculo. Postea uero scriptū à quibusdā reperi illud ipsum, sicut etiā crotonum, quos potius ueteres appellitant Cynoraistas. Verum nec hic facto periculo promissa præstitit.

De sanguine Crocodili, & reliquorum. Cap. 6

Cęterum an Crocodili terrestris sanguis uisum acuat, ne id quidem experiri uolui, cum haberem probata aciei exacuendæ medicamina, quæ Græci uocant ὀξυδερκῆ. Neq; an admissariorum equo B rum sanguis crustam moliatur, & septicus sit: neq; an murium domesticorū sanguis uerrucas, quas uocant ἀκροχορδόνας, decidere faciat. Nam aliorum fuit mihi magna semper copia & ad hoc pathema, & quod ægrius illo medicabile est, nempe ad uocatam myrmeciam. Et cauebam ne præstigiaturæ opinionē merito referrem, cum iam etiam improbi quidam medici ex diuinandi quapiam arte, non ex speculatiōe medica me in morbis solere prædicere calumniarentur.

Gala. Lac. Cap. 7

Lac, bifariā hoc utimur, partim ut cibo, partim ut medicamento. Sed quid ualeat ut cibus, in curādi methodo alibiq; expositū est: At facultatem C eius ceu medicamēti, eam nunc explicabimus, ac primum illud cōmonebo, quod paulo ante de sanguine, quòd nō de morbido lacte, sed de naturali cuiusq; animantis, ea quæ dicenda sunt, intelligere oporteat. Igitur lac sanissimum, uelut etiam sanguis, purum syncerūq; est, nec amaritudinis, nec acrimoniæ, aut aciditatis, aut salsedinis, aut fœtoris particeps, sed ut dixerit quispiam bono odore præditum, aut odoris expers, aut certe exiguum odorem bonum referens. Clarum etiam est id esse debere gustu suaue, pauculā habēs dulcedinem, sicut & sanguis integræ sanitatis, ex quo & lacti constat generatio. Tale lac ad acres & mordaces fluxiones est utilissimum, non abluēs tantummodo eas à partibus aflictis (est enim id illi cum aqua D commune) sed & corpora illiniens, ut non in nuda cadat quod defluit. Nec in hoc duntaxat aquæ præstat, uerū etiam quia colluit, utpote extergentem in sese humiditatem continens, quam uocant Serum, quo prius abluuntur, insuperq; extergentur corpora: reliquo autē quod crassum pingueq; est collinuntur, nō aliter quàm pinguedo, adeps, atq; oui albumen, & ceratum ex eloto oleo ceraq; confectum eundē usum præbent. Nam & hæc ab acribus humorib. natas mordicationes mitigant, corpora uidelicet oblinendo, ipsa naturæ minime mordacis. Porrò cum lac omnium facillime altere tur, præsertim si ambiens fuerit calidus, multum à dicta facultate amittit, nisi protinus quis ab uberibus effuso calido etiamnū utatur. Maxime igitur mulieris bene habitę, & bonam uictus rationē ser

uantis

uantis, lacte utendum (nam id humano corpori A est familiarissimum) deinde aliorum animalium, quæ quidem ab humana natura non longissime absunt, id quod scies ex carnium odore: nam fastidiosus est & iniucundus eorũ quæ multum diuersam habent temperiem, ceu canis, lupi, leonis, pardalis, uulpis, hyenæ, ursi, & similium: non iniucundus autem est eorũ quæ non porrò absunt, ut suis, capræ, equæ, bouis, ouis, asini. Quocirca etiam homines docti experientia, caprino, ouillo, bubulo, asininoq; utuntur lacte, & caseos ex eis conficiũt, excepto asinino. Nam id planè tenue est, & plenũ humoris serosi, uelut bubulum crassum: cæterum consistentia medium caprinum est. at sus crudum aqueumq; lac obtinet. Porrò lac omne ex tribus constat essentijs, caseosa, serosa, pingui: hanc plurimam habere conspicitur bubulum, ex quo cõficitur & id quod butyrum nominant, concoquentis B & laxantis facultatis, quamobrem maxime illo utũtur ad parotidas & bubonas.

Serum lactis. Cap. 8

At serum, ut dictum est, extergendi potentiam possidet, adhibeturq; subducendi uentris gratia, ac per clysteres injcitur, extergens & abluens sine mordacitate intestinorum acrimoniam. Præterea si quis ulcera quæ sanie infestantur acri, uice aquæ sero colluat, optime sanè fecerit. Præterea quæcunq; medicamenta digerere solẽt ecchymomata & atra, ea præstat sero quàm aqua diluere. Sic etiam eo utimur ad sugillata & hyposphagmata, peculiaribus ad hæc medicamentis commiscentes. At caseosum illud & crassum ipsius lactis magis illitum adhæret, & eo nomine acrimoniam retundit. Porrò ubi aliam quampiam desiccantem facultatem habuerit adiũctam, optimum est remedium dysenteriæ, & omnium uentris acrium fluxionum. Eam accipit à lapidibus qui prædecocto ipsi injciuntur igniti. Porrò eos esse oportet quos uocant κόχλακας. Et lac eousque decoqui debet, dum pleraq; serosi in eo humoris absumpta pars fuerit. At nos iniectis ferreis in ipsum cylindris candentibus eandem, aut etiam meliorem facultatem efficimus. Nam ferrum adstringẽtis quoque (ut est dictum) facultatis est particeps: ac proinde cylindros ego complures effeci huius gratia, ad fines uerũ propendentes, quò uidelicet quis manubrio ignitum ferrum facile igni eximat, & sicut cauteriorum, ita horum manubria pannis inuoluo. Porro lac totum ad acres oculorum fluxiones tum per se, tum cum mollium collyriorum quopiam est utile, præterea ad hypopia, & hyposphagmata. Quin etiã palpebris extrinsecus, ubi qui ophthalmia laborant, somno sese dabunt, impositum simul cum rosaceo & ouo, phlegmonas eorum concoquet. Sed hoc esto lac mulieris recens ex mamillis expressum. Infundimus ipsum & utero ulcerato tum per sese, tum ijs medicamentis commiscentes quibus misceri potest, utique citra morsum curantibus, & ubi in sede ulcera mitigamus præ saniei acrimonia dolentia, aut propter phlegmonas, & rugas augescentes. Sic & ad ulcera pudendorũ utimur, & omnia quę leniri postulãt, siue ob phlegmonem, siue ob morsum, siue ob malignitatem. Eapropter & cancrosis applicatur ulceribus, medicamentis anodynis commistũ, qualia sunt quæ constãt ex pompholyge. Et quid attinet cõmemorare, ꝙ ore cõtentum & collutum gargarizatũq; uel maxime phlegmonas eius mitigat? Sed & tonsillas, & columellam & antiadas phlegmone affectas admodũ mitigat, & proinde & synanchen siue anginam. Atq;, ut semel dicam, medicamentũ est leniens (Græci uocant πρηΰνον) totam quidem substantiã habens mordacitatis expertẽ, sed multo magis ubi concoctiõe moderata potissima pars serosi humoris absumpta est. Sic mihi uidentᵋ etiã medici ad uenena quæ erosione interimunt, lac dari suadere, uelut sunt lepus marinus, & cãtharis. Sed & sunt qui exhibẽt ijs qui aconitũ & thapsiam sumpserint. Sed hæc ex ratione fecerunt. Alia uero palàm mentiti sunt, ut de lacte canino, ꝙ in palpebris pilos renasci prohibeat, si priorib. euulsis eò loco foret illitũ unde pilorũ radices extractę essent. Ad eũdẽ modum qui scripserunt, ꝙ celerem pilorũ in pudendis exortum reprimat, si quidẽ foret ante pubertatem illitũ, quiq; quòd fœtus emortuos ejceret potum, uerum non protulere. Sed & alia quædam præstigiaturis cõtaminata, tũ de horum, tum de aliorum quorundam animalium lacte cõscribũt, quæ me ab initio dicturum negaui, etiamsi experientia didicissem uera dixisse.

C

Caseus. Cap. 9

Caseus, Sermoni qui habetur de lacte, annectẽdum est de caseo, propterea ꝙ lac sic coagulatum ac glaciatum, non tamen uniuersa lactis essentia in caseos cogitur, sed quod crassum est duntaxat, scilicet tenui seroso secreto ac separato. Porrò dictum est habere lac in se naturam quandam pinguem & oleosam, eamq; plurimã esse posui in bubulo, ac ubi à reliquo lacte seiũctum fuerit, soluq; per se constiterit id pingue, butyrum appellari. At ubi cum toto lacte coagulatũ fuerit, seroso duntaxat humore per coagulationẽ separato, pinguem caseum effici, fiuntq; hoc pacto casei bubuli quidam adeò pingues, ut ex ijs effluat quiddã ad speciem olei. Porrò tum hi, tum reliqui omnes tẽporis spatio acriores tibi apparebũt, siue gustes, siue D olfacias. Itaq; cum mihi olim caseus allatus esset bubulus, quem ex odore acrem esse conijciebam, abieci, & iam à famulis absumptum putabã: cæterum illi talia seruare soliti, longo post tempore ex promptuario proferẽtes, quidnã de illo fieri iuberem rogant. Cum igitur edendo nõ esset propter acrimoniã, ludicrum nobis problema extitit, proponẽtibus cui rei quis illũ utiliter posset accomodare. Interea cum ad me arthriticus quispiã in curru cõuectus esset, tophos quos Græci πώρους nuncupãt, in articulis habens: subijt mihi crure suillo salso decocto, caseũ eo decocto macerare, ac probe in mortario subigẽdo unitũ, tophis imponere. Et sanè arthriticus ab hoc medicamine magnifice adiutus est. Nam rupta sponte sua cute, absq; incisione

sione uidelicet, effluxere quotidie citra dolorem tophorum particulæ. Vbi autem totus qui apud me erat caseus fuisset absumptus, talem sibi alium comparans arthriticus in posterum seruauit, et postea rursum usus est inueterato: atque ubi tunc quoque idem percepit cõmodum, sæpius deinceps uti perseuerabat: & quosdam amicorum similiter affectorum docuit. Atque id quidem nos excogitauimus, cæterum comprobauit atque confirmauit experientia. Porrò recentem, qui inueterato contrarij est temperamẽti, quandoque homini in agro degenti moderatæ magnitudinis uulnus habenti imposui, antea uidelicet ad leuorem tritum. Extrinsecus autẽ illi imponebam folia lapathi. Possint uero etiam, si hæc non adsint, folia superponi uitis, aut platani, aut betæ, aut lactucæ. At ipse quidem caseus uulnus glutinauit, eratque etiãnum mollis. Alius uero qui uocatur & in patria mea Pergamo, & per superiacentem Asiam oxygalactinus, magnum rustici uulnus conglutinauit impositus. Nam recens coagulatus ac mollis repercutiendi uim obtinet, nimirum leuiter refrigerãs. At oxygalactinus præter hæc digerendi insuper leuem quandam uim possidet.

Butyrum. Cap. 10

Butyrus, aut butyrum, utcunque nominare uoles, siue masculino, siue neutro genere, fit quidem, ut supra dictum est, ex eo quod in lacte pinguissimũ est. Miror autẽ quo pacto Dioscorides ex ouillo & caprino cõfici referat: Ego nanque ex bubulo fieri noui, ac proinde nuncupatum esse butyrum existimo. Facultatis est concoquentis, paulum habẽs etiam digerendi potentiæ, in medijs nimirum corporibus secundum duritiem ac mollitiem. Nam id semper memoria tenere oportet, quicquid simpliciter ac sine addito profertur, de medijs temperatura corporibus intelligi. Nam corporum planè durorum tumores præter naturam hoc nequit medicamen digerere. At quæ in mollibus sunt phlegmonæ, eas & concoquit & digerit perfacile. Nã parotidas & bubonas, & oris phlegmonas, aliaque innumera eiusmodi prorsum illo solo curauimus, nimirũ puerilibus corporibus ac muliebribus perpetientibus. Sed & gingiuis puerorum dentientium assidue illitum, nihilo imbecillius melle gingiuas extenuat, per quas exitus est dẽtibus: & alios oẽs in ore affect⁹ phlegmonosos, postea quàm fluxio restiterit, digerit pariter & concoquit. Proinde cataplasmatis inditur quæ extrinsecus imponuntur parotidibus, hypochondrijs, & bubonibus. Sed & in uentrem deuoratum, & ex eo distributum, magnifice cõfert expuitionibus ex pulmone, idque in pleuriticis & peripneumonicis affectibus, cum hoc quòd eos etiam concoquat. Atque si solum lingatur: magis quidem concoquit, uerum minus educit: sin cum melle & amygdalis amaris, plus educit, sed minus concoquit.

Pytia. Coagulum. Cap. 11

Coagulum omne acris ac digerentis potentiæ est, ac nimirũ etiã exiccatoriæ: nam necessario id superiora comitatur. Ac leporis quidem coagulum comitialem morbum, si cum aceto ebibatur, preterea profluuium muliebre sanare proditũ est: sed & lac in uentre coagulatũ dissoluere, qd' certe & nos experti sumus, non solũ in leporino, sed etiam in aliorum animalium omnium coagulo. Attamen leporinum omnium est præstantissimum. Sed & sanguinem in uentre concretum simili modo epotum dissoluit, ac efficacius quidem cęteris, uerum non solum, quod quibusdam scriptum legitur, sed & hoc cõmune est omni coagulo. Quidam autem sanguinis ex thorace reiectiones leporinum coagulum epotũ supprimere prodiderunt: cæterum nec alium quenquam eo usum noui, nec ipse sum ausus acri uti remedio ad affectũ adstrictionem poscentem. Porrò coagulum equinum ad dysentericos & cœliacos peculiariter accommodari scripserunt nonnulli.

Coagulum phocæ.

At phocæ coagulum eximie aptum esse quidã prædicant, tanquam uires obtineat castorij. Verum quæcunque proditum est quodque coagulum secundum essentiæ suæ præstare proprietatem, non est nunc tempus exponere.

Chole. Fel. Cap. 12

Hic succus omnium quæ in quoque sunt animalium, calidissimus esse demõstratus est. Itaque sicuti sanguinẽ & carnes dissimiliter tẽperata obtinent animalia, eadem ratione & fel. Quocirca calidissimorum fel, aliorũ quoque animaliũ fel excellere necesse est: & quæ illis minus sunt calida, proportione & hunc humorem illis inesse calidum, quanto scilicet & in alijs sunt inferiora. Didicisti eñ quatuor esse uniuersos in unoquoque animali sanguineo humores, sanguinem, pituitam, & bilem tum flauam, tum atram. Didicisti porrò ex more non tantum medicis, sed & Latinis omnibus bilem flauam absolute efferri bilem, tanquam subauditurís qui audiunt, coloris cognominationem: Atram uero non simpliciter nũcupari bilẽ, sed cum addito, nempe hoc totũ, atram bilem. Sed & quòd flauam bilem nonnunquam pallidam cognominãt, nosti: & quòd in uesica iecoris interdum pallidam, interdum flauã in consectionibus animalium conspicimus. Audisti porrò flauã tãto esse pallida calidiorẽ, quãto & crassiorẽ. Nã seroso recremẽto flauæ bili cõmisto pallidã constitui cõtingit: sicut & flauam plusculũ excalfactã cõsistentia reddi crassam colore autem flauam. Quin & in animalibus apparet flaua quidem ijs quæ magis sunt calida: quę uero minus, pallida. Et ubi calida animalia aut fame, aut siti torquentur, ad atrum colorem uergit, interim illum habens æruginosum, interim cœruleum, interim Isatidis, qui quidẽ magis est colore brassicæ fuscus. Itaque & tu bilis colori diligenter intendito, cum medicamentũ præparabis cui admiscenda est bilis. Miscẽt autem cycliscis uocatis & trochiscis, qualis est Andronis, & Polyidæ, & Pasionis & Bithynus, qui tauri recipiũt bilẽ: nam ubi ea medicamenta præparant quæ sunt utilia ad oculos: hyenæ, galli, perdicis, & aliorum quorundam animalium bilem adhibent. Porrò taurorum

A bilis calidior est & siccior quam boum castratorum. Nam castratum animal semper simile reddit fœminæ, & ijs quæ sunt ætatis minoris. Itaque sicut hæc humore superant adulta & perfecta, uincunturque ab ijsdem caliditate: ad eundem modum bos castratus à tauris. Et quorundam ego taurorum bilem uidi cœruleam, flaua nimirum superassata: quam sanè in præparandum injici medicamentum uetui, sumpto illius loco alterius tauri bile mediocriter flaua. Nam ille uinculis uiolenter tractus, supra modum fuerat defatigatus. Itaque eo labore cum excanduisset, clarum est temperaturam eius fuisse calidiorem: probabileque est sic uiolenter pertractum tum sitisse, tum etiam esuriuisse: atque, ut summatim dicam, uelut urina à modica potione modice pallere, & sitim famemque & multum laborem perpessis flaua esse conspicitur: impletis uero atque inebriatis albida: ita & bilis colores uariat: ad flauius quidem per exercitia, inediam, & sitim: ad candidius uero in contrarijs. Scito ergo si præparando medicamini bilem impense flauam injicias, calidius te id effecturum: si pallidam, mediocriter calidum: sin exolutam & aqueam, tanto imbecillius temperie conuenienti, quanto & bilis ad candidius fuerit uersa. Sic qui occlusas hæmorrhoidas taurino felle aperiunt, ijs interdum imbecillum, interdum uero supra quam conueniebat acre apparuit. Quanquam nonnulla quoque diuersitas existit pro corpore cui adhibetur, prout scilicet promptiore sensu aut hebetiore fuerit, tum perfacile patiens, aut difficulter. Verum in ipsa bile non parua uisitur, ut dixi, uarietas. Nam idem homo à pallida minus, à flaua bile plus mordicatur. Liquet itaque uel ex eo quòd hæmorrhoidas aperit, quàm sit hic humor acris: sed & illis ipsis qui utuntur, mordicare percipitur. Ac proinde cauemus, ne ad aliud morbum aut symptoma bilem usurpemus solam ac per se. Nam propositi cyclisci pauculum bilis accipiunt. Ac quæ ad oculorum acutiem componuntur medicamenta, partim hyænæ, partim perdicis, partim galli, partim alterius cuiuspiam bilem accipientia, admistum habent tum mel, tum fœniculi succum, tum opobalsamum. Porrò animalium quorundam singulariter bilis à medicis extollitur, tanquam aciem exacuat oculorum, & suffusionum initia digerat, uelut piscis quem uocant callionymon, hyenę, & scorpij marini, tum galli, & perdicis. At suilla adeo omnium imbecillima est, ut ne ulceribus quidem toleratu sit grauis: & apparet omnium bilium maxime aquea, exceptis syluestribus suibus, & ijs quæ degunt in montibus. Nam ut harum caro & calidior & siccior est, ita & bilis. Porrò domesticarum suum bile utuntur quidam ad ulcera aurium, medicamento utique non reprobo: & tu quoque ubi compositorum nihil adfuerit, utitor: sunt enim innumera. Sed & pro affectus magnitudine alia etiam atque alia alterius animalis bilis potest congruere. Nam ubi ulcus diuturnum fuerit: multamque saniem pusque contineat, etiam sicciorem bilem præferet, puta ouium, quæ paulo est acrior suilla, hac etiam magis caprarum, cui adsimilis quodammodo est ursorum, & boum. At taurorum his ualentior est, inferior tamen bile hyænarum, & hæc quoque inferior bile callionymi, & scorpij marini, & marinæ testudinis. Porrò hirci agrestis bilem scripsere quidam prodesse luscio-sis, siue nyctalope uexatis. Cæterum uolatilium animalium biles omnes tum acriores sunt, tum sicciores quàm quadrupedum, & inter ipsas quoque uolucres gallinarum et perdicum biles ad medicinæ usum probatiores habentur. Miluiorum uero & aquilarum impendio acres sunt: sed & erodunt: quamobrem colore uisuntur ærugineo, ac nonnunquam atro. His itaque earum cognitis differentijs atque affectibus, qui plus, quique minus desiccari postulant cognitis, si unam modo quampiam opere fueris expertus, inde ad alias transire poteris per methodum, ut semper quæ commoda sit adhibeatur. Nam cum uelut in coniectura sita sit cuiusque facultatis uehementia, à definito quopiam principio ad materiam inexploratam transire oportet: ac à prius explorato, excessus qui in illis consistunt discere. Sed & notas quasdam luculentas ego exposui tum à bilis colore, tum ab animalium temperie.

B

Hidros. Sudor. Cap. 13

Sudor, Vnus hic est humorum in animantis corpore prouenientium, & eandem habens materiam quam urinam, & eundem generationis modum. Siquidem utrique ex bibito humore constat generatio, excalfacto simul in corpore, & biliosæ nonnihil substantiæ adepto. Verum sudor plus est elaboratus, utpote qui ad cutem usque permeatis omnibus quæ intersunt partibus, peruenit. Attamen sudores inter sese & urinas differre necesse est, tum pro animalium temperaturis, quæ & natura & per ætates non parum à sese inuicem sunt diuersæ, & pro ambientis nos aeris temperie. Clarum autem est, etiamsi aliquando in sermone omissum fuerit, pro tempore anni, & præsenti constitutione, præterea pro regionibus diuersitatem effici in animantium corporibus non paruam. Nam compendij gratia uno capite complecti eiusmodi omnia soleo, nempe pro cingentis nos aeris temperie ea mutari dicens. Etenim diuersitatem regionum quæ est in caliditate & frigiditate, hic comprehendit, ut tempus anni, & præsentem præteritamque constitutionem. Cum ergo sermo fuerit de urinis, aut sudoribus, aut bilibus, aut sanguine, aut pinguedine, aut adipe, aut quopiam in corpore nato, diuidentibus uidelicet nobis eas quæ in animalib. uisuntur differentias, de sanis corporibus sermo intelligendus est, mediam propriæ ipsorum temperaturæ constitutionem habentibus. Sic ergo quod & sudor salsæ & salsuginosæ uocatæ qualitatis est particeps, gustus testimonio probat. Nam sæpenumero nolentibus in os defluens, dictam qualitatem indicat. Sæpe uero etiam non obscuram præfert amaritudinem. Attamen & color eius naturam designat. Nam sicut urina naturalis modice est pallida, sic & sudor. Verum id facile cognosces in ijs qui lauant, cum absque oleo strigili raduntur. Nam sudor in cauo strigilis

C

D

colligitur, colorem quem dixi simul & gustũ præ A ferens, ac euidenter salsedinem habens, sed obscu re amaritudinem. Verum de urina plus etiam q̃ conueniat medici scripserũt: propterea nimirum q large ea in omnibus hominibus tum priuatim, tum publice quotidie colligatur. At de sudoribus aut nihil, aut quæ curiosa sint potius, & prestigiaturæ obnoxia, & insuper scripserunt alij superuacanea, quæ per aliam fieri possent materiam. Porrò sudor etiam in palestris miscetur exercentium sordibus, quem quidam curiose Atticam sectantes linguam, Conisalon uocant: confertq; tenuibus sordibus ac simplicibus ut tumores preter naturam per halitum digerant. Nam ille plus repercutiunt, minus autem digerũt: at post adiunctum exercentium sudorem acquirunt multum faculta B tis digerentis. Ergo in phlegmonas uberum solæ hæ sordes impositæ, efficaciori sunt remedio. Sin sicciores uidebuntur, cyprinum superungito: & si ualde etiam siccæ, cyprino item subigito. Præstat autem non siccas, sed molles accipere. Porrò si non adsit cyprinum, rosaceum bonum miscuisse sufficit. Hoc medicamentum admodum est utile ijs quibus à partu restinguere lac cõsilium est, eò nomine quòd in mammis coaguletur in morem casei. Hinc orso, ad alios affectus similes uti licebit. Atq; ego sane ad bubonem eo usus, celeriter disparuisse tumorem conspexi.

Vrina. Cap. 14

Dictum quidem est de tota eius natura in sermone de sudore: diceturq; & nunc, quòd quanta C est in animalibns bilis diuersitas, tanta item sit in urinis. Atq; omnes quidem facultate sunt calidæ: sed plus tamen animalium calidiorum, minus autem frigidiorum.

Vrina humana. Cap. 15

At urina hominis omnium propè aliarum urinarum est imbecillima, exceptis porcis domesticis, quibus execti sunt testes: nam illorum similis est totius corporis temperatura, temperiei hominum, & urina similiter debilis. Verum montanorum aprorum ualida est, ut etiam ex odore apparet, qui utiq; acerrimus est. Sed & in alijs animalibus ex odore uim eius conijcere liceat. Nam urinas illas degustare planè est abominandum, cum ne pueri quidem urinam uir quidam honestus ui D ta pariter ac moribus ebibere sustinuerit, cum pestifere ægrotaret in Syria, ubi cum multi urinam puerorum simul & uirorum hausissent, sese hinc seruatos credebant. Cæterum urina hominum, ut si quid aliud, extergendi uim obtinet: quod cum alij multi satis indicãt, tum maxime fullones, qui sordida uestium expurgant ea atque extergunt. Hanc eius uim cum & medici conspexissent, psoras & lepras ea detergunt, perfunduntq; ulcera tum multa humiditate, tum sordibus & impuritate scatentia, ac multo magis ubi putridum quiddam obtinent. Sed & pudendis, ubi sic afficiuntur, urinam infundunt, & auribus pure fluetibus. Quin & achoras, & furfures ea curãt, capiti identidem infundentes. At nos hec facere odimus potius, cum ad manum sint quæ illis conducant alia medicamina. At ulcera digitorum pedis maxime quæ ex illisione atq; offensione essent inflicta, sæpenumero, ubi nimirum phlegmone carerent, & ipse curaui, eaq; in seruis & hominibus rusticis, quos iter ingredi absq; medicis erat necesse. siquidem linamento (μότου Græci uocant) ulceri imposito, ac insuper linteo circumuoluto, quoties meiendi incesseret cupiditas, in digitum ferri urinam præcepi, nec ante soluere q̃ bene esset curatus. Nam & si quem alium ruri sine medico agentem, urinam ulceribus perfundentem audissem, non uetui; ubi scilicet in partibus thorace inferioribus usq; ad imos pedes ulcus constitisset. Siquidem ulcera aut capitis, aut faciei, urina perfundi sinere auersabar. Attamen medicamentum quod ex urina pueri conficitur, quod quidam uocant chrysocollan, quia eo ad auri glutinationẽ utuntur, ad ulcera difficilia sanatu optimum esse assero. Fit autem figura phiale, confecto mortario ex ære rubro, habente pistillum eiusdem materiæ, in quod meiente puero pistillum circumages identidem, ut nõ tantum à mortario quid deradat, sed etiam à sese nonnihil deterat, id quod pluribus deinceps diebus peragitur, donec urina crassitudinem assequatur mellis. Faciẽdum uero id in sole. Nam facilius in aere eiusmodi à mortario quid deteritur. Aut si sol absit, calidas esse ædes saltem conuenit. Hoc medicamento misto ijs quę curandis ulceribus rebellibus sunt idonea, utimur, ut dixi, ceu optimo. nihil enim habet abominandum, perinde ut urina capiti, alteri'ue parti infusa. nam quid commemorem urinæ potum? Scripsere tamen medicorũ quidã de subsidente in urina crasso illo uidelicet & albo, dicẽtes id mederi erysipelatis. Sanè ea erysipelata, quæ ignea etiãnũ sunt, & reuera erysipelata, calidorum & acrium medicamentorum omnino nullum iuuare potest. quæ uero per refrigerãtia refrixere, tum hoc, tum alia multa medicamina digerentia adiuuare ualent. Atq; hoc quidem uti licebit, ubi non in facie, aut prope erysipelas constiterit, uerũ in artuum quopiam, aut dorso aut uentre. At urinã pueri orthopnœæ gratia ebibere necessariũ non est, cum sint & alia medicamina quæ huic medeãtur affectui. quin cum bibisset quidã, affectu liberatus nõ est, ut non eximium quid præter alia possideat.

Sielon. Saliua. Cap. 16

Sielon, siue sialon, siue ptyelõ appellare libet, nihil interest. Verum id sciendũ est, uim eius esse differentem tum in animalium speciebus, tum in eorũ unoquoq; sano & ægroto, ieiuno & sitibundo, aut cibo potuq; sumpto. Etenim ut urina & bilis, sic etiam saliua sumpto quidem cibo imbecilla est: ualida & acris eorum qui ingẽti aut inedia, aut siti premunt. In medio utriusq; est eorum qui probe cõcoxere quidẽ, nondũ tamen cibum potum ue hausere. Hac ergo saliua nutrices pueris lichenas curant, paruum uidelicet digitum rigantes, ac deinde cutem affectam cõfricantes. Idq; faciunt subinde, tãto scilicet interuallo, dum saliuæ

uires in lichene perdurent, ac nondum sint extinctæ. Sed & triticum mandentes rustici non pauci furunculis imponunt. Nam celeriter eos & digerit, & concoquit: cum si maceraret aqua, nō æque prodesset. Ex quo liquet saliuam iuuandi robur adferre. Atq; corporibus mollibus aut puerorum panem, non triticum imponunt, ore cōmansum. Porrò omnia sic commansa digerunt & sugillata, cæteraq; ecchymomata, maxime ubi panis simul cum pauco radiculæ fuerit commansus. Porrò tota substantia uel maxime aduersa est saliua bestijs hominem interficientibus, ceu alicubi etiam Nicander poeta refert. Pollicitus autē mihi quidam incantationem sese ostensurum, quæ scorpios interficeret: ubi illam semel dixisset, in scorpium expuit: inde rursum eam obmurmurās, iterum scorpium conspuit: ac ubi tertio dixisset, atq; expuisset, mortuus est scorpius. At postea ego absque incantatione à sola saliua occisum uidi scorpiū, idq; celeriter à saliua esurientium, aut sitientium, tarde autem ab illis qui cibo potuq; fuerant impleti: in alijs autem proportione.

De ijs quæ in corpore proueniunt. Cap. 17

Nascuntur in corpore cū alia præter naturam, quorum non est satis honestum meminisse, tum etiam lapis in uesica, de quo scripsere quidam ꝙ lapides uesicæ comminuat. Atq; hoc quidem falsum ex experientia iudicatum. Cæterum an renum lapides frangat, omnino experti nō sumus, cum suppeterent alia ad hoc symptoma probata medicamina. De pure autem & id genus dicere supersedeo, id illis concedens qui his in rebus mirifici sunt, scilicet quibusdam cum præstigijs. Cæterum stercus unum est inter ea, quæ in corpore proueniunt secundum naturam affecto animali, ueluti & aurium sordes. De utroque itaque deinceps disseram.

Copros. *Stercus.* Cap. 18

Siue Copron, siue Apopatema appellari uelis, perinde est. Scito autem hāc substantiam uim habere uel maxime digerentem. Verum stercus humanum ob fœtorem abominandum est. At bubulum, caprinum, crocodilorum terrestrium, & canum, ubi ossibus duntaxat uescuntur, neq; grauiter olet, & multa experientia non tantum nobis, sed & alijs medicis me natu maioribus cōprobatū est. Siquidem Asclepiades, cui cognomentum erat Pharmaceon, & alia omnia medicamenta collegit, ut multos impleret libros, & stercore ad multos sæpe affectus utitur, non modo medicamentis quæ foris imponūtur commiscens, sed ijs quoq; quæ intrò in os sumuntur.

Stercus caninum. Cap. 18

Sanè ego memini me admirandam tum humani, tum canini stercoris expertum facultatem. sed prius disseram de canino, quo uti assidue consueuit præceptorū nostrorum quidam, sola ossa cani edenda exhibens duobus cōtinuo diebus, ex quibus durum candidum ac minime fœtens stercus proueniebat. Hoc igitur acceptum desiccabat, ut cum postea usus esset, facile ad leuorem posset redigi. Vtebatur eo ad anginam, & dysenteriam, & summe inueterata ulcera. Ad anginam quidem, ijs admiscens quæ alioqui huic affectui congruebant. Ad dysenteriam, lacti illi immiscens, cui decocto calculos uocatos κάχληκας ignitos inijci antè posuimus: aut, ut ego postea ob parabilitatē ad ferrum confugi, id cādens lacti probè decocto inijciens. Vocant autem medici nōnulli lac eiusmodi, nescio quo pacto, schistum. Verum oportebat non hoc sic appellare, sed in quo segregamus ac scindimus (quod σχίζειν Græce dicitur) serum à caseo. Cæterum medicus ille stercus caninum lacti, in quo extincti erāt calculi marini, clàm inijciebat, & id solum generosissimos quosq; discipulos docebat. In his ergo duobus multū expertus sum stercus caninum ceu medicamentum mirabile, sicut & in ulceribus extreme malignis. Miscui ergo & ad illa paulum quiddam stercoris canini medicamētis probatis: & manifestò seipso ualentius redditum est medicamen. Et si quando digerere aut desiccare quid opus esset, illis etiam medicamentis admiscui.

Stercus humanum. Cap. 20

Cæterum humani stercoris non habeo experimentum. Assidue quidam à phlegmonis ad guttur existentibus uexabatur, adeò uehementer, ut suffocationis subiret periculum, & sanè ob hoc periculum sanguinē mittere cogebatur. In hunc cum forte quis incidisset, pollicitus est se præbiturum medicamenti experimentum, & se uocari si quando rursus aliqua in parte gutturis emicuisset phlegmone, ante sanguinis missionem præcepit. Itaq; uocatus medicamēto illito statim hominem curauit. Vt autem iterum profecit, nō in ipso tantum, sed & in alijs qui similiter erant affecti: rogabat is qui assiduo periclitabatur, data mercede, ut sese medicamentum illud doceret. Erat enim ille & locuples, & in pecuniæ sumptu liberalis. Porrò ubi cōuentum esset de pretio is qui uendebat: Hoc medicamentū, inquit, per antipatheā quandam utilitatē obtinet. Esse aūt eā antipatheian, ut qui curat nesciat unde cōficiat. Iussit itaq; alium daret qui pro ipso disceret, quiq; iureiurando reciperet, sese nulli eius facturū copiam, prius ꝙ ipse qui dedisset, foret defunctus. Itaque à morte eius qui indicarat, nō tantum ille suum hominē, sed & alios sanabat: & mihi ne petenti quidem medicamenti exemplū uolens ac lubens obtulit. Erat aūt stercus pueri siccū cum melle Attico ad leuorem tritum. Victitabat aūt puer cuius stercus accepturus erat, uti ipse qui medicamentū dederat ostendit, lupinis, illis uidelicet qui ex more edi solēt cū pane bene cocto in clibano, modicū salem & fermentum habente. Præbebat autem bibendum uinum uetus: atq; hæc omnia mediocri in quantitate, modo ut perfecte eā puer posset concoquere. Itaq; cum primo die eo uictu esset usus, postero tamen die nondum stercus capiebat, sed in eo quoque die rursum eodem alebat uictu, ac tertio demum sumebat, ac postea arefacto utebatur, similiter ut stercore canino, ut ante dictum est. dicebat autem

autem illum qui docuerat fugitantem alios cibos ob fœtorem, prætulisse lupinos: sese uero experimenti gratia carnes gallinaceas aut perdicum ex aqua, aut tenui iure bene coctas persæpe exhibuisse, & medicamentum nihilominus operatum. Atq; ego sane hæc tibi de canino humanoq; stercore narrare possum.

Stercus lupinum. Cap. 21

At lupinum stercus quidam colicis potãdum dabat, non tantũ in ipsis paroxysmis, sed etiam in interuallis, siquidem phlegmone uacarent. Quorum ego quosdam uidi nõ amplius inuadi: & qui erãt inuasi, nõ amplius id grauiter passos, sed nec post paucum temporis. Accipiebat autẽ ille albidius potius stercus, quale ubi ossa ederint, solent excernere. Verum illud etiã in eo mirabar, quod uel appensum euidenter aliquoties iuuisset. Itaq; hic stercus capiebat quod non decidisset in terrã: id quod non erat inuentu difficile. Ea enim est luporum natura, quæ canum, ut suspenso altero posteriorum crurum & meiant & cacent in eminẽti quopiã ex terra. Itaq; in spinis sæpe æstate stercus lupinũ reperitur, & fruticibus, uepribus, herbisq; procerioribus. Inuenit porrò in stercore illorũ & nonnihil ossiũ deuorati animalis: quod ut effugit cõmansionẽ, ita & concoctionẽ: quod & ipsum contundẽs ac cõterens, bibendũ præbuit colicis: ac si homo esset puritatis amans, miscebat & salis quippiã aut piperis, aut quippiã eiusmodi. ut plurimũ aũt ex uino albo consistentiæ tenuis bibendum præbebat: interim uero etiã ex aqua. Hoc ergo stercoris quod patientis inguinibus, λαγῶνας Græci uocant, applicandũ esset, præcepit suspendi ex uinculo confecto ex lana, sed non qualibet, uerum multo præstabat eã esse ouis à lupo laniatæ, unde quod ad hunc usum accommodaretur esset conficiendum. Quòd si talis non adesset lana, ex pelle ceruina & lorum quod cingeret inguina, & in quo stercus contineretur, parari præcipiebat. At nos in ollulam stercoris maxime fabæ magnitudinem iniecimus, eamq; experiundi gratia quibusdam appendimus, nec potuimus nõ mirari, cum plurimos ipsorum uideremus adiutos: cæterum ad ollulam duas ceu aures affiximus, per quas lorum transmitti posset. Sed hoc quidem obiter dictum esto, si quis inuenietur qui sic suspẽsis fidem habere dignabitur. Dico autem sic, nam substantia est quæ suspenditur, non uoces barbaræ, ut quidam facere præstigiatorũ assolent, quãdo & alias expertus sum substãtias, quæ in alijs affectibus similiter operarent. Sed de his non est nunc dicendi tempus. Ad propositũ itaq; reuertamur.

Stercus caprinum. Cap. 22

Nam humanum, caninum, lupinumq; stercus recensui, alia uero nondum, quorum etiam maior est quàm dictorum numerus: & quædam assiduo habentur in usu, quædam rariore. Omniũ creberrime utimur caprino stercore (Græci σπυράθους proprie nominant) digerentis & acris facultatis: adeo ut & induratis scirrhorum in modum tumo-
A ribus cõgruat, nec tantum lienis, ad quos creberrime medici non pauci huiusmodi stercora applicant, sed etiam aliarum partium. Siquidem ego eo usus sum ad genu tumorem habens inueteratum & ęgre solubilem, iusso fieri cataplasmate ex farina hordeacea per oxycratum indito uidelicet hoc stercore: & mirum est quàm homo ille fuerit adiutus. Erat autem rusticus in quo id factum est. Et iam etiam alius rusticus cum sic usus esset, non tantum in genu, sed etiam alijs in partibus ad tumores similes, perinde adiutus est. Nam acrius est medicamentum, quàm ut mulieres urbanas, aut pueros, aut omnino qui tenera sunt carne, sanare posit. Sed de particulari omnium medica-
B mentorum usu in opere de componendis illis tractabitur. Quin & ad aquã inter cutem, & ad splenicos uarie caprino stercore utimur. Sed & ustũ tenuioris quidem essentiæ, uerum haud manifesto redditur acrius: quamobrẽ sane ad alopecias congruit, & omnia adeò quæ extergentia medicamenta desiderant, ut lepras, psoras, lichenas, & hoc genus alia. Miscetur & digerẽtibus cataplasmatis, qualia sunt quæ accõmodantur ad parotidas & bubonas diuturniores. Est enĩ uis eius tum usti, tum non usti, abstersoria, & digerẽs, nec eam paruam habet digerendi potentiam. Nam medicus quispiã ex ijs qui in agris & uicis medicinam exercent, utebatur eo ex aceto ad uiperarũ morsus, & multo sane etiam magis aliarum bestiarũ: ac profecto ex ijs complures seruauit. Et hic ipse
C quoq; medicus ad auriginem potandas ipsas spyrathos ex uino præbuit, & ad profluuium muliebre cũ thure apposuit. Quæ omnia sane optimus medicus ignorare non debet: cæterũ potiora eligere potissimum ad urbanos & honoratos, alicuiusq; existimatiõis uiros: in quibus equidem ego tali nunquam usus sum medicamine, cum multo meliorum suppeteret copia. Attamẽ existit nonnunquam talium usus, aut in itinere, aut in uenatione, aut rusticatione, cum scilicet meliorum nihil adfuerit, aut homo rusticus perinde fuerit carnis duræ ac asinus. nam eiusmodi multos in agris reperias dignos qui bibãt spyrathos. Porrò quod & suprà monui de urinis & bile & saliua, id nunc memoria repete, nempe uniuersalem & commu-
D nem facultatem eandem omnibus inesse, uerum pro animaliũ temperaturis uariã. Nam eorũ quæ sicciore sunt temperatura, & stercus exiccantius est: sicut & calidiorum magis etiã excalfactoriũ. Verũ nullũ omnino stercus refrigerat, sicut nec ullũ humectat. Sed & pro natura eorũ quæ edũt, multa itẽ fuerit diuersitas. Proinde in hominibus potius quàm alijs animalibus maior est: quandoquidẽ hoc animal diuersissimis maximeq; uarijs cibis utitur. Nam quid simile habeant qui alliũ ac cæpas comedũt, & qui cucurbitam, uerbi causa? At caprarũ spyrathi pro pastu uario nõnihil item habuerint differentiæ, non tamen tantum quantum stercus humanum.

Stercus bubulum. Cap. 23

Similiter stercus bubulum exiguã habet diffe-

rentiam, estq́ue & ipsum facultatis exiccatoriæ. Verum attractoriam etiam obtinet, ut mõstrat dum apum uesparũq́ue morsus iuuat. Atque hæc ut à proprietate substantiæ totius iuuentur, fieri potest. Cæterum medicus quidam medicamẽtorum peritus, in Mysia quæ in Hellesponto est, aqua inter cutem laborantes bubulo stercore oblinens, in solem exponebat. Atque hic ipse imposuit & partibus rusticorum phlegmone obsessis humidum illud uere collectum, cum herbam boues pascuntur. Manifestum autem est hoc esse alio moderatioribus multo uiribus. dico autem aliud, cum paleis uescũtur. Nam hoc medium est inter id quod modo diximus, & quod prouenit ab erui pastu. Liquet ergo, quemadmodum id quod ex pascuo herbaceo prouenit, ad phlegmonas accommodatur, sic istud aqua infestatis esse idoneum. Scire tamen oportet, omnia id genus medicamẽta duris agrestium hominum corporibus aptari, nempe fossoribus & messoribus, & qui opus obeunt tam ualidum, in quibus utique Mysius ille medicus & ad chœradas adhibebat, & ad tumores omnes scirrhosos, ex aceto in cataplasmatis formã compositum imponens.

Stercus ouillum. Cap. 24

Sed & hic ipse medicus ouiũ utebatur stercore ad acrochordonas, & myrmecias, & thymos, & furunculos duros, quos clauos nominãt, aceto uidelicet diluens. Quin et ulcerum ambusta ad cicatricem illo ducebat, nempe stercus hoc cerato rosaceo cõmiscens. Sed & per stercus caprinũ combustum similiter curabat: cæterũ pauculum eius multis numeris maiori cerati moli admiscebat. & in totũ studiũ id illi erat unicũ, omnia curare per ea quæ ex agris facillime parantur: inter quæ sunt & herbę, & frutices, & arborũ flagra, & germina, & folia mollia, & fructus, & cortices: super quibus copiosius dicetur in facile parabilibus.

Stercus columbinum. Cap. 25

Porrò stercore columbarum nomadum (nam sic eas quidam cognominant, à domesticis uidelicet distinguentes) tanquam medicamento excalfaciente & ipse ad multa frequẽter admodũ utor, nempe cũ semine nasturtij cõtusum cribratumq́ue siccum uice sinapis ad ea quæ rubrificari debent, adhibens. Manifestum autem est, quòd inueterata omnia dico in talibus affectibus quales sunt coxendix, hemicrania, scotomata, uertigines, & cephalæa, & in lateribus, scapulis, ceruice, lumbis dolores inueterati: & ad hæc nephritides, & affectus cœliaci, & podagricæ arthritides: quando uidelicet in articulis eorũ nondũ constiterint tophi siue pori. Atque hoc stercus planè fœtidum nõ est, maxime arefactũ. Quocirca & in urbibus eo uarie utimur, aliàs alijs miscentes medicamentis.

Stercus gallinaceum. Cap. 26

Porrò cum conspexissem illum in Mysia medicum gallinaceo utẽtem stercore in eis qui ab esu fungorum suffocabantur: & ipse quoque sum usus in quibusdã urbem inhabitantibus, qui et ipsi fungos esitarant, ipsum uidelicet ad leuorem contritum tribus quatuórue oxycrati aut oxymelitis inspergens cyathis, & palàm adiuti sunt, idq́ue celeriter. nam qui præfocabantur, paulo post uomebãt pituitosum humorẽ omnino crassissimũ, & exinde planè liberati sunt symptomate. est autem hoc stercus columbino minus calidum. Cæterũ Mysius ille medicus dabat etiam bibendũ stercus gallinaceum ijs, qui diutino coli dolore fuissent uexati, ex œnomelite. quòd si hoc nõ aderat, ex aceto aut uino aqua diluto. Porrò memoria tenere oportet cõmunem de omnibus animantibus rationem, nempe tum in ijs quæ in corporibus ipsorum continentur tam humida quàm solida, tũ in ipsis partibus plurimam esse diuersitatem montanorum quæ uocant, & eorum quæ in pratis, paludibus, lacubus, & ædibus uersant. Semper enim quæ exercentur, ijs quæ non exercentur, sunt sicciora: & quæ cibis utuntur calidioribus

sicciorib usq́ue, ijs quæ humidis frigidisq́ue. Nam in columbis (quãdoquidem creber nobis earum stercoris est usus) multo semper inferius ac imbecillius expertus sum earum stercus quæ in domibus degebant, quàm earum quæ in montibus, quas nomadas nuncupant. Tum gallinarũ quoque inueni multo etiam imbecillius earum quæ conclusæ seruãtur, & furfuribus aluntur, non paulo autem ualẽtius earum quæ in agris, atrijs, aut foris pascuntur.

Stercus anserum & ciconiarum. Cap. 27

Cæterum stercus anserinũ præ nimia acrimonia inutile est. Colligo etiam ita esse & accipitrũ, & aquilarum. Verum fugiẽda est materia omnis eiusmodi quæ difficulter comparari potest. Qua occasione complures ualidissimas uires talib. materijs testimonio adscribunt suo ceu non facile redarguendi: uelut qui ciconiarum stercus comitiali morbo mederi scriptitãt. Verũ quanquam hoc multis alijs quæ scribunt, longe sit parabilius, curiosum tamen est, ut taceam falsum esse, quod de illo est proditũ. Nam quidam ijs qui talia memorant, credulus, epoto hoc stercore, nihil adiutus est. Nam & antequàm experiare, promissorum prauitatem ac falsitatem ipsi qui talia scribũt detegũt. Nam cum multis modis difficulter homines spirent, nec quòd omnibus conferant adscribũt, nec quòd his, aut huic. Tametsi sunt inter eos qui talia scriptitant, qui nõ simpliciter dispnoę, hoc est difficilis spirationis, sed orthopnoæ talia esse remedia dicunt, nempe ciconiæ stercus, noctuę sanguinem, urinam humanã, & alia his absurdiora: haud sciẽtes quòd pituitosus uiscosusq́ue succus bronchia obstruẽs pulmonis, huius affectus sit causa, & quòd in eo euacuando consistat medela, & quòd euacuatur dum per tussim excreatur, & quòd id fieri nequeat absque crebro epoto medicamento acriore. At hi adeò sunt nugaces, aut præstigiatores, aut quo illos digno appellẽ nomine nescio, ut dicant absurdorũ istorũ poculorũ unumquodque epotũ à dyspnœa liberare: quod fieri non posset, ne si uel specillũ fas esset alicui in pulmonem demittere, quo infixũ humorem tolleret, semel duntaxat demisso. Præstabat itaque illis dixisse, nõ si epotus sit

hic

hic sanguis, aut urina sanare dyspnœam, sed si potetur. Rectiusque etiam quod nō semper & omnino sanabit, ne si uel assiduo potetur: sed quod multos sanauit, multos uero adiuuit quidem, sed morbo prorsum nō liberauit. Sed hos iam mittamus, & quod deinceps est, ad id pergamus. Cuiusque enim stercoris acrimoniā & digerēdi uim possidentis, prout aliud alio plus minusue eius sortitum est facultatis, ita particulares in ipsis proueniūt differentiæ: ac proinde aliud hoc pathema potius, aliud illud magis curare ualet.

Stercus murium. Cap. 28

Sic enim murium stercus alopecias curare proditum est, & inuētus est quidam medicus, qui ad hoc pathema utebatur cōposito medicamēto ex muriū stercore confecto. Et alius quidā glandem puero familiaribus rogātibus ut apponeret, præcepit ut ex stercore cōficeretur murium. Quo dicto omnes qui audierāt in risum soluti sunt, quòd cum tot essent quę apposita sedi ad excretionē excitarent intestinū, ille omnibus præteritis ad murium confugisset stercus. nam re uera pudendum est alia etiam experiri uelle, cum omnes ceu curiosum & præstigiatorem condemnent eum qui talia aut faciat, aut dicat. Itaque de murium stercore hæc quoque sufficiunt.

Stercus crocodilorum terrestrium. Cap. 29

Cæterum terrestrium crocodilorum, horū inquam exiguorum, & humi serpentiū stercus pretiosum effecere mulieres deliciosæ, quibus nō est satis quod alia sint medicamenta tam multa, quibus faciei cutis & tensa & splendens efficitur, quinetiam adiungant stercus crocodilorum. Similis illi est et sturnorum, cum solam oryzam ederint. Clarum itaque est quòd abstergendi desiccandique facultatem utranque moderatam habent stercora eiusmodi, & multo moderatiorem & hebetiorem stercus sturnorum. At stercus crocodilorum sicut à facie ephelem tollit, ita & uitiliginem & lichenas.

Rhypos, hoc est sordes hominum. Vide suprà etiam libro 8. statim post Rhun. Cap. 30

Sordes nascitur non tantum per totam corporis cutem, sed & in auribus, sed ob paucitatem paratu difficilis est. Proinde de illa nihil scribunt, nisi quod paronychijs congruat sordes auriū, quam sanè etiā solam per se licet accipere. Nam quæ in tota cute prouenit, & in balneis & in palæstris deraditur, conferens nonnihil & ipsa ad patū quē uocant, de quo suprà disserui. Sed & generatio eius naturam indicat. Nam si sordes est crassum illud ac terrestre, quod reliquū est eorū quæ per latentem transpirationem euacuātur, sequitur ut desiccandi uim habeat, cū nōnulla caliditate iunctam. Ea tamen sordes quæ lanis ouium inhæret & adnascitur, ex qua œsypon, quod uocant, cōficitur, concoquēdi uim habet similem butyro: paulum uero etiam digerentis facultatis obtinens.

ARGVMENTA CAP. LIBRI XI. GALENI DE FACVLTATIBVS MEDIcamentorum simpliciū, scilicet de remedijs ex animalibus, eorumque partibus, & rebus quibusdam marinis.

Prooemium. De carne & parenchymate simpliciter. De nominibus non litigandum. Cap. 1. De carne uiperæ, cum historijs quinque & experimentis. 2. De uiperarum & dipsadum differentia: de maritimis uiperis. de uiperarū apparatu ad theriacam. pastilli theriaci quomodo fiant. sales theriaci. 3. Iterum de carnis uiperinæ facultate. Animalium carnes non modo nos nutrire, sed omni qualitate afficere, calida, frigida, humida, sicca: ut in tertio de temperamentis dictum est. Carnes echini terrestris. feles salsi. mituli. cochleæ cū experimento Galeni: de quibus infra cap. 29. 4. De adipe & seuo in genere primū: deinde priuatim de suillo, caprino, anserino, gallinaceo, taurino, hædorum, hircorum, leonum. contra illos qui omnia uocāt styphonta, etiam quæ acria sunt. de uiperino, ursino, uulpino, & piscium adipe. 5. De medullæ uiribus, delectu, & quomodo recōdi seruarique debeat. 6. De capitibus mænidum, leporum, lacertorum, & rursum leporum. 7. De cornibus cerui & caprarum. 8. De pulmonibus agni, suis, & uulpis. 9. De iecinoribus canis rabidi, capræ, hirci, & lacertæ. 10. De uentriculo mergi & gallinacei. de iecore lupi. 11. Castoreum: & primum quod calidum, siccum, & tenuium maxime partium sit. canon generalis. experimēta Galeni. 12. De renibus scincorū. 13. Vngulæ caprarū & asinorum. 14. Ossa: experimentū de humanis. 15. Senecta serpentis. 16. pellis ouina. 17. lichenes equorum. 18. tela araneæ. 19. coria uetera, cum experimento. 20. ostreia genus, ostrea speciem significare. 21. buccina & purpuræ. uide mox cap. 24. 22. ostrea (& canon generalis de illis, quorum terrena & dura substantia est) & reliqua ostracoderma. lapis specularis. 23. os sepiæ. 24. purpurarū opercula, uide superius cap. 21. 25. lanæ succidæ. 26. pili usti. 27. oua: & primū, ouū non esse partem animalis: albumen oui, & quod ad oculos lacti præferat, &c. de albo priuatim, mox de luteo, denique de ouo integro. quæ miscenda sint ouis in aceto coctis ad uentris fluxiones, &c. 28. echini usti. 29. cochlearum experimenta ad dysenteriam, & tumores artuum. uide supra circa finē ca. 3. 30. cancri usti, cum experimento ad morsos à cane rabido. 31. hirundines ustæ. 32. cicadæ. 33. alaudæ, cum experimento ad colicos. 34. ius gallinaceum. 35. mustela. 36. ranæ ustæ. 37. hippocampi cinis. 38. tellinæ ustæ. 39. lumbrici. 40. cimices. 41. cantharides. 42. bupræstis. 43. pityocampe. 44. salamādra. 45. torpedo. 46. quæ uiua animalia, quibus affectibus imposita conueniant: de animalib. quæ oleo incoquuntur. 47. de uulpibus & hyænis, cum experimentis. 48. de ijs quæ gignuntur in mari, & aquis salsis: & primum de adarcio. 49. alcyonia. 50. sales, uide etiam supra libro 9. cap. 30. 51. sales usti. 52. litrum, uide supra libro 9. cap. 45. 53. salis flos. 54. maris spuma. 55. bitumen marinum, & cum in alijs aquis tum mari mortuo genitum. 56. spongia cum experimētis. 57. garus. 58. muria, cum experimento.

GALENI DE SIMPLICIVM MEDICAMENTORVM FACVLTATIBVS

Liber undecimus.

PROOEMIVM.

PLERAEQVE animantium partes communes inter se omnium sunt, nulla tamen est æque cõmunis ut caro. hanc enim habet omne animal sanguine quidem præditum, ut homo, & omnes quadrupedes, tum aues, serpẽtes, lacerti, quos sauros uocãt, testudines, & quæ sunt eius generis. Sanguine carentia, tum ostrea omnia, tum non pauca eorũ quæ in aquis degũt, sicut & nonnulla quæ in terris. & quod ex animantib. maxime editur, caro est. Nam & uiscerũ plurima moles ex carnibus ipsis inhærentibus cõstat. Verum nõnulli medicorũ carnẽ uiscerũ parenchyma uocandam cẽsent, propterea ꝙ ex uenis effusus san- B guis circum uasa omnia cõcrescat, ut ipsi arbitrantur. Sed eam quæ uisitur in musculis, solam carnis appellatione dignantur. Verũ de nominibus, ut semper monemus, cõtendendum nõ est: sed exercenda potius rerũ sciẽtia, cuius nos quoq; studio usq; dediti, quæcunq; tũ de cuiusq; animantis partibus, tum de cõmunibus cognouimus, eaq; partim experiẽtia, partim ratione docti, omnia deinceps exponemus, orsi à carne proprie dicta.

Caro uiperæ. Cap. I

Non omnes animaliũ carnes hominẽ nutriũt, sed quorundã etiã letales sunt, nõ secus atq; uenena quæ uocãt deleteria. tum inter eas carnes quæ hominẽ nutriũt, quædã hoc ipsum tãtũ sunt, nempe nutrimentũ. quædã uero supra ꝗ ꝙ nutriũt, ha- C bent & facultatẽ ceu medicamẽti, quãdoquidem desiccãdo, humectãdo, excalfaciendo, ac refrigerando corpus alterãt. nã uiperarum carnes palam uidere est excalfaciẽtes & desiccãtes, ubi cõdiuntur ceu anguillæ, nẽpe oleo, sale, anetho, porro & aqua, seruato nimirũ modo. ꝙ autem totũ corpus per cutim euacuẽt, discere tibi liceat uel ex ijs quę ego iuuenis etiãnũ in Asia nostra sum expertus, quæ singulatim deinceps narrabo. Homo quidã morbo quem elephãta cognominant, laborans, aliquousq; cũ sodalibus cõuersabat̃, donec ex ipsius consuetudine cõuersationeq; quidã ipsorum morbi inficerent̃ contagione, & ille iam odoratu D grauis, ac fœdus redderet̃ aspectu. cõstructo igit̃ illi tugurio proxime uicum in iugo collis propter fontẽ, illic hominẽ collocãt, tantũ illi quotidie ciborũ ferẽtes, quod uitæ sustinẽdæ satis foret. Cæterũ ad canis exortũ, cũ forte messorib. haud procul inde metẽtib. uinũ esset allatũ in fictili sanẽ ꝗ fragrãs: is quidẽ qui attulerat, deposito illo prope messores abijt: uerũ ubi eius bibẽdi aduenisset tẽpus, sublato fictili adolescens, ut pro more impleto cratere, cõpetente aqua uinũ tẽperaret, in cratera uinũ effundit, & unà excidit uipera mortua.

A Quare attoniti messores, ueriti ne q̃d, si bibissent, inde sibi malũ eueniret, suã quidẽ sitim aquæ potione sedare maluerũt: cęterũ cũ illinc discederẽt, prę humanitate uidelicet ac misericordia homini illi elephãti obnoxio uinũ largiunt̃, rati expedire illi potius mori, ꝗ uiuere in ea miseria. At ille ubi bibisset, admirãdũ in modũ sanitati restitutus est. nam tuberosum illud omne cutis totius nõ aliter ꝗ animaliũ à testæ mollitie nuncupatorũ malacostracõ, tegmẽ decidit. quod aũt reliquũ erat, molle admodũ apparuit, instar cutis cancrorũ ac locustarũ (carabos Græci uocãt) ubi extima testa fuerit detracta. Alterũ quoq; eiusmodi non dissimili casu in Mysia Asiæ, nõ procul ab urbe nostra accidit. Vir quidã elephanto laborãs profectus est ad aquarũ spõte nascentiũ usum, sperãs inde nõnihil se cõmodi adepturũ. Erat illi scortũ mancipiũ, iuuencula sanè formosa, cõpluribus amatorib. ambita. Huic tum alia quędam ex domesticis rebus, tum pœnũ æger cõcrediderat. Profectis igit̃ illis, in ædibus, quibus uicinus erat locus squalidus, & uiperarum plenus, forte fortuna ex illis una in urceũ uini incidit negligẽtius positũ: extinctaq; est. Ac scortũ quidẽ in lucro id reputãs quod fors euenisset, hero id uini propinat, atq; ille ebibit: cæterũ exinde ad eũ modũ quo ille qui degebat in tugurio, persanatus est. Atq; hęc iã duo sunt experimenti ex fortuita occasione sumpti exẽpla. Porrò tertiũ quoq; annectã, quod ex nostra profectũ est imitatione. Cum quidã hoc morbo ęgrotaret, animo magis ꝗ uulgus philosophico, & contemptore mortis, oppido ꝗ grauiter ferebat, satiusq; dicebat mortẽ semel perpeti, ꝗ uitã uiuere tã miserabilẽ. Itaq; illi quæ superiorib. duobus accidissent indico. Erat aũt ipse auguriorũ peritus, & amico utebat̃ mirifice hãc disciplinã tractãte. Itaq; ubi ad auguriũ cum illo consedisset, persuasus est, ut quæ per experientiã essent cognita, ipse imitaretur: atq; epoto uino quod sic erat ueneno infectum, leprosus factus est: ac postea leprã eius nos consuetis remedijs sanauimus. Quartus prętereà uiuas capere uiperas arte utebat̃. Sed illius in illo morbi tantũ erãt principia: itaq; cura studiũq; nobis fuit, ut illum ꝗ celerrime sanitati redderemus: quocirca misso sanguine, atraq; bile medicamẽto detracta, uiperis quas capiebat uti iussimus, præparatis in olla anguillarũ in modũ. Atq; hic ita sanatus est, euaporato per cutem affectu. Postremo & alius uir quidã opulẽtus, nõ nostras ille quidẽ, sed ex media Thracia, Pergamũ aduenit admonitus somnio: ubi iubente deo per insomniũ, ut quotidie medicamentũ biberet quod confectũ est ex uiperis, forisq; corpus inũgeret, nõ multos post dies morbus in leprã abijt: rursumq; et hoc pathos quibus deus precipiebat medicamẽtis curatũ est.

De uiperarum & dipsadum differentia, &c. Cap. 2

Sane uiperarum caro adeo ingentem obtinet desiccandi facultatem, ut quidam qui eam edere, uehementissima cruciati sint siti: ac proinde illas dipsadas cognominant. Sunt autem qui dicāt demorsos à uiperis satiari non posse potando, sed dirumpi citius, quàm siti liberari. Quocirca eos qui Romæ uiperas uenantur, quos Marsos nuncupant, percontatus sum, ecquid haberet signi quo genus utrumq; uiperarũ discernerent. At illi prorsum negabant ullum esse genus uiperarum dipsadum, uerum eas quæ iuxta mare atq; in locis degunt salsedinem multam habentibus, carnem obtinere salsam: ac proinde in Libya talium ingentē esse prouentũ: in Italia uero propter regionis humiditatem non inueniri. Atq; hæc quidem narrantes audiui Marsos, nō tamē certò dicere queā, an in totum uerum dixerint, an partim etiam falsum. Nam quasdā esse uiperas in ijs quas memorabant regionibus, quibus salsa sit caro, uel maxime mihi uidetur esse probabile. Scio enim cum cibis animalium mutari carnes: non tamen nullum esse genus uiperarum dipsadum pronunciare ualeam. Cæterum tutissimum est cauere, ne in eiusmodi regionibus uiperas uenemur seu ad usum, seu ad medicamenti præparationem, quale est & hoc præclarũ quod medici propè omnes Theriacā appellitant. Porrò quoniam ex more, cũ artiscos theriacos, quos uocant, præparamus, non tantum caput, sed et caudam earum abijcimus, subijt mihi frequenter rationabile fortasis esse, caput quidem totum abijci, ob uenenum quod ore continēt, uerum à ratione alienũ esse, adimere & caudam. Nec enim dicere liceat quòd id faciendum sit ob recrementa tũ liquida, tũ sicca. Nam interfectis atq; excoriatis apertisq; exēpta interanea omnia abijcimus, ut sola sit carniũ substantia reliqua unà cũ arterijs uenisq; per ipsas innatis, quarum minima moles est ut ad totā carnē, ac ne apparēs quidē, nisi quis multũ diligenter intētis oculis cōsideret. Atq; artiscos, quos & Theriacos uocant, hunc in modum præparamus. Purgatas illas in aqua lixamus, quoad exacte nobis uideanť coctę. Indimus autē ab initio statim aquæ anethum, & post coctionē spinas à carne separamus: mox pani ad leuorem trito carnem cōmiscemus. Verum nō quemlibet panem citra delectum accipimus, sed q̃ fieri posit purissimũ, simul & probe in clibano coctum, & salis simulq; fermenti quod satis sit habentem. Eum autem antea desiccamus in ædibus siccis, minimeq; humectis, donec adeo siccus efficiatur, ut in mortario contundi posit. Nō tamen tundentes miscemus, uerum aqua in qua decoctæ fuerant uiperæ, maceramus, & carnem ipsam prius q̃ cōmisceatur pani, in mortario coquorum eatenus conterimus, donec exacte reddatur leuis. Postea paruos artiscos fingentes, atq; in ędibus calidis siccisq; desiccātes, deinde quoq; in talibus repositos seruamus. Hos ergo ineunte æstate conficimus, quo potissimum tempore optima est uiperarum caro. Porrò utimur eis postea

A contusis denuo & cribratis, & rursus ad leuorem redactis, salis nonnihil adijcientes ad suauitatem compositi, cuius etiam aliquid ipsi theriacæ inijcimus. Cæterum eodem quoq; tempore ex uiperis deustis salem conficimus, uiuis illis in ollam nouā iniectis unà cũ ijs medicamentis quæ illis & substerni, & apponi assolent, quæ omnia nunc cōmemorare non est præsentis negocij. Nam inuenientur fortasis etiā qui me nō iniuria reprehendent, ob monstratam hoc in loco Artiscorum præparationem, tanq; alieno tempore expositā. Verum hæc posteaquam dicta nunc sunt, seruenť tamen ac maneant, etiam si non admodũ uideantur huic instituto propria. At quæ sequuntur, conuenienti dicantur modo.

B *Iterum de carnis uiperinæ facultate. Cap. 3*

Conueniens autem est generalis facultatis meminisse, carnem uiperinam dicendo exiccatoriā, & ualenter digerentem, mediocriter uero excalfacientem. Properat autem, ut uidetur, uis eius ad cutem, per eam uidelicet quæ in corpore sunt recrementa exigens. Quibus ergo affatim est mali succi in corpore, ijs ingēs prouenit pediculorum numerus, & à cute ceu squama abscedit ac decidit extima cutis, quam Græci uocant ὑποδερμίδα, ad quam sistuntur ac retinētur crasi terrosiq; humores ad cutē protrusi, à quibus quidem psoræ, lepræ & elephantes nascuntur. Et hęc quidem habui quæ de uiperarum carne dicenda putarem. Rursum ergo sermonem repetam. Calidiorum C natura animalium carnes non solum nos alunt, sed etiam calfaciunt: frigidiorum autem refrigerant: sic etiam sicciorum carnes desiccant: humidiorum humectant. Memoria itaq; repete, quemadmodum didicisti in libris De temperamentis, quòd ubi cōieceris animal quoduis temperatura esse siccius, uelut exempli gratia suem syluestrem domestico, huius & carnē esse magis exiccatoriā, & secundum alias temperaturarum differentias similiter: puta sue sicciorē ouem, & hac capram, qua bouem, quo deniq; leonē: sic in caliditate leo calidior est cane, canis tauro, taurus boue execto. Itaq; pro portione, qua cætera animalia in temperatura excedunt, & carnes quoq; eorum differũt atq; exuperant. Proinde ubi consilium fuerit cor- D pus exiccare, sicciorum temperie animalium carnem exhibeto: calfacere autem uolens, calidiorũ: & frigidiorum, si coneris refrigerare: deniq; si humidius reddere, humidiorum. Nec parua existit carnium differentia, cum quasdam sale cōdimus. Nam prorsum diuersæ atq; aliæ euadunt, adeo ut sæpenumero animalis temperatura humidissimi caro salita longè euaserit exiccatior, q̃ ea quæ natura fuerat sicca. Porrò inter eas quæ salitæ non sunt, siccior est quæ assa est, q̃ quæ in aqua elixa. Scripserunt autem & aliorum animalium carnes quidam prodesse tum comesas, tum in partes affectas impositas, ut erinacei terrestris desiccatam, si bibenda præbeatur elephanto obnoxijs, cachecticis, hoc est qui mali sunt habitus, tum conuulsionem sæpenumero patiētibus, nephriticisq;, & ijs

qui laborāt aqua inter cutem, quam anasarca uocant. Ac si ea efficere potest, facultatem habuerit ualenter simul digerentem desiccātemq́, sicut & caro Mustelæ (Græci galen uocāt) arefacta, quæ utiq; comitiali morbo afflictos iuuat epota. Sed & salitorum Hælurorū carnem ad leuorē contritam palos & spicula educere aiunt, impositam ui delicet tanq; trahendi uim habeat. Porrò Mutulorum, quos Myacas Græci uocant, carnem ulceribus à mordente cane inflictis competere. Ego uero nullam insignem inuenio facultatem quam requirāt id genus ulcera, tanquam ea quæ à rabido cane mordente sunt illata. At cochlearum caro prius in mortario contusa, ac postea ad leuorē redacta, omnium ualētissime desiccat partes super fluo humore grauatas, adeo ut & hydericis cōueniat. Ipse autem humor solus per se citra carnem (uocatur autem is à uulgo cochliū myxa, hoc est mucus limacis) thuri mistus, aut aloe, aut myrrhę, aut horum quibusdam, aut omnibus quoad accipiat cerati crassitiē, medicamentū fit tenax, desiccatq; purulentos mucos aurium: sed & fronti impositum inhæret, oculorum fluxiones resiccans. Quidam etiam ad palos eximendos utūtur totis unà cum testis ad leuorem tritis: sed & quidā ad sistendos menses. Equidem ego aliquando in agro carnes ipsas solas in uulnus cū nerui uulneratione & contusione factum tritas imposui, ipsumq; uulnus pulchre glutinatū est, & neruus phlegmonem haud perpessus: erat autem homo durus & agrestis, miscui tamen illis contritis pollinem farinæ acceptū à pariete molæ proximo. Scripsere autē maiores me nōnulli medici, ad eiusmodi usum miscēdum thus aut myrrham. Verum horum habebam tum neutrum, ut qui tūc ab urbe abessem in agro. Possis autem & resinæ frictæ contritæ admiscere, si adsit, quippiam. Porrò ubi multi muci cochlearū accipere uoles seorsum, stylo carnem earū pungito. Sed non ante multos dies uenatas esse expedit: alioqui eō tēpore desiccantur. Nam recentes plurimū habent uiscosæ illius humiditatis, quā stylo cōpunctæ effundūt. Humiditas hæc pilorum in superciliis præter naturam gluten est.

Pinguedo, & adeps. Cap. 4

Pinguedo, & adeps, & hæc quoq; communissimæ sunt inter animalium partes. Nam quæcunq; bene nutriuntur, ea omnia aut pinguedinem, aut adipē obtinent. Quæ uero macilenta sunt, maleq; nutriūtur, sæpe omnino ne habere quidem, sæpe uero pauculum, idq; siccum, ut ægre uti possis, apparent. Porrò differt à pinguedine adeps, q crassior sit, ac propterea animantibus totam naturam terrosiorem habētibus adeps prouenit, uelut humidioribus pinguedo. Proinde pinguedo celeriter in ignem posita liquescit: nec facile ubi liquata fuerit, rursum concrescit ac cogitur. At adeps nec facile funditur liquescitue, & fusus celerrime coit ac cōglaciatur, multoq; apparet pinguedine durior. Sus enim bene habitus pastusq; multā habet pinguedinē, ob naturalem temperamenti humiditatē. At boues & capræ, & quæcunq; id ge-

A nus cornigera, ob siccitatem adipem plurimū generant. At tu si uoles, oleosam & pinguem in animalibus substantiam omnem adipem appellato, ut pleriq; medici. Sed & pinguedinem appellare totum hoc genus licet. Non tamen licet citra mēdacium adipem caprinum humidiorem esse dicere q suum. Nā hic omnium ferme aliorum est humidissimus, ac proinde actione sua uicinam oleo uim possidens, quanq; oleo magis tum emolliat, tum concoquat, ac proinde cataplasmatis quę ad phlegmonas accommodantur, commisceri solet. Qui uero mordicationes perpetiuntur aut in recto intestino, aut in colo, iis potius caprinum adipē q suillum iniicimus: nō q acrimonias plus obtundat (nam ex natura sua suillus obtūdit magis,

B ac proinde miscetur medicamentis ulcera curantibus, cuiusmodi est quod uocant parygrum) sed q caprinus ob crassitiem citius cōcrescat, suillus autē instar olei defluat: proinde ipsum potius dysentericis & tinesmosis iniicimus, quando morsum eorum mitigare cōsilium est. Porrò ob tenuitatē essentiæ nonnulla acrimonias magis retundunt, ubi nimirum in alto mordicatorum corporū quod molestum est hæserit. Nam quod crassiorum est partiū, minus, magis autē quod subtiliū, tota corpora penetrat, & omnib. ipsum saniebus mordicantibus permiscetur. Hac ratione adeps anserinus quæ in alto corpore mordicant magis obtundit. Sed & suillo calidior est. Horum tamen in medio est gallinaceorum adeps ac gallinarum.

C Porrò calidior semper ac siccior est masculorum animalium, & horum ipsorum exectorum minus tum calidus, tum siccus. Quippe mas castratus eiusdem semper generis fœminæ assimilatur. Hoc autem sermonis caput commune est, cuius meminisse oportet: Pro animalium temperatura semper existere differētias eius quę in illis est pinguedinis, aut adipis, aut quocunq; modo appellare libebit totum hoc genus corporis in animantibus oleosi & pinguis. Igitur cū sus omnibus prope quadrupedibus animalibus in caliditate ac siccitate inferior sit, proinde pinguedinem quoque minus habet calidam, magisq; humidam. Omnis igitur pinguedinis facultas est humectatoria & excalfactoria humanorum corporum. (Huius enim meminisse perpetuo oportet in principiis

D huius operis dicti.) At differētiæ quæ sunt cuiusque singulatim, in maioris minorisq; ratiōe sunt. Nam pinguedo suis, ut ad nos quidē, largius humectare potest, sed nō æque excalfacere ut oleū: uerum pinguedinis suum talis est caliditas, qualis spectatur in nobis. Porrò taurorum adeps suillo multo calidior est & siccior. Rursum id memoria repetentibus nobis, marem fœmina esse tum calidiorem, tum sicciorē: marem autem castratum adsimilari fœminæ, uelut quicquid iuuenis est ætatis. Et inter iuuenilia fœmina mare humidior est, & minus calida. Sic & adeps uitulinus taurino minus tū calidus est, tum siccus, & hœdorū q caprarū: Sed & caprarū minus q hircorum: Et rursum hircorū minus q leonū. Nam horum adeps

omniū propè quadrupedū adipe potentius digerit. Nam & caliditate exuperat, & partiū tenuitate. Itaq; si ipsum medicamentis ad ulcera & phlegmonas conuenientibus cōmisceas, nō modo nihil adiuueris, uerumetiā læseris, nimirū addita maiori quàm conueniat acrimonia. Inueteratis tamen tumoribus atq; scirrhi in morē induratis, tū neruorum curuaturis(ἀγκύλας Græci uocāt) & in summa quæcunq; scirrhosa sunt, ijs aptissimus est, in quibus sanè minime apparet efficax suillus. Taurinus autem ab utroq; ex æquo distat: ut quāto calidior sicciorq; suillo est, tāto superetur à leonino. Itaq; tanquàm in medio consistens, merito utriq; medicamentorū miscetur generi, & ei scilicet quod scirrhosis medef, & ei quod phlegmonas cōcoquit, cuiusmodi est tetrapharmacū quod uocant, ex cera, resina, pice, & adipe constans. Nam siue in hoc taurinū, siue uitulinū, siue hircinū, siue caprinum, siue suillū indideris, semper puri mouendo aptū, & concoctorium medicamē effeceris. Sed suillus si addatur in pueris, & fœminis, & ut breuiter dicam, omnibus quibus caro est mollior competit. Sin taurinum adieceris, fossoribus & messoribus, & omnibus carnem duram habētibus, siue ob naturalem temperiē, siue ex ratione ac forma uitæ, cōueniens effeceris. Cæterum adeps dum inuetefascit, seipso & calidior, et tenuior efficitur, ac proinde quoq; ualētius desiccans. Verū id omnibus inueterascentibus accidit, quæ quidem nō putrescere anticipent. Nam uinum, mel, acetū, frumentum, butyrum, œsypus, oleum omne, siue lentiscinum, siue cicinum, siue raphaninum, siue ipsum quod ex oliuis cōficitur, uetustate & calidiora, & tenuioris essentiæ efficiuntur, ac proinde gustantibus apparent acriora, & ad induratos ægreq; solubiles affectus adhibentibus potentius digerentia. Atq; ego sanè gustantibus acriora uideri dixi. At quidam quibus studium est nominū significatus corrūpere, non acria sed astringentia uocāt id genus omnia, adusq; piper: tanquàm intersit nihil, adstringēs, an acre dixeris. Et si denuo illos roges de galla, myrto, mespilis, mali punici putaminibus, quæ sidia uocāt, rhoo & omphacio, & hæc dicūt adstringere: tametsi aduersissimū ex illis sensum percipiamus, ei qui à pipere, pyrethro, sinapi, euphorbio, cæpa, allio, adarce percipif. Igitur si quēadmodum adstrictionis uocabulū de utroq; affectu quem gustu percipimus, cōmuniter efferunt, sic ipsos quoq; affectus unam habere naturā existimant, quiduis aliud potius habendi quàm homines, ut qui soli proprios sensus obtineāt. At si omphaca, rhoon, gallā, balaustium, hypocystida contrahere cōstringereq; nostram fateantur substantiam, secernere uero, mordicare ac penetrare, piper, sinapi, pyrethrum, impropriè adstringentia nuncupant quæ mordicant & excalfaciunt, cæterum in cognoscendis ipsis medicamentis nō peccant. Verum si oportet coniectantē dicere, in uocabulis, an in rebus allucinentur, equidem in uocabulis potius falsos uiros illos dixerim, & maxime quib. Græca lingua insueta est, qualis est Dioscorides Anazarbēsis, qui profecto multa bene dixit eorum quæ de materia memoriæ prodidit, cæterum significata græcanicarum uocum non satis pernouit. Hic ergo cum ait, magis esse adstrictorium adipem caprinum suillo: siquidem acriorem significare uelit per magis adstrictorium, accipimus sermonem ceu uerum. At si illud, talem habentem qualitatem, qualem rhus, rheon, hypocystis, balaustium, haud uerum esse sermonem dicemus. Porrò quoniam uiperarū adipem ubi radicitus pilos sub alis euulseris, prohibere illos recrescere illitum referunt, uisum est mihi eius facere periculum esse satius: at ubi prout iubēt fecissem, mentitos comperi, sicut etiam quòd initia suffusionum sanet. Verum ursorum adipem alopecias curare uere est proditum: cum tamen probatiora habeamus ad eum affectum remedia. Porrò cum dicant tamen uulpinum adipem dolores aurium sanare, absq; ut dicant quos aurium dolores, ceu non noscentibus ipsos distinguere, attēdendum non est. Alij piscium adipem laudant, tanquā ad suffusiones, aut quemcūq; alium affectum nominare uelint, congruat. Alij non similiter piscium dicunt, sed addunt fluuiatiliū, alij uero potius marinorum: quò uidelicet aliquid plus scire uideantur quàm uulgus.

Myelos, Medulla. Cap. 5

Medulla uim habet indurata & scirrhosa corpora emolliēdi, siue musculis, siue tendonibus, siue ligamētis id accidat, siue etiā uisceribus. Optimam semper expertus sum ceruinam, deinde iuniorum boum, quos uitulos etiam nominant, ac proinde medullam eorum uitulinam appellitāt. At hircorum & taurorum tum acrior est, tum siccior. Itaque durities scirrhosas emollire nequit, si qua etiam memoria manet eorum quæ in quinto libro de his sunt prodita. Ex uitulina igitur & ceruina medulla pessi cōponuntur uteros emollientes. Et extrinsecus uteris medicamenta imponuntur, quæ ex medulla præparantur, uim habentia emolliendi. Accipitur autem non solum medulla ex ossibus, quæ sanè reuera est medulla, sed & ex spina, quam & ipsam medullā nominant, spinalē uidelicet: quæ tum durior, tum siccior est quàm alia. Illa enim mollior est & pinguior: ac proinde ego spinalem seorsum per sese absq; illa repono. Sed ea mihi utriusq; cura est ne aut putrescāt, aut situ colligāt. Itaq; in hyeme primum eas capio, uelut & adipem, deinde in ædibus siccis atq; editis, planè humoris expertibus, cum folijs lauri siccis repono. Nā quæ recentia sunt & humida, multum etiam qualitatis suæ illis impartiunt, ut acriores fiant medullæ. At si quando ambiente calido & austrino medullas aut adipem uoles reponere, paratum sit in hoc cubiculum neq; calidum, qualia ferè sunt quæ meridiē spectant (putrescunt enim in talibus) nec humo proximū, atq; humidum (nam in talibus situm contrahunt) sed supernū atq; excelsum, & ad aquilonē obuersum, paruas habens apertas fenestras, ut tam noctu quàm interdiu ab Arcto spirantes uentos accipiat.

Caput

Caput mænidum. Cap. 6

Capitibus mænidum sale inueteratarum ad sedis fissuras utebatur quidam, & is ipse ad columellam diu induratam. Videtur ergo uis illarum esse desiccatoria, non admodum acris, nam id adustarum quæpiam obtinent, sicut omnes communiter desiccationem.

Caput leporum.

Alius caput leporis comburens utebatur ad alopecias cum adipe ursino.

Caput saurarum.

Porrò sauræ caput contritum quidam palos & spicula extrahere memoriæ reliquerũt, tum myrmecias, acrochordonas, & clauos.

Cerebrum leporis.

Cerebrum leporis attritum & esum utile esse didicimus pueris dentiẽtibus, capite uidelicet toto elixo, ut ego facere soleo. Nõ tamẽ eximia uis eius est, sed similis melli & butyro, & alijs quæ ad dentientes pueros cõueniunt. Quidam etiam aduersus metũ utiliter edi cerebrũ hoc prodidere.

Cornua cerui & capræ. Cap. 7

Cornibus cerui & capræ ustis maxime utuntur, ut & nos sæpe usi sumus, tum ad candorẽ dentium, tum ad contrahendas mollitie fluidas gingiuas. Cæterum ceruinum maxime commendatur ab ijs qui talia scribunt, quod si ab ustione lauetur, dysenteriam & sanguinis excreationẽ, præterea cœliacos affectus sanat: & aurigini utile esse dicunt. Porrò duo exhiberi cochlearia ad omnia ista præcipiunt. Miscuerunt autem ipsum nonnulli, ut dictum est, ustum et elotũ collyrijs etiam desiccantibus oculorũ fluxiones. Est enim scilicet omnium talium uis exiccatoria: uelut & dictum est.

Pulmo agninus, & porcinus. Cap. 8

Pulmo agninus pariter & porcinus intertrigines à calciamentis curare creditur. At uulpinus si bibatur resiccatus, asthmaticos iuuat.

Iecur canis rabidi. Cap. 9

Iecur canis rabiẽtis si assum edatur, remedium existere ijs, qui ab ipso fuerint morsi, quibusdam est proditum: ac scio certe quosdam qui sumpsere mansisse superstites, uerũ non illo duntaxat usos. Siquidem alia præterea remedia, quorũ fecimus periculum, in rabientibus tunc adhibuimus. Audiui uero quosdam cum illi soli fidem habuissent, postea mortuos.

Iecur caprinum.

Porrò caprinum iecur quidam assantes, saniẽque effluentem excipiẽtes, ea utuntur ad nyctalopas. Vaporem autem eius dum lixatur, oculis apertis excipiendũ præcipiunt. Quin & assum si edatur, & ad eosdem affectus accommodari aiunt: & eos qui comitiali morbo sunt obnoxij, arguere, conuulsionemque illis accersere. Idem potest hircinũ.

Iecur lacertæ.

Iecur autẽ lacertæ erosis impositum dentibus, eos dolore liberare nonnulli scriptum reliquere.

Venter mergi. Cap. 10

Ventrem mergi quidam commendant tanquam medicamen concoquens, et pepticũ, idque siue protinus lixum, siue arefactum comedas. At nos id

A experti, uanam esse promissionem comperimus, sicut sanè etiã quod de interna tunica gallinarum memoriæ est proditum. Aiunt enim quidam, si ea arefacta bibatur, iuuare stomachicos.

Iecur lupinum.

Iecur lupinũ sæpenumero in medicamentum indidi hepaticum, quod ex eupatorio conficitur, nec tamen quod mentione dignum sit amplius præstare comperi, ad illud uidelicet comparans quod sine ipso componitur.

Castorium. Cap. 11

Testiculos castoris nuncupant castorium, medicamentum & celebre, & multi usus, adeo ut Archigenes de castorij usu totum cõscripserit librũ. Atque ille sanè particulares eius facultates exposuit, B nos uero uelut in alijs medicamẽtis fecimus, ita & in hoc quoque generalem modo facultatem dicemus. Quam si præ oculis habeas, ipse per te particulares inuenire possis. Itaque quòd excalfaciat, manifestum est. Nam si uoles ipsum ad unguem leuigatum oleo maceratum parti cuipiam infricare, euidẽter illũ incalescere percipies. Porrò calefacientia omnia ubi contactæ substantiæ quippiam digerunt, continuo etiam illam desiccant, nisi si quid natura fuerit humidũ, ceu oleum & aqua, atque aduentitiam qualitatem calidam, nõ facultatẽ assumpserit: sicut certe hæc ipsa igni soliúe æstiuo admota. Itaque cum castorij consistentia quoque sit sicca, & calfaciendi potentiã habeat adiunctam, merito desiccat. Atque hoc illi cũ mul- C tis alijs medicamentis cõmune existit. Porro quoniam impense subtilium est partiũ, ob id plus ualet quàm alia, quæ similiter ut ipsum & calefaciũt & desiccant. Nam quæ tenuium sunt partiũ medicamenta, ijs quæ sunt crassarum, plus sunt efficacia, etiamsi parem sortita fuerint facultatem, nimirum quia penetrent & in altum subeant admotorum corporum, potissimum si ea densa fuerint, uelut neruacea. Palàm igitur talia ob causam positã magnifice iuuantur à castorio. Cæterum falluntur medicorum plerique in usu castorij, cum id modo considerant, partem quampiam aut tremere, aut conuelli, aut sensu motuúe priuatam esse aut ægre sentire mouereúe: haud sciẽtes id genus symptomata ad dissimiles sequi corporis affectus. At D tu ab Hippocrate doctus, ex plenitudine pariter & inanitione conuulsionẽ consequi: ubi quidem quæ in neruis continentur præter naturã, euacuare consilium est, ibi & bibendum exhibe, & foris cuti castorium impone. Vbi uero ex siccitate nimia obuenerit conuulsio, scito hoc medicamen illic esse aduersissimum. Ad eũdem modum ijs qui præ plenitudine tremunt, utilissimum: aduersissimum uero ijs quibus id accidit ab inanitione. Ad portionem modo dictorum affectuum, ubi singultus euenerit stomachi, perscrutato prius inuẽtoque illius affectu, ac discreto, siquidem à plenitudine ipsum ægroti perpetiãtur, ad castorei usum accedito. Sin autem ab euacuatione, aut acrium humorum morsu prouenerit, medicamen hoc fugito. Sanè si odori gustuique aduertas animũ, suspi

caberis

caberis humano corpori aduersissimā habere substantiam: tametsi in natura nihil efficere cōperiatur eorum quæ talia facere assolēt. Siquidem alia stomachum uitiant, alia uentrem, alia caput, alia aliam quamuis partem lædunt. At hoc medicamē siue corpori humido applices resiccationem poscenti, siue frigido excalfactionem, siue humido simul frigidoq; excalfactionem pariter et resiccationem requirēti, magnam utiq; experiere cōmoditatem: nec ullam parti cuiq; noxam afferet, potissimum si febri uacet, aut non admodum calidam perpetiatur homo febrim, sed ut sic dicam tepidam, qualis accidit in cataphoris maxime & lethargis. Ac multis sane castoriū exhibuimus unà cum pipere albo, utrumq; mensura cochlearij ex melicrato bibendum præbētes: nec quisq; ullam B sensit noxam. Sed & mensibus retētis, ubi per uenam quæ in talo est, modice euacuassem, oblato castorio unà cū pulegio aut calaminthо, semper medicamen hoc expertus sum purgationem ciere absq; ut hominem læderet. Præterea secundas morantes eijcit. Eaq; omnia ex melicrato potum efficit. At quibus ita uenter flatu distēditur, ut ægre curationem admittat, itaq; torminibus uexatur atq; singultu, idq; ob frigidos crassosq; humores, aut crassos flatulētosq; spiritus, eos ex oxycrato potum adiuuat. Quæ porrò iuuat in corpus intrò sumptū, ijs prodest quoq; cuti impositū cum sicyonio aut ueteri oleo. Quæ uero ampliori caliditate indigent, ijs etiam per sese infricari debet. Iuuat etiam, si quis suffitum eius in prunis impo- C siti inspiratione hauriat, maxime affectus, in pulmone aut capite consistentes. Attamen lethargicos & cataphoricos affectus, qui quidem adiunctam habent febrem, præstat non dictorum oleorum quopiā macerantes curare, sed potius ex rosaceo capiti colloq; imponere.

Renes scincorum. Cap. 12

Renes scincorum bibunt quidam tāquam pudenda intendentes: quorum contrarium accidere uidet semine lactucæ poto ex aqua. Sed & quidam lenticularum decoctum cum melle bibitum intensiones sedare referunt.

Vngues caprarum, & asinorum. Cap. 13

Quidam ungues caprarum deustos moxq; aceto perfusos alopecijs illinunt. Itaq; fuerit & talis D cinis facultatis extenuatoriæ. Sunt aūt qui combustos asinorum ungues comitialem morbū curare dicant, si scilicet assiduo bibātur: si uero oleo macerentur, chœradas digerere. Sed & ipsum cinerem si siccus inspersus fuerit, sanare perniones siue chimethla.

Ossa. Cap. 14

Ossa combusta admodum digerentē exiccantemq; uim obtinēt, & id maxime, ut quidā ferunt, humana. Certe talum suillū cōbustum, ac deinde bibitum, inflationes & tormina sanare dixerunt. Noui autem nostratiū quosdam ossa potui exhibuisse, haud scientibus qui biberēt, quidnam ebibissent, ne scilicet auersarentur, ac multorum tum epilepsiam, tum arthritin curasse.

Senecta serpentis. Cap. 15

Senectam serpentis scripsere quidam in aceto bullitam dentium mederi doloribus.

Pellis ouina. Cap. 16

Pellis ouina recens detracta, circūposita ijs qui quocunq; modo fuerint uerberati, omnium luculentissime adiuuat, adeo ut die ac nocte una illos curet: concoquit enim & digerit quę sub cute sanguinem habent.

Equorum lichenes. Cap. 17

Equorum lichenas cum aceto tritas comitiales curare scriptum quibusdam est. Alij uero & ad cuiusuis feræ morsum adhiberi consulunt.

Tela aranei. Cap. 18

Aranei telam scribunt quidā à phlegmone tueri summæ cutis ulcera.

Coria uetera. Cap. 19

Coria uetera, quæ uidelicet ueteramentorum sunt usta, ad attritiones commodari calceamentorum scriptum à quibusdam est, tanq; scilicet hoc faciant ex antipathia quadam. Certe quæ phlegmone obsidentur, haudquaq; iuuantur: uerū ubi extincta fuerit phlegmone, non iniuria iuuantur, nempe quia resiccantur. Est eñ talis cinis resiccatorius. Ac nos sane quādoq; in agro ad ulcus eiusmodi ex attritione sumus usi. Curat autem talis cinis non abs re ulcerum ambusta, & quæ uocatur intertrigines in fœminibus existentes.

Ostrea. Cap. 20

Ostrea quidam nuncupant omnia ostracodermа, hoc est testacea, ab Aristotele appellata. At q̃ à plerisq; uocatur ostreon, secunda syllaba absq; ε scripta, unā esse ostreorum speciem constituunt, in toto genere cōprehendentes et buccina, et purpuras, & chamas, & pinas, & similia omnia.

Buccina, & purpuræ. Cap. 21

Buccinorum purpurarumq; testa quandoquidem durissima est, nunquā absq; ustione utor. Atque usta quidē desiccandi uim possidet, cæterum ad unguem eam leuigare, planeq; pollinis in modum necesse est, tundendo scilicet & cribrando. Quod tibi commune sit in omnibus lapidosis testaceisq; substantijs præceptum. Nam nisi exacte leuia sint reddita, arenis similia sunt: per se autem illarū tritarum farina ulceribus malignis competit. Id quod ipsum quoq; cōmune est omniū quæ citra insignē morsum desiccant uehemēter: quippe cum alioqui fluxionum causa existant. Sed & aliud est omnium id genus commune, nempe ut cum aceto, aut oxycrato, aut œnomelite, aut oxymelite idonea sint ulceribus putrescentibus. Idcirco lapides omnes ubi ad eū usum applicant, alij magis, alij minus, certe omnes conferunt.

Ostrea. Cap. 22

Ostreorum testa usta similis est facultatis buccinorum testis, tametsi etiā subtilis, immo ut certius ueriusq; dicam, minus crassæ. Nam terrosam duramq; corporis sortita consistentiam cōcretionemq;, impendio omnia crassarum sunt partium. Itaq; accurate ea leuigare necesse est. Quaobrem cum dicimus horum aliud alio esse tenuius, ita in

audienda

audienda dictio est, tãquam si Vlyssem Thersite dicamus maiorẽ, cum uterque tamẽ fuerit paruus, aut Aiacem Achille minorem, cum ambo itidem fuerint magni. Cæterum omnia id genus (ut et antea est dictum) cogendi quãdam in se facultatem obtinent, per quam condensata eorum essentia, dura terrosaque sunt reddita, quã ubi per ustionem deposuerint, contrariam adsciscunt facultatem, quam uocant digerentem. Porrò si laueris ea usta, risque, ignea in aquam natura deposita, ipsam efficiunt cum tenuitate excalfaciẽtem, adeo ut & putrefaciat, sed nonnunquam reliquum illud terrenum est, morsus expers, id quod maxime implendis cicatriceque claudendis ulceribus humidis est utile. Igitur testa eorum quæ peculiariter uocantur ostrea, combusta utor ad diuturnas ex fluxione, ægreque carne implebiles cauitates, nempe quę fistulosæ sunt atque profundæ, eã foris cum suillo adipe ueterato circunponens: id uulgo axungiam nuncupant. At in sinum ipsum aliquid eorum quæ talia carne implent, immitto, quale est ustũ diaphanes, quod specularium nominant. Parem in genere facultatem habẽt & cæterorum ostracodermorũ testæ deustæ, maximè uero, ut dixi, ostreorum, deinde buccinorum, et purpurarũ. Itaque cinis eius generis emplasticis miscetur facultatibus digerẽtibus, & cum quouis adipe digerit. Verum quoniam inueteratus efficacius digerit, illi magis misceri solet. Porrò potentius hoc medicamen digeret, si acrem illi adipem quempiam miscueris, de quibus superius determinatum est. Quin & dentes splendidiores talium omnium cinis efficit, nõ tantum extergendi potentia, sed & asperitate substantiæ, uelut & pumex, & testa clibani. Verũ in usu eiusmodi non est necesse quæ sic usta sunt admodum leuigare. At in ulceribus rebellibus præ omnibus diligenter sunt leuigãda. Porrò excrescentiam mediocriter exterunt comprimũtque. Ad hæc cum sale omnia id genus usta dentium smegma reddunt efficacius, adeo ut non modo laxitatem mollitiemque gingiuarum desiccet, uerumetiã ulcera putrescentia adiuuat.

Sepia. *Cap.* 23

Sepiarum testa admodũ laxa est, non ut ostreorum lapidosa. Itaque abstersio quidem illi cum alijs ostracodermorum testis communis est, uelut etiam desiccatio: cæterum partium tenuitas eximia illi præ cæteris inest. Quocirca usta ea utimur ad uitiligines, ephelin, lentes, psoras. Quin & fossili sali mista, in oculis existentes ungues eliquat. Et antequam uratur, dentibus splendorem adfert, ulceraque desiccat. Porrò hoc nomine, quod mediocrem obtinet asperitatem, adhibemus eam & ad ingentes oculorum asperitates, quas sycoses appellare consueuimus. Nã exscalpẽtes ex ea quiddam ipsa figura simile collyrio, eo illas confricamus, donec sanguinem reddere incipiant, quo facto collyria cathæretica siue detrahentia præstantius effectum suum in illas exerunt.

Opercula purpurarum. *Cap.* 24

Opercula purpurarum quidam memoriæ prodiderũt, lienes turgidos sanare, & suffitu eas quæ uteri suffocatione periclitantur, iuuare: præterea retentos eijcere locos.

Lana œsypera, hoc est succida. *Cap.* 25

Lana sordida, ac proinde à quibusdam appellata succida, idoneè excipit irrigationes quæ adhibentur contusis, aut quomodocunque percussis, ut quæ utilitatẽ ex illis proficiscẽtẽ promoueat, idque propter œsypon. Lota uero, nec amplius œsypõ habens, apta humoribus qui irrigantur excipiendis. Porrò usta uim habet acrem pariter & calidã, unà cum partiũ tenuitate. Itaque molles nimiumque humidas ulcerum carnes celerrimè eliquat. Inditur & in medicamenta desiccatoria. Vrito eã tanquam alia plurima, ollam implens nouam, quam tegat operculum multis foraminibus pertusum.

Pili usti. *Cap.* 26

Pili usti, similiter ustæ lanæ excalfaciendi desiccandique admodum sunt facultatis.

Ouorum facultas. *Cap.* 27

Consequens fuerit ad partium doctrinam de ouis differere. Nam alibi eorum meminisse non licet. Sanè oua partes non sunt animalium, ceu nec arborum fructus, nec grauidarum fœtus: uerum proportione respondent ijs quæ agnascunt. Itaque eorum quæ agnascuntur, quædam planè familiaria propriaque conspiciuntur tum plantarum, tum animalium naturis: quędam non omnino talia, ut uiscum quod agnascitur quercubus: & ut semel dicã, si qua arboribus, alterius generis arbor, frutex, fructus, herba aut germen quodpiam, ut fungi agnascantur. Ex familiaribus autẽ est & ouium lana, & aliorum animalium pili, & cornua quę decidentia denuò recrescunt, ut in masculis ceruis, ex hoc sunt genere. Conceptus autem siue fœtus fructibus proportione respondent, nimirũ ad generis propagationẽ à natura creati. Ex his unum est & ouum factum ad generis successionem perpetuitatemque. Cæterum utile est & tanquam nutrimentum. Verum de nutrimento non est nunc institutum differere. Proinde quæ tanquam medicamentum efficere potest, ea hoc loco recẽsebo, ex pauculis usibus particularibus uim eius exquirens tum in partibus, tum in tota substãtia. Siquidem quo pacto inuẽta rerum cuiusque generali facultate, ad multos eam usus particulares ducere possimus, didicimus. Insuper docti iã sumus, quo modo ex uno alteróue experimento de generali facultate liceat colligere. Igitur ouorum album et tenue illud, quo item ad ophthalmias utimur, ex numero est medicamentorum minimè mordicãtium, nec unquam effectu frustratus sum ex ulla tali intemperie, qualẽ habet sępe lac, uti ante ostẽdimus, in animalibus cruditatem perpetiẽtibus, aut nimiam famẽ, sitimúe aut quę cibis pasta sunt prauis. Quæ sanè frequentius euenire solent mulieribus, ob uictus uidelicet uitæque errorẽ. At oua unam modo prauitatem patiuntur, quam scilicet adfert uetustas. Eamque facillimè effugias, si utaris recentibus. Porrò usitatissimum nobis est, maximeque parabile gallinarum ouũ: ea propter illo uti

mur, aliorum oua nihil curantes, tametsi eandem illi habeāt naturam. Temperatura porrò symmetro frigidius est. Itaq; utendum est oui albumine non tātum ad oculos, uerum etiam ad alia omnia quæ medicamēta requirūt suauissima, minimeq; mordacia, ut sunt uniuersa sedis ac pudendorum ulcera contumacia. Miscetur quoq; idoneè medicamentis profluuium sanguinis ex cerebri inuolucris supprimentibus, quæ nimirum citra morsum illinuntur, atq; adstringunt. Sed & ad ulcera rebellia miscetur ijs quæ absq; morsu ea possunt desiccare, cuiusmodi est medicamen pompholyx elota, & metallicorum quædam elota, de quibus priuatim suprà disseruimus. Porrò & ipse uitellus adsimilis est naturæ, ac proinde miscetur ceratis morsus expertibus, ouis uidelicet aut lixis, aut assis. Verum id tamē manifestum est hic leuiculam existere differentiam, quòd paulo plus desiccent quæ sunt assa: ac quantum huius accipiūt facultatis, tantum deperdant de mitigandi potentia. Miscetur & cataplasmatis phlegmonem extinguentibus, ut ijs quæ ex meliloto constant, sedi applicandis. Crudo uero ouo toto utimur admisto rosaceo ad palpebrarum, auriū, mammarumq; phlegmonas, quæ scilicet aut ictis illis, aut alio quouis modo euenerint, aut extiterint in neruosis corporibus, puta cubito, & digitorum tendonibus, aut articulis, idq; in pedibus pariter & manibus. Porrò in aceto coctum ouum si edatur, fluxiones uētris desiccat. At si etiam quippiam eorum quæ ad dysenteriam, aut cœliacum affectum cōueniunt, adiunxeris, atq; in igne modico fumiq; experte (qualis est qui ex prunis constat) frixeris, edendumq; ita præbeas, non minimè sanè laborantes adiuueris. Aptissima talem ad usum sunt omphacium, rhus, tum ipse qui cibis aspergitur, erythros nuncupatus, tum succus ipsius: galla, sidia, hoc est mali granati putamina, cinis cochlearum integrarum ustarum. Apta quoq; & uuarum uinacea, & myrta, & mespila, & corna. Magis istis medicaminosa sunt balaustium, hypocistis, cytini, siue mali punici flores. Sed & ad ambustiones protinus impositum est utile, siue quis seorsim albumen duntaxat ipsum molli lana excipiat, siue etiā cum uitello commiscens cōfundensq; applicet. Etenim mediocriter refrigerat, & citra morsum desiccat. Tale quū sit, et ad anacollemata uocata, quæ fronti uidelicet imponūtur, utimur, & pilos palpebrarum adglutinamus, nimirū admisto idoneorum quopiam, cuius generis est thus, potissimum pingue si fuerit, ac non inueteratum & siccū. Verum in illiusmodi, ipsius albuminis cōmoda est uiscositas, non aūt temperies, nisi quis quatenus nequaquā aduersatur illi quod adhibet medicamento, eo nomine utile cōmodumq; dixerit. Nam uiscosorum quedā sunt que aduersantur, uelut uiscum, nimirum acre & calidum, ad ea quæ excalfieri nō debent, dictūq; frequenter superius est, ea que ualidam uim nullā obtineant medicamenta, ceu materiam ijs quæ tales uires obtinent, misceri: proinde quoq; creberrimi sunt usus, utpote ijs quæ ua-

A lenter agunt, inseruientia. Eiusmodi cū sit ouum, simulq; non paruam adipiscatur in lixationis assationisq; qualitate differētiā, fit sanè multo utilissimum. Nam medicamētis quæ humiditates desiccant, aut lixum, aut assum, aut frictū miscetur: ijs uero quæ lentorem humorum in pectore pulmoneq; incidūt, sorbile quod uocāt, id quod in aqua eousq; lixari debet, dum incaluerit. Eiusdē huius naturæ nomine & ad eos quibus gutturis supremū aut ex uociferatione, aut ex humorū acrimonia exasperatū est, assumit: tum scilicet quòd affectis partibus illinitur, atq; cataplasmatis modo inhæret, tum q; substantiæ suæ leuitate eas mitigat, sanatq;. Eadem ratione, stomachi, uentris, intestinorum ac uesicæ medetur asperitatibus.

B

Echinus, hoc est erinaceus, combustus. Cap. 28

Erinacei utriusq; tum marini, tum terrestris corpus ustum cinerem efficit facultatis tum extergētis, tum digerentis, tum detrahentis. Itaq; eo quidā & ad excrescētia, & ad sordida usi sunt ulcera.

Cochleæ, siue limaces. Cap. 29

Cochleæ si totæ cum testis urātur, admista galla omphacitide, simulq; pipere albo, mirificè prosunt dysenterijs, in quibus ulcera nōdum computrescere cœperunt. Conuenit autem ut piperis sit pars una, gallæ uero duæ, quatuor cochlearum. Hæc ubi ad unguē leuigaris, cibis inspergito, bibendumq; aut ex aqua, aut ex uino albo & austero præbeto. Cæterū absq; gallæ mistione cinis cochlearum admodum resiccantis est facultatis, ob

C tinens item nōnihil ex ustione calidum. Porrò cochleæ quæ ustionem nō sunt expertæ, si tritæ unà cum testis imponantur, & toti uētri aqua intercutem laborantium, & in arthriticis articulorum tumoribus, ægre quidem diuelli poterunt, cęterum impensè desiccant. Et sanè inhærere sinere oportet, quoad spontè decidant. Idemq; faciendum in tumoribus ex ictu natis difficile solubilibus, et ex contusione facta in auribus. Desiccant enim illos magnopere uniuersos, etiamsi uiscosus crassusq; in alto humor contineatur.

Carcini, hoc est cancri, usti. Cap. 30

At fluuiatilium cancrorum cinis quanquam similiter predictis exiccatorius est, substātię tamen proprietate mirabilis est eius in ijs qui à rabiente cane sunt morsi, effectus, isq; tū solius, tū cum gētiana & thure multo præstantior. Thuris sanè partem esse unā oportet, quinq; autem gentianę, porrò cancrorum decem. Et raro equidem aliter illis ustis nos sumus usi, cæterum ad eum modum plerunq;, quo Aeschrion empiricus ille, medicamentorum peritissimus senex, conciuis ac præceptor meus. Patella erat æris rubri, in quā impositis cancris uiuentibus, eos hactenus ussit, dum facile ad leuorem redigi possent. Hic Aeschrion paratum semper in ædibus hoc habebat medicamē, urens eos post ortum Canis, quando Sol in Leonē transisset, non nisi Luna decimaoctaua. Porrò bibendum hoc medicamē ijs qui à cane rabido fuissent morsi præbebat quotidie diebus quadraginta, mensura cochlearij magni aquæ inspersum. At si

D

non protinus ab initio, uerum aliquod post dies A
curam cepisset demorsi, tunc quotidie duo cochlearia
aquæ inspergebat. Ad ipsum uero uulnus
emplastri unam, unum aceti acerrimi sextarium Italicum,
opoponacis uero uncias tres. Hęc tametsi
à præsenti instituto essent aliena, scribenda tamen
censui, quia magnopere medicamento huic
ipse confiderem, nimirum cum applicabat medicamentum,
quod ex pice brutia & opoponace acetoq;
conficitur, habens picis librā, cum nullus
unquā eorum qui illo fuerint usi, sit mortuus. Cæterum
seorsum librum conscribam aliquando de
ijs quæ proprietate substantiæ totius quid agunt,
e quorum numero sunt id genus omnia. Ignoscēdum
itaq; tum hoc in loco scribendi importunitati,
tum sicubi præterea id mihi hoc in opere contigit: B
nempe quia ex ijs summa proueniret utilitas,
quam sanè posteris impertire uolebam, si forsan
me prius q̄ quę his deinceps sunt opera perfecissem,
mors occupasset, propositum impediens. Cęterum
Pelops doctor meus & ipse omnium eiusmodi
causas reddere uolens, non abs re inquit, cācer
cum animal sit aquaticum, prodest à cane rabido
morsis, quibus uidelicet metus est ne corripiantur
affectu siccissimo, nempe rabie: quamobrem
sanè etiam aquam metuunt. Ac fluuiatiles,
non marinos conuenire cancros dictitabat, scilicet
quòd animalia marina ob admistionē salis natura
siccissimi haud æque exactam tuerētur eam
quæ est aduersus rabiem contrarietatem. Ac cum
quidam subiecisset, cur non omnia quæ in potabili C
aqua degunt animalia, perinde ut cancri iuuare
assolent: quia inquit, similem cancris præparationem
non admittunt. Nam horum ustorum cinerem,
exiccatorius cum sit, canum rabientium uenenum
absumere simulq; digerere professus uidelicet
est, ambitione magna iactitans, omniū se taliū
nouisse causas. At ego nisi planè me scire quippiam
persuasum habeam, alijs persuadere nō tento.
Itaq; nec Pelopis rationem ut ueram accepi, ut
quæ crebras habeat contradictiones: uerum cancros
opinor ex proprietate totius substantiæ prodesse.
Quoniam autē nullum eorum qui fuerant
illis usi, mortuum scieueram, hæc aperienda recensendaq;
à me existimaui, tametsi nō esset huius instituti
propriū. Sed corporibus totis (nam id erat D
propositū) non ijs tantum animalibus quæ posui.

Chelidones, siue hirundines ustæ. Cap. 31

Sed & hirundinibus usi sunt multi, comburentes
uidelicet, & cinerem melli miscentes, ac deinde
synanchicos inungentes, & in totum quicunque
in gutture ac columella cōsistūt affectus. Vtuntur
& ad acuendū uisum hoc cinere nonnulli.
At alij eas arefactas drachmæ pondere bibendas
exhibent.

Tettiges, id est cicadæ. Cap. 32

Sed & cicadis quidam utuntur ad colicos affectus
cū paribus numero piperis granis, dātq; aut
tres, aut quinq;, aut septem, per intermissionē uidelicet,
& ipsos etiā paroxysmos. Porrò alij assas
edendas offerunt quibus affecta uesica est.

Corydos, id est galerita. Cap. 33

Galerita tamen auis illa pusilla obiter nobis
plerunq; obuia, in iure simplici elixa colicos adiuuat,
Verum assidue eam edere simul cum iure necesse
est. Habet uero hoc animal in capite uelut
galerum ex pennis sponte enatum, cuius occasione
efficta est, quæ apud Aristophanem comicum
legitur fabula. Is enim inquit hunc in modum: Imperitus
es, & minime curiosus, & ne Aesopū quidem
didicisti, qui ait galeritam primā uolucrum
fuisse, etiam ante terram: inde patre morbo defuncto,
cum humus nondum esset enata, illum quidem
dies quinque iacuisse: at hanc prę inopia melioris
consilij, in capite tandem patrem suum defodisse.
Hoc quoq; aiunt obscure licet, designasse
tamen Theocritum.

οὐδ' ὢν τυμβιδίαι κορυδαλλίδες ἠλαίνοντι. i.

Et neq; tumbiferæ circumuolitant Galeritæ:
nempe indicare illum eas quæ in capite tymbon,
hoc est, sepulchrum gerant. Annexui autem huic
ista sermoni, quò planè & clarè hoc animal, nempe
galeritam, significarē, quas ferat in capite pinnas
erectas: quādoquidem expertus sum eius aduersus
colicos utilitatē, uelimq; qui ipsum nō norunt,
ijs bene aperteq; monstratū. Nam & ipsa corydalis
appellata herba colicis conuenit. Et hoc
quoq; tibi obiter sit notatum.

Alectorides, id est gallinæ. Cap. 34

At gallinarum ius simplex retinendi uim possidet,
uti gallorum subducendi. Coquendi autem
sunt cum sale prolixissimè. Sed horum ipsi fecimus
periculum.

Gale, id est mustela. Cap. 35

Mustelam nunq; cōbussimus, de qua scriptum
legitur, cinerem quidem eius cum aceto illitum,
podagricos arthriticosq; iuuare, tanq; uehementer
ualeat digerere: ipsam uero arefactā ac potam
prodesse comitialibus, eadem nimirū illa facultate.
Porrò quidā etiam planè omnis ferę alexipharmacum
eā esse referūt, & maxime eius uentrem.

Ranæ ustæ. Cap. 36

At ranarum ustarum cinerē sanguinis eruptioni
mederi referunt inspersum, cæterum cum liquida
pice sanare alopecias.

Hippocampus. Cap. 37

Et Hippocampum animal illud marinum si totum
usseris, alopecijs prodesse proditum quibusdam
est, ipsumq; uidelicet desiccantis esse facultatis,
extenuantisq; aut certe eius cinerē, quem quidam
unguento amaracino cōmiscent, quidam pici
liquidæ, alij ueteri adipi suillo.

Tellinæ salsæ. Cap. 38

Et salsas tellinas ustas adeo urentem efficere cinerē
aiunt, ut is cū cedria, euulsos radicitus ex palpebris
pilos, instillatus in locū, renasci prohibeat.
Porrò citra ustionē aut lixationem, totorum animalium
in partes affectas impositorū, aut intrò in
corpus sumptorū, quidam medicorum fecere periculū,
aut ceu fecerint periculum, ita scribunt.

Intestina terræ. Cap. 39

Terræ quidem intestina contrita, neruisq; diuisis

sis imposita, protinus mirum in modum prosunt: atque hæc ipsa quoque cum mulso pota, medicamen sunt mouendæ urinæ idoneum.

Cimices. Cap. 40

Sed & de cimicibus quibusdam traditum est, quòd si cum aceto bibantur, hirudines eijciant: at nobis, cum eas perpetuò alliorum esu eiecerimus, haud opus fuit cimicibus.

Cantharides. Cap. 41

Verumtamen sufficientem habemus de cātharidibus experientiam, quod in ungues psorodes cum idoneis ceratis aut emplastris impositæ sic illos educunt, ut toti cadant. Miscuimus eas etiā facultatibus psoris & lepris cōgruentibus, nec non quibusdam septis, atque interim etiam ijs quę clauos, quos uocāt, eijciunt. Porrò præceptorū meorum quidam earum paulum quiddam in medicamenta urinam mouētia solet inijcere. At quidam solas alas & pedes inijciunt, quę aiunt esse alexiteria ijs qui corpora ipsorū bibissent. Alij cōtrà. At nos totas indimus. Cæterum aptiores sunt ad ea quæ expertū me dixi, eæ cantharidū quæ inuentæ in frumento, lutea transuersim in alis cingula obtinēt, potissimū si inijciant in uas fictile, cuius ori linteum obductum sit rarum, itaque illud inuertas, ut linteum halitū ab aceto subtus posito excipiat, donec emoriantur ipsæ cantharides.

Buprestis. Cap. 42

Sic buprestes quoque reponere expedit. Sunt autem & ipsæ animalis quoddam genus cantharidibus tum specie, tum uiribus adsimile.

Pityocampe. Cap. 43

Quin & erucæ quæ in piceis nascūtur, merito sanè nuncupatæ pityocāpæ, huius sunt facultatis.

Salamandra. Cap. 44

Et salamandræ combustæ cinerē quidam septicis & lepricis psoricisque miscent facultatibus.

Narce. Torpedo. Cap. 45

Sed & torpedinem totam (dico aūt animal marinum) capitis dolores sanare capiti admotam, sedemque euersam coercere, à quibusdā est proditū. Verum ego cum utrūque essem expertus, neutrum uerū cōmperi. Eam igitur cum cogitassem uiuam esse applicandam, cui caput doleret (posse enim fieri ut hoc medicamen anodynon sit, ac dolore liberet similiter alijs quę sensum obstupefaciūt) ita habere cōperi. Putoque eum qui primus est usus, tali quapiam motum ratione experiri aggressum.

Draco marinus, & trigle, & alia id genus. Cap. 46

Viuas etiamnum hasce animantes apertas, & protinus partibus affectis appositas prodesse scripserunt, nempe draconem marinū in suum ipsius ictum impositum, similiter & triglā in draconis, mures domesticos in ictū scorpij, uelut & saurā, mygalen in suum ipsius, & sauram chalcidicam, quam & ex uino bibendam præbēt: tanquā suum ipsius morsum sanet. Porrò scorpium suum ipsius ictum curare si tritus imponatur, similiter si assus edatur. Congruere autem aiunt & ijs qui à uipera sunt morsi, ascalabota uero ijs qui à scorpio. Referūt autem & in Aegypti regionibus arefactū asy-

A racum quem uocāt, exhiberi ijs qui à scorpio percussi sunt: & id quod cybium uocatur utiliter uulneri à cane inflicto imponi: Multaque eiusmodi, de quibus copiosius differemus, ubi tractabitur de ijs quæ proprietate substantiæ quid agunt. Cæterū in oleo lixis totis animalibus, ipso oleo utebantur nostratium medicorum quidam, sed & superiorum nonnulli, ad depilationē seu pilorū nudationē, nempe pityocampis, & urticis marinis, lepore marino, scolopēdro marino. Ad auriū uero dolorē silphis in oleo coctis, et ijs quos uocant oniscos Graeci (Latini multipedas.) Ea eñ animalia in globum sese contrahunt, uocantque ea apud nos quidā cyamos, hoc est fabas, quandoquidem esculentis fabis sunt persimilia, ubi sese uidelicet

B in globum conuoluerint, colore fusco. Porrò in agro cōplures uidere est natos sub situlis, quibus à fontibus rustici aquam comportant, deponūtque eas iuxta focum. Vidique quosdam ex ijs qui medicinam in agro exercebant, assidue oleo ex illis cōposito ad uniuersos aurium dolores uti, nō discernentes affectum unde oriretur. Itaque non ab re euenit, ut interim effectum consequerentur, interim læderent. Et quid mirum, quando & insignes quidam medici de ijs citra distinctionem scripsere? Tales sunt Apollonij libri De parabilibus. Atque hic sanè etiam scripsit, uermes terræ in oleo coctos aurium dolores mitigare: sed alij censent, admisto adipe anserino, sic demum utendum.

Vulpes & hyænæ. Cap. 47

C Cæterū de uulpibus quæ totæ in oleo coquuntur (nam sic quidam curant arthriticos, partim uiuas uulpes in lebetem ingentē inijciētes, partim etiā mortuas) fusius dicere mihi necesse est, quandoquidē plerosque uisæ sunt principio planè morbo hoc liberasse, uerū post multum temporis non ita profuisse. Siquidem illos malum repetijt, quāquam nō ita uehemens quàm antea. Sanè oleum in quo cocta uulpes est, non est potentioris in digerendo facultatis, quàm in quo hyæna: quæ si similiter in oleo lixetur, redditur oleū longe potentissime in digerendo facultatis. Porrò frequenter dictum est, talibus medicamentis inesse potentiā eorum quæ in alto continentur corpore, in extimam cutem extrahendi, ac eo nomine quandoque

D sedandi dolores: non enim perpetuo hoc ad ea sequitur, cum ij dūtaxat dolores ab eiusmodi medicamentis sedentur, quorum causa est humor in alto contentus, dolorem ciens aut substantiæ crassitie, aut refrigeratione, aut uehementi acrimonia, aut etiam spiritus flatuosus exitum nō habens. Itaque qui utuntur uulpibus, & ipsi oleum digestorium efficiunt: atque inde impletis eo alueolis totos arthriticos in eos imponunt, multo ibi tempore immorari præcipiētes: uerum ex hoc fit ut non tantum qui citra articulos sunt tumores euacuentur, sed etiam uniuersum corpus. Itaque ubi corpus illis antea plenitudine affectum fuerit, mirum nō est per euacuationem consecutum commodum, nempe cum nihil etiam in affectas partes influat, quia corpus uniuersum iam euacuatū est, & qui

continebantur humores exhalarunt. Cæterum quemadmodũ antea cum corpus noxa uacaret, praua uictus ratio morbum inuexit: eundẽ in modum, aut etiam amplius, à simili diæta par est rursum illos similiter afficiendos in articulis quibus iam laborauerunt.

De ijs quæ in mari & aquis salsis proueniunt. Cap. 48

Sola hæc in toto opere reliqua hoc habent nũc tempus opportunum. Nam quæ in mari & aqua nascuntur animalia, superiori sermone exposita sunt, ubi uidelicet agebat de animalibus. At quæ in aquis quidem nascuntur, nec sunt animalia, ea nunc exponentur.

Adarcion.

Adarcion, quidã uero masculine efferunt adarcon, alij fœminine adarcẽ appellitãt, essentia quidem sua uelut spuma est aquæ salsæ concreta, circa arundines & storeas concrescens. Acerrimum hoc est simulq; calidissimum: proinde & per se inutile est, uerum commisceri solet ijs quæ uim eius retũdunt, sicq; fit multo utilissimum in ijs affectibus qui excalfieri postulãt, idq; foris impositum. Nam intrò in corpus ipsum sumere est impossibile, nimirum ob uirium uehementiam.

Alcyonia. Cap. 49

Alcyonia omnia detergunt ac digerunt, qualitatẽ habentia acrem & calidam: uerum aliud alio non parum plus minusq;, & in his ipsis quæ diximus secundũ partium essentię tenuitatem. Est autem eorum unum densum & graue, odoris praui: olet enim pisces putridos, spongiæ in specie simile. Alterum uero figura longiuscula, leue & rarũ, odorem habens similem phycijs. Aliud tertiũ uermi simile est specie, colore purpureo, consistentia molli: uocant id milesium. Post quæ quartum secundo quidem iam posito similiter & leue & rarum, uerum lanis succidis simile. Deniq; & quintum extima superficie leui, cæterũ interna substãtia asperum, nullius odoris, gustu tamen apparẽs acre: & sanè omniũ alcyoniorum est calidissimũ, adeo ut et pilos urere possit. Itaq; cum duo prima lichenas, alphos, psoras, leprasq; adiuuent, præterea cutem splẽdidiorem competentia uirium efficiant, idem præstare non potest hoc ultimo loco positũ. Nec enim perinde ut illa cutem duntaxat summã extergit, sed etiã excoriat, usq; in profundũ cutis penetrans, ut etiam ulcera moliatur. Porrò quod tertio ordine recensuimus, omnium est tenuissimum. Itaq; ustum alopecias curat illitum cum uino, colore quidem fuluo, tenui tamẽ essentia. Quartum autem eiusdem cum hoc speciei est, uerum uires habet haud parum imbecilliores.

Sal. Cap. 50

Sal eiusdẽ genere facultatis est, siue fossilis sit, siue marinus: uerum hoc differunt, quòd salis ex terra effossi substantia magis sit compacta, ac proinde in hoc maior est & partium crassities, & adstringendi potẽtia. Itaq; marinus affusa aqua protinus liquescit, at fossili hoc non euenit. Porrò eiusdẽ speciei cũ marino est qui in stagnis quibusdam salsedinem habẽtibus nascitur, æstate uidelicet aquis æstu ex ijs absumptis, cuiusmodi est Tragasius, nõ procul à Sminthio. Confluit enim illuc ante aquas spontaneas, quæ admodũ sunt calidæ, copiosa aqua stagnans nõ amplo in loco: & ea æstate omnis absumitũ, à sole uidelicet arefacta. Porrò quoniam locus ipse salsedinem continet, quod reliquũ est omne, sal est, cognominationẽ à loco pariter & aquis sortitus. Nã spontaneæ & ipsæ illis in locis aquæ Tragasiæ nuncupant, potentia summe exiccatoria: & sanè qui in ea regione sunt medici, ad hoc illas accõmodant. Porro dictũ est & de Sodominis in mari mortuo proueniẽtibus, in quarto libro, quẽ siquis librũ diligenter perlegerit, illi tantum refricare memoriam nunc opus est, ut exposita gustus qualitate, ipse medicamenti facultatẽ cognoscat. Igitur cũ qualitas salsa digerat simul & contrahat contactã ab ipsa substantiam, aphronitrũ in hoc differt, ꝙ in ipso unũ modo saporem exuperantem sit uidere, quem uocãt amarum, uim habentem digerendi, haud etiã contrahendi uti sal. Nam hic quicquid in corporibus humidum inest, id quodãmodo absumit: & quod reliquũ est substantiæ solidæ, adstrictione contrahit: ac proinde etiã conditura sua carnes seruat, & à putredine tuetur. Quippe quæ putrescũt, excrementitium continent humorẽ, substãtiamq; tum dissolutam, tum minime compactam. Quibus ergo corporibus nulla prorsum est humiditas superflua, ceu melli optimo, & corpus solidum & compactum est, ceu lapidibus, ea ut putrescant est impossibile: ac proinde in his salis nõ probatur usus: uerum in ijs in quibus suspecta est putredo.

Sal ustus. Cap. 51

Sal ustus digerit quidem potentius quàm ustionis expers, quanto scilicet subtilius ipsum corpus accepta ab igne facultate redditur: uelut et in alijs quæ combusta sunt, euenire diximus: uerum non perinde ei qui nõ est ustionem expertus, solidam ipsam substantiã cõtrahere cõstringereq; potest.

Litrum. Nitrum. Cap. 52

Litrum, Ostensum est & hoc medicamẽ in medio salis & aphronitri uires habere.

Halos anthos, hoc est, salis flos. Cap. 53

Halos anthos, Quidam ut unum nomen holosanthos, quidam diuidentes halos anthos nominant. Est autem hoc medicamen liquidũ, tenuius etiam quàm sal ustus: tũ acris qualitatis, & admodum digerentis facultatis.

Halos achne. Spuma salis. Cap. 54

Halos achne, spumosa est salis efflorescentia, multo tenuioris naturæ ꝗ sal ipse: quare & extenuare & digerere multo plus ipso potest: uerũ ꝙ substantiæ est reliquum, contrahere ut sal nequit.

Asphalton. Bitumen. Cap. 55

Bitumen, unũ & ipsum est ex ijs quæ in aqua marina proueniunt, & in alia quapiã quæ non est marinæ dissimilis, ut in Apollonia Epiri, et per alia id genus loca multa aquis sponte nascentibus ceu spuma quædã innatans hoc medicamen reperitur: & molle quidem est dum innatat, postea uero resiccatum pice sicca durius efficitur.

Bitumen

Bitumen prouenient in mari mortuo.

Optimū uero bitumē in mari quod mortuum uocant, prouenit. Est autem id stagnum salsum in Cœle (hoc est caua) Syria. Cæterū medicaminis ipsius uis est tū resiccatoria, tum excalfactoria in secundo ordine. Merito itaq; eo utūtur et ad glutinationes uulnerū cruentorum, & ad alia omnia quæ exiccari debent cum modica excalfactione.

Spongos, id est Spongia. Cap. 56

Spongia usta acris est & digerētis potētię. Vtebatur ea præceptorū meorum quidam ad sanguinis eruptiões, quæ manuali opera indigēt: in quē usum semper eam paratā habebat siccam & exarefactā: cū uero res posceret, bitumine in primis imbuebat, sin eo careret, pice. Porrò admouebat eam partibus sanguine profluentibus etiamnū ardentem, ut & crusta parti induceretur, & ipsum spongiæ corpus ceu operculum acciperet. Cæterum spongia noua, nō sicut lana aut linamentum (quod μότον τιλτόν, id est carpinatum uocant) materia duntaxat est quæ humores irrigandos excipiat, sed etiam manifeste desiccat. Id quod scies, si ea utaris in uulnere cum aqua, aut oxycrato, aut uino, pro diuersitate uidelicet corporū, uti est an-

A tè dictū. Glutinabit siquidem ea similiter atq; medicamenta quæ uocant enæma. At si nō noua sit, sed usui accomodata, palàm cognosces quātum à noua superetur, si uulneribus eam imponas siue cum aqua, siue cum oxycrato, siue cum uino. Nec mirū est, cum in spōgia noua seruetur etiamnum ea quam à mari accepit facultas, modice corpora exiccandi. Atq; hęc quidem præstare potest, cum etiamnū seruat maris odorem. Nā temporis spatio, etiamsi nunquā usui accommodata sit, tamen & odorem maris amittit, neq; æque desiccat.

Garus, uel garum. Cap. 57

Garus facultatē habet multum & calidā & siccam, ac proinde eo quidam ad ulcera usi sunt putrescētia: tum dysentericis ischiadicisq; inijciunt.

B *Halme. Salsugo.* Cap. 58

Salsugo pisciū salsorum similiter garo & ad putredines accōmodaē, et ad ischiadas dysenteriasq; infundiē. Et acrimonia quidē humores coxā infestantes attrahit, ac proinde per intestina euacuat. Putrescētia uero ulcera in dysenteria colluit atq; desiccat. Maxime uero salsugine salsorū silurorū et mænidū ad talia uti medici quidā assolēt, et nos sane ad ulcera in ore putrida accommodauimus.

CL. GALENI LIBER DE SVBSTITVTIS MEDICINIS.

IVL. MARTIANO ROTA INTERPRETE.

De substitutis medicinis cum & Dioscoridē & Philistionem & Euryphontem scripsisse cōstet, nos quoq; pauca de his tradere non recusabimus. substitutas medicinas appello quę in alterius locū subrogari queunt. Has medico notas esse multum opis affert. euenit enim plerunq; ut ea medici desiderent quæ ad salutem alicuius plurimum conferre iudicarunt, nec illa interim aduertant quæ in earum locū subijci possint, quod ne contingat, medicinas omnes in unum contuli, quas uiribus easdem esse compertum habeam, idq; ideo feci, quo promptum semper quibuscunq; in morbis conueniens remedium foret. Occasionem autem librum hunc cōscribendi nobis attulit id quod tibi Diogeniane uehementer

C ista scire cupienti nunc referam. Alexandrię cum essem, mulier quædam graui morbo periclitabatur, morbi causam explicare cū nihil intersit, nūc opus non est. Huic opem allaturus lysimachiam herbam cum quæsiuissem, nec reperissem, nisi statim Aegyptiæ spinæ semine lysimachiæ loco usus essem, perisset mulier, quæ illo propere dato, suppresso sanguine, mox conualuit. Hoc factum medici pleriq; accedentes cum mirarentur, interrogarunt me, quid morituræ fœminæ pro lysimachia exhibuissem, quibus ego, Aegyptiæ spinæ semen cum respondissem, idq; in compluribus fieri posse dixissem, non destiterunt mecum precibus agere, quo ad medicinas quæ in aliarum locū substitui possunt, unum in opus conferre promitterem.

D sic itaq; libellum hunc De substitutis medicinis composui, in quibus recensendis quò magis expeditum usum haberent, seriem literarū seruaui, principiumq; ab earum prima sumpsi.

A

Abrotono	Origanum
pro Absinthio	Abrotonum
Acacia	Succus lentisci
Acoro	Radix asari
Amianto	Aphroselenus
Agallocho	Calamus odoratus
Agarico	Euphorbium aut epithymum
Alga	Anchusa
Aloe indica	Aloes uiridis folia, uel glaucium, uel fimus ibis, uel lycium uel centaurium
Alumine	Sal fossilis
Ammi	Anisus
Ammoniaco suffitu	Propolis
Ammoniaco sale	Cappadocus sal
Amomo	Acorus
Amylo	Pollen siccus

Amygdalis amaris	Absinthium
Anchusa	Hyacinthus
Aniso	Daucus
Araco	Sesamum
Aristolochia rotunda	Aristolochia longa
Argemone	Seriphium
Armenio lapide	Attramentum indicum
Asbesto	Adarce
Asphalato	Ericæ semen aut uiticis
Asphodelo	Succus betæ
Asaro	Zingiber
Asio lapide	Gagates aut sal ammoniacus tostus
Auripigmento	Sandaracha
B	
Balaustio	Malicorium
Bdellio	Sphagnus odoratus
Bitumine	Pix brutia humida
Brutia pice	Pix in aceto feruefacta
Buccino	Ostreum
Buprestí	Blatta aut hirudo
Butyro C	Lac bulum concretum
Cadmia	Leucographis Aegyptia
Calamintha	Menta agrestis
Calamo odorato	Sphagnus
Canchri	Lauri baccæ
Cantharidibus	Phalangia
Capparis radice	Erices radix aut myricæ
Cardamomo	Cyperus
Casia	Cinnamomi dimidiũ
Castorio	Silphiũ aut agallochũ
Cedria	Ladanum
Ceraunio	Leucographis
Ceruina adipe	Anseris adeps
Cera	Faba fressa cum propoli cocta & trita
Cerui cornu	Caprinum
Cerussa	Scoria plumbi
Chalbano	Sagapenum
Chamædry	Lapathi radix
Chamæmelo	Anthemis
Cicuta	Semen coriandri
Cinerula Cypria	Cinis foliorum oliuæ
Cinabari	Rhodoides
Cinnamomo	Casiæ duplum
Clinopodio	Heliotropium
Cnico	Viticis semen
Colocynthide	Ricini semen
Colophonia	Pix nauibus detracta
Corallio	Moly aut symphytum
Costo	Cedri fructus
Cotyledone	Anacardium
Crinanthemo	Aphrodisias
Croco	Crocomagma
Crocomagmate	Agallochus indica
Crocodili adipe	Canis marini adeps
Cumino	Brasicæ semen
Cynosbato	Solani uesicariæ semen
Cypero	Iuniperus magna
Cyphi D	Carica combusta
Damasonio	Eringium

Dauci semine	Sij semen
Dictamo	Saluia
Diphryge	Phrygius lapis
Dorycnio	Alterci semen
Dracontio E	Aron
Ebeno	Loti arboris lignum
Ebisci radice	Folia mori
Elaterij succo	Eiusdem herbæ succus
Elleboro nigro	Papyri radix
Enneaphyllo	Potamogiton
Epithymo	Colocynthidis semen
Ericæ fructu	Galla immatura
Erini folijs	Stercus ibis
Erucæ semine	Erysimi semen
Erucis pini	Vespæ cum cedria
Erugine	Atramentũ metallicum
Erysimo	Struthium
Euphorbio	Stercus colũbæ agrestis
Eupatorio F	Chamæpitys
Fece uini usta	Sandaracha
Felle cameli	Fel stellionis
Felle mustelæ	Fel cameli
Felle hyenæ	Fel perdicis
Felle uiperæ	Fel ichneumonis
Flore æris G	Squamma æris
Gentiana	Radix apij odorati
Glycyrrhizæ succo	Mori succus
H	
Hederæ succo	Perseæ succus
Hedychroo	Amaracinum
Hyacintho	Flos isatidis
Hyenæ adipe	Vulpis adeps
Hyoscyamo	Cynosbati fructum
Hippuri	A iuga
Hyperico	Anethi semen
Hypocystide	Acacia
Hyssopo I	Thymum
Iri illirica	Helenium odoratum
Iunco odorato	Cardamomum
L	
Lapathi radice	Pyrethri radix
Lapide phrygio	Lapis argyrites aut pyrites
Lapide asio	Gagates lapis
Lapide pyrite	Lapis pyrobolos
Lauri baccis	Serpillum aridum
Lathyri	Granum cnidium
Lentisco	Polygonij radix
Lepidio	Rubia
Lepidij radice	Folia capparis
Lepore marino	Lepus fluuialis
Lini semine	Fabarum succus
Loti semine	Betæ semen
Lupi adipe	Vrsi adeps
Lygustico	Pastinacæ semen
Lysimachio M	Spine ægyptiæ semen
Magnete	Phrygius lapis
Malabathro	Nardus indica
Malo cydonio	Melilotum
Malua	Fœnumgræcum
Mandragora	Dorycnium
Manna	Thuris cortex

Mastiche	Lentisci succus
Medulla cerui	Vituli medulla
Meliloto	Lotus herba
Melle	Sapa
Melle attico crudo	Mel despumatum
Meo	Myrobalanum
Molybdena	Lithargyrium
Mori succo	Rubi folia
Myrsinite uino	Succus mori
Myrobalano	Glaucium
Myrrha troglodytide	Calamus odoratus
Myrti oleo	Mori succus
Mysi cyprio	Ochra cypria
Mysi tosto	Diphryges
N	
Nardo syriaca	Iuncus odoratus
Napi	Rapæ semen
Nepita	Agrestis menta
Nucleis pineis	Cucumeris semen
Nuce pinea	Cucumeris semen
O	
Ochra	Mysi cyprium
Ocymo	Sisymbrium
Ocymoide	Menta agrestis
Oenanthes succo	Vitigineus succus
Oesypo	Vituli medulla
Oleo cicino	Sordes ex palæstra
Oleo uetere	Feruefactum duplũ cum adipe suillo
Oleo sabino	Cicinum
Oleæ lacryma	Hypocystidis succus, acacia
Omphace	Galla immatura
Opobalsamo	Gutta myrrhæ
Opopanace	Lac sycamini
Oryza	Farina hordei
Ormino	Lini semen
Ornithogalli	Anthyllis
P	
Papaueris succo	Mandragoræ succus
Phu	Sphagnos
Pice liquida	Opopanaca
Pipere	Zingiber
Pipere albo	Nigri duplum
Polij semine	Erucæ semen
Polypodio	Chamæleonis radix
Polytricho	Absinthium
Pompholyge	Cadmia usta
Populi nigræ gemmis	Sampsucus
Propoli	Ladanum
Psyllio	Lens palustris
Pumice	Terra cretica
Pyrethro	Zingiber
Q	
Quercus uisco	Chamæleonis uiscum
R	
Rapa	Heliotropium
Raphanino oleo	Ricini oleum
Resina pini	Terebinthi
Rhodoide	Sinopis
Rosis siccis	Perseæ folia sicca
Rhu syriaco	Oxyacanthe fructus

Rubigine	Squamma ferri
S	
Sagapeno	Resina pini sicca
Saluia	Calamenthum
Salamandra	Lacerta uiridis
Sale ammoniaco	Sal cappadocium
Sambuco	Spinæ uiridis folia
Sampsucho	Rhus culinarium
Santonico	Abrotonum
Satyrio	Erucæ semen
Scamonio	Ricini semen
Scinco	Satyrium
Scylla	Bulbus qui edendo est
Scoria plumbi	Scoria argenti
Scoria cypria	Melanteria ægyptia
Semperuiuo	Lactuca
Sepiæ testa	Pumex
Serapiade	Pæoniam
Serpillo	Potamogitona
Sesamo	Lini semen
Sesamoide	Amaranthi expresio
Sinapi	Nasturcium
Sisone	Anisus
Sisymbrio	Ocymum
Solano uesicaria	Semẽ hortensis solani
Sphagno	Iuncus odoratus
Spondylio	Folia oliuæ
Stercore uulturis	Columbi stercus
Stercore turturis	Stercus columbi
Stercore felis	Ichneumonis stercus
Stercore muris	Muscarum tantundem
Stibio	Aeris squamma
Struthij radice	Ellebori nigri radix
Succo carpasi	Succus myrrhæ
Succo peucedani	Glycyrrhizæ succus
Succo rhododaphnes	Viscum quercus
Succo cyrenaico	Syriacus succus
Succo papaueris	Mandragoræ succus
Succo salicis	Hederæ nigræ succus
Succo fici	Succus mori
Succo panacis	Lac sycamini
Succo polygoni	Succus plantaginis
Sulphure uiuo	Sandaracha
Symphyto	Centaurium
Sori	Lithargyrium
T	
Terra samia	Leucographe ægyptia
Terra eretria	Calx thebaica
Terra alana	Plumbago
Terra asteri	Cimolia
Terebinthina	Mastiche
Thapsiæ succo	Chamæleonis nigri succus
Thymo	Satureia
Tithymallo	Chamæleon
Thure	Ampelitis terra
Troxinis hoc est intubis	Lactuca
V	
Verbenaca	Chamæleuce
Viola	Flos radiculæ
Vino rhodio	Vinum austerum

Vino falerno	Vinum mendesium		riacorum
Visco quercus	Chamæleonis albi uiscum	X	
		Xylobalsamo	Radix uiolarum albaru, aut lygustici
Vulpis adipe	Vrsinus adeps	Z	
Vulturis stercore	Columbinũ stercus		
Vua domestica	Pulpa dactylorum syriacorum	Zingibere	Pyrethrum

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI, DE PVRGANTIVM MEDICAMENTORVM facultate, in quo probatur, uim proprium humorem attrahendi purgantibus medicinis inesse: non medicinas in humores conuerti, aut quẽuis humorẽ à quouis pharmaco duci. Nam superpurgatio, ubi proprius primũ medicamento humor, deinde ut quisq; facilior eductu fuerit, excernitur: non medicaminis tractione efficitur, sed meatuum debilitate atq; relaxatione.

Cap. 1. Quod Hippocrates & alij ueteres multas absurdas opiniones non reprehenderint, quoniam modestiore adhuc seculo à nemine asserebant: & quod Asclepiades ac Erasistratus primum de medicamentis purgantibus improbe senserint. 2. Ratio qua suam tutabantur opinionem Asclepiadæ. Vide Galenũ de facultatib. naturalib. lib. 1. & super Hippocrate de natura humana, sect. 1. comment. 28. 3. Quas occasiones considerare conueniat probe uacuaturos. 4. Summa argumentorum Asclepiadarum Erasistratiorumq;, ac eorundem dilutio, exẽplis morbi arquati, atq; subterculaneæ aquæ: (de qua uide plura apud Galen. sect. com. ment. 28. de nat. hom.) 5. Confutatio cuiusdam perperam pronunciantis de medicaminibus purgãtibus sententiam. 6 Esse etiam pharmaca quæ sanguinem cieant & uacuent, quod probat historia supplicio affecti in Thracia, qui herba quadã data, quæ sanguinem uacuabat, homines occidebat. 7. Colligit ex effectu propria à medicamẽtis trahi: & multimodis exemplis ratum facit: ab ictero, hydrope, exãthematis, alopecia, inchoante elephante, & cancerosis affectibus, uertigine, epilepsia, melancholia, fluxuq; muliebri, & sacris ignibus: quos morbos omnes conuenientibus catharticis curatos à se testatur.

CL. GALENI DE PVRGANTIVM MEDICAMENTORVM FACVLTATE.

IVLIANO MARTIANO ROTA INTERPRETE.

Vim proprium humorem attrahendi purgantibus medicinis inesse. Cap. 1

EA mihi de causa prauas opiniones uetustissimi medici irreprehensas omisisse uidentur, qua & legũ latores antiquissimi maxima scelera inulta reliquerũt. nam cũ per id tẽpus hominũ malitia intra mediocritatis terminos stetisset, nec quisquã aliũ supremis iniurijs afficere, aut manifestissima quæq; impudẽter abnegare auderet, q̃ pacto quis uel nõdũ perpetrata castigare, uel nõ adhuc dicta reprehẽdere debuit: postea uero unà cũ tẽpore adaucta hominũ malitia, cũ neq; inausum amplius quicq̃, neq; nõ dictũ inueniret, coacti sunt & legũ conditores noua supplicia aduersus maleficos excogitare, & ueritatis obseruatores uarijs reprehẽsionũ formulis sciolos coarguere, id quod in præsentia facere nos quoq; decreuimus, eos medicos cõfutando, qui purgantib. medicamẽtis uim adimũt, qua humores q̃s euacuãt, è corpore trahunt: quiq; uim aliã ipsis attribuunt qua æquabiliter humorẽ quẽcunq; attigerint, immutare dicũt, qua de re Hippocrates ne uerbum quidẽ idcirco fecit, q̃ ea tẽpestate neq; Asclepiades uixit, qui tã impudẽter loquẽs ueluti in certamẽ cõtra ueritatẽ descẽdit: neq; Erasistratus, qui tametsi nõ sine modestia, uniuersum tamẽ de purgantib. medicamentis caput euertit, cũ actiuã maxime ac naturæ consuetam attrahendi uim nusquã suis in scriptis agnoscat, sed eius loco ea quæ uacuum cõsequitur inanitione uti maluerit. Pars est autem facultatis propria attrahẽtis uis ea quæ in medicamentis sita est, quemadmodum & illa per quam bilis & urina in sua receptacula deriuantur, compluraq; alia quæ non modo dum sana sunt animalia à natura, sed etiam per morbos, & dum ad sanitatem reuocantur cum à medicis, tum præcipue ab ipsa natura absoluuntur. Hippocrates itaq; cum nihil aduersus eos dixerit qui attrahentem uim è medio tollere gestiunt, quia autores tam peruicaces quàm postea plures, isthæc opinio non habebat, æquum esse uidetur me de rei ueritate pro Hippocrate contendere debere, ac primum quid nam ipsi dicant commemorare, deinde peruerse eos sensisse commonstrare.

2 Est aũt ipsorũ oratio eiusmodi. Medicamentum omne cui purgandi uis inest, quemcunq; attigerit humorem in suam naturam conuertit atq; transmutat. nam flauam nigrâm ue bilem facit id quod bilis est huius uel huius, ut ipsi appellant, eductiuum. Similiter pituitã, aquosamq; substantiã, quòd uel pituitæ uel aquæ eductiuũ istorum uocabulo nuncupatur. Postremo, ut summatim dicam, cõmutatio est omnium qui in uenis sunt humorum, non unius alicuius euacuatio, illa quę purgatio appellaẽ, ut istorum oratio introducit. Verum si ita uultis, illud modo obijciemus, siue quis flauam, siue quis atram bilem, siue pituitam,

siue aquam educēs medicamentũ sumat, omnes in uenis humores euacuari. atqui hac una in re solum distat purgare aliquē tali medicamēto & eidem sanguinē mittere, ꝙ aperta uena quale prius inerat euocat̃, purgante aũt medicamēto non solum colore, sed etiam cōpage immutatũ educit̃. Etenī & quæ aquā purgant, humida omnia & tenuia reddunt, quæ in uenis attigerint, etiāsi crassissima prius fuissent, & quæ nigrā bilē euacuant, crassa ac solida quãuis antea tenuissima, uersa uice faciunt. quamobrem quoties hunc purgare, illi sanguinem mittere, uolemus, alio ꝙ̃ ad ipsam euacuandorum naturam respiciemus.

3 Quidnam igitur aliud spectabimus, nisi cōplures ad uenarũ sectionē propensos, quosdā purgantibus medicinis aptos magis esse: quēadmodũ alij quiduis potius, ꝙ̃ uenas incidi, sustinerēt: alij abscindi membrũ aliquod sibi potius ꝙ̃ medicamentũ exsorbere tolerarent. aliquibus ēm sumpto purgante medicamēto uentriculus subuertitur, nō paucis idipsum sine molestia facientibus. Hæc ergo respiciētes his sanguinē detrahemus, illis medicamentũ exhibebimus, nō quæ Asclepiadis sequaces putant contentos quidē in uenis humores æqualiter om̄es euacuari sanguinis missione credētes, purgando aũt nō omnes sed unũ aliquē, ac solũ illum quē ducere existimat̃: unde & purgari sanguinē ab eiusmodi medicaminib. aiũt non euacuari, quemadmodum fit ad aperta uena: hæc uestra decreta nolitis uelitis, absurda sequuntur. Subiungam autem ipsorum capita.

4 Asclepiadis sectatores aperta uena cōtentos in uenis humores indifferēter omnes exire, in purgationibus nō omnes, sed quasdā eximi, sanguinemq; purũ reddi hoc pacto autumāt. Qui uero Erasistratũ sequunt̃, uniuersos aiũt tam in purgationibus, ꝙ̃ sanguinis egressu pariter euacuari, unde nec purgare re uera quicquam, sed cum immutatione quadam, & euacuandorũ corruptela, inanire dicũt. Atq; cauillatores hi omnes mihi siue mediocriter, siue magnopere impudentes in certamē procedant: ac mecũ ueluti in stadio contendant, nō uerbis, neq; prolixis nugis, sed operibus, ad quæ ipsos hac in populosissima urbe, pro uoco, in qua quotidie penè innumeri morbo regio & aqua inter cutē laborātes inueniri possunt, siquidē mihi de his primũ sermonem facere satis erit. Ducat aliquis ad me quēpiā sine febre cui in uniuersũ corpus amara bilis redũdarit, spectetq; post aliquot dies cũ hominē preparauero, mihiq; iam tempus instare uisum fuerit exhibendi medicamēti alicuius quod bilem expurget, quo pacto naturalem corporis habitũ eiusmodi purgatione ipsi restituā, etiamsi nondũ extrinsecus quicꝙ̃ admouero. Hæc ipse non semel bisue, sed sæpe admodũ, semideprauatis quibusdam ostendēs, multos ad meliora reuocaui, neq; tamē in eam sententiam hæc dico, ut te pessime cauillator testibus fidem adhibere uelim, spectes ipse cũ uolueris unica ex purgatione morbo regio laborantem pristinum colorem accipere, cumq; hoc factũ uideris,

A audebis lepidũ caput in coronis hominum præconis instar, uocē attollere, ac discipulis tuis prolixas nugas quales sępe deblaterasti intonare. nō detrahi quippiam certi ab ullo purgante medicamento: uerum quicquid in uenis repertum fuerit qualecunq; sit, in id mutari in quod uirtus medicamēti ipsum cōuertere suapte natura ualet, atq; hic qui nũc est arquato morbo liberatus, nō bile educta, sed euacuatione tantum facta conualuit. Videte itaq; quo pacto aliũ ego ita affectum uel secta uena, uel alia data purgatione iuuabo. Hæc cũ asseueres ipse, deinceps mihi è duobus arquatis uni sanguinem mitte, alteri purgationem aliquam porrige ex his quæ cæteri omnes nigram bilē euacuare, tu uero nō euacuare sed gignere iu

B dicas, atq; si ægrotũ subleuabis, aut pallorem de cute eijcies, me tibi omni supplicio deuinctũ trado. sin autem non modo quicꝙ̃ non profeceris, sed hominem in extremam perniciem egeris, ad meliores sententias redi, & Hippocratis artem sequare. Ac de morbo regio laborantibus hactenus: nunc ad aquam inter cutem habentes transitu facto, considera rursus, hunc quoq; nō eodem modo sanguine misso, & medicamento quod aquam detrahit exhibito affici. nam si nō mōstrauero aquā aqualiculo cōprensam medicamento euacuari, tum antiquā opinionē cōdemnes licet, quæ non gigni ut tu putas medicamēto, sed è corpore trahi eiusmodi humorem affirmat, ac de nobis tuo modo decerne. Sed profecto si quod nigrā aut flauā bilē educit dederis, uētris tumorem

C nequaꝗ̃ minues, atq; ita ut singulũ quodq; medicamentũ propriũ quendam humorem è corpore trahat apparet. tu uero si omnes eodem modo immutari persuasum habes et medicamēti opus cōmunem euacuationem credis, uenam adaperias licet. Hæc si quis apud Indos scribens accerseret, difficile esset ipsum redarguere: nunc autem cum singulo quoq; die à nobis conspiciatur, atq; ad ipsam ex operibus redargutionē accersatur, nescio cur blaterare nō erubescatis. Nolo aũt nũc cōmemorare ut ipse, ꝙ̃ plurimos regio morbo laborantes unica purgatione, flaua bile detracta liberarim, multorũ ēm hac de re testimoniũ extat. ꝙ si impudētissimi isti cauillatores uniuerso populo

D nō credere se fingunt, rem ipsi quoties uoluerint, intueantur. Sed quid ego dico intueant̃? ostendi enim iam sæpenumero hoc ipsis.

5 At nescio quem memini tales nugas respōdisse, non unum aliquod humoris genus à singulis medicamētis trahi, sed simpliciter unũquodq; ipsorum trahere, uelut sugentia solent: atque hac tractione in humoribus tenuissimos primum, deinde in corpulētos magis, ultimo crassissimos etiam extrahi. medicamentum itaq; cuius uis celeriter euanescit, aquosa deijcere, cui amplius durat, flauam bilem educere, & nigram quæcunque ambobus robustiora fuerint. Hunc sodales cum sapienter respondisse iudicassent, acclamarunt. at ille cōcitato gressu me relicto discessit, probe noscens, opinor, si mansisset, se à nobis confutatũ iri.

postero

postero autem die libellum in quo tam temeraria A responsio refellebatur eius asseclis porrexi, neq; postea ipsis etiam tanta in existimatione amplius fuit, cum nostras obiectiões diluere nesciret. erãt autem hæc eo in libro scripta. Heri tu quidem disceptationem subterfugisti similis pugili, qui antea q̃ luctet̃, coronam rapit & aufugit: hodie uerò quin redarguaris subterfugere nõ poteris. consequet̃ enim te libellus iste qui in manus tuorum sodalium incidit. neq; em̃ minus cum illis quàm tecum sermonem instituit, qui nunquam antea te ulla in re prorsus attrahentem facultatem concedere audierant, & heri quæcunq; in uenis continentur indifferenter medicamento trahi cõfitentem audiuerũt. par quippe fuit ut nõ modo dictũ hoc tuum non admirarent̃ uel prorsus laudarent, B sed prodidisse etiam causam tuam te existimarẽt. nam quo pacto urina & utraq; bilis in sua loca descendant, aliaq; permulta in corpore fiant, longo sermone frequẽter exponitis, quiduis potius concedẽtes quam unumquodq; corporis membrum facultatem quãdam à natura insitam habere, qua sibi conuenientia adducit atq; rapit. nunc autem nõ modo quorundam, sed indiscrete omnium attractionẽ esse dicitis. quod profecto lõge maius est q̃ certa quædam attrahi concedere. siquidem ut facultas quędam animantibus inest qua aliena à se repellunt, sic aliam qua sibi conuenientia trahunt, unicuiq; corpori inesse probabile omnibus uidetur, nondum hanc uestram sapientiam edoctis. At om̃ia siue cognata, siue contraria quippiã C ex ęquo ad se trahere, rationẽ nullam prorsus habet, atq; ita non solum attrahentem uim cõfessus es, uerum etiam quod multo deterius est, non aliqua solum, sed omnia indiscrete trahi fateris, idcirco q; mihi non tam à tuis discipulis extollẽdus q̃ explodendus uideris. Cæterũ purgãtibus medicamentis manum te nunquam admouisse, ac uulgarem quẽdam, medicinæq; imperitum esse, paucis monstraturum me confido. Quęcunq; nigram bilem purgãt, statim à principio eam educunt: differunt tamen inter se purgationes eo q̃ liquidiora primum, deinde corpulenta magis semper euoluunt. idem in euacuãtibus pituitam & flauam bilem euenit. trahunt namq; medicamẽta omnia in primis quidẽ sibi obnoxia liquidiora, deinde cras D siora etiã, nõ tamẽ, ut tu putas, primam matellam quispiam aquosis replet excrementis, secundam flaua bile, tertiam pituita, atq; ita tandem nigra bilis egeritur. qua de re, patet medicamentum ante omnia suum quodq; humorem elicere, quem comitantur aquosa excrementa redundantia. Hoc aũt tibi nunc spectare, si nunq̃ antea, licet aquosa & biliosa plurima, medicaminibus ad id facientibus, purgatos homines emittere, at nigrã bilem deiicientibus, simul omnia pauca esse. oportebat autem, si tibi constare uis, ab hisce medicamentis quæ atram bilem expurgant, plura semper educi, pauciora uerò ab euacuantibus aquã & bilem detrahi, cum ad fortitudinem & imbecillitatẽ medicamentorum, speciem eorum quæ euacuantur distinxeris. sic itaq; atram bilem euacuantia quoniã ipsa reliquis fortiora constituisti, q̃ plurimum euacuabunt, & primum aquosa omnia, deinde bilem, postea pituitã, demũ atram bilẽ. Debilia uerò medicamẽta aquosa tantummodo subtrahere poterunt, quorũ tamen cum nihil fieri appareat, sensus ipse tuum sermonẽ confutat. libet tamẽ interea ex te scire, si inter exeundum corpulẽta semper ad tenuia consequuntur, cur nigra bilis ante sanguinem exeat, præsertim cum sit eius ueluti sedimentum, qualis in uino fæx est?

6 Sed quæres forsitan & tu, num aliquod medicamentũ statim à principio sanguinẽ educẽs inueniatur? inuenit̃ sanè, ò bone, nec eo quisquam inuento uteret̃. quamobrẽ inquies fortasse? quia hoc iugulare nõ purgare homines foret. nã quæ purgant purgantia passim idcirco nuncupantur, q̃ sanguinem ab antedictis humoribus purũ constituant. atqui nemo est adeo imprudẽs medicus, ut uniuersum sanguinẽ euacuare, reliquos autem humores intus omittere uelit. quare medicamenta quæ per uenas intestinorũ & uẽtris sanguinem deiiciũt, uenenis adnumerant. Consentaneũ aũt erat, si modo quæ doces uera sunt, neque hæc primo sanguinem euacuare. quibus aũt nominibus eiusmodi medicamẽta nuncupent̃, etiam si constanter scirem, literis cõmendare nolim. illud tamen quod in Thracibus Bithyniam incolẽtibus, me adhuc puero contigit, sine periculo cuiusquã dici potest. Inuenit homo quidam herbã, quam si quis assumpsisset, sanguinẽ primo, tum uitã emittebat. multis itaq; hoc pacto morientibus, cum facinus hoc diligẽti inquisitione dignũ arbitrarentur, ueneficum cõprehendunt, & ad gentis magistratum ducunt. is cum nõ solum hominẽ necare studeret, sed & si quis alius herbã aut didicisset ab ipso, aut docuisset ipsum, à nullo se quidem ipsam didicisse ueneficus asseruit, uerũ in suburbanum cũ aliquando suillũ iecur deferret, urgẽte uentre, super herba quadã iecur deposuisse, q̃d aliquanto post cum sustulisset, uidisse ex uniuerso iecinore sanguineam saniẽ ad herbã cõfluere. ex hoc cõiectura facta corpori sanguinẽ ea detrahi posse, periculo mox in obuio quodam facto, ut uerũ cõperit, quod fore sperarat, ad malos usus herbã deinceps transtulisse. se tamẽ alicui alij eam mõstrasse negauit. hæc ueneficus ille diu inter quæstiones habitus retulit. Populi uero magistratus, cũ plurimã illis in locis nasci hãc herbã ex rei dictis accepisset, uinctis oculis ad suppliciũ ipsum duci iussit, ne cui inter eundũ herbã indicaret. ex his ergo lepidũ caput multa medicamẽta eã uim habẽtia, ut sanguinem à principio statim eliciant, inueniri cõstat, reticere aũt ipsa melius est, quẽadmodum & alia uenena tacẽt quicunq; ratione aliqua prędíti sunt: quanquam & hæc olim nõnulli abunde docuerint, miram quandam rerum diuersarũ misturam ostendentes, ac qua uia quodq; uenenum conficiatur, scribentes: qui mihi cerebrũ non habuisse uident̃, quemadmodũ & uos, si me interrogetis quænam sint sanguinem educentia.

Sed

7 Sed ut unde digressa est, eò rursus nostra redeat oratio. Qui humores omes ex æquo trahi, & primo liquidiora, tũ alia excerni asseuerat, propriam causam prodit, cum atrahentẽ facultatem rebus inesse fateatur, quã eius socij impudẽter abnegant, & de bilis ac urinæ secretione, deq; distributione ac alijs huiusmodi, aliena dicere sustinet. Insuperq; cõtraria his que apparent ponit, ueluti paulo ante mõstrauimus. nam si uerum est quod discendum proponunt, quæ educentur medicamento nigrã bilem euacuante, plurima erũt, quæ ab aquosum incrementũ purgante, pauca. At millies si modo artis opera inspicere uelis, ostendam tibi perdite ueterator, aquosa purgantibus, plurima: nigrã bilem euacuantibus, pauca semper excrementa deijci, ac nigram bilem statim inter initia exire. Qui ergo omnes humores è uenis æquabiliter duci asserit, stolidus hactenus et imperitus est: qui uerò immutari dicit, in eo quod nullum discrimen faciat, inter sanguinem mittere, & bilis medicamentum regio morbo laborãti exhibere, et num aquam inter cutem habenti uenã aperiat, an medicamentum aliquod aquã educens porrigat. Deinde non sunt turpia eiusmodi? Num merito deridet uulgus, dum talia inter se disceptãtes medicos audit? Num omnes sermonem talium damnant, & utcunq; quid dicãt, uerbis tenus medicos ipsos appellãt? nam quod semper dicere solitus sum, id & nunc tẽpestiue dixero: imperitum quenq; hisce cauillatoribus meliorem esse. nam si nulla alia in re præstet, cõmunes saltem animi notiones admittit, quas isti longa consuetudine deprauati negant. Nuper itaq; homo quidam mini me stultus cum pustulę ipsi toto è corpore subito erupissent, ulcerosæ & male coloratę, medicũ adiuit, rogans se quamprimũ purgatum iri. at eo sanguinis missionem potius iubente, nõ insanis, inquit, uerisimile siquidẽ est unà cum prauis bona quoq; effluxura. cæterũ qui omnia potius q̃ uerba Hippocratis uera esse uolunt, cõmunes animi notitias uincẽdi studio tollũt, nobisq; ac si me dilaniare uellent insiliunt, atq; ipso rerũ euentu postea redarguti, ęgre ferunt. Aequum aũt fuerat, ut queadmodũ nos sustinemus & docere conamur eos, qui Hippocratem in his quæ nõ intelligunt calumniantur, sic & ipsi rationes contra se factas tolerarent, docẽtesq; plurimum, si fieri potest, diligerent, aut si id fieri nequit, odio penitus nõ haberẽt, ueluti nuper medicus quidã eiusmodi dementia præditus. is simul atq; nouit me sola purgatiõe cõplures à defluuio capillorũ alopecia dicta liberasse, ilico prosequi me odio cœpit. Item alius, cum incipiẽs carcinoma, quosq; elephãtes appellant, & depascentia, multaq; alia ulcera curatu difficilia sanassem: et alius quia solis purgationibus uertiginẽ patiẽtes conualescere feceram: & adhuc alius, propterea quòd insanientes, comitiales, melancholicos, & insuper non paucos diutino capitis dolore uexatos purgando tantum liberassem, ut & coxendices et longis dolorib. alijs in partibus infestatos, atq; hunc nuper quem tanquam colo uexaretur, tribus iam mensibus medici tractauerãt in peius quotidie abeuntem: hunc ego omnia quæ illi imposuerant abijcere iussi, ac solis purgationibus sanitati restitui. Muliebrẽ fluxum præterea nobilis cuiusdam Romanæ matronæ, ita hac arte suppresi, ut & multas alias ignobiliores fœminas nõ solum ab hoc morbo, sed etiam ab alijs uteri ægritudinibus exemi. Quid uero me cõmemorare opus est, ut nullũ remedium sacro igni, ἐρυσιπέλατα Græci dicunt, efficacius adhibeatur q̃ bilem expurgãs? nullum magis aduersum, q̃ pituitam educens. Diem hunc totum contererem, si q̃ admiranda opera purgantibus medicamentis absoluãtur, referre uellem, quæ tamen istos ignorare uerisimile est, artem tractandi medicinas expurgantes nunquam edoctos. nam cum nec quicquã extare penitus arbitrent̃, quod purget, quo pacto, uel quibus in morbis purgationibus utendum, uel quo modo intelligẽt? hac de causa quamplures sola experiẽtia ducti ægrotantes medicantur. nostri aũt isti sapientes qui rerum rationes tractant, nõ quò aliquid experiẽtia inuentis addant, sed ut eam subuertãt, longe perniciosius his qui solo usu nullaq; ratione ducunt̃, medicam rem exercent. cæterum horũ omnium principium atq; fons unus est, conceptum aduersus Hippocratem odium, ex quo ceu fonte cum alia multa absurda manant, tum præsens hoc consilium, uim attrahentem abnegandi, cuius pars, siue species, aut quo quis alio nomine appellare uelit, purgantis medicamenti facultas est.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI, QVOS PVRGARE CONVENIAT, quibus medicamentis, & quo tempore.

Cap. 1. Sanos integre haud esse curandos. 2. Sani, ualetudinarijs tamen proximi, uacuandi sunt. Quos morbos purgationibus sustulerit. (Vide lib. 6. aphoris. comm. 47. 3. Quæ legitimam purgationem antecedere debeãt. (De præparatione ad ueratrũ, uide etiam aphor. lib. 4. comm. 13. & Epidem. lib. 6. sect. 1. comm. 7.) De uomitu, & q̃ ijs qui angusto sunt pectore nõ conueniat. 4. E quibusnã uacuandi ratio sumenda sit. De purgationibus in hydrope & ictero. (Vide lib. 1. de feb. ad Glauconem. De temporum ratione Hipp. aphor. 4. sect. 4.) 5. Cura horum qui iam ualetudinem aduersam inciderunt. (De coctione expectanda, uide libr. 1. aphor. 22. & de turgentib. morbis, lib. 4. aph. 10.) In morbo acuto non facile purgandum. De pharmaco diacolocynthidos, de quo uide etiam super Hipp. de ratione uictus in morbis acutis, lib. 2. comm. 11. 6. Cathartico sumpto sorbendum esse ptisanæ cremorem, non amplius autem purgatione iam inchoata. 7. Cur interdum propinato pharmaco aluus nõ deficiat. 8. Quid miscendum sit catharticis, quo minus lædant uentriculum (uide Galen. de rationib. in morb. acutis lib. 2. com mẽt. 11. & 12.) & quod inæqualiter, id est alia citius, alia tardius purgantia, commiscenda non sint.

CL. GALENI QVOS PVRGARE CONVENIAT, QVIBVS MEDICAMENTIS, ET QVO TEMPORE, LIBER.

IVLIANO MARTIANO ROTA INTERPRETE.

CAPVT PRIMVM

QVI sano corpore sunt, si purgẽtur molestias sentiũt. nam & uertigines, & tormina patiuntur, ægreq; purgatio succedit, & cum hoc etiã celeriter exoluuntur. causa aũt horum omnium medicamẽtũ est, quod cum sibi obnoxium humorẽ educere cupiat, nec ipsum reperiat, sanguinẽ & carnes colliquat, ut ex eis q̃d suũ est eliciat.

2 At sani quidem adhuc, sed nisi euacuati fuerint, ægrotaturi, præueniendi sunt, & ineunte uere inaniẽdi, uel misso sanguine, si multitudine, uel per purgationem, si humorum corruptela, morbis capi soleant. Nos etenim podagram & articulorum dolores inter initia tamen, qui non adhuc circum articulos nodos fecerãt, eiusmodi euacuatione complures annos inhibuimus, non paucos insuper, comitiales, attonitos, melancholicos, & huius generis alios diutinos affectus, quo diximus modo, euacuando sedauimus. Multis itaque pituitam, alijs amarã bilem, quibusdam nigram, non paucis aquosa excrementa, ad impendentis morbi essentiam, expurgare conducit. Velut ecce melancholia quidam, nisi purgatus fuerit, singulo quoq; anno capitur. hunc purgo non solum uere, sed autumno etiam. Item fœminã quandam cancrum in mamilla quondam habentẽ quotannis aduentante uere similiter euacuo, quam ad sanitatem reuocaui, usus medicamento nigram bilem ualidius subtrahente. Hæc si quando assumpta purgatio non fuisset, dolore mamillam sentiebat in alto infestari. quin & incipientem elephantiasim misso primũ sanguine & per purgationem in alio sanaui. deinde huic quoq; unica purgatio in singulos annos sufficit, quæ intermissa morbũ statim reuocat. Atq; hoc genus ægritudinum, nigros humores subduci postulat, comitiales autẽ, attoniti, quiq; ægre spiritum ducunt, pituitosos. Velut articulorũ dolores si multo cum calore infestent, amarã bilẽ, sin tumeant frigeantq;, pituitã extrahi uolunt. alius quidã æstiuo tempore febre tertiana semper corripiebatur, qui multos iã annos febrem non sensit, nostro consilio decedente uere flauã bilem antea subtrahendo. hoc eñ tempore id genus homines inanire melius est, quẽadmodum comitiali & articulorũ morbo laborantes, & melancholicos, ac quicunq; humorũ crassitie in morbos incidunt, inchoante uere.

3 Oportet autem prius quàm purgans exhi-

A beamus medicamentũ crassos humores attenuare, tenacesq; dissecare, & meatus recludere, per quos traijci atq; deduci queant, si purgatio succedere debeat, cum in reliquis omnibus, tum præcipue in elleborum assumentibus. Vis enim medicamẽti lancinatoria cum humores affectis membris altius inhærentes excutiat, & ob hoc longis morbis prosit, facilius opus suum absoluit, prius attenuatis humoribus. quod qui negligent, molestas obibunt purgationes, hoc est non sine torminibus, interdũ & uertigine quadam, multaq; nausea, malo pulsu, exolutione, & difficultate. Elleborum itaq; sumpturi naturam prius experiri debemus quo modo illa se habeat ad supernas expurgationes, eas dico quæ uomendo fiunt. Experiemur autem si quæ uomitum mediocriter prouo-

B cant exhibuerimus. qui enim facile hoc pacto nõ purgabitur, hic nisi præparatus ad elleborũ agendus non est. præparatur autem cum uomitu ipso sæpius facto, ita eo qui elleborum accepturus est uomere promptius assuescẽte, tum melius etiam, si corpus humidũ antea faciemus. Humet autem corpus partim multo cibo, partim quiete, acquietem quidem istud facere nemini dubium esse potest: quando ut exercitatio membra exsiccat, ita quies cum uacatio quædam & exercitio contra-

C ria sit, humiditates conseruet: at cibus quãuis large ingestus non omnis humectat, sed is qui uehementes qualitates non habet, hoc est nec salsedinem, nec acrimoniã, nec amarus, aut acerbus sit. Nos itaq; acetum mulsum aliquando bibendum exhibuimus, in quo ellebori albi ramusculos per integrum diem ac noctem raphanis infixos dimiseramus, essetq; hæc ellebori leuis expurgatio. cæterum qui solidum thoracem habent, & idcirco compressum, ad euomendũ ineptissimi sunt, cum alijs uomere facientibus, tum præcipue ueratro. Vasculum enim aliquod ex his quæ respirando

D usui sunt, dirumpent.

4 Conuenit insuper amaram bilem per superiora, pituitam per inferiora secernere, quãuis interdum cõtrarium facere oporteat, si in uentriculo pituita, in intestinis aggesta bilis constiterit. nã atra bilis per inferiora semper est eijciẽda. Quod autẽ ad anni tẽpora attinet, in Aphorismis Hippocratis scriptũ est, æstate superiores, hyeme inferiores uentris partes medicamẽto purgandas esse, & regiones calore frigoreq; distinctæ ad anni tempora æstimari debent. Idem est & in ætatibus sentiendum. Consuetudo quoq; haud parũ euacuationis modum ostendit: nam qui assueti sunt uomere, per superiora purgari facilius tolerant, non assueti periculum subeunt, præsertim si elle-

boro

boro purgentur. Morbi præterea genus ſpectandum erit. is enim cui ſolidæ corporis particulæ in pituitam reſoluũtur, Græci hunc ὕδερον φλεγματίαν appellant, eget medicamento pituitam educente, ac primo quidem per inferiora, deinde per uomitum, poſtremo per nares & palatum. cum enim noxius humor in uniuerſum corpus redundarit, omnes euacuationum ſpecies admouebimus. At aquam inter cutem habenti, quippiam aquam detrahens offeremus, uelut regio morbo laboranti, aliquid quod bilem educat. nam & his multifariam bilem euocare opus eſt, ſurſum, deorſum, per urinæ meatus, per palatum, & nares. eodem modo ſi bilis atra ſupra modum excreuerit, ut in melancholia, cancro, elephantiaſi, aliquid quod nigram bilem detrahat exhibemus. nam comitiales, pituitam inanientibus expurgamus. Ex his itaq; planum eſt, morbi conditionem oſtendere, & humorem euacuandum, & locum per quem educere ipſum conueniat. Deniq; inflammationem habentibus in iecinore, ſimul atque maturuerit, aluum ſubducemus cum in ſimis iecinoris partibus ea incubuerit. at ſi in gibbis extiterit, urinam ciemus: idem & in reliquis ſpectabimus, humorem exuberantem & locum humore infeſtatũ ex quo tanquam cauſa, uis morbi conſurgit: hæc enim & quid euacuandum, & quo modo, & qua parte euacuandum indicabunt, & ad hæc omnia tempus etiam monſtrabunt. ſiquidem inter initia morbi, tenues & aquoſos humores euacuabis: ubi craſsi & tenaces fuerint quales ſuapte natura ſunt pituita & nigra bilis, concoctionẽ expectabis. Acceſsiones quoq; quo modo euacuandum ſit docẽt. nam dum acceſsio infeſtabit, à ſuperioribus educes: ubi deſtiterit, quod intermiſsionem dicimus, ab inferioribus trahes: Nam & quæ ſua ſpõte prodeũt, hoc modo prodire ſolent. multis enim per acceſſiones uomitus excitatur, et ſanguis è naribus ſtillat, nõ paucis intermiſsione facta lotium & aluus fluit. præcipue uero quo tempore acceſsiones & iudiciales dies aduenia nt, obſeruãdi erunt, ſiquando per inferna purgare molieris. nam ſi ad ſuperiora humores inclinauerint, purgantis medicamenti efficacia impedietur.

5 In his autẽ qui iam ægrotant, ſi diuturnus futurus eſt morbus, expectanda ſemper erit concoctio: ſin breui ſoluendus, inter initia, ſi modo à cõcitatis pendeat humoribus, purgare licet. At eo quod quæcunq; purgant latentẽ caloris excitandi poteſtatẽ habent, & febris ut febris eſt, & ſecundũ ſuam rationem, nõ ſicca neq; calida, ſed hiſce ſumme contraria, humida frigidaq; requirit. nõ igitur febris gratia feruidæ qualitatis medicamẽtum, illam enim nos quoq; quantum in ipſa eſt, lædi ſcimus, porrigimus: uerũ ut humores febrẽ excitantes extirpemus. utilitas itaq; maior eſſe debet moleſtanti humore detracto, quam nocumentum ab expurgantibus neceſſario corpori illatum. utilitas autem maior obueniet, ſi & quicquid lædebat, & ſine moleſtia detractum fuerit. ut autẽ hoc fiat, ante omnia conſiderare oportet, idoneus'ne ſit ad

A eiuſmodi purgationẽ qui morbo laborat. etenim qui crudis, multis, tenacibus, & craſsis ueſci cõſueuerint, quiq; præcordia tenſa & inflata habent, uel eximie calida atq; feruentia, aut in uiſcerum locis inflammationes ſentiunt, omnes ad purgationes ſunt inepti. Hæc itaq; abeſſe oportet. nã quoad fieri poteſt, ægroti humores ad fluendum paratos eſſe cõuenit, hoc eſt tenues minusq; tenaces, ac meatus per quos traijcientur apertos eſſe. hæc ẽm nos quoq; antea facere moliemur cum aliquando purgare uolemus. In acutis uero morbis ſi ſtatim inter initia primo die uel non ulterius ſecundo, purgatione uti uelimus turgẽte materia, huiuſmodi præparationi locus non eſt, niſi quis forte nactus fuerit occaſionem aquam mulſam incõmiſtam B exhibendi, in qua hyſſopum origanum'ue aut tragoriganum uel pulegium uel quippiã aliud attenuans incoxerit. quocirca raro in acutis morbis, modo rationẽ adhibeamus, ab initio nobis medicamenta uſui erunt, cum neq; affligentes humores plerunq; concitati ſint à principio, neque, ſi hoc adſit, ægrotus aptus ſit purgationi, uel ſe præparandi tẽpus idoneũ nobis præſtet. concitari uero & turgere humores dicuntur, cum motu uehemẽti agitantur, ac ab uno loco ad alium confluentes inter principia morbi hominem uexãt, doloresq; ac titillationes afferendo ægrũ quieſcere non permittunt. Hos ergo humores euacuare cõuenit, in motu, agitatione, & fluxu poſitos. qui uero aliqua in C parte corporis conſederunt neq; ullo alio auxilio neq; medicamento prius mouendi ſunt, quàm cõcocti fuerint. tunc enim & naturã euacuatiõi adiutricem habebimus. hæc enim ſimul atq; concoxit, humores excernere atq; ſuperflua reſecare conſpicitur. quo tempore iudicatio morbi quoq;, quam criſim appellãt, celebratur. uerũ quoties natura euacuationẽ abſoluit, nulla opus eſt medicina. cum autẽ ipſam mediocriter ac ſegnius peragit, quod deeſt medicos ſupplere conuenit. Illud uero non ignorare par eſt, raro euenire ut ab uno membro ad aliud humores confluant, ſæpius accidere, ut aliqua in parte quieſcant, ibiq; concoquantur toto morbi tempore, quoaduſq; ſoluatur. cum ergo nõ ſolum morbus acutus fuerit, ſed etiã maxima cum febre, cauẽda eſt purgationis exhibitio. præcipue D cum ægrotantis natura nobis incognita fuerit. alij nanq; difficulter purgari ſolent, alij modica medicamenti potione ebibita, copioſe ſoluuntur. cum ergo febris uehemens non fuerit, ægriq; naturam noueris, medicamẽtum dabis elleborum nigrum aut aliud ſimile quippiam quorum eſt etiã diacolocynthidos appellata confectio, quam nunc uſitato nomine hieram, hoc eſt ſacram appellant. hęc cũ uarie cõficiatur, quę ueratrũ aſſumpſit, nec ſcãmonium habet, medicamẽtum eſt eximie purgãs.

6 Poſt aſſumptã uero purgationẽ ſtatim hordei pulticulã, hoc eſt ptiſanã ſorbere utile eſt, ut Hippocrates inquit. nam purgãs medicamentũ ut exiguum etiam fuerit, in fundũ uentriculi deſcendat oportet: in deſcenſu uero & ſtomachus, & quicquid circa uentriculũ ſummum eſt, nõ ſolũ medi-

A camenti qualitate sed etiã substantia inter deglutiendum appulsa inficitur & magnopere læditur. quare utile est hordei, hoc est ptisanæ succũ deinceps sorbere: propterea quòd abstergere & inferius trahere potest id, quod trãseundo se meatibus implicuit, & temperare atq; immutare medicamenti qualitatẽ, quæ mẽbris insedit: ob hęc igitur Hippocrates iubet ab assumpta purgatione ægrotos hordei pulticulã hoc est ptisanã statim bibere, nõ tamẽ eã dare cõsulit, cũ purgatio fieri incipit, timens ne purgationis opus dissoluatur.

7 Quamuis interdum data purgatione aluus nõ egerit, uel ob ægri naturam eiusmodi, uel quia quod purgare debet exiguum fuit. pleruncq; etiã stercus densatum atq; in aliquo intestino exiccatũ, quod per clysterẽ subduci potuit antea quàm medicamentum exhiberetur, euacuationem prohibet. B potest insuper natura ad urinã uergẽte purgatio nihil efficere. Interdũ quoq; cum euacuatio frustratur, præter hoc quod nocumẽtum aliquod corpori non adfert, in nutrimẽtum etiam transit. interdum tamen in perniciẽ & uenenũ mutatur.

8 Cum uero medicamenta omnia quæcunq; purgant, uentriculum lædant, & maxime eius ostium, quod neruis quamplurimis constat, & acute sentit, excogitatum est beneolentia purgantibus admiscere, ne sola atq; sincera eorum uis ostium uentriculi attingat. oportet autem admista semina talia esse quæ & medicamenti malitiam retundere possint, & eius opus impedire nequeant, quęq; attenuare & incidere ualeãt, ut et crassos humores secare, & uias per quas educi debent aperire & patefacere possint. oportet præterea ut commista sibi inuicem medicamenta consentiant, neque ulla in re discrepent. discrepant autẽ non cum hoc bilem, ut ita ponamus, illud pituitam trahit: utraque enim pari modo euacuari possunt, uerum si hoc celeriter, illud tardius ab assumptiõe, purgare incipit: ita nanque inæqualis euacuatio fit, quãuis simul accepta sint. inæqualem autem euacuationem dico si cum hæc desiuisse uidetur, euacuatio alia rursus incipiat.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI AD PISONEM, De theriaca.

Cap. 1 Præfatio ad Pisonem, uirum quidem è magistratu, sedulo tamen & cupide cum in philosophorum, cum medicorum scriptis uersatum, à quo etiã hic ipsum commendat. Pisonis filius abscessu peritonæi laborãs C à Galeno curatus, non sine magna cura & diligentia patris. 2. Commẽdatio & usus theriaci antidoti, & quibus modis probetur: à multis enim adulterari. Magistratus in sontibus theriacã experti: quomodo ipse eam expertus sit. 3. De imperatoribus Romanis theriaca usis: eorumq; commendatio, qui suos non alijs modo rebus, sed etiam medicamentis communicatis demereri & iuuare uoluerint. 4. Non temere & casu theriacam antidotum inuentã esse, sed ratione: de qua per digressionem pluribus agit contra Empiricos. Ratione enim uel sola, uel unà cum sensibus, tum simplicia rectè usurpari, tum composita misceri. 5. De purgantibus medicamentis. Contra Asclepiadem dicentem non humores à purgantibus, quales prius erant, euacuari: sed tum primum ab ipsis mutatos. 6. Ratione simpliciũ pharmacorum uires differentiasq; cunctas reperiri: Vt, quædam una quadam ui propria agere: quædam etiam mixtas & cõtrarias sibi possidere facultates. Quædam D hominibus uenena, alijs alimenta esse. Quædam unum peculiariter membrum iuuare aut lædere: addit autem exempla singulorũ. Hippocratis uerba de simplicium remediorum cognitione triplici, facultatum, usus, & apparatus. Quòd idem pharmacum alios aliter afficiat. Sunt enim quidam philopharmaci, alij misopharmaci.

7. Simplicibus ante cognitis ratione ueteres composita machinatos esse, inter quæ maxime sapientissimeq; theriacã: De compositionum causis & scopis. Nihil inter tot tantasq; hominum mala grauius esse uenenis & morsibus, quòd subito opprimentia declinari nequeãt. Historia & strategema de serpentibus ollæ inclusis, instar teli in Romanorum castra trãsiectis. 8. Antiquissimam esse theriacam, & semper studiose ambitioseq; à medicis locupletatam, donec Andromachus Neronis medicus uiperarum carnes ceu manum extremam operi iam absoluto addidit, à quarum cõmixtione, nõ modo quod ad uirulentorum morsus ualeat, nomen inditum uidetur. 9. De usu & compositione theriaci pharmaci, elegia Andromachi, quæ etiam libro 1. De Antidotis habetur. 10. Cur solæ uiperarum carnes, nõ ullius serpentis, theriacæ misceantur: nempe ꝙ omnes reliqui aliquid præ uiperis maligni habeant, quod inductione probat, basilisco, druino, hæmorrho, dipsade, acontia, & aspidibus descriptis, cũ historia mortis Cleopatræ ex aspidis ueneno, & damnatorum in Aegypto, quorum pectori aspides admouentur. 11. Cur capita & caudæ uiperarum præcidantur, reliquis solũ ad theriacam assumptis partibus: nempe ꝙ caput præ cæteris uenenũ contineat, ui quadam omnia quæ receperit in uenenum mutandi, ut mammæ sanguinem in lac: semen quoq; maris (ut fertur) hac parte recipit, quo recepto maris caput ori suo inditum præcidit. Caudæ uero cum uicinis partibus abscinduntur, ꝙ nimirum corporis ea pars fœdior sit, & deteriorẽ succũ copiosioremq; motu continuo attrahat. 12. Non esse mirum si præcisis capitibus cum caudis, in reliquis partibus uis salubris & medicamini theriaco idonea relinquatur. Sic enim in alijs quoq; plurimorũ animalium partibus fieri ostendit, ut una præ cæteris eximium quippiã polleat: Sunt quibus integris ad remedia utamur. Quædam uisu solo aut supergressa afficere possunt. 13. Vnde fiat, ꝙ uiperæ, cum uenenũ habeant letale, rursus sui ueneni sint antidotũ. An sicut uulgo Empiricis persuasum est, morsu quidem & sanguinis contactu interimũt, non itidem esu: Aut potius, ut Galeno placet, quia cauda & caput uenenosiora abscissa sunt, reliqua autẽ & coctiõe parantur, & infinitis alijs adiectis uim pristinam non eandem retinent. resultat enim in compositionibus uis quædam noua à singularibus diuersa. Adijciuntur & aliorum uirulentorum exẽpla, quæ uel ipsa tota, uel aliqua sui parte, seorsim aut cum alijs pota imposita'ue morsus sui remedio sunt. Et primum de helenio apud Dacos & Dalmatas telis uenenoso non esu: mox contra uulgus & Empiricos, qui ratione nihil inquirunt. 14. Vt pluribus pharmacis mixtis totis per totum, quatenus hominum

artifi

artificio fieri potest, diuersa à singulis uis producitur: Sic etiam natura mixtis omnino elementis corpora omnia generat: non autem ex fortuito atomorum concursu, sibi inuicem appositarũ, nõ per totum mixtarũ, nullam paſsionem mutationemq́; subeuntium. Docet autẽ principia rerũ non esse impaſsibilia, ex magnis frequentibusq́; rerũ omniũ mutationibus. Obiter adijcitur historia mulieris quæ ex patre deformi pulchrum peperit infantem, qualem pictum aspexerat. Quod si in natura id negãt fieri, Epicurus, Democritus, & Asclepiades, magis sanè illi negauerint ea quæ hominũ industria miscet, agentia patientiaq́; mutuo penitus misceri, & unam eo modo uim nouam resultare. Sed hæc sententia satis erat explosa lib. 1. De temperamentis. 15. De uiperarum ad antidotum electione: nam circulatores quidam eas uẽdentes sæpe fallunt. 16. De medicaminum simplicium, quæ theriacam constituunt, electione: quam exempli gratia in cinamomo solum, casia, & longo pipere docet. Potest enim uel unius neglecti malitia totam uitiare compositionem. 17 Andromachi compositionis theriacæ descriptio. 18. Quid alij quidam (ut Xenocrates, Damocrates, Magnus, Demetrius) ab Andromacho uariarint, nempe pondere: nõ enim aliter uariant. Galenus Andromachum reliquis præfert omnibus. 19. Apparatus hedychroi magmatis, & pastillorum è scilla. 20. Quando & quales uiperæ eligi debeant. Differentia maris à fœmina. Caput & cauda digitorum quatuor latitudine præcidantur. Quod si etiã resectis capitibus adhuc diu moueãtur, sanguinẽq́; fundant, optimæ fuerint. 21 De coctione & reliquo apparatu uiperarum. 22. De reliquorum præparatione, quæ huic antidoto cõmiscetur. De uino, mellis modo, & uasis in quæ reponatur: quæ uitrea & argentea esse uult, non replenda, & sæpe aperienda. 23. De tempore theriaces usus, & quãtum duret, & quod post quinq; annos usq; ad triginta, in magnis causis nempe uenenosis danda sit: in alijs autem minoribus affectibus, uel ad sexagesimum usq; annum satis efficax fuerit: Et quòd an adhuc ualida sit quidam experiantur, si mox post ca-

A tharticum data, uim eius impediat. 24. Modum exhibitionis, & liquores, quibus diluitur, uariare.

25. Quot quantiq́; morbi à theriaca adiuuentur ordine quodam enumerans ostendit: & quòd mixti atque cõtrarij eius effectus sint. 26. Podagricos & articulares dolores theriaca iuuat, fluxiones exsiccat: hydropi & malo habitui, elephantiacis, melancholicis, & quartanarijs prodest. 27. Aduersus aquæ metum & rabiosorum canum morsum theriacã potu impositúue prodesse. Contra methodicos, qui causam non inquirũt: sed tanquã aliud uulnus, canis rabidi morsum sanant. Signa canis rabiosi, & morsum eius sanandi ratio.

28. Vnicum esse pestis remedium theriacam, cum historia Hippocratis, quomodo pestẽ fugarit. 29. Etiã sanis frequentem theriacæ usum salubrem esse, excrementa consumere, actiones naturales roborare: peregrinantes contra frigoris iniurias armare, sensus & mentẽ B acuere, corpus à uenenosis alijsq́; noxis præseruare & ægre paſsibilẽ reddere. De Mithridatis pharmaco, & mortis eius historia. 30. Quando, quo modo, & qua ætate utendum theriaca. Historia pueri, quem intẽpestiuus usus theriacæ perdidit. 31. De salibus theriacis, quibus similiter uiperarum carnes admiscẽtur, sed non tam efficaces sunt, quàm prædicta antidotus.

32. Quamuis pharmaca, quæ sales theriacos constituunt, urantur: nõ tamẽ ideo uim prorsus euanidã habent, quod multorum aliorum exemplo docet, quæ etiam meliora & ad usus commodiora ignis commercio redduntur, ut aurum, ferrum, obsonia, uinum. Chalcitis etiam & lapis phrygius dum uruntur nimiam acrimoniam remittunt. Spõgiæ cinis. 33. Quæ salis sit potentia per se. 34. Apparatus salis theriaci. 35. Quomodo Galenus hos sales parauerit, uiperarum carnibus nõ ustis, sed in pastillos formatis, ut ad theriacam, eisq́; reliquis urendis adiectis, quæ & efficacior, & gu- C stu coloreq́; gratior superiore est compositio. 36. Epilogus operis ad Pisonem, cum Pisonis commendatione.

CL. GALENI DE THERIACA AD PISONEM LIBER.

IOANNE ANDERNACO INTERPRETE.

QVANDOQVIDEM theriaca inter omnia a- D lia medicamenta, maximo studio experitũ, propter uim efficaciæ quã habet, & eo quod etiam sanis ad multa utilis theriacæ usus existit: librũ hunc quoq; de Theriaca optime Piso, magno cum studio, omnibus uidelicet accurate perpensis examinatisq́;, composui: idq́; hoc potiſsimum nomine, quod te ad cognitionem eius indipiscẽdam haud frigide affectum cognouerim. Nam ædes tuas aliquando pro more meo ingressus, complures sanè & alios familiares libros tibi propositos offendi. Quippe soles & alioqui, postquam ciuilium actuum expedieris negocia, ueterum philosophorum scripta reuoluere, hisq; animum applicare. Porrò cõmentarium quendam de Antidoto hac cõscriptum, tunc non sine uoluptate legebas: & me tibi astantem, ilico amicis intuitus oculis, comiter etiam alloquebaris: ac deinde iterum me audiẽte librũ relegebas. Auscultabam uero et ipse, quoniam cõmentarius non indiligenter, sed cura erat compositus abs quodam Andromacho nomine, qui artem non modo rerum experientia probe calluerit, sed etiã sermonis elegantia rationem in ipsis curiose exercuerit. Itaq; præfectũ esse ipsum nobis, quod in his rebus plurimum ualeret, illius ætatis reges, meo quidem iudicio, uolebãt, forsan patria quoq; nonnihil ad medicinam exquisite discendam ipsi opitulante. Cretensis siquidem erat natione: ac uerisimile est Cretam ut plerasque alias herbas, ita etiam ad unum quoddam medicamentum idoneum illiusmodi uirum hominibus produxisse. Porrò cum tu illius scripta perlegeres, dici uix queat, quantum gauisus, ue-

req; sim admiratus, quòd diligenter adeo mentem A ijs quæ ab illo dicebantur attenderes. Qua de causa etiam multum fortunæ nostri temporis hominum gratulabar, qui te tanto artis studio teneri cõspicerem. Siquidem bona aliorum hominum portio, solas aures medicinæ uerborum lenocinio cupit demulceri: tu uero non solum ea quæ dicuntur libenter audis, uerum etiam quæ non exprimuntur, propria insitaq; prudentia ingeniose inuenis. nonnulla opera quoq; tam accurate noscis, & perspicis, ut nos, qui diligenter ac studiose didicerimus. Quod nimirum ego in te contemplatus non potui non obstupere. Contemplatus autem sum, cum filiorum tuorũ charissimus ex quadam equitandi necessitate intercapedinis ani ac scroti affectu laboraret: ut qui sacris administrãdis publice B esset præfectus, cærimoniarũ gratia, quæ diuis Romanorum tunc necessario fiebãt, quamobrém uel generosissimos quosque pueros cõcinne equitantes, saltantesq;, tanq; equis sacra quædam & ipsos obire oportebat. Cum igitur filij tui admodum teneri locus hic undequaq; cõtusus uiolenter, à subiectis partibus abscederet, ac deinde pure collecto, incisione etiam opus haberet: puer sané tanquam uir iam tum esset, patienter omnia sustinẽs, dextre curabatur: ceu ex quodam philosophię studio, tolerantia ac fortitudine ad præsens malũ probe instructus exercitatusq;. At tu in curationem incumbens, animum diligenter omnibus, quæ à nobis fiebant accommodabas. ut si quando nonnihil etiam neglectim ac oscitãter fieret, statim ac- C curatius exequereris, admoneresq; secundũ Hippocratem, ne temere quid committeremus. At ego uel enixius spectãs, quod abs te curiosius fieret animaduerti: nempe si quãdo & medicamentum quoddam à medico impositum suo in loco minus recte hærebat, id tuismet digitis transpositum, apte uulneri applicabas: ut miraculum esse uideretur, te tam repente ex tuo erga filium amore, & naturali solertia, artis absolutionem manibus ostendisse. Atq; idipsum tibi usu uenire cõperio, quod Plato sapientissimus cõmemorat, in multis, ut est consentaneum, frequenter speculatus, & ueri gaudens necessitate. Hæc autem ipsius est sententia: Disciplinæ, rerum sunt recordatiões, animusq; uidetur omnium habere notitiam, quæ tunc nimirũ D apparet, cum usus postulat.

2 Quemadmodum autem in te quoq; filij solicitudine, præsens artis experiẽtia, præter nostram opinionem apparebat: nec id sané immerito, cum sis adeo honesti amans atq; ingeniosus: ita neque in hoc medicamento Theriaca fuisti negligẽtior: uerum & facultatem ipsius & misturam scire studuisti: ad hæc, tempus, mensuramq; usus adamussim perdiscere. siquidem hoc est proculdubio apud uniuersos homines celebratissimũ, tum quòd pollicito neminem frustretur, tum ob ipsius actionis efficaciam. Siquidem nullum unquam à feris quæ hominem solent interimere, cõmorsum, hac statim epota antidoto, perijsse, memoriæ est proditum. Nullus eadem præsumpta, haud multo post morsu impetitus, belluę ueneno ceu illam superãte interijt: quod subinde nõnulli prætores etiam, penes quos uitæ & necis potestas est, experiũtur, atq; medicamentum probare uolentes, an quod promittat, præstare quoque possit, in hominibus iam ob praua quædam & illegitima facinora ad mortem iudicatis, de ipso faciunt experimentum. nos autem cum in hominibus id non possimus, in alijs quibusdam animantibus idem facientes, ueram medicamenti probationem inuenire conemur. Nanq; gallis qui domi non enutriti, neq; nobis sunt contubernales, sed potius agrestibus, & sicciore præditis corporis temperamento, captis, feras obijcimus: & qui inter illos non biberint ex medicamento, protinus intereunt: qui uero biberint, conualescunt, & à morsu uitam retinent. Interdum uero, medicamentum num adulteratum sit, hoc quoq; modo probare conuenit. Si epota Theriaca non purgetur qui purgans sumpsit medicamentum, hoc ipso iudicamus antidotum esse præstantissimam: quoniam purgationem ei qui medicamento usus sit purgante, impedierit, ut tali experimẽto à ueri medicaminis inuentione nunquam aberrauerimus. Multæ siquidem à subdolis improbisq; in hoc quoq; fraudes fiunt: ac uulgus sola antidoti opiniõe deceptum, ab ijs quibus ars est mercenaria, plurima pecunia medicamen uel praue confectum redemit. Non desunt enim ex sanis etiam, qui tota, omniq; ipsorũ uita assidue medicamentum usurpent, præsertim qui ob inhumanos, illiberalesq; mores nõ citra solicitudinem degunt, sed perpetuo suspicionem habent, facile ab inimicis sibi strui insidias.

3 Nonnulli uero corporis iuuandi gratia quotidie medicamentum assumunt, quemadmodum sané diuum Marcum nos quoq; nouimus, qui legitime aliquãdo imperium gessit, & adamussim, ut erat uir prudens, corporis sui temperaturam intellexit, affatim, & ueluti delicijs quibusdam, medicamine esse usum. Ab illo nanq; uiro potius medicamentum bonæ existimationis cepit initium, & uirtus ipsius actionis hominibus innotuit. quippe imperatori secundam ualetudinem emolitum antidotum, auxilij fidem potissimum comparauit. Verum illius principis tempore, ad eorũ duntaxat cognitionem, qui uiderant, Theriacæ opus perueniebat. sub huius autem seculi maximis imperatoribus usus eius prodijt in publicum. Omnibus enim licet nobis, ipsorum bonis probe uti, & liberaliter curari, alio ab alio medicamentum capiente: quoniam non solum hoc nomine cæteris omnibus præcellunt, quòd imperium à dijs sint adepti, sed etiam quòd uniuersa bona uniuersis libenter impartiant, sicut & dij ipsi tãtum ex æquo gaudij concipiunt, quantus eorum numerus extiterit, qui ab ipsis redduntur incolumes. Præterea censent maximam esse regni partem, communem omnium salutem: quòd sané in ipsis etiam sum admiratus. Non enim in hoc duntaxat medicamine cõficiendo ponunt industriam, sed ita sunt in omnibus in commune benigni, munificiq;, ut si quando ami-

do amicis aliquibus usus uenerit, mirum sit quàm prompte, ac quanta alacritate medicamenta communicent: ea'que non ubi usus necessitas ingruit, tunc conficiunt: sed ad ipsum temporis articulum expromptam quoque illorum compositionem egregie possident. Cum igitur Antipatrus qui græcas ipsorum epistolas facere cōmissum habebat, & propter morum grauitatem, & absolutam in dicendo facultatē, magno in pretio habitus, nephritico infestaretur affectu, grauemꝙ ex eo & intolerabilem dolorem conciperet, studium ipsorum amicis seruandis quauis laude dignissimum cognoui, mirificamꝙ circa medicinam, animi contentionem. Ita nanque uarijs differentibusꝙ symptomatis obsistētes cum morbo longe pulcherrimis medicamentis certabāt, præstansissimorum medicorum instar, qui uel omnem uitam in ipsius exercitatione contriuerint. Iam uero Arriam in omnibus mihi charissimam, quæ & ipsa supra modum ab eis commendabatur, quod diligentem philosophiæ nauaret operam, & Platonis maxime libris gauderet, in lecto quandoꝙ grauiter decumbentem, utpote stomachi dissolutione affectam, iacentemꝙ adeo supinam, ut ne cibum quidem potuerit capere, atꝙ ideo in atrophiæ ut cibum non sentiret periculum ueniret, non aliter quàm medici expertissimi mulierem curauerunt, propinantes ei uinum, meo consilio, ex absinthio confectū. Huius siquidem potu ilico stomachum ab imbecillitate uindicauit, & sine mora appetitus officium recuperauit. Cæterum quid in filio tuo euenerit, nimirum adhuc in memoria retines. Cum enim facto abscessu, tu quidem ut benignus pater, tardior ad sectionem esses, tempus autem humorem contentum excerni postulasset, ipsi medicamine exhibito, magna nos ipsius solicitudine liberarūt. Applicatum nanꝙ emplastrū, locum quidem incumbentem celerius quàm scalpellum, diuisit: totum uero humorem subditum euacuauit, ut puer hinc non amplius dolorem persentisceret. Hac igitur circa ista medicamina, uti uides, honestate regia præditi, haud immerito quoꝙ Theriacen diligenter præparant, singula quæ miscēt, accuratius probantes ipsi, quò nihil prætereant. atꝙ hanc ob causam mirificā antidotum opera edat.

4 Etenim uaria ut nosti cōstat mistura, & multiplicem in operibus usum exhibet: quo nomine illum qui primus confecturam ipsius molitus est, admiror. Quippe uidetur mihi nō temere, sed exacta quadam ratione, atꝙ explorata admodum cura compositionem ipsius inuenisse. Non enim sicuti medici, qui se à professione Empiricos appellauerūt, neglecta naturarum ratione, unumquenque sine artificio curant, turpiter quædam ex somnijs, quædam uero ab ipsa fortuna ad ipsam artem medicamenta capere se pronunciantes, ita nos quoꝙ medicinam tractamus: uerum quæ ratio ipsa prima solaꝙ potest inuenire, eadem exacte omni consideratione disquirentes, magno studio comperimus. At quæ inuenire nequit, ea sensuum experimento iudicamus: plerunque ne ipsi

A quidem soli ac unico sensui iudicium de eis cōcredentes. Neꝙ enim calcē quòd candida sit, quemadmodum nix, uisu duntaxat frigidam iudicare satis esse censemus, neꝙ rosam quòd rubra sit ideo etiam calefacere ipsam ilico pro certo habemus: sed unà cum uisu sensum quoque tactus adhibentes, illam quidem calefacere, adeo ut urat, certo inuenimus: hanc uero quod frigiditatem econtrario in ea tactu percipiamus, ex refrigerantium numero esse firmiter habemus persuasum. Atꝙ hoc pacto reliquorum adamussim medicaminum singulorum uirtutem ipso sensu iudicantes, inuenimus aliud esse salsum uel acidum, aliud amarum uel dulce, gustatus nimirum probatione. Quòd autem aliud calefacit, aliud refrigerat, aliud humectat, aliud exsiccat, tactus subsidio est condiscere.

B Multorum uero ex ipso odoratu probationē molimur, & facultatis robur ex uehementi odoris exhalatione deprehendimus, imbecillitatem uirtutis ex remisso odore. At probatum'ne sit an minus quodlibet medicamētum simplex, sensus ipsius iudices statuentes cognoscimus. Atque his primum illa experti, & fide ex usu sensu'que astructa: ita deinceps experimēto rationem adiungentes, ac in omnibus ueluti ducem ipsam sequentes, tum simplicibus medicamentis congrue utimur, tum compositionem ipsorū rationis artificio præstantissimam reddimus. Nam morbi cuiusque natura comperta, ac uarietate, differentiaꝙ temperamenti simplicium medicaminum cognita, sic

C composita præparamus, unicuique morbo quod congruum est, uaria ipsorum compositione distribuentes, singulisꝙ hominibus pro corporis ipsorum statu, ut medicamentaria pars medicinæ præcipit, artificiose adaptantes.

5 Multa nanque, uti non ignoras, penes nos est ad usum parata medicamētorum facultas, adeoꝙ diuersa, ut non solum in compositione uirtutis diuersitas uideri queat, sed etiam simplicium medicaminum alia ex tota ipsorum substantia unam quandam simplicem uirtutem indicent: quemadmodum Scammonia bilem flauam trahere apparet: Epithymum, quod ab Attica importatur, atræ bilis humorem per aluum purgare cernitur. Coccus cnidius pituitam, & omnem aquosum humo-

D rem conspicue educit. Hæc siquidem medicamenta ex tota ipsorum parte, totaꝙ sua substantia horum humorum eductionem moliri conspicimus: Non enim fidem Asclepiadi Bythino medico adhibemus, cuius sententia est, Cum homo iam purgatur, tunc etiam humores hos statim quandam subire mutationem. Quippe quoniam autor fuit opinionis de molibus ac meatibus corporis, ut propterea necessariò naturæ opera tolleret, consentaneum erat & hunc de humoribus sermonem ipsum dicere, adeo id quod ab eo adducitur, à ratione est alienum, & omnino fieri nequit. Quis enim sanæ mentis crediderit tam subito quàm medicamentum corpus attigerit, humoris qui excernetur, substantiam generari? Quis contrà non facile sibi persuaserit humores hosce prius quoque

secũdum naturam corporibus inesse? cum uideat Arquato morbo laborantem, eo tempore quo medicamentum biliosum humorem purgãs cepit, & bilem subito copiosam excernere, & affectu expedite liberari? Eum uero qui aqua inter cutem affligitur, medicamento quodam simulac fuerit assumptum, omnem aquam uentriculo insidentem cito admodum uacuari, atque ex tam subita uacuatione nullum sanè humorem, aut certe paucissimum in particulis infartum habere. Verum hæc Asclepiades, pueriliter dogmatis necessitati inseruiens, ambitionis studio, ut dixi, uidere se dissimulat, omniaq; probabilibus potius figmẽtis conatur inuenire, quàm propriam cuiusq; medicamenti facultatem uere confiteri.

A

6 Nos autem cum hæc uideamus, & per rationem uniuscuiusque naturæ medicamentorum potentiam sciamus, hic quoque medicamenta natiua quadam facultate conuenientem sibi succũ attrahere, compertum exacte habemus: quemadmodum etiam ex eo quòd Magnes lapis ferrum ad se attrahit, uirtutem quandam attractricem ei inesse natiuam uidelicet, rationabiliter nobis ipsis persuasimus. Quum enim uelut deus sit natura in nobis, secundum Homerum, & similia ad similia adducat, hoc modo diuinas suas uires indicat. Ac reliquorum omnium naturam pari studio examinamus, ut uim quoque ipsorum per quam operantur, exquisite perdiscamus. Nam dum examen illorũ molimur, alia, sicut dictum est, per totas ipsorum substantias functionem obire deprehendimus, alia mistam quoq; in substantia uirtutem habere, et duplici fungi actione tam manifesto sæpe, ut etiam quammaxime contraria ab eis fieri in corpore conspiciamus, atque id miraculũ esse uidentibus apparet. Lapathi igitur folia comesta uentrem cient, semen autem assumptum astringit. Similiter & brassicæ succus, & uetulorum gallorum ius, & cochlearum marinarũ humores assumpti, aluum mouent. Olus autem ipsum brassicæ, & illarum carnes comestæ, uentrem comprimunt. Aloe, squamaq; æris supercrescentes ulcerum carnes adstringunt: & fluxiones quæ sub ipsis nascuntur, subinde exsiccant. Assumpta uero per os, uniuersum corpus purgant. Lac ubi à nobis diuiditur, contrarias in usu facultates ostendit. Nam serum ipsius bibitum, uentrem resoluit. Caseus ingestus, exacte ipsum cohibet. Nonnulla uero tam inopinabile quippiam in temperatura facultatum quæ commiscentur efficiunt, ut auditoribus quoque nullo fieri modo posse uideatur, nisi suis ipsi oculis id quod accidit, contueantur. Trifoliũ itaque herba, quæ hyacintho similis est, cũ uere parturit, & semen agresti Cnico persimile obtinet: decocta admodum, deinde morsibus phalangij, uel uiperæ quoque ex aquæ fotu adhibita, ipsis medetur, & dolores statim sedat. Sin autem in alio non commorso sanum locum eodem fotu circundederis, similem sensum, similesq; dolores ijs quos morsus inuehit, omnes conciliat: ut reuera miraculo dignum opus esse uideatur, eandem uidelicet herbam & morsum sanare, & ferarum modo sanam partem praue afficere. Iam uero ex medicamentis quædam hominum nutritioni minime cõueniunt. Cicuta enim sturnos quidem nutrit, & letalem in ipsos uim non exercet: nos autem, quemadmodum probè nosti, interimit. Veratrum, coturnicum cibus est, homines male corrũpit. Nonnulla uero partes etiam quasdam corporis priuatim uitiant. Nam lepus marinus pulmonem exulcerat. Cantharis uesicam peculiariter afficit. Econtrario pleraque medicamenta quibusdam corporis partibus eximie curandis sunt idonea. Patienti igitur iocinori sæpe Eupatoria herba perstrenue auxiliata est. Glans unguentaria, Myrobalanon uocant, lienem adiuuat. Sarxiphagon, & Betonica, renibus pulchre faciunt. Et similiter alia aliarum, ut experientia obseruauimus, propria sunt medicamina: quæ nos, ut dictũ est, diligenter perscrutati, sic cuilibet morbo, ut conueniunt admolimur, Hippocratem magistrum longe optimum in his quoq;, ut in alijs oĩbus, æmulantes. Quòd enim exactissimam de medicamentis artem fecerit, cum ex alijs plerisque ab ipso cõscriptis est cernere, tum ex ijs qui secundo de morbis publice grassantibus libro in hunc modum prodita reliquit. Medicamẽtorum modos scimus, ex quibus qualia, & quæ fiunt. Non enim omnes similiter, sed alij aliter componuntur. Et alibi citius, aut serius, in manuum tractationes assumuntur, uelut est aut siccare, aut tundere, aut coquere, & huiusmodi. Omitto plurima, quæ unicuique, & in quibus morbis, & quo tempore morbi, ætatem, speciem, uictum, qualis hora anni, & quæ, & qualiter procedat, & eiusmodi. His enim, uti uides, generalius nos docet, ut qui & medicamentorũ naturas discere nos adhortetur, & tempus exquirere, quo medicamenta debẽt assumi: deniq; eorum qui assumũt, temperaturas inspicere. Sunt enim nõnulli proculdubio, qui tam facile ea possunt capere, ut etiam sæpius cõcoquant, uel nihil ab ipsis incommodi, sed aliquando nutrimentum experiantur. Quidam tam inepti medicaminibus assumendis existunt, ut nequaquam uti ipsis possint, & stomachus auersetur, ac ante usum facile dissoluatur.

B

C

7 Hæc igitur ut ego arbitror & ueterum medicorũ præstantissimi ab ipso edocti, optimas sic & medicamentorum compositiones effecerunt, ex singulorum natura confecturæ artificium inuenientes, quæq; intensa sunt ipsis qualitatibus, aliorum mistura remittentes: simili ratione acria hebetantes, &, ut summatim comprehendam, pro reliqua cuiusque uitij differentia, & hominum temperie, medicaminibus cum artificio utentes. Quare ut animum induco meum, & Theriacen hanc, de qua totus hic liber ampliter differit, ex plurimis, optimisq; medicaminibus præpararũt. Cum enim considerarent morsus noxiarum ferarum esse incurabiles, & uenenosorũ medicamentorum symptomata letalia: ad hæc, cum perpẽderent hominum naturas permultum inuicem differre, & aliud alij medicamẽ idoneum: merito exactam ipsius

D

ſius,& uariam fecerunt miſturam,ut huius rei gratia,certo ipſa in his omnibus finem aſſequeretur: atque ob uſus neceſsitatem, magno ſtudio ab hominibus affectaretur. Nihil ſiquidem inter uitæ mala difficilius eſſe mihi uidetur uirulentis medicaminibus, & feris noxijs. Etenim ab alijs etiam grauiſsimis fuga nos præſeruamus, illa maxime hominibus imponunt, quod uidelicet aliquis nulla præmunitione adhibita, frequenter uenenum neſciens imprudénſque aſſumit: deinde cõmorſus à fera quadam, ſubito interijt. Ego autem ex quodam hiſtoriæ libro accepi, quomodo aliquis bellũ contra Romanos gerere uoluerit, nulla militaris ordinis potentia munitus. Homo uero hic, inquit, Carthaginenſis, complures ollas feris quæ repente poſſunt occidere, refertas, aduerſus hoſtes proiecit. Illi autem non intelligentes quis mitteret, eóque neutiquam ſibi cauentes (quippe tales emitti ſagittæ inter hoſtes non ſolebant) protinus collapſi perierunt. Atque propterea homo ille frequenter eiuſmodi belligerandi aſtutia, tanquam & ipſe fera quædam exiſteret, inimicorum manus effugit. Quamobrem putauerim & uobis primatibus, & exercituum ducibus ad tales uſus hoc eſſe habendum medicamentum: quòd nonnunquam bellandi incidat neceſsitas.

8. Olim itaque citra ferarum quoque miſtionem confectum medicamentum, ſimiliter ad huiuſmodi mirifice faciebat. Cum autem medici ſemper in huius præparationem certatim incumberent, ac aliud commiſcere cogitarent, in hunc modum quidam conſiderauit, miſcuitque ipſi belluas. Aiunt autem Andromachum hunc uirum fuiſſe, medicum mehercule memoria dignũ, haud multo ante nos natum. Quippe Neroni conuixit, cui etiam ipſam dedicauit, tum uires, tum confectionem carmine cõplexus. quod tibi hic ſubiungam, ne ipſius hiſtoria careas, tam ſtudioſus alioqui & cupidus literarum. Illud tamen præfabor, Theriacen non ſolum quòd ferarum morſibus probe conueniat, ſed etiam quòd feræ ipſæ deinceps in confectura miſceantur, congrue ex utroque ſignificato eſſe nominandam. Verſus autem hi ſunt.

ANDROMACHI SENIORIS, NERONIS archiatri, ex Viperis theriace, cui nomen eſt Galene.

Accipe quas habeat uires, clariſsime Cæſar,
Antidotus multis conſociata modis.
Accipe ſecuræ Nero libertatis alumne
Magna ſalutiferæ robora theriaces.
Dicitur hæc Graijs Hilare, Eudios, atq; Galene:
Ad potus diros haud medicina leuis.
Nec ſi meconis perfrigida pocula ſucci
Hauſeris, inſignem uim negat illa ſuam.
Nulla cicuta poteſt hãc uincere, nullũ aconitum:
Nullus frigidior ſuccus hyoſcyami.
Feruida non thapſus, letalia pharmaca Medæ,
A Sanguineumq; ualent ulcera cantharidum.
Vipera nigreſcens ictu, infeſtuſq; ceraſtes,
Arida ſeu dipſas non ſuperare poteſt.
Scorpius aduerſum hãc, itidẽ nil promouet Aſpis
Quæ in reliquis uirus exitiale tenet.
Improba et illa ptyas cõtra hanc occurrere pugna
Non audet, latebris ſed manet uſq; ſuis.
Dryinum, necnon hæmorrhũ, ſanguineum qui
Humorem effundit, hæc medicina domat.
Non hoc offendunt inimica phalangia potu,
Quæ horrifico uexant ſumpta dolore uirum.
Nõ hydrus, aut epicherſus agẽs, dum feruet aquæ
Sub calido cancri ſydere obeſſe poteſt. (uis
Ille inquam labijs cherſydrus peſtifer atris,
Qui occurrens, animam non ſinit eſſe diu,
B Huic fidens Cæſar prato oblectare per æſtum,
Nec Libyæ curæ tunc ſit arena tibi.
Nulla tibi amphisbæna nocet, ſiccoſq; ſubintrans
Campos, exitium nulla rubeta feret.
Quin ſtomachũ curat medicamen, cũ æſtuat ęgrũ
Aſsidue uexans, inſuper aſthma citum.
Vel cum uentriculus turbatur flatibus, undam ut
Interius ſurdam concitet ipſe chyli.
Vel cum difficili uertuntur tormine uenti
Inteſtina, colon tenſio ubi exagitat,
Vel cum iam totos confuſo felle per artus
Vt proprius nequeat eſſe colos oculis,
Regius infeſtat morbus, non ulla ciborum
Cura adſit (quamuis Iuppiter annuerit
Tempora longa) animo ſed triſtes limina uitent
C Eius qui medicam polliceatur opem.
Si uideas pallore malo candentia membra,
Tollet hydropa ſuis uiribus antidotum.
Et fuſcata ſtatim luſtrabit lumina, rebus
His quoq; ſi incipiat, non uereare phthiſin
Sola etiam Tetanũ, Tendonum ſpaſma, profundi
Theriace hæc adimet pondus opiſthotoni.
Vel cum ſuccingens coſtas membrana laborat
Pulmones reprimens deſuper ipſa leues.
Vel quãdo horrificos patitur ueſica dolores
Vlceris, illius prædomituſq; porus
Impedit urinam, coles & reddere eandem
Appetit, & uanam proruit in uenerem.
Cum renum ſæuit crucians iniuria lumbos:
Hoc poterit potu triſtis abire dolor.
D Pectoris & labem ſanioſam pellitat ægri
Multos uſq; dies potus is antidoti.
Peſtiferamq; luem curat, quæ tempus in omne
Spiratu grauis eſt, intima conficiens.
Atq; canis rabidi uirus, lymphæq; timorem,
Lætus odorata fugeris antidoto.
Hinc tu ſume fabæ põdus, quã lympha creauit
Ex umbra, cœno & tecta ſimul folijs.
Nempe fabæ Nili, grauitatis nomine, ternis
Antidoto calidam conſocians cyathis.
Sumito, quando capis ſomnum, uel luce reuerſa,
Vno uel pariter pocula bina die.
Luce bibent ipſam quibus eſt ſol triſtis, ut inde
Lenimenta mali quod grauat, accipiant.
Nocte, quibus tenebrę gratę minus ordine uerſo,
Ante thorum pulchre ſumpta medela facit.

Exitiale animans quos læsit uulnere diro,
Aut cui letalis potio capta fuit.
Apponens Hilaren affectis pocula, eodem
Noctu & luce simul fac medeare modo.
Quin & perpetuo spiranti nocte quietem
Præbebis Cæsar, hoc placidam antidoto.
Principio expertus uir in arte uenabitur angues
Audaci, miros celleritate, manu.
Hos, cum tristis hyems abijt, non amplius arctas
In terris latebras cernis habere suas
Missis iam latebris, subeũt nemora ampla, uirẽtis
Quæsitum marathri semina grata oculis.
Hæc uisum refouent serpentibus, atq; bubulcos
Subtimidos magno sæpe dolore grauant.
His ipsis caudas, & colla referta ueneno,
Præcide, & uacuos uentriculos adime.
Quippe uenenatos utraq; ex parte dolores
Mittunt, nam caudis hi quoq; uirus habent.
Ergo seces ipsis ceruicem, atq; extima, quantum
Intus in pugnum tenditur arcta manus.
Diffluit at uirus pariter cum sanguine, quod si
Vitaris, lætum tu experiere diem.
His tibi sic factis, carnes in fictile mittens,
Vnà compositas igne parabis acri.
Lymphæ quod satis est infundes, germen anethi
Cum anguina iunctum carne coquens pariter.
Ast ubi spina cadit cocta de carne recurua,
Desuper atq; feræ noxia terga tument,
Exime, quo feruens frigescat mistio flammis:
Infestas carnes dimoueasq; procul.
Abstrahe serpentum spinas, uirus redolentes,
Quas persentiscet non male docta manus.
Carnibus adijcias sicci panis & bene pisti
Quantum pastillos fingere sufficiat.
Verum ubi iam ista pilæ fundo contusa rotundæ,
Formasti, umbroso ponito cuncta loco.
Protinus hic etiam piloso cortice scylla
Illita cui circum massa sit, incaleat:
Dum sic assetur, nec fiat durior inde
Cortice, nam ardescet leniter igne cinis.
At postquã calefacta nimis disrumpitur, ipsam
Deponis, carnis portio tripla manet.
Atq; eruum gyro duplici demittis àcerbum,
Pistilloq; moues, quod teris inferius.
Aufers, & riguos pastillos inde figuras,
Quos siccans umbra, à sole repone procul
Quatuor at decadas drachmarũ, & bis quater in-
Sed de Theriacis sumito dimidium. (de,
Tot piperis longi, meconis, magmatis adde,
Magmatis hedychroi par modus inijcitur.
Bisq; rosæ senis siccæ folia ingeris inde
Drachmis, coniunges irin & illyricam.
Hoc glycyriza modo, necnõ opobalsama odora,
Scordion, & dulcis semina buniados
Sumuntur, cinamomũ et pondere ponere eodem
Non oblitus eris, nec simul Agaricum.
Sed myrrha & costus, crocus & qui ducitur antro
Corycio, binas accipient triadas.
Iam casia & nardus quæ extremis fertur ab Indis,
Iuncus apud Arabas uictima facta deis.
Thus, piper atrũ, albũ & dictãni germina, rheon,

A Marrubium, stœchas, zingiber atq; calens.
Et terebinthina, & calaminthæ, & petroselinum
Quinq; simul folium, singula pondus idem.
Actutum polij quaternas ponito drachmas,
Tot styracis faciens, atq; chamæpityos.
Totq; mei drachmasq; racemiferi addis amomi,
Nardi & quam generat Gallica terra simul.
Lemnia creta pares, phu põti, itideq; chamædrys
Semina Cretensis malabathri folia.
Torrida chalcitis, & anisum, & gentia radix,
Succus hypocistis, pondus idem capient.
Balsameum fructum, gummi, semeq; marathri,
Et cardamomum quod tenet Indus ager,
Cœruleæ ast spinę lachryma, hypericũ, sagapenũ:
Thlapsi, ammi, seseli, tot quoq; singla petunt.
B Castorium, terræ malum, nigrumq; bitumen
Iudaicum, dauci semen, opopanaca,
Galbana opima itidem, necnõ centaurion æque:
Tu binis drachmis singula consocias.
Omnia permulto subigantur in orbe falerno,
Quæ lachrymas referunt humiditate chyli.
Sed lignosa teres, Actęo melle perungens,
Omnia quæ misces Theriacæ antidoto.
Phœbe tuum munus prompto comitare fauore,
Seu nunc te oblectes per iuga Thessaliæ,
Seu Rhodõ, aut Burinnã habitas nũc, aut Epidau
Des hilarem regi perpetuo antidotum. (rũ,
Nempe tuam gnatã Panaceam, nam ipse salutem
Abs te ortam sacro semper honore colet.

10 Cum itaq; uersus hi non sine ingenij dexte
C ritate à uiro sint cõpositi, necessarium mihi uidetur inspicere, cur tandem in tanto talium ferarum numero, nõ alterius quàm uiperæ carnes in misturam esse idoneas censeamus. Ipse enim nihil de his, uti uides, scriptum reliquit. ego uero has minus alijs feris tabificam uim obtinere autumo. Nam basiliscus, bellua sufflaua, & triplici frontis apice munita, uisus etiam solum, conspectusq;, ut aiunt, & sibilo auditus homines perimit. Atque ex alijs animantibus siquod illum extinctum attingit, & ipsum subito interit. quare omne aliarum ferarum genus propinquitatem ipsius deuitat. Dryinus uero serpens sic nominatus, q; in radicibus quercuum uiuat, tam malignus ad perdendum proditur, ut eius qui supergreditur cutis à pedibus excorietur, tota crura œdemate admodum intume-
D scant, &, quod magis mirificum est, manus quoq; ipsas curantium eodem modo periclitentur. Si autem quis aggrediatur eum perimere, olfactu adeo mulctari aiũt, ut quemlibet gratum odorem, prauum esse existimet, nec alterius præterea rei queat sentire. Hæmorrhus & hæmorrhois suis ipsorum nominibus similem hominibus perniciem inferunt. quippe percussi, sanguine per os & nares totóque corpore effuso sic intereunt: quemadmodum & à dipsade commorsi, qui & causus appellatur, male conficiuntur. Nam & multa siti, & æstu uehementi uexati, interdum & dirupti, diem obeunt. Acontias serpens, ubi se multum extenderit, ceu iaculum quoddam corporibus insiliens, sic perimit. Inter Aspides nominata

ptyas ceruicem exporrigens, & interualli metita A longitudinem rationalis cuiusdã animalis modo minime aberrans, uenenum corporibus insputt. Harum igitur ferarũ una (nam triplex Aspidũ species est, hæc uidelicet, & chersæa, id est terrestris, & chelidonia) perhibẽt reginam Cleopatrã cum uellet latere custodes, statim & citra suspicionem mortem sibi cõsciuisse. Cum enim Augustus deuicto Antonio eam capere incolumem uellet, ac uiuere, studiosiusq́ (sicut par erat) seruare, ut Romanis tam insignem mulierem in triũpho ostẽderet: hac, aiũt, re intellecta, optauit regina adhuc ex humanis potius decedere, q̃ priuata Romanis uideri. Et tunc molita est sibi hac bestia mortem consciscere. Præterea memoriæ produnt ipsam duas omniũ fidissimas mulieres ad se uocasse, quæ ad pul- B chritudinem corporis mundo subministrãdo erãt accommodatæ, nominabãtur Naera, & Carmione: hæc comam decẽter implicabat: illa extremos ungues dextre præcidebat: deinde iussisse ut ferã uuis ficubusq́ tectam importarẽt, quò, ut dixi, custodes falleret, prius expertura in ipsis mulieribus an subito posset perimere, & hæ cum actutũ perijssent, deinde ipsam sibi exitiũ attulisse. Ob quã rem Augustum uehementer fuisse attonitũ commemorant, partim ob harum erga reginam amorem, ut cum ea mori non dubitarint, partim quòd illa generosam potius mortem oppetere maluerit, q̃ in seruitute uiuere. Etenim aiũt ipsam, manu dextra capiti admota, & diadema, sicut est consentaneum, tenente, fuisse inuẽtam, ut uel eousq́ spe- C ctatoribus regina esse uideretur: quemadmodum & tragicus poeta describit nobis Polyxenã & ipsam morientem, quæ tamen accurate operam dedit, ut cũ decoro caderet. Porrò qui mulieris properum ut falleret custodes conatũ, feræ autem ad occidendum pernicitatem sermone nobis uolunt ostendere, referunt ipsam suũmet brachiũ magno admodum morsu, eoq́ alto, uulnerasse, & belluæ uirus in uase quodam ipsi allatũ, uulneri infudisse: quo sic trãsmisso, haud multo post nescijs custodibus prompte interijsse. Verum hanc historiam animi gratia cõmemorare uisum est, quòd te in omnibus disciplinis diligentẽ dextrũq́ uideam: ad hæc, ut intelligamus q̃ subitam hæ feræ necẽ concilient. Etenim exitio inferendo haud dubie sunt D præcipites. Ac in magna Alexandria subinde sum contemplatus, q̃ celeriter perimerent. Cum enim aliquem hac pœnæ lege damnatũ, humaniter, citoq́ uolunt occidere, adijcientes ipsius pectori feram, iubentesq́ paululum obambulare, ita sine mora hominem tollunt è medio. Vides igitur q̃ nos decẽter nullam ex huiusmodi feris, quòd tantam habeant in ipsorum corporibus uim noxiam, medicamento admiscemus.

11 Atq́ ipsarũ uiperarum corpora nõ integra antidoto immittimus, sed amputatis capitib. caudisq́, ita reliquis ipsarum partibus in mistura utimur, idq́ non obiter, nec sine ulla facientes ratione, sed quoniam capita pessimũ humorem, nempe ipsum uirus, in se continent, ideo ipsa præcidere conamur, ut minus ex ipsorum uirtute medicamentum recipiat, cum natura eorũdem uim quandam mutatricem in uirus obtineat: quemadmo- & in seminarijs meatibus, quæ parastatę Gręcis dicuntur, semẽ fit, in mammis lac, dum mutatur. Vipera autẽ inter omnes alias feras caput habet perniciosius. Siquidem aiunt ipsam os aperire ad suscipiendam maris genituram, qua accepta, caput illius abrodere. Atque hunc ipsis esse praui complexus modum. Deinde fœtus ex semine prognati, naturali quadam ultione, parentis uterum erodere, & foras prorumpere feruntur, ac ita ipsos patris uindices, matrem perimere. Quod nobis egregius Nicander uersibus suis ingeniose scriptũ reliquit. Sunt autem hi.

Ne sis in triuijs cum morsus Vipera coniux
Fœmellæ fugiens agitatæ uulnera abhorret,
Et cũ dente caput magno maris amputat atri
Fœmina dira nimis, labijs & mordicus hærens.
Sed catuli ultores patris sunt protinus, ut qui
Perrumpant latera occisæ iam rara parentis.

Caudas, atq́ ipsa extrema corporis tollimus, tãquam caudæ partes, & ut arbitror, sordidiorem substantię portionem magis trahẽtes: adeoq́ crebrius, motus gratia trahẽtes, quemadmodum partes quæ proximæ sunt caudis piscium, minus pingues esse ob frequentem motum dicuntur.

12 Ne mireris si his amputatis reliquæ animãtium partes efficacius reddant medicamentũ, natiua ad salutẽ uirtute etiam carnibus ipsarum indita: ueluti & in alijs animantib. plerasq́ partes non paucos affectus strenue sanare nouimus. Nonnullis igitur capita muriũ cõbusta, ex melle illita, alopeciã curare possunt. Et milui caput aiũt similiter podagricis auxiliari, si quis ex eo usto sine plumis, quantum sub tribus digitis inspargere possit, cum aqua uolet bibere. Et partium nonnunquam solæ particulæ aliquos morbos persanant. Itaq́ cameli cerebrũ arefactum, potũq́ ex aceto, comitialibus morbis medetur, & mustelæ similiter. Item hirundinis cerebrum ex melle ad suffusiones oculorũ facit: & ouillum simili modo confectum, ad dentitionem infantiũ est utilissimum. Taurini cornu rasura cũ aqua pota, sanguinis eruptionẽ cohibet, femoraq́ usta sanguinẽ stringunt, & sæpenumero solutam aluum ea ipsa sistũt. Ceruini cornu ramentum adustum, & cũ uino tritum, deinde circumlitũ, uacillantes dentes confirmat, sicut & bouis talus idem posse traditur. Idem educit rotũdos lumbricos cum melle potus: ex oxymelite lienem consumit, & leucas uitiliginis genus tollit illitus: ad hæc mediocriter uenereus est. Et castoris testiculi similiter poti, cõuulsionibus medentur. Iam uero nõ desunt animalia quorum fel homines potest iuuare, adeps, medulla, lac, cutis, sanguis ipse, & serpentis senectus. Quin & stercora ipsorum quibusdam auxiliata uidimus. bouillum itaq́ stercus aridum, combustũ, tribus cochlearijs hydropicũ iuuat: Muriũ stercus cũ aceto tritum, alopecias curat: in potu autẽ sumptum, uesicæ calculos cõminuit. Adeps anserinus, inflammatiõibus ex

rosa-

rosaceo medetur. Et cerui medulla, blãdissimum est medicamentum. Vaccini lactis potus dysentericos adiuuat. Fel hyænæ cũ melle uisum exacuit, illitũ suffusiões discutit. Hippopotami cutis usta, & ex aqua leuigata, si corpori admouetur, phymata digerit: quẽadmodũ & uiperæ pellicula in puluerẽ redacta, impositaq; alopecijs, mirifice pilos regenerat. Aspidis exuuiũ ex melle tritum, & illitum, acutissimũ uisum conciliat. In summa, multa est taliũ materia, quã nũc perscribere tẽpestiuum non esse iudico, ne liber fiat prolixior: cum etiam sola quæ prædiximus, ad sermonis demonstrationem sufficiãt. Illud uero scitu est necessariũ, tota ipsorũ animalium corpora frequẽter hominibus auxiliari. Cãcer enim fluuiatilis tritus, illitusq;, spicula & surculos extrahit. Squilla similiter leuigata, cum bryoniæ radice pota, lumbricos educit. Scorpius si assus cum pane comeditur, conterit uesicæ calculos. Terræ intestinũ ex uino assumptũ, idem facit. Sin autem ea in melicrato cõtrita quis regio morbo laborans sumat, statim purgatus liberatur. Sæpe etiam cum rosaceo cerato imposita, podagricorum inflammationibus conueniunt. Accipiter in susino unguento decoctus, hebetudini oculorum medetur. Scarabæus in oleo decoctus, si in aurẽ stilletur, dolores ipsius medicatur. Alauda usta si editur, mirifice colicos subinde iuuat. Et quò magis uim in ipsorum corporibus admireris, illud tibi studiosius percensebo. Multa nanq; & uisa solum, robur suũ ostendũt. Stellio à scorpionibus uisus ipsos sustringit, atq; ita perimit. Amphisbæna (est autẽ animal biceps, quemadmodũ sanè & nauigia utrinq; prorã habentia, cui natura ex superfluo substãtiæ bina capita est largita) hoc inquã animal, aiunt, si mulier grauida supergressa fuerit, male abortũ facit. Quare nõ est mirabile, si etiã uiperarũ corpora, amputatis illis partibus, similiter adhuc auxiliandi robur obtineãt: Nanq; ostẽdi, ut puto, diligenter & tota animaliũ corpora nonnũquam hominibus auxiliari: interim etiam solas ipsas partes: aliquando partium quoque ipsarum particulas minimas.

13. Illud autem sermone perscrutari magis est necessarium, quod et uulgo admiratione dignum esse uidetur. Siquidem ipsæ feræ cum sint corporibus inimicæ, & tam subito hominẽ perimant, quomodo iterum morsibus ab ipsis factis possint succurrere, & solæ hominẽ ex tali periculo perseruare. Vetus quidam sermo est, quædã animalia ubi inter mordendũ, sanguinem humanum ex uulnere manantem cõtigerint, cõmorsos occidere: ubi uero sanguinẽ non gustauerint, sed ita uorantur, morsos seruare incolumes posse: sicut etiã de Helenio à Græcis, ab inquilinis uero nico appellato, idem memoriæ proditũ esse dicunt. Nam Dacas inquiunt & Dalmatas id telorum cuspidibus circumspargere, atq; sic postquã sanguinẽ uulneratorum attigerit, posse necare: esum uero ab ipsis, esse innocuũ, neq; mali quicquã ipsis facere. Ad hæc ceruas ab ipsis sagittarũ ictu trucidari, neq; ipsas comestas, mali quid edentib. adferre perhibẽt. Ve-

A rum hæc ratio non mihi uidetur sufficere, ut quod quærimus, possit inueniri, cũ experientia nitatur, & solum quod accidit, cõmemoret. Etenim Empiricos ipsos nõ recipio, quoniã & ipsi idiotarũ modo propositum speculantes, rem quidẽ admirant, cæterũ causam ipsius ignorãt. Nam qui neutiquã requirũt discere, sed detrectãt ipsam ratione inuenire, ac solũ facta probãtes, experientiã sæpius uisorũ satis esse medico affirmãt, eundem admirationis modũ cum idiotis, uti est uidere, obtinent. His autem diligentiores fatentur, oportere quidẽ medicos eruditius aliquid idiotis merito habere, sed cum nequeãt inuenire, et inquirere superuacuum esse arbitrantur. At nos multo accuratius in medicinam incumbentes, ac quæ fiunt, uulgi duntaxat
B more nolentes inspicere: neq; experientiam repudiamus, sed ei rationem coaptantes, cum datur occasio, absolutam ita, & rationalem necessario reddemus artẽ, non ut solum disquirendi studio quomodo fiat, assequamur, uerũ ut etiam aliquid utile ad curationem ex inuento condiscamus. At hic ideo insistemus rationi, ut rei quæ fit, causam inueniamus. Miraculum enim uideri queat, ꝙ si ex inquirẽdi ipsius studio prompte & ipsa tanquã respondens subito reperiatur. Et ut magis sermoni fidem adhibeas, ex alijs quibusdam, quę manifesto ex operibus apparẽt, demonstrationẽ producam: insuper ex ijs quæ foris imponuntur duntaxat, & per os sumunt. Nam à Crocodilo læsis, ipsius adipem uulneri impositam, summo esse præsidio no-
C uimus. Itẽ muris aranei morsus, æque letales, ab ipso rursus in puluerem redacto superpositoq;, citra dolorẽ iuuari. Similiter qui à uipera sunt percussi, periculum effugiũt, si trita ipsarũ corpora uulneribus ipsis applicuerint. Nec talia citra rationẽ in nobis, ut dixi, eueniũt, nec tantũ obtinent uirtutis, ut possint perimere, per distributionem facultatis in altum penetrantis: quemadmodum sanè in cataplasmatis idẽ quoq; fieri cernimus, uirtute in corporibus ipsorum moderata, quę mederi deinceps queat, non autem occidere. uerũ quod in theriaca accidit, manifestiorẽ habet rationem. Dico enim propterea feras has necantes ab ipsis commorsos iuuare, ꝙ copiosior uis tabifica simul cum capitibus amputatis tollatur. Ad hæc uim in alijs parti-
D bus reliquã confectionibus nos obtũdimus, dum ipsas coquimus: & salis anethiq; nõ parũ aquæ miscentes, nec cõdimenti solius gratia talia contemperantes, sed ut corpora eliquescant. atq; hoc modo ipsa paucũ uirus, aut nullum prorsus habere facimus: plurimum aũt uirtutis auxiliatricis præparatio exhibet. Quomodo igitur ferę tot & talibus mistę medicamẽtis, amplius queãt perimere, cum malitia ipsorũ corruptrix sit exoluta: Insuper uerior ratio uidebitur, si in quibusdã quoq; similibus demonstrationem adferam. Cantharis nanq; sola exhibita, uesicam exulcerat, & inimicũ est ipsi medicamentum, et ualida sæpenumero uirtute hominem iugulat: mista uero alijs quibusdã econtrario ipsius uesicæ fit auxiliũ, & uehementer urinã prouocat. Liquor autẽ papaueris, ꝙ per se potus exi-

cialis sit, neminem latere existimo: sin autẽ cũ alijs nõnullis sit præparatus, ęgrotos ita subinde iuuat, ut maxime salutiferũ ipsis medicamentum esse uideatur. Itaq; Phreneticorum deliria haud raro strenue curauit, ex peruigilijs uirtute priuatos, somno recõciliato mirifice restituit. Iam à phalangijs cõmorsos, ipsa phalangia trita, & cũ uino pota, malo liberãt: ut hinc maxime possis quod à me dicitur, credere. Si nanq; uel solum uinum feris mistum à periculo reddit securos, nimirũ et Theriaca ex tot talibúsq; confecta, salutiferũ quoddã medicamen potius q̃ exitiale hominibus redditur. Illud enim in medicaminũ misturis fieri sciẽdum est, puta singulorum quæ miscentur uirtutẽ non amplius conseruari, ita ut eadẽ maneat, nec mutetur, nec in ullam qualitatẽ transeat, sed quandam omniũ unionem effici, tota ipsorũ temperie per tota mista, & una quadã alia ex illis uirtute profecta: quomodo etiã in mulso, quod Græci οἰνόμελι uocãt, fieri cõspicimus. Cum enim exacta utriusq; temperatura facta fuerit, neq; mellis gustum mel mistũ omino repræsentat: neq; uinũ amplius uinum esse in mistura apparet: uerũ statim duobus cõgressis diuersum quiddã, id iam ipsum mulsi naturam induens, ex tẽperatura perficit̃. Idem utiq; cũ in alijs omnibus medicamentis, tum in ipsa Theriaca fieri arbitrator: nõ adhuc uniuscuiusq; mistorũ uim & qualitatem eandẽ manere, sed uniuersis omnibus confusis, & in unitatem quandam natiuã coeuntibus, unam, diuersamq; à reliqua ex omnibus quæ miscentur medicamentis naturam procreari.

14 Si etenim ex atomo, id est indiuiduo & uacuo secundũ Epicuri & Democriti opinionẽ constant omnia, uel ex quibusdã molibus siue corpusculis, & meatibus secundũ medicũ Asclepiadem (nam ita permutatis solũ nominibus, pro atomis indiuiduis corpuscula, pro uacuo meatus dicens, eandem cũ illis rerum essentiam esse uoluit) merito pharmaca manerent inalterabilia, quæ in nihil mutari, neq; omnino suam ipsorũ qualitatẽ exuere possent. Sed quia sermo hic ueritati repugnat, ut ostendemus, & omnia, ut dixi alterant̃, mutanturq; facile, & mutuã inter se temperaturã suscipiunt, necesse est omnibus quę miscent̃, per tota cõtẽperatis, ualidius imbecilliori præpollere. Cuius rei gratia nos artificialibus misturis, cũ usus postulat, qualitates medicaminũ inalteramus: quod fieri nõ posset, si exigua quædã & impatibilia, immutabiliaq; substantiæ corpora essent. Atq; ideo iam sæpe ego sum demiratus, quomodo cũ in uniuerso tam subitas fieri cõuersiones, tantãq; temperamentorũ mutationẽ uiderent, sustineãt deinde eiusmodi uniuersorum principia statuere, & præcipue iam citatus medicus Asclepiades, ad hũc eñ peculiariter uerba potius habebo: quoniã manifestiores etiã in corpore cõuersiones, mutationesq; non indicat. Quid nãq; sibi uult, quòd solo digito in frigidã imposito, totius corporis mutatio actutum oritur? uel quòd pro uentorũ uariatione corpora nostra simul mutantur? Ego itaq; ex familiaribus quendam noui in lecto adhuc decũbentem

A ex capitis ipsius consensu uenti flatum cognouisse. Siquando enim capitis grauitate laboraret, statim uentũ qui spirabat, Austrum esse deprehendebat. Iam mulier grauida solo tonitru exaudito, & horribili quodam spectaculo uiso, infantẽ eiecit. Interdum cum repente uolumus auxiliari, & uelocem præsidij sensum ęgro moliri, celerrimã in corporibus mutationẽ fieri uidemus. In quibusdã igitur uirtute admodum dissolutis, admirandus ille Hippocrates, subitã animi cõcitationem aliquam fieri consulit, ut incitationis robore, solutionis imbecillitati medeamur. Subinde etiam paucum aliquod oblatum ipsis alimentũ statim refocillat, uiresq; eorum restituit, corporis mutatione, sicut opinor, statim uergente in melius, non autẽ corpo-

B ribus impatilibus existentibus, & propterea sensum nobis talium exhibere nequeũtibus. Quis enim in tantillo tẽporis momento corpuscula composuerit? aut quis sic ex impatilibus constructus corpusculis repẽte occurrẽtia perceperit? Etenim certa corpusculorũ transpositorũ cõpositio, figuræ quidẽ solam efficit mutationẽ, cæterũ alterationem, qualitatẽq; aliã ex alia generare neutiquã potest. Atq; huius rei gratia arbitror uirum non modo quod in medicamentis fit, cõsequenter ob placiti sui consequentiã tollere: sed naturã quoq; ipsam omnia in nobis dispensantẽ, nihil esse arbitrari. Singula enim quę fiũt, ex corpusculorũ compositione & cõplexu fieri uult. Quamobrẽ etiam mirari mihi subit quoties ad ipsum mentẽ dirigo, qui

C tam mirifica naturæ opera, potissimũq; artes quæ in ipsius hominis generandi initio fiũt, nõ uideat quomodo quidẽ infans in uteri loco format̃, quomodo formatus iam dextre nutritur, quot & qualibus uinculis tenerrimis ipsum ad maturum usq; partum intus cõtinet, quali uero diuina arte & similitudine imaginẽ in ijs quæ generãtur efficit: in qua re præsertim corpusculorũ quoq; hypothesis ipsius nõ citra dedecus coarguitur. Non enim solis parentibus, sed proauis etiam quibusdam fœtus reddunt̃ similes. Porrò mihi uetus quædam historia indicauit, q̃ cum deformis quidã opibus potens, formosum uellet procreare puerum, depinxit in lato ligno elegantẽ alium puellũ, dicebatq; mulieri inter coeundũ, ut illam picturæ figurã in-

D spiceret. Hæc autem defixis intuens oculis, &, ut ita dicam, totã illuc mentem aduertens, infantem non quidem patri, sed picto similem peperit, uisu opinor, naturæ non corpusculis quibusdam picti imaginẽ transmittente. Quoniã autem uir huiusmodi naturæ mysteriorũ imperitus esse corpusculorũ gratia sustinet, & propter uisus obscuritatẽ, incertitudinẽq;, suos ipsius discipulos tam mirificis operibus fidem accommodare nõ sinit, ad externa ipsum, omninoq; apparẽtia traducere cogito. Quis nãq; artes ab animalculo araneo factas inspiciens, nõ credit etiam telam per dilucida adeo, tenuiaq; fila ab eo parari? ut etiã aliqui dicãt, texẽdi artem homines primum ipsi referre acceptam. Quis non adducitur ut mirabilem quandam rem naturam esse pronunciet, si opus uideat quod ab

ursa efficitur. Etenim hæc omnibus quæ generan
tur animantibus similiter parit: caro autẽ sola ge-
nerata, informis & inarticulata est, nullã obtinens
figuram: statim uero à parente, naturali arte figu-
ratur. nanq; lingua ueluti manu quadam utens e-
ditum fœtum effigiatum reddit. Verũ contra hos
sermonem finiam: quippe consueui in contentio
sis orationibus ceu freno quodam equum solito
ferocius currentem, mensura sermonem ipsum
ualde coercere.

15 At cum manifesto, ut animum induco me
um, ostenderim, ne amplius tibi sit mirabile, posse
easdem feras & perimere, & auxiliari, propter ua-
riam tum cõfectionem, tum misturam medicami
num quę ipsis contẽperant, deinceps antidotum
præparare aggrediar. Nõ enĩ ars quoq; est exigua
qua confecturã ipsius molimur. Siquidem & do-
lus quẽ in feris sæpe uenatores ipsarũ machinant,
& in alijs misturis præparantiũ imperitia, inutile
frequenter medicamentũ effecerunt. Pleriq; enim
ipsorum uenandi artem ostẽtare uolentes, & præ
sertim qui etiã medicamenta quædã ad res huius-
modi inuenire profitentur, habere quidem se me
dicamina mentiunt: haud enim unquã nos, ipsos
habẽtes inuenimus: dolo aũt in belluis, uidentib.
imponũt: primũ ipsas haud cõgruo tẽpore uenan
tes, sed multo post uernationẽ cum non amplius
uigẽt. Captas autẽ ipsas crebro sibijpsis assuefaci-
unt, & cibis nõ solitis enutriũt, immo carnes ipsis
permittentes, & continue mordere cogentes, sic
ut uirus ex earum ore uacuetur, efficiũt. Quin etiã
mazas quasdã obijciunt, quæ dentiũ foramina ob
struant: atq; hac ratione morsus fiunt imbecilles,
ut uidentibus magnum sit miraculum, talis ipsorũ
ad fraudẽ parandã artificij imperitis.

16 Simili modo etiam in medicamẽtis, misto
rum haud mediocris, ut dixi, est inscitia. Quid mul
tis opus est: in optimis quæ immittuntur, Casia di
co & Cinnamomo ipso haud modica inuenit dif-
ferentia, & multos ex ijs qui præparant, solet de-
cipere. Nam quod uocatur cinnamomũ mentitũ,
uero simile est, nisi q gustu & odore longe sit infe
rius. Atqui xylocinnamomum hac re differt, q li-
gnosum sit, ualidaq; habeat uirgulta, nec similem
suaueolentiam præ se ferat. Porrò inter ipsius ueri
cinnamomi genera aliud in montibus nascit, non
tenue, nec longũ, magis rubens colore. Aliud ali-
quantulũ nigricat, & tanquam fibris quibusdã in-
tertextũ. Aliud adamussim albũ reperitur, nõ du-
rũ, ex facili fragile, parua radice. Est & aliud quod
dam casiæ rubenti simile, leue, & odoratum. Præ-
stantissimum omnium est, quod ab indigenis mo
syllon dicitur, cinereum colore, uirgultis gracili-
bus, ramusculis frequentibus, uehementerq; odo
ratum, quod etiam potissimũ nos præponere con
sueuimus. Est enim odore longe optimũ, suauissi-
mũq;. & gustu acre nobis apparet, mordax admo-
dum. mansum, rutam præ se ferre uidetur. ad hæc,
leue est, & facile potest confringi. Casia uero itidẽ
nisi in dijudicando fueris expertus, frequenter so-
let imponere. Est enim & pseudocasia quędã, hoc

A est mentita casia, mirum q ueræ similis, sed odore
minus grato coarguit, corticẽ medullæ adhæren-
tem obtinens. Nam optima laudatissimaq; fulue-
scit, & rosam expirat, sicut etiã dulcem gustũ præ-
fert, fistulis plena, & uinũ obolens, et aromatũ mo
do uehemẽter odorata. Atq; hæc Gizi ab indige-
nis nominat. Iam uero & in pipere oblõgo dolos
fieri, te ignorare haudquaquã par est. Siquidẽ nõ-
nulli adulterãtes ipsum æqualẽ cum uero longitu
dinẽ habẽs, pyrethri uel sinapi modico indito, ita
C gustus mordacitate gustantem fallũt. Verũ in his
exercitatus, & qui gradus in cibis, acriusq; gustu
nouit deprehẽdere, necnõ arboris radicẽ ei adhæ
rentẽ curiosius inspicit, germanũ piper inuenit, &
falli ab ipsis nequit. Porrò cũ multa in alijs quoq;
B uniuersis sit examinatio, quemadmodũ in his pa-
riter tibi percẽsui, ego sanè uel hęc ad libri cõmen
tationẽ sufficere existimo, ne sermo nobis fiat pro
lixior. Cæterum consuluerim singulis ipsis accura
te exploratis, ita medicamentum præparari. Nam
unius alicuius uitium omnia subinde corrumpit.

17 Scriptura autẽ ipsius, ne hoc etiã ignores,
uarie apud medicos inuenitur. Etenim Androma
chus in medicamẽtis accuratus, cuius etiam prius
mentionẽ feci, in hunc modum medicamentũ prę
parauit. Pastillorũ Theriacorum drachmas uigin-
tiquatuor. Pastillorũ scylliticorum drach. xlviij. pi
peris lõgi, succi papaueris, spissamẽti hedychroi,
singulorum drach. xxiiij. rosarum siccarum, iris il-
lyricæ, glycirrhizæ, seminis napi syluestris, Græci
C buniada appellant, scordij, opobalsami, cinnamo
mi, agarici, singulorũ drach. xij. myrrhæ, costi, cro
ci, casię, nardi, schœni, id est iũci odorati floris, thu
ris, piperis albi & nigri, dictamni, marrubij, rhei,
stœchados, petroselini macedonici, calaminthæ,
terebinthinæ, zingiberis, quinquefolij radicis, sin
gulorum drach. vi. polij, chamæpityos, styracis, a-
momi racemi, mei, nardi gallicæ, sigilli lẽnij, phu
pontici, chamædryos creticæ, foliorũ malabathri,
chalcitidis tostæ, gentianę, anisi, hypocistidis suc-
ci, balsami fructus, gũmi, fœniculi seminis, carda-
momi, seselis, acaciæ, thlaspis, hyperici, sagapeni,
ameos, singulorum drac. iiij. castorij, aristolochiæ
tenuis, dauci seminis, bituminis iudaici, opopana
cis, centaurij tenuis, galbani, singulorũ drachmas
D duas, mellis libras decẽ, uini falerni quod satis est.

18 Porrò Xenocrates & ipse nõ mediocri stu
dio in huiusmodi uersatus, in reliquis sanè Andro
macho similiter antidotũ pręparauit, solum uero
pro quatuor sagapeni drach. ij. medicamẽto cõmi
scuit. At Damocrates præstantissimus ipse quoq;
medicus factus, ac integrũ librum De antidotorũ
confectura uersibus eleganter cõplexus, omnes
misturas his similiter in medicaminis præparatio-
ne temperat: sed in miscendorũ mensuris ab ipsis
discrepat. Nam quædam ex ijs quæ illi singula dra
chmis quatuor medicamẽto injciunt, hic duabus
sigillatim miscet. cõtrà ex quibus binas drach. sin-
gulis tẽperant, ipse unam drachmã immittit. Ma-
gnus, qui nostro tẽpore medicus princeps euasit,
alia omnia sicut hi uiri, in confectura seruans, solo
cinnamo-

cinnamomo ab ipsis euariat. Nam duplicatum huius pondus medicamento ipse adiūgit, ita uero in chalcitide, ita quoq; in sagapeno, ab Andromachi sententia discordat. quippe duas drachmas, ueluti Xenocrates, in medicamentum conijcit, cum Andromachus quatuor mittat. Verum in sagapeno Damocrati etiam refragatur. Etenim hic unam drach. Magnus duas medicamento inijcit. Apponit autem & uini mensuram, quippe duos sextarios infundendū censet, alijs ut usus postulat, qualicunq; uini mensura utentibus. Demetrius qui & ipse nostra tempestate primarius medicus constitutus est similiter in omībus alijs iuxta Andromachi sententiam medicamentū præparat, solo Scylliticorum pastillorum pondere ab eo discrepat, & alijs uniuersis scriptoribus. Siquidem illi cū drachmis xlviij. mensuram cōplectantur, solus hic quadraginta sex drachmas duntaxat antidoto admiscet. Nam cum tanta in scripturis sit differētia, nos Andromachi tanq; præstantissima utimur, & in regios usus ita præparamus. Porrò cōfectura ipsius hunc in modum consit. Etenim utile puto ut præparem tibi ipsam sermonis præscripto, ut si quādo medici inopia, dexteritate ingenij præditus uoles conficere, quā optime conficias, loco magistri præparationis, ipso sermonis adminiculo fretus.

19 Cæterum ante illam confectionem conueniebat etiam spissamenti hedychroi, quod ei inditur, scripturam pernouisse. Est igitur laudatissima præparatio apud Magnū hisce uerbis expressa: aspalathi radiculæ corticis, calami aromatici, iunci odorati floris, phu, costi, asari, xylobalsami, casiæ, singulorum drach. sex. cinnamomi drach. xxiiij. amomi tantundē. amaraci ʒ. xx. nardi indicæ drac. sexdecim. foliorum malabathri drach. sex. myrrhæ drach. uigintiquatuor. mastiches drach. sex. croci drach. nouemdecim. excipiuntur uino falerno opobalsami contactu. fingis pastillos, & in umbra desiccas. Simili modo scylliticos quoque pastillos præparare conuenit: sumitur scylla recens, nō admodum magna, oblinitur non (ut quidam uolūt) luto, nam id sordidū esse mihi apparet, sed fermento. nam facile tenerrimo torretur, ut interea nonnihil etiam ipsius assumat. Deinde ubi probe in furno, uel in cacabis ubi panes coquuntur, ut æqualis fiat tostio, assaueris, sumptis interiorib. ipsius partibus tenerrimis, leuigare diligenter oportet. erui quoq; farina laudatissima, recētissimaq;, pari portione admiscebit, ut Damocrates præcipit. Nam Magnus dimidiam partem immittens, parum mihi admiscere uidetur: Andromachus autem duas inijciens portiones, multū. Aequalis autē modus fingēdis pastillis optimus est. atq; hac ratiōe trita cū eruo squilla, orbiculos formabis mediocres, & in umbra repositos in usum seruabis.

20 Deinde post hæc uiperæ ipsæ quæ ad totius confecturæ copiam sufficiant, sumendæ sunt, non quouis tempore, sed potissimū ueris initio captæ, cum latebris relictis foras in apricum prodeūt, & non adhuc uirus tam prauum habent. Intus enim delitescentes, cum nulla ex parte digeruntur, maligniorē etiam uim tabificā in se contrahūt: quando etiam seniū dictum solent, sicut omnia serpentiū genera, colligere, quod est crassissimū quoddā integumentum, tempore quo delituerunt contractum, atq; tunc magis ex latibuli tempore, quàm animantis ætate senium existens. quapropter non statim ipsas capere oportet, sed permittere aliquādiu & aere frui, & consueto cibo uesci. Porrò uescuntur hæ feræ tum herbis quibusdam, tum animalibus, & quibus assuetæ solent nutriri, cuiusmodi sunt buprestes, cantharides, & quas uocant pityocampas: hæc enim idonea ipsarum sunt alimēta: Porrò animalia sunto colore sufflaua, admodū agilia, collum maxime porrigentia, oculis subrubentibus, inuerecundis, ferinum cernentibus, capite latiore, corpore toto & uentre uastiora, gressu ad extrema magis caudæ, quę non inuoluta est, sed potius contorta, incessu quieti proximo. Hac enim re fœmina à masculo differt, ad hæc quòd caninos dentes duobus plures habeat, quemadmodum sanè & Nicander hisce uersibus dicit,

Masculus emittit, notus color, ipse caninos
Binos perpetuo monstrat, sed fœmina plures.

Et sanè hoc tēpore captis, primū capita & caudas amputare quatuor digitorū longitudine cōuenit: dum autem partes has abscindis, diligenter inspicere consiliū est, num his amputatis, exanguia protinus, immobilia, prorsusq; emortua esse animalia uideantur. Nam si tales offenderis bestias, nihil ad medicaminis mistionē conducere ipsas censeto. At si motū quendam in ipsis residuum cōspicias, & sanguinē conseruare aliquandiu posse, has ceu præstantissimas antidoto præparādo immittes, ut quæ haud ignauam, exolescentemq;, sed ualidam ad seruandum uim habere appareant.

21 Deinde tota adamussim cute ipsis detracta, adeps ceu nullius momēti, omniaq; interanea, tanquam excrementorū receptacula eximētur, mox reliquum corpus in uas quoddam fictile q; eleganter tissime constructū, uel in lebetē probe extersum, splēdidūq; indet, ac prunę impositū, ut citra nidorē elixatio earū fiat, ex aqua fontis incoquet, sale recēti cū medio crib. anethi nō aridi uirgultis adiecto. Deinde carnibus iam bene coctis (sit autē tibi cocturæ mensura cum spinæ ab illarū carnibus seiunguntur) tunc lebete ab igne deposito, diligēter carnes à spinis segrega, tritisq; ipsis panis q; maxime puri, & ex syncerissima facti similagine, quantum pastillis formādis sufficiat, admisceto, quēadmodum etiā Andromacho placet. Nam Magnus & Damocrates definitā quandā huius mensuram ipsis adiungi uolunt. æqualē siquidē panis modū, æquali carniū adiungētes, ita ipsas cū pane simul cōterunt. Postea iusculi quod satis est affuso, sic pastillos mediocres cōfinges, opobalsami contactu inter effingēdum utens, in umbraq; repositos, ad totius medicamenti cōfectionē reseruabis.

22 Dein quæcunq; alia cōtundi & cribrari expedit, cribro q; licet subtilissimo cōcernenda. nam leuia admodū insigniter iuuare mihi uidenē, quòd corporib. facilius apponant. Porrò quæ consper-

genda sunt leuigandaq́, hæc quoq́ tenuiter cõteres, & uino consperges, quod laudatissimũ est falernum: non dulce faustianum, sed acre, & quod omnibus uocatur Actum. Deinde omnibus hunc in modum contritis, mellis quantũ satis est adijcitur: erit autem satis, quemadmodũ scripturæ cõtinẽt, libræ decẽ excoctæ mediocriter, ut quicquid in eo cereũ est, flatulentumq́, in coctione separetur. deligendum autem mel hymettion nuncupatum, quod apes probatissimũ efficiũt, thymũ hoc in mõte, cui nomen Hymetto, nascentẽ depastæ. iam uero resinã, galbanũq́ seorsum prius eliquata medicamini in mortario sic adiũges, ac deinde omnibus in unitatẽ redactis, tritisq́ diligenter: rursus manu in opobalsami modicum intincta, ita antidotum in uitreis aut argẽteis uasis repones. non autẽ uehemẽter ipsa replebis, sed relicto quodam spacio, quo medicamentum perspiret, ad hæc frequenter operculum detrahes, ut & liberius exhalet, & maturior usus tibi ipsius contingat.

23 Quippe haud modico tẽpore ad cõcoctionem indiget, ut quãdo usus postulat, antidotũ probe sit concoctũ. concoquitur aũt plurimũ duodecim annorũ spacio. qui uigẽtiore ipsa, ualidioreq́ uti uolunt, etiã quinto anno & septimo exhibuerũt, præsertim in ijs qui à uirulentis bestijs, & à cane rabido cõmorsi sunt, præterea in medicamẽtis letalibus. hi enim cũ grauem ab eiusmodi noxam acceperint, potẽtiore etiam medicamẽti præsidio indigent. Est autem potens medicamẽtum adusq́ triginta annos. nam in alijs affectibus ubi tãta noxæ causa nõ est sufficere uidetur, cum usus exigit, sexagenariũ. admodũ enim tanti spacij terminus exile imbecillũq́ ad opem ferendam medicamentum facit. Pleriq́ igitur dum uim ipsius uolũt experiri, primũ medicamentũ quoddam purgãs exhibentes, deinde nonnihil ex antidoto propinantes, sic de ipsa faciunt iudicium. Si nanq́ ualida uigensq́ fuerit, neutiquã purgationem fieri permittit, sua ipsius potentia medicaminis purgatorij efficaciã euincens. quod si ita fuerit purgatus, ut qui antidotũ non assumpsisset, liquido cõstat uires esse inualidas, & uetustate confectas, ut ne quidem medicaminis uirtutem superare potuerit.

24 Cæterũ mensura ipsius potus in omnibus eadem nõ est, quemadmodũ neq́ liquor, quo ipsum exhibituri diluimus. Siquidẽ in prædictis auellanæ nucis magnitudine ex tribus uini cyathis dilutam, propinare affectis cõsueuimus: in alijs autem uitijs & mẽsura, et liquore uarie utimur. Nam ad affectuum differentiam ea adaptantes, tum medicamenti quantitatem metimur, tum congruum misturæ humorem iudicamus.

25 Nõ enim solum ad ferarũ morsus, & letalia medicamina auxiliari solet antidotum, uerum ad maximas etiã alias affectiones præsentaneũ esse remedium, experiẽtia ac usu à nobis compertum est. Itaq́ Galenen ipsam in propositis uersibus Andromachus ideo arbitror uocauit, quoniã ceu ex quadam affectuũ tempestate tranquillitatẽ quandam, ipsam nempe sanitatem corporibus concili-

A liat. Capitis igitur dolores longos & uertigines sanare, ad hæc auditus difficultatem, & oculorum hebetudinem sedare potest. Nonnunquã uero & gustus instrumentum laborans reficit. subinde in phreniticis mentis alienationẽ generose somnum inducens sedauit. insuper animi perturbationes et implexas imagines somnis abigit. Comitialibus quoq́ ipsis uehementer solet auxiliari, copiosam ex capite humiditatem absumens, & liberũ spiritui transitũ efficiens. Iam & suspiriosos iuuat, cum crassæ quædam pituitæ in pulmonis fistulas impactæ respirare hominem prohibent, prompte disse cans, ut facile egerantur, attenuansq́ fixos uiscososq́ humores. Sanguinem reijcientes admodum iuuat, si quis ipsam cũ symphyti decocto dilutam

B exhibuerit. Sæpe stomachi uitijs mederi solet, & nausea laborantẽ, cibumq́ non capientẽ suauiter restituit: interdum etiam appetitũ sine ratione intensum, ex mordaci quadam & acri substantia ipsum infestante, ualide repressit. Insuper lumbricis intestina occupãtibus, eoq́ stomacho ipso insatiabiliter cibũ appetẽte, medicamentũ hoc, illis enecatis, magna fame egregie liberauit. Præterea maximũ latũq́ helminthem, id est lumbricũ generatum, qui omnẽ assumptum cibũ depascit, eoq́ reliquũ totũ corpus emaciat, mirabiliter ab intestinis educit. Hepaticos quoq́ et lienosos affectus sępe curat, obstructiones aperiens, & iocinoris lienisq́ affectibus utilis. Itẽ arquatũ ex aliquo iecoris uitio oboriente, strenue persanat, bilem expur

C gans, & ueluti abstergẽs, tũ ut iecur bilẽ à sanguine examussim segreget, efficiẽs. Aliquãdo lienes scirrho induratos soluit, paulatim sordidam super fluamq́ in eis substantiã absumens. Conterit & renũ calculos, & quicquid terreũ sordidũq́ in eis cõtinetur, facile expurgat. In uesica difficultatem urinæ sedat, & exulceratiõibus in ea subinde est præsidio & difficilem uẽtriculi concoctionem, imbecillitatẽq́ reficit, uentris osculũ excalfaciens, cõfirmansq́. Ad intestinorũ ulcera, ipsasq́ dysenterias & lienterias est utilissima: ileosis quoq́, & diuturno coli uitio obnoxijs prodest, præsertim cũ intestina uacãt inflammationibus, acres ipsorũ humores cõsumens, & intestinorũ flatus per uaporem discutiẽs. Est cũ cholera affectis egregie cõducit,

D corporis coagmentũ corroborãs, multasq́ fluxiones sistens. Porrò maximũ ipsius opus sæpe in cardiacis innotescit: quippe dum corpus multis cõtinuisq́ sudoribus diffluit, & robur ipsius dissolutũ est, quũ neq́ uinũ sępe affectionẽ superare possit, antidoti potio & sudores sistit, & uirtutẽ collabẽtem ueluti erigit ualidãq́ efficit. Iam uero in mulieribus etiã menses educit, & uteri sedisq́ hęmorrhoidas suppressas subinde aperit. Mirifice uero & immoderatas sanguinis excretiones cohibere cõsueuit. Succurrat enim quòd mistã uariamq́ ipsius facultatem, in superioribus diximus, ideo alia diffundens extenuãsq́ cogit excerni, alia quæ ob natiuæ uirtutis imbecillitatẽ superfluo excernuntur, uiribus partiũ confirmatis solet inhibere.

26 Quinetiam podagricos, omnesq́ in articu

los fluxiones tunc potissimũ adiuuat, cum augumenti tempus præterierit, & uigoris status accesserit. Nam dolores epithematis lenientibus mitigans medicamentũ propinabis, ut fluxiones cohibeat. quippe hoc antidotũ iam infartas digerit, & alias inuehi prohibet. Maxime prodest etiã sano, si frequenter assumat. nam humorũ superflua consumit, & totã corporis temperiẽ inalterat. Alia uero medicamenta quæ podagrici in morbi auxiliũ bibunt, ad pedes quidẽ humores ferri uetant, sed horum superfluã humiditatẽ non discutientia, maiorem quendã morbũ faciunt. Nam fluxione per corpus oberrante pulmo semper ob respirandi necessitatẽ motus, ac propter corporis sui raritatem ad illam excipiendã facilis, totã ipse ad se trahens, ita hominẽ suffocat, quod ego in multis cõtemplatus experientia didici: atq; huius rei gratia omnino ab hisce medicamẽtis abstinere consuluerim. Theriaca uero in talibus uti etiã uehemẽter adhortor. etenim humorũ superfluitates exsiccans iuuat, & alias colligi nõ permittit. Pleriq; igitur initio assidue hac usi potiõe, in totũ ab affectu liberati sunt. atq; hac opinor ratione etiã aqua inter cutẽ laborantes, multũ subinde adiuuit, dum humorẽ ipsos affligentẽ absumeret, & insitum calorem perfrigeratum excalefaceret. præsertim hydropas, quos anasarcas & leucophlegmatias appellãt, insigniter adiuuare consueuit, in totum se corpus distribuẽs, & undequaq; corporis humiditatem exprimens. Quapropter etiam prauo corporis habitui, quam cachexiam dicũt, optimum est remedium, ut quæ corporis habitũ transmutet, superflua digerat, naturam ad suas functiones fortiter obeũdas præparet. Hoc auxilij modo etiam elephanticis crebro succurrimus. nam cũ multus humor sit corruptus, cuius uis totam corporis molem putrefacit, antidotum morbum solet euincere, dum fluxiones, & sanguinis corruptionem impedit. Ad hæc, tetanicos haud raro persanauit, neruos calefaciẽs, & tensiones ipsorũ relaxans: quemadmodũ etiam partium resolutiones sæpe curans, spiritu recreato, in naturalem statum reduxit, & motus particulis reddidit. Mirari uero antidotũ licet, cum non modo ipsum corpus ægrotum sanare cõspiciamus, sed etiam animo subinde affectibus noxio posse auxiliari. Quippe uitia ex melancholia sedat hoc medicamen continue exhibitum, ceu exhauriens exugensq; atrã ex uasis & liene bilem, sicut & bestiarum uirus: quare ad febrem quartanam potissimũ pulchre conuenit. Siquidem febris hæc ab atra bile oborta, prompte antidoto tollitur, præsertim si artificiose ipso utaris. Ego igitur multos quartana laborantes, hoc præsidio usus facile à morbo uindicaui. Nam uomitu prius à cœna ipsos uacuans, deinde in sequenti die absinthij succum exhibẽs, ut bilis edulcescat contempereturq;, ita horis duabus ante accessionem antidotum exhibeo, ac mirifice ipsum frequenter uidi proficere, ut protinus qui caperet, sine morbi accessione maneret.

27 Et aquæ pauorem morborum pessimum, hoc medicamentum sæpe tollere consueuit, & mirabiliter tantorum malorum concursui resistere. Non enim corpus duntaxat ipsis inarescit, & conuellitur interdum, febriq; acri intus uritur, sed animus etiam delirat, & grauissimum ipsis adfert symptoma. Quippe aquam timẽt, ac propter multam siccitatem humidi tenentur desiderio, & à potu abstinent, quia mente alienati, id quod auxiliari possit, non considerant. Fugientes enim aquam, pauentesq;, miserrimo mortis genere intereũt. In quibus potissimum methodicos sum demiratus, qui causas ad curationem esse inutiles dicãt: haud enim scio quomodo his queant mederi, cum simplex morsus existat, & similis à nõ rabioso cane illato appareat: quem enim curatiõis modum ipsis indicabit uulnus corporis obiter aspectum, nec interiore causa ab eis examinata, nec ipsorum oculis animaduersa, à rationali autem medico sola ratione, & diligenti examine adinuenta? Quamobrem qui in methodicũ curantẽ male inciderit miser, ceu irrationalem quandam & ipsum bestiã existentem, omnino moriturus est, merito per illius sectam occumbens: quoniam ob dogmatis sequelam, causam inquirere non dignatur. Qui uero rationali medico feliciter inciderit, neq; tam prauis symptomatis facile corripietur, & mortẽ propter illius artificium euadet. Nam huiusmodi medicus eo qui cõmorsus est, suscepto, statim accurate perquiret qualisnam canis fuerit qui ipsum momordit. Si enim audieris gracilem corpore, & siccum, oculis rubentibus, cauda demissa, spuma ex ore fluente, preterea lingua foras porrecta, & tanq; bile colorata, obuium quenq; insilijsse, citraq; rationem cucurrisse, deinde rursus subito cõsistentem, cum ira quadam magis furenti, non ipsi præuisos momordisse: hæc inquã si in eo sic habere audieris, statim rabiosum canẽ fuisse intelliges. Itaq; uulnus haud simpliciter, quẽadmodũ Methodicus, curabis, sed confestim ipsum etiã amplius efficies, carne multo interuallo orbiculari figura præcisa, ne facile ad cicatricẽ perueniat: sed foramẽ diu minimũ quadraginta diebus patescat, ut per hoc canis uirus emanet. Cauterijs igitur admodũ cãdentib. locũ adurere solemus, & alijs uti medicamẽtis quæ extrahendi uim obtinent, nec uirus intra carnem manere sinunt. Ego aũt considerans aliquando, & antidotũ ipsum oleo ex rosis cõfecto dilui, & ceu medicamentũ, quod linteolis cõcerptis excipitur (emmoton Græci uocant) in uulnus indidi, ut cucurbitulę cuiusdam modo exugeret, & ex alto, quod corrũpendo corpori erat, extraheret. In summa, theriace & extrinsecus imposita, & epota rabiosorum morsibus præsentanei medicaminis cuiusdam instar exacte opitulatur.

28 Cæterum nobis etiã in pestifera lue solum hoc antidotũ malo correptis prodesse adeo uisum est, ut nullum aliud præsidium tanto malo resistere fuerit idoneum. Nanq; pestis, tanq; & ipsa existat quędam bellua, haud paucos interimit, uerum ciuitates quoq; totas depascẽs, male cõficit. Quippe praua quædam acris ad corruptionem prompta mutatio efficitur, & homines cum respiratio-

nis necessitate periculum euitare nequeat, ipsum aerem ueluti uenenũ quoddam ad se per os attrahunt. Quamobrẽ etiam Hippocratẽ illum multis modis admirandũ laudo, qui luem illã ex Aethiopia Graecos inuadentẽ non aliter curauerit, q̃ aeris mutatione alterationeq;, ne talis amplius inspiraretur. Cum igitur ignẽ per totam urbem incedi iussisset, non simplicem lignorũ materiam, uerum serta floresq; suauissimos alimentũ ipsius esse consuluit, unguentaq; pinguissima & odorifera ipsis superfundi, ut aerem purũ hoc modo redditum, homines in mali subsidium respirarẽt. Simili ratione Theriacen, ceu ipsa quoq; ignis quidam purgatorius existat, praesumẽtes in pestifero aeris statu, neutiquã malo corripi sinere nouimus, correptis iam, posse mederi, aeris inspirati malitiam inalterantem, mutantemq;, ut quae corporis temperaturam infici magis prohibeat.

29 Quapropter consulo tibi ob has tam repẽtinas aeris constitutiones, aliasq; noxarum causas oborientes, in prospera quoq; ualetudine crebro antidotum assumere, quò & externis accidẽtibus corpus resistat, ac ubi iam fuerit affectum, illud curatu facile inuenias. Hoc enim ueluti bonã quandam temperiẽ salubreq; statum corporibus inducit, dum humorũ superfluitates absumit, partes refrigeratas recalfacit, & insitã uirtutẽ corroborat, quo naturales actiones probe perficiat. Cũ enim natura ualida est, tunc etiã sine impedimento uentriculus cibos concoquit, ac uenae ipsos prompte in sanguinem redigunt, iecur bilem ex facili segregat, cor purum sanguinem suscipiẽs, uniuerso deinde, ut iam nutrire queat, corpori transmittit: excretiones ipsas moderate molitur: recremẽta corporis per totam respirationem salubriter digerit. Maxime uero in peregrinationibus antidoti sumptionem cõsuluerim, cum in frigido aere per hyemem iter aggrederis. Erit enim ceu salubre quoddam uiscerũ indumentũ, & multũ calorẽ praebere ipsis idoneũ. Iam uero ad animi prudentiã acrimoniamq; nõ esse inefficacẽ pernoui, quippe sensus ualide suo fungi munere efficit, mentemq; uaporibus liberatã, subtiliorẽ reddit. Breuiter, totum corpus ita ab iniurijs securum facit, ut nec à deleterio quopiã possit infici. Nanq; uaria & tanta misturae medicaminis uirtus, eiusmodi firmitatẽ producit, praesertim cum bestiarũ mistura constat. Prodit enim & Mithridatẽ magnũ illum bellatorem, non Theriacam, ut quae necdum esset, sed aliud antidotum uarijs quoq; misturis compositũ, ipsiusq; dictum nomine (Mithridatiũ enim appellat) praesumentem, ob firmã corporis constitutionẽ ex illo praeparatã, non potuisse ueneno poto interire. Cũ enim bellũ aduersus Romanos gerẽs, à Pompeio uictus, in extremis medicamẽti ueneno sanus mori cogeretur, medicamẽto epoto, eoq; copioso, ipse quidem non interijt: filiae autẽ ob eximiũ erga patrem amorem, cum eo mortẽ uolentes oppetere, eiusdẽ medicamenti potu subito conciderunt. Deinde cum mortem ille obire statim nõ posset, ueneno propter antidotũ praesumptum inefficaci

A uocato quodã ipsius amico nomine Bystoco, iniunxit ipsum iugularet. Atq; sic medicamẽti opus ferro absoluens, mori ipsum uiolenter coegit. Vides igitur quantum efficaciae ad firmam corporis habitudinem conciliandam uariae mistionis medicamina obtineant, & potissimũ Theriace, ob tantam, ut dixi, bestiarum uirtutem.

30 Caeterum medicamen hoc meo consilio sumes proba fruitus cõcoctione, nec cibis repletus: Mẽsura aũt aliâs alia recte uteris. interdũ enim fabae Aegyptiacae magnitudinẽ cũ duob. aquae cyathis capies, ubi exiguũ ad concoctionẽ ipsius interuallũ erit: interim uero auellanae nucis magnitudinẽ bibes tribus cyathis temperatũ, cum plus temporis ad medicamenti distributionem habiturus es. Porrò inspice simul & anni tẽpus & regio-
B nem ubi medicamentum assumes. Nam per aestatem neutiquã id capere cõsuluerim: quippe statu aeris calido, etiam ex antidoto corpus longe calidius euadens, offenditur. atq; hoc maxime mirabilis ille Hippocrates cõsiderans, medicamẽti exhibitiones ante caniculae ortũ, & sub ea difficiles esse tradit: quoniam febrim hoc potissimũ tempus hominibus aduehit. Quapropter & aetate florentibus, et multo naturali calore praeditis, neq; multũ, neq; saepe exhiberi medicamen est consiliũ: quẽadmodum ijs qui iam declinant, & plurimum & crebro, nõ ex aqua, sed uino magis assumi profuerit, ut corporis uirtus iam emarcescens, & genuinus calor extinctus refocillari, accẽdiq; ipsius pos-
C sit beneficio. At in pueris omnino medicamẽtum est uitandum: quippe cuius magnitudo illorũ uirtute maior sit, & corpus ex facili dissoluat, natiuumq; spiritũ cito extinguat, quemadmodũ sanè & lucernae flammam oleum igne copiosius adhibitũ prompte extinguit. Ego itaq; ex historia memini puellum aliquando ex intempestiuo antidoti usu dissolutũ. Etenim diuturna febri laborabat, gracilis admodum corpore & uiribus imbecillis, ut qui uix multa diligentia posset superesse. Quae cum ego ex medica ratione cõspicerem, etiam uehemẽter ipsi medicamentũ dari prohibebã. Nam quidam eius curationi praefectus, qui uidelicet patrem se esse diceret, & tyrannicam imperãdi facultatem potius haberet, q̃ ex ratione consilium audiret, temere & uiolenter admodum me compu-
D lit ut infanti medicamentũ exhiberem. Quod iam assumptum concoqui non potuit, fortius uidelicet eius uirtute qui ceperat. Verum totũ ipsius habitum dissoluit, aluumq; fecit profluentem: atque ita, propter irrationalem medicamenti usum, noctu infans perijt. Porrò si in calidiore nonnunquã uerseris regione, caue medicamine utaris, aeris caliditate illic sufficiente. Qua de causa etiã hominibus sub primo solis ortu degentibus cum sint calidissimi, & multa inde siccitate praediti, medicamentum esse mihi uidetur incongruum.

De salibus theriacis. Cap. 31

Praeparantur & sales quidã ex his bestijs. Nam illorũ etiam meminisse necessariũ mihi uisum est, quò nihil in libro desideretur. Faciunt ijdem ad omnia

omnia prædicta, modice lōgoq; temporis ſpacio præſidium præbere habiles: continuo autem uſu paulatim adiuuātes: quocirca pleriq; ex ijs qui utuntur, ubi non uelox ab eis præſidium ſentiunt, nequaquam poſſe opitulari arbitrantur, maxime quia igne corpus ipſorum in cinerem redigitur, dicentes auxiliatricem eorū uirtutem per uſtionem euaneſcere. Ego quidē affirmo ſales, & ſi uim theriacæ imparem habeant, nō tamen omnino robur opitulatorium in eis obliterari.

32 Multa ſiquidem ignis commercio redduntur meliora: interim latētem ipſorum naturam in apertū ignis ducit. nonnulla uero ad quem uolumus uſum accommoda efficit. Aurum itaq; per ignem iudicamus: & adulterinū igne coarguitur, atq; flamma exacte purgatū, probū eſſe apparet. Iam ferrum igne molleſcit, & flexū nobis ad multos uitæ uſus habile eſſe uidetur. Nōnne etiā plurima quæ in corpus ingeruntur, nutriendis nobis ignis beneficio reddunt idonea? Panis ſiquidem, & animalium & piſcium carnes crudæ adhuc, appetitus uſui ſunt inutiles: coctæ, tunc etiam corporum alimenta fiunt. Iam uinum ipſum ſtatim ab uuis expreſſum, crudum incōcoctumq; eſt: ſolis autem æſtu coctum, tūc & ſuauiſsimum & maxime potabile redditur. Porrò multa in arte medicamina quamdiu ueterem ipſorum naturam retinent, acerrima eſſe, & corporibus inimica, experientia docet: domita uero ignis neceſsitate, curationi fiunt congrua. Itaq; chalcitis, cruda quidem corpora urit, & facile cruſtas excitat: toſta uero, cicatricem ulceribus inducit. Itē lapis phrygius crudus acerrimus eſt: ignitus autem, & cum alijs quibuſdam tritus, bonum fit oculorum remedium. Spongiæ combuſtæ cinis, ſanguinis fluxionem potenter inhibet. idem mihi etiam in Theriacis ſalibus fieri apparet. Omnes enim ſimul combuſtæ, ac integræ accenſæ beſtię, prauam uim corporibus inditam ex uſtione deponūt, & ab igne auxilij ſymmetriam ſortiuntur.

33 Peculiariter autē & ſales medentur affectibus maxime ſumma in cute obortis, leucis dico, lepris, impetigini agreſti. nā ſuperfluitates cuti ſubditas acresq; potiſsimum diſcutiunt. Plurimi igitur ipſos manducātes, ſudoribus largiter diffluūt, ac corruptam uacuant ſubſtantiam, ut pedūculos quoq; uocatos quoſdam eijciant ex corruptione proprie naſcētes: quos ideo, ni fallor, Græci phthiras appellant. Dentes optime abſtergunt, & flaccidas partes denſant, fluorem ipſis illabentem reprimunt, à putrilagine dentes præſeruant, erodi ipſos non ſinunt.

34 Hunc in modū præparātur, conabor enim tibi rurſus horū quoq; confecturam ſermone deſcribere. Viperæ prædictis ſimiles, & eodem tempore captæ, numero quatuor, nō biduo plus poſt uenationē adſeruatę, ſumentur: uerum ſi fieri poſſit, eodem die quo ſunt captæ. Deinde ſalis ammoniaci, ſin minus, communis, colore albi, & leuiter ſplēdeſcētis, modius Italicus: mox cū ipſis craſsius tūdetur Gentianæ creticæ libra una ſemis. Ariſto-

A lochiæ rotūdæ libra una ſemis, Cētaurij tenuis comæ libræ duæ, Cardamomi ſeminis, Marrubij, ſingulorū unciæ ſex, Scordij, apij, Chamædryos creticæ, ſingulorū libra una, Rutę ſatiuę ſeminis libra una. Melle attico hæc uniūtur, & ſelibra ipſorum in ollā fictilem nouā conijcitur. Deinde quatuor uiperæ uiuæ, mox ſcyllę teneræ, & uehemēter recētes quinq; minutim cōciſæ, ita reliqua aliorum pars dimidia adijcitur, ac ubi cooperueris ollam, lutoq; diligenter obliueris, quatuor ipſam foraminibus aperies, ut per ea uapor coctionis mēſuram indicet. Nam primū fumus exire uidebitur copioſus, obſcurus, admodūq; turbidus, notans ignem iam beſtias inuaſiſſe: quādo te animū quoq; diligēter aduertere moneo, ne tādem huius fumi aerem B ex uiperarum exhalatiōe infectū inſpires. Poſtea ubi uapor ceſſauerit, & tenuē quandā flammam per foramina eijci cōſpexeris, tunc ipſa cocta eſſe quamoptime cenſeto, atq; ita ollā de igne tollito, tota die & nocte refrigerans. Deinde apertos exēptosq; carbones diligēter tūdito, & cū hiſce miſturis cribrato. rutæ agreſtis ſeminis, hyſſopi cretici, ſingulorū uncijs nouē, fœniculi ſeminis agreſtis, nardi gallicæ, ſpicæ ſcythicę, ſingulorū uncijs ſex, petroſelini macedonici uncijs iiij. amomi racemi uncijs tribus, origani heracleotici ſummitatū uncijs nouem, hormini ſeminis torrefacti uncijs tribus, thymi attici ſummitatū uncijs nouē, malabathri indici foliorū uncijs quatuor, baccarū iuniperi laconici carnis libris duabus, coriādri ſatiui ſemi- C nis uncijs ſex, piperis albi & nigri ſingulorū libris duabus, laſeris radicis uncijs decē, zingiberis non forati libris duabus, ſatyrij ſeminis uel radicis, pulegij montani, ſeſeli maſſaliotici rufi, tordili mōtani, ſeminis mentæ, ſingulorū uncijs ſex, caſiæ optimæ uncijs duabus, cinnamomi uncia una. Conare autem ipſa contuſa cribrataq; rurſus cōtundere, & cribro frequenter incernere, ut adamuſsim fiant leuia: atq; ſic in uaſis uitreis repoſita non ſtatim uſurpare conuenit, ſed poſt decem fere dies.

35 Porrò ego ipſos præparaui beſtijs nō combuſtis, ſed ipſarū paſtillis, quemadmodum in Theriaca oſtendi confici, miſcens ipſos quoq; ijs quæ cū belluis cōburuntur, ut quam habeant in ſe amarulentiā, eam in aduſtione deponant, tanta paſtil- D lorum menſura adiecta, quantū uiperarum numerum habere cōiecturabam, & facti ſunt longe pręſtātiſsimi, nec cinerem ex aduſtione in guſtu referentes, nec colore nigri, ſed etiam qualitate in uſu ſuauiſsimi redditi, & uires, ad ea quæ dixi peculiariter ipſos facere, euidentiores obtinentes.

36 Hic eſt De theriaca & ſalibus theriacis liber, diligēter, ſi quid iudico, à me examinatus, hac maxime cauſa, quoniam & tu in omnes diſciplinas ſtudioſe incubis. Memini enim te cū eloquentiæ ſtudijs egregie inter ciuilia adhuc negocia uacares, uel legeres quoddā problema, iudicaſſe oratores nōnunquam ut deſinerēt multas conari occaſiones inuenire ad diſputandū. Etenim deos aiebas dum nō uaticinant, nihil eloqui. interdum uero etiam oracula ſilent. Eſt cū & mare tempeſtati-

bus nauigari non poteſt, agmina fluuiorũ ſiſtunt, A & paulo poſt rurſus fluere incipiũt. Item terra fructus nõ ſemper producit. Quare tuum ego exemplũ imitatus, nihil ex his quæ de theriaca quærun tur omiſi: ſimulq́ te adhortor, ut libenter medicamento utaris, quoniam longæuum uitæ tempus uſum ipſius exhibere obſeruatũ eſt: quod merito ut tibi à dijs contingat, exopto.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI AD PAMPHILIANVM.

Caput 1. Præfatio, & argumentum libri, ad Pamphilianum cum laudibus ipſius. 2. Quisnam uſus præter uim contra uenena theriacæ eſſe poteſt? Præſtare commodam ſenectam, longæuitatẽ, acumen ſenſuum, ſanitatem conſeruare, à morbis præſeruare, ſanguinẽ bonum efficere, aeris & aquarum uitia emendare. Tempus lunæ quo quidam Romæ utuntur theriaca cum melle & aqua. 3. Theriacæ præſtantia contra peſtilentẽ contagionem: nullo alio remedio iuuãte, aliquando nullos qui prius ea uſi eſſent, peſte tẽtatos: plurimos uerò poſt B quam correpti eſſent demum bibentes euaſiſſe. Quòd non omnes uulgò de theriaca magnifice ſentiant, quoniam antiquata ſæpe ſit. 4. Quo tempore theriaca à prima confectione ſui, quibus in morbis cõueniat, quo modo uis eius probetur. Qua mẽſura exhiberi debeat, quo cũ liquore, in quibus morbis. 5. Quomodo theriaca ſit ſalubris hydropicis, ictericis, abſciſſæ uoci, ſputo cruento (ubi etiam de medicamine ex ſubere) nephriticis, dyſentericis, calculoſis, anheloſis, hepatis & lienis affectibus, cholericis, cardiacis, epilepticis. 6. Contra eos qui circulatorie prædicant theriacam, etiam ad parua uitia eam cõmendantes, quibus minori ſumptu efficacioribusq́ remedijs parabilibus facilius ſuccurritur. 7. De apparatu theriacæ: & primum de hedychroo. 8. Paſtilli ſcillitici quõ fiant. 9. Theriaci paſtilli quomodo parentur, Viperarum electio & apparatus. 10. Reliquorũ theriacen conſtituentium compoſitio. 11. Ex Critonis ſententia, quales quo tempore uiperæ eligendæ. Modus panis cum carne earum. Scillæ quando eruendæ.

CL. GALENI DE VSV THERIACAE AD PAMPHILIANVM.

SED NON EST GENVINVS HIC GALENI LIBELLVS.

IVLIANO MARTIANO ROTA INTERPRETE.

QVAESISTI ſępenumero Pãphiliane artẽ com C ponendæ theriacę & uſum ex me cognoſcere, ſed quę olim à nobis pręſens ipſe audiuiſti, cum neq́ te amplius meminiſſe exiſtimẽ, neq́ tum ſatis à me dictum fuiſſe, nũc ociũ nactus omnia quæ dũ eſſem Romæ uidi per præceptores meos ab hac antidoto effecta, quæq́ nos experiẽdo cognouimus, in memoriã reuocaui, redactaq́ in exiguũ hunc libellũ ad te miſi, & unà docui, quo modo, quo tẽpore, quibus in morbis, theriaca uti conueniat. quæ ſi quis ad unguẽ ſeruauerit, nuquam à cõcepta ſpe decidet. ualde em̃ ruſticũ quiddã mihi eſſe uidet, occultare ea quæ ad ſalutẽ pertinẽt, D pro qua omnes Metropolitę uota faciunt, utpote qui & priuatim beneficijs afficiunt, & publice ornantur per ea opera cõmunis utilitatis, quæ urbi proſpiciens moliris. Sed & alias omnes urbes creticas noui animi tui moderationẽ & omnib. in rebus manſuetudinẽ, non ſolum cõmendare, ſed etiam amore ſummo proſequi. nam in Aegypto, Aegyptiq́ regia urbe Alexãdria, plures uni tibi Cretenſium amici ſunt q̃ cæteris omnibus. quamobrem iure quiſpiam fortunã quoq́ miraretur, quæ tuis moribus tam cõueniens nomẽ impoſuit, perinde atq́ præſagiret te cũctis amabilem fore. Sed ad theriacam redeo, quã tu tibi liberaliter et à multis facile comparabis. uſus uero peritia noſtri in te ſtudij pignus & beneuolẽtiæ monumentũ erit: ut enim ſi lyrã aut tibiam aliquis poſsideat, nec uſum noſcat, tantundem eſt ac ſi eam nõ haberet, ſic qui antidotum aliámue medicinã domi continet, nec uti ſciat, nullam ex eo utilitatem capiet.

2 Quòd ſi theriaca, ſicut apud omnes iam inualuit, ad morſus ſerpentiũ et ad uenena tantũmodo faceret, oportebat eam domi repoſitã tanquã rem precioſam adſeruatã negligere, nullo uſu, ſed ſola uetuſtate cõſumendã. Cũ uero præter ſupradicta, ſenectã placidam, uitam longã, ſenſus uegetos, ſanitatẽ ſtabilem promittat, nec ſolũ ab inſtantibus morbis liberet, ſed etiã ab imminẽtib. præſeruet, nõ ab re facturũ exiſtimo, quiſquis theriaca ſanus etiã uti uelit, malitq́ potius impendentẽ morbum pręuenire q̃ iam uexantẽ arcere. Hac de cauſa Romę principes uiri cõplures alij primo die lunę theriacã accipiũt, alij quartũ eligunt, & tribus præcedentibus diebus cõcoctioni dant operã, curatoq́ leniter antea uentre circiter horã tertiã, ex uno cochleari mellis duobus aquæ calidæ cyathis admiſto tantũ theriacæ ſumũt, quantũ eſt Aegyptiæ fabæ magnitudo, nõ ut aliquo morbo liberent, ſed ne prorſus in aliquẽ incidant, nec ſua eos fallit opinio: nam ſanguinẽ theriaca bonũ reddit, non quia malam ſanguinis qualitatẽ excernat, ſed quia eius contumaciam uincat, et ex inimica amicã efficiat: oris quoq́ ſi quam urbem aut regionem morboſam eſſe conijciant, uel aquas malignas eſſe intellexerint, eodẽ pacto theriacã aſſumunt, & eã tanquã lorica quapiam corporis ſui ſtatum tuentur.

3 Referam quæ uetuſtiſsimũ omnium eorum qui

qui me docuerũt, dicere audiui, uirum & medicæ facultatis experientia præstantissimum, & singulari quadam humanitate insignem Aelianum Meccium. Italiã olim pestem inuasisse, qua celeriter & multi intercipiebãtur. timẽtibus igitur omnibus, ut fit, & medicis & principibus auctorem se fuisse, ut sola theriaca uterentur, nam cætera nihil contulerant. tunc itaq; ex ijs qui ægrotabant, quamplures assumpta theriaca conualuisse, paucos in quibus uis morbi nimium inualuerat, occidisse: reliquos omnes quos nondũ pestis occupauerat, non modo periculum euasisse, sed ne in morbum quidem incidisse. atq; mirum hoc alicui uideri non debet, quãdo, si haustum uenenum superat, pestilentiam quoq; uincere possit: aer enim est, qui corruptus cum sit, homines perimit, quod & cõplures medicos & imperitos omnes nescire ne mireris, cum illud etiam eos lateat, inutilẽ ętate theriacam reddi: radices enim, succi, cortices, lachrymæ, semina, flores, & carnes sunt ea ex quibus cõponitur, atq; ut hæc singula tempus exinanire potest, ita & quod ex eis confectũ est medicamentum antiquare ualet: hinc fit, ut qui medicinas uenales habent hoc sensu præditi, inueteratã nimium theriacam alijs uendant, aut etiam amicis donent, ipsi uero cum res postulat, uiribus & ætate præstantẽ promunt, fieriq; non potest, quin ipsis opem afferentibus res ex uoto succedat.

4 Subiungam deinceps alias tẽporis præscriptiones, alia morborũ genera, in quibus si quis uti theriaca uoluerit, nunq̃ frustrabitur. nam percussis à uipera, uulneratis à serpente, ictis ab aspide, cõmorsis à rabido cane, demũ læsis ab aliquo animali quod dentibus aculeo uel contactu frigorifico uenenum relinquat, recẽs theriaca satis superq; efficax remediũ est. recẽs autẽ est quæ sextũ & trigesimum annum nondum attigerit, quo tempore uenenis etiã alijs confert. nam ab eo tempore omnib. his affectionib. auxiliatur, de quibus mox referam, quum multò plures sint aliæ respectu numeri earum quæ sunt relatæ. Efficaciam uero & inefficaciam ipsius hoc pacto deprehendes. medicinam quę uel aluum subducat, uel uomere faciat, scammonium aut elleborum, uel quiduis aliud hisce etiam ualẽtius exhibe, perinde atq; si aliquem purgare uelles: huic postea bibendum trade tantum theriacæ, quantũ Aegyptiam fabam æquet. si bona erit, nõ solum nõ purgabitur qui assumpsit, sed ne cõmotionem quidem ullam sentiet. sin contrarium eueniet, uetustate deprendes antidoto uires concidisse. Sed tempus est theriacæ usum doceamus. datur ex tribus cyathis uini, nucis auellanæ magnitudine tam post uenenũ uenenosorũq; animalium ictus, q̃ ante, si quis ueneni suspicionẽ habeat. eodem modo illis etiam subuenit, qui ex interna causa & incerta cõsumuntur, tanquã si ueneno aliquo petiti forent. Tussi tam nouæ q̃ antiquæ, & quibus costas aut pectus dolor infestat, auxiliatur ex mulso, si non febriant: si febriant, ex aqua mulsa, ad noctẽ data fabæ Aegyptię magnitudine, quę quantitas inflationes etiam stomachi,

A tormina uentris, dolores intestinorum & coli sedat: ex aqua tamẽ & primo mane sumẽda est. Magnum insuper comedendi desiderium remittere, prostratumq; idem excitare potest, singulis quibusq; naturæ functionibus intra consuetũ operandi modum reuocatis. bibere uero oportet horum gratia supradictam antidoti quantitatem ex aquæ uel diluti uini cyathis neq; pluribus tribus, neque paucioribus duobus. Bona est etiã hoc modo ad tollendum omnis typi febrilis rigorem, & perfrigerationem, & bilis uomitũ in accessionibus exacerbationum quandoq; coincidentem. Si quis uero ter uel quater ad summum ante febris annotationem aduentumq; theriaca utatur, febrem omnino tollet, modo uictus ratio non repugnet. Nul-
B lum enim tam efficax remedium medicina habet, quod solitum auxilium afferre queat, si ei uictus uel resistat, uel non cooperetur. creditur etiam retentos mulierum menses ducere, mortuos fœtus eijcere, quos natura etiam si multoties tentet, expellere tamen non potest, his datur ad fabæ Aegyptię magnitudinem, incolæ cibotium ciboriumq; nominant, ex passo uel aqua mulsa in qua dictamnum uel ruta prius ferbuerit.

5 Vtilis insuper est aquam inter cutem habentibus, & regio morbo laborantibus, ex asari decocto. quidam tamen aquam inter cutem habentibus, ante cibum solam theriacam deglutire præcipiunt: alij eam uni cyatho poscæ commiscẽt: ita nanque magnopere illorum sitim leuat, & uni-
C uersum corporis habitum firmiorem facit, & cum hoc, quòd aquã inter cutem minuit, ipsam etiam exsiccationi paratiorem reddit. facit præterea ad uocem retusam sola & hausta, & ore detenta: qui tamen eam bibere uolet, tragacanthi duplum admisceat, et ex mulso uel passo hauriat. qui uero sub lingua continere, colliquefaciat medicamentum paulatim oportet, quomodo in alijs quoque præcipere solemus, quæ arteriaca à meatu in pectus descendente, nominantur. His etiam qui sanguinem è pectore uel pulmone reijciunt, theriaca cõuenit: atque si recens hoc malum sit, è posca bibenda est: sin antiquum, ex aquæ tribus cyathis: longe tamen præstantius remedium fiet, si herbæ symphyti modicum, aquæ incoxeris. sumi uero debet
D ad fabæ Aegyptiæ magnitudinem, incipiente nocte, & illucescente die. Romæ quosdam è præceptoribus meis obseruauimus in ita affectis hominibus, eo etiam remedio cõsueuisse uti, quod è subere constat, cuius compositionem oportuno magis loco, cum opus fuerit, describam. abunde ergo pectus circumquaque ante & retro, hac medicina fouebant, atque ita ferè semper morbum hac arte superabant. Prodest insuper renum uitijs, uesicæ calculis, intestinorum excoriationibus, ægrè spirãtibus, demum in iecinore aut liene duriciem habẽtibus, aliudúe aliquod inueteratum malum: in duritiem habentibus ex aceto mulso dandum est. acetum mulsum sumemus, quod è fauis confectum sit: id enim Hippocrates commodum arbitratur in eo libro quem De acutis morbis edidit:

difficulter autẽ ſpirantibus ex aceti ſcyllitici cyatho uno & dimidio: lapidem in ueſica habentibus ex apij petroſeliniúe decocto, renũ uitio laborantibus ex mulſo, excoriationẽ inteſtinorũ patientibus ex decocto Rhois Syriaci. comitialib. quoq; ſi macilenti fuerint, & parũ ſanguinis habeant, ex aqua mulſa: ſin corpulenti & multi ſanguinis, ex aceto mulſo dari ſolet. quidam uero approbati medici comitiales iubent prius ſinapim gargariſſare, tum nocte ſuperueniente theriacã quæ fabã græcam æquet ex aqua ſumere. demũ, ut paucis multa colligã, in quibus alia remedia ui morbi ſuperata nihil cõtulerint, in his theriaca exhibita præter omnem expectationẽ egregie operatur: quãobrem & cholericis deſperatis, & cardiacis præ dolore ſtomachi deficientibus exhibita tanquam ad uitam eos reuocauit.

6 Cæterũ omnia uerbis cõſequi non poſſum, nec ſi poſſem, deceret, cum ex hiſce quæ hactenus recenſuimus, deducta uſus ratiõe, feliciter uti theriaca quis poſſit in alijs etiã morbis qui ſuperſunt: nam qui ipſam adhuc magis extollere uoluerunt, reprehendendi ſunt, ꝙ ei non medicas, ſed circulatorias promiſſiones attribuere, dum auriũ theriacã dolores tollere, grauem auditũ meliorẽ facere, hebetes oculos acuere, demiſſam columellã ſuſpendere, & oris ulcera obducere, narrant. calũnias ſiquidem iſta laus antidoto potius ꝙ commẽdationem affert: nam ſi minutos hoſce morbos uili remedio ſanare melius poſſumus, ignaui eſt idipſum pretioſo antidoto minus conſequi uelle.

7 Sed miſſa hæc faciamus, cum adhuc de præparatione theriacæ dicendũ ſuperſit: indiget enim & hæc induſtria quadam, ſiquidem Menecrates confuſe ipſam protulit, quam nos in præſentia diſtinguemus: ac cum hedychroũ medicamentũ paſtillos ex ſcilla, itemq; alios ex uipera capiat, nos prius hæc explicabimus quę cõpoſita ſunt & ipſa, tũ alias ſimplices medicinas ex quibus theriaca miſcet, ſubiungemus. Hedychroũ medicamẽtum ita cõficies: corticis radicũ aſpalathi, calami aromatici, coſti, aſſari, ligni balſami, phu herbæ, amaraci, maſtiches ſingulorũ drach. vi. florum iunci rotũdi odorati drac. xij. cinnamomi drac. xij. amomi, caſiæ, rha põtici ſin. drach. xv. nardi indicæ folij ſing. drac. xvi. myrrhæ croci ſing. drac. xij. uino falerno excipe, & dum concorporas, opobalſamo inunge, tum ut in umbra ſiccescant ſinito.

8 Paſtillos ſcilliticos ita conficiemus. Scillam luto circum quaq; tege, tectam in ignem quo balneæ calefiũt, inijce, ſequẽti die eius quod intus eſt drac. cxx. cape, & farinæ erui drac. lx. ubi commiſcueris in paſtillos redige.

9 Paſtillos aũt theriacales ita cõpones: uiperas quatuor uel quinq; flauas accipe, melius eſt autem paulo ante captas ſumere, ꝙ diuretẽtas: nam quæ multo tẽpore detentæ fuerint, magis uenenoſæ ſunt. cõijcere hoc ex ieiunis hominib. licet: deinde ad quatuor digitorũ menſurã utrinq;. i. caput & caudã amputa, coriũ detrahe, uiſcera & inteſti- A na abijce, quod ſupereſt, in ollam nouã cõijcito, anethũ adde: ferueãt, cũ cocta fuerint ſpinas diligẽter exime, latent eñ plerunq;. carnes ubi exquiſite collegeris, panis ſicci quidẽ, ſed puri tantũdem adijcies, cõmiſcebis, opobalſamiq; contactu, maſſam totã in paſtillos diuides, ꝗs in umbra ſiccabis.

10 Ipſa uero antidotus cui ab Andromacho qui primus ipſam compoſuit, nomen Galene, hoc eſt tranquilla, inditũ eſt, quãuis alij qui ipſam ab eo ſuſceperũt, ut Crito & Critonẽ ſecuti, ꝙ uiperæ carnes acciperet, theriacã appellarint, hoc modo cõficitur. Paſtillorũ ſcillinorũ drac. xlviij. paſtillorum theriacaliũ drac. xxiiij. paſtillorũ hedychroi drac. xxiiij. piperis nigri drach. xxiiij. ſucci papaueris drac. xxiiij. cinnamomi, iridis illyricæ, radicis dul- B cis, opobalſami, roſarũ rubearũ, ſcordij cretici, ſeminis napi, id eſt rapi agreſtis, agarici ſin. drac. xij. croci, myrrhæ, zingiberis, rha pontici, radicũ quinquefolij, calamenthi, marrubij, petroſelini, ſtœchadis, coſti, piperis albi & longi, dictami cretici, florũ iunci rotũdi odorati, thuris maſculi, terebinthinæ chiæ, caſiæ fiſtulæ nigræ, nardi indicæ ſin. drac. vi. ſumitatũ polij cretici, ſtyracis, ſeminũ ſeſeleos, thlaſpeos, ammeos, trixaginis, chamæpityos, ſucci hypocyſtidis, malabathri, nardi gallicæ, radicũ gẽtianæ, aniſi, mei, ſeminũ fœniculi, ſigilli lemnij, chalcitidis uſtæ, amomi, carpobalſami, phu pontici, hyperici, acaciæ, cardamomi, gũmi ſin. drac. iiij. ſeminis dauci, chalbani, ſagapeni, bituminis, ſucci panacis, caſtorij, centaureæ tenuis, ariſtolochiæ ſing. drac. ij. mellis attici libras x. uini falerni ſexta- C ria duo. his ita paratis in mortariũ conijce ſuccum hypocyſtidis & glycyrrhizæ, myrrhã, opium, ſagapenum, ſtyracem, acaciam, opopanacẽ, melq; paulatim inſtillando ſimul omnia contunde & diſſolue, tãtumq; uini demum infunde, ut ſuperferatur. hæc tribus diebus ita macerato, poſtea cinnamomum, crocum, caſiam, nardum, thlaſpim, malabathrum, ſigillum lemnium, chalcitim uſtam. hæc enim nigro colore theriacam commendat, ſi ſcite combuſta fuerit, amomum, bitumen, caſtorium, ſigillatim quodq; contuſum & cribratum in pilam mitte, & affundens uinum, ac ſi collyrium faceres, diligẽter commiſce: poſtea quæ in mortario ſunt, in pilam transfunde, diligenterq; commiſcẽdo ui- D numq; infundendo ſicca omnia ſuperadde, atque in unum corpus redige, deinde mel, terebinthinam, chalbanum, opobalſamum in cacabo tepefacta ſuperinfunde ijs quæ in pila ſunt, omniaq; in unũ corpus redige, & in uaſe ſtanneo argenteoue repone & utere.

11 Crito hoc plus de theriaca ſcriptum reliquit, Viperas uere finiente uel autũno, cõprehendendas eſſe, eligendasq; illas quæ magnæ & corpulentæ ſint, anethoq; impoſito elixandas. carnibus autem é decem uiperis collectis, unam panis ſiliginei unciam admiſcendam cenſet, atque ita paſtillos theriacales appellatos conficere. rurſus ſcillas meſſis tempore colligendas iubet, quòd eo tempore præcipue uigeant.

De antidotis.

Cap. 1 Quæ dicantur antidota. De Mithridatio, ex quo nata est theriaca authore Andromacho. Theriacæ & Mithridatij comparatio. Dosis & tẽpus antidotorũ, cum historia Mithridatis. 2. De opio. Quomodo imperator Antoninus theriaca sit usus: & Galenus eã ipsi parauerit. 3. Contra illos, qui dum parant theriacam pluribus imbecillibus pharmacis unum aliquod in suo genere uehemens adijciunt, cuius deinde uim totum cõpositum præ cæteris refert. 4. Optima & uera medicamenta à minus bonis & adulteratis, non ex libris, sed frequenti inspectione oculari discerni: aut ab aliquo perito doceri. Item quomodo comparare nobis optima medicamenta debeamus, uel per amicos, uel peregrinatiõe propria, ea præsertim quæ tota uita seruari possunt, qualia pleraꝙ; om̃ia metallica sunt. 5. Peregrinationes Galeni propter simplicia. Bitumẽ, carpobalsamũ, & xylobalsamum adulterari non possunt. Terra Lemnia, eiusq́; adulteratio, & Indici Lycij. De Galeni amicis in uarijs partibus orbis ad medicamenta mittenda.

B In Italia Puteolis habetur ærugo, cerussa, & æris squama: Romæ lithargyrus. 6. Quòd Creta plurimis simplicibus medicamentis abundet, quæ ad plurimas gentes mittuntur: & ꝙ nihil adulterari in Creta soleat, præter succos aliquot, ut absinthij. Quomodo quæ in unoquoque genere optima sint cognoscantur. 7. Notæ optimi mellis: & quòd mellis uitio theriaca uinosa tandẽ fiat: quod Cnidio melli accidit, licet Hymettio simili alioqui. 8. Quòd theriaca acescat uel panis uitio, qui nõ bene paratus & nimius uiperinæ carni miscetur: uel propter uini quantitatem, qualitatem, ætatem. De uinis aquosis: de uinis fortibus. Surrentinum Phalerno æquiualet. 9. Quomodo uina aquosa diu conseruentur ne acescãt: obiter de stœbe herba. 10. Quale uinũ sit injciendum theriacæ, & priuatim de phalerno, cuius alterum genus uinosius est, alterum dulcius Faustianũ dictum. 11. Iterum de melle quod non nimis uetustũ adijciẽdum sit theriacæ, amarius enim & nigrius fit uetustate, non multo autem densius si quidem bonum sit. Et quibus in locis optimum habeatur. Mel è cytiso.

C 12. Ad theriacam omnia medicamenta præstantissima esse oportet: ad minores compositiones, non ita. Romæ facile haberi copiam medicamentorum omniũ. Apud principes, imprimis imperatores Romæ, ob rerum copiam theriacam optimam parari posse. Opobalsamum. Falerni delectus. 13. Iterum de mellis Hymettij delectu, & eius adulteratione. 14. Iterum de uini electione, si phalernum desit: & quibus in locis nascantur optima. Tale est fuluum, tenue & translucidũ, non nouum, nec ità uetustum ut iam amarescat: odoratum, & dulce. pleraque enim alia theriaca pharmaca amara sunt. 15. Medicum peritum esse debere stirpium omnium, aut plurimarum saltem & quæ in frequente sunt usu. Tempus colligẽdi. 16. Theriacæ descriptionem

D in multis exemplaribus corruptam & ponderibus uariam haberi: ideoq́; laudandos esse qui ipsam aut carmine descripserunt: aut prosa quidem, sed uocabulis integris numerorum. 17. De theriacæ, id est medicamenti ex uiperis, quod & Galene uocatur, compositione Andromachi senioris Elegia: In qua primum copiose docet cõtra quæ uenena, quos serpẽtes, quos & quot morbos theriaca prosit: deinde apparatum eius docet.

18. Eiusdem descriptio soluta oratione Andromachi

A iunioris. Notandũ quòd senior Andromachus non meminit erui in scilliticis pastillis: & quo loco iunior acorum, senior sagapenum habet: in piperis etiam generibus & ponderibus, &c. differentiæ quædã sunt. 19. Apparatus pastillorum theriacorum. Viperas capiẽdi tempus: cauendæ grauidæ, maritimæ, mares: & feræ similes uiperis ut ammodites, hæmorrhus, seps. de sale & pane admiscendis: Quòd tenues fieri debeant: Vbi, quomodo, & quandiu desiccari debeant. De uasis ad recõdendum aptis. pastilli theriaci quantum durent. 20. De pastillis è scilla parandis. 21. Hedychroi apparatus: à quo diuersi sunt & inter se qui ad Pisonem & Pamphilianum scribuntur. 22. Docet posthac singulorũ simplicium pharmacorum theriacam constituentium electionem, seruato Andromachi ordine. Primum autẽ de pipere longo, & sagapeno: quod quia aliquando fit optimo galbano in ipsum degenerãte, per occasionem digreditur ad similem casiæ in cinamomũ, & myrrhæ in opocarpasum uenenum conuersione. Multa exercitatione opus est ad discernenda & eligenda simplicia. Galbanũ & sagapenum ex galbano æquipollent. Opocarpasum, rosæ. Locus exsiccandi. 23. De iride, quæ ex Illyria omnium est longè præstantissima. Quomodo unumquodꝙ; in suo genere præstantissimum deprehendatur.

24. De succo dulcis radicis, semine napi agrestis, & scordio. Dioscoridis commendatio. Et quòd ipse ea tantum hic tradat in simplicium electione quæ ueteres omiserunt. 25. De opobalsamo, & eius adulteratione.

26. De cinamomo, & quamdiu duret: notæ optimi cinamomi. 27. De agarico, myrrha, costo, croco.

28. Quòd duplex casia in uicem simplicis cinamomi possit accipi: & de carpesio, quo Quintus medicus loco cinnamomi utebatur. Tum de casiæ differẽtijs. 29. De nardo Indica, iunco odorato, thure, pipere, rheo & stœchade. (Aglaia Andromacho, quam Galenus quid sit ignorat, Ianus Cornarius uir plurimæ lectionis piper album interpretatur.) 30. De petroselino & terebinthina. Zingiberi, quinquefolium & polium nõ adulterari. Chamæpitys & chamædrys. 31. De styrace, Celtica nardo, Lẽnia terra, thlaspi, Centaurio, & aristolochia. 32. De confectione theriacæ. Sæpius uidisse oportet optima quæꝙ;. De electione generali radicum, seminum, liquorum & succorum. 33. De mortarijs, & quænam in eis contundi debeant. 34 Quæ læuigari cum uino debeant, ut myrrha, crocus, succi omnes, thus, gummi. 35. De his quæ liquescunt, & reliqua omnium commixtione. Opobalsamum omne absumendum inunctiõe pistilli. 36. De colore theriacæ, & chalcitidis apparatu. 37. Theriacæ descriptio senarijs à Damocrate comprehensa, quorũ hæc summa est. Theriacæ usus ad uenena: Ad bestias uirulentas: De dosi & frequentia utendi: Enumeratio morborum ad quos cõuenit. Qua mensura & quibus adiectis & quando singulis in morbis propinetur. Apparatus antidoti, primum quidem pastillorum ex uipera, deinde è scilla. Mithridatis historia: Rei quorum simplicium cum ponderibus suis enumeratio. Modus apparandi: Vasa ad reponendum. 38. Alia theriacæ compositio uersibus heroicis. 39. Critonis scripta de theriaca: nempe de uiperis capiendis & parandis: de scillinis trochiscis: de modo tundendi & cribrandi.

CL. GALENI DE ANTIDOTIS LIBER PRIMVS.

IVL. MARTIANO ROTA INTERPRETE.

A MEDICAMENTA, quæ nō extrinsecus imposita, sed intus assumpta malas corporis affectiones sanāt, antidotos medici uocāt, quarum tres sunt omnes differētiæ: nam aduersus exitiales potiones quædā faciūt, quædā ad feras ualent, quæ uenenū ictu morsuúe relinquūt, quædā excitis B mala uictus ratione morbis auxiliant̃, nōnullæ uero tria hæc simul pollicent̃. cuiusmodi est quam theriacā uocant, quæ ab Andromacho medico reperta Mithridaticam penè antiquauit, ita & ipsam ab auctore suo dictā. Mithridates eñ iste, quemadmodū et apud nos Attalus omniū fermè simpliciū medicamentorū, quæ uenenis aduersant̃, sedulo uim expertus est, in hisce hominib. qui morti condemnati fuerāt. reperit itaq; priuatim quædā phalangijs, quædā scorpionibus, quædam uiperis aduersari. item eorū quę ad exitiales potiones faciūt, illa aconito, hæc lepori marino, alia alij atq; alij ueneno remediū esse. quę oīa cōmiscens Mithridates, medicamentū unū effecit, ex eo se sperās auxilium uenenis omnibus præsens habiturū. subsecutus aūt multis post annis Andromachus inter Ne C ronis medicos primus nōnullis additis, quibusdā ademptis, theriacen quā appellāt, cōposuit, haud exiguā partē carniū uiperæ quibus Mithridatica antidotus carebat, cęteris admiscēs, saneq; idcirco theriaca ad morsus uiperæ plus Mithridatica ualet: ad reliqua uero oīa nō modo quicq; illa plus nō potest, sed est in quibusdā inferior etiā. neutra tamē eam uim habet post uenenū accepta, quā ante sumpta habuisset: nā portio antidoti quæ prius & semel hausta, tutū à morte quempiā pręstitisset, ea uenenū subsecuta, nisi in quadruplum quincuplum'ue aucta, nō iuuabit: neq; id semel tantū, sed bis singulis quibusq; diebus hausta, faciet. Quòd si quis singulis dieb. quēadmodum tēpestate nostra D Aurel. Antoninus imperator, uel sicuti olim Mithridates solebat, antidotū capiat, nullis noxijs potionib. lædet̃, id q̃d ipsi Mithridati cōtigisse ferūt, qui cū poti⁹ ueneno mori q̃ in potestatē Rom. uenire decreuisset, nihil inuenit q̃d se necare posset.

2 Atq; hoc quidē Mithridati euenisse accepimus, nos aūt Antoninū scimus, quo se in primis tutum à ueneno præstaret, singulis diebus tantū theriacæ quantū est Aegyptiæ fabæ magnitudo sumpsisse, interdumq; sine aqua aut uino eam deglutisse, interdum uero liquidi quippiā admiscendo ebibisse. sed cū ipsum quotidie inter uitæ functiones quoq;, profundo somno corripi accidisset, papaueris succū eximi iussisse, quare rursus euenit, & quia mos eius ita antea fuerat, q̄ naturalē temperaturā corporis sicciorē haberet, & quia multo iam tēpore exsiccantē antidotū accepisset, plurimā partē noctis insomnē duceret, quãobrem coactus est denuo theriacā assumere quæ papaueris succū haberet, iam aliquo modo inueteratā. dictū est autē à nobis aliàs sæpe huiusmodi medicamēta inueterata, mitiorē eum succū habere. fuit autem hoc, quo tempore suscepto aduersum Germanos bello, & ille in prouincijs, quæ secus Istrum sunt, degeret, & ego me illum eò subsequi posse excusa uerā. uerū quia imperator antidotū laudabat à Demetrio medicorū primario confectā, eo uita functo Euphrati medicæ materiæ uēditori, à quo simplices omnes medicinas ad theriacā conficiendā ille acceperat, per literas significauit, ut sibi renunciaret quis'nam medicus imperatoriā antidotum conficienti Demetrio affuisset. ab eo itaq; cum intellexisset me semper Demetrio quoties theriacā cōponeret, astitisse, tum quidē eam me per literas cōponere Antoninus iussit, Romāq; postmodum reuersus, q̄ ea præcipue delectatus fuisset, percontatus est, quanā simpliciū conuenientia ipsam miscuissem. cui ego rem ita ut se habuerat, aperiens, retuli primum me quicq; eorum quæ ab antiquis imperatorū medicis imponi consuetū fuerat, neq; omisisse, neq; addidisse: deinde causam exposui, cur mihi ipsi ea cōpositio maxime placuisset: de qua nunc quoq; dicere cum nobis decretū sit, eorum quæ tunc facta fuerunt, mentionem feci. nam Antoninus cum singulis quibusq; diebus magno cum studio theriacē sumeret, eius uitia uirtutesq; exactissime dignoscebat.

3 Conficitur autem pulcherrime & hæc, & alia fermè quæcunq; medicamenta, si eorum quæ imponuntur uirtutis & facultatis inter se proportio seruata fuerit. pleriq; uero, primum omniū ne sigillatim quidem unumquodq; eorum quàm bonum malum'ue sit dijudicare sciunt. quare nec uirium inter sese proportionem scire possunt, & idcirco ubi plurima uel tempore uel genere debilia interdum immiserint, ualidum ac potens aliquod postea commiscent. ueluti olim quidam qui cum ab Aegyptijs petitum Thebis opium (id autē est potentissimū) imposuisset, & gustu & uiribus similem Philonio theriacam fecit. idem rursus, cum myrrham quàm optimam pluribus inualidis admiscuisset, ut cæteris ipsa dominaretur effecit. alius quoque similiter in croco peccauit, & alius in sagapeno, ut & alius rursus in asphaltho & galbano, non pauci uero & duo & tria sic, ut diximus, ualida debilibus admiscentes, in causa sunt ut inualidis fortia præualeant.

4 Atq; artem quidem antidotos conficiendi, si quis acuto uir ingenio uel semel tantum inspexerit, facile discet. ut uero eorum quæ imponuntur notitiam consequamur, non semel, bis'ue, aut ter,

sed sæpius admodũ sigillatim quęq; obseruasse ne- A
cessum est, etiã si quis attentius ab aliquo cõmon-
strante ac uerbis docente cuiusmodi sint, quę sunt
optima, discat. quòd si nullo mõstrante, ex libri ali
cuius lectiõe, quod genus est, opus Heraclidis Ta
rentini, item Crateuæ, Dioscoridis, Nigri, Iollæ,
Rufi Ephesii, aliorumq; quorundã, in eorũ cogni-
tionẽ peruenire aliquis uelit, longe maiori ipsi o-
pus est inspectione, prius q̃ exacte singularũ me-
dicinarũ uirtutes ac uitia dijudicare sciat. nam qui
simplices medicinas diuendunt usq; adeo callide
illarum quasdam concinnant, ut exercitatissimos
etiam quosq; ea in re uiros decipiant. quapropter
optimum est multo ante eas sibi per amicũ specta
tæ fidei ibi comparare, ubi electissimæ prouenire
solent, uel illuc semel accedendo secum inde tan- B
tum earum asportare, quantum per totũ uitæ spa-
tium sufficere possint, cuiusmodi sunt fermè om-
nia quæ metalla nuncupantur.

5 Cyprum itaq; & nos hac de causa uisere uolui
mus, ubi amicũ magnæ auctoritatis hominẽ cum
haberemus, sodalem procuratoris, qui Cæsaris no
mine metallorum fodinis præerat, & cadmiã, & di
phrygem, & spodiũ, & pompholygem, & chalci-
tim, & misy, & sori, & æs ustum, inde multũ aspor-
taui. quemadmodum rursus è Palæstina Syrię bal-
sami liquorem purissimũ, nam bitumen iudaicum
ne fraudes quidem ullas admittit, sicut neq; balsa-
mi fructus, neq; lignũ. Nauigaui quoq; in Lemnũ
insulam, dij norunt, nõ alia de causa quàm ut lem-
niam, siue terram quis uelit ipsam nominare, siue C
sigillum, agnoscerem. dictum est autẽ à nobis sa-
tis superq; de hac in nono De simplicibus medici-
nis libro. hanc inquam siue terram, siue sigillum
quis appellet, adeo quidam interpollant, ut ueram
à ficta dignoscere queat nemo, uelut & quod lyci-
um indum appellatur, aliaq; complura quæ nõ ni-
si magna cum difficultate secerni possint ab adul-
terinis. atq; hæc per eos qui talibus in locis diuer-
santur cõquirere opus est, uel per præfectos & se-
natores, qui illis regionib. præsunt, uel saltẽ per a-
micos ibi habitãtes, quomodo me facere uidistis.
apportantur nanque mihi quædam ex magna Sy-
ria, quędam è Palæstina, quædã ex Aegypto, non-
nulla è Cappadocia, ex Ponto alia, pleraq; è Ma-
cedonia, & ex prouincijs ad occidentem positis D
quas Galli habitant & Hispani, & oppositas oras
incolentes Mauri. quænam igitur quocunq; in lo
co medicamenta optima proueniãt, cum alij, tum
Dioscorides uerissime scripsit. nos uero, ut dice-
bam, ipsa comparare opus est, eo quo diximus mo
do, præsertim si Romæ habitemus, quo ex uniuer
sis gentibus quamplurima quotannis aduehun-
tur. multa quoq; per ipsam Italiam partim sponte
nascũtur, partim arte fiunt, ueluti Dicæarchię Pu-
teolis nunc dictæ, ærugo, cerussa, æs, æris squam-
ma, ac quædam alia: & Romæ, lythargyrium, hoc
est argenti spuma. Non pauca uero penè singulis
quibusq; diebus Romam importantur, quæ è Si-
cilia & magna Libya quotãnis æstiuo tempore ad
uehuntur, præsertimq; è Creta.

6 Multa nanq; herbarij qui in Creta à Cæsare
aluntur, nõ solũ ipsi Cæsari, sed & toti Romanę ci-
uitati uasa hisce rebus plena mittunt, quæ q; uimi-
nibus cõtexta sint, textilia uocãt. tam multa itaq;
uasa Romã & in natiões alias è Creta afferũtur, ut
nullius rei prorsus quæ ibi nascatur egeamus, non
herbarũ, non fructuũ, nõ seminum, non radicum,
non succorũ. ac reliqua licet oĩa sincera quidem
inde afferant, succos tamẽ aliquos adulterari, quã-
quam raro, cõtingit. nam cum herbarum copiam
insula gignat, fraudulenter concinnare quicquam
non admodum curant herbarij qui in ea degunt,
nec si curarent, magna, quemadmodum in alijs ea
fraus esset. nam in succum absinthij quem solum
conficere debuissent, marrubiũ quoq; exprimunt,
aut exiguum quippiam hoc genus interpollant.
quam ob rem Romæ si quis unguentarios adeat
qui singulis quibusq; annis uasa illa textilia herba-
rum plena emunt, ab eis primo omnia hæc cogno
scere poterit, etiam si nunquam antea ipsa uidisset,
deinde ex frequenti inspectione quale sit optimũ
quodq; per seipsum intelliget. qui enim memores
sunt eius quod superiori anno emerũt, cum aliud
melius illo uidẽt, facile hoc illi præstare dijudicãt.
ex herbis siquidem quæcũq; unà cum semine sunt
mis ramusculis adhærente apportãtur, pro cuiusq;
tamen conditione, plurimum seminis habentes,
non habentibus, uegetas exilibus, plenas raris ac
lenibus, compactas flaccidis, tẽpore non consum-
ptas, cito absumptis potiores arbitrantur. asinus
plane is esset, qui ista cogitare nesciret. atq; ut hæc
percipere difficile non est, ita nec gustu & olfactu
quid optimum sit dijudicare laboriosum erit, hi-
sce tamen qui eadem sæpe inspexerint. nam quã in
re medicamẽtum gustu olfactuq; tentatum excel-
lit, id ea in re ualidius sui generis alijs est.

7 Mel itaq; quod optimũ esse perhibetur, dul-
cissimum est & acerrimum, eo quòd mellis natu-
ra acrimoniam dulcedini iunctam habet. quoties
igitur mustum è dulcibus uuis expressum ad dimi
dias tertias'ue coquendo deferbuerit, quãuis dul-
cedine melli nõ cedat, ut aqua tamẽ obtusum est,
nec sensum uellicat. atqui mel eiusmodi non est,
sed acrimoniam ita dulcedini iunctam habet, ut
præstantissimum id sit quod hisce duobus excel-
lit. ac primæ quidem optimi mellis notæ ex hisce
sumuntur, secũdæ uero ex accidentibus colligun
tur naturam eius cõsequentibus, colore, odore &
compage ac partium inter se conuenienti habili-
tate. colore nanq; luteum mel sit oportet, compa-
ge uero neq; crassum, neq; concretum, neq; ualde
dilutum, sed uniforme totum, atq; ita tenax, ut si
digito particulã ex ipso sustuleris, defluereq; per-
miseris, perinde atq; uiscum descendat, non distra-
ctum, neq; abruptũ. quanq; ob ista mel optimum
quidem non est, sed cum suapte natura optimum
est, tum hæc se consequentia signa semper habet,
ipsumq; idcirco optimũ esse ista significãt. Quam
ob rem simplex quodque medicamentum sæpius
quisq; contempletur admoneo, quò memoria te-
neat quantum quodq; dulcedinis, aut acrimoniæ,

aut alicuius sensilis qualitatis habeat. neque enim qualitatum gradus uerbis ullis explicari queunt. accedit præterea & aliud quoddam iudicij genus, quo uis uniuscuiusq; medicamenti perpenditur, longa experientia comparatū, quod oratione declarari nō potest. mel quippe è Cnido aduectum, si quis signa quæ modo retulimus attendat, optimum adeo censebit, ut id thasio & hymettio proximum esse iudicet, quod tamen ubi consenuit, uitium haud paruum ostendit. uini namq; conditiones assumit. idem quoq; rhodio accidit. unde quidam theriacā rhodio melle cum admiscuisset, deindeq; tertio pòst anno ipsam mihi non modo gustu, sed etiam odore uinū redolere inuentā ostendisset, & eam ego cōspexissem, id quod euenerat, ex melle quod imposuerat accidisse dixi, mirabatur autē ille. tum ego rursus eum interrogaui, nunquid et mel plurimum coxisset, ipsum'que diutius despumasset. quæ fecisse cum fateretur, ob hoc etiam mirabatur, ac si recōditi quippiam ex me audiuisset. hic ipse suam temeritatem damnare cœpit, quòd ex sola librorum lectione theriacen conficere ausus foret.

8 Alius quoq; theriacā mihi uidendam obtulit quam composuerat, acidā factam, causamq; sciscitabatur: cum ergo ex me cognouisset se plus uini quàm par fuerat imposuisse, nec optimi nec antiqui, forsanq; & plus panis q̃ decebat nō rite cōfecti uiperinis carnibus admiscuisse, sicq; rem se habere cōfessus, suam proteruitatē damnauit. In primis itaq; prouidendum est, ut id uini genus impo- C namus quod firmissimum esse nobis experientia compertum sit, tum ut ualidum quoq; quod non amplius mutatum iri per multos iam annos exploratum nobis sit. nam & debilissima uina, &, ueluti quispiam diceret, aquosissima, uel magnopere austera, quæq; præ cæteris acescere solent, primis annis acida facta, ita de cætero manent: est autem uino commutationis tempus alij aliud. aquosis quidem non multorum annorum: ita enim uina appellant colore alba, compage tenuia, atque ut diluantur nō multæ aquæ indiga. demum talia cum sint, ut nec caput omino petunt, ita nec corpus planè calefaciunt, nec uentris uenarumq; concoctionem euidenter adiuuant, nec deniq; bene alendo corpori conducunt. celerrime omnium uina hæc D inueterantur. appellant autem cito inueterari periti harum rerum, ante tempus antiqui uini conditiones assumere: sunt autem, acrimonia primum qua planè calefacit, tum amaritudo quoq;, ad quā subinde transit, interdum tamen & aquosa quædam uina ad uetustatem peruenisse uidimus, si primis tribus annis uel quatuor non acida facta fuerint. At potentia & austera & alba uina, crassa tamen, quandoque post decennium etiam nō ritè seruata acescere contingit, contingit & quamplurimo tēpore uetustescere. talia sunt in Italia tiburtinum, signinum, marsum & surrentinum. tiburtinum tamē & marsum, austerū est, & si improuide reponatur, acescit facile. signinum uero ualidius, & minus acescit, inueteratumq; optimum euadit.

A de surrentino autē quid me dicere opus est? quod omnes iam sciunt ante annū fermè uigesimū crudum adhuc esse, uigesimo eñ tandem anno uiget, potuiq; aptū diu perseuerat, nec facile amarescit, præstantiaq; cū falerno cōtendit. contrarias ijs dispositiones aquosum uinū subit, albanū, sabinum, & quod in Gauro monte nascitur, qua parte Puteolos urbem spectat, quodq; in collibus Neapoli uicinis oritur, aminæum quidem nūcupatum, sed tenue, nec tale quale in Sicilia et Bithynia nascitur aminæum. nam licet apud has gentes nonnihil tenuis & aquosi uini gignatur, non tamen multum abest à Sabino quod in Italia nascitur, neq; ab arsino & titacazeno quod in Asia prouenit, aut ab eo quod à nostris tibenū uocatur, ita à regione Tiba in qua conficitur, denominatum.

B 9 Atq; hæc omnia uina facile contrarias qualitates suscipiunt, acidam dico & amaram. acidam quidem à principio, amaram uero si postea perdurauerint. locus tamen in quo uinū reponitur multum facit, ut ad alterutram qualitatem mutetur. optimus itaque inter initia locus frigidus est, tum calidus, uel è contrario multum calidus primo: quoniam tepidus locus uina facile acida reddit. quamquam uina quæ duobus aut tribus annis frigido loco reposita, bona manserint, in cellam calidam satis transferri postea desiderant, nec unquā tepida temperataq; indigent. reperiuntur tamen quædam uina usqueadeo aquosa & debilia, ut frigus ne à principio quidem ferant, quæ pater meus experiendi gratia cum in calidissimam cellam detulisset, stœbe cum multa tum calida plenas lagenas contexit, uotiq; compos effectus, nunquā deinceps acidum uinum habuit: sed quàm celerrime uetus effectum. quo modo autem unusquisq; cellam uinariam calidam sibi comparare possit, ut & pater meus, iam exponam. Apud nos omnibus in agris atria magna extruuntur, quæ focum in quo ignis accenditur, in medio habent, nec procul inde iumentorum præsepia sunt uel utraq; ex parte dextra & sinistra, uel ex altera saltem. furni autem foco iuncti sunt ab anteriori parte quę ad fores totius domus spectat. tales itaq; sunt domus omnes in agris etiamsi frugalius ædificatæ sint. nam quæ maiori cura fabricatæ sunt, exedrā habent è regione ianuæ sitam ad parietē qui intus est, & utrinq; cubicula, quibus aliæ cellæ, quemadmodum & in multis cauponis circuitu trium & sępe quatuor atrij parietum dispositæ superincumbunt. ex his autem omnibus cellis ea plurimum ab utroq; latere contegitur, quæ exedrę instat, quamq; pater meus uino reponēdo eligebat, quod in dolijs deferbuisset. nam ut firmiora uina priusquā ferueant in fidelias transferre, sic infirma calido in loco seruare nostrates solent. melior autem ad id ea cella est quæ ad meridiem spectat, & à septentrione auersa est. herba uero quædā apud nos inuenitur fruticosa, calida, & acris ualde, parūper aromata redolens, quā incolæ colymbadem, alij stœben. appellāt, ad præseruandum uina aptissima. in hac itaq; fidelias rustici collocant, atq; parietem unum superioris

cellæ

cellæ qui in atrium respicit, in quo furnum & focum esse diximus, amplius fenestris aperiunt, agnoscētes calorem per fenestras ingressurum cellam in qua fideliæ repositæ sunt. Cella igitur uinaria partim calore ex atrio ascendente calefacta, partim herba stœbe consota, uinum quodcunq; repositum acescere non sinit. quod si quis magis adhuc hoc consequi, nec unquam aberrare desiderat, uinum fidelijs infundat non nouis, sed alijs è quibus antiquum uinum iam exhaustum sit. similem quoq; morem seruandi uinū & in Italia obseruaui, in agro Neapolitano & Neapoli uicino colle, quem Trifolinū appellant, multisq; alijs in locis Italos accepi, ita uinum calefaciendo præseruare: uerum eiusmodi uinū ut firmius euadit, sic & capitis dolorem facilius parit, eamq; ex fumo qualitatem acquirit. fugienda sunt autem omnia eiusmodi uina nec medicamētis admiscenda quę corpus intrāt. nam in emplastris & id genus alijs medicaminibus quę foris admouentur, si optima desint, talibus quoq; uti nihil prohibet.

10 Eligenda sunt itaq; in conficiendis antidotis uina suapte natura firma, inter quæ Falernum non hac re solum excellit, uerum et omnibus alijs dotibus antestat, eligēdumq; ex Falernis id quod nondum est uetustate amarum, ut aliqui faciunt, hac in re ab ijs qui theriacam rite conficiunt, aberrantes. cum ēm audierint id quod semper ab omnibus dici solet, senescere cætera temporis diuturnitate præter uina, summe uetustum uinum admiscēt. neq; uero hac in re una delinquūt, sed in alia etiam peccant, dum ex eo quantum admiscere debeant, coiectare nesciunt, quòd in libris medicinarum compositionem continentibus quantum uini infundere conueniat expressum non sit. cum autem Falerni genera duo reperiant quę sese uirtute nihilo superant, dulcius, quod Faustianum proprie appellant, gratiorē antidotū facit. quemadmodum ergo qui fugiens uinum & acescere solitū antidotis adhibent, magnopere peccāt: nam tametsi nullum de se uitium habeat, commistum tamen rebus alijs plerunq; acescit: sic & qui Falernum eximiæ uetustatis immittunt, errant. ipsum namq; antidotos amaras reddit.

11 Mel quoq; uetus admodum alius quidam medicus, ut & de Falerno uino diximus, imponebat, tali ratione motus. si mel quod optimum antea uidebatur admistum antidotis uinosum effectum est, tutius est multo illud mel admiscere, q̃d sicut & uinum temporis longitudine constet incorruptum esse. Atq; hoc sane mel uetustate subamarum tum fuit, posteaq; plus etiam quàm par fuerat coctū, magis adhuc amarū euasit, id quod omni uetusto melli, simulatq; decoctum fuerit, euenire solet. Atq; hoc admirabile non est, cum etiam si coctum non sit, dulcedinem tamen cum amaritudine uetustate cōmutet. Pater meus mel quoddam habuit ita amarū, ac si in Ponto natum foret, eo in tractu, ubi ex absinthio apes mel colligunt, idipsum tamen & Atheniense & optimum fuisse dicebat, uerum temporis diuturnitate ama-

A rum euasisse. Hoc quoniam inutile mihi uidebatur etiam post patris obitum, nūc usq; seruamus, amarumq; adhuc plus quàm tūc fuerat effectum est, & nigrius, non tamen crassius multo euasit, id quod mellis optimi præcipuum indicium est. Siquidem mel quod in Eleunte Chersonesi nascit illo in loco, ubi Protesilai fanum extat, quamuis diu easdem conditiones habeat quas & Hymettium, crassius tamē & cōglobatius processu temporis efficitur. Conijcienda sunt igitur in antidotos mella quātum fieri potest, optima Hymettia, Thasia, aut certe Attica, quibus si careamus è Cycladibus aduectum mel imponemus quodcunq; similius Attico fuerit. quanquā in Isthmo quoq; bonum mel prouenit, ita Isthmiacum, à loco ubi

B nascitur, cognominatū. sicut & Tubreum, quod et ipsum, nomen adeptum est. Celebrata aūt mella hæc sunt. nam mel in alijs etiam regionibus optimum conficitur, sed cum ob exiguitatem ab incolis totū absumatur, in alias prouincias nō exit, nomenq; idcirco ullū non habet: nostra siquidem in Asia collis quidam inter Pergamum & Eleam urbem maritimam porrigitur, thymo scatens, in quo apes optimum mel reponunt, quod ibidem totum absumitur. Occurrit autem collis iste à læua Pergamo Eleam abeunti, uiæ tamen uicinus non est: in Mysia quoq; qua parte nostræ prouinciæ finitima est, tractus occurrit, quem Britū nominant, in quo mel Attico simile penitus magna cum admiratione cōspexi, quanquam deteriora

C plane mella ibi quoq; proueniant. extabat autem ibi quoq; monticulus quidam non magnus, saxosus totus, thymo & origano plenus, ad cuius radices agri cytiso quamplurimo abundabant. ex eo collis dominus mel usqueadeo dulce colligebat, ut hac in parte Atticum etiam superaret, acre tamen, ut Atticum non erat: statimq; idcirco se gustantes auertebat, & nauseam cito commouebat, si paulo liberalius comestū fuisset: hoc siquidem de cytiso scriptores uno ore tradunt. Apes ex cytisi floribus plurimum mellis excerpere. fruticosa uero planta cytisus est eam altitudinem attingēs, ad quam myrtus crescit.

12 Dicta autem à nobis hæc sunt, non solum ad utilitatem medicorum qui Romæ diuersant,

D quò singulis annis optima quæq; ex omnib. prouincijs comportatur, sed etiam ad cōmoditatem eorum qui in cæteris orbis terrarum partibus degunt. nam si rerum optimarum notas agnoscent, eximia quæq; eligere sciēt, quæ apud ipsos in suburbanis & uicinis agris populisue nascuntur. Philonium igitur si quis conficere uelit, aut aliquam aliam minorem antidotum, medicinis non eget omnino bonis. at si uel Mitridaticam, uel theriacam, uel aliquam aliam maiorem antidotū componere moliatur, quæ & multa comprendat, & cinnamomum accipiat, optimis quibusq; indiget medicinis, quæ quoniam alio in tractu quàm Romæ haberi non possunt, propterea tales antidotos Romæ conficiunt non solum optimi quique medici, sed etiam unguentarij, qui tametsi omnes

in earum compositione nunc plus, nũc minus im pingant, eas tamen usui non inutiles conficiunt. quo tempore igitur Antoninus imperabat, theriaca à multis diuitibus parabatur, deerantque idcirco nonnunquã eorum quę difficulter haberi possunt, simplicia quædam. Est enim admiratione dignum quantopere diuites principum mores uel imitentur: uel, si non imitentur, uideri saltem uelint. Postquam uerò ex humanis Antoninus excessit, pauci amplius aut theriacam aut Mithridaticum conficiunt. Cæterum ut Romę potius quàm alibi medicinæ simplices optimæ, omnes haberi possunt, sic quoque ab eo qui Romæ Cæsarum antidotos conficit, singula multo magis perfecta habentur. uinum Falernum, mel Hymettium, opobalsamũ syriacum, quod à loco in quo plurimum & optimum prouenit, alterum quoque nomen accepit, sagadinumque dicit, cunctis alijs melius quæ in Palæstinæ prædijs colliguntur. quantum uerò Falernum uinũ eo quod caupones uendunt, præstantius est, tantum Aegyptio opobalsamo sagadinum uocatum antestat. Is igitur cui theriacam Cæsari conficere obtigerit, ut & mihi cõtigit, modo singulas medicinæ cuiusque dotes exacte noscat, optimam proculdubio antidotum conficiet. nam cũ optima quæque imperatoribus undecunque afferantur, ex optimis quoque denuo præstantissima seligent. Equidem ipse uini Falerni ætate perlecta quæ singulis in fidelijs descripta fuerat, id tantum gustabam quod uigesimum annum excessisset, indeque initio facto ad id usque perueniebã quod subamarum nondum foret. Id enim uinum optimum quoad ætatem censeo, quod uetustissimum quidem est, nondum tamen amaritudinem aliquam assumpsit.

13 Ex mellis quoque hymettij copia quæ in imperatorum apothecis plurima erant, bimum gustabam, idque rursus eligebam quod dulcissimum, & acre plus esset: hoc enim & recenti & magis inueterato præstat. Cæterũ quia non modo regiam luculentiam habentibus, sed omnibus quoque alijs medicis hanc componendi artem utilem esse uolumus, idcirco quædã adhuc subiungemus, in primisque illud. mella Athenis multa diuendi quę thymum multum in imo uase occultatum, atque ideo aspectui nõ obuium habent: acrimoniam autem id melli parit, et processu temporis in superficiem enatat, queadmodũ & quicquid aliud melli incidit. tale aũt mel est pene omne quod Romæ uenale proponit, nisi ipsum qui afferũt uersuti sint, thymũque quod supernatat omẽ auferãt, ut uulgo uel ex gustato melle thymi saporẽ quàm plurimũ percipienti facilius imponãt. uerũ hic sapor non nisi in uitiato melle cõtingit. quãobrem si quis thymi saporem habere mel senserit, modo expositas fraudes subesse intelligat. Mel siquidẽ optimũ quãuis thymi acrimoniã præ se ferat, nõ tamẽ eius odorẽ reddit, aut gustũ tantopere uellicat. Ac de mellis quidẽ optimi conditionibus hactenus: nã quoad usque coquere ipsum conueniat, mox docebimus, cum de theriacæ compositione loquemur.

A 14 Interea uerò de uino subiungemus quæ paulo ante dicere omiseramus. In Asia namque si antidotos cõficere uolueris, aut aliquã alia in gente, uinoque ad medicamentum requisito carueris, uinum cõquires fuluũ quidem colore. nam neque nigrum, neque album, neque rubicundum, eiusmodi antidotis cõuenit. compage autem ita tenue esse debet, ut oculis peruium sit & trãspareat. gustum uerò talem præ se ferat, qualem modo Falernum habere dicebamus, nondum quidem amarũ, non tamen adhuc ob iuuentam crudum. subijciam autem in exemplum quænam uina talia sint, nominatimque ipsa commemorabo. Antiqui enim medici qui nostra in Asia nati sunt, etiam antequam Romanorum imperium creuisset, & Falernũ uinum famam adeptum esset, eorum nomina suis libris commisere, suntque hæc in Asia tria à medicis celebrata uina. Ariusium in Chio, ab eo tractu in quo prouenit cognominatũ. Lesbium, ita de nomine totius insulæ in qua orit, appellatũ: & Tmolite à monte Ciliciæ unde aduehitur, cui Tmolus nomen est, uocabulum adeptum. perspicuum autem est ex his optimum eligendum esse per ea signa quæ superius exposui. Nã, ut de melle quoque dicebam, quemadmodũ id quod in Attica nascitur omne ferè bonũ est, & inter Attica mella Hymettium principatum obtinet, & ab Attico Thasium: sic cum multa uina in Lesbo gignantur, id quod fuluum nec crassum est, & bene olet, minimumque constipat, & dulcedinem modicam quidem, nõ tamen obscuram habet, Lesbiũ proprie nuncupatur, optimumque in Eresso urbe huiusmodi uinum prouenit: deinde ab hoc secundũ in Methymna, & tertiũ Mitylene, gignitur, quorũ omnium præcipuum is eliget qui notis antedictis uinum dijudicat. Vinũ enim id ex omnibus aptius erit ad cõponendum antidotos, quod & odoratius & dulcius & tenuius fuerit. Quod genus est Lesbiũ & Ariusium, quę duo parum inter se differunt. at Tmolite & Falernũ eiusmodi nõ sunt, sed duo uini genera, alterum dulce, alterum nec dulce nec austerum, sed inter dulcia & austera medium. Injciemus ergo in theriacam uinũ quod est dulce, non quia præ cæteris uim aliquam antidotis afferat, sed quia illarum gustum gratiorem reddit, cui operam dare conuenit, in hisce medicinis quæ intro assumimus, præsertim cum amara in se quamplurima continuerint, quod genus est theriaca & Mithridatum. nam & omnes alias simplices medicinas, quas longa experiẽtia serpẽtibus aduersari compertum est, amaras esse constat: uelut cum eas tractabimus apparebit. Homerus autem, ut ex uerbis eius colligitur, quæcunque dolores etiam amouent, amara putat. inquit enim, radicemque addit amarã, Compressam manibus, cunctos quæ sola dolores Abstulit.

15 Medicus igitur omniũ stirpium, si fieri potest, peritiam habeat consulo: sin minus, plurium saltẽ, & quibus frequenter utimur. sunt aũt ipsarũ genera uel si sic ea denominare uelis differentiæ, hæ: arbores, frutices, herbæ, spinæ, uirgulta. hæc enim

enim quisquis toto ætatis illarũ decursũ nouerit multis in partib. orbis terrarũ, reperiet, ut & ego in Italia multis in locis inueni, quę nec quãdo pullulant, nec quãdo crescunt, nouerũt isti qui siccas stirpes tantũmodo cognoscunt. nullus itaq; Romæ unguentarius extat, qui Creta allatas herbas, & ipsarũ semina nõ agnoscat. at in suburbanis urbis nõ paucas ex ipsis nascentes prorsus ignorãt, idcircoq; nec quo tẽpore semen ferant, obseruãt. ipse uero, & chamæpityn, & chamedryn, & thlaspim, & centaureã, & hypericũ, & poliũ, & id genus herbas alias Romæ uidi, quas obseruato tempore quo uigent, neq; æstiuo sole arefactas, neq; citius q̃ par fuit euulsas collegi, nondũ cõcoctis seminibus aut maturis. Compositarũ namq; medicinarũ uirtus ex simpliciũ uigore consurgit, parua quadã interueniente differentia ex cõponendi arte, ad quam explicandam mox deueniemus, si prius quo pacto simplicia medicamẽta inter se apte componi possint expressero.

16 Quoniã uerò quædam formulæ compositionis artẽ continentes, mendose cõscriptæ sunt, dum alij illarũ descriptiones petentibus exhibendo dedita opera mentiuntur, alij exemplaria quæ à maioribus integra acceperunt, peruersa minoribus tradunt. Libri uerò qui in bibliothecis repositi sunt, cum numeros notis designatos cõtineant, facilè deprauantur. Nam ε faciunt θ, quemadmodum etiam ο. Et ι faciunt γ, unius lineæ adiectione: quemadmodũ rursus γ faciunt ι, unius detractione. Idcirco sicut Menecrates librũ cõscripsit, quem hologrammaton autocratora; hoc est ex integris literis imperatorẽ inscribit, in quo septenarium numerũ per duas syllabas ἑπτά, non per literam ζ solum: uiginti uerò per tres syllabas εἴκοσι, non per κ solum: triginta per quatuor τριάκοντα, non per λ solum indicauit, & reliquos similiter: ita & ego faciam. Andromachum quoq; summopere cõmendo, qui theriacam ipsam, ut & alij quidam carminibus celebrauit, nã Damocrates non theriacam solum, sed quascunq; etiam alias medicinas uersibus conscripsit, rectè sanè. ita nanq; ab improbis peruerti medicamẽta minime possunt. Verum Andromachi primum nos in præsentia carmen subiungemus.

ANDROMACHI SENIORIS THERIACA, quæ uiperas habet, & Tranquilla cognominatur, ad D. Neronem.

ANtidotum multis insignem uiribus audi
Cæsar, qui nobis otia tuta facis.
Tranquilla hæc, Hilarisq; suo pariterq; Serena,
Nomine, cyaneos non timet una sinus.
Non si quis cupidis expressa papauera labris
Hauserit, exitium pocula sumpta ferent.
Non si quis gelida compleuerit ora cicuta,
Si quis hyoscyamum, siue aconita bibat.
Non si cantharides, aut præsens morte ueneuum
Colchi tuum sumat, feruide thapse tuum.
Arida non dipsas, non clarus fraude cerastes,
Non feret impresso uipera dente necem.
A Incassum cauda consurget scorpius unca,
Nec subitos luctus aspis iniqua dabit.
Non ptyas audebit calido progressa cubili,
Vt prius aduersa cominus ire uia.
Non dryina ferox, nec ab ictu gutta cruenti,
Vt solet, hæmorrhi, sanguinis ulla cadet.
Claudere nec cogent odiosa phalangia summum
Concussu tremulo frigoribusq; diem.
Non hydrus, nec ubi torret sol æquora cancro,
Cum petit arua minax, concitus atq; furit:
Ora trahens multa chersydrus cæde cruenta,
Supremum uitæ ducet in exitium.
Hac fidens æstũ per rura uagabere Cæsar,
In Libyco quamuis progrediare solo.
Nil oberit sicci tibi ruris alumna rubeta,
B Nil geminum tollens amphisibæna caput.
Hæc rursus stomacho prẽsens medicina tumenti (est,
Hæc ab anhelanti pectore tollit onus.
Aut intus toto cum spiritus undiq; uentre
Fluctuat, & surdis uiscera pulsat aquis.
Diraq; cum miserũ disrumpunt tormina uentrẽ,
Et saliunt tensi membra dolore coli.
Vel si quis luteo suffusus forte colore
Ora, genas, oculos, pectora, colla, manus:
Arquatum patitur miser, & conuiuia temnit,
Et, si promittat tempora longa deus,
Abnuit, atq; animo tantum demissus oberrat,
Vt sæuus medicam negligat unus opem.
Inuadet quoties hydrops, male corpora pallor
Inficit, hac fies liber ab antidoto.
C Hinc hebetes oculi sibi pristina lumina sument,
Hac phthisis incipiens uicta recedit ope.
Sola potest colli neruos laxare rigentes,
In mentum, in scapulas, in latus, atq; humeros:
Nec sinit ut mẽbrana, leues quæ pectus ab imo
Sepsit pulmones, uicta tumore premat.
Hac etiam magno uesica dolore leuari
Horrifici stimulis ulceris icta solet.
Sola potest clausos penis reserare meatus,
Irrita quos urit, sollicitatq; uenus.
Cinxerunt lumbos renum quandoq; dolores,
Hauriat hæc aliquis pocula, sanus erit.
Sola potest eadem multis accepta diebus
Tollere de cæso pectore puris onus.
Neu te dira lues, neu lædat noxius aer,
D Hanc cape, cum primo est sole reuecta dies.
Hacq; canum rabiem fato impendente fugabis,
Cum trepidat moriens, & sitit æger aquas.
Insomnes demũ quibus est mos ducere noctes,
Conciliat somnum, peruigilesq; leuat.
Pondus erit quantũ creuit faba, quam pater atro
Atq; restagnanti flumine, Nilus alit.
Ipse tribus cyathis præscriptum dilue pondus
Antidoti, cyathis igne calentis aquæ.
Sic commista, tibi uel claro mane bibatur,
Vel nox cum primam protulit orta facem.
Morbi certa dabit crudi solatia, mane
Sumpta, quibus tristis lux solet esse magis.
Vespere, cui magnos nox aduehit atra labores,
Languenti custos atq; leuamen erit.
Atqui calcati morsu serpentis anhelat,

Ignarusúe doli toxica nigra bibit:
Et cum mane nouū, & cum se sol abdidit undis,
Aequali sumat pondere theriacen.
Hactenus & pondus, uiresq; & tempora, Cæsar,
Quod superest, dicam quo facienda modo.
Vipera principio cura obseruata procaci
Protinus est celeri corripienda manu.
Namq; ubi tristē hyemē pepulit clemētior aura,
Arcta solet cæcæ linquere lustra domus:
Et passim uiolis carpit uernantia prata,
Dum uiridis quærit semina fœniculi.
Nam facit hæc cernant serpentes acrius herba,
Quos alit in cladem tarde bubulce tuam.
Deprensis igitur summum caput, imaq; cauda
Demenda, hinc quicquid uenter inanis habet.
Infert nam sæuos hinc atq; hinc uipera luctus,
Et squammis caudæ dira uenena tegit.
Ceruicisq; ideo tantum caudæq; secabis,
In pugnum quantum est alta reducta manus.
Sanguine sed mistum caueas stillante uenenum,
Vere hilarem nam sic experiere diem.
Hæc ubi rite tibi fuerint perfecta, subinde
Vipereas carnes fictilis olla coquat.
Ante tamē misces frondē graueolentis anethi,
Et satis est quantum prouidus indis aquæ.
At cum panda fluunt resoluti corporis ossa,
Cumq; tument flauæ noxia terga feræ,
Exime uipereas, confusa cadauera carnes,
Exemptas longa uentilet aura mora.
Hinc spinas tacita prudens subducito mente,
Quas bene si tractes sentiet apta manus.
Adde laboratum panem, ne uipera formam
Tusa neget rotulis, ne pereatúe liquor.
Namq; ubi mista cauo dudū hæc uersaris in orbe,
Finge rotas, aptum det quibus umbra locum.
Inde capillato scillam cum cortice sumptam
Pulte linas, medio constituasq; foco.
Ac cineris rutili cumulos superingere, donec
Reddatur scillæ mollius igne caput.
Signa dabit, feruens positos cum discutit ignes,
Excute, ubi leues dempseris exuuias.
Tres scillæ partes, erui compone duabus,
Pistilloq; crepet concaua pila diu.
Ac minimos tandem contusa premātur in orbes,
Quos procul à radijs mitior umbra tegat.
His igitur lancem primum cumulabis, & octo
Bisq; decem drachmas accipe, bisq; decem.
Dimidium superadde, rotæ quam uipera fecit,
Et piperis longi sit quoq; pondus idem.
Sitq; opij tantum, tantum medicaminis eius
Quod grati nomen magma coloris habet.
Inde quater ternas mutato pondere drachmas
Iridis, & siccæ protinus adde rosæ.
Addaturq; tui radix dulcissima succi,
Et dulcis tantum seminis inde napi.
Scordion ijs iungas, & odoribus inclyta semper
Balsama, qui syrio mittitur orbe liquor.
Tum quæ suspendas æquata cinnama lance
Conijce, & agarici par quoq; pondus eat.
Hinc superest myrrhā, costūq;, specuq; reuulsum
Corycio, fragrans imposuisse crocum.

A Et casiæ calamos, & quam tulit India nardum,
Teq; Arabi schœnum gloria prima soli.
Inde nigrum piper atq; album, thurisq; nitorem
Diuite quod felix rure Sabæus alit.
Nec tu Dictamnum, nec tu quoq; Pontica rheon
Defueris, stœchas, marrubiumq; uirens.
Atq; apium petris quod nasceris, & calaminthe,
Afraq; lachrymulæ nec terebinthe tuæ.
Nec folijs gramen quinis, nec zingiber ardens:
Singula sed drachmas sex tibi quæq; trahant.
His etiam polium drachmis se quatuor addet,
Addet se polio proxima pinus humi.
Cumq; racemifero celtarum nardus amomo,
Et styracis lentor, feruidaq; herba meon.
Atq; humilis quercus semen, Pontoq; petita
B Phu, quibus accedet lemnia terra comes.
Necnon malabathri folium, miscebis & assam
Chalcitim, fibris non sine gentiadis.
Inde tenax gummi, pressaq; hypocystide succus
Adsit, & hinc fructus balsame parue tui.
His etiam anisum, seselimq; his iungere mollem,
His cardamomum, fœniculumq; uelis.
Atq; atram lacrymam, Nili quam spina remittit.
Quæq; suo thlapsis semine nomen habet.
Hypericon rursum, pallens miscebis & ammi,
Nec drachmis totidem plus sagapenus eat.
Pondere dimidio tum quos sibi Castor ad Istrum
Ore secat, testes imposuisse decet.
Quis nec aristolochi radix, siccumq; bitumen,
Candida nec desint semina dauce tua.
C Deniq; cum panacis succum, centaurion atq;
Addideris, finem chalbanus ipsa dabit.
Antiquo primum solues tamen omnia uino,
Humida quæ fuerint, ut liquor & lacrymæ.
Tum quæ sicca uides postquam cōtusa minutim
Cecropio pariter iungere melle uelis.
Hæc qui nos primus docuisti maxime Pæan
Adsis, seu Triccæ te iuga summa iuuant,
Seu Burrina magis, Rhodos, aut Epidauria tel-
Adsis, & regi fer tua dona meo. (lus,
Stirpe tua natam Panaceam, namq; salutem
Ille datam puro semper honore colet.

ANDROMACHI IVNIORIS THE-
riaca è uiperis Galene dicta.

D 18 Hæc quæ senior Andromachus de theriaca conscripsit, Andromachus filius in eo libro cui titulus est De medicinis intrò assumendis, his uerbis explicat, non tamen equestri, ut pater, sed pedestri utitur oratione. Antidotus Galene, id est, tranquilla cognominata, ad omnem malam internamq; corporis affectionem, præcipueq; ad uentriculi uitia & uenena, febresq; per circuitum inuadentes. Habet autem pastillorum scillicorum drach. xxxxviij. pastillorum theriacalium, spissamenti hedychroi, piperis nigri, opij, singulorum drach. xxiiij. rosarum siccarum, scordij cretici, seminis napi, iridis illyricæ, agarici pontici, cinnamomi, succi radicis dulcis, opobalsami, singulorum drach. xij. myrrhæ, croci, zingiberis, rhei pontici, radicum quinq; folij, nepitæ, quam

A Græci calaminthen uocant, marrubij, petroselini, stœchadis, costi, piperis lõgi et albi, dictamni, florum iunci, rotun. odorati, thuris, terebinthinæ, casiæ fistulæ, nardi indicæ, singulorum drachmas vi. polij cretici, seseleos, styracis, thlaspeos, ameos, chamædryos, chamæpityos, succi hypocystidis, malabathri, nardi celticæ, radicum gentianæ, anisi, mei athamantici; seminis fœniculi; rubricæ lemniæ, chalcitidis ustæ, amomi, phu pontici, fructus balsami, hyperici, acaciæ, gummi, cardamomi, singulorum drachmas iiij. seminis dauci, chalbani, sagapeni, opopanacis, bituminis, castorij, centaurij tenuis, aristolochiæ tenuis, singulorum drach. ij. mellis attici drachmas noningentas sexaginta, uini drach. trecentas octoaginta quatuor.

B Hæc Andromachus iunior soluta oratione cum scribat, potest qui nõ intelligit, omnia quæ senex Andromachus elegiaco uersu tradidit, hinc ea conquirere. Quamobrem & nos eorum quæ obscurius ibi dicuntur expositionem omisimus, operis prolixitatem ueriti. Vnum tantũ demirati sumus, iuniorem Andromachum, dum connumeraret simplices medicinas, quæ antidotum hanc faciunt, in locum calamẽthi, nepitam retulisse, sic enim Romani calamenthum uocant. non decuit autem ipsum qui cætera Grȩca scribebat, hanc solam Romanã uocem Græcis uocabulis interponere. una autem in re tantũ hæc ab ea differt quæ carminibus descripta est, ꝙ illa piperis lõgi drac. xxiiij. nigri sex habet, hæc autem prosa oratione descripta nigri xxiiij. longi, vi. cõtinet. C Quoniam uero, ut dixi, multa exemplaria medicinarũ pondus mendosum habent, idcirco ipsum non notis, sed integris uocabulis primũ apposui; Menecratis iudicium hac in parte secutus. Deinde etiã per uersus metrice expressum. Verũ quia Andromachi uersus obscuriores uidebantur, Damocratis iambos eam et de re aperte admodum cõscriptos subiungere decreui. uerum hoc paulo post fiet. in præsentia namq;, quoniam ex simplicibus medicamentis quæ huic antidoto imponunt, à nobis aliquot iam exposita sunt, reliqua deinceps subnectere melius esse uisum est.

Pastilli ex uiperis. Cap. 19

Viperas non, ut aliqui faciunt, æstate media, D neque statim ubi cauernas egressȩ fuerint, uenari conuenit: æstate siquidem earum carnes sitim excitãt, statimq; ab ingressu frigidȩ siccæ & extenuatæ sunt. Opportunum itaque tempus est quod ijs medium intercedit, quodq; Andromachus ipse significauit, quo tempore & qui Libero patri sacra faciunt, uiperas lacerant, uere quidem finiente, nondum tamen æstate incipiente. uel si uer quod ad magnam sui partem hyemale fuerit, circa principium æstatis, non multo post pleiadum ortum. Viperas autẽ quæ prȩgnantes sunt, reijcere oportet, aliarũ uero caput ac caudam abscindere, quæ partes uenenatæ etiam plus esse uidentur & asperæ, paucasq; carnes continere. Sufficiet autem in magnis uiperis si id quod utrinq; amputabimus, quatuor digitorum mensuram non excedat. His

peractis reliquum corpus intestinis exemptis pelleq; detracta aquis primo abluendum, atq; in uas fictile conijciendum est: deinde aqua pura superinfusã, & anetho quod tunc uiget, ollæ prunas ut coquatur subijciemus: uel arida ligna, quæ quod fumũ nõ emittãt, ἄκαπνα uocãt: uel quod melius adhuc est, uitium sarmenta. Salis autem si suo tempore uiperas ceperis, tantillum immittere oportet: sin æstate iam incipiente, nihil. omittere insuper eas conuenit quæ maritima loca quæue in aliqua salsa aquarum lacuna degũt. antidotus enim quæ eiusmodi uiperas acceperit, sitim excitabit. Viperas igitur cum ita coctȩ fuerint, ac si quis ipsas comedere uellet, ab iure primum eximemus. deinde illarũ carnes ita à spinis auellemus, ut spinam aliquam non accipiamus, auulsas carnes exquisite conteremus, & panis ex purissima farina, optimeq; confecti, qui prȩcipue & bene fermentatus sit, & in clibano, non in furno coctus, modicum quiddam admiscebimus. nonnulli tamen in commiscendo panem uiperis hanc mensuram seruandam prȩcipiũt, ut panis pondus uiperinarum carnium dimidio minus sit, alij ne tertiam partem excedat malũt. ego uerò quandoq; quartã, quandoq; & quintam panis imposui. Cȩterum nisi bene coctus fuerit, periculũ est ne acorem aliquem medicamento affricet. Melius est igitur panem hunc ita coctum per aliquot dies loco aliquo sicciori prius exiccasse. Verum cum uiperas & panem coniunxeris, diligenterq; adeò subegeris, ut nulla uiperinæ carnis particula non contusa remanserit, pastillos ex ea massa cõficito, qui tenues sint. nam crassi cum difficulter siccescere soleant, & carnem putrere, & panem acescere sinunt. quam ob rem panem quoque antè siccatum terere satius est, & non quemadmodum ante nos qui Cæsari theriacam faciebant, uiperarum iure maceratum: quam rem ipse quoq; diu feci, sed mihi postea melius esse uisum est, panem antea contritum, uiperarum carnibus exactè iam subactis admiscere. citius namq; pastilli siccantur qui siccum panem non madidum acceperint. sit autem cella in qua pastillos siccabis, in superiori domus parte ad meridiem cõuersa; uel saltẽ ad septentrionem non respiciat, ut solis radios tota penè die accipiat. tali enim in loco cõmode siccescẽt, statim à cõpositione ibi collocati, quò solares radij peruenire non possunt. frequenter autem ipsos conuertere opus erit, ut æqualiter utraque ex parte siccescant, quod facere si quis omiserit, superior quidẽ pars celeriter arescet, inferior autem humida diutius permanebit, periculumq; erit ne marcescant. postea uerò quàm exiccati fuerint, maneant adhuc aliquot diebus eadem in cella longius quàm prius à solis radijs, sȩpeq; denuo cõuertantur. sufficient aũt ad hæc omnia quindecim dies ad summũ, post quod tempus donec theriacã conficere uolueris, recõdi debẽt in uase stanneo, aut uitreo, aut etiam aureo. uitro siquidem & auro nihil fraudulenter admisceri potest. stannum autem plumbo adulteratur, quod uitare conueniet, nõ solum

in hac antidoto, sed & in quibuscunq; alijs medicinis, quemadmodum & argẽtum si purum non fuerit. Vasa namque ex eo fabricata celerrime rubiginem contrahũt. purum autem argentum Romani candidum uocant. Cæterum longe melius est haud multo postquam pastillos confeceris, ipsis uti: quanquam non multum detrimenti capiunt, etiam si peracto anno, atq; etiam multo post eis utaris. Recte namq; à principio siccati, ad tertium quartumq; annum integri perseuerãt, dummodo tamen apte reponantur, & subinde puluisculus quidam qui ipsis obnasci consueuit, mundis mantilibus interdum abstergatur. Is namque si diutius inhæreat, pastillos perforabit. perspicuum est autem inutiles eos tum deniq; reddi, cum perforati fuerint. quemadmodũ antea quàm hoc accidat, etiã si multum tempus intercesserit, non inutiles esse. A B

Pastillorum scilliticorum compositio. Cap. 20

Siue scilliticos, siue scillinos quis appellare uelit, cõfectos è scilla pastillos, rotulas ue, aut orbes, nihil refert. neq; enim medicamento quicquam officit, quomodolibet inditum nomen: modo errorem aliquem in eorum compositione non admittas. quod ne contingat, ego tibi eam dilucide nũc explicabo. principio scillã probe coaltam ac plenã de terra euelles, cuius folia penitus iã & scapus aruerint. huic deinde cortice detracto duriorem pulticulã induces ex tritico nouo, quãtumq; fieri potest exquisito confectã, ipsam postea multo calidoq; cineri subiectam non prius extrahes, quoadusque circumposita pulticula crusta planè fiat. quòd si ubi hæc agis furnus aliquis adsit, unà cum pane scillam illuc inferre potes, inde cum obducta puls iam exaruit, ipsam extrahes, & conteres. satis assam uerò scillam intelliges, si festucam immissam admiserit. scilla namq; cum bene tosta est, surculos facile excipit. ubi uero scillã diligenter attriueris, candidam erui farinã admisce: nam quæ candida non est, amara supra modum est. Cognitum autem unicuiq; existimo prius oportere tenui cribro farinã excutere, ac præterea diligenter eã leuigare. scilla uero sesquipondere farinam superet opus est: dico autem sesquipondere, ut si duas farinæ partes, scillæ tres accipias. quam rem cum & Andromachus iunior asserat, nescio qua ratione ductus uelit erui farinam drach. octuaginta esse, scillam uero centũ uiginti, cum satis sit dicere, scilla eruũ sesquipondere superet. postremo uero simulatq; rotulas tenues ex hac mistura conformaueris in cella, sicuti paulo ante dicebamus, ad meridiem uergente repones, quas tamen non in solis radijs collocabis. uerũ sicut de pastillis uiperæ dictum est, ita in his quoq; cætera perage. C D

Magmatis hedychroi compositio. Cap. 21

Cum superius theriacam Andromachus conficere nos doceret, quomodo uiperini scilliticiq; pastilli conficerentur, ipse quidem satis superq; exposuit: quo pacto autẽ Hedychroum magma componeremus, neq; Andromachus docuit, neque complures alij, qui tametsi de medicinarum compositione tractarent, tamen cum theriacam describerent, Hedychroi compositionem omiserunt, adeò ut medicus quidam Romæ qui theriacam conficere nunquam uiderat, ipsamq; se ex sola librorum lectione cõpositurum fidebat, ab unguentarijs Hedychroum peteret, existimans illud herbam esse quampiam, uel simplex aliquod aliud medicamentum. sed ego spissamentum hoc etiam indicabo, ab Andromacho in eos qui nunc quoq; Cæsari ipsum componunt, perpetua serie deriuatũ. quod ut ipsum quoq; peruerti non possit hexametro carmine subscribemus:

Magma quod Hedychroum læto dixere colore
Asphalathi drachmis, asariq;, mariq; duabus
Constat. nec plures attollit amaracus illis.
Tres calamus, late suaues qui spargit odores.
Tresq; Arabũ passim qui creuit iuncus in aruis,
Tres costum redolens. tres toto cognita Ponto
Phu, quibus æquale fragrãtia cinnama pondus,
Et lacrymę, et sarmẽta dabũt, quæ balsamus edit.
Rursus sex foliũ drachmas, sex indica nardus,
Sex casiæ calami, sex myrrhæ gutta leuabit,
Sexq; croci flores, bis sex attollet amomum.
Mastiche solidã tãtum trahet ultima drachmã.
Omnia tu uino simul hæc coniunge falerno.

Hæc ubi inter se miscueris, rotulas uiperinis et scilliticis similes figurabis, ipsasq; eodem modo exiccabis. Hæc autem Hedychroi magmatis conficiendi ratio, ueluti diximus, ab Andromacho per manus multorum ad nos usq; peruenit. Nam quas alij cõscripsere aliqua in re ab hac nostra differunt. quæ siquidem Hedychroi descriptiones ab eis traditæ sunt, qui medicamentorum experientiæ dant operam, rerum iniectarum pondere ab hac euariant, aliæ uero neq; marum neq; amaracum prorsus habent. quædam alterutrum tantum continent. neq; enim duo hæc unguentarij omnes noscunt, eo quòd herbas solum Creta aduectas emant, & earum semina atque succos. ego uero & has duas herbas scio in Asia nasci, ac in alijs quidem regionibus raras esse, sed in Cyzico frequentes. in Italia quoq;, ut & alias quasdã herbas, ita & amaracum uidi, quæ odore multũ à maro superatur. marũ enim ualde redolet, putaretq; forsan aliquis sola nominis appellatione ductus unguentum amaracinũ quod in Cyzico faciunt, amaraci plurimum capere, sicq; forsitan ab antiquis id unguentum conficiebatur. sed nũc solum marum imponunt. Hanc herbam aliquãdo cum ipse degustassem, ac eã amarã quidem plurimũ, sed acrem parum deprehendissem, hortatus sum quendã eorum qui amaracinum conficere solẽt, ut amaraci tantum immitteret, quantum & mari. uisumq; est mihi id unguentũ, minus quidem redolere, sed peius nihil operari. hæc itaque à nobis obiter dicta sint.

22 Nunc quo pacto antidotus hæc confici debeat, explicabimus, eo ordine singula quæq; imponenda commemorantes, quo suis in elegis Andromachus recensuit. Is enim rotularum scilliticarum drachmas octo et bis decem, rursusq; bis decem

decem imponi iubet, quod perinde est, ac si quadraginta octo diceret, harum dimidium, hoc est uigintiquatuor drachmas, theriacalium pastillorum, opij, piperis longi, & magmatis Hedychroi præcipit. ac de tribus quidẽ, iam dictum est. piper autem longum fraudulenter concinnatũ deprendes, si cũ aqua maceraueris. soluitur enim hoc pacto quod subornatum est. quod autem fraude caret, indissolutũ manet. est aũt id quo piper lõgum adulteratur, herba quædã fulua ab externis regionibus aduecta, quæ piperi lõgo, aspectu quidem proxima, nõ tamẽ gustu similis est, quo etiã ab eo distingui facillime potest. Sagapenum quoq; quod uocant & ipsum in aqua seu uino dimissum cognoscit, uerum namq; statim dissoluitur. quod autem tale nõ fuerit, indissolutum manet, siue autem quispiam ut neutrum nomen sagapenum, siue ut masculinum, proferat, & totum hoc sagapenum succum intelligat: (est enim reuera succus ferulæ cuiusdã panaci similis) nihil refert. cæterum panacis succus simile quicq; non habet chalbani particulæ cuidam albiori. nam chalbani pars quædam re uera in sagapenum transit, quæ spumosa & leuis est. quædã uero chalbanum optimum est sagapeno æmulum. densum autem hoc est, & reliquo chalbano longe magis compactum, quo uti debemus, ceu optima chalbani particula. quoniã uero ad sagapenum ex chalbano trãsire diximus quodcunq; spumeum constans & album est, humoriq; immissum facile diluit, superioribus quædam adhuc subiungere opus est: præsertim cũ ob similitudinẽ optima casia cinnamomum euadat. uidimus enim alias frequenter casiæ elatæ, & auctæ tantum, ut fruticis magnitudinem æquaret, ramos quosdam cinnamomo penitus similes aspectu, corticis tenuitate, et preterea hisce signis quę cinnamomum certissime ostendũt, ac gustu olfactuq; percipiuntur. ad hunc modum & in optima myrrha opocarpasum reperit, quod tamen à myrrha differt. atq; secundum hæc tria, sagapenum dico, opocarpasum, & cinnamomum quædam proueniunt. quæ neq; chalbanũ, neq; casia, neq; myrrha quidem amplius sunt. nondum tamen sagapeni, cinnamomiue, aut opocarpasi naturã exacte consecuta. quamobrem sępenumero perspexerit oportet, qui similia internoscere ac secernere cupit. nam quemadmodũ gemellos atq; consimiles inter se fratres qui consuetudinem cum ipsis non habent, distinguere nesciunt: quod tamen contubernalibus facillimum est. sic in omnibus medicinis qui inter ipsas enutritus fuerit, & eas frequenter aspexerit, facillime illarum diuersitates uel minimas etiam inueniet atq; comprehẽdet. at qui semel tantum aut bis inspexerit, eas tanq; indistinctas intuetur, neq; unam ab alia internoscere ualet. cum tamen signa quibus distinguantur manifestissima nonnunq; habeãt, illi usq; adeo exposita qui sæpenumero cõspexerit, ut per unũ eorum facile quamq; medicinam agnoscat. sagapenum itaq; è chalbano confectum eundem odorem nõ habet, quem uerum sagapenum possidet. nam id

A odoris genus quod harum rerum periti hircinum appellant, sumptum è chalbano sagapenum non deponit. quanq; inter uerũ sagapenũ, & eiusmodi chalbanum non multum intersit, etiam si quis antidotos cõponat. ambo namq; ad id apta sunt, & serpentibus ac uenenis ambo aduersantur, & si chalbanũ sagapeno minus. At opocarpasum exitiale est, multosq; nos sorte quadã nouimus nostræ in ætatis decursu mortuos esse, q myrrhã cui opocarpasum admistũ esse nesciebant, assumpsissent. de industria namq; qui antidotos cõficiunt, tanq; optimam talem myrrham imponebant, eo q uiderãt ipsam in collirijs optimam fuisse medicinam. nempe saniem absq; mordicatione extenuat, & interdum incipientes oculorum suffusiones & adhuc tenues aufert. atq; siue in emplastrũ,

B siue in ceratum, siue in extenuans aliquod medicamentum foris imponendum talem myrrhã cõijcies, remedij uim augebis. at intra corpus assumpta exitium affert. hæc uberius ideo narrauimus, non solum quia orationis series ita expostularet, sed etiã quia hæc nosse plurimũ cõducit. Verum iam tẽpus est, redeamus ad ea consideranda quæ sunt in tertium ordinem simpliciũ medicinarum ab Andromacho relata, inquit enim: Inde quater ternas mutato pondere drachmas. Hæc igit quo tempore uigent, proculdubio colliges. rosas primum ut de pastillis dictum est, exiccabis, illas decerpens, quæ plus alijs bene olebunt, & rubicundiores fuerint. uitabis aũt cellas subterraneas, nec

C ullum medicamẽtum in ipsis repones, præsertim uero in humidis, in quibus recondita celeriter cariosa fiunt.

23 Rosis Andromachus iridem illyricam adiungit, quæ uerba non tanquam inaniter prolata negligenter excipienda sunt: ueluti nec cum alijs medicinis patriæ nomen apponit, de quibus paulo post edisserẽs quid quoq; in genere optimum sit demonstrabimus. polium ergo & chamædrys, duo hæc Romam afferũtur, natis in Italia parum meliora. in aliquot siquidẽ Italiæ locis, haud multum deteriora proueniunt illis annis quo uniuersum uer humidum non fuerit, sed sicuti sæpe contingit æstiuo tempori simile. quòd si ueris cõstitutio siccior obuenerit, multa quæ in Italia nascunt

D pluribus Creta allatis paria erunt, ueluti chamædrys, chamæpitys, hypericon, gentiana, thlaspis, elleborus niger, & id genus alia. at uero quod ad iridem pertinet, secus se res habet. si enim iris Lybica quæ plurima ex Africa Romam affertur, illyricæ comparetur, tantum ipsi cedet, quantum cadauer uiuo corpori, non tamen alijs in gentibus orta tam multum ab illyrica degenerare iris uidetur. iridem igitur uelut & reliquas medicinas odoratiorem semper eligito. unumquodq; enim optimũ est, quod sui generis odorem uehemẽtiorem habet. is autem ex multorum inspectione manifestus unicuiq; fit. ac de gustu quidẽ perceptis qualitatibus eodẽ modo censendum est. id enim optimum medicamẽtum esse constat, in quo id quod suo generi proprium est, exuperat. pessimum uero quod

ro quod sui generis aliis & tenuius & exilius est. meliora namque sunt omni in specie, quæcunque nec rugosa, nec exilia fuerint, uelut etiã quæ cõueniẽte sibi magnitudinẽ excessere, peiora sunt iis quæ bene quidem nutrita, sed tamen astrictiora sunt. quam ob rem ut dixi, medicinas simplices multas & sæpius inspexisse operæpretiũ est, & maxime optimas quæ longo iam tempore sui experientiã ipsis nascẽdi initiis præbuere, quæque uno ore à peritis medicæ materiæ auctoribus cõmendant. omnes igitur herbarii unanimes scripserũt, iridem in Illyrio natam, optimam esse. petroselinum uero, quod in Macedonia prouenit. Bitumen è Iudæa aduectum, item & opobalsamũ. idẽ & in reliquis fecerunt, quorũ dotes à regionibus acceptas cum priuatim de unoquoque loquemur, nõ omittemus.

24. Subiũgit deinde radicis dulcis succũ & agrestis napi semen, quæ duo, nobis è Creta quam optima afferuntur, præcipueque radix dulcis & ipsa & eius succus. Scordiũ quoque pulcherrimũ Creta mittit. quanquam in aliis regionibus etiã minime contemnẽdum scordiũ reperias. Literarum quippe monumẽtis traditũ est à quibusdã celebribus uiris, cũ in prælio interemptorum cadauera multos dies insepulta iacuissent, quæcunque supra scordion forte fortuna ceciderant, multo minus aliis computruisse, ea præsertim ex parte qua herbã attigerant. ob quam rem sanè persuasum est omnibus tam reptilium uenenis quam noxiis medicaminibus quæ corpus putrescere faciunt, scordium aduersari. Ac de omni quidẽ medica materia satis superque est à Dioscoride quinque libris disputatum, à quo discere licet, unicuique cũ alias omnes notas, tum gustu olfactuque perceptas, quibus probatæ medicinæ, certissime cognosci, & ab improbatis secerni queunt. in quibusdam uero oculis quoque perceptæ qualitates haud parũ utilitatis afferunt. sed consilium meum non est quæ ab aliis rectè cõscripta sunt, hoc in opus transferre: uerum quæ illi plane omiserunt in medium adducere.

25 Meminit postmodum Andromachus cinnamomi & opobalsami, in quib. post notas à Dioscoride traditas præcipuum illud est uidere prius ipsa, quibus in locis optima nascuntur. quemadmodum ego feci, qui sciẽs balsamum usqueadeo pluribus artibus adulterari, ut internosci uix queat, ipsum ex arbore sua resudantẽ aspicere uolui, & ex eo particulam tanquam regulam cæteris agnoscẽdis apud me semper habere. didici quoque quo pacto multis modis adulteratum peritissimos etiam quosque falleret. quam rem qui sciunt diuulgare non consulo, ne obiter improbi fraudes discant, & in malos usus conuertant. nam neque illos approbo qui noxias medicinas describunt, & publicãt. si quis igitur probationes à Dioscoride scriptas, & ab aliis quicunque de omni medicamentorum materia docuerũt, agnoscendis simplicibus medicinis admoueat, ipseque suum ex multa inspectione collectum iudicium adhibeat, exactè quæcunque secerni possunt distinguet. quædam enim, ut dixi, uel nullatenus, uel non exactè ab adulteris secerni queunt, usqueadeo falsis uera sunt utrorumque confusa indicia: ueluti de quo nunc loquimur opobalsami.

26 De cinnamomo uero contraria iis quæ de opobalsamo narrauimus, cõpertum habeo. persuasum namque mihi est ipsum cognitu facillimum ex omnibus esse illis qui sæpe optimum cinnamomum uiderint. optimum uero consequi nemo potest, nisi repositum ab imperatoribus intueatur, sex generibus quodammodo distributum. siquidem & in hoc ipso uelut & in casia optimi ad deterrimum tam magna differentia est, ut suprema casia ab infimo cinnamomo parũ distet. neque uero cinnamomi uirtus ad usum apta longo tempore durat. ad triginta siquidem annos quam à principio uim habuit, integram non cõseruat. nugantur enim qui cinnamomũ ex hisce medicinis esse dicunt, quæ senectutem non sentiant. Atqui ego non centum neque ducentũm annorum interuetu, sed pauciorum si quis ad tãtum numerum conferat, uetustius factum obseruaui: quo tẽpore siquidem Antonino imperatori theriacã paraui, uasa lignea in quibus eiusdem generis cinnamomum inerat, multa conspexi: alia Traiani, quædam Adriani, nonnulla Antonini, qui post Adrianũ imperator fuit, ætate reposita, omniaque hæc sese & saporis, & odoris imbecillitate uehemẽtiaque tãtum plane superabant, quantũ & tempore differebãt. olim è barbarorũ terris arca cubitos quatuor & medium longa Romam perlata cũ fuisset, in qua cinnamomi primi generis integra arbor erat, ex eoque M. Antonino imperatori antidotũ quãdam cõposuissem, ipsam cæteris multum præstare deprehendi, adeo ut imperator quoque ea degustata medicinæ concoctionẽ, uelut in aliis fieri solet, expectare noluerit: sed statim ea usus sit nõdum integre duobus mẽsibus elapsis. Antonino subsecutus est Commodus, qui nec theriacæ, nec cinnamomi curam ullam habuit, sub quo nõ solum arboris illius quod superfuerat omne dissipatum est, uerum etiam quodcunque post Adriani tempora comportatum fuerat, quo factũ est, ut nunc imperator noster Seuerus cũ me sibi theriacã eo modo conficere iussisset, quo M. Antonino confeceram, ex cinnamomo Traiani & Adriani tempore reposito sumere coactus sim, imbecilliusque planè mihi uisum est, & tamẽ nondũ anni triginta intercesserãt. Hic nos optimi cinnamomi notas quasdam necessarias subiicere uolumus. summopere ipsum bene olere, inexplicabileque præ cæteris bonum quendã odorem spirare, ac calidum gustantibus se multum exhibere. non ita tamẽ ut mordicando tristitiem palato inferat. colorem denique talem habere, qualem si quis lacti fuscum colorem admisceat, atque cœrulei quem uocant aliquantulum addat. ex hoc igitur quantum uolebã, ut mos mihi fuit, cum accepissem, ramusculos aliquot apud me deposui, in ea apotheca in qua res meas omes pretiosas seruabam. uerum ipsa combusta, qua tempestate & templum Pacis incẽsum est, & hæc & aliæ quinque cinnamomi species quas mihi

conquisieram periere. Nunc itaq; cum imperato
ri nostro Seuero theriacam componerem ex cin-
namomo Adriani tẽpore posito quod optimum
uisum est elegi, de quo etiam utile quiddam lectu
ris subdere, cum possim, id facere non grauabor.
supersunt adhuc ibi multa uasa lignea quæ uarias
cinnamomi species continent, quarum nulla ta-
men ueluti truncus in ramos plures diuisus mul-
tum attollitur, sed ellebori figuram præ se fert. im
mo uero damasonij quod è Creta ad nos affertur.
quæuis autem cinnamomi species ab una radice
ceu frutex quidã paruus consurgit, emittitq; hæc
sex, illa septem uirgulta, uel paulo plura pauciora
ue: non æquali tamen omnia longitudine sunt, ue
rum quod maximũ est, pedis Romani dimidium
non excedit. uniuersa autem cinnamomi natura
similis est quodammodo optimæ casiæ, quam qui
afferunt barbari bissyllabo nomine uocant, cuius
prima g et i constat, secunda z et i continet. Ac de
cinnamomo quidem hactenus.
27 Agaricum sequitur, quod fraudem nullam
admittit, de quo illud modo dicere sufficiet, quod
est ab autoribus ante nos proditũ, optimum id a-
garicũ esse quod leuissimũ esset, dẽsum uero, gra
ue, & lignosum, abiectum. quod aũt inter hæc me
dium est quantum signis tantum & uirtute ab u-
trisq; distabit. subscripta sunt deinde myrrha et co
stus, nequaq; cognitu difficilia hisce qui prius u-
traq; uiderint, nouisse tamen opus est myrrham
quam troglodyticã appellant, antidotis idoneam
esse. hanc quidẽ minæam uocãt, à loco in quo op-
timam nasci ferunt, maxime uero hæc bene olet,
& ut modo dicebamus, opocarpasi quicquam ad
mistum nõ habet. crocum uero coryciũ cum om-
nis antiquitas, tum poetæ quoq; laudant. ego ue-
ro & antrum Coryciũ in quo gignitur, & crocum
ipsum accuratius inspexi, uegetum quidem nõ ta
mẽ odoris magnitudine uel diuturnitate cunctos
alios excedentem. quibus signis & uos optimum
ab ignauo dijudicare consulo, non autem quia su
pra modum uegetum sit ac plenum. perspicuum
est autem optimum crocũ summe flauum & plu-
rimum redolens esse ac longo tẽpore utraq; hæc
seruare. quoniam uero crocum quoq; adulterari
à quibusdam solet, neq; facile id deprehenditur,
nisi ab his qui sæpe optimum inspexerunt, satius
esse duco crocũ multum ante emptũ aliqua in do
mus cella, ad id apta repositum habeamus. quem
admodum paulo ante faciendum docuimus: ma-
gnum siquidem probitatis indiciũ est, si tale per-
maneat quale repositũ fuit. adulterati namq; cro-
ci tam color quàm odor citissime aboletur.
28 Quod ad casiam uero attinet ea me cõme-
morare nunc opus est, quæ in multis de medicina
libris scripta sunt, duplum casiæ si quis cinnamo-
mo egeat inijciendũ. Hoc dictũ irridens Satyrus
magister meus unã ex Quinti facetijs ipsum esse
dicebat asseuerãtis eos qui duplũ casiæ imponere
iubent, si cinnamomo careamus, similia illis face-
re, qui nos cẽsent quãdo falerno caruerimus, illius
quod in cauponis uendĩt duplicata mẽsura bibe
A re, sicq; panis siligineus desit, furfuracei duplũ cõ-
medere. mihi uero hæc Quinti facetia si de re una
quapiã qua per se sola uti uelimus afferaẽ, uera ir-
reprehensibilisq; uidetur: sin de re quæ in societa
tem multorum ueniat, nõ est eodem pacto uera.
nam cuiuscunq; quod solũ corpori admoueri de-
bet, rhus puta, absinthium, iris, gẽtiana, uel id gẽ-
nus alia aliqua medicina: si quis minus boni du-
plum loco præstantissimi accipiat, & corpori uel
extra uel intra admoueat, duplicato etiam noce-
bit: at si multis unum aliquod optimum commi-
scendum fuerit, quod se aucturum aliorum uires
spondeat, si præstãtissimum desit, peius nihil erit
uti duplo illius qui proprietates eiusdem generis
habeat, etiã si deterius hoc illo uideatur. Casia si-
B quidẽ cinnamomo genere proxima usqueadeo
est, ut ex ipsa quandoque cinnamomum oriatur,
spectenturq; nonnunq; casiæ arbores integræ, in
quibus aliqua cinnamomi uirgulta è casiæ ramis
prodeant, simileq; istud est, non uino aut pani, si-
cuti Quintus dicebat: sed uitæ functionibus in ex
truẽda domo, in fabricãda naui, in tollẽdis et trãs
ponẽdis oneribus, in omĩbus deniq; uitæ actioni
bus, in quib. quod peragẽdũ erat ab uno homine
robusto, si absit, à duobus imbecillioribus perficit.
Hæc aduersus Quinti dictũ obiecta sint, eo q mi
hi reijciendum omnino non uidetur eorum præ-
ceptum, qui pro cinnamomo duplum casiæ impo
nendum censent, quanquã ego semper cinnamo
mum imposuerim. nam quibus ego Romæ anti-
C dotos composui, cum uel imperatorum amici uel
diuites essent, facile fuit illis quidem à regibus pe
tere, ijs uero cinnamomum emere. Quibus illud
etiam addidisse quãdo imperatoribus antidotos
composui, me cinnamomo nunquam eguisse, su-
peruacaneum planè fuerit. at Quinti sententiam
quam de carpesio habuit, commemorare tempe-
stiuum est. ipsam namq; nõ solum à Satyro, sed ab
alijs etiã Quinti discipulis accepi. imponebat igi-
tur Quintus, ut aiunt, quoties cinnamomum dee
rat carpesium. perinde atq; uiribus optimæ casiæ
non inferius: egoq; carpesium idcirco multum
mecum attuli ex ea peregrinatione, qua orientis
prouincias adij, diligenterq; repositum nunc usq;
plurimum seruo, quod odorẽ etiamnum & sapo-
D rem si non qualem prius habebat, certe nondum
extenuatum retinet. Est autem carpesium herba
phu appellato genere similis, ualidior tamen atq;
aromaticum quiddam plus spirans. plurimũ hæc
in Sida urbe Pãphyliæ nascitur, emiturq; propte-
rea illic uilissimo pretio. quocirca si quis uestrum
illuc accesserit carpesii multum emat, cum id si-
bi longo tempore duraturum nouerit. tenuia au-
tem quædam carpesii sarmẽta cinnamomi uirgul
tis similia sunt, eius duo genera reperiũtur. unum
quod laertium, alterum quod ponticum nomina
tur, à monte in quo nascuntur utraq; nomen ade-
pta: sed ponticum melius est, quod cũ plurimum
haberẽ permultis medicamentis admiscui, in qui
bus phu uocata imponi debuerat. Est enim carpe
sium, ut dixi, phu simile ualidius tamen, & quali-
tatem

tatem quandam aromaticam, gustatum, odoratumque remittens. inter tam multa autẽ quæ de casia retulimus, necessum est illud etiam in primis explicemus, quæ casia theriacæ inijcieda sit. nam gizi nuncupatam præcipue laudant, secundo autem loco moto dictam. sunt & qui arebo daphnitenque probent. cæterũ gizi, quam uocant in omnibus cinnamomo similẽ esse superius quoque diximus. hæc est quæ ab aromatum peritis perinde atque cinnamomũ assidue uenditur. quanquã Andromachus iunior casiam à quibusdã fistulam appellatam imponendam arbitratur: hæc omnibus cognita est. nam & uilius cæteris uenditur, cuius exterior cortex fistula appellatus, quia obuolutus ipsam repræsentet, saporẽ & odorẽ ualidũ habet. interior autẽ pars debilis adeo est, ut nullum usum præstet. in carminib. itaque patris paulo ante à me transcriptis casiæ nomen absolute pronunciatum est. in soluta uero filij oratione fistulæ nomen casiæ adiectum est. atque ab eo series per eos qui ante nos theriacam imperatoribus cõposuerunt, in nos usque deriuata fistulæ nomẽ nunc usque appositum seruat.

29 Iubet deinde Andromachus indicam nardum imponere, quam ex eo quia spicæ figurã imitetur, nardi spicam nominãt, quamuis radix sit: in qua cauisse oportet, ne quis elutã uocatam nobis uendat. est autẽ hæc nardus quæ prius ab unguentorum structoribus in ipsorum coctura elixata, ut ipsorum mos est integra uenditur. quam ob rem ompham barbara uoce dictam emere conuenit, cuius radici terra adhuc adnexa si contrectetur, nardi odorẽ habet. Schœnũ, id est iuncũ ex Arabia petitũ, ad hæc idẽ imponere autor præcipit, nescio qua de causa, schœnantũ, id est iũci florem à uulgaribus appellatum. nobis siquidem cũ florum copia non adsit, iunco utimur ex Arabia cõportato, cuius summitatem cameli sæpenumero abroserũt. iucũdissime namque hunc iuncũ cameli pascũtur, secus uias ibi plurimũ nascẽtem. est autẽ iũcus iste exigui pretij medicina, solaque odoris integritate dijudicãda: quoniã celeriter ipsius odor expirat. Subscribit postmodum Andromachus, Inde nigrũ coniunge piper, thurisque nitorẽ, quo in loco non opus est, inquiramus quid nitor sit, perinde atque cuiuspiam alterius medicinæ nomen, cum & ex theriacæ descriptione prosa oratione ab Andromacho iuniore prodita: & ex cõpositionis instituto, quod ab eo ad nos usque peruenit medicamenti nomen nitor non sit. & ea omnia quæ sex drachmarum pondere hoc pharmacum recipit, consone tum seniori, tum iuniori Andromacho sint relata, & omnino nihil extra illa additum sit, ad quod Aglaiæ nomen referendum quis putet, ut fortasis Aglaiam epitheton thuris, elegiæ autori apponere uisum fuerit. Meminit deinde piperis nigri, dictamni, marrubij, rhei, rerum omnibus cognitarum, theriacæ tamen descriptio quæ nobis per manus tradita est, graue piperi adiectũ habet. magnitudine uero piper hoc aliud superat, corticemque subtiliorem & minus rugosum habet. In rheo quoque fraus cõmittitur. nã quibus in locis nascitur, simul atque euulsum est, ipsum elixant, quò succum remittat, ac tam succum ut sincerum & aquæ impermistum, quàm rheum exsiccatum ut non elixum ad nos postea mittũt. quam ob rem scientia opus est, uerum ab adulterino secernendi, quam facillime consequuntur, qui per se naturale rheum aliquando uiderint. nã elixi pars quæ sub aspectũ uenit, densa per totum & compacta non est, sed rarior & gustu tentatum saporem adstringẽtem, uel nullum uel obscurum remittit. cum tamen si adulteratũ non sit, uehemẽter adstringat, cito tamen & ipsum foraminosum efficitur. Stœchas autẽ multa pluribus in locis prouenit. plurima uero in Creta et insulis Stœchadibus quę in Ibero mari sitę sunt. unde & Stœchadi nomen deductum est. quæ autem in prædictis insulis oritur, uegetior Cretica & melior est.

30 Quod ad petroselinũ attinet, laudatissimũ macedonicum est omnibus cognitũ. hoc estreaticum etiã quidã appellant, à loco in quo nascitur nomẽ imponentes, uerũ exiguũ est prorsus quod ibi prouenit, cum & præruptus & angustus is locus sit. estreaticum itaque, seu Macedonicum hoc quod in omnes gentes affertur, paucum & ipsum in Macedonia gignitur. sed idẽ in petroselino macedonico accidit, quod in attico melle & uino falerno contingit. mercatores siquidem in uniuersa ferme orbis terrarum oppida, ut mel atticum, uinũ falernum, sic petroselinum Macedonicum aduehunt. cũ tamẽ in Macedonia petroselini tãtum non oriatur quantũ populis omnib. satis esse queat. uerum in Epiro petroselini multũ gignitur, in Cycladibus mellis plurimũ. atque ut mel ex insulis Athenas afferẽ, sic petroselinũ ex Epiro in Macedoniam cõportatur, plurimumque, immò penè totum Thessalonicam. unde tanque Macedonicum quocunque asportatur. idem in uino falerno cõtingit. nam cum in exiguo quodam Italiæ agro falernum proueniat, complura alia uina in falerni speciem à uini magistris concinnantur. quæ perinde atque falernina in omẽs prouincias imperio Romano subiectas exportanẽ. tibi uero si petroselinum estreaticum quãdoque deerit, ne peiorẽ existimes theriacam futuram si aliud imposueris. non enim uelut mortiferis uenenis, & uenenũ eiaculãtium bestiarũ plagis cõducens inijcit, sed ad imbecillẽ stomachũ, & hydropicos, & alios huiusmodi affectus, quos in primis sanare theriaca nõ promittit. adhæc estreaticũ petroselinũ amarã etiã plus theriacã facit. præsertim cum recens adhuc imponiẽ. nã ut acrimonia, sic amaritudine hoc alia superat.

Resinã postea terebinthinã addit, quã nescio cur Andromachus omissa chia libycã esse uoluerit. Chiã namque penè omnes meliorẽ iudicarunt: quanque laudo & Libycã si bona sit: sed proculdubio bona semper nõ est, quẽadmodũ quæ è Chio uenit. nasciẽ quoque et in Ponto, et in alijs aliquot locis optima terebinthina: uerũ chia reliquas & odore & sapore uincit. Retulit subinde inter cõponentia theriacam Andromachus zingiberẽ & penta-

pentaphyllum, hoc est quinquefolium herbam, quæ duo fraudem non admittunt, & ab omnibus cognoscuntur. meminit ab his polij quod omnibus cognitum est, nec simile sibi quo adulterari posit quicq; habẽs. deinde chamæpityos de qua illud tantum referã, multis in locis & odore & sapore præstantiorem chamæpityn gigni, quàm in Creta. nobis eñ inde affertur, eaq; omnes qui Cæsari antidotos conficiunt, utuntur. Romæ siquidem in suburbanis prædijs & chamępityn, & chamędryn reperi multo plus redolentes quàm Creta aduectas, si tamen continuis imbribus obrutæ non fuerint. Illud hoc loco non ignorare nos conuenit, cum Creta nobis herbæ afferuntur chartis obuolutæ, in quibus earum nomen scriptum est, quædã inuolucra solummodo inclusæ herbæ nomen inscriptum habere. quædam uero preter herbæ nomen campestris quoq; uocabulũ additum continere, ac campestrem quidem generosiorem inuenies, etiamsi in planis locis herbæ fermè omnes imbecilliores proueniunt.

31 Manifestũ insuper est, styracem qui in calamis è Pamphylia apportatur Andromachũ præcipere. perexiguus autẽ illic styrax nascitur, tantũq; ab hoc uulgari distat, quantum à uino quod in tabernis uendit̃ falernum. accipere uero styracẽ oportet maxime pallidũ, quem & odorem & sapore quoq; uehemẽtissimum habere perspicuũ est.

Nardum ab hoc Andromachus cõmemorat, quemadmodum ipse scribit ex Gallia petitã, quã regionem orbis terrarũ periti Celticam frequẽter appellant. tria namq; nullo discrimine unius gentis uocabula sunt, & eos populos aliqui Galatas, aliqui Gallos, quidam Celtas nominant, sed usitatius apud eruditos Celtarum nomen legimus. De reliquis autem deinceps ab Andromacho cõscriptis, partim alibi est à nobis in superioribus libris disputatum, ueluti de lemnia terra, & rubrica: nã terram potius ipsam quàm rubricã appellare conuenit. est enim lemnia rubrica res alia quædam in Lemno nascẽs, ad alios usus apta, non ad quos lemnium sigillum quod uocant, sed de hoc quoq; sicut etiam de reliquis à nobis est in libris De simplici medicina disceptatum. partim uero sunt medicis omnibus cognita, nec fraudes ullas admittunt, eorumq; nonnulla sunt in theriaca pedestri oratione conscripta, dilucidius explicata, ueluti illud, Atq; atram lachrymam Nili quam spina remittit. Acaciam nãq; ex Aegyptia spina collectã Andromachus significat. hoc loco unũ hoc prætermittere non possum. utũtur omnes ferè thlaspi, q̃ è Creta affertur, aut ubiq; nascitur, colore inter luteum & flauum medium, figura rotundũ, exiguum adeo ut multoties grano milij cedat. melius est autem è Cappadocia comportatum thlaspi imponamus. hoc ad nigredinem quamplurimũ inclinat, figuramq; non exacte rotundam habet, & ante dictum magnitudine permultum superat, atque ab uno latere paruam quandam ueluti compressionem præ se fert, unde & nomẽ obtinuit. prouenit autem ut hoc, sic & illud in Cappadocia quamplurimum. ideoq; non absolute quod inde asportatur optimum cẽsendum est, sed quod peculiariter in Sauro nascitur, nec Cretico, nec passim nascenti simile. Si quid adhuc aliud superest, quod minus dilucide sit ab Andromacho patre elegiaco uersu dictũ, planum fiet theriacam legentibus ab eius filio soluta oratione descriptam. quod eñ ille cecropiũ mel obscurius appellat, hic atticum aperte nominat: centaurion ille nulla adhibita distinctione in carmine pronunciat, hic in prosa tenue apponit, eo quòd aliud quoq; centaurium extet crassum appellatum. idem & in aristolochia fecit, cum præter tenuem aristolochiam, alia quoq; reperiatur quæ crassam radicem habeat, & rursus tertia quæ rotundam.

De compositione theriacæ.

32 Dictũ est à nobis & supra eum qui theriacã cõmiscentibus animum semel intenderit: non iterum neq; tertio id facientem uideat opus habere. at optimas quocũq; in genere medicinas ut idem agnoscat non semel, bis, aut ter, sed multoties, & sæpe, quæ singulis in locis optimæ prouenire ferũtur, inspexerit, oportere: nec satis hæc sunt. præcepta quoq; ad usum earum pertinẽtia habere cõuenit, de quibus et si in superioribus iam egimus, denuo tamen per capita de omnibus dicere tempestiuum erit. Radices igitur medicinarum quæ in usum ueniunt extento cortice sint oportet, nõ rugoso. hoc enim earũ maciem significat. fructus autem uirgulta & germina uegeta pluraq; esse debent. itẽ & quicquid semen includit, tegmina, cortices, inuolucra. semina uero uegeta sint conuenit, quod ex eo quia tentum corticẽ habeant conijciemus. liquores & succi neq; diuturnitate arefacti sint, neq; suas qualitates obscuras habeãt. has dico quæ gustu olfactuq; percipimus. fructus igitur unà cum germinibus & inuolucris, floribusq; ac folijs, quotquot ipsarum sunt, in Theriacã mittunt̃, harũ herbarũ, scordij, nepitæ, marrubij, stœchadis, dictami, polij, chamędryos, chamępityos, hyperici, cẽtaureę. Radices aũt hę, zingiberis, ïridis, rhei, quinquefolij, costi, nardi Indicæ, nardi gallicę, gẽtianę, mei athamãtici, phu, aristolochię tenuis. Semina uero hæc, napi, petroselini, thlaspis, ameos, anethi, fœniculi, dauci, cardamomi.

33 Hæc itaq; tria rerum genera mortarijs Aegyptijs imponi debent: durissima enim sunt. itaq; minus periculi est, ne aliquid essentiæ ipsorũ indè inter cõtundendũ medicinis affricet̃. antedictis autem hæc quoq; addenda erũt, pastilli scillitici, pastilli uiperini, magma, hedychroum, piper nigrum & albũ & longum, rosæ siccæ, agaricũ, crocus, modo siccus sit, terrã lemnia, chalcitis usta, amomum, cinnamomum, casia fistula, balsami fructus & succus, acacia modo tenera aut humida non sit, castoriũ deniq;, & asphaltus, siue fœminino siue masculino genere quis ipsam efferre uelit. diximus nanq; sepius alias non animaduertendas esse huiuscemodi uerborum minutias.

34 Vino aũt macerata dissoluẽda, hæc erunt, myrrha, crocus, si tamen ita facere tutius tibi ui-

sum

sum fuerit, nec ipsum quia humidus sit cōtuderis. Succi autem omnes ideo uino macerantur, ut & dissolui & comminui aptius possint, sagapeni dico, panaceæ, papaueris, cuius liquorem & meconiū & opium uocāt. acacia quoq; cū humida tibi uisa fuerit, nec ad contundendum facilis, hypocistidis item & radicis dulcis succus. thlaspis autem & napi semina primo quidē sicut & ante alios fecisse uideram in mortarium unà cum alijs contūdendis ipse quoq; conijciebam. inde uero cū ipsa pilæ adhærere ob tenacitatem animaduertissem, melius esse duxi sola in alio mortario prius attrita uino superinfuso macerare quoad exacte dissoluerent, dissolutaq; postmodū cæteris quæ peculiariter uino macerant ac diluunt admiscere. thus quoq; per se solū in mortario seorsum leuiter cōminuere satius est, ne in placentam coeat, tū ubi comminueris promptum habere, quò reliquis ui no maceratis cū placuerit ipsum inspergas. nam gūmi & uino macerare & ipsum per sese uel cum thure necesse est. Hæc igit quo diximus pacto omnia præparentur, atq; humida quidem ex uino dissoluantur, sicca uero in puluerem redigantur.

35 Quo tempore autē cuncta simul admiscenda erunt, resinam terebinthinam in uase duplici primum cum melle colliquabis, tum styracem & chalbanum antea pistillis ferreis rutabulisúe modico melle crudo instillato contusa, & postea digitis explanata. adijciatur autem & mellis adhuc aliquid ad colliquatam resinam. atq; ita uase cooperto ea rursus liquari permittes. melius est enim his rebus impositis, mel non amplius mouere, sed adoperto uase quod aquæ innatat ut elixentur permittere. interea dum ista liquefiunt maceratis ex uino siccas medicinas eatenus adijcies & commiscebis quousq; spissa satis esse uideantur. atque ita paulatim liquefacta, tepida his quæ in mortario sunt affundes, ita ut fortis aliquis uir ipsa per magnum pistillum uniat. ac postea quàm bene inter se commista, atq; in unum corpus redacta fuerint, densaq; iam quodammodo uideri cœperint, mellis & moderate decocti & proculdubio despumati partem quandam superimmittes. postea cōtusarum medicinarum portionem quandam, deinde rursus mel inferes, postea liquefacta, sed tepida infundes. postremo quicquid pulueris & mellis supererit, admiscebis uehementer omnia magno in mortario magnaq; tudicula commiscēdo. cum uero tudiculæ ductu in mortario omnia coiuerint, tum in pilam transferenda sunt. atq; ferreis rutabulis diligēter extersis nequid rubiginis insistat sine intermissione contundenda. Rutabulum autē opobalsamo subinde perunges, ne subigēdarum rerum tenacitate obtineatur, néue difficulter se inde attollentibus resistat. ut igitur opus expedite procedat, imas rutabuli partes opobalsamo frequenter inūgere conueniet, atq; opobalsamū hac una in re totum absumere. melius est autem in sole contundere, sic enim citius in unū corpus omnia coeunt, dumq; hoc faciemus pilam in qua antidotus habet, operiemus, ac post quatuor aut quinq; dies rursus in sole ipsam eodem modo contundemus, idemq; sex, septémue dierum spatio interiecto iterum atque deinceps repetemus, donec menses duo uel quadraginta dies saltem compleantur.

36 Hactenus quæcunq; conscripsimus ad theriacæ uim augendā pertinent, quæ uero mox subiungam, ad colorem. dāda namq; est opera, ut nigram theriacam efficiamus. nam hoc & si quo pacto in consuetudinem uenerit, nesciam, quisquis tamen hunc colorem non consequitur, irridetur. quanquam nulla coloris qualitate medicamenti uis immutet. nigra uero theriaca non erit, si chalcitis flaua luteáue dū urit, euaserit. chalcitidis enī particula quantumuis minima colore suo, theriacam inficit. ne quis igitur hac quoq; in re frustretur, ijs quæ dicam, mentē adhibeat. quatuor chalcitis drachmas cum theriaca solummodo capiat, multo plures assare cōueniet hoc modo. cōijce in exiguam ollam chalcitis crudæ drachmas nō pauciores quadraginta, postea succensis carbonibus ollam absq; operculo, in medio prunarum statue: cumq; liquefactā chalcitim uideris, ac quæ leuissima & spumosa pars eius est innatare, statim ollam ab igne amoue, humiq; colloca, nec ut aliquādo solemus, sicuti qui ignem accendunt, ipsi insufflabis. mirandum est enim quantum ita faciendo luteus flauusq; color emergat. Imò neq; in sole collocanda erit, sed in umbra donec frigeat, omittēda. hinc postea id solummodo capies quod superne spumeum fuerit, quodq; neq; luteum, neque flauum, neq; pallidum est. deinde experiundi gratia aliquantulum eius quod probaueris, accipe, atq; comminue, & num quis ex supradictis coloribus appareat, inspice. nam si qualis accepta est, uiridis aut cinerea māserit, drachmas quatuor ipsius impones. talem namq; chalcitin exiguam inuenies, etiam si multam exusseris.

37 Quæ ad componendam conficiendamq; theriacam requirebātur, omnia iam absoluimus. cum uero Damocrates atq; Crito in quibusdam ab hisce discrepent, opportunū mihi quę ab hisce quoq; autoribus conscripta sunt, subijcere uisum est. ac prius quidem Damocratis theriacam qui omnem eius usum dilucide explicuit. ea autē est iambicis uersibus ut mos hominis fuit, descripta, commoditatemq; hanc habet, ut non solum memoria facile contineri, sed nec in rerum pondere ac symmetria peruerti possit. in eo itaq; libro in quo antidotos describit, ab usu ipsarum communi & à theriacæ formula initiū sumēs ita exordit.

Damocrati theriaca.

Antidotos paratas habere has decet
Venena contra cuncta quæ letalia,
Quorum repertæ & hæ uidentur gratia.
His nam uenenis obuies letalibus,
Illi propinans ante, cui metus subest,
Ne quid ueneni sumat ammistum cibis.
Post uero & illis, qui putauerint simul
Ferale quicquam se indidisse cum cibo,
Ingestam ubi reiecerint escam tamen,

Illas

Illas bis atq; ter iubens paßsis dari,
Donec ueneni signa permanent mali.
Has læsit ut serpens quos obuius, dabis.
Letalis dentes uel quibus impreßsit fera,
Aspis, Cerasta, Dipsas, atq; Hydri graues,
Echidna tristis, spumei canis furor.
Hæc quippe morsu cuncta letali nocent.
Obstat marinis omnibus hæc beluis,
Et quas minutas bestias uocant, Apes,
Crabrones, uespas. & rigentes scorpios.
Mures araneos, rapax phalangium.
Huius antidoti, plus una drachma dato,
Quantum nux parua, sed parumper amplius,
Admistis uini puri, cyathis decem.
Male commorsis, non sufficiet semel
Haurire. metu si quis absolui uelit,
Necesse antidotum ingerat frequentius.
Hæc usum ad omes cõmodum morbos habet.
Qui corpus longa male afficiunt mora.
Ad febris orbe transeuntis impetus,
Rigorem quoq;, qui longum tempus manet,
Membris perniciem afferens præcipuis.
Inclusumq; utero flatum, & flatum coli.
Et quos uesica torsit, uel renes diu,
Siue adsit ulcus, siue torqueat lapis,
Miscebis & quos hepar infestat male.
Et qui è pectoris sanguinem receßsibus
Aut fæculenti uirus excreant sputi,
Feratur undecunq;, sit pulmo licet,
Infunde ruptis, atq; conuulsis, quibus
Intus disruptum est atq; conuulsum aliquid.
Sic cura tristis, sicq; pelletur dolor.
Hanc, ægre sumptum cum coquit calor cibum,
Quamuis des modicum, coquet calor cibum,
Quosq; ira motu semper asperat graui.
Iter profectus longius, quibus diu
Vti necesse tabidis lymphis erit,
His uero, pendent quantum oboli tres, dato,
Caldæq; cyathos quatuor aut tres aquæ
Miscebis ante cibum tres horas, uel amplius.
Læsa est quibus uesica è passo dabis,
Et sputo sanguinis, & stomachum ulceratis,
Quibus at totum stillat in pectus fluor,
Ex aquæ, in qua coxerit pugillulus
Polij teuthrij, præstat hoc cretico
Præstatq; scytico, pontico est præsentius.
Nam continebis fluxionem citius,
Tribus cyathis præbe, ut est dictum modo.
Quidam si magnus urget aurium dolor,
Passo dissoluunt antidotum cretico,
Et sic meatus illita lana obstruunt.
Optimam quisquis theriacen cupit,
Selecta cuncta cum reliqua habeat,
Tum uero pastillos uiperæ quos uocant,
Sicut docemus, ita instructus paret,
Nam hi inter commiscenda præstant admodum.
Aestate grandes uiperas bis decem
Venator captas quas recenter attulit
Sumat, uel plures etiam, nam parum est
Quod inde tollens ponat in antidotum.
Nempe qua caput instat, abscindat primum

A Quod æquet digitorum mensuram trium.
Qua cauda uibrat, amputet plus parum,
Id dum recentes, dumq; uigentes adhuc,
Agat oportet, post ut anguillas, exuat
Pelle, tum pingue & intestina abijciat,
Quod restat, lauet, in ollam mittat, atq;
Anethi sicci congerat manipulum.
Aquæ quod satis. hinc ferueant tam diu,
Facile donec recedat à spinis caro.
Ollam tepenti tunc ab igne transferens
Solam reuulsis oßsibus carnem legat.
Aequali carnem panis æquet pondere,
Polline panis confectus triticeo.
Hæc soluens ambo, dum leuigas, modicum
Iuris affunde, mox inde placentulas
B Paruas confinge, quibus siccis utitor.
Pastillos hactenus diximus è uiperis.
Dicemus scillæ. cum meßsis falce cadit,
Et magnam bene & albam scillam cape.
Vndiq; siccum detrahito corticem.
Radices, quod lignosæ, cunctas amputa.
Nudatæ pultis ubi loricam feceris
In furnum mittes. cum assam satis duxeris,
Sumes exemptæ quod libræ pondus leuet.
Contundes, leuigatæ diligentius
Adde farinam, libræ pondus mediæ,
Erui farinam parumper ustulati.
Statim ut eruo scillam obligaueris,
Paruas, sicut dixi, conficies rotas.
Et mox siccatas conde quo uase libet.
C Misturam istam sumere ut nuper inuentam,
De theriaca loquor, si ambigis, audi.
Ferunt hac usum Mithridatem quoq;
Deuictus ergo uenenum cum liberis
(Coegit fatum peruicax) hausit miser.
Nullamq; solus uim ueneni pertulit,
Sed ense uitæ terminauit circulum.
Natas iam ferox abstulerat potio.
Ne tardes igitur. scillinos orbes quater
Denis assume bisq; drachmis quatuor.
Pastillus uiperæ pendat senas quater.
Opium quoq;, nigrum piper, & magma
Quod olim ueteres dixerunt hedychroon.
Radicis succum dulcis exsiccatum
His adde, drachmas impleat duodecim.
D Tantundem pendat siccæ pondus rosæ.
Et cinnamomum, & balsami præstans liquor,
Et iris, quam superbum fert Illyrium.
Napiq; semen, & albens agaricum,
Cretense scordium, rursus dimidium
Pontica radix pendat, petroselinum,
Et myrrha, & stœchas, & corycium crocum,
Radix pentaphylli, & quam nepitam uocant.
Marrubij semen quod globuli continent,
Album piper, longum piper, nardi indicæ
Spica, & terebinthina, thusq; masculum,
Atq; album costum, dictamiq; herba etiam,
Et iunci, non festucæ, flores arabi.
Et siccum, & incorrosum eritq; zingiber,
Cortices demum nigræ iunge casiæ.
Senas imponio drachmas istorum quoq;

Inde quæ drachmas singula pendant duas.
Contusa thlaspis, polium, phu pontica,
Gummi, chamædrys, atq; lentescens styrax,
Et gentiana, & acorus, mæon etiam,
Et cardamomum, & semen fœniculi,
Hypocystidis succus, assa chalcitis,
Semen hyperici, creticum sit tamen,
Acaciæ succus, cum humens, tum bonus.
Celtica nardus, & sigillum lemnium,
Et ammi, & chamæ pitys, atq; seselis,
Anisi dudum siccati semen quoq;.
Racemum amomi, malabathri folium.
Cuiusq; drachmas nos imponimus duas,
Fructusq; balsami totidem duas.
Quaternas quidam, sed non recte faciunt.
His rursus panax, lachrymæq; chalbani,
Addatur, semen dauci, Creta genitum,
Nuperq; lectum sagapenum, & castorium,
Centauriumq;, non recens, sed creticum,
Aristolochia tenuis & sicca probe,
Impone drachmam singulorum hinc unicam.
Aequumq; statue pondus asphalthi bonæ.
Duas huc quidam conferunt, quod improbo.
Confeci sæpe quo diximus pondere.
His tu falernum quod satis, funde optimum,
Mellis recentis attici libras decem.
Horum cum succi quædam sint, illa semina,
Folia hæc, radices ista, illa lachrymæ,
Gignanturq; in metallis haud compluscula,
Mero dissolue lachrymas, succos, atq;
Metalla, donec mellis acquirant modum.
Immitte quæ supersunt. sicca omnia,
Contusa, densoq; transmissa cribro.
Mel rigans adde, bis ter quod deferbuit.
Repone, & serua uasculis non ligneis,
Sed uitreis, argenteisq;, & corneis,
Et stanneis, & testaceis, densis tamen.
Trades bibendum antidotum nec protinus,
Nec moræ quam siccauerit prolixitas.
Id si contingat, isto corriges modo.
Infunde mellis quod sat, quodq; ferbuit.
Nam ipsum postquam commiscueris diu,
Vtile habebis quod corruperat dies,
Peiore at multum sorte q̃ mistum semel.

Ipse igit. se Damocrates ab Andromacho dissentire significat, cũ inquit, Quaternas quidam, sed non recte faciũt, & rursus. Duas huc quidam cõferũt, quod improbo: illud quoq; perspicuum est, apertam esse magis theriacæ descriptionẽ ex ijs quæ à Damocrate scripta sunt.

38 Cum uero aliã etiã theriacæ descriptionem apud me haberem carmine & ipsam cõprensam, mihi eam quoq; nõ omittere satius esse uisum est, sed quo modo ipsam à superioribus medicis accepi subscribere, seruata singularum medicinarum in ipsa symmetria. est enim cęteris omnibus et planior, & concisa magis hæc descriptio.

Alia theriacæ descriptio.

Pondera quæ rerum, rerum quis posśit aceruus
Condere theriacen, paucis aduerte docebo.
Semina principio dauci, panacisq; liquorem,
A Et tenuem, inuentum Chironis, centauræam,
Ortaq; Syriacis graueolentia chalbana terris,
Serpentesq; fugans olido nidore bitumen.
Necnon immeritis exempta uirilia fibris,
Et longam, Lucinæ munus, aristolochian
Difficiles tenui partus radice leuantem
Accipies. geminas suspẽdant singula drachmas,
Inde meon, seselimq; breuem, poliumq; senescẽs,
Fœniculũ, gummi, chalcitim, thlaspin, amomum,
Balsameos fructus duplicato pondere sumas.
Atq; humilem quercũ Graij dixere chamædryn.
Et pinus similem folijs & odoribus herbam,
Quamq; bonus primusq; manu rex Gẽtius olim
Montibus in patrijs radicem uulsit amaram,
Conspectamq; suo donauit nomine, quamq;
B Lemnus habet terram, pharetratæ signa Dianæ.
Atq; paretonium fudit quem spina liquorem,
Cõpressumq; rubra flauũ ex hypocystide succũ.
His folium stagnis fœcunda quod India nutrit,
His styracem iungas, inimicaq; flatibus ammi,
His & ab Assyria Sagapenum gente petitum.
Et cardamomi præcluso cortice semen
Hypericiq; comas, nardum quam Gallia mittit
Phu quam Pontus alit, Cretei ruris alumnum
Anisum multis celebratum laudibus addes.
Rursus quæ drachmas attollant pondere senas
Marrubium capies, dictamum, zingiber album,
Hinc longũq; piper, casiamq;, crocumq;, rheũq;,
Et nepitam, et myrrham, & costũ, iunciq; rotundi
Diues odoratos quos dat Panchaia flores,
C Atq; apiũ, petras quod amat, numerũq; suorum
Quinq; tibi referens foliorum nomine gramen.
Emissumq; tuo frondens terebinthe liquorem
Stipite, & hinc alio stillantia caudice thura.
Hesperioq; mari nascentem stœchada, quamq;
Proxima iam nostris nardum tulit India terris.
Hinc noua cõgeries sequitur, syluestria primũ
Semina buniadis, cinamomum, scordion herba
Allia quæ redolet, tantumq; imitatur odore.
Adde nigrum dulci pressum radice liquorem.
Adde etiam illyricis crescentem in collibus irim.
Quæq; Palæstino de palmite balsama sudant.
Siccatamq; rosam, lectum leuitate locoq;
Agaricum, senas bis tollant singula drachmas.
Inde piper capies geminato pondere nigrum,
D Atq; suo fundunt quem secta papauera succum
Vulnere, tum læti nomen sortita coloris
Magmata, rẽ nostro memoratã carmine, nec non
Vipereos orbes, scillæ quos pondere duplo
Pastilli superent, spumati deniq; mellis,
Et uini quantum satis est infunde falerni.

Reliquum adhuc mihi uidetur ad explendam uniuersam theriacæ doctrinã, si quid Crito uel aliter quàm suprà diximus, sensit, uel omissum aliquid addidit subiungere.

Quæ Crito de theriaca scripsit in tertio De medicamentis libro. Cap. 39

Quod ad pondus itaq; medicamentorum attinet, cõijcit quidem et ipse piperis nigri drachmas uigintiquatuor, quemadmodum Andromachus filius, & longi sex, imponitq; chalcitidis ustæ drachmas

chmas quatuor, & mellis attici libras decem. uiperas autem uere iam desinente, æstateq; incipiẽte, aut uindemiæ tempore comprehendere iubet, uitans nimirũ æstatem omnem, excepto principio, usq; ad canis ortum, & inde sequẽs tempus quod aliqui oporã, id est, fructuum prouentum peculiariter uocãt. quãdo in hominibus quoq; bilis plurimũ excrescit. uindemiæ aũt tempore, quod autũni mediũ est, colligẽdas primo apprehendẽdasq; uiperas cẽset, quæ magnæ corpulentæq; sint, anethoq; imposito elixãdas, deinde carnẽ ex decem uiperis collectã, unis siliginei partis uncijs cõmiscendã, atq; ita pastillos conficere suadet, ad hunc modum & scillas messis tempore quo præcipue uigent, euellere iubet. Planum est aũt messem ipsum appellare, illud æstatis spatium quo triticum rustici metunt. euulsas deinde in furno quo ad satis sit, assare præcipit gypso lutoue circumtectas, calido cineri subijcere, donec plane tostæ sint, tũ extractis medullam excipere. ita eñ Crito scillæ

A meditulliũ nominat, eamq; atterere, unamq; erui partẽ duabus scillæ admiscere, rotulasq; sic demũ cõficere, & eas in umbra siccare mãdat. Quod ad contundenda uero medicamenta pertinet, accurate singula docuit. nã mortario pellem obstricte circumligandã præcipit, atq; ita in medio perforatã, ut per id foramen non modo rutabulum imponere possis, sed etiam eo sublato, manũ quoq; & cochlear immittere, quo per eum contusa & quæ cribranda sunt, eximi queat. rursus quoq; alia pelle opus fore dicit, quæ angustius foramen adhuc habeat, ut per ipsum tudicula solummodo demitti possit ad contundendũ ea quæ in mortario fuerint, hancq; priori superimponendã dicit, nec prius adimendam q̃ excicatus inter cõtundendum

B puluisculus subsidat. eodem modo quoq; cũ per cribrum cõtusa transmittemus, desuper contegere quę excutimus, nos admonet, nec ea prius aperienda q̃ cribrũ mouere pridẽ desiuerimus, deq; sublato cribro quicquid inhęsit, penna deducere.

ARGVMENTA CAPITVM SECVNDI LIBRI DE RELIQVIS ANTIDOTIS, IN primo enim de theriaca solum per excellentiam appellata docuit. Descriptus autem est secundus hic liber magna ex parte, ex Andromacho, Damocrate, Asclepiade & Hera.

Cap. 1. Mithridatij potentia, eiusq; cum theriaca comparatio. 2. Compositio Mithridatij. Vide etiam cap. 10. & 52. & 65. 3. Alia eiusdem compositio secundum Antipatrum & Cleophantum. 4. Vrbani Indi antidotus ad fœtus eijciendos. 5. Antidotus Panacia ex sanguinibus plurimæ promissionis. Vide etiam cap. 14. & 49. 6. Antid. asyncritos ad omnes internos affectus. Hanc & Actuarius habet. 7. Aelij Galli antidoti multi usus. 8. Ant. Zopyrios. Vide aliam cap. 48.

9. Hactenus ex Andromacho: Deinceps Damocratis Antidoti sequuntur. 10. Mithridaticũ Damocratum, senarijs descriptum. Vide cap. 1. & 2. 52. 65. 11. Cyphi compositio senarijs eiusdem descripta. 12. Aliud antidotum, per senarios eiusdem. 13. Aliud Damocratis uersibus conscriptum. 14. Aliud ex sanguinibus carmine. Vide etiam cap. 5. & cap. 49. 15. Aliud Charine dictum, carmine. 16. Idẽ aliter, carmine. 17. Aliud carmine. 18. Aliud carmine, æquipollens præscripto. 19. Rosaceorum confectio, senarijs. 20. Crocomagmatis cõpositio, senarijs. 21. Antidotus prognostica, carmine. Quod etiã infra describitur prosa. ca 43.

Sequitur de antidotis ex Asclepiade.

22. Quænam uocentur antidota: & de uarijs eorum differentijs, & Asclepiadis ordine, quem in suo de antidotis libro sequutus est. Remedia uenenorum ex Asclepiade. 23. Ad papauerum lachrymam. 24. Ad meconium. 25. Ad aconitum. 26. Ad hyoscyamum.

D

27. Ad coriandrum uiride. 28. Ad leporẽ marinũ. 29. Ad toxicum. 30. Ad ephemerum. 31. Ad dorycniũ. 32. Ad fungos. 33. Ad ixiam. 34. Ad buprestim. 35. Ad cantharides. 36. Ad cerusam. 37. Ad potum argenti spumæ. 38. Ad gypsum. 39. Ad lac coagulatum. 40. Ad sanguinẽ taurinum. 41. Ad hirudines. 42. Aduersus eos qui composita uenena posteritati scripta reliquerunt.

Adhuc de Antidotis ex Asclepiade.

43. præseruatiuum à uenenis remedium. 44. Aliud præseruans: quod supra etiã habetur carmine, cap. 21. 45. Codij Tusci antidotus. 46. Alia Apellis. 47. Athanasia Mithridatis antidotus. 48. Ambrosia Philippi Macedonis. 49. Zopyrios antidotus. Alia est supra cap. 8. 50. Antidotus ex sanguinibus ad uenena & ictus uirulentos. Aliam uide supra cap. 14. 51. Antidotus Mithridatis Eupatoris diascincu dicta. Vide etiam capitib. 2. 3. 10. & 53. 52. Mithridates theriaca. Vide præcedẽs caput. 53. Hecatontamigmatos. 54. Antidoti Aelij Galli. 55. Alia eiusdem. 56. Alia Galli.

57. Ambrosia Archibij hiera. 58. Antipatri theriaca. 59. Aelij Galli theriaca. 60. Alia eiusdẽ. 61. Euclidis palatiani theriaca. 62. Zenonis Laodicei theriaca. 63. Antidotus ad uulsos, ruptos, hæmoptoicos, &c. 64. Antidotũ Mithridatum. Vide etiam in principio huius libri, & sequente capite. 65. Antidotus tyrannis.

C

66. Ad quartanarios.

Remedia pro morsis à cane rabido.

67. potus ad morsum canis rabidi. 68. Aliud ad eũdẽ. 69. Alyssi herbæ remediũ. 70. Aliud acithreæ, ex cancris. 71. Cratippi, Heræ, Galli, remedia ad idẽ. 72. Zenonis ad idẽ. 73. Aliud Cl. Apollonij. 74. Menippi ad idem. 75. Menelai ad idem, & ægilopas, & omnis serpentis ictum. 76. Leuce emplastrũ Baphulli.

77. Basilica ad morsos à cane rabioso.

Remedia ad scorpionum ictus, & phalangiorum.

78. primum Diophanti remedium. 79. Aliud, cum alijs 4. sequẽtibus. 84. Antidotus scorpiaca. 85. Alia Zoile. 86. Epithema ad ictos à scorpio, cum alijs 4. sequentibus.

Remedia priuatim contra phalangia.

100. Remedium Charitonis & aliorum, ad phalãgiorum, & aliorum reptilium morsus: usq; ad 101.

Ad uiperæ & aliarum ferarum morsus.

102. Dorothei remediũ pro morsis à uipera. 103. Aliud rustici. 104. Aliud Eudemi carmine elegiaco. Hoc lapide in limine ædis Aesculapij incisum paulo aliter exposuit Plinius in fine libri 20. naturalis historiæ. Idẽ uide infra cap. 122. 105. Heraclidis Tarentini enneapharmacum. 106. Dorothei experientia probatũ ad omnem ictum. 107. Aliud Hybristæ. 108. Theriaca ad omnis feræ ictum. 109. Epithema ad morsum uiperæ: cum alijs 3. sequẽtibus. 113. Damocratis senarij ad idem. 114. Psyllorum antidotus, carmine. 115. Antidotus é coagulo hinuli & uino Falerno, carmine.

116. Antidotus ex cancris pro morsis à cane rabido: primum autẽ symptomata morsorũ exponit. 117. De simplicibus medicamentis ad morsos à cane rabido: ut est Lycium ex aqua, Britannica, Vrsi fel. 118. Empla-

ſtrum ad canis rabidi morſum, et alia quædā uenena. A
119. De iaculorum uenenatorum uulneribus.

Antidota, quæ Heras ſcripta reliquit.

120. Marci theriaca. 121. Aliud Antiochi philometoris, uerſibus elegis. Idē uide ſupra ca. 105. 122. Aelij Galli antidotum: (ſimile eſt ſupra ca. 60. & 108. Sed aliquid uariant tum ingredientia, tum promiſsio uirium: quare omiſsa ab alijs nos addidimus in Latina uerſione. 123. Aliud ad uiperæ morſum. 124. & 125. Alia ad phalangia. 126. Zopyrios Heræ. 127. Antidotus ad omnia uenena, & morſum canis rabidi, &c. 128. alia ex terra Lemnia. 129. Cum tribus ſequentibus remedia ad hydrophobos. 133. & 134. Ad podagricos remedia.

GALENI DE ANTIDOTIS

LIBER SECVNDVS.

EXPOSITA à nobis integro uolumine theriaca, ut reliquas antidotos breuibus explicemus, efficiet quas mihi hoc in libro recenſere propo- B ſitum eſt ab ea quam Mithridaticam uocant, initio ſumpto. hæc eñ aduerſus quàm plurima uenena plus etiam quàm theriaca ualet, quamuis ictus uiperæ ſanare minus poſsit. Quoniam uero Andromachus & hãc, & deinceps optimas quaſq; fermè antidotos literarū monumentis commiſit, cum de medicamentis ageret, quæ intra corpus aſſumuntur, idcirco & ipſe eas omnes quo ordine ille conſcripſit, ſubiungam.

Andromachi antidota. Cap. 2

Antidotus Mithridatica, priuatim ad omnia uenena faciens, & ad malas internaſq; corporis affectiones efficax. Radicis dulcis drac. vij. ob. iiij. opij drach. iiij. ob. ij. caſtorij drac. vi. oboli ij. polij C drach. v. obol. ij. coſti drach. vi. obol. ij. ſpicę nardi drach. vij. ob. iij. caſiæ drac. v. ob. ij. thuris drac. vi. ſeſeleos drac. v. ob. ij. ſucci hypocyſtidis drac. vi. acori drac. ij. ſcordij drach. vi. ob ij. folij drach. iiij. alij drach. v. ob. iij. alij drach. vi. immittunt. cypheos drach. v. ob. ij. myrrhæ drach. vi. croci drac. vij. ob. ij. cinnamomi drach. vij. ob. ij. ſtyracis drac. v. ob. iiij. ſeminis dauci dra. vi. ob. iij. zingiberis dra. vij. ob. ij. phu pontici drac. ij. petroſelini ʒ. iiij. ob. iij. nardi gallicæ drach. iiij. ſeminis fœniculi drac. iiij. nardi indicæ drac. iiij. hyperici drach. ij. acaciæ drac. ij. gentianæ drac. iiij. alij uero duas imponūt. aniſi drach. iij. thlaſpeos drac. vi. ob. iiij. mei athamantici drachmæ iiij. alij drach. ij. roſarum ſiccarum drac. iiij. gummi drac. ij. cardamomi drac. iiij. D alij drac. ij. iūci odorati drac. vi. ob. ij. opoponacis drac. vi. obol. ij. opobalſami drac. vi. obol. iiij. galbani drac. vij. ſcinci drac. ij. obol. ij. terebinthinæ drac. vi. ob. ij. uini chij quod ſatis eſt, mellis attici deſpumati quod ſufficit.

3 Aliter mithridatica hæc antidotus componitur ex Antipatri & Cleophantis traditione. Myrrhæ drac. vij. ob. iiij. alij ij. ſpicæ nardi, tantundem croci drac. vij. ob. iij. opij drac. iiij. ob. ij. s. ſtyracis dra. v. caſtorij drac. vi. ob. i. cinnamomi drach. vij. obol. iij. polij drac. vi. ob. iij. ſcordij drach. vij. ob. iij. zingiberis tantundem. coſti drac. vi. ob. iij. piperis longi drach. vi. ob. iij. piperis albi drac. v. ob. ii. ſeſelis ʒ. v. ob. ij. petroſelini drach. xiiij ſeminis dauci drachm. vi. ob. iij. caſiæ drac. v. ob. iij. thuris drac. v. ob. ij. ſucci hypocyſtidis drach. vi. obol. i. s. nardi gallicæ drach. iiij. ſeminis fœniculi drac. iiij. foliorum malabathri ʒ. iiij. acori, phu pontici, ſagapeni, fructus balſami, hyperici, iridis illyricæ ſingulorum drac. ii. rubricæ lemnię, cypheos, lumborum ſcinci ſingulorum drac. vi. acacię, gummi, cardamomi, ſecuridacæ ſingulorum drac. ij. ſeminis thlaſpeos drac. vi. ob. iiij. gentianæ drach. iiij. alij iij. aniſi drac. iij. roſarum exſiccatarum dra. iiij. mei athamantici tantundem. florum iunci rotundi odo. drac. vi. ob. iij. opopanacis drac. vi. chalbani drac. vi. ob. iij. opobalſami tantundem. ariſtolochiæ drac. i. hyſſopi drac. iij. marrubij drac. i. chamæpityos drac. iij. roris marini drac. v. terebinthinæ dra. vi. ob. iij. mellis attici quod ſufficit, uinum ne inijcito.

4 Antidotus in Orbanū Indum relata ad fœtus eijciendos. Myrrhæ drach. xv. croci drach. xvi. nardi indicæ drachmæ ſedecim. cinnamomi, caſiæ, panacis ſingulorū drac. xiij. amomi drac. viij. ſcordij drac. v. florum iunci odorati drac. viij. mei athamantici drac. iij. ſucci roſarum, drach. xij. ob. iij. phu drach. v. ob. iij. hyperici drac. v. zingiberis drac. vi. piperis nigri drac. vi. piperis albi dra. viij. ſtyracis drac. v. ob. iij. ſeminis fœniculi ſylueſtris drac. iij. ob. iiij. piperis longi drac. v. alij drac. vi. coſti drac. vij. ob. iij. ſeminis trifolij drac. v. gentianæ drac. iiij. ariſtolochiæ rotundæ drac. iiij. polij dra. v. radicis trifolij drac. v. ob. iij. cardamomi drac. v. radicis echij drach. iiij. thuris ʒ. vi. petroſelini dra. vi. uerbaſci drac. v. ſeſeleos drac. v. cumini æthiopici drac. iij. fructus balſami drac. iiij. nardi celticę drachm. vij. terræ ſigillatæ drac. iiij. opij drachmæ quatuor, oboli tres. cachryos dra. iij. cypheos dra. iiij. iridis illyricæ tantundem. ſucci mandragoræ drac. vi. ob. iij. ſagapeni dra. iiij. opoponacis drac. iii. aniſi drac. iiij. ſucci hypocyſtidis drac. vi. terebinthinæ ʒ. v. ob. iij. caſtorij drachmę quinq;. opobalſami drach. xvi. ſeminis rutæ ſylueſtris drac. iij. chalbani drac. iiij. ſeminis napi tantundem, medullæ ceruinæ ʒ. vi. ob. iij. unguenti nardini drac. xx. ſanguinis hœdini exſiccati drachmæ quinq;, oboli tres. ſanguinis anſerini tantundem, ſanguinis anatis drachmæ iij. oboli iij. ſucci buphthalmi Aegyptij drachm. viij. uini chij, mellis attici quod ſufficit.

5 Antidotus panacea qua utor multa promittens ab Aphroda accepta. Cinnamomi drach. viij. amomi drach. iiij. caſiæ fiſtu. nigræ, drachmæ ſedecim. croci drach. ſedecim. iunci rotundi odo. drach.

drac. v. thuris drach. v. piperis albi drach. iiij. obo. iiij. piperis longi drach. i. oboli tres, myrrhæ drac. xi. obol. ij. nardi indicæ. drach. xi. oboli iiij. nardi gallicæ drach. xvi. obol. ij. rosarum exsiccatarum drach. vi. costi drach. ij. obol. iij. s. opobalsami dra. iiij. obol. ij. succi cyrenaici drach. iij. alij drachmæ quatuor. s. stœchadis drach. v. oboli ij. radicis trifolij drach. iiij. uel eius seminis drachm. iij. florum scordij drach. xi. oboli ij. polij cretici drachmæ vi. oboli duo, asari drach. ij. acori ʒ. iij. ob. iij. s. seminis dauci tantundẽ. s. anisi drachmæ duæ, cumini æthiopici tantũdem, rhei pontici drachmæ quinque ob. iij. s. seminis napi syluestris drach. iij. uel seminis rapi satiui tantundem. phu pontici drac. ij. mellis despumati quod satis est.

B 6 Antidotus incomparabilis quam ipse composui, faciens ad omnes malas internasq́; corporis affectiones ex Nicostrati traditione. Radicis dulcis, folij malabathri, opobalsami, agarici, cinnamomi, singulorum drachmæ xij. zingiberis seminis trifolij, amomi, seminis rutæ syluestris, baccarum iuniperi immaturarum & exsiccatarum, singulorum drachmæ quindecim, petroselini Macedonici drachmæ octo. succi papaueris tantundem. castorij, piperis longi, succi hypocystidis, cypheos singulorum drachmæ xij. obol. ij. polij, piperis albi, seseleos, bdellij singulorum drachmæ xv. ob. iij. florum iunci odo. costi singulorum drachmæ xij. s. seminis dauci, thlaspeos singulorum ʒ. xij. spicæ nardi drac. xxiiij. radicis casiæ nigræ dra. xvi. thuris, panacis, opopanacis singulorũ dra. xij. acori dra. v. scordij dra. xvij. fœniculi, nardi gallicę, gentianæ, florũ rosarũ, gummi, succi cyrenaici, cardamomi, thymiamatis ammoniaci, radicis echij, succi aparines singulorũ drac. viij. sagapeni, hyperici, succi acaciæ, iridis illyricæ singulorum drachmæ xiiij. myrrhæ quæ stacte dicitur, drach. xx. croci drach. xxx. styracis drachm. xi. ob. ij. phu, mei, dictamni s. napi calami odorati singulorum drachmæ viij. aut x. anisi, asari, agarici, scinci singulorum drachmæ vi. terebinthinæ drach. xiiij. ob. iij. galbani drach. v. sanguinis anatis fœminæ, sanguinis hœdi singulorum drac. vij. piperis nigri, piperis longi singulorum drachmæ xxiiij. crocomagmatis tantundem, radicis quinquefolij, origani syluestris, marrubij, stœchadis, ammeos, chamædryos, chamæpityos, centaureæ mi. aristolochiæ mi. singulorum dra. vi. sigilli lemnij, dra. xxx. sanguinis anserini, testudinis marinę, rhei põtici, singulorum dra. vij. mellis attici quod sufficit. Datur ad magnitudinem fabæ ex aqua, facit etiam ad quartanam, cæterũ ad uenena plus alijs antidotis ualet.

7 Antidotus Aelij Galli qua Cæsarem liberauit, hac & Charmes utebatur ad ebibita morsuq́; illata uenena faciens, quaq́; si loca in quibus reptilia diuersantur, asperseris, ea fugabis. ualet etiam ad fluxiones, oculos, aliudúe quoduis corporis membrum infestantes, eas enim exsiccat, tristem animi habitum & longas intermittẽtesq́; febres soluit, mulieribus præterea quæ difficulter

A purgantur, auxiliatur, fœtus sine dolore eijcit, tabidis demum ex quatuor aquæ cyathis ad nucis auellanæ magnitudinem sumpta prodest, ut à uipera percussis ex uino. Myrrhæ, drachmæ xij. croci, drach. xiiij. nardi, drachmæ xiiij. iunci rotũdi odorati, drachmæ duodecim, cinnamomi, drachmæ ij. amomi, drachmæ iiij. chalbani, drachmæ undecim, terebinthinæ, drachmæ v. piperis albi, drachmæ x. piperis longi, drach. xxxij. costi, drac. viij. thuris, dra. xij. succi papaue. tantundem, scordij, drach. viij. polij, drach. iiij. succi hypocystidis, drach. duodecim, seseleos, dra. viij. opobalsami, dra. xij. castorij, dra. xiij. petroselini, dra. xviij. seminis, dauci, dra. xvi. opopanacis tantundem, mellis attici sestaria duo.

8 Antidotus zopyria. Cinnamomi, drachmæ iij. myrrhæ quæ stacte dicitur, drachmæ v. nardi, drachmæ v. croci, casiæ, singulorum dra. iiij. floris iunci rotundi odorati drachmæ ij. piperis albi sesquidrachmam. Thuris dra. i. costi drach. i. mellis quod satis est, exhibetur ad nucis auellanę magnitudinem ex tribus aquæ cyathis semel per annũ.

9 Quas hactenus antidotos descripsimus, omnes sunt ab Andromacho conscriptæ. cum uero quæ carminibus explicatæ sunt, ad ponderis sinceritatem medicamentorumq́; memoriam maxime conducunt, idcirco conscriptas quoq́; à Damocrate antidotos memoratu dignas subiunximus, principio rursus à mithridatica sumpto.

10 Antidota à Damocrate conscripta.

C Antidotus quam uiri quidam insignes admodum, Mithridaticam uocant, medicamen ad omnes malas corporis affectiones efficax quamq́; omnis antidoti uicem præstare dixerunt: accipit autem.

Myrrhæ arabicæ troglodyticæ drachmas decẽ.
Croci decem, agarici decem, zingiberis decem,
Cinnamomi decem, spicæ nardi decem,
Thuris decem, & item thlaspis decem.
At seselis, & succi balsami, & iunci odorati,
Stœchadis, costi, chalbani, terebinthinæ,
Piperis longi, ac castorij pontici,
Succi hypocystidis, styracis bonæ,
Opopanacis, & folij malabathri recentis,
Pares singulorum bis quatuor drachmas capit.
D Casiæ uero nigræ septem, & polij septem,
Piperis albi septem, scordij tantundem
Cretici tamen, & seminum dauci tantum.
His pendet fructus balsami drachmas pares,
Aequale pondus cyphi prædictis dabit.
Sunt qui pár uelint bdellium adijcere.
Hinc nardi celticæ repurgatæ, & gummi,
Et petroselini, & opij, meconium quod uocant,
Et cardamomi, & seminum fœniculi,
Et gentianæ, & foliorum rosæ,
Drachmas imponunt singulorum quinas.
Parumper tamen descendat lanx propensius,
Pendat dictamum creticum tantundem.
Rursus anisi & asari cape tres
Acoriq́;, phuq́;, sagapeniq́; tres,
Meiq́; athamantici, & acaciæ,

Et uentris scinci, & seminum hyperici.
Singula drachmas hæc pendant duas semis.
Vini & mellis adde quantum est satis.
Satis est quantum hæc apte iungas simul.

Quoniam uero Damocrates Cypheos mentionem facit, idq; etiam ipse componit, recte ideo illius quoq; compositionem ascripsit quam deinceps subijciam. Cap. 11

Simplex nihil Cyphi putabis optime
Nec terra profert ulla, sed nec succus est.
Aegyptus quosdam hoc cum placat deos,
Incendit, & quo dicemus parat modo.
Passam uuam & albam sumunt & pinguissimam.
Corticem demunt, eximunt uinacea.
Pulpæ contusæ & inde subactæ diu
Drachmas capiunt & quatuor, & bis decem,
Exustæ terebinthinæ pondus idem
Adduntq; myrrhæ, & iunci odori duodecim.
Hinc Cinamomi quatuorq; unam croci
Tres unguium bdelli, aspalathi duas semis,
Tres spicæ nardi, tres casiæ bonæ,
Tres lecti cyperi, baccas iuniperi quibus
Adiungunt æquas, pingues & magnas legunt.
Accedit drachmis calamus flagrans nouem,
Mellis quod sufficit, & uini prorsus parum,
Bdellium, uinum, myrrham, in mortarium
Mittunt, & terunt, quò ad mellis crassitiem
Liquentis iuncta reddant, tum mel postea
Affundunt, uuas miscent. demum cætera
Imponunt, sed contusa, paruos inde
Confingunt orbes, quibus deos fumigant.
Rufus nos cyphi sic parare docet
Vir probus ualde & peritus medicus.
Quidam, si desit cinnamomum sibi,
Tantundem miscent cardamomi seminum,
Et hac utuntur æquè ac priore.
Quidam si pulmo uel iecur uel ex extis
Aliud ullum, ulcus habet malum,
Huius propinant pharmaci denarium.

Cum uero Damocrates alias quoq; antidotos memoratu dignas & ob expositas commoditates, carminibus ab eo proditas conscripserit, illas quoq; subiungere mihi satius uisum est quàm intactas omittere. nam theriacam quam uocant quo ritu ipse cōficiat in præcedente libro docuimus. nunc quæ deinceps expositæ sunt antidoti subijciemus. Cap. 12

Antiquæ phthisi alia ualde bona,
Et sputo sanguinis, & clam febrienti,
Necnon & pectus imbecille habentibus,
Stomacho, renibus, & iecori prodest.
Omnibus quæ dixi ualet, delicatis tamen
Quòd possit minus, conueniet magis.
Libenter sumpta hac Augustum ferunt
E longo morbo conualuisse breui.
Pectore multum costisq; affectum male.
Accipit psylli & subrubentis casiæ,
Indæq; nardi, & gallicanæ puræ,
Et cinnamomi, atq; recentis croci
Drachmas duodecim, opobalsami decem,
Myrrhæ quam stacten dicunt, crassæ, sedecim.
Hinc iunci tenuis, & sigilli lemnij,
Radicis ponticæ, & seminum rutæ.
Syluestris melior multo est ruta tamen,

A Amomi quoq; & siccæ rosæ tantum,
His album piper adde, semen napi.
Incultis locis hoc non subactis lege.
Quater hæc duo drachmam, ter uero thus trahet.
Aequabit thus dictamum creticum, satis
Siccatum quidem, sed tamen adhuc recens.
Thuri cuminum exæques thebaicum,
Alia cribro tusa excerne tenui,
Immitte solum in mortarium psyllium,
Multo plus tamen, ut inde quantum uelis
Sumas, nam totum comminui nequit.
Confice hoc pacto. myrrham mitte bonam
In pilam latam, uini quantum est satis
Falerni pinguis affunde, atq; dilue
Myrrham parumper, opobalsamum dein
B Admisce translucidum, nam id est bonum.
Hinc, ubi tusa consperseris alia,
Combibant sines humorem tantisper,
Donec feruorem bis terue mel efferat.
Affuso melle unies antidotum,
Repones uase qualem descripsi modo.
Sic quibus dixi hinc remedium dabis.
13 Alia ualde bona ad quæ dixi omnia,
Prorsusq; hanc dicunt ad flatus meliorem,
Stomachum longo qui infestarunt tempore.
Tollit rugitus qui uentrem & colon
Perturbant intestina discurrentes.
Acutos quoq; reddit oculos senum.
A feris morsos summa leuat ope.
Ita hanc conficies, sed miscenda hæc habe.
C Succi cyrenaici boni drachmam cape,
Acori, phu, castorijq;, & asari,
Seminis cardamomi, gummi arabici,
Liquoris acaciæ, iridis optimæ,
Sagapeni puri, cretensis hyperici,
Propensa lance drachmas inijce duas,
Tres opobalsami pellucidi, parem
Mensuram psyllij opobalsamo subdes,
Tum albi piperis, & spicæ, & nardi celticæ,
Petroselini, ac recentis folij,
Cumini quoq; seminum Aethiopis,
Meiq; athamantici, & amomi boni,
Meconis opij, gentianæ, & balsami,
Appendo singulorum drachmas quatuor,
Styracis quinq; liquidæ & triobolum,
D At albi costi, thlaspeos, & seselis
Nigræq; casiæ, uno obolo minus,
Schœni & polij drachmas quinq;, tres obolos,
Item dictami Cretæ quam tellus alit.
Pondere eodem conijcito scordium,
Masculum thus, lemni terram, longum piper,
Myrrhā, glycyrrhizam, chalbanū, terebinthinā,
Anatis recentem sed siccatum sanguinem,
Succum panacis, ac semen fœniculi,
Folium rosæ siccum, hypocystidis
Expressum pulchre succum, dein agaricum,
Daucíq; semen Cretici electum adde,
Anisi quoq; semen, & scincum quoq;,
Bis tres cuiusq; pondera denarios.
Demum zingiberis cum sicci, tum boni,
Et cinnamomi atq; croci bis quatuor.

Omnium

Omnium pondus uel geminet, chium
Infunde uinum quod esse putas satis,
Siue falernum uetus quantum chij,
Miscebis hanc antidotum, ut te parum
Antè miscere theriacam docui,
Vtq; illam dixi, sic hanc omnibus dabis.
14 Alia ex sanguinibus quã quidã dicunt
Cæteris amplius ad uenena conferre,
Continet anserini sanguinis sicci duas
Drachmas, tres marinæ testudinis,
Hædini tres, tres anserini sanguinis
Anatis fœminæ sanguinis præstat tamen.
Drachmas præpinguis myrrhæ iunges decẽ.
Liquenti myrrhæ spicam nardi æquabis.
Nam cinnamomi bis tres erunt satis,
Bis quatuor foliorum siccæ rosæ,
Iunci rotundi, costiq;, & thuris una,
Amomi tres, piperis albi totidem.
At longi piperis unam & dimidiam,
Croci duodecim, casiæ bis quatuor,
Quinq; radicum trifolij, & polij,
Opobalsami tres, petroselini quatuor,
Baccarum iuniperi pinguium, & acori duas,
Rhapontici, meiq; & dictamni duas,
Cuiusq; drachmas dico, & phu itidem duas,
Ammoniaciq; thymiamatis similiter,
Et fœniculi, agarici duas semis,
Tres rutæ siluestris, dauci duas quoq;,
Anisi, & asari, unam cum dimidia.
Aequabis antedictis ammi, & semina
Cumini, Thebæ quod exusta procreat:
Tres seminum siluestris drachmas napi,
Prædictis addes, quinq; uero scordij,
Quod Creta gignit (diximus) id melius.
Omnium pondus mel atticum duplicet.
Partim contusa, partim soluta omnia
Excipe melle cocto, serua pyxide.

Post antidotos hucusq; descriptas Mithridaticã Damocrates subiungit, quã nos paulo antè recensuimus: igitur ea omissa quas deinceps cõscripsit ille, nũc ipse subijciã. Cap. 15

Antidotus quam recentes charmen uocant,
Affectus sanat, qui molestarunt diu,
Et quibus nullum medicamen profuit.
Myrrhæ hæc optimæ habet, & opobalsami,
Succi hypocystidis, & thuris boni,
Opopanacis sinceri, & croci noui
Drachmas duodecim, in singulis pares.
Albentis costi, pontici castorij,
Terebinthinæ puræ, florum schœni inijce
Drachmas bis quatuor singulorum atq;
Amomi racemorum, & polij quatuor,
Et cinnamomi quoq; totidem boni,
Cretensis dauci seminum bis tres,
Dauco par pondus seminum seseleos,
Rufæq; casiæ corticum bis nouem,
Aequabis casiæ, petroselini semen,
Piperis longi & noui bis duodecim,
Abrosum carie nam uetus reperies.
Piperis albi decem, chalbani decem,
At spicæ nardi electæ drachmas sedecim
Drachmas recentis bis uiginti & quinq;

A Adiunge scordi quod tellus Creta parit.
Res siccas pondus mellis ter adæquet.
Commisce, sicut antidotos alias
Te pridem monui, & similiter dabis.
Hanc Charmes autor bis quingentis atticis
Vendebat drachmis, nec totam libram dabat,
Dareq; gratis uidebatur insuper.
16 Quidã fide dignus Charmidis discipulus
Scripturam hanc dicebat probatissimam,
Quæ nardi indicæ drachmas sedecim capit,
Et myrrhæ pinguis, & succi papauerum,
Hypocystidis succi, succi balsami,
Succi panacis, recentis & liquidi,
Et thuris, & castorij, singulorum
Drachmas bis senas, ac chalbani quatuor,
B Terebinthinæ quinq;, polij quatuor,
Bonæ, sed nigræ casiæ bis quatuor,
Albi piperis duas, oblongi unam,
Et duos obolos, croci corycij decem,
Vnam prædictis addes, & bis quatuor
Schœni attriti, sed amomi quatuor
Duas cinnamomi, item & seselis duas,
Sex dauci drachmas seminum Cretensis,
Petroselini seminum bis nouem.
Hinc scordij drachmas bis quatuor comæ,
Bdellij unguium unam sed pellucidi,
Mellis infunde libras quinq; plus parum.
Confice hoc pacto. succos dissolue prius
In melle calido, atq; resinam optime.
Cribrata post hæc admiscebis reliqua.
C Corpus in unum rediges. ex hoc dabis
Quantum auellana, sumere quibus expedit.
17 Hæc si cõponere uis, impetũ cohibet
Infra supraúe prorumpentis sanguinis.
Hanc si accurate facis, habebis optimam.
Capit cilicij croci, recentis, & boni
Drachmas bis octo, & tantundem opij,
Sinceræ myrrhæ, & thuris infracti,
Cuiusq; drachmas accipiet sedecim,
Corticum octo, radicum mandragoræ,
Hyoscami seminum ter quatuor,
Bis ternas adde seminum papaueris,
Tres cinnamomi drachmas appendo boni,
Succi pataricæ, aut syriacæ rhois
Ter uigintiquinq;, alterius bis duodecim.
D Miscebis ita. primo selectum crocum
Cretico & albo, & dulci uino madeat,
Ad summũ dies duos, cum fracidum uideris
Et mollem ualde, conijce in mortarium,
Et cocleari subige, dum leuigatum facis,
Adiunge myrrhæ, thus, simul & opium.
Seorsum rhois succus, madescat quoq;,
Quem maceratum prædictis adijcies.
Subinde leuigata, & comminuta
Cætera cuncta pariter confundes,
Ac mellis cocti & attici quod satis,
Paulatim fundens in unum aceruabis.
Aceruum è mortario in uas uitreum,
Vel stanno factum, transferes, & oblines.
Ex hoc ijs dabis, qui sanguinem reijciunt
E uentre, gutture, pectore, pulmone,

Quantum tres oboli pendunt, aut plus parum,
E tribus uini cyathis diluti
In uino myrtis facto, & saxis aqua
Astricta. renes, aut uesica, sanguinem
Remittit, quibus hanc medicinam dabis.
Quòd si ieiunum, siue intestinum, aliud
Subtile, siue colon, siue uterus fluet:
Huius antidoti, quantum est drachma, dato.
Febriat si quis pluuia ex aqua,
Non febrienti, ex uino dabis quoque
Diluto, uel myrtaceo, uel dulci cretico.
Si quis non multis mistam habere uelit,
Sed paucis conditam antidotum rebus,
Ita componat sedulus aptissimam.
Infirmo stomacho, nec appetenti cibum
Squallidis, macris, tarde concoquentibus,
Dolores omnes inueteratos pectoris,
Et uentris tollit infixos iam diu.
Ferunt Augustum hac usum Tiberium,
Vllam nec unquam perbibisse aliam.
Continet nigri piperis quinque uncias,
Crocomagmatis quindecim, rosæ decem,
Excussa cribro excipe melle omnia.

18 Alia faciens ad eadem, quæ & prior,
Rosarum constat uncijs bis quatuor.
Cætera uero quæ & superior capit,
Contusa ea omnia, & per cribrum adacta,
Melle despumato excipe ualde bono.
Ad magnitudinem auellanæ, ex hac dabis
E mulso, uel recenti melicrato
Bene decocto, & commisto bene
Percussis à serpentibus, seu ueneno
Petitis, quantum nux iuglans, exhibe
In septem uini cyathis diluti.

19 Pastillorum è rosis apparatio.
Hos te oportet pulchre struxisse prius
Quo dicam modo. recentes carpe rosas,
Carptas siccato in umbra dies duos,
Vel tres ad summum, tres deinde libras cape,
Et tunde missas in pilam, quantum est satis,
Schœni uiginti, bisque sex myrrhæ diu
Contusæ drachmas, bis quatuor adde croci,
Inspergens, simul commiscebis omnia.
Rotulas finge magnas siccatas bene.
Desumes quantum satis in antidotum.

20 Crocomagmatis compositio.
Crocomagma si habere bonum cupis,
Misceto diligenter hæc cuncta simul:
Primum Cilicij drachmas centum croci,
Myrrhæ dimidium pinguis, inde rosæ
Tantundem siccæ, post amyli candidi,
Et gummi drachmas bis quinque & uiginti.
Cuncta hæc tusa atque excussa bene,
Vino odorato Coo insperge parum.
Vbi satis maduerint, finge rotas.
Sicca, utere ut bono cum opus fuerit.

21 Antidotus prognostica.
Prognosticam antidotum ita conficies,
Quam si quis prius cepit, si uenenum sumat,
Euomet ipsum statim & cibum simul.
Qui uerò, ne sumpserit uenenum, timet:
A Si hanc susceperit, reijciet escam
Vnà cum nuper hausto medicamine.
Quòd si nil prauum, nil noxium, inter
Dapes propositas sumpserit, nauseam
Ne sentit quidem, atque epulum retinet.
Hæc quoque medicina ad dolores facit
Lateris, dorsi, renum, & uesicæ, impetum
Sanguinis cohibet absque molestia,
Vndecunque feratur etiam è pulmone.
Ita conficias: lemniam terram cape
Inscriptam signo, inde sigillum dictam.
Pendat hæc drachmam unam, duos obolos:
Aequent iuniperi baccæ drachmas duas.
Dissolue diu fundens olei parum,
Quod dulce & bonum, quodque sit recens satis.
B E mulsa, quantum nux auellana magna est
Offeres, quibus offerre hanc erit opus.
Si profluentem sistere uoles sanguinem,
E mulso aceto quod diu ferbuit, dabis.

De antidotis ab Asclepiade conscriptis in quinto Internarum affectionum libro, qui Mnasonis inscriptus est. Cap. 22

Mos itaque iunioribus medicis est antidotos ap-
pellare, non modo quæ aduersus mortifera medi-
camenta, quæque ad morsus ictusque uenenosos ex-
hibent, sed etiam quæ contra malas corporis affe-
ctiones, præsertimque diuturnas ualent, ex aliquo
uiscere aut abscessu consurgẽtes. has autem cum
Asclepiades describeret, in tria genera distribuit,
quorũ primũ ea continet quæ febribus per circui-
C tum inuadentibus conuenire dicit, quibus & in-
unctiones quasdam, ita enim eas ipse συγχείσμα-
τα uocat, subiungit. Atque hæc omnia λυξιφάρ-
μακα & λυξιπύρετα, hoc est soluimorbia & febri-
fugia cognominat. Secundum uero medicamen-
ta complectitur, quas theriacas appellat, ad mor-
sum canis rabidi, scorpij, phalangij, & uiperæ fa-
cientia. Tertiũ aũt genus in duas partes & ipsum
ab eo diuisum est. quorum alteram medicamenta
à uenenis liberantia nominat, alteram à uenenis
preseruantia inscribit, Andromachi ordinem hac
in parte minime seruans. Is enim, ut est à nobis in-
ter initia huiusce libri dictum, in libro quem de
medicamentis intra corpus assumendis inscribit,
prius antidotos omnes ad uenena, uenenatásque
D feras faciẽtes disponit. deinde medicinas subscri-
bit ad quamcunque affectionem, non solum con-
tra abscessus, sed etiam ad fœtus eijciendos, si o-
pus fuerit, propinanda. nam & hoc medicamen-
ti genus antidotum etiam uocat. ad cõuulsa quo-
que & rupta, atque (ut summatim dicam) ad om-
nes malas internasque corporis affectiones, qua-
cunque in parte corporis incubuerint. atque hæc me-
dicamenta in huiusmodi affectionibus bibenda,
potiones etiã idem autor appellauit, cum circa fi-
nem libri quarti Mnasonis ea describeret. postre-
mas itaque hoc est in fine librorum quos Mnasonis
inscripsit, antidotos Asclepiades collocauit, quæ
uel eos qui uenena iam ebiberunt liberant, uel ne
ab ebibendis lædantur, tutos prestat. Ego uero ta-
les antidotos primas hic describere statui: simul

quia

quia paulo ante traditis affinia sunt, simul quia ipsis plurimũ utimur. nã & ad abscessus quoscunque in uiscere, internaue corporis parte insederint, omnes faciunt, quarum aliquae corporis imbecillitatem subleuant, indolentiam procurant, humores uitiosos quidem emẽdant, incoctos uerò concoquunt. atque eos uel per cutim insensibiliter, uel per aluum urinamque sensibiliter. item & per sputum transmittunt, ut quaecunque pulmonem & pectus, per tussim expurgant. plurimae uerò humores crassos attenuare, tenaces dissecare & abstergere possunt: quibus sequitur, ut & obstructiões adaperiant. quae quidẽ in iecinore assidue, in alijs aũt uisceribus, & corporis particulis aliquãdo fieri solẽt, finis enim ipsarũ est humores attenuare et abstergere, clausaque meatuum ora patefacere.

Asclepiadis remedia ijs qui uenena ebiberunt, ipsiusmet autoris uerbis descripta. Cap. 23

His igitur qui papaueris liquorem hauserint, confert hydrelaeon, hoc est aquam oleo mixtam, calidam subinde bibendam exhibere, atque ut uomant cogere: uel aquam calidam & acetum mulsum dare, & euomere facere: competet etiam aluum clysteri inanire.

24 Qui autem cicutã biberint, ijs statim merum plurimum exhibendum est, aut piper, aut nasturtium, aut cardamomũ ex uino. proderit quoque lac asininũ, bubulumúe haurire, & farina triticea uel hordeacea uino cõmista decoctaque uentrem emplastrare, ac mitioribus uti clysterijs.

25 Aconitum uerò si quis assumpserit, rutae manipulum tritum è uino puro bibat. Ius quoque gallinaceum pingue auxiliatur.

26 At qui Apollinarem herbam biberint, ijs lac bibere conferet, asininum praecipue: quod si non aderit, aliquod aliud lactis genus uel solum, uel cum aqua mulsa calida.

27 Coriandrum aũt uiride qui gustarint, ij uino puro iuuantur, & iure gallinaceo pingui.

28 Quòd si leporem marinũ ederint, lac potent asininum in primis: uel si desit, bubulum, aut caprinum, maluae quoque caules diutius elixatos comedant, aut etiam pulegij manipulum è passo, uel maliterrae radicem uino commistam hauriãt, uel denique cedrinam pondere unius aut dimidij oboli passo maceratam deglutiant.

29 Sin autem toxicum biberint, auxilium afferet uinum dulce, oleum rosatum, sanguis hircinus, semen napi contusum ex uino.

30 Ephemero accepto prodest polygonij succus, plantaginisúe, aut origani, uel thymi etiã aliquantulum uino admistum.

31 Dorycniõ aũt si quis biberit, lac bubulum bibat, & passum, & conchyliorum ius.

32 At si malos fungos assumat, raphani crudi dandi erunt, utque ex eis plurimum comedat iubendum, uinum purum insuper dandum, & è uitis sarmentorum cinere factum lixiuiũ, nitrumque in aceto dissolutũ, aut uini faex usta & cõtrita ex aqua, absinthium praeterea, aut ruta aceto cõmista, quamuis & ipsa per sese ruta comesta prosit.

A 33 His autem qui Ixiam in potum acceperũt, opem affert absinthium ex uino sumptum, castoriumque & ruta. confert etiam acetum mulsum bibendum exhibere, postea uomitum irritare. confert denuo origanũ ex uino haustũ. utemur quoque hac compositione quae habet rutae ℥ sex. resinae drachmas quatuor, castorij drachmas duas, chamelaeae drach. ij. omnia haec contere, & aceto calido misce, & utere.

34 Buprestin autẽ quisquis ebiberit, passum multũ primo hauriat, deinde uomat: ius demum carnis suillę, et lac calidum sorbeat. prodest etiam ad saturitatem non edere: dandum est quoque ficuum decoctum, uel nitri rubri drach. iiij. contusas ex aqua bibendas trade.

B 35 Cantharides autẽ si quis assumpserit, passum oleo mistum, et seuum in aqua decoctum atque colatum bibere proderit, tum uomere eniti: proderit quoque lac plurimũ bibere, nucleosque pini multos comedere, aut eorum plurimos atterere, & ex mulsa propinare, uel rutam tritam atque irino unguento mistã dare, uel denique cantharidum alas & pedes ex melle lingere.

36 Quòd si cerusam quis forte biberit, oleum calidum sumendum est, deinde uomendum. utile etiam erit lac caprinum & maluae elixae succus expressus cum mulsa calida, uel oleo, aut ficuum decoctum cum oleo, uel sesamum tritum ex uino, quinqueúe nuces iuglãdes ex oleo, lixiuiumúe è uitis sarmentorum cinere factum.

C 37 At si spumam argenti quispiam hauserit, piper, apium, myrrha in uino dissoluta & bibita proderunt.

38 His uerò qui gypsum biberunt, lixiuium è uitis sarmentorum cinere cõfectum dandũ est, thymumúe ex aqua contritum.

39 Ad lac autem concretum in grumos acetum ualet, opusque erit coagulo etiam ex aqua fontis uti, uel laserpitij, & nitri aequas partes ex aceto mulsò bibendas tradere.

40 Taurino autem sanguini epoto, remedium est acetum bibere & uomere, uel laserpitij obolum semiobolumúe sumere, aut nitri obolos duos in uino dissolutos, uel caprifici grossos aceto dilutos. Proderit quoque uentrem subducere, eundemque lupinorum farina & nitro in oxymelite

D decoctis contegere.

41 Hirudines uerò si quis deglutierit, alij muriam, quidam niuem superbibere suadent. Asclepiades autẽ calido lauacro uti monet, mollemque spongiam frigida madefactam faucibus immittere, ut hirudo spongiae insiliat & extrahatur. postea lentis succum exhibet, & ceruicem extrinsecus emplastris refrigerantibus operire docet. Apollonius autem cognomẽto Mus, acetum acerrimum propinabat cum muria: qui uerò niuem dabant, eam calefaciebant, & dissoluta utebãtur, cibumque & potum ad subducendam aluum opportune adhibebant, ut hirudinem eijcerent, saepenumero namque aiunt unà cum excrementis ipsas quoque deferri.

42 Atq; de simplicibus quidem uenenis hactenus à nobis dictum sit. De compositis autem postea dicetur. nam eorum compositionem docere improbi hominis est, quamuis hæc multi conscribere sint aggressi: inter quos est Orpheus theologus cognominatus, & Horus Mendesius, iuniorem dico, & Heliodorus Atheniensis, qui tragœdias quoq; cõscripsit. Aratusq; & alij quidam huiusce notę scriptores, quos sanè quispiam commendatiõe dignos iudicauerit, quòd talia carminibus illustrare adorti sint: reprendet autẽ, ac merito quidem, ob genus materiæ susceptum. nam cum sigillatim quodq; uenenum parare doceant, improbos magis instruunt, & pronos ad malum ducũt. quamobrẽ qui pulchra hæc poemata conscripsere, ueriti ne publice plecterenť, lectoribus inter initia suadere conantur, se neq; perditis moribus esse, neq; eiusmodi letalia conficere, sed uitare docuisse, ueluti Heliodorus, qui cũ se ad Nicomachum purgat, ita exordiens fatur.

Mitia per Triccen habitantia numina testor,
Quiq; deos late conspergit lumine Phœbum,
Sceptrigerumq; Iouem Saturno rege creatum,
Nec me muneribus quisquã, nec uiribus ullis
Flexit, amicitiæ uinclumúe abduxit ut ista
Conscius efferrem, attollens ad sidera palmas,
Immunem sceleris mentem pro pectore seruo.

Ex his itaq; libros eiusmodi legentibus, quòd dicebamus persuadere moliuntur, metuentes ne à multitudine læderentur. Atqui nec dici potest, oportere propterea talium uenenorũ instructionem sciri, quo quis aptius indigẽtibus succurrat: falsum est enim hoc. nam qui simplici ueneno petitis auxiliari nouit, is etiam priuatim unũquodq; superueniens symptoma, distinguens, compositis affectos optime tractabit, ingeniose obseruando id quod inter reliqua symptomata excellit: sed ad id quod restat redeamus. Si incognitum nobis fuerit uenenum, quod quis biberit ederitue, hydræleon calidum dabimus, utq; ex eo multum bibat iubebimus, tum uomere ipsum faciemus. Vtile insuper erit somnos quoq; circumscribere. Veruntamen ut & ab his & ab alijs quibuscunq; uenenis caueamus, subscriptis antidotis utẽdũ erit.

Apollonij Muris medicamenta à uenenis præseruantia. Cap. 43

Rutæ folia uiginti, nuces iuglandes duæ, salis granum unum, caricæ duę. hæc si ieiunus aliquis comederit, à uenenis lædi non poterit.

44 Antidotus quæ exhibita accipientem tutum à uenenis reddit. Baccarum iuniperi drac. duas. terræ lemniæ drach. duas. obol. duos. hæc ubi in puluerem redegeris, oleo aut melle commiscebis, & repones, atque cum opus fuerit ex aquę mulsæ cyathis duobus, quantum est auellana dabis. Hac antidoto Nicomedes rex utebať, si quando suspectos habuisset qui se uocarent. nam si uenenum nõ subsit, quieta manet: sin adsit, nauseam cõcitat, & euomere cogit, ita ut uenenum quoq; cum antidoto reijciatur.

45 Antidotus Codij Tusci, qua & Craterus utebatur. Marrubij, herbæ sacræ, seminis rutæ agrestis, scordij, corticum radicum rhamni, singulorum pondus æquale: hæc melli commisce, indeq; drachmas duas exhibe, ad serpentiũ quidem morsus ex uino, ad uenena aũt, ex mulso & oleo.

46 Ad idem alia, ut Apelles tradit. Dictamni drachmas duas, polij drachmas tres, piperis longi drachmas quatuor, rutæ syluestris drachm. sex, scordij drachmas tres. Hæc melli commisce, atque, ut modo dictum est, utere. bona est etiam laterum morbo, trium obolorum pondere exhibita, menstruaq; mulieribus detrahit, drachmę unius pondere.

47 Antidotus Mithridatis Athanasia cognominata, faciens ad uenena, & omnium uenenatorum morsus, quibusq; cibus in uentriculo acescit, sanguinemq; reijciũt. antiquas insuper tusses, hepatis, lienis, uesicæ, & uteri morbos sanat. continet autem piperis albi grana quadraginta, costi, mei, asari, acori, seminis dauci cretici, petroselini, nardi indicæ, agerati lapidis, singulorum drach. quatuor. croci, myrrhæ, singulorum drachm. viij. cinnamomi, casię, singulorum drachm. xij. mellis attici despumati quod sufficiat. datur ex hac ad auellanæ quãtitatem cum mulso diluto. in alio exemplari sic se huius antidoti compositio habet. Spicæ nardi, piperis albi, costi, mei, asari, acori, opobalsami, seminis dauci cretici, seminis petroselini, singulorum drachmas quatuor. croci, myrrhæ, florum iunci odorati, singulorum drachmas octo. cinnamomi, casiæ, singulorum drachm. xij. mellis quod satis est. Item in alio rursus hoc modo se habet. Piperis albi grana quadraginta, costi, mei, asari, agarici, scordij, dauci cretici, petroselini, singulorum drachmas quatuor. croci, myrrhę, singulorũ drach. octo. cinnamomi, casiæ, florum iunci odorati, singulorum drachmas duodecim. mellis quod satis.

48 Ambrosia quæ dicitur Philippi Macedonis antidotus ad uenena, omnium uenenosorum ictus & internos corporis morbos. accipit autem styracis galbani, piperis albi, piperis longi, cinnamomi, singulorum drach. duas. seminis apij, anisi, iunci rotundi odorati, costi, cumini Aethiopici, seseleos, cypheos, rhei pontici, cardamomi, amomi, nardi, myrrhæ, casiæ, singulorum drachmas quatuor, palmularum eiectis nucleis, carnium iuglandium, singulorum drachmas sex, croci drac. viij. uuæ passæ, demptis uinaceis drach. xij. mellis attici quod satis sit, confice ut mos est.

49 Antidotus zopyria quæ facit ad uenena & reptiliũ morsus. De hac talia feruntť. Zopyrum per epistolã Mithridatẽ monuisse, ut antidotum hãc ita experireť. accerseret unũ è condẽnatis, iuberetq; primo uenenũ haurire. deinde hortaretur antidotũ bibere: uel prius antidotũ assumere, postea uenenũ bibere. idẽ ut percussis à serpẽtibus, & in uulneratis à sagittis toxico illitis faceret, hortatus est. uerũ omnib. ita peractis hominẽ cõtigit illęsum permãsisse. iuuat aũt uitio uẽtriculi acidũ ructãtes, sanguinẽ reijciẽtes, cæliacos, dysenteri-

cos, comitiales, iecoris, lienis, renumq́ morbo uexatos, uteri demũ & uesicæ affectionib. medetur, emortuos fœtus & secũdas morantes trahit. cõficitur aũt hoc modo. Opobalsami drach. iij. nardi indicæ, myrrhæ troglodyticę, florũ iunci odorati, cinnamomi nõ adulterati, costi recẽtis, piperis lõgi, hypocystidis, polij, piperis nigri, scordij, mei cretici, cardamomi, singul. drac. iiij. thuris masculi, carpobalsami, dictãni, singulorũ drac. vi. petroselini, casiæ fuluę, singulorũ drac. vij. croci corycij drac. viij. mellis attici quod sufficit. datur hæc antidotus ad magnitudinem nucis auellanæ, non febrientibus ex uino, febrientibus ex mulsa.

50 Antidotus diæmaton, id est ex sanguine appellata ad uenena uenenatorũq́ omniũ morsus. habet aũt. Piperis longi, piperis albi, costi, acori, croci, phu, mei, dictãni cretici, ammoniaci, agarici, singulorũ drac. ij. amomi, opobalsami, seminis rutæ syluestris, cymini æthiopici, anisi, sanguinis anatis maris et fœminę sicci, sanguinis hędini, sanguinis anserini, seminis napi syluestris, singulorũ drach. iij. gentianæ, trifolij, florũ iunci rotũdi odorati, thuris, rosarũ siccarũ, singulorũ drach. iiij. petroselini drach. v. polij cretici tantundẽ. cinnamomi drac. vi. florũ scordij drach. viij. myrrhæ, nardi, singulorũ drach. xij. casiæ drach. viij. omnia hæc diligenter contusa, ac per excussorium cribrũ traiecta, melli attico despumato commiscebis, commistaq́ in argẽtea pyxide repones, atq́ hac ut magno aliquo medicamento uteris.

51 Antidotus Mithridatis Eupatoris ex scinco cognominata, faciẽs ad uenena, omniumq́ uenenatorũ materiam mortem inferentẽ, omniũq́ uenenosorum animaliũ ictus, & malas internasq́ corporis affectiões: mulierib. cõcipere nequeuntibus opitulat̃, menses ducit, emortuos fœtus, atque retentas secundas trahit. febres per interualla inuadẽtes soluit, resolutos, tremulos, coxendices in scapulas rigẽtes, podagricos, & id genus reliquos neruorũ morbos iuuat. cõficit̃ aũt hoc pacto. Scinci, sagapeni, acori, phu, costi, hyperici, acaciæ, iridis, mei, gũmi, singulorũ drach. ij. rosarum siccarũ, gentianæ, cardamomi, singulorum drach. iiij. seminis papaueris ob. ij. styracis drach. viij. polij, casiæ nigræ, seseleos, bdellij, balsami, piperis albi, singulorum drach. v. ob. ij. succi hypocystidis, opopanacis, myrrhæ, thuris masculi, castorij, piperis longi, cypheos, foliorũ malabathri, singulorum drach. vi. scordij, florum iunci odorati, chalbani, terebinthinæ, singulorum drach. sex. obol. ij. nardi syriacæ, opobalsami, thlaspis, dauci cretici, singulorum drach. vi. oboli ij. croci, cinnamomi, zingiberis, singulorum drach. vi. obol. ij. succi glycirrhizæ, agarici, singulorum drach. vij. obol. iij. mellis quod sufficit, uini optimi quod satis est ad succos dissoluendos. Construitur autem hoc modo: cyphi, hypocystis, sagapenum, gummi, opium, styrax, opopanax, uino chio macerãtur die noctuq́ quoad penitus dissoluta sint, reliqua uero interim contusa, tenui cribro excutiuntur, illisq́ iam maceratis ac dissolutis commiscentur, commistaq́ attico melle ad crassitiẽ usq́ despumato excipiuntur, opobalsamoq́ superimmisso, demum in uas argenteum transferuntur, atq́ ad multos usus reponuntur. Datur autem ex hac antidoto quantum æger tolerat. Nos autem ut ualidius medicamentũ hoc faceremus ad menstrua prouocanda, utq́ sine periculo fœtus educi possent, imposuimus dictamni drach. iiij. ammoniaci drach. tres. seminis rutæ syluestris drach. iij. cumini Aethiopici drach. vi. seminis trifolij drac. iiij. napi syluestris drach. iiij. chamædryos drach. iij. rhei pontici drach. tres. succi cyrenaici drach. duas. His additis medicamenti usus ad multa utilis redditur. quadrimestres enim fœtus corrumpit, & trimestres educit.

52 Mithridatis theriaca. Hac Mithridates rex semper usus est, ut se à uenenis tutum præstaret. itaq́ à Romanis obsessus, bis epoto ueneno, cum mori non posset, seipsum ense traiecit. Facit aũt ad pernitiosa uenena, omniũq́ uenenatorum morsus, et internas corporis affectiões: hac et Andromachus postea usus est, cõponiturq́ hoc modo. Pastillorum scilliticorũ drachmæ xlviij. pastillorum uiperinorum, piperis nigri, spissamenti hedychroi, succi papaueris nigri, singulorũ drac. uigintiquatuor. rosarum siccarum, scordij, seminis napi, iridis illyricæ, agarici, cinnamomi, succi glycirrhizæ, opobalsami, singulorum drach. xij. roris marini drachmæ viij. myrrhæ, croci, zingiberis, rhei pontici, radicum quinquefolij, nepitæ montanæ, marrubij, petroselini * oboli duo. stœchadis, costi, piperis albi, piperis nigri, thuris * casiæ nigræ drach. iiij. costi drachmam unam. croci drachmas quatuor. piperis albi drachm. unam. piperis longi drachmam unam. iridis illyricæ, iunci rotundi odorati, polij, scordij, rosarum siccarum, sanguinis anatis, singulorum drach. tres. mellis attici despumati quantum sufficit.

53 Antidotus centena quatuor, quãq́ Cæsari cõposui ad õmia, præsertimq́ ad uenena. Abrotoni, drac. ij. & semis. aristolochiæ drach. xx. acaciæ drac. iiij. baccarum iuniperi, tantundem. croci drach. ij. asari drach. iiij. anisi drachm. iij. amomi drachm. vi. agarici, drachm. tres. carpobalsami, drach. ij. bdellij, drach. tres. balaustij drach. ij. gentianæ drach. iiij. succi glycirrhizæ, tantundem. seminis rapi drach. iiij. alij habent viij. terræ samiæ, drac. i. seminis dauci, drach. iiij. radicis dracontij, drachm. tres, obol. tres. seminis irionis, drach. xx. iridis illyricæ, drach. ij. myrrhæ drach. septem. ob. iij. zingiberis, tantundem. radicis eryngij drach. quatuor, obol. duo. thlaspeos drachm. uiginti. conizæ tenuis, drachm. sex. obol. tres. cyperi, drach. sex. acori drachm. sex. seminis cicutæ decorticati, drach. i. ob. tres. ammeos drach. quatuor. seminis cnici, drach. septem. ob. duo. cinnamomi drac. septem. costi drach. septem. obol. duo. casiæ drachm. vi. ob. duo. succi centaureæ drachm. quatuor. ob. v. castorij drach. vi. calami aromatici drach. quatuor. gummi drach. duo. cardamomi drach. quatuor. cachryos drach. iij. ob. iij. cypheos drach. vi. chalbani

chalbani drac.sex.oboli duo. foliorum libanotidis,drac.quatuor.saluiæ,tantundem. seminis lonchitidis drac.duo.oboli tres: seminis lithospermi drach.tres.thuris,drach.vi.oboli iij.seminis fœniculi drac.vi.succi papaueris drac.vi.rubricæ lemniæ drach.unam. malabathri drach.x. mei drach. vi.sanguinis anatis, tantundẽ. nardi syriacæ drac. sex.oboli tres.nardi celticæ drach.viij.xylobalsami drach.iij.succi panacis,tantundẽ.seminis hormini,drach.viij.erui albi,tantundem. radicum panaceæ drach. iij. opobalsami drachmas quatuor. securidacæ drach.vi.polij drach.v. oboli ij. foliorum polygonij drach.ix.radicis elenij drac.v.ob. iij.petroselini drach.vi.ob.ij. quinquefolij drach. viij.succi peucedani,tantundẽ.piperis nigri drac. v.obo.iij.piperis albi drac.iiij.obo.iij.piperis longi drac.iiij.scinci drac.iij.terebinthinæ drac.ij.rosarum exiccatarum drach.vi.sagapeni drac.octo. stœchadis drach.quatuor.pineæ nucis torrefactę drach.vi.iunci odorati drach.iiij. ob.ij. uuæ passæ sine uinaceis drac.quatuor. seseleos drac.v. ob.ij. seminis pastinacę drac.quatuor.fellis taurini dra. v,fellis ursini,tantundẽ.chamæpityos drac.iij. seminis psylij ʒ.iiij.chamædryos tantundem. seminis sesami tosti drach.sex. radicis consolidæ drac. ij.summitatum scordij drach.iiij.ob.iiij. herbæ pedicularis drach.v.styracis drach.v.obo.ij. fructus trifolij ʒ.decem.seminis tordilli, drach.ij.foliorũ teucrij drach.quatuor.succi hypocystidis drac.ij. & semis.fructus hyperici drach.ij. seminis alterci drach.ij.rhei pontici drach.ij.phu drac.octo.rhus opsoniorum drach.quinque.ob.tres. radicis umbelici ueneris drach.una.obol.tres. uini & mellis quod satis est,ego uinum non adhibeo.

54 Antidotus Aelij Galli cum ad alia,tum ad canis rabidi morsus. Nardi syriacæ drach.iiij. myrrhæ drach.ix.cinnamomi drach. xij. casiæ nigræ, tantundem. croci drach.octo. costi drac.iiij. seminis dauci, tantundem. mei, tantundem. alij drach.una.petroselini drach.iiij. piperis albi,grana xl.carpobalsami drachm.iiij.acori, asari, tãtundem.iunci rotundi odorati drach.viij. alij ipsum non immittunt.mellis despumati, quantitas quæ sufficiat.hæc per se sola deglutienda est.

55 Eiusdem alia ad internas affectiones multum efficax. Cinnamomi drach.sex.croci drac. duas.obo.tres. piperis albi ʒ.quatuor.obol. duo. piperis longi drach.tres.obo.tres. opij drac. tres. nardi indicæ drach.quatuor.myrrhæ drach. quatuor.ob.duo.acori drach.tres. nardi gallicæ drac. quatuor.styracis drach.unam.obol.duos. chalbani drach.quatuor.castorij drach.tres.ob.duos. costi drach.duas ob.duos.omnia hæc melli commisceto,indeq́ pilulas conficito, potione ue aliqua diluito.Concoctionẽ eñ & indolentiã procurat.

56 Aromatica optima Galli ad omnia faciens. Cinnamomi drach.una.casiæ drac.una. croci drach.semis.amomi drach.quinq́. malabathri drach.duæ. myrrhæ drach. semis. alij drach.una. iunci rotundi odorati, drac.una. costi drac.semis. piperis drach.tres.mellis attici quod sufficit.Ego

A uero inquit,cinnamomi duplum immitto, meliorq́ efficitur.

57 Antidotus Archibij, quæ Ambrosia & sacra cognominatur, ad omnes internas affectiões qua utor, continet autem. Anisi drach. quatuor.seminis apij, tantundem. myrrhæ drac.unam. panacis,tantundem. cinnamomi drach. duas, seminis loti amari drach.duas. casiæ ʒ. duas. nardi drach.duas.croci ʒ.duas.obo.tres.piperis ob.iij. succi papaueris, ʒ.quatuor. mellis quod satis est. potio hinc cõficitur. ad intestinorũ tormina quidem ex uini myrtini, & aquæ quarta heminæ parte,ad hepar autem ex aquæ mulsæ hemina dimidia.Item ad uigilias, ophthalmiam, & lateris morbum ex aqua mulsa, ad stomachi demum uitia,ex

B uini granatorum cyathis duobus, & aquæ totidẽ.

58 Antidotus Antipatri, quę & theriaca nũcupatur, & ad morsus aspidis ualet,ante & post ictus exhibita,qua utor,habet autem. Gentianæ dra.quatuor.radicis trifolij drach.quatuor. seminis eiusdem drach.ij. polij drach. quatuor.aristolochiæ tenuis dra.ij. radicum peucedani,tantundem.chalbani dra.duas.petroselini,dra.quatuor. rutæ syluestris, drachmas tres.pyretri drachmam unam.herbæ pedicularis,tantundem.radicum uitis albæ drachmas duas.piperis albi, tantundem. acori, drachmas tres. thymiamatis ammoniaci, drac.unam.obo.tres.uerbasci idei, chamæpityos, chamæleæ, marrubij tenuis, conizæ tenuis, cymini æthiopici, succi papaueris, castorij, seminis fœ-

C niculi, agarici, casiæ rufæ, florum iunci odorati, rhei, singulorum drach.duas.dauci cretici drach. unam,obo.tres.opopanacis, tantundem.sagapeni drach.duas.obo.tres.abrotoni drachm. unam, obo.tres, dictamni, tantundem. styracis, tantundem. cinnamomi drach. tres. nardi, tantundem. myrrhæ drach.quatuor.thuris drach.unam.croci drach.octo.anisi drach.unam.succi cyrenaici,tantũdem.coaguli hinnuli ʒ.tres.mellis attici, quod satis est.ex hac sumitur quantum est nucis auellanæ magnitudo,ut se quis à ueneno tutũ reddat.

59 Aelij Galli theriaca qua utor, optima ad scorpionum ictus, & alia quæ uenenum morsu relinquunt,ad rupta cõuulsa,coli inflationes, & huiuscemodi cætera. hanc Gallus ex Arabia rediẽs

D Cæsari obtulit, qua multos ex commilitonibus suis seruauerat. habet autem. Radicis uitis albæ drach.xvi.seminis trifolij,opopanacis, singulorum drach.octo.aristolochiæ tenuis drach.xij. radicis libanotidis,iridis illyricę,zingiberis,opij, singulorum drach. octo. seminis rutæ syluestris, drach.xij.cumini Aethiopici drach.xvi.myrrhæ, casiæ, castorij, seseleos radicis, eryngij, serpilli, succi cyrenaici, singulorum drachmas sex. medici drachmas duodecim.sagapeni drachmas sex.croci drachmas quinque.farinæ erui drachm.uiginti quatuor.cum aqua hæc in pastillos trium obolorum rediges, & ex uino dabis.

60 Eiusdem alia theriaca ualde efficax, quæ ex his constat. Seminis trifolij drach.xij. aristolochiæ drach.sex. magmatis hedychroi drachm. octo

viij.quinquefolij drach.iiij. echij herbæ drach. vi. philanthropi,id eſt lappæ drac.v. ſagapeni drach. iiij.polij drac.vi.caſtorij drac.iij.croci drac.viij. ſeminis apij,aniſi,fœniculi,petroſelini.ſing.drac.vi. opopanacis drac. iiij.opobalſami drach. ſex. ſeſeleos dracmas quatuor, cumini æthiopici aut thebaici drac.v.myrrhę,ſcordij,phu,mei,ſingulorum drac.ſex. ſeminis alyſsi cretici drachmas ſex. farinæ erui drac.octo. Tritis uinum affunde Ariuſium,orbeſq; confice ponderis quatuor obolorũ, quorum unum dabis ex uini chij meraci ac maris exortis hemina dimidia.

61 Theriaca ad dolores internos Euclidis Palatiani:quã,ut ipſe dicebat,ad morſus aſpidũ cõpoſuit. facit tamen & ad pleuriticos & quartanarios magnitudine nucis auellanę exhibita,ſi prius euomuerint:tuſsientibus inſuper & ſurſum exſcreantibus ex aqua,percuſsis à ſerpẽtibus ex uino, pleuriticis & ſanguinem reijcientibus ex aquæ cyathis duobus & aceti uno datur. habet autem. Caſtorij drac.vi.opopanacis, ſagapeni, ſeſeleos, cachryos, chamædryos,chamæpityos,marrubij,ſing. drach. xvi.ſtyracis,bituminis iudaici,myrrhæ, ſingulorũ drac.vij.ſucci papaueris drac.viij.mellis libram unã.Percuſsi à ſerpẽtibus,ſi fieri poteſt, fac ut prius euomant,deinde ex hac cum plurimo ſucco fraxini,uel ſi deſit,cum uino drachmam unam exhibe, uel plus etiam:quartanarijs autem ad nucis auellanæ magnitudinem dato.

62 Zenonis Laodicei theriaca quemadmodum tradit Menutianus qui eam ab ipſo accepit. habet autem. Cardamomi demptis inuolucris, ſerpilli,ſeminis apij,radicis uitis albæ, ſeminis trifolij,aniſi,petroſelini,radicis & ſeminis fœniculi, ammeos,ariſtolochię tenuis,farinę erui,opopanacis,ſingulorum pondus æquale. ſeparatim primo quæq; contunde,tum commiſce, & ubi ea uinum auſterum affundens ſubegeris,orbes cõficito, qui ſimul atq; in umbra exſiccati fuerint, trium obolorum pondus impleant.horũ unũ ex duobus aquæ cyathis dato ter interdiu, ſemel noctu, interdum uero & ſæpius, præſertim ijs qui frequenter euomunt.quandoq; per nares etiam infundendi ſunt: ſi eos ægrotus deglutire nequeat noxio ſomno grauatus,aut aliquo alio paruo ſymptomate correptus.loca uero demorſa,ſi quodã cum tumore nigricauerint,ac carnem alioqui diffluentem habuerint,ueluti ulcera maligna procurato.

63 Antidotus quæ ad conuulſiones & rupta facit,ſanguinem reijcientibus, lienoſis,iecinoroſis,ueſicæ doloribus,uoluuloſis auxiliat,uẽtriculi uitio laborãtes & cœliacos ſanat, inflatiões diſcutit,& arquatos liberat.datur ad hęc oĩa ex mulſo oliuæ magnitudine. Cinnamomi,coſti,ſin.drac. ſex.nardi ſyriacæ drac.uiginti.croci, myrrhæ, malobathri,ſing.drac.octo.caſiæ drac.xij.piperis albi drach.x.thuris drac.quatuor.iunci odorati drach. xv.iridis illyricæ drac.xij.terræ lemniæ drach.xx. mei,ſeſeleos, ſingulorum drach. viij. ſeminis apij drac.iiij.pinearum drac.xij.irionis drac.vi.ſeminis cucumeris torrefacti drac.vi.terebinthinę drac.iij.

A petroſelini drac.iiij.amomi drachmas tres.ſcordij, polij,opobalſami, gentianæ, cumini Aethiopici, ſingulorum drachmas quinq;.ſeminis rutæ ſylueſtris drachmas iij. aniſi, tragacanthi, ſingulorum drac.viij.phu,ſtœchadis,cneori,ſingulorum drac. ij.irionem linteolo conuolutum in aqua primum coquito,ut ipſum deinde reliquis omnibus comminutis admiſcere poſsis,tragacantham poſt modum aqua maceratam ſuperimmitte. datis ex hac antidoto quantũ eſt Aegyptiæ fabæ magnitudo, febrientibus quidem ex aquæ,non febriẽtibus autem ex mulſi cyathis duobus.

64 Antidotus Mithridatica,ut Xenocrates ait apud Nicoſtratum, ad uenena omnia, uenenatos ictus,difficiles concoctiones,inflationes uentricu- B li,& uentris morbos faciẽs,iecoreq; & liene & coxendicibus ac renum lateris & pulmonis uitio laborantibus ſubuenit,continet autem. Succi hypocyſtidis drac.vi.ſcordij drac.v.caſtorij drac.iiij. petroſelini drac.v. ſeſeleos drac.i.thuris drach. vi. polij drach.ij.dauci cretici drac.x. piperis albi ʒ.i. ob.iij.piperis longi drac.i.coſti ʒ. iiij.ob. iij.cinnamomi drach.ij.croci drach.v.obol. iij. caſiæ nigræ drac.iiij.nardi drac.viij.myrrhæ drach.viij.iunci rotun.odorati drac.iiij.amomi drac.ij. chalbani drac. duas.terebinthinæ drachmã unam. ob.iij. ſucci papaueris drach.xx.mellis attici quod ſufficit.ex hac dabis quantum & è reliquis.

65 Antidotus Tyrannis appellata & ut inquit Nilus,ab Antipatro cõpoſita ad calculoſos & eos C qui inter ſpirandum ſuffocari uidentur facit.ſecundas & fœtus retentos eijcit.comitialibus, podagricis,articulorumq; & coxendicum morbo laborantibus prodeſt urinam craſſam plurimam educens. hanc dabis ad fabæ magnitudinẽ ex mulſo etiam contra uenena, aduerſus autem ſerpentium ictus ex uino:comitialibus uero,ſi febriant,ex mulſa.habet autem. Scinci drach.viij. myrrhæ ʒ.xxviij. rubricæ lemniæ drach.iiij.nardi drac. viij. iunci odorati drac.iiij.cinnamomi drac.xxiiij.radicis dulcis drachmas xxviij.myrrhæ drac.uiginti. eryngij, drach.xxiiij.amomi drach. xij. cardamomi drach. viij.croci drac.viij.baccarum cedri nigrarũ drach. xij.meliloti drac. xij. ſeminis hyacinthi drach.iiij. piperis longi drach. iiij. piperis albi, grana lxxxv. D ſpondylij drac.xij.ſtœchadis drachmas v.pyrethri drac.vi.ſeminis maluæ ſylue.drac. xij.ſeminis leucoij ʒ.iij.opobalſami drac.vi.coſti drach.viij.obolum unum. ammeos drach.xij. radicum umbilici ueneris drac.xiiij.ſeminis dauci drac.xij. carpobalſami drac.iiij.xylobalſami drac.iiij. caſiæ drac. viij. cumini Aethiopici drachmas quatuor. ſeminis ocymi drac. octo. acori drach. viij. florum labruſcæ drachmas octo.ſeminis apij drachmas xij.ſagapeni drac.viij.radicum capparis drach. quatuor. gentianæ drach.xiiij.radicis periclymeni,drac.viij.thuris drac.viij.ſtyracis drac.i.milij agreſtis drachmas xxiiij.radicum ſmyrnij drac.iiij. thymiamatis ammoniaci drac.xvi. ſeſeleos drac.iiij. cachryos drac. iiij.iridis illyricæ drach.iiij.aniſi drach.iiij. chamædryos drach.xv.chamæpityos tantũdem. ſeminis

ſmyrnij drac.viij.zingiberis drach.xiiij.centaureę tenuis drac. viij.ſeminis paſtinacæ, mei,ſingulorũ drach.octo.radicis calami drac.iiij.uini boni cotyla una.mellis Attici quod ſatis eſt.

66 Antidotus Harpali ad quartanarios. Myrrhæ drac.quatuor.piperis longi drachmas duas. lachrymæ papaueris drachmas duas. caſtorij obol. tres.& ſemis.cardamomi drac. quatuor. ſagapeni drac.duas. Comminuta hæc omnia & aquæ cõmiſta rotulas ponderis duorum obolorum cõfinges quas per interualla febriẽtibus dabis ex adriani uel amminæi uini cyathis duobus,& aquæ fontanæ quæ deferbuerit cyathis quatuor, febrientibus autem ſine intermiſsione ex hydromelite toti dem cyathis.facit quoqꝫ ad reliquos febriũ circuitus. Quoniam uero ad morſus ictuſqꝫ uenenoſorum animalium ſupraſcriptis antidotis tam Aſclepiades quàm Damocrates quædam inſuper alia addiderũt,idcirco mihi quoqꝫ ea hoc in libro ſubijcere potius quàm omittere uiſum eſt, ac primo quidem ab Aſclepiade prodita.

Remedia ab Aſclepiade conſcripta in quinto Mnaſonis ad ſerpentium noxas. Cap. 67

Potio demorſis à rabido cane hominibus amuletum ualde generoſum, præſeruat enim ne in rabiem incidant. Lycij indici quamoptimi obolos tres ex aqua dabis, uerbenæqꝫ parumper immittes.diebus autem tot id facies quoad ſecurum eſſe ægrum arbitraberis.datur et ſine aqua lycium ſolum in ouo ſorbili.

68 Alia. Caſtorij drachmam unam. ex uini roſacei albi cyatho bis ſingulis quibuſqꝫ diebus bibẽdum dabis,quod cum facere deſieris, abſinthij decocto ægrum euacua,ſaliſqꝫ tãtum immittes,ut clyſter uehemens reddatur.

69 Antonini Coi. Alyſſum herbã contuſam & cribratã repone, huius cũ opus fuerit à rabido cane morſis cochlear exhibebis ex aquæ & mulſę cyathis tribus ſtatim à primo die uſqꝫ ad quadraginta,ſin minus ſaltẽ primis ſeptẽ diebus. Alyſſus aũt herba eſt marrubio ſimilis, aſperiores tamẽ & magis ſpinoſos in ſurculorũ ſummitatibus orbes habet,florẽ ad cœruleũ uergentẽ profert.hanc inter caniculæ æſtus colligere oportet,exſiccataqꝫ & cribrata ſeruanda eſt,ut exſpirare non poſsit.

70 Alia. Mithreæ,quæ recipit cineris cãcrorum fluuiatilium uitis albæ ſarmentis exuſtorum attritorumqꝫ myſtrum unum, radicum gentianæ, myſtra duo. ex hac antidoto ſingulis quibuſque diebus quoad ſextus adueniat cochlear unum ex uini puri antiqui cyathis tribus plus minus'ue dabis.ætatem nanqꝫ & uires infirmi ſpectaſſe cõuenit.ijs inquam cochlear unum dato, quibus ſimul atqꝫ à rabido cane morſi fuerint, medici copia affuit.quòd ſi quis primo uel altero die remedio caruerit, ſi ſecundus dies is ſit, antidoti duplum capiat:ſi tertius,triplum.nam uinum ſatis idem ſemper erit,tribus poſtea ſubſequentibus diebus tantum aſſumat, quantum prima die ſumpſiſſet. hoc medicamentum bibentem ſatis ſuperqꝫ tutũ reddit,ne in aquarum formidinem incidat.

71 Antidotus Cratippi uiri & celebris,& alendis canibus dediti. Cancrorum drac.xx.myrrhę drac.ij.croci drac.i.& ſemis.gentianæ drac.i.piperis albi,grana x.uini quantũ ſatis eſt ad cõmiſcendum.dabis ex hac drac. unam. ex uini aqua diluti cyathis tribus. Alia qua uſus eſt Heras Cappadox. Scordij drach.ij.piperis albi drach. ij.s.opij drach.iij.ſucci cyrenaici drach.iij. ſemis. cachryos drach.iiij.gentianæ,ſeminis rutæ ſylueſtris, rubricæ lemniæ,ſing.drach.v.myrrhæ drac. vij. opobalſami drac.viij.hæc primũ uino infunde,tum melli deſpumato commiſce, poſtremo opobalſamum inijce.robuſtioribus quod bis ægyptiæ fabæ magnitudinem æquet dato ex aquæ calidæ cyathis tribus. Alia Aelij Galli quæ,ut Blechionius inquit, à Cæſare ſumpta eſt. Polij, ſucci cyrenaici,ſingulorũ drac.tres.ſemis. cachryos, ſeminis rutæ ſylueſtris, ſingulorum drach. iiij. gentianæ, rubricæ lemniæ,ſingul.drac.v.myrrhæ drac.vi.opobalſami drac.viij.ſcordij, piperis, ſingulorũ drach. xij.melli omnia hæc admiſceto.

72 Antidotus Zenonis Laodicenſis ad morſum canis rabidi quæ etiam eſt bona theriaca. Seminis petroſelini,ameos,aniſi, ſerpilli, radicum uitis albæ,ſeminis fœniculi,farinæ erui,ariſtolochiæ longæ,ſeminis trifolij,opopanacis,medullę cardamomi, detractis folliculis, ſingulorum drachmas iiij.ita uero conficitur.Opopanacem uino diſſolutum in promptu habe, reliqua uero ubi contuderis,ac per minutum cribrum traieceris,inſpergendo ſubige, ſubactaqꝫ opopanaci commiſce, rotulas inde confice,quas poſtquam in umbra ſiccaueris,drachmæ unius põdus ex uini meri cyathis tribus totidem diebus exhibebis nuper à rabido cane morſis.quòd ſi diu iam commorſus quis fuerit, ex aqua frigida põdus idem dabis. Antidotus hæc in Dionyſium Mileſium refertur.

73. Claudij Apollonij medicamentum accõmodatum aduerſus canis rabidi morſum quod & theriaca eſt. Seminis trifolij, radicum fœniculi, ſing.drach.ſex.foliorum ſcillæ aridorum,ariſtolochiæ longæ,ſing.drac.v.ſcinci, ſurculorum ſerpilli,ſing.drac.iiij.cardamomi à cortice depurati,radicis dulcis, ſing. drach. tres. ammeos, radicis rutæ, ſingul.drach.ij. opopanacis, ſucci cyrenaici, ſing. drachmam unam.uini falerni, ſeſtaria tria, & cancrorum marinorum exuſtorum, lib.tres. cãcros in uinum coniectos macerari ſinas,quod ubi combiberint, ipſos accurate diſſolutos promptos habe. res autem ſiccas cõtuſas & per minutum cribrum tranſmiſſas cancris admiſceto,rotulaſqꝫ inde confingito,quarũ tres obolos propinabis ex uini puri cyatho uno & dimidio tribus diebus.ac de his quidem hactenus.nam quæ foris quoqꝫ admoueri debent ſubiungenda uidentur.

74 Menippi emplaſtrum ad morſum canis rabidi,quo Pelops utebatur. Picis brutiæ libram unam. opopanacis unc. iiij. aceti ſeſtarium unum. opopanacẽ in cyathis quatuor aceti diluito, aceti quod ſupereſt unà cum pice decoquito, ubi conſumptum id uideris,tum opopanacem addito,ſed

caueto

caueto ne efferueat.cum ſatis inter ſe commiſta ui debuntur,plagellas permagnas inde conficito, lo coq; demorſo ſuperindito.neceſſe eſt autem ulcus per quadraginta dies apertum ſeruare.

75 Menelai quod ualet ad morſum canis rabi di,ægylopasq; & omniũ reptiliũ ictus.habet autẽ, Nitri rubri drac.ij.fæcis uini combuſtæ drach.viij. thymiamatis ammoniaci ℥.vij.ſeui caprini lib.i.o lei lib.i.& ſemis.ceræ lib. duas. aquæ ſeſtarium unum.ammoniacũ in aqua diſſolue ſic ut ſtrigmenti craſsitiem habeat,reliquũ uero aquæ ferueat nitro & fæce immiſſa.quod cum denſatum fuerit, ea quæ colliquantur inijcies:ubi diſſoluta fuerint, ab igne uas amouebis, ammoniacumq; impones,indeq; utraq; in mortarium transferes, diligenterq; ſubiges.ex eo cum opus erit uteris.

76 Album Baſuli. medicamentũ ad morſum canis rabidi, quod & extrinſecus ulceri imponitᷓ, & per os intrò aſſumitᷓ maxime ab ijs quibus iam rabies dominatur, pilula ad magnitudinẽ auellanæ nucis cõfecta,ac quotidie quadraginta diebus deglutita.ſtatim enim à periculo liberat. imponitur autẽ loco demorſo,nec niſi ſecundo quoq; die ſoluitur,& idcirco opus eſt alternis diebus uulnus ſoluere, & ulceris nigredinem ſpongijs abſtergere,idq; tamdiu facere quoad uſq; medicamentum album permaneat.ita aũt cõficitur. Ceræ ponticæ lib.ij.ſpumæ argenti,ceruſſæ,ſin.lib.i.myrrhę,medullæ ceruinæ,ſing.unc.ij.thuris maſculi, unc.i.olei ueteris ſeſtarium unum.Argenti ſpumam oleo decoque,quam cum tranſmutatam uideris,ceram inijce,& ceruſſam inſperge.cumq; ad id uenerint, ut manus non inquinent, igne ſubducto medullam impone,myrrhãq; & thus inijce,atq; ubi cuncta bene ſubegeris utere.

77 Baſilica aduerſus canis rabidi morſum cõpoſita quæ in aquarũ formidinem ægros incidere non permittit. hanc Auguſta apud ſe cõpoſitam ſemper habuit.continet aũt,Salis ammoniaci, ſucci cyrenaici,ſing.drac.ij.quod ſi cyrenaicus deſit, ſyriaci duplũ accipito. coaguli leporini drach. iiij. iridis illyricæ,caſtorij pontici, ſing.drach.v.lactis caprificus cõgelati aridi,tantundẽ, aut ſi ſiccus deſit,liquidi duplũ impone.adipis hyenæ drach.viij. reſinæ terebinthinæ drach. ix. ſanguinis canis nigræ,drach.xi.ceræ ponticæ drach. xxxvi. olei antiqui cyathos duos.aceti ſcillitici,cyathos tres.arida contrita aceto commiſce,liquanda uero liqueſcant prius,deinde attritis addantur atq; in opportunos uſus omnia reponantur.

78 Ad ſcorpionũ ictus ſubſcriptis antidotis utendũ erit. Hac Diophantus utebaᷓ in ſcorpionum ictibus,& in cõmorſis à phalangijs.habet autẽ,Ariſtolochiæ ℥.iiij.piperis ℥.ij.opij ℥.i.pirethri ℥.iij.cõtuſa hæc & melle excepta in rotulas ad fabæ ægyptiæ magnitudinem rediges, quarũ duas deglutiendas trades ex uini puri cyathis duobus.

79 Alia ad ſcorpionũ ictus noxiosq; aliorũ animaliũ morſus.accipit aũt,Ariſtolochię,zingiberis,ſin.drac. viij, nepitę,ſeminis rutę ſylueſtris,ſin. ob.iij.piperis.ob.ij. hæc primũ teſtudinis ſangui-

A ne ſubigito,tum rotulas inde trium oboloruũ pondere confingito,atq; ex uino puro dato.

80 Alia quæ conſtat ex cymini æthiopici,ſulfuris uiui,piperis albi,ſing. drac.ij. caſtorij, ſilphij, trifolij,ſing.drach.i.hæc inter ſe uino commiſce & ex uino puro ſorbenda præbe.

81 Antidotus ad eos, qui in periculum deuenere ob ictũ ſcorpiõis phalangijue aut alterius cuiuſq; reptilis.aſſumit aũt,ſeminis rutæ ſylueſtris,ſeminis erucæ,pyrethri,ſtyracis,ſulfuris uiui,ſingul. drach.vi.caſtorij drac.ij.omnia hæc teſtudineo ſanguine ſubacta ex meri uel aceti dimidia cotyla propinabis quatuor obolorum pondere.

82 Antidotus quæ dolorẽ ſedat ijs qui à ſcorpionibus phalangijs cæteriſq; reptilibus percuſsi

B fuerint, queq; cũ difficultate parietibus auxiliatur, huius nomẽ eſt Calliſta,hoc eſt optima.cõtinet autem,myrrhæ,caſtorij,ſtyracis,ſin.drac.i.opij,drac. ij.chalbani,drac.iij.ſeminis apij,acetabulũ unũ,aniſi tantundẽ. piperis grana xxx. hæc inter ſe uino coniũcta ex una uini cotyla dabis pondere unius drachmæ.antidotus autẽ hæc eximie bona eſt.

83 Antidotus Abaſcanti medicã arte Lugduni exercentis.accipit aũt,piperis albi grana xx.caſtorij,opij,croci,myrrhæ,iridis illyricæ,herbæ pedicularis,chamædryos,radicũ uitis albę,pyrethri, ſingulorũ partes æquales.omnia hæc uino cõmiſce,& drac.i.ex uini puri cyathis tribus exhibe.

84 Antidotus quæ à ſcorpionibus ſcorpiaca

C dicitur,quæq; medicantẽ minime fallit, magna cũ difficultate nobis à quodã accepta, qui in Africa degens hac utebatur,& percuſſos à ſcorpionibus tutos ab omni periculo reddebat.optime quoque præſeruat bibita à nondũ percuſsis in ſecuritatem euẽtus.habet aũt,ſulfuris uiui, ſulfuris foſsilis,ſin. drach.ij. piperis albi drac.iiij. opopanacis, ſabinæ herbæ,thuris maſculi,ſing.drac.iij.ariſtolochiæ rotundæ,peucedani,myrrhæ,centaurij,ſerpilli, chamædryos,chamæpityos,herbæ ſcorpiacæ, anagallidis,bituminis, ſing. drach.ij. betonicæ, medullæ ceruinæ, carnis crocodili terreſtris, ſiue appellati ſcinci,ſing. drach.i.ſingula quę enumerauimus cõtuſa,ac per minutiſsimũ cribrũ primo traiecta,deinde ſimul omnia cõmiſta ita ſeruanda ſunt ut reſpirare nõ poſsint.cũ uero percuſsis opitulari uo-

D lueris,cochlear unũ huiuſce pulueris ex uini puri cyathis duobus exhibebis.præſeruationis aũt annuæ gratia ſemel ex hac antidoto bibant qui ſe tutos à periculo ſeruare uolẽt. oportet tamẽ eos qui primo hoc medicamentũ præſeruationis gratia bibent,die illo nec lauari,nec uenere uti.

85 Antidotus à Zoilo ſumpta qua Epaphroditus Carthaginenſis utebatur, ſtatim aũt hæc & ægros à dolore liberat,& per annũ quam pulcherrime quoq; præſeruat,ſemel ebibita. continet autem,ſulfuris uiui drach.iiij.thuris lib.i.ſabinæ,ſtœchadis,ariſtolochiæ,ſing.drac. vi. myrrhæ drac.v. medullæ ceruinæ,opopanacis ſing.drac.iiij.dictamni cretici drac.iij.bituminis,ſerpilli, ſcordij,rhei, trifolij,centaurij,chamædryos, piperis albi, abrotoni,betonicæ, polij,coaguli hœdini, anagallidis,

A sing. drach. ij. crocodili terrestris ʒ. x. confice ut dictum est, & percussis cochlear unum bibendum præbe ex uini puri cyatho. præseruat eadem singulo quoq; anno semel exhibita.

Quæ extrinsecus imponenda sint percußis à scorpionibus. 86

Lauri folia in uino cocta & contusa impone, uel liliorum radices attritas ex aceto.

87 Aliud. Aristolochiæ in uino decoctæ, rutæ summitatum & nitri partes æquales atteres, & ex uino impones.

88 Aliud. Cancrorum fluuiatilium, cachryos, herbæ pedicularis, rutæ partes ęquales ex uino superimmittes.

89 Aliud. Chamęmeli nigellæ, nitri rubri partes æquas contunde & ex aceto admoue. B

90 Arabæ Thebani medicamen ad ictus scorpionum excogitatum. habet autem, chalbani, terebinthinæ, singulorum drachmas duas. herbæ pedicularis, pyrethri, sulfuris uiui, singul. drac. i. myrrhæ, piperis, singulorum drach. i. & semis, picis liquidæ quod satis est.

91 Charitonis circulatoris antidotus ad phalangiorũ morsus, quæ habet, seminis spondylij, calaminthæ partes æquales. hæc simul attrita ex uini cyathis duobus bibenda dabis pondere drachmæ unius, sæpius quocũq; die. hac medicina utebatur Charito, frequẽterq; in cõuentus hominũ ueniebat ut à phalangio demorsis opem ferret.

92 Alia Simmiæ Medij quæ cõtinet, succi cyrenaici, seminis dauci cretici, mẽtæ siccæ, nardi indicæ sing. pondus æquale. hæc aceto cõmista, ex aceti puri cyathis iiij. dato drachmæ unius pondere, bibentesq; in aquam calidam descendant. C

93 Antidotus Andreæ ad phalangiorũ morsus, habet autẽ, herbæ pedicularis, pyrethri, myrrhæ, opij, uitis albæ, chalbani, singulorum æquas portiões uino odorato. hæc simul admisce indeq; ex passi cotyla una drachmam unam dato.

94 Alia nobilis admodum quæ cõtinet, Cachryos, seminis rutæ syluestris, piperis albi, herbæ pedicularis, myrrhæ, sing. drach. i. radicum cyperi drach. ij. omnia hæc uino odorato commisce, indeq; drach. unam, ex passi cyathis quatuor mellisq; uno sorbendam dato.

95 Antidotus ad phalãgiorum, scorpionum, aliorumq; reptilium ictus, qua Diophantus utebatur. accepit autem, Castorij, piperis albi, myrrhæ, succi papaueris, singulorum pondus idem. hæc in uino dissoluta, atq; in orbes redacta trium obolorum pondere dabis ex uini puri cyathis tribus, ut & Diophantus faciebat. D

96 Alia. Corticũ radicis mandragoræ, piperis albi, castorij, succi papaueris, singulorũ partes æquales confice & exhibe sicuti supra diximus.

97 Alia ab Apollodoro sumpta quam & Heraclides Tarẽtinus describit in eo libro quẽ ad Astydamantẽ mittit, ad omnes uenenatæ feræ morsus, doloresq; uehementissimos, & uteri strangulationes. accipit aũt, succi cicutæ, alterci, sing. drac. iiij. castorij, piperis albi, costi, myrrhæ, opij, singulorum drac. i. hæc comminuta passi cyathis ij. additis in sole tã diu cõmiscebis quoad densescãt, inde rotulas cõfinges quę magnitudinẽ fabæ grææcę nõ excedãt. harũ singulas ex uini cyathis ij. tradito.

98 Alia Heraclidis Tarentini ad phalangia omniumq; reptiliũ morsus quę tam imposita quàm ebibita prodest. accipit autem, Cachryos, seminis rutæ syluestris, piperis albi, myrrhæ, cocci cnidij, costi, pyrethri, herbæ pedicularis, singulorũ pondus idem, cyperi duplũ. hæc aceto dissoluta melleq; excepta superimpone.

99 Alia ad phalãgia omniumq; uenenatorũ ictum, quæ cõtinet, Herbæ pedicularis, pyrethri, myrrhæ, succi cyrenaici, sing. drac. iiij. radicũ uitis albæ, chalbani, singulorum tantundem. aceto hæc dissoluta melli commiscebis & impones, eadem quoq; pota summopere iuuat.

100 Alia quæ ictibus phalangiorũ aliorũq; reptiliũ & imposita & ebibita prodest. hac Simmias circulator utebatᷣ. habet aũt, sulfuris uiui, chalbani, sing. drach. iiij. succi cyrenaici, nucum auellanarum repurgatarum, sing. drach. ij. hæc in uino diluta melleq; excepta superimmittenda sunt.

101 Alia quæ recipit, seminis rutæ syluestris, herbæ pedicularis, seminis erucæ, cachryos, seminis uiticis, pilularum cupressi, singulorũ partes æquales. hæc aceto dissolue, melli commisce, & impone, pota quoq; auxilium præstat. Verum de his hactenus, quibus autem à uiperis morderi cõtigerit, infra posita remedia admouebimus.

102 Dorothei Helij remedia aduersus uiperarũ morsus. ita eñ ipse inquit, potionib. ego planè simpliciũ usus sum ijs quæ ex aceto dantᷣ, acetum nanq; calefactũ & per se potũ quantũ heminæ dimidiũ continet, iuuat: item corticum aristolochiæ drach. ij. ex uini, aut aceti, hemina dimidia, & seminis trifolij, ob. iij. ex dimidio uini cyatho. prosunt etiã panacis chironiæ drac. ij. ex aceto, item hinnulorũ coaguli drac. i. ex uino, & sanguinis marinæ testudinis exsiccati drach. ij. ex aceto. ex cõpositis uero Antidotus quę ab Apollodoro confecta est, & à Sostrate, atq; alijs qui ipsam ab eo excepertũt cõmendata. hæc est quæ à testudinis sanguine nomen accipit, & cõtinet, seminis cumini syluestris acetabulum, sanguinis marinę testudinis exsiccati drac. iiij. coaguli hinnulorum, aut si desit, leporis drac. iij. sanguinis hœdini drac. iiij. hæc simul admista affusoq; optimo uino coniuncta repones. cum opus fuerit hinc quantum est oliuæ magnitudo sumes, dilutũq; ex uini quam optimi cyatho medio bibendũ trades. quòd si paulopost ęgrotus antidotum euomat, denuo quantum est oliuæ dimidium ita, uti diximus, modo præbebis, & rursus si reijciat, quantũ est ægyptiæ fabæ magnitudo tertio propinabis quo prædiximus modo.

103 Rustici medici antidotus ad uiperæ morsus. Accipit autem trifolij, stachyos, erui moliti, seminis rutæ syluestris, aristolochię rotundæ, sing. drach. viij. hæc uino commista in rotulas redigito, quarum drachmã unam ex uini cyathis tribus dabis bis ter' ue singulis quibusq; diebus.

104 Alia uersibus ab Eudemo cõscripta quæ Antiochi Philometoris theriaca inscribitur, cuius principium hoc quidem est. A

Disce medelam istam serpentum, matris amicus
Expertam uictor quam docet Antiochus.

Conficiendi autem modus is qui sequitur.

Radices conuelle mei qui pondera drachmæ
Duplent, serpilli sit quoque pondus idem.
Sit panacis succi tantum, nam drachma triphylli
Imposita fructus sat erit una tibi.
Hinc apium, anisumq;, hinc ammi, fœniculumq;.
Semine quodq; suum compleat oxybaphum.
Post orobi tenuis duplum superadde farinæ,
Et coeant chio nectare cuncta simul.
Tum paruos facias æquati ponderis orbes.
Quisque trahat drachmæ pondera dimidiæ. B
Hos quicunq; chio miscebit, & hauriet orbes,
Temnet echidneæ dira uenena feræ.
Officient unquam nec sæua phalangia, nec qui
Scorpius obliquè spicula tenta gerit.

Singula uero quæ hisce carminibus continentur hæc sunt. Radicum mei, serpilli, opopanacis, singulorum drachmæ duæ. seminis trifolij, drachma una. anisi, fœniculi, ammeos, seminis apij singulorum acetabulũ unũ. farinæ erui tenuissimæ acetabula duo. uini antiqui quantũ satis est ad cõmiscẽdum ut rotulas hinc conficere posis, quas in umbra siccatas ex tribus uini cyathis trium obolorum pondere dabis.

105 Antidotus enneapharmacos.i.ex nouem rebus Heraclidis Taretini quam ipse in suo de serpentibus libro tradidit. C Habet autem, myrrhæ troglodyticæ, oppopanacis, succi papaueris, singulorum drachmas duas. radicum uitis albæ, drac. quatuor. Hanc aliqui bryoniam, alij psilothron, alij uitem agrestem, alij madon, alij chironiam, alij cereidem appellant. corticum aristolochiæ longæ tantundem. Cortices enim radicum, in uniuersum cõmodiores sunt medullis ipsarum radicum. pyrethri tantundem. seminis rutæ syluestris, cumini æthiopici, seminis trifolij, singulorum acetabulum unum. Omnia hæc postquam attriueris ac per cribrum traieceris aceto commiscebis in quo gummi maduerit, ut agglutinandi uim quandã habeat, tum rotulas inde cõficies quas in umbra siccabis. cum ipsis uti uolueris, dimidiam dabis ex uino uel D aceto in quo rutæ folia deferbuerint. hoc licet sæpius diebus singulis peragas, integrum tamen antidoti pondus drachmas duas impleat. nam supra hanc mensurã exhibita, uomitũ excitare solet. quare plus duabus drachmis, dare non consulo. quòd si uomitus insurgat, nihilo minus pluries adhuc singulis quibusq; dieb. antidotũ exhibebis. opus est insuper ægrotũ alere, & uino diluto recreare, hocq; sæpius die uno facere. locus quoq; demorsus calida diu fouendus erit, & his perfundendus quæ ipsum iuuare possunt, quod dum fit, ita collocandus erit, ut deorsum inclinet.

106 Antidotus Dorothei ad omniũ reptilium ictus excogitata, quæ cõtinet, Corticũ radicis uerbasci fœminæ, seminis trifolij, sing. drac. i. opopanacis, serpilli, mei, coaguli hinuli, sing. drac. ij. seminis apij, ameos, seminis fœniculi, seminis anisi, sin. acetabulum unũ. erui in farinã redacti drac. ij. res siccas contusas & cribratas uino ariusio coniũges, in quo prius & coagulum, & opoponacẽ dissolueris, orbesq; inde conficies quos pro uiribus ægrotantium dabis. nam uehementer à ueneno detẽtis drach. i. alijs obol. iij. ex uini cotyla tribues. utebatur quoq; Dorotheus hac medicina ceu nobili admodum ad intestinorum affectiones, & eos quibus noxiam materiam ad uesicam fluere uolebat, ad tusses etiam & morbos alios, cæterum percussis quidem à uenenosis animalibus ex uino, cæteris autem ex aqua tribuenda antidotus est.

107 Alia Hybristi Oxyrynchitæ cognomẽto ad omnium serpentium ictus reperta, atque ab Apollonio Memphite descripta, quæ continet, Aristolochiæ, panacis, seminis uiticis, singulorum drachmas quatuor, cachryos, myrrhæ, piperis, seseleos massaleotici, nardi indicæ, castorij, cinnamomi nigri quàm tenuissimi, piperis longi, succi cyrenaici, iridis, seminis rutæ syluestris, singulorũ drachmas duas. hyperici drachmam unam. omnia hæc contrita & per tenuissimum cribrum excreta uino maris experte affuso subiges, rotulasq; inde conficies, quas in umbra siccatas ex uini puri cotyla una & aquæ cotylis quatuor drachmæ unius pondere sorbendas trades. unã præterea ex hisce rotulis contusam ac uino dissolutam cõmorsæ particulæ super impones, adiectis aristolochiæ in tenuissimum puluerem redactæ drachmis duabus: itemq; pollinis polẽtæ drachmis quatuor. his nanque diligentius attenuatis comminutisq; ulcus operies, ac folio ficulneo desuper immisso uittam demum circumligabis.

108 Antidotus quæ aduersum uiperæ morsum theriaca est: facit tamen & ad aliorum serpentium ictus. Hanc Gallus ex Arabia reuersus Cæsari obtulit, qua multos ex commilitonibus suis à rabido cane demorsis, & à scorpionibus, phalangijs, cæterisq; serpentibus percussis seruauerat. accipit autem erui in farinam redacti drachmas xxv. radicum uitis albæ, drach. xvi. seminis rutæ syluestris, drach. xij. iridis, opopanacis, aristolochiæ longæ, succi papaueris, zingiberis, singulorum drachmas octo. cumini æthiopici, myrrhæ, eryngij, succi cyrenaici, croci, serpilli, costi, sagapeni, singulorum drachmas sex. uinum aminæum insperge, subige, rotulas confice, confectas pro conditione uirium ægrotantis da. sunt autem tres oboli, pondus antidoti integrum. ad percussos quidem à uipera ex uini meraci, ad reliquas uero affectiones ex mulsi hemina una.

109 Medicamentũ uiperarũ ictibus imponendum, quod habet, Sagapeni, piperis, succi cyrenaici, opopanacis, singulorũ partem unam, chalbani, sulfuris uiui, singulorum partes duas. res quidem siccas contunde, ac per tenuissimum cribrum excute. succos autem ubi in aceto dissolueris, siccis superinfundes, atque omnia ad emplastri crassitiem rediges, læso mẽbro superimmittes, & ficus

urticæ'ue folio extrinsecus imposito conteges.

110 Aliud. Cardamomi, radicum eryngij, sulfuris uiui, piperis, singulorum pars una. myrrhæ, chalbani, singulorum partes duæ, confice ut supra diximus.

111 Aliud. Centaureæ, herbæ pedicularis, radicum peucedani, singulorũ partes æquales. hæc contusa, cribrata, & ex aceto subacta chalbano cõmisce, & quo diximus modo utere.

112 Aliud. Cachryos, herbæ pedicularis, radicũ uitis albæ, aristolochiæ, singulorũ partem unam. myrrhæ, opopanacis, singulorũ partes duas, hæc quoq; cum aceto ueluti docuimus subige.

113 Quoniam uero quæ carminibus conscriptæ sunt medicinæ facilius memoria continentur, & earum pondera sincerius incorrupta seruant, ideo mihi satius esse uisum est Damocratis uersus hoc in loco subiungere qui ita se habent.

Nunc autem tradere medicinas uolo,
Quæ morsus tantum uenenatos sanent
Cornutæ, uiperarum, aspidis, chersydri,
Ictus ferarum, & puncturas quoq;
Apum, uesparum, scorpij, phalangij.
Hac arte struas. iridis bis quatuor
Assume drachmas primum, tum zingiberis,
Succi panacis, & succi papaueris,
Radicum libanotidis, semen trifolij
Cuiusq;, creticum tamen, bis quatuor.
Aristolochiæ longam dico, & rutæ
Agrestis seminum drachmas duodecim.
Radicum uitis albæ sex & decem,
Serpilli uero pariter & smyrnij,
Pontoq; missi nobilis castorij
Tantundem, sed eryngij, & seminum apij
Aethiopici præsertim, & adhuc noui
Cuiusq; drachmas appendo ter duas.
Eruiq; candidi & mundi bis duodecim.
Hæc cuncta sicca & transmissa cribro
Excipe uino, paruos inde fac orbes
Rotas'ue paruas. unicam drachmam dabis
Huius medicamenti ex hemina meri
Boni, non cõmisti, pinguis, & non noui.
Facit dimidium resolutum aqua
Tumori uentris, atq; turgido colo,
Et quibus incerta causa quicquam dolet.

Alia. *Cap.* 114

Valde bonum remedium, quo usos etiam
Ipsos bibendo noui commorsos male
A uiperis nuper captis, quos uocant
Psyllos (gens hæc natura non fermè solet
Pati serpentes, neq; assueta timet)
Dedisseq; alijs ualde commorsis male.
Mollem siccabis umbra mellissophyllon,
Siccatum tunde, moxq; drachmas accipe
Inde bis octo, tum longæ uel rotundæ
Aristolochiæ, drachmas adde decem.
Siccæ tamen, chamædryos decem quoq;.
Myrrhæ & bonæ, & troglodyticæ item decem.
Isthæc contusa subtili cribro excute,
Mellis quod satis dulcis adde, & unias.
Dato quod pendet drachma uel plus parum,
A E uini purioris cyathis decem.
Quidam è longo atq; recenti folio
Exprimunt succum, sicq; mensura pari
Vino coniungunt, utq; bibatur iubent.
Mensura utriusq; sint cyathi decem,
Parum uel minus aut parumper amplius.
Impostum quoq; folium attritum prodest.

Alia. *Cap.* 115

Cum hæc ad alias serpentes feras quidem,
Tum uero est uiperis efficax remedium.
Semper repositum habeas coagulum
Ceruini pulli, recens sit præcipimus.
Antiquo recens stomacho plus conuenit,
Drachmam repositi cyathis duobus
Vini falerni, & aquæ sat quæ uideatur,
B Admisce. præbe quibus dentes intulit
Serpens, mox uigilent ambulentq; impera.
Ac, si demorsa non hoc prohibeant loca,
Balneas petant, ubi per tempus aliquod
Maneant, egressiq; haud multum postea
Rursus, ut dixi, capiant coagulum.

Alia. *Cap.* 116

E genere eorum quæ aduersantur uenenis
Antidotus ea est, quæ ad rabidi morsum canis
Facit, latrandi morsum inferentem amentiam,
Et aquæ & potus omnis inanem metum
Vsqueadeo, ut si aquæ tantillum uideat,
Et conuellatur æger, & statim tremat,
Hic & uigilias inter & amentias
Iuges degendo, commonetur breui.
C Ac quamuis primo effugiat metum aquæ,
Tamen mox ipsum tales heu casus manent
Repente, quales solent commorsos diu.
Ergo ne tales in pauores incidas,
Velim tam sacram medicinam pares,
Nam si quis ipsam quo dicam bibet modo,
Nullam commorsus sentiet insaniam.
Confice hoc pacto. cancros fluuiatiles
Sarmentis uitis albæ, ut uocant, simul
Combure, & tere, tritos serua pyxide,
Rursus cribratam bene gentianam
Alio conde uase. cum uti opus erit,
Insperge cyathis uini suauis tribus
Mystra duo parua cancrorum cineris, &
Gentianæ unum, sicut dixi, contritæ.
D Ieiunus hoc commistum sorbeat tribus
Aeger diebus nullo intermisso iube.
Lux prima si quo casu præterierit,
Duobus alijs simplicem mensuram
Trades, secundo duplum die porriges
E uini cyathis, ut dixi, modo tribus.
Quibusdam rursus & transacto tertio
Videtur, tantum morsu uastatos graui
Tres semper gentianæ dandos obolos,
Secundus adsit donec & uigesimus,
Tribus è uini cyathis uel plus parum.

Alia. *Cap.* 117

Hanc quoq; ad eos qui timent aquam sibi
Dicebat Niceratus constare, & simul
Amicis, qui mirandas iudicare
Medicinarum proprietates queunt.

Lycij patarici optimi tres obolos,
Præstaret indicum, si id adesset tibi.
Dies iubebat uiginti duos dare
Ieiuno, ut dixi, nuper morso, & ex aqua.
Facere succus britannicæ fertur idem
Datus quo lycium præcepimus modo.
Hoc quidam etiam multum admirantur. duo
Vrsinæ fellis mystra, duobus aquæ
Admista cyathis, diebus tribus datum,
Mane, cum primum illucescit, ante cibum.
118 Ad morsus rabidi canis, præsertim ubi
In rabiem complures incidunt canes,
Emplastrum quo aduersus saniem utor, habe,
Quæ è morsu exit, iuuabit. & siquid nigrum
Vulneribus inest, aut liuens. uulnus ubi
Circumscalpseris, emplastrum pone super
Per longum tempus, atq; uulnus dilata
Medicamento quod crustam & ulcus ducat,
Facit ad aliarum ferarum nihil minus
Quæ uirus lingunt, ictus atq; morsus.
Et tela prauo madefacta toxico
Et ulcus omne, sic uocant, moris mali:
Terræ ampelitidis nigræ drachmas cape
Bis quinq;, bis uiginti, bis adde argenti bonæ
Tantundem spumæ, & tantundem bituminis.
Tribus prædictis par sit pondus olei,
Attica pendat propolis decem quater.
Aristolochia, & symphytum, & marrubium,
Eleniumq;, & chamæleon bis hæc duas.
Tres iris alba sicca, tres & smyrnium,
Tres galla non matura, sex alumen, &
Polium, quæ chalbanum uno uincat obolo,
Decem & duas thus pendat & dimidiam.
Chalcitis usta drachmas tantum quatuor
Pendat, centaurion tenue ter duas.
Bis quinq; & decem affunde mellis attici.
Confice diligenter, & præsens asta.
Nam ualde si contemnas uritur cito.
Ergo ampelitim terram & argenti spumam
Concrede uasi fictili magno & nouo
Oliuo affuso, mox igne leni coque.
Densari cum uidebis, alumen, atq;
Chalcitim sparge, uasq; seorsum aliud
Colliquet mella, chalbanum, & propolin,
Ac si quid aliud liquandum adsit, liquet.
Hæc ubi satis ferbuerint, transferas.
Oliuo iuncta cum ferbuerint parum,
Nec plus inquinant, insperge puluerem
Quem tusa radix, quem caulis herbæ dedit,
His actis, statim uas ab igne transferas,
Et commiscendo ubi refrixerit parum,
Effusum ualida emplastrum subiges manu,
Subactum serua, sed contectum corio.
119 Vulneri cuspis quod intulit hoc prodest
Veneno cuspis illita: prodest quibus
Serpens uenenum intulit, atq; fera.
Vnusq; idcirco est omnium curæ modus.
Omnibus carnem uulneratam protinus
Scalpello circumcide, uel igne amputa.
Ventosam post hæc, ni locus uetet, infer,
Acutisq; & urentibus medicinis
A Vulnus seruabis latum multo tempore.
Hoc nos in libro docuimus alio
Illis scribentes qui medicinas uolunt
Conficere quæ urentibus & scalpro fiunt.
Vtatur idem antidotis quas docui
Bibendas illis quos commorsit uipera,
Bibendum trade, & hinnuli coagulum.
Bibendam trade & gentianam rabido
Cane commorsis, ac quæ dixi reliqua
Istis prodesse, nam hæc conueniunt quoque.
Cyrenes succus, is si non adsit, dabis
Quem Medi mittunt, quantum pendet obolus
Duobus è calentis cyathis aquæ,
At gentianæ quod tres obolos trahit,
Multum radice succus est præstantior.

B *Antidoti ab Hera conscriptæ quæ & theriacæ sunt quasq; & nos experti sumus. Cap. 120*

Theriaca qua Marcus imperator utebatur hæc recipit, seminis trifolij, quod bitumen plurimum oleat, aristolochiæ rotũdæ, rutę syluestris, erui per moliti pondus ęquale, omnia hæc inter se uino cõmisce, rotulas confice drachmarum quatuor, quarum unam dabis ex uino & oleo.

Alia. Antiochi Philometoris: Hæc supra etiam posita est ijsdem uersibus. Cap. 104. quare hic omittetur. Cap. 121

122 Alia. (Hæc licet eiusdem autoris nomine, & eadem ferè inscriptione superius bis posita: hîc tamẽ cum ab utraq; superiore differat, omitti non debet.) Theriaca ad ictus scorpionum, & ad omnem morsum uenenosum: ad rupta, conuulsa, coli
C inflationes, & ad multa similia. Hanc cõpositionem Gallus ex Arabia reuersus Cæsari dedit: qua multos ex commilitonibus seruauerat. Bryoniæ albæ radicis drach. viij. trifolij seminis, iridis, chalcitidis (supra iridis carchedoniæ scribitur) aristolochiæ tenuis, libanotidis radicis, opij, zingiberis, singulorũ drach. iiij. seminis rutæ agrestis drac. vi. serpylli, cymini Aethiopici, eryngij radicis, singulorũ drach. iij. erui farinæ albæ drac. x. uini Chij marina non diluti quantum sufficit. Forma pastillos drachmales, & propina ex cotyla uini meri.

123 Alia ad uiperæ morsus. Fraxini folia contunde, exprime, expressum succum bibẽdum da, quod ab expressione superest uulneri impone.

124 Alia ad phalangiorum ictus. Vni rotu-
D lę trigoni pastilli, piperis grana tredecim admisce, & seminis trifolij grana quadraginta, cõmista ex uino diluto calefacto bibẽda trades quotidie usq; ad tres dies.

125 Alia quæ ad idem facit: Aristolochiæ creticæ lõgę, drach. unã. cumini Aethiopici (aliàs Aegyptij) obolos tres, seminis rutæ syluestris, drach. vi. succi cyrenaici, drach. iij. & semis. rubricæ lemniæ, drach. x. myrrhæ, drach. vij. opobalsami, drac. viij. piperis albi, drach. ij. & semis. cachryos. drach. iiij. hæc tusa & cribrata melli concorporato, & ex aqua calida dato magnitudine fabæ Aegyptiæ. ꝙ si impensius obniti uolueris, duplum porriges.

126 Alia post theriacales antidotos conscripta. Nescio tamen quo pacto Asclepiades ordine non seruato posteaquã potiones duas ad coxen-

dices scripsit,rursus ad antidotos reuertar, descri-
batq; eam quã Zopyriam appellant,& aliã quan-
dam ex multis rebus compositam uenenis omni-
bus,ut inquit,aduersantẽ tam ante q̃ post assum-
ptam,utilẽ insuper demorsis à cane rabido, labo-
rantibusq; morbo laterali, & internis dolorib.om
nibus,ita ut muliebres affectiões quoq; leuet, post
hanc rursus aliam plurimi usus subiungit ex centũ
rebus cõflatam excellenter,ut ait,ad uenena & e-
os qui sumpta cerussa suffocantur facientem. dein
de ab his aliã adhuc ex rubrica lemnia cõfectam,
de qua dudum antea mentionẽ feci, cum Damo-
cratis uersus transcriberem. illa igitur quæ ex cen-
tũ rebus est omissa satis mihi fecisse uidebor si Zo
pyriam uocatã huicq; aliam subsequentẽ, & ulti-
mo illã quę à rubrica lemnia cognominatur,expo
nam,prætermissa,ut dixi, cẽtum rerum antidoto,
quæ eadẽ est cũ illa quã Andromachus cõscripsit.

Antidotus Zopyria faciens ad omnia,sed præ-
cipue ad uenena,iecoris morbos,uentris inflatio-
nes,& incipientes aquas inter cutem effundi,ma-
xime uero quãdo plus flatus q̃ aquæ affuerit, acci
pit aũt,myrrhæ,drach.v.spicæ nardi,drach.v.& se
mis,croci,drach.iiij.& semis,florum iunci odora-
ti, drach.ij. & mediam, casiæ,drach.iiij. cinnamo-
mi,drach.iij.piperis albi,drach.unam & mediam,
thuris,drach.unam & obolum unum,costi, drach
mam unã.ex his melle attico exceptis rotulas cõ-
fice,nucis auellanæ magnitudinem non exceden
tes,quas ex uino aut aqua dabis.

127 Alia antidotus quæ ad omnia uenena tam
ante q̃ post assumpta cõfert,demorsos quoq; à ca
ne rabido,lateris morbo laborantes,internis dolo
ribus uexatos sanat,ac mulierũ dolores morbosq;
subleuat.habet autem,radicis dulcis,drach.vi. ob.
i.semis, seminis dauci cretici,drac.vi.obo.i.semis.
opij,drach.iiij.obo.ij.castorij,drach.ij.obo.i.pipe-
ris longi,drach.vi.ob.iiij.costi, drac.vi.ob.ij. spicæ
nardi,drac.vi.ob.i.semis,casiæ nigræ, drach.v. ob.
ij.thuris masculi,drach.i.& semis, seseleos, drach.
v.ob.ij.scordij,drach.vi.ob.ij.semis,succi hypocy-
stidis,drach.vi.acori,drac.ij.foliorum malabathri,
drach.vi.obo.i.sagapeni,drach.ij. fructus balsami,
drach.v.ob.ij.myrrhæ,drac.vi. croci,drach.vi. ob.
ij.styracis, drach.vi. cinnamomi, drach.vij.obo.ij.
zingiberis,drach.vij.ob.ij.piperis albi, drac.v.ob.
ij.phu,drach.v.petroselini,drach.iiij.nardi gallica
næ,drach.iiij.obo.ij.semis, hyperici, drach.ij.succi
acaciæ,drac.ij.gẽtianæ,dra.iiij.iridis illyricæ,drac.
ij.anisi,drach.iij.thlaspeos,drach.vi.ob.ij.semis,ro
sarum siccarum, drach.iiij. mæi, drach.ij. gummi,
drach.ij.cardamomi,drac.iiij.florũ iunci odorati,
drac.vi. ob.ij. opopanacis, drach.vij. opobalsami,
drach. vi.& semis,chalbani,drach.iij.ob.ij.terebin
thinæ,drach.iij.ob.ij.agarici, drac.vij. & mediam,

A cypheos,drach.vi. bdellij, drach. vi.scinci, drach.
ij.amomi,drach.iij.polij,drac.v. obo.ij. dictamni,
dra.vi.seminis rutæ syluestris,drach.iiij. sigilli lem
nici,drach.ij.semis,irionis, drach. iiij. Hæc omnia
ex uino falerno & attico melli commisce.

128 Alia antidotus quæ tam ante uenenum q̃
post assumpta hominem à morte liberat, quæq; si
cum alijs medicinis exhibeatur, impedimentum
nullum affert,quoties autẽ exhibita fuerit eousq;
nauseam concitat,quoad mortiferum omne excu
tiat.habet autem,rubricæ lemniæ sigillo obsigna-
tæ, drach.ij.& obolos totidem, baccarũ iuniperi,
3.ij.hæc minute cõtrita oleoq; quãoptimo cõmi-
sta ex mulso dabis nucis auellanæ magnitudine.

129 Ad eos qui à rabidis canib.morsi in aqua-
B rum formidinem deuenerunt antidotũ ab Aphro
da sumptum, Lathyridis unciam unam, castorij,
drachmas tres,cõminuta hæc ex hemina uiniro-
sacei bibenda trade.

130 Autoris eiusdem ad aquarũ formidinem.
Pilula castorij, drachmam unã & mediam.&
lathyridis grana nouem,commisce & exhibe.

131 Ad idem antidotus alia à Nicostrato acce
pta quæ continet,Castorij drachmas octo,lycij in
dici drachmas quatuor.gentianæ drachmas duas.
cancrorum exustorum drachmam unam & medi
am.cuncta hæc melli commista dato.

132 Ad aquarum formidinẽ admirabile si quis
aquam in qua fabri ferrum intingũt artifice inscio
bibendam præbuerit,ualde mirabitur. ut autẽ qui
C iam in aquarum formidinẽ deuenerũt bibãt, pan-
num à loco ubi aluus exoneratur acceptum,pocu
lo supponito,& bibet.gẽtiana quoq; per se ipsam
ex aqua data cõfert trium cochlearium mensura.

133 Amaranti grammatici ad dolorẽ pedum
antidotus qua & ipse utebatur, habet autẽ.Rhei
pontici drac.x. piperis albi drach.viij.petroselini,
agarici,hyperici,acori, eryngij, singulorum drac.
xvi.cardamomi,thlaspeos, acaciæ, succi glycirrhi
zæ,rosarũ siccarum,singulorum drac. iiij. seminis
fœniculi,aristolochiæ longæ & rotundæ, singulo
rum drach.ij.baccarum rusci, drac.iij.seminis apij
drach.iij.seminis napi syluestris drach.iij. zingibe
ris drach.iij.gentianæ drach.vi. scinci drach.ij. thu
ris drac.v.phu pontici drac.iij.irionis drach.vi.iri-
dis illyricæ drac.iij. casiæ,ligustici,florũ iunci odo
D rati,spicæ nardi,sii,scorpiuri,singulorũ dra.vi.mel
lis quod sufficit. ex hac singulis annis dato quan-
tum est nucis auellanæ magnitudo.

134 Alia qua utor. Chamædryos drach.iiij.
scordij drach.iij. petroselini drach.iij.cardamomi,
drac.iij.marrubij,gentianę,singulorum drach.iiij.
centaurij drach.iiij.& semis. aristolochiæ rotũdæ,
tantundem.mellis quantum satis est.dabis ex hac
singulis annis nucis auellanæ magnitudine.

ARGVMENTA CAPITVM LIB. I. DE COMPOSITIONE pharmacorum secundum locos.

Procemium. De indicationibus curandi & medicamentorum compositione in genere iam prius se docuisse: in hoc uero opere quomodo quis secundum singulas corporis partes medicamenta aptè componat, aut ijs quæ alij composuerint rectè utatur. De pilis & eorum generatione. Capillorum affectiones: & quòd sine methodo adhibita, non modo non prosint, sed etiã lædãt. Caput I. De alopecia, caluitie, & ophiasi. 2. Ad alopecias compositum pharmacum, ex euphorbio, &c. & ad curam eius ratio communis. 3. Composita à senioribus Galeno medicis, & primũ ab Hera. De pharmacis moderatis & medijs. De oleo lucernarũ, & sordibus in candelabris experimenta. 4. Aliud Heræ pro pueris. 5. Crito quæ scripserit ad alopecias. 6. Quæ Heraclides ad inueteratas alop. 7. Cleopatra. 8. Archigenes. 9. Asclepiades Bithynus. 10. Soranus. 11. Compositio ænigmatica authoris incerti. II. De capillorũ defluuio. 2. Compositiones Heræ. 3. Archigenis. 4. Cleopatræ. 5. Quomodo comptoria ab exornatoria medicinæ parte differat. 6. Quæ Crito ad conseruandos ac augendos capillos scripsit, itemq; quæ à defluuio ipsos præseruẽt: & ad caluitiem. III. De tincturis capillorum. 2. De pharmacis capillos denigrantibus, Archigenis. 3. Capita Critonis de ornatu librorum 4. IIII. De pharmacis pilos corrumpentibus. 2. Psilothra Critonis. 3. Quæ pilos aboleant. V. Quæ pilos attenuant. VI. De furfuribus. VII. De morbo pediculari. VIII. De achoribus, id est ulceribus capitis manantibus. 2. Medicamenta Archigenis. 3. Apollonij. 4. Critonis. 5. Cleopatræ. 6. Sorani. B IX. Ad psydracia & achoras, pustulasq; ulcerosas, helcydria Græcis appellatas, & eruptiones in capite.

CL. GALENI DE COMPOSITIONE PHARMACORVM LOCALIVM SIVE SECVNDVM LOCOS, LIBER PRIMVS.

IANO CORNARIO MEDICO INTERPRETE.

QVOD non solum affectus qui curat curationem ipsam indicet, sed tum ipsius ægri temperamẽtum, tum affectæ particulæ natura, nõ parum illam simul demõstret, idipsum sanè ante in curãdi methodo docuimus; quemadmodũ etiam quomodo quis ex simplicibus medicamentis per se compositum aliquod faciat, compendio quidẽ in illa ipsa methodo, fusius uero in septem libris ante hunc item editis, totius disciplinæ adhibita ratione ostẽdimus. Nũc uero quomodo quis per se ex methodi ratione pharmacorum compositiones præparet, ad singulas corporis partes cõuenientes, & quomodo à prioribus medicis inuentis rectè utatur, percurrere propositum est, à capite initio facto uelut omnes etiam ante nos Medici fecerunt. Accidunt autẽ capiti plurimæ affectiones cum reliquis omnibus partibus cõmunes; uerum capillorum affectionem, cũ paucis communem habet; propterea quod pilosum esse iuxta primam rationem non multis inest. Generatio enim pilorum eadem est quæ terræ nascentium, quemadmodum in libris de temperamentis est demonstratum. Quemadmodũ enim ex istis quædam arte & arbitrio agricolæ; quędam uero iuxta naturales causas proueniunt: Eodem modo & in animalium corporibus contingit, quum aruo quidẽ alicui triticum, aut hordeum, aut aliud quoddam cerealium seminum, in se insita habenti, caput adsimiletur. Alijs uero herbis quæ iuxta humidiores regiones proueniunt, reliqui totius corporis pili similem generationem habeant; non enim secundum primam rationẽ, sed per accidens quoddam natura eos generare solet. Et pili quidẽ palpebrarum ac superciliorum non paruam utilitatem animalibus exhibent, uelut alibi est ostensum: menti uero & pudendorum pili minoris utilitatis gratia producti uidetur. Quapropter etiam affectiones pilorũ in oculis & superciljs, præcipue nos ad curam sui ipsarũ impellunt; secundũ uero locum capitis capillorũ affectiones habent, deinde menti & pudendorũ. Sunt autem pilorum affectiones, perfecta perditio, & coloris ipsorum alteratio, uelut in uitiligine alba, Leuce Gręcis appellata, fieri consueuit. Ad hęc etiã in alopecijs & ophiasi non modicum atq; indecorum detrimentum simul capillis accedit. Quidam igitur promiserunt ueluti has, sic etiam incipientẽ caluiciem, se ne augescãt prohibituros; sunt autem qui hoc impossibile esse dictitãt. Itaq; ad alopeciarum & ophiasis curationem progressi, pharmaca scripserunt per quæ perfectam ipsarum sanationem pollicentur. At uero plerisq; medici ex ipsorum usu aliquando non solum successu longe frustrãtur, sed etiam uehementer nocẽt, ut affectio ipsa incurabilis reddat; quod sanè ipsis etiam circa alia pharmaca cõtingit, quibus citra methodi rationem utuntur. Ego uero id quod Hippocrates præcepit, in artis operibus facere semper annitor: nimirum ut quod auxilij loco adhibetur, uelut ille scripsit, iuuet, uel certe nõ noceat. Quod uero pharmacorũ citra methodum usus non solum non prosit, sed frequenter etiam obsit, ex illo sanè discere licet. iam uero ordiendi quod proposuimus tempus adest.

De Alopecia, Caluitie & Ophiasi. Cap. I.

Quemadmodũ plantæ aliquæ ob humoris inopiam

piā resiccatæ corrũpuntur, aliquæ uero ob humoris alieni ab ipsarũ natura attractionẽ: eodem modo & capilli aut propter humorũ ex quibus nutriri cõsueuerunt inopiã, aut propter eorundẽ uitiationẽ corrũpuntur. Et propter inopiã sanè humorum caluicies contingit, propter uitiatos uero humores Alopecia, & Ophiasis, Vnum quidem ambæ secundum morbosam affection em malum, nomina autem iuxta figuram habentes diuersa: serpenti enim similis lęsa capitis pars in ophiasi apparet. Alopecias autem ob id appellatas ferũt quod uulpibus frequẽter accidant. Nos autem propter quid sic appellari contigit nõ quęrimus, unde uero oriantur causam quærentes, eam ipsam humorum uitiatorum redundantiam cõperimus. Quales autem tandem sint corrupti humores, ex colore cutis capitis cognosces: aliquibus enim mutata albidior apparet, aliquibus nigrior aut pallidior. Quare in istis primum totius corporis purgationem adhibebis, aut pharmaco pituitã ducente exhibito, aut quod bilem pallidam, aut nigrã trahit, coniectura redundantis humoris ex colore cutis facta. Ego uero semper per hieram purgaui, aliquãdo ueratro nigro adiecto, ubi atræ bilis expurgare uolui humorem, aliquando scammonia, si amara bilis purganda esset: si uero pituitosiorem exuperare cõiecissem humorem, nihil ammiscui. Tales enim præsertim ex capite, hiera ex colocynthide purgare consueuit, simulq; cum his etiam alios quosdam humores, etiam si scãmonia, aut ueratrum nigrum, aut epithymũ non addatur. Quin & ex aloe catapotia quæ tum scammoniam tum colocynthidem admixtam habent, commodius ita affectos purgare solent. Cæterum post totius corporis purgationem, apophlegmatismis pituitam è capite detrahere præstat, atq; deinde localibus auxilijs uti: de quorum compositione dicturum me hoc opere recepi. Oportet enim uelut in alijs, sic & in his affectioni mederi, cuius accessio siue symptoma est uitiatus capillus. Siquidem igitur uitiatus humor circa unum locum fuerit collectus, scopus medendi erit ut is quàm celerrime euacuetur, prius quàm ab ipso cutis in quendã malum habitum deducatur: tantum ut etiam si quis uitiatum ipsius humorem euacuet, & boni sanguinis influxum præparet: is adeo etiam à malo in ipsa habitu prius inducto corrumpatur. Si itaq; uitiatum humorem in cute euacuare uolueris, discussorijs pharmacis opus habebis. Atqui contradicet forsan aliquis, cõmunem scopum in omnibus affectionibus quæ ex influxu humorum fiunt, contemni ac subuerti ratus: repelli ipsos debere asserens partem refrigerando ac adstringendo, nõ attrahi calfaciendo: esse autem discussoria omnia facultate calida. Et certe affirmamus nos quoq; uere hæc dicta esse: Incipientes enim ophiases et alopecias per huiusmodi pharmaca prohibere oportet ne augescant: non tamen principium ipsorum alopeciam aut ophiasin appellari, sicut neq; psoram aut lepram iam appellamus quæ ex lichene ordi tur. Ego itaq; quemadmodum nostis, etiam iam

A factas alopecias aliquando sola purgatione sanaui, nullo amplius medicamento post ipsam ad locum affectum admoto: ut autem ampliorem eius rei experientiam facerem, ex eiusmodi quopiam successu sum impulsus. Adolescens quispiam bonæ habitudinis & exercitijs adsuetus hanc affectionem in capite habebat: erat autem satis familiaris mihi, ut diætam ipsius qua iam per tres aut quatuor menses usus erat, probe nossem: explebat enim se quotidie fermè fungis. Hunc itaq; sola hiera ex colocyntide purgaui, bis in quinq; diebus: in prima sanè purgatione quatuor ex ea drachmis, in secũda quinq; exhibitis. Prius quàm uero ad has purgationes peruenirem, catapotia ex aloe undecim ei præbui, ciceribus ferè magnitudinem parem habentia. Habent autem catapotia

B hæc: Colocynthidis partem unam, aloes & scammoniæ utriusq; partes duas, his ego unam partem succi absinthij addo. Antea uero etiã mastichen chiam & bdellium adieci, Hoc enim modo Quintus utebatur. Verum propter quid ea reiecerim postea, alio sermone explicabitur, quem in compositionis purgantium pharmacorum libros reseruo. Quum igitur post has tres purgationes homini pituitã è capite deducere per apophlegmatismos uellem, atq; deinde pharmacum quoddam ad affectam partem adhibere, contigit ipsum de repente in profectionem quandam ablegari: in qua quum boni succi cibis, de quibus à me instructus erat, uteretur, post dies forte uiginti redijt ab

C affectione circa capillos penitus curatus. Ex hoc sanè successu incitatus ego quum in alijs eandem curationem fecissem, expectaui ut uiderem quid citra pharmacorum ad caput adhibitionem, esset sequuturum. Curati sunt itaq; omnes hoc modo, non tamen in iam inueteratis huiusmodi experientiæ periculum feci. Difficulter enim eluuntur in his cuti impacti, serosi humores, multo uero magis in his quibus iam ipsa cutis ad malum habitum peruenit desperanda est per solas purgationes curatio. Atque hæc quidem necessario præfatus sum. Cęterum de pharmacis affectioni huic cõmodis iam dicere incipiam. Euacuatiua igitur omnino esse oportet ipsa affligẽtis humoris, uerũ euacuare nihil potest quod non discutiendi ui sit

D præditum, eam uero uim citra calefactionem habere non potest. Sed si quidem ex uehemẽter calfacientium numero fuerit, cutem exuret: quod si uero non urat, in principio quidem præclare iuuabit, progressu uero temporis cuticula capitis super resiccata talis euadet, qualẽ in caluis uidemus. Non tamen simpliciter moderate calidũ esse pharmacũ oportet, intra uidelicet fines scopi propositi rententũ. Nam & tenuiũ partium ipsum esse cõuenit, quod sanè in altum sit progressurũ. unde radices capillorũ generationis suæ principium habẽt, & ui qualẽ diximus preditũ: propterea quod crassior sit & durior capitis cutis, & ob id medicamẽto opus habeat efficaciore. Itaq; si supra hoc ꝙ uitiatos humores discutiat, etiã idoneum sit ad bonũ sanguinẽ adtrahendũ, uelut est thapsia, optimũ

sanè

sanè pharmacum est censendum. At uero quum thapsia longe calidior sit quàm affectioni sit ex usu, meritò eius adhibitionem per se uitamus: exulcerationes enim in cute excitare consueuit, & omnino quosdã inflammatos tumores, qua propter necessario quædam quæ eius uehementiam mitigent admiscemus. Idipsum uero ceratum ex oleo apparatum præstare potest, Sit autẽ tenuium partium oleum quale est Sabinũ, præstat item moderate esse uetustũ. Ad hanc rem cõfert item oleum cicinum, quod mox ab initio eiusmodi naturã habet, quali præditum est Sabinũ inueteratũ. Quod si neutrum horũ ad manum sit, ex reliquis Græcis oleis citra olearum germina apparatis quodcũq; tandem admiscemus, præsertim si sit uetustũ. Perspicuũ itaq; esse opinor oleum ex Iberia, aut Hispania, aut quomodocunq; quis eam appellare uelit, fugiendũ esse, itemq; quod ex oliuis nondũ plenè maturis apparatur, Omotribes & omphacinũ à Græcis appellatum. Vsus sum autẽ & sola thapsia uehemẽti eius facultate larga aquæ ammixtione exoluta. Verum nosse operæprecium est circa thapsiæ usum, maximam differentiam esse recentis ad uetustiorem. Vis enim huius pharmaci post annũ multum exoluitur, atq; amplius adhuc post duos annos, ausimq; ferè dicere inutilem penitus eius usum ad triennium progressæ. Eius igitur ætatis animaduersione habita imparẽ aquæ modum admiscebis. Ad recentem enim plurimum aquæ addes, eamq; sæpe singulis diebus illines: ad eam uero quæ per tempus imbecillior reddita est, minus adfundes, quo & ob crassitudinem diutius adhærere, & propter liquiditatem non statim defluere contingat. Quin & quum cõpositum pharmacum paras quod thapsiæ ammixtionem requirit, quale est quo ego assidue utor, nõ æquale semper pondus thapsiæ ammiscebis, sed quantũ pro tempore ætatis eius cõuenit, tantum ipsum põdus augebis. Cæterum de hac tota re paulo pòst diligentius quum ad cõposita peruenero explicabo, ubi prius simplicia pharmaca affectioni huic familiaria recensuero. Etenim ex his quæ fortiter calfaciunt est euphorbium: quæ autem sufficienter, laurinum siue oleum siue ungentum, aut quocũq; tandem nomine id appellare uelis. Nam & his unà cum calfaciendi ac discutiendi facultate inest uis adtrahendi sanguinem in locum ab ipsis calefactum. Licet igitur ipsis per se uti, euphorbio quidem in oleo trito ac leuigato, laurino uero solo citra alterius ammixtionem illito: si tamẽ nimis fluidum appareat, parum ceræ addatur. Quum uero multo calidius sit recens euphorbium, si quidem eo quod duorum aut trium annorum est uteris, ad libram unam Romanam olei, euphorbij unciam unam injicies, quæ sanè duodecima olei pars existit. recẽti uero euphorbio parce utaris, quàm minima eius parte primum ammixta, aut etiam ceræ uncia una insuper addita, quo uideas quantum hominem excalefaciat: licebit enim tibi ubi rursus uti uoles, denuo addere siue oleum siue ceram malis. Eodem modo etiam thapsia utendum est,

A omnibusq; fortibus medicamentis. Peccatũ enim infra modum nullum detrimentum affert, supra uero aliquando exasperat & exulcerat cutem, inflammationemq; suscitat. Atqui etsi in sequentibus cõpositis pharmacis quãdoq; euphorbiũ aut thapsia scribatur, pondus ipsorũ in uigore existentium non ueterum intelligere oportet: Valde enim uetusta omnino fugere oportet, nõ solum in his pharmacis, sed omnibus etiam alijs, quæ uidelicet succi & liquores, & flores, & folia, et fructus, & radices, & semina existunt, quando sanè etiam Metallica ipsa per longioris temporis situm uires suas amittant. Vtimur tamen quibusdam pharmacis uiginti aut etiam triginta annorum, propterea quod nondum uergentem omnino habeant ætatem: alia enim aliã tum uigentem, tũ uergentẽ seu

B inclinatam ætatem habent, atq; etiam si ita dicere libeat senectam. Vnũquodq; autem proprium uigorem his qui ea sæpe uiderunt indicat, tum ex odore, tum ex gustu, aliquando etiam ex colore, & secũdum crassitiem compage. Quemadmodum in alijs omnibus pharmacis non solum quòd calefaciant operæpreciũ est cognoscere, sed & quanta distantia quotoq; ordine id faciant. Sic item in his quæ alopecijs conferunt pharmacis nosse oportet quòd calidissimum quidem ex eis est euphorbium, Eo autem minus calidum est thapsia, post thapsiam autem sinapi et nasturtium. Iuxta alium autem modum limnitis nulli horum secundum est, habet autẽ præter hanc duas alias appellationes: nam & Adarcium & Adarce uocatur.

C Post hæc succedũt sulphur, & nitri spuma, ipsumq; nitrum molle ustum, & quod Berenicarium appellatur, quemadmodũ & Aphrolitrum album, leue, ac laxum, quod nullam in se terream asperitatem habet. Deinde ueratrũ utrunq; & erucæ semen, & laurinum siue oleum siue ungẽtum uelis appellare. ad hæc alcyonium utrũq; ustum & non ustum: præstat tamen ustũ: & calami radices itẽq; cortex, ambo usta. Quin & pix liquida, & cedrinum quod aliqui cedriam appellant, & muriũ stercus, ursæq; adeps: prẽstat autem si uetustior extet, quanquã etiam hyenæ, leonisq; ac pardalis ac anseris adipes conueniunt. & quicunq; tenuium partium substantiam habẽt, quo prõpte in cutis pro-

D fundum penetrare queant, atq; ad radices usq; capillorum pertingant. Sed & amygdalæ amaræ totæ ustæ cõmodæ sunt, & thus aceto acerrimo subactum. Subactum autem intellige quum pluribus diebus & maxime ad solem frequenter cum acri aceto sit contritum. His itaq; omnibus pharmacis licet utaris, ad fortia quidem cerato liquido addito, debilib. uero oleo laurino imbutis. Et inueteratas quidem ac difficulter curabiles cum fortibus persanare conaberis, incipientes autem & paruas cum debilibus.

Ad Alopecias composita. 2

Cæterum pharmaca composita, quæ partim à prioribus medicis qui alicuius existimationis fuerunt, magnopere sunt laudata, partim uero à nobis ipsis per longam experientiã sunt examinata

A ac probata, eiusmodi existūt. Euphorbij, thapsiæ, laurini, singulorū drac. ij. sulphuris uiui, ueratri utriusq; drach. unam. neq; refert albo an nigro ueratro quod ad manū sit utaris. his ammisce ceræ dra. vi. laurino aut cicino aut ueteri oleo liquefactas, utereq; hoc ut fortissimo pharmaco, ad inueteratas & ægre curabiles alopecias. His etiā aliquādo nasturtij, drach. unā. aut alcyonij usti drach. i. ammiscui. præstat autē in hunc usum alcyoniū quod durius est & magis asperum. Quod si thapsia non adsit, pro ipsa tātum pondus seminis nasturtij aut erucæ addes, aut ipsum adeo nasturcium. Si uero laurinum nō habeas bonum, picem liquidam adde: laurinum nanq; picem liquidam non multum excellit, thapsia uero reliquorum respectu maximum excessum habet. B Hoc sanè pharmacum omnium quę ad hanc affectionem efficaciter faciunt fortissimum & ualentissimū est, quando uidelicet affectio ægre recipit curationem. Quæ enim parua est & incipiens etiamnum, sola purgatione sanatur, & per singula quæ recensui simplicia usta, laurino aut cedrino, aut liquida pice, aut cicino uel ueteri oleo excepta. Ammiscui etiam aliquando mel pro cerato, minori tamen copia & pondere, neq; peius euasit pharmacū. Porrò quæ ex adipibus componuntur modica item thapsia ammixta, similiter prosunt, præsertim si euphorbium & adarcium addatur. Sit autē adeps triū generum, leonini, pardalij, & hyænæ, cuiusq; pars una. Si uero hyænæ adeps nō adsit, sufficit præsentibus reliquis duobus uti, anserino ammixto: C Si uero omnes quatuor habeas, simul omnes miscebis, addito insuper si adsit ursino. Ad totam uero eorū molem duodecimam thapsię aut euphorbij partē addere satis est; aut si omnino fortius facere uelis, ambo addes: nam & per experientiam hæc ipsa pharmaca efficacia sunt iudicata: Maioris enim experientiæ habendæ gratia, petentibus subinde medicis à me amicis, singulis aliud atq; aliud eorū quæ experiētia cognita habui, rudi modo digestū exhibui, & reperta sunt sanè plurima ex eis optime cōducentia. Verum ante omnia methodi meminisse oportet circa eorum usum, quæ cōmunis in omnibus presertim fortibus pharmacis existit, quare etiam sæpe eius mentionem facio, utpote in qua magna omnino uis sita est. D Qui enim singulis fortibus pharmacis utitur, in principio quidem ipsa molliora adhibebit, ammixtione uidelicet eorum quæ uires ipsorum exoluūt: qualia sunt oleum & cera, & ex simplicibus quæ diximus debilia, uelut est thus, & calami cortex ac radices exustæ, & amygdalæ amaræ, & quæcūq; eius generis existūt. At uero post primum usum quū iam secundo adhibere uoles, intueri oportet qualē alterationem in affecta particula prius admotum pharmacū fecit, atq; illius respectu aut uehemētiam facultatis eius lenire, aut augere. Velut in hac quam iam tractamus affectione, primum quidem capillos nouacula tollere oportet, deinde affectā cutem per linteolum neq; asperum neq; molle nimis confricare, ac uidere ad quantū ruborem per huiusmodi molimen ac confrictionem peruenit. Magnam enim spem successuræ curationis tibi inijciet, si per modicas defrictiones rubefiat, quæ moderatæ affectiōis significatio existit. Si uero per multas tandem, grauiorem tum affectionē, tum curationem indicat, præsertim quum quædā cuticulæ etiamsi multum confrices non rubefiant. Manifestum igitur est has omnium difficillime curari, sicut cōtra facillime, quæ facile rubescunt: quę uero inter has medio modo habēt, tantū inter se differunt, quantum uel ad pessimas uel moderatissimas accedūt. Atq; hæc quidem obiter & extra propositū dicta sunt, quanquam nō omnino præter rem sint. Rursus itaq; ad id quod propositum erat reuersus methodi te cōmonefaciam quā usus pharmacorum requirit. Post primā igitur pharmaci cuius usum elegeris adhibitionem, intueri conuenit primum quidem, An etiam ante confrictionem cutis coloratior appareat: deinde autē an cum pauciore q̃ prius frictione, aut an cum æquali quidem, magis tamen q̃ prius rubicunda fiat. Præ omnibus uero animaduertere oportet ne in fortiū pharmacorū admotione cutis ultra quàm conuenit cōcalescat, id quod tum ex colore ipsius, tum digitorū tactu deprehendes. Colore nanq; flauior apparebit, & digitorum contactu satis calidam cognosces. Horum itaq; animaduersionem habere oportet: periculum enim est iterū atq; iterum repetito eorum usu, cutem exuri. Quare ad molliora transeūdum est, aut eodem utendum quidem, sed cerati, aut adipis, aut liquoris cuiusdā oleosi ammixtione, ui ipsius exoluta. Vtendū est & olei calidi dulcis irrigatione, & cataplasmate ex pane, fomētisq; & scarificatiōibus ac cucurbitis, & ceratis, uirium item refectrice diæta. Cæterum perseuerante affectione utendum est assidua rasura, & rubificatorio ex sinapi uelut est prædictū, itemq; frictionibus præscriptis, & sequentibus diebus illita pice aut oleo cedrino, & post confrictionem scarificationibus. Quidā uero aciculas colligātes hoc modo ut aciē ad cutē uergentem habeant, per ipsas cutē cōpungunt. Verum post rubificationē per defrictionem inductam, & post scarificationem, pharmacis quę ex alto euocare ac meatus transmutare possunt, Metasyncritica Græci appellant, utemur. In omnibus autem communis scopus hic sit, ut in aere calido pharmacum ipsum adhibeamus, & maxime si fieri possit in loco insolato, qui non habeat auram ipsum perflantem. hyemis autem tempore præstiterit in balneo his pharmacis uti.

De pharmacis compositis ad Alopeciæ affectionem à senioribus me medicis conscriptis. 3

Heras quidem igitur in ferula iuxta dictionis seriē sic scribit: Alcyoniū quod asperius est ustum ac cum oleo tritum ac leuigatum loco illinito, sit autem oleū maxime ex lucernis acceptum. Hæc quidem sunt Heræ uerba: Verū nosse oportet medium esse uiribus hoc pharmacū, & propterea ad medias magnitudine alopecias curandas sufficiens. Moderatū equidem pharmacum est si calami radicem aut corticem, aut amygdalas amaras, aut

eius generis quippiam ustum cum oleo cõmittas. fortia uero sunt quę ex euphorbio & thapsia & adarco apparantur. In medio uero istorũ est alcyonium ustum, sed & ipsum moderatius redditur oleo ammixto, fortius uero liquida pice aut laurino affuso. Miscet̃ itẽ prædictis adipibus, & sanè ego cuidam qui ad hanc affectionẽ ursino adipe usus erat, nec quicquam profecerat, alcyoniũ ammisce re consului, à quo postea breui sanus euasit. Cæterum oleum lucernarum non ob aliam rationẽ aptum est, quòd magis tenuium partium existit, id quod ipsi ex lucerna in qua ueluti coquitur accedit, fitq; tum ueteri, tũ cicino adsimile, ueluti si etiam aliàs ad ignem oleum uelis calefacere. Itaq; & sordes quæ in candelabris liquido luto similes gignunt̃, his qui apud nos ruri degunt cognitę sunt, ad ulcera in medio digitorum pedum curanda efficaces, quæ ulcera frequenter illis oboriunt̃ propter illuuiem & negligentiam perluendi ea singulis diebus. his itaq; sordibus lutosis consului cuidam rurali alopeciam quã scalptam mihi ostenderat illinire, unà cum assidua loci rasura: qui sanè ab ipsis persanatus, etiã alios tentauit hoc modo curare, utpote qui putaret omnẽ alopeciam ab hoc pharmaco posse curari. Verum ego quũ moderatam eius affectionẽ essem intuitus, speraui ipsum quidem per illas sordes sanitatẽ consequuturum.

Aliud compositum pharmacum Heræ, pueris aptum. 4

Aliud autem deinceps pharmacum Heras post præscriptũ, iuxta seriem dictionis hoc modo scripsit: Seminis erucæ, partẽ unam. nasturtij, partem unam. nitri, partem unam. In aliquibus autẽ exemplaribus simpliciter scriptum est. Erucæ, partem unam. nasturtij, partẽ unam. nitri, partẽ unam. contritis picem liquidam affunde, & loco prius cõfricato impone: atq; ubi abstuleris pharmacum, locum spongia calida imbuta extere. auferes autem bis per diem, & in pueris maxime efficax conspicitur hoc pharmacũ. Fortius enim est priore, Verum inueteratã & ægre cedentẽ alopeciam nõ curauerit, quod ipsum etiã Heras indicat, qui in pueris ipsum maxime efficax adscripsit, hoc est in corporibus molli cute præditis. Ex huiusmodi enim uitiati humores facile discutiũtur. Habent autem cõsimilem pueris cuticulam eunuchi & mulieres.

De his quæ Crito ad Alopecias conscripsit. 5

Crito uero in tertio libro eorum quæ ad corporis ornatum pertinẽt, sic scripsit: Ad affectionem alopeciam appellatam quæ capillos deuastat, & cõmuniter deformitatem inducit, subscriptis compositionibus utendum est, ut Heraclides Tarentinus tradit: Amygdalas amaras cum corticibus ustas ac tritas aceto excipe, modico itẽ affuso melle: usu uero expetente loco per mundũ linteolum præfricato, assidue illine. Prodest autem maxime etiam assidua rasura antequam pharmacum imponatur. Aliud quo Moschus usus est: Herinaceorum marinorum testas exustas & aqua subactas locis præfrictis impone. In quibusdam exemplaribus non aqua, sed adipe ursino excipi debere Herinaceorum cinerem reperi, quod mihi magis placuit. hoc enim modo efficacius reddit̃. Aliud, Calami radices ustas adipe ursino excipe atq; impone. Aliud, Thapsiæ corticem tritum cum aceto imponito. Aliud, Chamæleonis radicem cum aceto diligenter tritam imponito. Hæc præfatus Criton deinceps ita scribit. Quod si uero perseueret affectio, subscriptis compositionibus utẽdum est. quibus uerbis planè indicat per præscripta medicamenta moderatas affectiones sanari: itaq; deinceps quæ ad fortiores affectiones conducunt scribit, quæ iuxta seriem dictionis ipsius hoc modo habent.

Quæ Heraclides ad inueteratas Alopecias descripsit. 6

Ad alopecias uelut Heraclides Tarentinus tradit. Orestini ad alopecias inueteratas: muscerdæ drac. ij. thuris drac. ij. aceto acerrimo dissoluta præ rasis locis illine. Aliud, Herinaceorum marinorum unà cum testis exustorum drach. ij. gallarum omphacitidum, tantundem. amygdalarum amararum ustarum, tantundem. muscerdę drach. i. aceto dissoluta & probe trita imponito. Aliud Orestini, Pilorum ursi ustorũ, adianti usti, radicum calami ustarum, foliorum fici ustorum, panniculi Cilicij usti, singulorũ æquales partes adipe ursino & cedria excipe. Vsus uero tẽpore, loco foto & per fici folia confricto, ac per nitrum extersо, pharmacum quotidie illine. Quod si cutis superficies exulceretur, ceratũ ex oui luteo impone, & farinarum tritici ac hordei succum recentẽ superline. Aliud Orthonis Siculi accommodatum, Cineris ranarum minimarum in ollula ustarum, partem unam. muscerdæ, ueratri albi, radicis calami ustę, piperis albi, singulorũ æquales portiones aceto excipe, & ad præfrictum ac prærasum locũ utere. Aliud, Cineris ungularum caprinarum ustarum, succi thapsiæ, alcyonij, muscerdæ, spumæ nitri, myrrhę, piperis albi, zingiberis, singulorum æquas partes probe tritas felle caprino excipe.

Quæ Cleopatra in libro eorum quæ ad corporis ornatum pertinent scripsit. 7

In libro Cleopatrę de ornatu corporis, ad alopecias descripta sunt pharmaca, quæ iuxta illius dictionis seriem hoc modo habent: Sandarachã tritam largoq; uisco quercino exceptam, et in linteolum inditam, loco per nitrum prius præparato imponito. Ego uero etiam nitri spumã ad prædicta ammiscui, & egregie efficax pharmacum reperi. Aliud, Scillæ drach. i. ueratri albi drach. i. ex aceto trita prærasis & nitro cõfrictis illinito. Aliud, Sinapis drach. unam. nasturtij drach. unam. trita ex aceto, prærasis & nitro extersis locis imponito. præstat autem locum uulnusculis impactis scarificare. Aliud, Corticis calami drach. iiij. spumæ nitri drach. iiij. pice liquida exceptis utere. Cæterum locum assidue radere oportet, & cum linteolo confricare, sic enim quàm celerrime pilos producet. Aliud, Muscarum capita contrita affrica. Aliud, Muscerdas tritas illine, loco prius per linteoli affrictum subcrueto reddito. Aliud, Amygdalas amaras unà cum corticibus exustas cum aceto & melle contere, & loco per defrictionem

nem ſubcruento reddito illine, idq́ ipſum aſsidue A
facere perge, & locum nouacula rade: ſic enim ca
pilli cito prodibunt. Aliud, Cæterum ea quæ
ſequitur compoſitio omnes ui ſua præcellit, faci-
ens item ad profluuium capillorum, cum oleo aut
ungento diſſoluta, facit & ad rareſcentes in princi
pio capillos, & in caluitiem prolabentes. Eſtq́ o-
mnino admirabilis: Murium domeſticorum uſto
rum partem unã. panniculi ampelini uſti partem
unam. dentium equinorum uſtorum partẽ unam.
adipis urſini partem unam. medullæ ceruinæ par-
tem unam. corticis calami partem unam. Hæc om
nia arida leuigentur, & ſufficienti melle ammixto
ad craſsitudinem mellis redigantur, indeq́ adeps
& medulla liqueſacta addantur, & pharmacum i-
pſum in æream pyxidem reponatur, ex eoq́ alo- B
pecia donec capillos producat defricetur. Simili-
ter autem & profluí capilli quotidie ex eo illinan-
tur. Porrò inter hæc ipſa pharmaca itemq́ ea quæ
deinceps deſcribentur, non difficile eſt dijudicare
quæ acriora ac fortiora, ruſuſq́ quæ molliora &
imbecilliora exiſtant, modo quis ea quæ in princi
pio dixi in memoriam reuocet. Ita enim & rectus
eorum uſus cõtinget, nimirum ad mediocres alo-
pecias mediocribus adhibitis, ad fortiores fortio-
ribus, uelut etiam ad eas quæ fortiſsimæ ſunt, for-
tiſsima remedia admouentur.

Quæ Archigenes ad Alopecias commoda conſcripſit. 8

Archigenes item hæc pharmaca ad alopecias
hac uerborum ſerie deſcripſit. Alopecias leues &
in ſuperficie hærentes, nitro confricatas ac linteo-
lo exterſas, uerbenaca in ſole trita acetoq́ diluta C
largiter illine. Aut eodem modo exterſis betæ fo-
lia impone, inſuperq́ linteolo humecto contege,
aufer autem ea per loci humectationẽ. Cæterum
in altum progreſſas cum aceto, nitri gleba, aut ſe-
piæ teſta, aut aſpera ſquatinæ cute, aut fici folijs,
uſq́ ad dilaniationem defrica: deinde deterſo ſan-
guine, betam ex uino coctam impone, aut caricas
uſtas cum uino, aut lentis farinam cũ uino pro ca-
taplaſmate adhibe. Aut bupreſti cũ aceto, aut ra-
nunculo, aut ari radice in cerati formam redactis,
& per noctem impoſitis bullas ex alopecia exci-
ta: mane uero bullas compunctas, allio aut bu-
ſelino, aut fremij folijs intege. Probe faciunt eti-
am poſt excitatas bullas hippocampi marini u- D
ſti, & cum modico atramento ſutorio crudo trito
inſperſi, itemq́ oſſa maxillarum ſuillarum uſta.
Aut raſis & cum nitri ſpuma exterſis, & cum al-
cyonio ex acri aceto confrictis donec cruẽtæ red-
dantur, nucum ponticarum putamina uſta cũ mel
le leuigata illine, atq́ id bis in die facito: ſedat ac ſi
ſtit eas ut plurimum in diebus decem. Aut mures
domeſticos in olla exuſtos tritoſq́, axungia exci-
pe, & præfrictis cum allio alopecijs in ſplenio im-
pone, idq́ donec capilli enaſcantur quotidie repe
te. Aut ranunculos paruos ſimiliter exure, eorũq́
cinerẽ cum pice ſæpe uſq́ quo craſſa facta ſit fer-
uefacta illine, loco neq́ raſo neq́ prius confricto.
Aut muſcerdas & thus æquali portione cum ace-
to ad mellis craſsitudinem redacta loco prius ru-
bificato illine. Aut ficus aridas uſtas cum oleo tri-
tas illine. Aut ueratrum album, piper, muſcerdas,
præfrictis & conſcalptis ex aceto illine. Aut ra-
phano & cepis oblique conciſis probe confrictas
illine. Aut alcyonium torrefactum cum digito o-
leo madefacto diligenter affrica, donec morſum
percipiat, & correctam alopeciam emendabis.
Aut alcyoniũ ad lucernam torrefactum, adipẽq́
urſinum ſimiliter liquefactum miſce, & præfrictis
ad ſolem, illine. Aut præpunctis pro more, cepas
tritas cũ melle cataplaſmatis modo impone. Aut
raphani corticẽ eodẽ modo. Aut facta ſcarificatio
ne, calami corticem ſuperiorẽ quem Aegyptij Si
phtherium appellant, uſtum cum pice liquida cõ.
mitte. ſpleniumq́ impone, & quater aut quinqui-
es ſolue, deinde exterge ac aliud ſplenium impo-
ne. Quidam nitri decimam cineris ipſius partẽ am
miſcent, ualdeq́ eis ſuccedit. Aut ſquamam ſto-
momatis ferri cum aceto & oleo illine eodem mo
do. Aut felis ſiue crocodili ſtercoris drach. vi. ſi-
napis drach. quatuor. cũ acri aceto illine. Aut can-
tharidas uſtas pice liquida exceptas ad cerati li-
quidi formam redige, præfrictiſq́ ex nitro aſſo lo
cis, & exterſis in ſplenio impone, & per noctem
ſine: mane uero tolle, locumq́ exiccari permitte
uſq́ quo circum circa rumpatur: ubi uero erupe-
rint capilli eos aſsidue rade. Aut naſturtium, uel
ut alij piper, muſcerdas, ueratrum album, æquali-
bus portionibus ex aceto illine. Aut cum aſpera
ſquatinæ cute, aut folio ficulneo, aut pumice leui,
ſuperne alopecias cruentas facito, deindeq́ amyg
dalas amaras uſtas cum aceto mulſo illinito, idq́
aſsidue facito ac radito: augeſcent enim ſtatim ca-
pilli. Aut teſtudinis marinæ ſanguinem illine, ex
laudatiſsimis enim hic eſt. Aut hippopotami co-
rium uſtum illine. Aut nuces ponticas uſtas & ſta
phidas ſylueſtres cum unguento laurino. Hoc e-
nim ab Archigene laudatur. Aut muſcerdas & ue
ratrum album illinito. Aut corticis calami uſti &
nitri æquas partes cum pice liquida ad malagma-
tis formam redige. Aut nuces amaras unà cũ corti
cibus uſtas ex aceto aut melle craſsius illine, idq́
loco prius per linteolũ exterſo: poſt uero aſsidue
radito. Aut ammoniacum thymiama cum ſucco
tithymalli affricato. Aut felis ſtercus aridum ex
aceto. Aut rhois drach. iiij. uel ij. ſinapis drach. ij.
cum acri aceto illine. Aut amygdalas amaras &
pumicem illine. Dionyſodorus autem medicus,
Soleam, inquit, nouam uſtam cum acri aceto illi-
ne. Egregie autem facit ad inueteratas alopecias,
ſi thapſiæ ſuccum aut radicem cerato exceptũ lo-
cò impoſueris, etiamſi nihil præterea aliud facias.
Decedit enim ſuperna cutis et ſanie feroſa madet,
capilliq́ ſua ſpõte ſubnaſcuntur. Vides itaq́ quo-
modo Archigenes ex thapſia pharmacum collau
det, neq́ enim aliud eo præſtantius reperias. Au-
get autem fidem cõmoditatis eius conſona hiſto-
ria experimenti, quapropter & ego omnia apud
Empiricos medicos obſeruata hic adſcribo.

Quæ Aſclepiades in libro de Alopecia ſcripſit. 9

Non recentioris nunc mentionem facio Aſcle
piadæ

A piadæ, qui memorabiles ſanè pharmacorum compoſitiones in multis libris conſcripſit, ſed uetuſtioris Bithyni uidelicet. Hic itaq; Aſclepiades curandi uiam ſe reperiſſe gloriatur, per quā multos immedicabiles alopecias habentes ſanatos dicit. Verum plus ad curationem totam diætam ualere ꝙ pharmaca ipſa tradit. De dięta itaq; hęc ſcribit: Abſtinendum itaq; ab omni uino in totū propter has ipſas cauſas. Manifeſtum uero eſt inde, ipſum antea retuliſſe cauſas, quas ſi quis diſcere uelit ex libri ipſius lectione requirat. Deinde ſubiungit: Abſtinendum etiam à nimia repletione. Prohibet autem & carnium eſum, & caſei, & lactis, & leguminum, omniumq; ſimpliciter quæ etiam exigua copia accepta plurimum nutriūt & inflant. Quin & exercitia plurima fugere iubet, uelut etiam aſsidua B balnea, & multas exudationes. Cæterum de pharmacis iuxta ſeriem dictionis ſic ſcribit. Eſt autem primum unguentum tale: Spumę nitri partes duas. ſalis ammoniaci partem unam. uſta trita acerrimoq; aceto diluta donec ſtrigmentorum craſsitudinē accipiāt, præſcalptæ leuiter alopeciæ, quo denſetur & cruentus reddatur locus, moderate illinimus, defricamusq; donec caput ea concipiat, & pharmacum in altum probe deferatur, atq; ita quieſcere uſq; ad crepuſculum ſinimus, poſtea ad ueſperam idem repetentes, ſimiliterq; ſequenti ac tertia die, magnam permutationem reperimus. Siſtitur enim nome ſiue ulceratio ſerpens, & capilli uellicati, immo & ui tracti reſiſtunt, & nō euelluntur. Deinde ſequenti die præfrictis acetum ca- C taplaſmatis modo imponimus, uſq; quo bullę exurgant, & cutis leuem exulcerationem incurrat: poſt uero pertuſis bullis ad biduum aquoſitatem effluere ſinimus quæ ab ipſis ulceribus prodit. Indeq; rurſus eodem unguēto utimur, ulceratis tantum locis parcentes eosq; tranſgredientes, Sanos uero contingentes, eosq; defricantes uſq; ad crepuſculum quieſcere ſinimus, quo idem repetentes paulatimq; cōfricantes uſq; ad ſeptimū aut octauum id facere pergimus diem: quo ſanè tempore uidemus iam ab extremis alopeciæ non amplius tenues ut ante, & lanuginoſos prodire pilos, ſed longiores & robuſtiores, conſimileſq; poſtea paulatim etiam in partibus denudatis excreſcentes, uiciſsimq; tenues & imbecilles deficiētes. Cō- D tingitq; ſimile quiddā quale in ulceratis uidemus. In ulceribus enim cicatrix ab extremo initium faciens, poſtremum in medio ulcere deſinit ac coit. Ita in alopecia partes piloſis uicinæ primum conualeſcunt & denſæ pilis redduntur, quæ uero in medio ſitæ ſunt omnium poſtremo pilos producunt. Si itaq; curatio hoc modo proceſſerit, reliquis medicamentis nihil opus habebimus, ſed uno hoc per multum tēpus ſemper utimur: ceditq; benigniter affectio; niſi omnino magna nuditas exiſtat. Medio autem tempore ſcalpturam per acutum cœlum aſsidue facimus. Aliquando etiam cuſpide acuti ſpiculi cute pertuſa, per fiſſuras ipſas ſanguinem moderate elicimus. Hęc his uerbis præfatus Aſclepiades, deinceps de raſura contra quàm alij tradit: neque enim aſsidue ſed per interualla affectam partem radere iubet, ubi iam mediocriter dēſi capilli in ea fuerint exorti: prodeuntes autem iam & adhuc tenues raſura non dignatur. Cæterum poſt raſuræ factam mentionem, deinceps hæc uerba ſcribit. Quod ſi uero remoretur capillorum exortus ad ſubſcriptas cōpoſitiones confugimus. Sūt autem tales: Herinacij terreſtris caput aut corium, uſtum tritū ac melle ſubactum illinito. Aliud, Hippocampum marinum & nitri parum coexure, adipeq; anſerino ammixto, loco nitro præparato illine. Aliud, Thapſiam aqua maceratam illine. Aliud, Muſcerdas aceto tritas illine. Aliud, Calami Cyprij folia in olla exurito, deinde reſina pinus cinerem ipſum excipito, & præſcarificatæ alopeciæ imponito ac obligato. Aut corticem ſiue comam calamorum eodem modo præparato, ampliusq; nitri parem cineris modum ammiſceto, & pice exceptis utitor. Eſt autem non inualidum ſed plurimum efficax. Poſt hæc uero etiam muſcarum Aſclepiades meminit, iubens quàm plurima ipſarum capita mox ubi captæ ſunt, nudis alopeciæ partibus affricari, atq; id maxime ubi alopecia fuerit exulcerata. Etenim confert, inquit, muſcarum ſanguis partibus tunc per pharmaca ex nitro ac alijs compoſita exacerbatis, nimirum quum non mordeant hæc ipſas tantum, ſed bullas etiam in eis excitent.

Quæ Soranus ad Alopecias conſcripſit. 10

Præfatur quædam quæ iuxta propriæ ſectæ ductum digeſsit, meminitq; eorum quę Aſclepiades ſcripſit: deinde uero hæc, hac uerborum ſerie ſubtexit. Quapropter ubi recens malum eſt, primum abſtinentia proderit, deinde ſimplex cibus boni ſucci, & irrigatio ex oleo dulci calido, & panis in cataplaſmate, fomentaq; & ſcalpturæ, & cucurbitæ, ac cerata. Vires item reparentur. Inueterata autem iam affectiōe aſsidua raſura, & rubificatio ex ſinapi, & frictiones præſcriptæ, ita ut in ſequentibus diebus picem ſuperlinas aut oleum cedrinū. Proderit item rubificatio ex affrictu foliorum fici aut ceparum, aut linteoli pollici aut indici obuoluti, & poſt frictionem ſcarificationes. Quidam uero acus conligantes ita ut cuſpides ipſarum in eundem locum porrigātur, per ipſas cutem compungunt. Cæterum poſt rubificationem per defrictionem inductam, poſtq; ſcarificationem pharmaca conueniunt ex alto euocantia ac transferentia: metaſyncritica Græcis appellata, tum illita, tum emplaſtri modo impoſita. Eiuſmodi autem multa particulatim exiſtunt, Nam & cepe tritum, & raphani cortex, utrunque cum melle impoſitum ualet. Aut ſpumæ nitri partem unam. rhois partes duas. ſalis ammoniaci partem unam. uſta & cum acri aceto trita ad ſtrigmentorum craſsitudinem redigantur. Scripta ſunt & alia multa, inquit, apud Aſclepiadem & Heraclidem Tarentinum, Elephantidemq; ac Moſchionem in libro de ornatu. Ex quibus ſanè & ipſe ea quæ ex Aſclepiade præſcripta uidiſti exſcripſit, & alia itē quædam quorum deinceps mentionem faciam: Adi-

pis ursini partem unam. cineris foliorum calami ustorum partem unam. squamæ stomomatis ferri partem unam, aceto & oleo ueteri subacta illine.

Aliud. Stercoris felis aut crocodili drach. viij. sinapis drach. iiij. ex acri aceto. Aliud. Hordei usti & muscerdæ par pōdus ex acri aceto. Aliud.

Nasturtium & muscerdas, ueratrum album, piper, æquali mensura ex acerrimo aceto. Aliud.

Sinapi & nasturtium aut spōdylium usta trita ex aceto illine. Aliud. Ranarum ustarū drach. xviij. pumicis usti drach. xij. alij. xv. habent. sinapis drach. viij. nitri drach. iiij. nucum ustarum, drach. xxiiij. Aliud. Præstat & ceratum ex pipere, pyrethro, calce, & oleo myrteo. Oportet autem & partem affectam præfricare uel per alcyonium ustum donec morsum persentiscat, uel per herinacij marini usti cinerem linteolo inuolutum, donec locus rubefiat. Alia pharmaca quæ partim mihi, partim præceptoribus meis, partim amicis medicis in usu fuerunt. Pumice rubificatorio præfricato, præfomentatoq́; & thapsiæ succum donec cutis eleuetur illinito, deindeq́; fomento adhibito, cerato rosaceo utitor. Aliud. Foliorum ac radicis calami ustorum, pilorum ursi, adianti, adipis ursini, picis liquidæ, pilorum caprarum ustorum, cedriæ, omnium octo par pondus accipe, liquidaq́; cum aridis cōmitte, & præfrictis adhibe. Aliud.

Fici folia cum aceto donec lanugo prodierit affrica: deinde uero herbæ quæ Stœbe appellatur succum illine. Aliud. Ranas paruas ustas pici liquidæ tepidæ insperge, deinde neque prærasis neq́; præfrictis illine. Aliud. Spumæ nitri, drac. iiij. stercoris muris, drach. ij. corticis calami usti, drach. ij. pice liquida excipito, & splenium formato, idq́; prerasō ac cum nitro præparato loco imponito, & ante biduum uel triduum non auferto.

Aliud. Sinapis & stercoris felis æquas utriusq́; partes, loco præfricto illinito. Aliud. Scarificato ac sepię atramentum illinito, aut marrubium uiride tritum illinito. Aliud. Sphæritidis folia torrefacta cum aceto leuigata imponito. Appellatur autem sphæritis, cupressus quæ sphæria, id est, pilulas producit. Aliud. Nuces amaras unà cum putamine ustas, prærasis ex aceto & melle illine. Aliud. Herinaciorum marinorum testas ustas, ex melle & aceto prærasis illine. Aliud. Alcyonium ustum & murium stercora cum porri succo illine. Aliud. Radicis thapsiæ drachmas quatuor. radicis chamæleonis drachmas duas. uisco probe subacto excipe & cataplasmatis modo impone, quumq́; exacerbatus æger fuerit adime. Aliud. Foliorum calami græci ustorum drachmas quatuor. muscerdæ drachmas duas. herinaciorum ustorum drachmam unam. cum aceto trita illine. Aliud. Salis ammoniaci drachmam unā. nitri drach. unam. utrunq́; torrefacito, acetoq́; rigata ter in die illinito, loco prius cum nitro præparato. Aliud. Amygdalarū amarum testarum obol. iij. pumicis obol. ij. salis ammoniaci obol. iij. similiter illine ex aceto. Aliud.

Piper, muscerdas, ueratrū albū æquali pondere cum aceto illine. Aliud. Squamā stomomatis ferri cū aceto & modico oleo illine. Aliud. Locum per pumicē proritato, & sulphuris, spumæ nitri, ammoniaci singulorū æquas partes mixtas cū aceto illinito. Aliud. Alcyonij drach. i. sulphuris uiui drach. vi. muscarū ad ariditatē torrefactarū cyathum i. muscas per se terito itemq́; sulphur, alcyoniū uero aqua coctū unà cum siccis leuigato, felle suillo ac aceto paulatim affusis usquequo strigmentosum reddatur. Deinde axungiā à rotis derasam, & manu emollitā ut emplastri forma cōstat misceto, & prerasa alopecia ac rubrificata pharmacum ut optimū cōfidenter illinito. Aliud. Alicam aceto maceratā terito, & pauculo succo cyrenaico adiecto, prefricto loco illinito. Aliud. Loco præfricto ac scarificato caricas assatas cū passo cataplasmatis modo imponito. Aliud. Passum illinito, ac deinde ferulam ustam inspergito. Quæ deinceps sequunt̄ duo pharmaca admirāda sunt, & uerbis eius qui ea prodidit inscripta ad alopecias, caluiciē, raritatē capillorum ægre curabilē in capite, in mento ac supercilijs. Pilorū ursi unc. i. radicis calami unc. vi. filicis cum radice quadrantem ac unciæ dimidium, castanearū hispidi corticis quadrantē, lanarū succidarum ꝙ pinguissimarum sexuncem. capita muscarū numero xxxvi. muscas v. capitibus reiectis. Omnia in nouā ollam indita in furnum mittito, deinde cinerē ipsorum terito. Habeas autem in uino Aminæo prius trita ladani unciam unam. myrrhæ unc. unā. adijciaturq́; olei ueteris sextans, & cedrini unc. una, malabatrini sextans: deinde inspersis aridis tritis medicamentum recōde, atq́; ubi linteolo alopeciam præfricueris, deindeq́; aut cepa aut scilla uellicaueris, aut fici folio lente exscalpseris, pharmacum ipsum illitu affrica. Insequentibus uero diebus lotum rigido ac aspero linteolo cōfricato, atq́; hoc modo illinendo usq́; ad menses duos progreditor. Quod si amplius in hac curatiōe perseueraueris, etiam caluiciem ea persanabis. Ad caluescētes præter ætatem remedium. Adipis taurini insolati libram unam. adarces unc. unam. succi thapsiæ sesquiunciam, alij unciæ dimidium habent, myrrhæ bonæ unc. unam. polytrichi lib. dimidium, callitrichi lib. dimidium, membri asinini lib. unam. splenis asinini lib. unam, ladani tantundem. Ego ladanum in uino modico maceratum contriui: adipem uero aquæ uapore liquefeci, deinde asini membrum assatum donec insumatur radito: splenem uero cum callitricho & polytricho in noua olla torrefacito, contusisq́; quæ contundi possunt ac cribratis, omnia gleucino aut sabino excipito, & antę balneum utitor capite prius pectinato. Manifestū uero est quod eadem pharmaca etiam ad menti pilos non enascentes conducunt. Aliud. Fœni græci sextarios quatuor. seminis lini sextarios duos. ladani bessem, succi acaciæ sexuncem. folij malabathri sexuncem, gallas numero xx. onychis aromatici sextantem, calami Syriaci sextantem & unc. dimidium, alij unc. unam habēt, bdellij sextantē, myrti ustæ sextarium unum. musci, quē alij splanchnon,

alij bryon aromaticum uocant quadrantem: iridis astragalitidis, alij illyricę sextantē. Singula per se contundito, ac per cribrū arctius excutito, & deinceps ut præscriptum est misceto. Vsu uero expetente, pharmaci tertiam partem, aut quantum sufficit, in æreum aut testaceum uas conijcito, deinde uini Italici odorati tantum ut liquidum reddatur ammisceto, atq; ita prunis impositum donec semel ebulliat cum lignea uirga agitato, animaduersione habita ne cōburatur. Post uero illines ægro in aquā desidere iusso, sensimq; in solio sedenti affricabis, ac pro more capite ex aqua perfuso pharmacum ablues. Deinde autem staphidem syluestrem per se tusam ac cribratam, post quartum usus diē pharmaco ammiscebis, similiterq; coques, eodemq; modo illines, parce tamen ac caute ne in oculos destillet. Vngento autem à balneo uteris, olei myrtei libra una, cum ladani triente contrita. Constans & certa est pharmaci huius facultas, neque citra effectum dilabitur.

11 Aliud ad eadem. Pericalamitidis unc.i. myropissoceri, sordis pilorum barbæ hircinæ utriusq; unciæ dimidium. adipis infantis informis libram unam. succi foliorū dionysiaci tenerorum. succi foliorum ladonidis tenerorum, succi callicereos. succi herbæ uerbenacæ. succi foliorum calami, singulorum cyathos iij. cynomori, herinaciorum marinorum ustorum, utriusq; sextantem aut amplius si melius reddere pharmacū uelis. acanthionis terrestris coriū ustum. Hæc omnia ad plures dies in pila plumbea terere oportet, donec omnia probe leuigata uniantur, atq; etiam donec à pila quapiam detritum eis accedat. Vtere loco contente ex crudo linteolo ex lino præfricto, ac deinde cū altheæ siue hibisci radice deterso, illinito. Hoc pharmacū eo modo scriptum reperit Claudianus amicus noster in libello ex membranis cōtexto, eo qui pharmaco usus fuerat uita defuncto. Multi autem faciebat eius possessionē, propterea quod duos quosdam caluescere iam incipientes ex eo curatos cōspexisset ita ut neq; ulterius caluicies progrederetur, ipseq; denudatus locus pilis densus redderetur. At uero nos hoc ipsum obscure & coniecturaliter scriptum nacti, singulatim considerabamus quid tandem singulis significaretur, quumq; iam hoc, iam aliud mente cōciperemus, per magnā experientiam tandem nos ueritatē reperturos sperabamus. Verū in præsens quidē quod sentimus scribemus, scripturi etiam in posterū si quid experientia cognitū repererimus. In præsens antē pericalamitidem, calami corticē dici putamus. Nam & aliàs ipsum eiusmodi affectionibus conuenire scimus maxime ustum, nouimus itē alios ex eiusmodi pharmaca cōposuisse, quapropter credibile est quoniam cortex calamo circum adhæret pericalamitin ipsum appellari. Potest autem etiam id quod ab aliquibus limnestrum, ab alijs adarce & adarcium dicitur, pericalamitis appellari, propterea quod calamis adnascat. At uero myropissocerum picem & cerā dici æstimamus ungento quopiam ad huiusmodi affectiōes cōgruenti eliquata,

A uelut est gleucinum & laurinū, nardinum, lentiscinum, sesaminum & cedrinum. Cęterum barbæ hircinæ sordes statim nobis uisæ sunt de ladano dictę esse: nam ad has affectiones conuenire in confesso est. Et sanè generatio eius circa mētum hircorum in quibusdam locis contingit, quod ipsum & Ruphus Ephesius per hos uersus indicat:

Inuenias in Eremborum quoq; ladanon orbe
Caprarum circa mentum, gratissimus illis
Succus is è cisthi folio decerptus amico.
Imbuti hoc uilli menti laterumq; madescunt,
Non tamē ad morbos hoc præstat laudē ab odore
Egregio quo spirat habet, quòd plurima mixta
Pharmaca Erembi habeant diuinis uiribus aucta,
Orta solo & campo longe lateq; patenti.

B An quidem igitur hoc solum ladanum is qui pharmacum composuit inijcere iubet non satis manifestum est: possibile est autem per unam speciem totum genus ab eo designari. Porrò infantem informem uidetur mihi ursam dixisse. Vrsam enim parere aiunt informem quandā uelut carnis molem, uerum post per linctum matris animal formari ac effigiari. Dionysiacū autem uitem mihi dicere uidetur, quanquā & de hedera dici posse aliquis opinari queat. At uero quòd ladonidem laurū appellet nemini puto dubium esse. Calliceros autem fœnum græcū appellare uidetur: nominatur autem hæc planta apud nos in Asia Aegoceros. Cynomorum deinde rubum canis uerisimile est dici. A-

C canthiona autē postremo terrestrem, herinacium terrestrem appellatum ab eo existimo.

De defluuio capillorum. Cap. II

Est & alia pilorum affectio quæ ad raritatem cutis, inopiamq; substantiæ pilos generantis consequitur. Quapropter etiam curatio hoc modo læsorum, non eundem scopum quem alopeciæ habet: in alopecijs enim ut uitiatus humor consumatur, intentionem summam ac primarium scopum habemus. In his uero ut capitis habitum roboremus, & boni succi allationem procuremus, cutemq; ad densitatem ac raritatem moderatam reuocemus. Quam ob rem sanè ad pharmaca humectantia aliquid moderate adstringens ammiscere oportet, quale est ladanum, quod utraque in se moderate complectitur quę ad hoc symptoma conueniunt,

D caliditatem uidelicet mediocrem, & astringendi uim iuxta eandem proportionem. propter hoc itaque oleo mixtum quo illini possit, symptoma, siue accessionem defluuij capillorum sistit. At uero manifestum est capitis frictionem necessario huius pharmaci usui præmitti, & multitudinis pilorum resectionem, aut si anni tempus id fieri permittit perfectam ablationem. Ita enim in affrictu & illitu robusta & calida reddetur cutis, & moderatam densitatem acquiret, eam uidelicet quæ secundum naturam est. Consueuit autem hæc circa pilos oblæsio sæpe his qui ægrotarūt accidere. Raro autem citra morbum, & magis sanè diæta salubri & uires reficiēte opus habet. Multiq; citra medicamentū perfecte sanati sunt, atq; id breui. Composuerūt tamen medici eius gratia pharmaca mo-

deratam densitatem cuti inducentia, ita tamen ut A ne simul eam refrigerent: quæ enim uehementer adstringunt, omnia etiam refrigerant, & alimenti influxum reprimũt, propter cuius inopiam capilli defluunt. Intentio itaq; medicamentorũ est sanguinem affluentem non solum nõ præpedire, sed etiam prolectare, cogere autem sensim & adstringere rarefactam cutem. Tale autem sponte naturæ est ipsum ladanum, quod quia ceræ similẽ compagem habet, largo aliquo cõuenienti liquore indiget, quo capiti illini possit. Præstat igitur huiusmodi liquorẽ similem ladano esse, hoc est, ex contrarijs facultatibus mixtum, adtractoria nimirum & coactoria. Nequaquam ergo oleum Sabinum aut uetus aut Cicinum ad hanc rem aptum fuerit, sed in Hiberia aut Hispania, aut quomodocunq; B tandem appellare uelis, natum. Habet enim & adstrictorium quippiam, atq; amplius adhuc eo lentiscinum, sponte naturæ tale existens, quale est ipsum ladanũ. Quare neq; expertus sum, neq; mente concipere possum, ullum præstantius pharmacum fore ad defluos capillos, quàm est quod ex ladano & lentiscino oleo permixtum constat. Manifestum aũt est quod raso quidem cuipiam, crassius admouere medicamentum oportet: ad ipsam uero cutem præsectos & attonsos habentibus pilos, liquidius. Quòd enim comam alere non oporteat priusquam quis curetur, euidens puto. Quod si uero large defluant capilli, & coniectare possis multam raritatẽ cutis capitis factam, nõ ineptum fuerit in præsens myrteũ oleum pro lentiscino ad C ladanum ammiscere. Licebit etiam aliquando unguentum nardinum adhibere in ætate frigida, & tempore hyemali. Bonum autem pharmacum ad omnia est dilutum fœminarum unguentũ, quod Romæ uocant foliatũ. Non minus autem eo commodum est, imò magis quod appellant Spicatũ, Quare cũ his uel solis diuites ungi iubeto, & cum optimo nardino. Ladanũ uero in duplo uase liquefacito, & liquefacto unà cũ nardino ex prædictis preciosis unguentis quodcunq; ad manum fuerit ammisceto. Atq; hæc quidem medicamenta mihi suffecerunt unà cũ refectoria ac salubri diæta, quæ in plerisq; etiam sola suffecit. Composuerunt autem, ut dixi, quidã ex prioribus medicis pharmaca ad defluos capillos, in quorũ relatione ubi inuicem dissentiãt exponam. D Primum autem referam compositiones ab Hera scriptas, quarũ priorem quidem laudo, posteriorem uero curiosam & præter rem auctã existimo. De priore uero ita scribit.

Compositiones pharmacorum ad defluos capillos ab Hera scriptæ. 2

Heras in ferula duo subscripta pharmaca habet, iuxta hanc ipsam dictionis ipsius seriem, ad hoc ut capilli in capite ne defluant: Ladanum in uino austero rigatum terito, & oleo myrteo ac uino uicissim affuso ad mellis crassitudinem redigito. ex eoq; ante & post balneum, caput illinito. Præstat autem & polytrichon quod quidam Adiantũ uocant, dimidia ladani portione adijcere, & cũ myrteo aut nardino uti. Hæc de priore compositione loquutus Heras, deinceps hæc scribit. Compositio olei ad defluos capillos, quæ & nigros eos facit. Intra calendas & Idus Iulias, nuces uirides centum tundito, eisq; olei primarij sextarium unum affundito, & aluminis liquidi libras iij. Hæc simul in uas nouum testaceum præmadefactum indito, idipsumq; quàm diligentissime oblitum, in loco neque humecto nimium, neq; calido reponito, & per mẽses tres sub terra situm sinito, deinde auferto oleoq; utitor. Hæc ipsa secundi pharmaci est descriptio, quæ plus quàm conuenit ipsum pharmacum adstringens reddit. Quapropter ut uehementem adstringendi uim ipsius corrigeret is qui primus hoc pharmacum composuit, defodere ac uelut putrefacere ipsum iussit, inde nimirum magis tenuium partium reddere in eo commixta conatus. At uero tale pharmacum in tempore, regione ac natura corporis calidis commodum fuerit, adeò ut in contrarijs non tutum sit tali uti. Etenim perfrigeratas eius usu mulieres uidi, ut inde in grauedinem ac raucedinem defluxumq; à capite ad fauces delaberentur.

Quæ Archigenes ad defluos capillos conscripsit. 3

Archigenes in primo libro pharmacorum secundum genus ad defluos capillos in hæc uerba scripsit: Ladani & absinthij æquales partes, & iuniperi bacchas decem tritas, in linteolum illigato, et in oleo per dies quinq; macerato, ex eoq; caput illinito, & neq; capilli defluẽt, neq; furfures habebunt. Aut dum capillos pectis, adiantũ cum myrteo aut rosaceo oleo adhibeto. Aut adianti, myrti nigræ æquales partes, gallæ duplum, cum oleo ueteri, aut lentiscino, aut myrteo, ad mellis crassitudinem redige ac utere. Aut thus & misy, & gallam, & adiantum, æquis partibus cum uino maris experte ad mellis spissitudinem in sole terendo redige. Aut molliter cocta donec nigrescant, deindeq; cũ oleo ueteri, aut lentiscino, aut myrteo mixta in usum adhibe. Aut brassicam aridam tusam cum aqua impone. Aut loti radicem eodẽ modo.

Quæ Cleopatra in libro de ornatu scripsit. 4

Quæ à Cleopatra in libro de ornatu scripta sunt, illius ipsius uerbis sic habẽt: Ad capillorum in capite generationem, calamorum tenerorum radices tusas exuccato, muscasq; in ollula torrefactas succo admisceto, & adipem ursinum ac oleum cedrinum in uinum trita ac unita, ijsdem addito, & ad illinendum exhibeto, Quo uero odorem obtundas uinum aut passum affundito. Aliud.

Non longe post præcedens his uerbis conscriptum: Quo capilli enascantur lini semen siccum unà cum calamo suo exurito, tritumq; cum oleo sesamino illinito. Aliud paulò inferius scriptũ hoc modo: Ad defluos capillos terram cimoliam solidissimam uino austero & mororum succo, tanto quantũ combibere potest, rigato, eiq; hyoscyami tenuissime triti acetabulum adijcito, indeq; pastillos formato quos in umbra siccatos in uas figulinum nouum reponito. Vsu uero postulante aqua dissolutos illinere iubeto, Deinde quũ exaruerint per dies quinq; eluito, rursumq; illinito. Facit itẽ ad

ad

ad faciei & colli impetigines. Aliud. Capillos augens cito, densansq; ac denigrans. Ladanũ cum oleo & uino dulci leuigatum ac crassefactum præfrictis illinito. Non longe quoq; postea aliud pharmacum scriptum est his uerbis. Ad defluuiũ capillorum citra morbũ accidens. Brassicam aridam tritã ex aqua impone, aut loti radicẽ eodẽ modo.

Quomodo comptoria ab exornatoria medicinæ parte differat. 5

Comptoriæ quidem scopus est, ut pulchritudinem acquisiticiam inducat. Exornatoriæ uero medicinæ partis, ut quicquid secundum naturam est id omne in corpore custodiat, ad quod consequitur etiam naturalis pulchritudo. Indecoro enim aspectu est caput alopecia uitiatũ, uelut etiam oculi pilis palpebrarum denudati, similiterq; superciliorum capillorum defluuium. Non solũ uero ad pulchritudinẽ, sed multo prius ad ipsam partium sanitatem capilli ipsi conducunt, quemadmodum in libris de usu partium est demonstratum. Quid attinet autem dicere de lichenis, aut psora, aut lepra? quum præter naturam talia existant. At uero faciei colorem per pharmaca nitidiorem aut rubicundiorem facere, aut pilos capitis crispos, aut fuluos, aut nigros, aut quemadmodũ mulieres solẽt, in longitudinem auctos, hæc ipsa & quę huiusmodi sunt comptoriæ maliciei existunt, nõ medicę artis opera. Verum propter societatẽ quandã quam cum illis habent, quandoq; ad regiarũ fœminarũ, atq; adeo ipsorum regum imperium, etiam comptoria adiungimus, utpote quum his negare non liceat, docendo tamen comptoriam ab exornatoria medicinæ parte differre. Quapropter uisum est mihi ea quæ Crito scripsit pharmaca capillos conseruantia, eosdemq; augẽtia, ex primo illius de ornatu libro subscribere.

Quæ Crito ad conseruandos & augendos capillos scripsit, itemq; quæ à defluuio ipsos præseruent. 6

In primo libro Exornatoriorum statim in principio post præfationem Crito hæc uerba scripsit. Ad conseruandos itaq; capillos subscriptis compositionibus utendum est. Heraclidæ Tarentini conseruatiua capillorum. Fremij florem cum oleo tritũ illine, idem etiam eos denigrat. Aliud.

Ladanum uino austero maceratũ ac tritũ oleo myrteo excipe, eoq; pilos ante balneum subline.

Aliud. Verbenacam rectam appellatam unà cum radicibus arefactam contundito & per angustissimũ cribrũ concernito, deinde oleo ammixto ut strigmenti crassitudinem accipiat, uas æreum reponito, atq; ubi cõputruerit, pro oleo similiter utitor. Aliud. Ladani partes duas, polytrichi quod quidam Adiantũ appellãt, partem i. uino & oleo myrteo excipe ac utere. Nos autem pro myrteo nardino usi sumus. Aliud. Quod ipsum & subnigros reddit. Baccarum myrti nigrarũ quadrantem, ladani tantundem, dissoluta cum acaciæ fructus, hoc est, siliquarum ipsius spinæ appellatarum, decocto contere: utq; ubi limi crassiciem acceperint, nardino, aut myrteo, aut aliquo alio he-

A dysmate excipe. Aliud. Vnguentum conseruans pilos, quod ipsum etiam subnigros reddit. Baccarum myrti nigrarum sextarium i. seminis apij sextarium unum. seminis betæ sextarium i. uirgultorum myrti sextarium i. adianti sextarij dimidium, ladani tantundem. uini nigri sextarios sex. usquequo penitus dissoluantur coquito, atq; ubi tertia pars superfuerit, olei cuiusdam aut hedysmatis sextarios ij. aut iij. addito, rursumq; coquito. Vbi uero bis aut ter ebullierit, liquorem exprimito ac diligenter per saccum excolatum in hydriam recondito. Vsu uero expetente in præ rasis penitus utitor, illitis ex eo bis per diem capillis. Aliud.

Paßi cretici sextarium i. ladani unc. i. corticis nucum pinearum usti sextantem, polytrichi usti unc. B i. adipis ursini libram unã. succi betæ cyathos tres. Ladanum & passum donec cogantur in unam cõpagem coquito, deinde reliqua inijcito, & sublata in uas plumbeum seruato. Vsus aũt tempore quãtum sufficit in quocunq; uelis hedysmate diluito. Vsus eius debet esse quotidianus, quidam uero raso capiti pharmacum illeuerunt nullo hedysmate dilutum. Aliud. Ladani unciam i. passi sextarium i. corticis nucũ pinearũ usti drach. ij. alij sesquidrachmam habent, spongiam marinam ustam tritam unam. Panniculi Cilicij usti triti cyathos iij. polytrichi usti triti cyathos ij. adipis ursini lib. i. coquito & apparato ut dictum est. Aliud quod pilos cõseruat, & defluẽtibus quoq; auxiliatur. Seminis apij sextantem. callitrichi sextantem. thuris C sextantẽ. nuces iuglandes numero xv. ladani sextantem, corticis nucis pineæ lib. i. Omnia in nouã ollam coniecta, & cum argilla probe obturata, in balnei fornace assato, deinde extracta terito, & adiecta adipis ursini libra una subigito, & in pyxide ilicea reponito. Vsu uero expetente quantum satis uidebitur ex pharmaco accipito, ac quocunq; uelis hedysmate conquassato, ex eoq; caput bis in die illinito. Quidam uero capite raso pharmacum illinunt cum solo adipe ursino subactum. Aliud ad caluitiem quo usus est Andromachus iunior.

Leporum uentres sex accipito, probeq; siccatos in testaceo uase torrefacito, ad eosq; baccarũ myrti quadrantem & uirgultorum eiusdem tantũdem conijcito, indeq; adianti quadrantem addito, om- D niaq; simul attente torrefacta tundito, ac per angustum cribellum excernito, deinde adipis ursi ac phocæ æquis partibus adiectis subigito, ac emollito, sublatũq; pharmacũ in pyxidem plumbeam recondito. At uero ubi usus tempus institerit, quocunque uelis hedysmate ipsum diluito, ac utitor. Atq; de his quidem hactenus.

De tincturis capillorum. Cap. III

Quum uero post præscripta pharmaca Crito alia quædam scribat, quæ quidem conseruationem capillorum promittunt, uerum primum ipsorum opus est ut tingant ipsos, quo siue nigri, siue flaui reddantur, uisum sane est mihi in principio ea relinquere, quum omnia talia manifeste comptorij generis existant. Quandoquidem haud scio quomodo dogma commune inoleuerit, ut uetulæ fœ-

minæ capitis capillos denigrent, tanquam turpe sit canos habere. atq; hoc ipsum etiam maritis probatur, qui onerosum esse aiunt, aniculam uxorem cano capite habere. Quæcunq; quidem præ delicijs seipsas ornāt, harum nulli tale quippiam à me petenti exhibui. Quęcunq; uero honesti respectu, quo notæ culpam effugerent, & importunitatem maritorum uitarent, pilos suos nigros reddere cupierunt, ne tamen ex adstrictoria ui nigrorem inducentium oblæderentur, illis consului cedriæ usum, ita ut tribus aut quatuor horis ante balneum illinirent, & postea detergerent, idq; per quatuor aut quinque dies facere pergerent. Ad hoc enim quod nihil lædit, amplius etiam commoda est eis quæ facile à frigore offenduntur, Nimirum pharmacum existens cedria quod abunde calefacdet. Oportet autem ipsam citra olei ammixtionem adhibere capitibus uehementi resiccatione & calefactione indigentibus, quibus scilicet humida & frigida intemperies per se inest. Alijs uero oleo mixtum adhibere pharmacum oportet. Quin & defluentes capillos corrigit, & nō defluentes auctiores reddit. Cæterum odorem eius uitant delicatæ mulierculæ, qui sane non iniucūdus est his quæ in eius usu aliquandiu perseuerarunt. Porrò in Asia apud nos agrestes mulierculæ montana incolentes, non cedria solum illinūtur oleo permixta, tum capite, tū reliquo uniuerso corpore: sed & picem liquidam cum oleo eodem modo permixtam, ad radices capillorū capitis illinunt, uocantq; hoc cōpositum pharmacū pissełæon, hoc est oleū picatū, quod omino aliud est ab eo quod pissanthos, hoc est, flos picis appellatur, quod ipsum liquidæ pici incumbit & superstat, tenuium magis partium q̃ ipsa pix existens, tum compage, tum etiam facultate. Huiusmodi itaq; pharmaca tarde canescere faciūt, nulla utentium oblæsione. At uero quæ ex austeris & acerbis composita sunt, magnopere lædunt. Cæterum materiā ex qua confiunt hæc, adstringentis qualitatis ac facultatis existentē, etiam quippiam tenuium partium habere oportet, quo non in superficie tantum, sed & in profundo cutē permutent, usq; ad locum radicum capillorū progrediendo. Atq; hæc quidem est Methodus componendi ea: habes autem in simplicium pharmacorum tractatu particulatim materias ipsorum, in quibus facultates & qualitates earum dictæ sunt. quapropter ex illis tum ea quæ iam à prioribus cō posita sunt iudicare ac quali nam ui prædita sint inuenire potes, tum etiā per teipsum de integro noua componere. Vtile autē hoc est & ad cognitionem affectionum quas iam incurrerūt aliquæ mulieres, & ad futurarum prænotionē, præsentiumq; sanationem. Non solum enim in periculo uersatas sæpe scio fœminas, sed & mortuas, ex perfrigeratione capitis per huiusmodi pharmaca inducta. læsio autem eis maxime accidit, aliquando quidem in stuporem attonitum, aut comitialem, aut ueternum, aut soporem profundiorē, aut animi apprehensionem, Catalepsin Græcis appellatam, delabentibus: aliquando uero destillationibus indisso lubilibus apprehenduntur, ut inde etiam pulmo afficiatur, & tabes ex eis consequatur. Offenduntur autem citius quę frigidius temperamentum capitis habent, tardius uero quæ calidius. Frigidæ enim particulæ frigidis affectionibus, calidæ calidis facilius corripiuntur. Atqui periculum minus subeunt, utpote quum à minore causa lædantur, quæ frigidius temperamentum habent. At uero calidæ propterea quod ægre & uix tandem à frigidis causis lædi possunt, quum sane à magnis causis fuerint exuperatæ, maiorē læsionē incurrūt, quæ cōmuni & uniuersali rationi subiacet, in Aphorismis ab Hippocrate relatæ. In morbis minus periculū subeunt ægrotātes, quibus congruus naturæ, ætati, habitui, ac tempori adfuerit morbus, quàm quibus nihil secundum hæc ipsa congruerit.

De pharmacis capillos denigrantibus.

Archigenis. 2

Paulo antè dixi quòd non ex mea sententia medicus eiusmodi pharmaca cōtrectat, Verum quū regiæ aliquando fœminæ, quibus minime negare licet nigros aut flauos capillos reddere expetant, eam sane ob rem etiam Archigenem puto, quanquam honestissimum uirum, de illis scripsisse in hæc fere uerba. Denigrant capillos hæc. Radicem capparis tritam cum muliebri lacte, aut ut alijs placet asinino, ad tertias coquito, & ad noctem pro cataplasmate imponito. Aut urina canis in quinq; aut sex dies adseruata lauato. Aut corticem radicis ilicis donec mollis fiat coquito, eumq; cataplasmatis modo imponito, cum aqua uero decocti lauato. Aut quod in anemona intrinsecus nigrum est, cum oleo myrteo tritum affricato. Aut spumam argenti, cimoliam, alumē liquidum, pari mensura prælotis & siccatis capillis in noctem illinito, & betæ folijs superne obligato. Aut selinusiam terram, argenti spumam, calcem, cum aqua ad mellis crassitudinem redige, & capillo ex lixiuio liquido præloto illinito, similiterq; betæ folijs impositis obligato. Mane uero distentos pilos defricato. Aut absinthij, ossiū palmarum syriacarum, fabarum ægyptiarū, omnium ustorum cinerem pari mensura cum uino Mendesio ad strigmenti crassitudinem redigito, & cerato myrteo liquido ammixto affricato. Aut corticis salicis succū cum oleo affricato, Summe denigrat. Aut nodos ad racemorū similitudinē ex arbore nuce enatos coquito, & bitumine liquido ammixto utitor. Post prædicta etiā hæc Archigenes adscripsit. Denigrant barbā. Suber aridū, & plumbū ustum cū betæ crudæ succo mellis spissitudine illita. sinito usq; ad prandiū, deinde abluito. Aut ferri retrimentū ac plumbū in aceto cocta ad tertias, illine citra oleū. Post hæc Archigenes ex cōptoria dānata arte accepta hæc scripsit. Fuluos aūt reddunt capillos lupini crudi cū aqua & nitro illiti. Flauos ac crispos pilos reddentia.

Crispos autē reddes capillos si spuma salis cum myrrha confricaueris. Aut succo carpasi illine, & manebūt crispi ac nigri. Aut myrti baccis ac betæ semine æquali pondere cum oleo tritis utitor.

Aut asphodeli radicẽ cum mero illine. Aut lupinorum cortices ac parum nitri in aqua ad quatriduum macerato ac utitor.

Capita Critonis de ornatu, librorum quatuor. 3

Horum pharmacorũ mentionẽ ob id feci ut ostenderẽ necessariò quosdã etiã honestissimos uiros talium sibi comptoriorum experientiã parare. Quando enim Archigenes hæc scribere nõ est ueritus, multo amplior uenia Critoni danda est, qui in Imperatorijs ædibus est medicatus. Apparet autem & Heraclidẽ Tarentinum multa & probata pharmaca cõptoriæ speculatiõis scripsisse, quanquam nondum tantæ delicię fœminas occuparãt, quantæ nunc sunt. Verũ quæ Heraclides, & Cleopatra, & quicunque alij post ipsos interiecto tẽpore medici scripserũt, ea omnia Crito coaceruauit, ad quem sanè remitto eos qui quomodo capilli nigrescant aut flauescant, & alia huiusmodi, discere uolunt. Scripsit enim quatuor de ornatu libros qui in omnium manibus uersanť. Quid igitur ego nunc ipsa frustra trãscriberẽ? quũ possint ex illo discere qui adeò ea cognoscere uelint. In primo quidem libro omnia quæ ad capillos pertinent statim in principio scripta sunt, reliqua uero deinceps iuxta proprium quodque ordinem. Quo itaque facile inuenire queãt singula talium pharmacorũ absque longa inuestigatiõe, uisum mihi est capita singulorũ librorum indicare. In primo itaque libro capita hæc sunt.

PRIMI libri Critonis de ornatu Capit. Conseruantia capillos. Augentia capillos. Præseruantia capillos. Tincturæ canorum. Tincturæ flauos & auricolores capillos reddẽtes. Smegmata capillorum. Illitiones præseruãtes. Faciem erugantia. Illitiones faciem nitidam reddentes. Cataplasmata faciem nitidam reddentia. Superciliorum illitiones. Supercilia denigrantia. Oculorum illitiones. Illitiones ex stibio. Ad graueolentiam narium. Dentifricia. Manducationes. Ad fœtorem sub alis affrictiones. Manducationes ad fœtorem oris. SECVNDI libri capita. Quæ nigredines colli repurgent. Illitiones ad exudationes sub alis. Illitiones mamillas conseruantes. Ventrẽ purgantia. Smegmata manus nitidas reddentia. Ad nigredines à partu. Ad rugas à partu. Ad fissuras à partu. Illinitiones ad eminentes umbilicos. Quæ pueros impuberes cõseruant. Quæ uirginitatem conseruant. Ad humectas & frigidas mulierculas. Ad cicatrices nigras. Psilothra capillorum. Smegmata attenuantia pilos omnis generis. Illitiones capillos disperdentes. Smegmata totius corporis. Repurgatoria nitorem inducentia omnigena. Conspersiones aromaticæ uestium. Odoratæ tincturæ uestium. Aspersiones thalamorũ & ambulacrorũ. Suffimentorũ omnigenorũ compositiones. Illitionum & ungentorũ oĩs generis compositiones, uidelicet amygdalini, balanini, nucum, sesamini, myrtei, lentiscini, laurini, rosacei, gleucini, melini, œnanthini, sampsuchini, telini, susini quod aliqui crininũ, hoc est, liliaceũ appellant, cicini, irini, nar- A cissini, phœnicini, cyprini, crocini, nardini, amaracini, hedychroi, mendesii, malabathrini. TERTII libri Critonis capita. Ad furfures omnigenos. Ad capitis eruptiones. Ad achoras, hoc est, ulcera manantia. Ad pediculos & lendes. Ad alopecias. Ad scabiosas faciei affectiões. Ad lentigines. Ad maculas à sole prouocatas. Lotiones faciei. Ad stigmata. Ad liuentia. Ad sugillata. Ad uaros. Ad pustulas nocte erumpentes. Ad mẽti tubercula. Ad menti lichenas, lichenum illitiones. Epithemata excoriatoria. Emplastra uiridia quæ ab excoriatione imponuntur. Emplastra alba ad cicatricem inducendam. Pharmaca emollientia quæ lichenis affricantur. QVARTI libri capita. Ad B alphos, id est, uitiligines nigras & albas. Ad cicatrices nigras. Ad leucas, hoc est, uitiligines altius insidentes. Ad lepras. Ad ungues scabiosos. Ad pruriginosas affectiones. Ad tubercula parua psidracas græcis appellata & ad excoriata. Ad serpiginosas affectiones. Ad scabies. Ad thymos uerrucæ genus. Ad uerrucas. Ad formicarias uerrucas. Ad umbilici inflationem. Ad intestinorum delapsionem. Ad hydrocelas. Ad apellas. Ad procidentes anos. Ad chimetla hyemis tempore oborta ulcera. Ad rimas pedum. In his quatuor libris Crito diligentissime omnia fermè exornatoria pharmaca scripsit, appositis etiam comptorijs quæ spuriam pulchritudinem non ueram inducunt, qua- C propter etiam ego ea relinquam. Solumque mentionem eorum faciam quæ pulchritudinem secundum naturam conseruant. Quanquam enim uel maxime cognita habeam smegmata corpori nitorem inducentia, itemque quæ in uirginibus mamillas conseruant, & quæ impuberum puerorum testiculos ad multum tempus paruos conseruant, similiter & quæ pilorũ exortũ cohibent, uerecundor tamẽ eiusmodi scribere, atque multo magis eas quas Crito tradidit conspersiones uestiũ aromaticas, odoratasque uestiũ infectiones & aspersiones thalamorũ ac ambulacrorũ, Suffimẽtorum item omnis generis uarietates, illitionumque & ungentorum. Extra enim medicinæ documenta talia existunt. At uero ubi decoris secundum naturam cõ- D seruatiua scripsit, si quando locus ita tulerit ea referam, ac primum quidem quæ circa capillos medicis utilia mihi uidentur, docebo.

De pharmacis pilos corrumpentibus.

Cap. IIII

Quemadmodum ex pharmacis quæ pilos augent, alia medici usus, alia comptorij existunt, Eodem modo & quæ ipsos corrumpunt. Aliquando enim & his medici necessariò utuntur iuxta triplicem eorum differẽtiam, Nempe cum quædam ex eis proprie psilothra appellantur, alia Attenuatoria capillorum, alia uero ipsos penitus extirpantia. Hæc itaque postremo loco nominata periculosi sunt usus, Ex eis enim illitæ corporis partes, non solum in posterum depiles oẽs penitus redduntur, sed & usque ad caput, & mentum, superciliaque & pal-

& palpebrarum pilos nuditas ipsa procedit. Reliquæ uero duæ differentiæ usum minime periculosum habent. Et quæ quidem pilorum denudatoria sunt, & proprie, ut dixi, psilotra uocantur, tantum non quotidie in omnium muliercularum, ferme etiam quorundam uirorum, usu habentur. Altera uero quæ tenuiores pilos reddũt & minores, eis conueniunt qui duros & magnos, multosq; & crassos pilos habent, & ob id suillis non absimiles existunt. Cæterum hæc ipsa secundum excessum & defectum inter se differunt, quum unum genus sit pharmacorum quod in hunc usum compositũ est, nimirum eorum quæ erodentem, & ustoriam habent facultatem: præstant autem erodentem facultatem habentia, quod minori periculo admouentur: periculosiora autem quodammodo sunt ustoria, quæ si quis paulo negligentius adhibeat, bullas excitant, & exulcerant, & aliquãtulũ cutẽ exurunt. At uero particularem eorum syluam omnem in commentarijs de simplicium pharmacorum facultate tradidi, Sed tamẽ exempli gratia ea quibus assidue utor recensebo. Ex liquidis igitur est lixiuium tali ui præditum, Ex aridis autẽ & metallicis arsenicum & sandaracha, & calx nõ extincta, quam plerique uiuã; Græci uero etiam solius asuesti nomine appellant. Manifestum itaq; est uehementem ipsorum uim per ammistionem imbecilliorũ pharmacorũ tum liquidorũ tum aridorũ frãgi, quorũ congruentẽ mixturæ modũ coniecturaliter primũ faciet uiriũ eorũ expertus. Deinde uero per experientiã defectũ corriget, aut etiã addet. Quo uero etiã eorũ quæ per experientiã iudicata sunt notitiã habeatis adscribam ea quæ in primo libro de ornatu à Critone sunt relata, ubi prius ostendero etiam medicis sæpiuscule ipsorum usum necessarium esse. Quemadmodum tincturas expetentibus, honeste negare possumus, ut quæ cõptoriæ sint molliciei, Sic depilatoria negare minime licet. Si enim moderatos quispiam habeat capillos, nõ subseruiemus ipsi ad superfluas delicias. Si uero multos & longos durosq; habeat, honestum esse uidetur & rationabile ipsos pauciores, & tenuiores, mollioresq; ac rariores facere. Contingit autem aliquando necessitas, ut eis qui multos & alte nixos, non tamen duros habent, in totum pilos tollamus, quãdo aut picatione opus habet totum corpus (quandoque enim hoc præsidio iuxta medicinæ rationẽ utimur) aut quando pharmacum Emplaston, hoc est quod meatus obducat, imponere uelimus: tunc enim necessario à parte pilos prius tollimus, quod quidem per nouaculam facere licet. Quidam uero siue reuera siue ficte nouaculæ timorem confitentur, quoniam periculum sit ex ea cutem sauciari, Quidam autem non citra rationem fortasse metuunt, maxime quũ partes gutturis radi oportet, Quapropter necessarium est medicum etiam huiusmodi pharmacorum experientiam habere, tum quod ad compositionem, tum quod ad usum attinet.

Psilothra à Critone hac uerborum serie conscripta. 2

Psilothra capillorum: auripigmenti auricoloris A scrupulos vij. aut x. calcis uiuæ tantundem, amyli sextantem, terræ quæ Romanis Selinusia appellatur unciam unam. Omĩa trita & per angustissimũ cribrum excussa reponito. Vsus uero tempore ex pharmaco quod sufficit acceptum aqua conquassato, deinde illinire iubeto ac animaduertere ne exurat. Aliud. Euestigio leuem reddit: Calcis uiuæ partes ij. auripigmenti partem unam. hæc in mortarium plumbeum coniecta, aqua aut ptisanę succo affuso terito, atq; ubi nigra reddentur, calefacta illini maxime in balneo iubeto, leue enim corpus reddunt. Quod si uero tenuis capillus enascẽs subeat, calcem coquito, & auripigmẽtum cum aqua terito, & in uas fictile non picatum coniecta coquito, atq; ubi coacta fuerint, nigraq; reddita illinito. B Paridis saltatoris psilothrum, Statim pilos aufert: Sandarachæ unc. i. calcis uiuæ sextariũ i. Trita cum aqua diligenter coquito, atq; ubi ebullire cœperint, ablatis utitor. Experimentum huius facies, si pinnulam in ipsum psilothrũ immergas, breui enim glabra fiet. Aliud. Amyli unc. i. calcis uiuæ unc. i. auripigmenti unc. i. contusa & cribrata repone, uterẽq; ut dictum est. Heraclidæ Tarentini psilothrũ. Euestigio pilos tollit: Calcis uiuæ sextarium i. cimoliæ sextarium i. pumicis usti sex. i. auripigmenti partes iiij. trita ac leuigata reponito. Vsus uero tẽpore aqua dilutis, ut dictũ est utitor. Hæc quidem igitur Crito scripsit. Cæterum eorum usus melior est quemadmodum nunc mulieres utuntur, post corporis uidelicet illitionẽ C in tepidam balnei domum ingredientes, atq; ubi exudare cœperint, strigili pharmacum ex aliqua corporis parte detrahentes, deinde quũ simul auferri pilos senserint, reliquũ corpus oẽ abluẽtes.

Quæ pilos disperdant. 3

Scriptum quoq; de his est, quę pilos disperdant in comptorijs libris, quæ sane iam ex medica materia exciderunt. Quapropter & ego simplicium tantum ex eis faciam mentionem, in simplicium item pharmacorũ tractatu à me relatorum. Iuxta rationem enim proposita pharmaca componunt. Ex lepore marino, hepate thunni putrefacto, cedria, ranarum in uiridibus arundinetis degentium cruore siue muco, marinæ testudinis sanguine, lachryma hederæ, similiterq; bryoniæ, ac oleo quod insulsum appellãt. D Ex marinis item scolopẽdris, urticaq; marina, & stellis marinis, nitro ac amurca ad hæc ammixtis. Quin & fortiora his ex herinaceis & salamandra cõponunt in oleo coctis. Ammiscẽt autem ipsis & alcyonia & sandarachen, & quæcũque alia eius generis existunt.

Quæ pilos attenuant. Cap. V

Vtetur etiam aliquãdo medicus uelut dixi, his quæ pilos attenuant, quæ non eandem cum depilatorijs facultatem habent, Quam enim in simplicium pharmacorum commẽtarijs extersoriam facultatẽ appellauimus, eiusdem sunt etiam ea quæ pilos attenuãt. Quemadmodum autem in omnibus eiusdem generis pharmacis, differentia secundum excessum & defectum existit, Sic etiam in extersorijs habet. Ordei itaq; farina, & fabarum, am-

pluſq; erui, ſpuma nitri, ac ipſum nitrum, familiaria pharmaca ſunt omnibus ad tollendas ſordes uſurpata, Aſsiduus autem eorum uſus etiam pilos attenuat. Quæcunq; uero fortiori ui exterſoria prędita ſunt, in his qui ualde duros & magnos pilos habent adhibere conuenit. Eius itaq; generis pharmacorum eſt nitrũ uſtum, & nitri ſpuma, & aphronitrum ſpumoſum. In aſsiduo autẽ uſu faciunt item Nigra appellata uaſa Alexandriotica, contuſa uidelicet & tenui cribro excreta. Cæterum pauperibus ego etiam fictilium, & clibanorum in quibus aliquid ſub textu coquitur, teſtas, itemq; pumicem uſtum, ac non uſtum indicaui. Vili autem & gratis habuerit quis circa mare degens, aut urbe quapiam nõ longe à mari ſita, teſtas uſtas, tum buccinorum, tum purpurarum, aliorumq; oſtreorum, Sepiæ uero teſtam etiam citra uſtionem. atq; hæc quidem pro ualde egenis indico, prò aliĳs uero alcyonium, & herbam lanariam, utrunq; ueratrum, Bryoniæ itemq; dracunculi radicem, ariſtolochias, canchry, & panacis radicem, & quæcunq; eius generis exiſtũt: plura enim, ut dixi relata ſunt in ſimplicium pharmacorum tractatu. At uero ſi hæc ipſa odorata facere uolueris, cyperum, & melilotum, roſaſq; ſiccas, & iunci odorati florem, iridem illyricã, meliſſophyllumq; & cydoniam herbam, eis ammiſcebis. Et ſi pro diuitibus parueris, ſpicam nardi indicam, celticamq; & montanã inĳcies, & terrã Eretriada. Addes etiam folium malabathri, amomum, myrrham, crocum, coſtum, & hedychroum. Qui uero precioſiori materię parandæ non ſufficit, ei uiliores hi qui exornatoria compoſuerunt, excogitauerunt. Quorum etiam Crito meminit in primo de ornatu ſic ſcribens: Ollam nouam figulinam magnam, operculum habentem accipito, in eamq; cimoliæ glebas pro ſitus ratione conĳcito. Componantur autem hæ quantum fieri poteſt ad theatri formã, ut in medio ipſarum locus uacuus relinquatur. Inter glebas autem uiciſsim mala cotonea recentia uiginti locentur, hæc autem per interualla uariare iubeto, deinde operculo impoſito marceſcere ipſa mala ſinito. Vſu autem expetente quantum ſatis uidebitur accipito, terito, acuti iubeto. Poſt pſilothrorum uero impoſitionem, ſuauem quendam odorem habet. Aliud. Roſas quàm odoratiſsimas per diem unam in umbra refrigeratas, quo humor ſaltem ab eis deſiccetur, in uas figulinum componito, eodemq; modo ut dictum eſt glebas cimoliæ indito, ita ut roſæ ſubſternantur, rurſuſq; inter glebas eædem imponantur, deinde operculo addito, combibere ſinito. Vſus iam demonſtratus eſt.

De furfuribus. Cap. VI

Quibuſdam ſe ſcalpentibus, furfuribus ſimilia ex capitis cute decidunt, & propterea furfures medici hanc acceſsionem ſiue ſymptoma appellant, à uitiatis ſeroſis humoribus prouenientem, quos cõſumere ſcopus eſt eis qui malum hoc ſanare uolunt. Manifeſtum igitur eſt diſcuſſoria & exterſoria pharmaca adhibenda eſſe præparato prius uniuerſo corpore, ſi uitiatis humoribus repletum ui- A deatur. In om̃ibus enim huius rei meminiſſe oportebit, etiamſi aliquando in ſermone relinquatur. Ammiſcuerunt autem quidam prædictis pharmacis quædam aſtringentia, quo per ea affectũ membrum corroboretur, ut ne facile in ſeipſum ſuſcipiat influentes humores ſeroſos, ſed reſiſtat eoſq; repellat: & ob hoc ſanè Archigenes in pharmaco ex atramento ſutorio compoſito hæc uerba adiecit. Hoc inquit adeò efficax eſt, ut neq; in poſterũ fiant. Crito equidẽ in tertio libro de ornatu, eiuſmodi pharmacorum ſyluam ſcripſit in principio ſtatim ipſius libri, quare uelut paulo antè dixi, minime neceſſarium eſt me ipſa hic rurſus deſcribere, quum omnes illius habeant libros. Cæterũ quæ Archigenes ſcripſit indicabo ob id maxime, quod B quibuſdam ex eis adſcripſerit, Quod non permittant ſymptoma hoc rurſus fieri. Scribit autem hoc modo ſuis ipſius uerbis: Diæta eis conſtituatur flatus expers, nihil ex craſsi ſucci cibis habens admixtum, quales ſunt tubera, fungi, bulbi, legumina, carneſq; maxime bubulæ, ac quæ ſimilia exiſtunt. Sint autem cibi quibus ueſcuntur boni ſucci, faciles concoctu, & mel ĳſdem addatur. Intinctus cõferunt, acetum cum ſapa. Condimenta, cuminum & fœniculum. Aliĳs parce utantur, & à bellariĳs omnibus maxime abſtineant. Vinum conducit eis album & tenue: uoluptatis uero gratia dulce, & uinum mulſum. Ex fructibus optima eſt uua arefacta, deinde ficus, quibus ante cibum reliquũ ueſci C præſtat. Verum ante omnia bonæ concoctionis cura habenda eſt, Deambulationes lenes plurimę & mane & ueſperi optimæ ſunt, lauatio ex frigida balneis præſtat. Si uero quis calida lauit, incongrua ei eſt longior in aere mora, & perfuſio capitis præ ſolio eſt eligenda, poſtea uero larga frigidę adfuſione refrigerato. Dormire ad ſatietatem uſque utile eſt. Ira, indignatio, uerſatio in ſole, & uehemens refrigeratio uitanda, omnia item quæ caput replent. Archigenis ad furfures capitis.

Quibus furfures caput occuparunt, his cum fœno græco, betæ ſucco, ac nitro præfrictis & exterſis, cimoliam felle bubulo aut ſuillo acetoq; ſubactam illine. Deinde poſt horam ablue, atramentumq; ſutorium ac nitrũ cum oleo trita illine. Aut myrobalanum & fabaceam farinam æquali pon- D dere trita, in aqua coque, & affrica. Aliud. Amygdalas amaras decorticatas cum aqua aut aceto affrica, quumq; exaruerint capilli calida ablue.

Aliud. Aut maluam ſylueſtrem aqua marina ad decimæ partis reſiduum coctam terito & affricato. Aliud. Aut nitri ſpumam & atramentum ſutoriũ, æquis partibus cum uino, ter aut quater in menſe affricato. hoc adeo efficax eſt ut neque in poſterum fiant. Aliud. Aut uini Rhodĳ fecem, & pumicem, & nitrum, pari pondere cum lupinis affrica. Aliud. Aut cimoliam cum fœni græci cremore adhibe. Aliud. Aut nitrum aſſatum & bulbum. Aut hæc omnia ſimul pari pondere affrica. Aliud. Aut ubi picis liquidæ ſerum illeueris, alumen inſperge.

De phthiriasi, hoc est morbo pediculari. Cap. VII

Pediculorum generatio quibusdã in capite contingit aceruatim, ex multis uidelicet humoribus calidis quidem, sed non ad tantam caliditatẽ progressis, ad quantum perueniunt acres & serosi humores. Quare manifestum est in profundo cutis, pedicularis morbi affectionem fieri, ubi etiam animalia hæc generari possibile est, non in superficie cutis, in qua furfures consistere diximus. Pharmaca itaque ipsorum necessariò exsiccantia sunt & quæ ex alto trahere ac euacuare possunt, magis utiq; quàm ea quæ furfuribus conueniunt. Atque hæc quidem methodus est ea cõponendi. Verum sylua eorum quæ experientia constant (oportet enim, ut dixi, in omnibus maxime attendere ac cõfidere his quibus experimentum testimoniũ præbet,) in tertio libro Critonis de ornatu scripta est. Apponam autem etiam nunc ego ab Archigene scripta hac serie uerborum. Remedia morbi pedicularis: Morbo pediculari affectis hæc conferunt. Staphidis syluestris partes duas. sandarachæ & nitri utriusq; partẽ.i. cum aceto & oleo capiti illine. Aut Rhoen qui in obsonia additur cum oleo tritum similiter illinito. Aut oxylapathi radicem cum oleo eodem modo. Aut ueratrum album, & staphidem syluestrem, & nitrum pari põdere cum oleo in balneo adhibe. Aut cum aqua marina, aut muria meraca cũ aceto perfundito. Quod si nuditas pilorum adsit, syluestrem staphidem cum oleo & aceto imponito. Aut alumen tritum cum oleo illinito.

De Achoribus, hoc est ulceribus capitis manantibus. Cap. VIII

Inter affectiones cutis capitis connumeratur quoq; ea quæ Achor appellatur, ex genere tumorum præter naturam existens: propriam autem & singularem appellationem nacta, ob accessionem quæ ad eam consequuntur proprietatem: ualde enim tenuibus foraminibus eroditur, quę tenuem in se humorem modice uiscosum complectuntur. Ad similitudinem uero eius proxime accedit alia cutis affectio quæ fauus, græcis Cerion uocatur: maiora tantum foramina habẽs, in quibus humor hymettio melli similis continetur. Generatio ipsis ex humore mixto est, qui partim tenuẽ serosumq; ac mordacem, partim uero crassum succum in se habet. Tenuis itaque humor utpote mordax, primum quidem ad scalpendum ipsos impellit, progressu uero temporis ad scalpturã tum tumor augescit, tum foramina circa ipsum erumpunt. Manifestum igitur est euacuare oportere humores affectionem ipsam operantes. Qui si etiã influant amplius, prohibendus primum est ipsorum influxus, per capitis euacuationem, præmissa totius corporis purgatione, uelut in alopecijs est proditum. At uero si parua affectio existat, sola localia & partialia appellata remedia, citra totius corporis euacuationem suffecerint. Conuenient autẽ ipsis ob crassitudinem uidelicet & uiscositatẽ humoris eas generantis, pharmaca quæ ipsum incidant, quæq; facultate sua necessariò discutiant & repellant. At-

A qui acetum ex incidentium ordine existens, ultra hoc quod discutit, præcipuum quiddam in se habet, quo reprimitq; ac quod influit depellit, utpote quod substantia sua modice calidum est, plurimum uero frigidum & partium tenuium: tali nanque facultate præditum esse, in primo de simplicium pharmacorum facultate demonstratum est. Sit itaque acetum exquisite acidum, in quo nulla penitus uini qualitas appareat: hoc ipso sane pharmaca metallica appellata, modo hoc, modo aliud imbues, achoribusq; ex eis medeberis. Incipere autem ab imbecillioribus præstat, præsertim si dolor simul ipsis adsit. Cimolia igitur ad hanc rem apta est, & Cretica lemniaq; terra, pompholyxq; & spodium, spuma argẽti & cadmia tenella. Quod si neque ex his quiescat malum, pharmacum ex charta

B siccum aceto dilutum illinito, Neq; obscurum est tollendos prius capillos anteq; talia admoueas. Si uero acrius tibi ex charta pharmacũ appareat, miscebis ipsi argenti spumam: siquidem sufficienter mordacitatem eius exoluere uelis, pari copia: si uero modice tantum remittere uelis, minori. quemadmodum etiam si plurimũ eius uim exoluere placeat, maiorem eius copiam addes. Porrò cum aliquando ruri degenti mihi pharmacum ex charta ad manum non esset, conspecta in agri domo inutili aliàs charta faculã postulaui, exustaq; charta ac aceto diluta, locũ affectum illeui, hominemq; ad me postridie uenire iussi: sciebã enim quòd quum duræ carnis esset pharmacum ferre posset. qui ubi

C uenisset, parũ aberat quin curatus esset: quare ad aliud pharmacum non transiui, sed eodem uti iussum, postera die perfecte sanitati restitutũ conspexi. Prudenti igitur uiro, quod sæpe iam dixi, opus est, & qui tum curandorum morborum substantiam, tum ægri naturã probe norit. Insuperq; pharmacorum facultatem nõ iuxta genus tantum, sed & iuxta quantitatem cognoscat, quo singulis diebus quali præsidio opus sit coniectet. In extendenda enim aut exoluenda pharmaci, quod prioribus diebus admotum fuit, facultate in quantum sanè affectio ipsa indicat, congrua curatio consistit.

Ad Achoras inflammatos. Quod si quãdo in ulcus manans inflammatũ simul & dolorosum incidas, lenies primum per humectum concoctoriumq; ac emolliens & acrimoniam arcens pharmacum

D dolorem, Tale autem est parygrum appellatum, ab Hera alijsq; plurimis descriptũ. Satis manifestum autẽ est quòd ipsum in manu per specillum latum cum rosaceo emollitum & ad ungenti formam redactum, non emplastri forma, qualem à principio habebat, adhibere oportet. Conueniũt etiam hoc tempore, ea quæ ad sedem ex ulceribus aut rupturis dolentem faciũt, de quibus priuatim destinato sermõe ac tempore dicetur. Sicut etiam conueniunt ea quæ cancros mitigant. Hæc igitur omnia ubi prius consideraueris, etiam particularem pharmacorum uarietatem utiliter cognosces. De qua ego quoque dicere aggrediar, quæ apud præstantissimum quenq; medicum laudata reperi pharmaca deinde scripturus.

Ad achoras Archigenis. 2

A Archigenes in primo pharmacorum iuxta genus, ad Achoras sic scripsit. In quib. achores, aut papulæ feruidæ, aut eruptiones circa caput ulcerosæ sunt, ab omni acri & salso abstineant, itemq; acido. Deinde derasis capillis, aut ter, aut sæpius quotidie ex calida in qua myrtus, aut lētiscus, aut rubus, aut bryonia, aut sycomorus, aut lupini, aut lentes, aut asparagi radix incocta sint, lotis & maxime ubi multa sanies effluxerit, salicis folia ex aqua imponito, aut lentem cum melle, aut asparagi radicem coctam eodem modo. Aut fœnum græcum betæ succo maceratum pinguibus emplastris usu cognitis admisceto ac utitor. Aliud præclare faciens. Pinus corticē cum cerato. Aut cadmiam cum oleo ueteri illinito. Aut cinnabari similiter tritum imponito. licebit & myrti baccas, aut ordeum ustum, aut argenti spumā, aut cerussam, aut ostreorum testas ustas ammiscere, singula etiam cum oleo ueteri illinire. Aut spodium & mannam ex uino. Egregie constanter facit & chalcitis cum aceto & oleo ueteri illita. Aut betæ decoctum cum modica cimolia, sale & uino ammixtis, in balneo affrica. Aut hyoscyamū & sempiruiuum minus, trita cum rosaceo mellis spissitudine illine. Aut ulceribus ex smegmate quopiā repurgatis, terram cimoliam torrefactam cum uino, aut fæcem uini rhodij ustam cum uino ueteri, aut radicis cucumerum syluestris decoctum adfundito ac proluito. Aut tragacātham aut argenti spumā, aut sandarachæ duplum, cum uino, aut etiam cum oleo myrteo, ut pingui quopiam illinito. Aut argenti spumam & calcem pari pondere cum aceto & oleo illine. Aut chalcitidem cū myrteo oleo uel suillo felle liquido illine. Hæc quidem Archigenes scripsit, doctrinam tradens non modo empiricam, sed etiam indefinitam. Inuenire itaq; est apud Empiricos, qui sanè non in contentiosis sermonibus uitam contriuerunt, sed in medicæ artis operib. diligenter uersati sunt, quod in quibusdam apparentibus cognitionibus euidentia discrimina retulerunt, qualia & ego paulo ante in alopecia feci. faciam autem & nunc in his quæ Archigenes scripsit pharmacis. Quædam enim ex eis incipientes achoras, citra humorum in uniuerso corpore uitiationē, aut eorundem multitudinem redundantem, sanant, adstringentem nimirum & repulsoriam uim habentia. Quædam uero ubi magnum quoddam malum minantur achores, eos augeri prohibent, simul & quod influit repellentia, simulq; quod iam in eis continetur concoquentia & discutientia, quę euidens est mixtæ facultatis esse oportere. Quædam autem eis quæ in superficie hærent, paruisq; tantum auxiliantur, quæ moderatis uiribus prædita esse oportet, & nihil quod irritet habere, ex discussoria nimirum facultate. Alia autem uiribus omnino robustissima sunt, adeo ut etiam achoras ex crassis acuiscosis humoribus obortos, ineluibiliterq; cuti infartos euacuare possint, atq; id adeo ualide ut etiam si obduratum quid habeant, idipsum deturbare ualeant, quamuis ipsum cutis habitum in eiusmodi malum habitum inducant, ut quod influit corrumpatur, etiam si cōmodum id existat. Hęc autem sunt ex efficacissimis pharmacis composita, quale retulit Archigenes ubi salem ad reliqua discussoria ammiscet. Sal enim & chalcitis, & uini fæx usta & sandaracha, & calx uiua fortissima uiribus pharmaca sunt, calfacientia, mordentia & discutientia. Eius generis est etiam fel calidorum & siccorum animalium, quorum non meminit Archigenes, sed unius suilli tantum, quod omnium moderatissimum existit: ad cuius facultatem etiam proxime cinnabari accedit, propinquum deinde locum habent conchæ ustæ, & hordeum, & post hæc oleum uetustum. Quemadmodum autem hæc emouent, secant & discutiūt uiolenter impactum, Sic repellunt adstringentia: aliqua quidem simpliciter citra contrariæ facultatis ammixtionem, aliqua uero per dominiū adstringentis in eis facultatis. Myrti equidem earumq; baccæ, & pinus cortex, ex eorū numero sunt quæ non habent contrariæ facultatis ammixtionem, uelut etiam rubus & sycomorus, quamuis moderatius adstringant, quàm myrti earumq; baccæ, sed tamen adstringendi uim sensibiliter in se habēt. Mixtæ autem facultatis est oleum myrteum: Nam & ex oleo, & ex baccarum myrti, aut ipsius etiam myrti succo est compositū. Oleum autem ipsum emollientem habet facultatem, myrtus autem eiusq; baccę adstringentem, non mollire, sed cogere & stringere natam. Rosaceum item quanquam minus quàm myrteum adstringat, tamē & ipsum mixtæ facultatis existit. Quemadmodum autem hæc per præparationem mixtas uires habent, sic alia sponte naturæ talia sunt, uelut lentiscus, cyprus, & lentes: quod ipsum in sermone de his est demonstratum. Cæterum discussoria & repurgatoria, citra sensibilem caliditatem, facultatē præstant ex eis quæ iam Archigenes retulit, beta ipsa, & cimolia usta. priusquam uero uritur imbecillior uiribus quàm beta est, sed fortior his est cucumeris, & bryoniæ ac asparagi facultas. Spuma uerò argēti præstātius quidē q; cimolia usta pharmacum est, multo uero debilius quàm ad propositę affectionis sufficiat medelam. Cadmia autem moderate habet ad medię magnitudinis achoras. Citra mordacitatē uero resiccat spodiū. Māna autem etiā concoquit. oleū uerò, ut iam dixi, laxantem quidē habet uim, sed eam nō adeò forte, atq; ob id per mixturā facile exuperatur. Itaq; ubi fuerit cum obducentibus meatus & refrigerantibus permixtū, uelut est cerusa, possibile est hanc magis uim suam demonstrare, quæ est cogere, oppilare, & adstringere substantiā corporū quæ cōtingūt. Porrò hęc omia in Archigenis sermone confusa sunt, neq; in quibus achoris, neq; quando eis utendū sit ipso demōstrante. Vtitur aūt et uino in eodē sermone, neq; apponit quale probet. Atqui multijuga circa uinū differentia existit: aliud ēm austerū, aliud acerbū, aliud dulce, aliud acre manifestē est, aliqua etiā plures qualitates simul ex se osten-

ostendunt, nimirũ & dulce quippiã & adstringẽs & acre complectẽtia. Quando igitur simpliciter quis scribat, dilui debere quippiã uino, lectorem coniectare oportet, quem scopũ pharmaci compositio habeat, & ad illũ respiciẽdo, id quod aptũ fuerit uinũ eligere. Astringens quidẽ ubi repellere uelit, acre uero in quib. discutere. reliquis item utemur quemadmodũ uniuscuiusq; uim demonstrauimus in loco ubi de uinorũ differẽtijs docuimus. Acetum uero in omni occasione ad achoras aptissimũ est, utpote crassos & uiscosos humores secãs, atq; id quod influit discutiensq; & repellẽs. Verum ipso non utiq; per se quispiã utetur, siquidem non proluere aut lauare achoras uelit, sed ad diluẽda cum eo pharmaca, moderata quidem in quib. incipit & adhuc parua est affectio, fortia uero in maiorib. & diuturnioribus, fortiora aũt adhuc in inueteratis, & iam ægerrime curabilibus. Verum differentia pharmacorũ iuxta fortitudinem iam antè à me relata est. Cæterũ ex relatis ab Archigene pharmacis, in totũ nõ uti exoptẽ sem peruiuoq; & cerusa. Illud enim strennuius refrigerat quàm conuenit incipientes achoras refrigerari. Cerusa uero modicã quidẽ habet frigiditatẽ, & ex pharmacis est obducentib. meatus, pro ea aũt uti possumus spodio & pompholyge.

Quæ Apollonius in primo de parabilibus ad achoras scripsit. 3

Apollonius in primo de parabilibus ad achoras primum quidem sic scripsit: Rosaceo oleo caput illine. deinde post hoc betæ succum similiter illine. tertium deinceps, testudinis sanguinem eodem modo adhibe. quartum, laurino oleo caput illine. & quintum, crocinum unguentum inunge eodem modo. Ex his sanè primum debilissimum est pueris & mulierculis teneræ ætatis in principio affectionis utile existens. Concoquit enim et discutit atq; repellit, eaq; omnia moderate facit. Secundum uero ubi betæ succo uti consulit, efficacius quidem est rosaceo, discussoriam uim habens, nõ tamen ad fortes ac iam obfirmatos achoras sufficit. At uero testudinis sanguis curiosum & superuacaneũ est pharmacũ, neq; unquam tentaui eius periculum facere. Quod uero deinceps scriptũ est, laurinũ fortiter calfacit & discutit, opusq; habet totius corporis & capitis euacuatione, quo discutiat humores achoras facientes. Crocinum deinde unguentũ discussoriũ quiddam habet & adstringens, & concoctoriũ: atq; ea tria fortiora in ipso sunt, q̃ in rosacei natura: ex eis igitur quæ de illo dicta sunt, etiam de hoc ratiocinari licet. Post hæc autem ipsius uerbis ita scriptum est: Tauri urinam affrica. deinde sequitur, facit & cameli urina eodem modo. Vtendũ aũt eis, inquit, ad plures dies. Verũ ego utiq; dixerim ad ipsum, Non esse quod ad multos dies, sed ne ad unũ quidem, purus homo tolerare queat, ut ullius alicuius eiusmodi animalis urina capiti affundat, præsertim in affectione adeo parua, & quæ facile curari potest. Bis enim per omnia (quod dicitur) distans est, rosaceo uidelicet uti, quod penitus exiguam habet ad propositũ symptoma facultatẽ, &

A tauri ac cameli urina quæ acerrimæ grauissimeq; & penitus iniucundæ existunt. Deinceps uero tale quoddam pharmacũ his uerbis scriptũ est: Furfurũ chœnicem dimidium in aquæ heminis duabus madefacito, posteaq; terito ac succum excolato, cumq; dimidia aceti hemina ad limi spissitudinem coquito, & ex eo caput fricato: deinde aqua in qua beta, aut fœnum græcum, aut lupini cocti sint, abluito. Vnguento aũt irini fece utitor. Hoc pharmacũ discussoriũ est citra mordacitatẽ, ex repurgantibus atq; extergentibus appellatis cõpositum. Eiusmodi enim facultatis sunt furfur, beta, & lupini: discutit aũt simulq; calefacit non uehementer fœnum græcũ: ex eo autem genere est & irini unguenti fex. De aceti uero facultate antea

B quoq; dictum est, quòd aptum sit ad achorum affectionem, quare hoc ut conuenientissimo & efficacissimo pharmaco utendum est. Aliud deinde post hoc pharmacum scriptum est ab Apollonio his uerbis: Cucumeris syluestris radices decoquito, & succum affricato. Didicimus autẽ cucumeris radicem plurimum discussoriæ facultatis esse. Et postea hoc pharmacũ scriptum est: Terræ cimoliæ, sulphuris uiui, par pondus cũ aceto terito, & in balneo affricato, calidaq; abluito. Hoc illinire etiam conuenit pharmacũ, non solum ut dixit in balneo adhibere. Omnes enim habet facultates quibus affectio indiget, aceto quidem ipsas habente, uelut antea est dictum. Solum uero sulphur ulterius q̃ cõuenit excalfacere & discutere

C potest. Quapropter cimoliam ei ammiscuit, quæ cõpositionẽ ex utroq; ad moderatã tẽperaturã reducit. Cæterũ quod sequit̃ pharmacũ ubi inquit, Maluam exiccatã & tusam in urinã inspergito & affricato, reprehendo, in quantũ etiã superius urinæ usum detestatus sum, etiamsi facultatẽ eius affectioni conuenire non negauerim. At quod deinceps scriptũ est, in q̃ fici ait, folia in aqua coquito, & aquam sub diuo per noctem exponito, iniectaq; in ipsam fece usta affricato, post hæc uero repurgantibus pilos, eluito. Acre ualde hoc extersoriũ medicamentũ est, quod si in balneo tantum adhibeatur, non uehementer ualet achoras irritare, præsertim si quis, ut ipse deinceps iubet proluat, hoc est ex aqua dulci caput perfundat. Ad illitionẽ uero eiusmodi pharmaco uti periculosum

D est. Est enim plurimũ acre medicamentũ fex usta, quemadmodũ in libris de simpliciũ medicamentorum facultate est cõmonstratũ. Quod uero sequitur pharmacũ securi usus est, eoq; confidenter quis utetur ex spuma argenti laurinoq; cõposita. Miror autem quomodo, ut laurino simile, oleum simplex ammiscet, sic quodãmodo scribens, Argenti spumã cum oleo albo, aut laurino tritã, ubi calida prælaueris circumlinito. Longe enim deficit à laurini facultate, oleũ cõmune quod albũ appellauit, ea ipsa usus est à laurino distinctione. Quin & quod post hoc scriptũ est, consimilẽ habet absurditatẽ: pro spuma enim argenti cerusa utit̃, diluit aũt ipsam myrteo aut laurino, cũ multam omnino differentiã hæc pharmaca habeant:

alterũ enim repulſoriũ eſt, alterũ uero plurimum calfacit & diſcutit. Vſusq́ eorũ eſt repulſorij quidem in principio, diſcuſſorij uero ubi humor qui achoras generat iã eſt firmatus. Amplius aũt deinceps cũ rubi canini folia contundere & exuccare iubet, deindeq́ oleo miſcere, imbecille eſt pharmacũ, & incipienti affectioni ſolũmodo aptũ, utpote cũ rubus caninus aſtringat. Tale pharmacũ eſt etiã plumbago cum ceruſa, uino ſubacta, uſq; quo ad compagẽ quæ illini queat redigant. Porrò cõtrariæ prædictis facultatis ſunt quorũ ęqualiter, nulla diſtinctione appoſita meminit, id uidelicet quod ex naſturtio, & quod ex ſcilla conſtat. De priore quidẽ hæc uerba tradens. Naſturtij & ſalis parẽ modũ adipi anſerino admiſceto, terito ac utitor. De altero uero ſic ſcribit: Scillã in fornace uelut cucurbitã cinere obruito, cumq́ mollis fiet exprimito, deinde ad ſuccũ oleo nõ multo admixto, illinito. Manifeſtum uerò eſt multo uehemẽtius eſſe quod ex naſturtio apparat. Quod uero deinceps tradit ex mitigatoriorũ pharmacorũ genere eſt, quod ubi dolor quiſpiã uehemens circa achoras exiſtit, donec eũ leniat, cõueniẽter adhibet. Si uero duros & inueteratos achoras diſcutere uelimus, omnino imbecille eſt. ſcripſit aũt in in hunc modũ de eo Aſclepiades: Olei q̃ optimi heminã in pilam plumbeã infundito, et plumbeo piſtillo terito, donec craſſum & ſubnigrũ reddat. Deinde ſeorſim ſpumæ argenti librã i. & ceruſæ tantundẽ terito, oleoq́ admiſceto. Poſtea uero eloto & ſiccato capite pharmacũ illinito. Neq; uero ex ſimplici tantũ oleo, ſed quandoq; roſaceo, quandoq; myrteo apparabis, & ad rugas ani intumeſcentes rimaſq́ ac fiſſuras ſedis, ad ulceraq́ dolentia, omniaq́ alia quæ ex fortiorũ pharmacorũ uſu exacerbata ſunt, optimũ medicamentũ habebis. Egregie enim ea lenit, etiamſi ſerpendo exedentia, aut etiam canceroſa, aut quomodocunq; maligna exiſtant. Nequaquam itaq; eius compoſitionem nunc ſcribere oportuit, ſeu quemadmodum ego antea dixi, ſufficiebat illud dicere, quòd dolorifici achores eiuſmodi pharmacis mitigant. Commune enim hoc eſt in omnibus dolore affectis, proprie autem faciens ad achoras. Deinceps autem tale pharmacum ſcripſit: Spumæ argenti drach. viij. foliorum rutę tenerorum drach. v. olei drach. viij. aceti heminæ quartã partem, ſimul trita capiti illinito. Hoc ſanè pharmacum multo uſu habemus exploratum. Propinquum autem ipſi facultate eſt id quod conſequenter ab eo eſt conſcriptum, iuxta hanc commenſurationem. Ceruſæ drach. vi. ſpumæ argenti drach. quatuor. ceræ tantundem. ſulphuris drach. ſex. olei roſacei aut myrtei quod ſatis eſt ut ceratum liquidum fiat. arida cum cerato committito, caputq́ inde illinito. Hoc autem & ad omnes in toto corpore eruptiones uehementer commodum eſt, ut rite ſit ab Apollonio conſcriptũ. Quin & quod poſtea ſequitur plurimum diſcuſſorium eſt, ut quod ſpumam nitri habeat multam, adeò ut niſi olei multitudine caſtigetur, acrius ſit quàm conuenit. Iubet aũt

A ad unam ſpumę argenti partem, quintuplum ſpũmæ nitri admiſceri, hiſq́ dum teruntur paulatim oleum adfundi, donec ad compagem illitioni aptam redigantur.

Quæ Crito ad achoras pharmaca ſcripſit. 4

In methodo de curandis morbis uniuerſales facultates pharmacorum ad ſingulos morbos recenſui, uerum paucorum infinitæ materiæ exemplorum mentionem feci, dilata tum multitudinis ipſorum commemoratione. At uero in præſenti, quam nunc in manibus habemus, tractatione, omnia quidem quæ omnes pharmaca ſcripſerunt, longum fuerit recẽſere. Quæ uero à probatis medicis per experientiam tradita ſunt, ea omnia uiſum eſt mihi cõducibilius enumerare, quo etiam B inter ſe propinqua, & quę omnino eadẽ apparẽt, paululum uerò iuxta apponderationem aut præparationem euariant, hi qui in his ſcriptis uerſantur cognoſcant, eaq́ maxime præparent quorum materias im promptu habent. Contingit enim aliquando ut aut in totum ea quæ in cõpoſitionem miſcentur non reperiamus, aut talia reperiamus, ut ipſa inijcere non audeamus. Cæterum eius maxime in componendis pharmacis cura habenda eſt, ut bona integraq́ & in uigore ſint omnia quę admiſcentur. Ob id igitur etiam iam omniũ quæ Crito tradidit mentionem faciam: nam is ſanè diligentius achorum curam tractaſſe mihi uidetur. In quinque itaq; ſermones doctrinam de ipſis diſtinxit, quos primum & ipſe recenſebo. Primus C Critonis ſermo de achorũ curatione. Scribit itaq; Crito hęc uerba: Ad achoras in capite contingentes, qui plerunq; furfuribus præcedentibus fiunt, & fermè etiã ſcabie, in principio ſubſcriptis compoſitionibus utemur. Ad achoras recentes, gluten fabrile aqua coctum obline. Aliud, Papaueris ſilueſtris & hyoſcyami folia cum oleo impone. Aliud, Fici uirgulta aut folia tenera trita cum aqua imponito: in inueteratis uerò cum aceto terito. Aliud, Nucum amararum nucleos in aquam tepidam iniectos & decorticatos cum aqua terito, et cerati craſsitudine prę raſis imponito. In inueteratis cum aceto diluito. Aliud, Recrementi ferri & roſarum par pondus cum uino terito, & imponito. Quidam uerò trita cerato D roſaceo excepta adhibent. Secundum ſermonem ad achorum affectionem his uerbis conſcripſit. Circumtenſa autem cute, & ob id moleſtiam inferente, ſubiectis compoſitionibus utendum eſt. Lipara ſeu pinguis compoſitio ad achoras, pſydracas, papulas feruidas, intertrigines. Eſt commoda quoque uitijs ſedis. Spumæ argenti drach. quinquaginta. foliorum rutæ tenerorum drach. xxv. aceto diluito, & roſaceo aut myrteo excepta, cũ penna illinito. Alia, Spumæ argẽti drac. cc. ceruſæ drach. cl. rutæ drac. c. ſtaphidis ſylueſtris drac. xxv. aceti ſextarios iij. myrtei lib. iij. particulatim ſingula terito, & affuſo liquore, ut dictum eſt, componito. Alia, Ceruſæ drach. cl. ſpumæ argenti drach. centum. rutæ drach. centum. myrtei ſextarios iij. particulatim tritis liquo-

rem affundito. Alia, Cerusæ ustæ drach.centum.rutæ drach.centum. mãnæ thuris tantundẽ. corticis pinus drach.l.olei myrtei sextarios duos. aceti tantundem similiter cõponito. Alia, Recremẽti plumbi drach.centũ. pampinorum uitis drach.centum. thuris drach. centum. myrrhæ & spumę nitri tantundem, aceti & myrtei quantum sufficit. In tertio autem hæc tradit. At ubi affectio inueterata fuerit, subscriptis compositionibus utendũ est, & deinceps ita scribit. Damocratica compositio ad achoras humectos & inueteratos. Ladani drach.octo.cerusæ tantundem. sulphuris uiui drach. quatuor. uino & myrteo oleo subactis utitor. Alia, Spumæ argenti drach. octo. pampinorum uitis drach.octo. succi hypocystidis drach.quatuor.spumæ nitri drach.ij. gallarum drach.iij.aut ij.ex aceto & myrteo adhibe. Alia, Malicorij, gallarum, acaciæ fuluæ: Malicorium & gallas uino macerata coquito, acaciam uero uino dilutam reliquis probe tritis adijcito, cumq; recte omnia cõparata fuerint, myrteo excipito. Alia, Spumæ argenti, cerusæ, hyoscyami, misyos, ramulorum cicutæ, æquales portiones, thuris usti, ramulorum oleæ tantundem. aceto & oleo lentiscino exceptis utere. Alia ualde commoda. Cerusæ ustæ drach.viij. spumæ argenti drach.viij.atramẽti sutorij drach. quatuor. Rhois rubri drach.quatuor.sulphuris uiui drach. ij.opij drach.ij.myrrhę drac.ij.aceto & lentiscino oleo excipe. Quartũ uerò sermonem de achoris curandis hac uerborum serie cõscripsit. Quando uerò ex his quæ ad achoras scripta sunt pleraque resiccant, magisq; dolorem inferunt, utpote cute in ipsis affectis circumtensa, itaq; subscriptis compositionibus utendum est per quas post hæc omnia citra dolorem emendari. Leuce emplastrum album inexuperabile, faciẽs ad humectos achoras, & qui ægre tolli possunt, facit & ad papulas feruidas & intertrigines. Spumæ argenti drach.centum.ceræ drach.c.alij l.habent. cerusæ drach.c.thuris drach.xxv.aluminis scisi drachm. xvi.terebinthinæ drach.xxv. piperis albi drac.iij. olei sextarium unum. arida tundito. Oleum uerò & argenti spumam ac cerusam in ollam nouã cõiecta ad prunas coquito, atq; ubi mutationem acceperint, ceram & resinam addito, ac donec non inquinet amplius manus agitato, deinde ab igne ablatis, et quodãmodo refrigeratis arida adijcito, & in pilã translata diligenter emollito. Vtitor aũt in linteolum impactis, solutoq; tertia die. Magis autem commodarit pharmacum hoc si cum Melino emplastro Pasionis fuerit permixtum, ita ut emplastri inexuperabilis, Anicetum Græci hoc appellant, partes duę, Melini autem Pasionis una pars committantur. Alia, Cerusæ drac.cxx. spumæ argenti drach.lxxx.ceræ drach.xxiiij.terebinthinæ drach.xij.mannę drachm.xvi.aluminis scissilis drach.viij.olei heminas ij. committe ut dictum est. Melinum Leucij emplastrum, quod omnem fluxum resiccat, faciens ad achoras inueteratos & humectos. ceræ drachm. viij. sandarachæ

A drach.iiij. adipis uitulini drach.iiij. terebinthinæ drach.ij.thuris drach.i. myrrhæ drach.i. aluminis scisi usti drach.i. corticis pinus drach.i. olei myrtei quod satis est: liquefacta cum aridis committito. Aliud Melinum Hygieni, resiccãs omnem fluxum. Spumę argenti lib.i.cerusæ lib.i.salis fossilis libr. i. aluminis scisi libræ dimidium, atramenti sutorij sexuncem. olei sextarios duos. aceti sextarium unum. Oleum, salem, cerusam, spumam argenti donec non inquinent manus coquito, arida uerò tusa, cribrata, acetoq; diluta, ad refrigeratum pharmacum addito paulatim astillando ac assidue agitando, deinde in pilam translata ac probe emollita, tollito ac utitor. Thebęi emplastrum ad achoras humectos. Spumę argenti drach.xlviij. cerusæ drach.xxiiij.corticis thuris drachm.xij.gallæ omphacitidis drachm.xij.ceræ drach.viij.resinæ terebinthinę drach.xvi.olei sesquiheminam.componito ut dictum est. Quintum postremum sermonem de achoris Crito ita orditur. Cæterum ubi affectio decreuerit, & cicatrix perfecte fuerit obducta, ad totius mali translationem subsequentibus compositionibus utendum est. Deinde smegmata plura scribit, unumquodq; iuxta hanc cõpositionis formam. Smegma ad achoras, furfures, asperitates & scabies. Terræ cimoliæ lib.i. nitri rubri libr.i. retrimentorum quæ ab expressa myrobalano reliqua sunt sexuncem, alij libr.vi.habent. myrrhæ drach.viij. piperis albi drach.viij.nardi celticę drachm.quatuor.casiæ drach.quatuor.costi drachm.quatuor. contusa & cribrata repone, ac utere in balneo. Aliud, Nitri rubri libr.quatuor.terræ cimoliæ, tantundem.retrimentorum ab expressa myrobalano lib.ij.cypri lib.i.alij iiij.baccarum lauri libr.i. iridis aridæ lib.i.radicis bryoniæ, alcyonij, amygdalarum repurgatarum, cornu ceruini usti, singulorum lib.i.Componito ut dictum est. Aliud, Fæcis uini ustæ, quam Romani fæculam, nos trygα appellamus lib.xxiiij.aquæ pluuialis sextarios xlviij.thuris lib.ij.terrę samię lib.ij.olei sabini lib. iiij.alij sextarios iiij.ceræ lib.tres & dimidiã. Fæcẽ & aquam in dolium figulinum non picatum coniecta ad dies septem madescere finito, et ter in die cum ferula agitato. Sequenti deinde die dilutum & sacco excolatũ liquorẽ in uas æreũ stanno oblitum transferto, & igni impositum coquito, lucu lentiore autem igne utaris: atq; ubi tertia pars reliqua sit, oleum & ceram inijce, rursusq; ad lentum ignem decoque: postquam uerò iniecta fuerint liquefacta, thus, & terram samiam trita addito, conquassato, & in uitreum uas robustum trãsferto. tenuia enim rumpuntur. Vsus autem tempore affectos locos circumlinens, & diligenter confricans, abluere iube. præstaret et quidem in balneo id facere, quod si fieri nequeat, in domo abluatur. Commodum est pharmacum ad omnes sordes, asperitatemq; ac scabiem cutis, itemq; ad lichenas. Aliud, Fæcis uini ustæ lib.i.aquæ pluuiæ sextarios septem. thuris albi libr.ij. mastiches libr.ij.alcyonij.lib.i. ammoniaci thymiamatis

tis lib.ij. terræ samiæ lib.ij. olei rosacei lib.ij. ceræ Tyrrhenicæ albæ lib.ij. fæcẽ in aqua, ut dictũ est, macerato, ter singulis diebus cum ferula strenue agitando. Deinde excolatum per saccum liquorem in uas stanno oblitum transferto, positumq; ad ignem ad dimidiam partem coquito, deinde liquescibilia adijcito, atque ubi dissoluta fuerint, alcyonium tenuissime tritum infarcito. Habeas autem ad manum prompta, in fæcis aqua dissoluta, probeq; trita, thus, ammoniacum, mastichen, terram samiam, eaq; strigmenticia prædita crassitudine, reliquis infarcito ac diligenter cõquassato, & ablatis utitor. Aliud, Diasmyrnum appellatum. Fæcis ustæ lib.xxiiij. aquæ pluuialis sextarios xlviij. olei sabini lib. quatuor. ceræ lib.iiij. terræ samiæ lib.ij. thuris lib.ij. mastiches lib.i. ammoniaci thymiamatis lib.i. myrrhæ drach.viij. Componito ac utitor, ut dictum est.

Quæ Cleopatra in libro de ornatu ad achoras scripsit. 5

Porrò quæ Cleopatra ad achoras scripserit, ea deinceps referẽtur illius ipsius uerbis, Fœno græco tenui cocto, & in betæ nigræ succo macerato, caput eluatur: aut betę decocto, aut terra cimolia in his macerata. Post ablutionẽ uerò myrto cum uino & oleo trita illinatur, superneq; betæ folia imponantur. Aliud ad ualde ulceratos. Cerusæ frictæ drachm.ij. thuris drachm.ij. sulphuris drach.i. trita ex oleo illinito. Aliud, quod & ad furfures facit. Nitri, atramenti sutorij, utriusq; drachm.i. terito affuso oleo, & illinito. Aliud ad achoras. Myrrham & myrti albæ folia uiridia uino trita illinito. Aut terram cimoliam torrefactam cum uino nigro illinito. Aut cerusæ & plumbaginis æquales partes cum myrteo tritas illinito. Aut sulphuris uiui, drach.sex, thuris masculi drachm.i. aluminis scissi, staphidis siluestris, erucæ, spumæ nitri, singulorum drach.i. atramenti sutorij drachm.i. rutæ ramulos tres, terito aceto moderate affuso, itemq; laurino, aut myrteo, aut crocino, aut oleo ueteri adstillato, quo pinguis compositio fiat, eamq; ubi prius hoc smegma affricueris illinito. Smegma, Hyssopi chœnicem unum, lupinorum chœnices duos, ptisanæ chœnicem unum, fabæ fresę chœnicem unum, radicis cucumeris syluestris drachm. quatuor. Hæc trita misceto, & affricanda præbeto. Idem & ad lepram, & ad uaros facit.

Quæ pharmaca Soranus ad achoras scripsit. 6

Quandoquidem uero & Soranus de achoris, tum in quarto de medicina, tum in unico medendi libro, quem Monobiblum inscripsit, pharmaca quædam tradidit, quæ etiam nobis per experientiam constant, partim quidem proprio, partim uerò præceptorum, aut medicorum amicorum usu cognita: ideo etiam ea ipsa hic apponemus iuxta ipsius dictionem hoc modo tradita. Vbi multus saniei fluor existat, & uexatio doloris uehementer incumbat, lenticulam coctam tritam cum modico melle cataplasmatis modo imponito. Aut panem cum coriãdro, aut plantagine, aut solano, aut seride, aut polygono, aut perdicio her-

A ba. Soranus quidem igitur uelut in implicata affectiõe, eiusmodi remedia adhibet, iuxta propriam sectam ratiocinatus. Apparent autem reuera cõmoda in principijs & circa generationes, cõmuni repellendi ratione. Deinceps uerò inquit, Vbi autem exacerbationes remiserint, radẽdi sunt loci, & fœni græci decocto aut betæ, & similium ex aqua, non urina confricandi. Quemadmodum etiam nos prius reprehẽdimus eos qui per urinam eiusmodi mixturas faciunt. Postea uerò pharmaca scribit etiam nobis, ut dixi, cognita. Plumbaginis, sulphuris uiui, æquales partes terito, & affuso rosaceo, aut myrteo, aut lentiscino, donec strigmentosum reddatur, illinito. Aliud, Sulphuris uiui, spumæ argenti, cerusæ, omnium æquales

B partes, croci dimidiam, trita cum passo cretico illinito. Aliud, Rutæ leuigatæ drach.iiij. spumæ argenti drach.viij. aceto & oleo rosaceo ammixto illine. Aliud, Spumæ argẽti drac.xx. calcis uiuæ drach.xx. aceti heminam unam, terito ac uelut liparan aliquam seu pinguem compositionem illinito. Aliud, Chalcitidis drac.ij. sandaraches drac.iiij. spumę argẽti drac.i. uino austero et myrteo oleo simul trita illinito. deinceps uerò Soranus aliud forte pharmacum cõscripsit, quod pro suæ sectę instituto Metasyncriticũ, hoc est, quod ex alto euocat humores ac transfert, appellauit: conuenit autem in inueteratis & ęgre cedẽtibus achoris, ex eiusq; usu quispiam medicus nobis amicus magnum nomen adeptus est. Olei

C cedrini sextariũ unũ, aceti acris sextarios tres, cõquito donec exhalet acetũ, deinde adijce adipis suilli ueteris sale seruati lib.ij. eoq; liquefacto, ollã ab igne auferto, & nitri triti bessem, sulphuris uiui sexuncem, sandaraches unc.i. infarcito. Postq; uerò illitum pharmacum exaruerit, in balneo per prædicta smegmata confricari iube, perq; uinum & oua ac nitrum, & per radicum cucumeris siluestris decoctum: aut fæce rhodia, & pumice, cum aqua calida.

Ad psydracia, & achoras, pustulasq; ulcerosas, helcydria Græcis appellatas, & eruptiones in capite. Cap. IX

Ad præscriptas affectiones conuenienti diętã uti oportet, corporisq; ac capitis purgationẽ adhibere, per pilulas ex aloe, colocynthide & scam-

D monia, ita ut brassicæ succo coactæ ex his pilulæ exhibeantur. Deinde ipsa locali curatione utendum est, cuius generis est, adiantum cum rosaceo illitum. Aut fœni græci decoctum affrictum. Aut malua cum farina ordeacea pro cataplasmate imposita. Aut melilotum cum farina fœni græci ex uino impositum & cicerum decocto, ipsumq; cicer coctum impositum, nuces amaræ commansæ & illitę. Discutit autem maxime & lilij radix affricta, & thus cum uino & aqua, & lupinorũ amarorum decoctum affrictũ, bulbi cum nitro affricti, thus ex aceto illitũ, putamen mali punici cũ laurino illitum. Aut anchusæ radicẽ ustam & tritam cum oleo donec strigmenticiam crassitudinẽ accipiat, cum pinna illinito, & ægrum iuuabis.

Caput I. De omni capitis dolore, dimidiæq; eius partis affectione uniuersalis doctrina. 2. Apollonij remedia ad capitis ex ardore dolorem. 3. Ex frigore et rursus de ardore curando Galeni doctrina. 4. De inueteratis capitis affectionib. calidis & frigidis. 5. Apollonius ad capitis dolorē ex ebrietate & meri potu. Vide lib.2.cap.2.sect.4. 6. Idem ad dolorem capitis ex plaga aut casu. 7. Condependens ex præcedenti Apollonij doctrina, ad temporum ac totius capitis dolores, citra manifestas causas obortos. 8. Archigenis ad capitis dolorem remedia. 9. De his qui ex stomacho caput dolēt. 10. Rursus Archigenis scripta cum Galeni censura. 11. De capitis dolore ex bile. 12. Per consensum. 13. In febribus. Cap. II. De cephalæa, id est capitis dolore antiquo. 2. De apophlegmatismis A Archigenes. 3. Idem de cataplasmatis in capitis dolore. 4. Idē de his qui ex ebrietate caput dolēt. Vide lib.1.cap.1.sect.5. 5. Eiusdem amuleta quæ capiti coronæ modo circumposita, & alligata, dolorē eius arcent. 5. De fissuris & cōtusionibus in capite factis. 7. Asclepiades ad capitis dolorem. 8. Pastilli ad capitis dolorem 9. Epithemata. 10. Archigenes, Apollonius, & Asclepiades, de apophlegmatismis, & quæ naribus infunduntur. 11. Crito de apophlegmatismis. 12. Idem de errhinis ad ictericos. 13. Quæ Aeneas per experientiā pituitam detrahentia tradiderit. 14. De usu omnium fortium pharmacorum. Cap. III. De hemicrania, id est dimidij capitis affectione. 2. Heras ad capitis dolorem.

CLAVDII GALENI DE COMPOSITIONE PHARMACORVM SECVNDVM LOCOS, LIBER II.

De omni capitis dolore, dimidiæq; eius partis affectione, uniuersalis doctrina. *Cap.* I.

QVICVNQVE citra distinctionem indiscriminatimq; doloris capitis auxilia scripserunt, maius detrimentum quàm emolumentū his qui eis fidem habuerunt, attulerunt. Neque enim omnes ob unam affectionē caput dolent: sed tum ipsæ affectiones plures sunt, tum curatio ipsarum singularum propria existit. Vna etenim affectio est iuxta intemperiem simplicem citra humorum complexum. Alia iuxta humorum qualitatem, uelut etiam tertia quæpiam alia iuxta multitudinem tantum ipsorum humorum contingit. Quibus accedit ea quæ fit, quum humores transitus liquorum ac uaporum obturarint. C Et ad hæc alia est, quum in quibusdam capitis partibus, propter imbecillitatem, flatuosus spiritus innascitur. Quandoque etiam ob causam aliquam externam & lacessentem, procatarcticen Græci appellant, uelut est ardor, frigiditas, ebrietas, plaga, capitis dolor contingit. Vehementissimi igitur capitis dolores fiunt iuxta caliditatem & frigiditatē, maxime cum inæquales existant. Moderati uerò iuxta siccitatem. Ad humiditates uerò nullus consequitur dolor. Eodem modo quum ob redundantes humores siue iuxta omnes capitis partes, siue iuxta unā quamcunq; tandem, siue duas, dolor cōtingit, uehementior quidem ob calidos & frigidos, moderatior autem ob resiccantes citra caliditatem aut D frigiditatem manifestam oboritur. Humectantes uerò penitus nullum dolorem inducūt, quantum ad qualitatem ipsorum attinet, ob multitudinē sanè instrumentalium partium morbos faciūt, non tamen similarium partium ullum aliquem, in quibus solum affectiones iuxta intemperiem simplicem fiunt. At uerò affectiones ob humorum multitudinem, citra quidem obturationē, caput grauant: cum obturatione uerò, siquidem ea moderata fuerit, moderatè dolorosæ: sin fortis, fortiter contingūt. Quod si etiam mordacem qualitatem B humorum multitudo complectatur, etiam iuxta hanc dolorem augebit. Atq; hæ quidem differentiæ sunt affectionum, quantum ad causas attinet eas producētes. Aliæ uerò sunt iuxta affectarum partium naturam. Aliquando enim extra caluariam affectio est, aliquando intra. Et quandoq; quidem omnium exteriorum aut interiorum est, quandoq; non omnium, sed unius tantum corporum generis, arteriarum uidelicet, aut uenarum, aut neruorum, aut membranarum, aut cutis, aut ipsius adeò cerebri. Itaq; difficillimū est affectum cognoscere locum, siue unus, siue plures uno existant, aut qui tandem hi ipsi extent: nec uerò affectionem inuenire promptum est, sed & hoc exercitato homine indiget, qui tum per rationis exercitium, tum per multam & assiduam affectionis ægrorum inspectionem, eam cognoscat. Proprietates enim aliquæ quidem omnino dici non possunt, quædam uerò ægre circa ægrotantia corpora ostendi possunt, utpote quę tantum his qui eas sæpe uiderunt cognobiles existant. Non parum uerò ad affectionis cognitionem faciūt quædam ex causis lacessentibus & externis, quæ priuatim procatarcticæ medicis Græcis uocantur, uelut quum manifestus sensus & offensa ægros ardoris aut frigoris contigit: & facile sanè eiusmodi affectiones recentes sanantur: probeq; & rite ab eis initium sumpserunt medici, qui præsidia ac auxilia morborum cum distinctionibus descripserūt. Multa quidem igitur à uetustioribus pharmaca simplicia & composita ad huiusmodi affectiones descripta sunt, mihi uerò etiam hic satis erit ex recentioribus apponere, qui sanè tum ea quæ ueteres inuenere, conscripserunt, tum ipsi etiam alia quædam addiderunt. Equidem uniuersum curationis scopum singularum affectionum ratio nos docet. At uerò materiæ facultates experientia ipsa demonstrat. Per hanc igitur auxiliorum copia progressu temporis augetur. Atque adeò nunc tempus adest sermoni, propria auxilia iuxta singulas affectiones describēdi, initiū ab his quæ secundum qualitates solas à naturali cuiusq; particulæ statu discesserunt, facturo.

Quæ

Quæ Apollonius ad capitis, propter ardorem, dolorem conscripsit. 2

Apollonius igitur in primo de parabilibus ad capitis dolorem propter ardorem sic scripsit: Rosaceo assidue caput irrigato. Aut lanã siue linteolum rosaceo tingito & imponito. Aliud, Narcissino ungento similiter utitor. Aliud, Melino ungento eodem modo utitor. Aliud, Aut mori succo per linteolum expresso, cum pari rosaceo utitor. Aliud, Portulacæ folia tusa, per se, & cum polentæ flore imponito. Aliud, Cupressi folia trita per se & cum polentæ flore imponito. Aliud, Solanum per se & cum polentæ flore imponito. Aliud, Sesamum terito & rosaceo adstillato imponito. Aliud, Vitis folia cocta trita cum mulsa aqua imponito. Aliud, Folia ricini contusa & in octo aquæ heminas cõiecta sub diuo per noctem exponito & cum aqua caput perfundito, & posthæc descripta iam ante imponito. Aliud, Conyzæ odoræ fasciculum decem & sex digitorum, in aquæ heminas octo coniectum sub diuo per noctem exponito, & leniter aquam effundito. Vtendum & cibi subtractione & uentris euacuatione, somnoq; & quiete. Vitanda autem maxime uinum, sol, & balneũ. Amplius autem & fomenta, clamor, cõtentio, omnisq; mentis perturbatio, & percussio. In loco autem qui probe perflatur degendum est.

Ad capitis dolorem ex frigore. 3

Irino ungẽto calido caput rigato, Vtere etiam lanis ac linteolis in eo madefactis. Aliud, Laurino ungento similiter utere. Aliud, Farina cocta cum aqua mulsa utitor. Aliud, Lauri folia tenera cum irino ungento trita capiti infunde. Aliud, Samsuco cum uino trita aut rosaceo similiter utitor. Aliud, Cyperum tusum adipe anserino ammixto, capiti illinito. Aliud, Cornu cerui exurito, eiusq; acetabulo, uinum odoratum dupla mensura ammisceto, terito ac illinito. Aliud, Conueniunt & fomenta per spongias calida imbutas & expressas, maxime si lauri folia tenera in aqua fuerint incocta, aut samsuci, aut cyperi, Et lanarum mollium fasciculi ungento irino & uino rigati, capitiq; circumpositi, Item tegmina, & tepor, & ciborum subtractio, ac uentris euacuatio. Amplius autem & somnus & quies, & corporis tranquillitas ac lætitia. Vitanda uero similiter clamor, contentio, uini potus, & frigiditas. Hæc quidem auxilia aduersus capitis dolorem ex ardore itemq; frigore obortum Apollonius scripsit. Appellant autem ardorem ex sole æstiuo circa caput factã perseuerantẽ caliditatẽ. Omnes eñ homines in sole æstiuo diutius uersantes capite incalescunt, nõ tamen omnibus æqualiter caliditas permanet, sed statim quiescit, quibusdã etiam ante balneum, plerisq; uero post lotionem: quibuscunq; autem permanserit, affectionem capitis iã iuxta habitum nõ simplicem modo cõtactum factam putantes, ardorem appellant. Aliquãdo igitur sola intemperies cõsistit, affectione circa caput calidiore facta: aliquando uero etiam

A humorum aut uaporũ multitudo ad ipsum caput decurrit: & maxime quum redundantia quædam humorũ, quam Erasistrati sectatores plethoran, hoc est, plenitudinem uocant, in toto corpore oberrat. fit autem hæc quatuor humoribus ex æquo auctis, aut etiã sanguine solo. Nã quũ alius quispiam humor redundarit, uelut est pituita, & flaua bilis itemq; nigra, eiusmodi auctionem siue redundantiam, nõ plenitudinem, neq; simpliciter multitudinem, sed cum appositione, pituitæ, aut bilis flauæ, aut nigrę, in corpore factam multitudinem dicunt. Cæterum eis qui ex ardore caput dolent, cutis tactui aridior ad primum cõtactum apparet oculosq; rubros habẽt, frigidisq; tum perfusionibus, tum illitionibus gaudent. Principio igitur re-

B pulsoria curatione utendũ est, ex refrigerantibus & adstringentibus cõstante. Postea uero mitigatoria & cõcoctoria pharmaca ad repulsoria ammiscere oportet. Deinde etiã ex discussorijs quippiã addendũ, paulatim detractis pharmacis quæ repellunt. Optima sunt autem cẽsenda quæ tenuium partium substantia prædita adhibentur. Quapropter in principio quidem melius est rosaceo probe apparato quàm frigidissimo caput perfundere, lanę fasciculo in orbem circumposito, Iuxta frontem quidem, ubi pilosa eius pars desinit, iuxta utrunq; uero eius latus, ubi pili ipsi aures cõtingunt: & retro in loco post uerticem, nõ tamen lõge inferius. Neq; eñ facile exurit capitis ea pars quæ occiput, & græcis Inion appellatur: neq; etiã

C citra molestiam, refrigerantia sustinet, propterea quòd isthic principium medullæ spinalis existat, ad stipitis modũ in multos ramulos diuisę, in sexaginta puto iuxta numerũ neruos. At uero regio capitis iuxta sinciput, propter laxitatem coarticulationis iuxta coronalem suturã, & ob ossium tenuitatem & raritatẽ, facile tum caliditatem tum frigiditatem omnium quę adhibentur pharmacorum intrò distribuit, Quare siue refrigerare oporteat ex caliditate ardorem, siue calfacere frigiditatem, aptissimus est capitis iuxta sinciput locus. Optima autem in principio refrigeratio ex rosaceo frigido, æstiuo tempore existente, in quo maxime ardoris affectio oboriri cõsueuit. Dictũ autem est mihi de rosaceo iam sępe, quòd optimum

D est ex oleo crudo, quod Omotribes & omphacinon bifariam appellant, citra salis admixtionẽ cõfecto, rosis quam plurimis in eo maceratis præparatum. Sit autem rosaceum nõ uetus, sed eo ipso anno cõfectum, siue in uere, siue principio æstatis. Proximũ à rosaceo chamæmelinum locũ habet, in his corporibus quibus uehementem frigiditatem inducere ueremur, qualiã sunt fœminarum, & eunuchorum, ac puerorum, & quicunq; molli carne præditi albumq; habentes colorẽ, solis sunt insueti. Mensuram aũt tum rosacei tũ chamæmelini, quod ad refrigerationẽ attinet, ex prædictis corporis habitibus, & ex ardoris magnitudine inuenire oportet, cõsiderata simul ægri ætate, et ambiẽtis nos aeris tẽperie, nõ minus aũt & domo in qua æger decũbit. Refrigerabis autem quæcunq;

adhibere uoles, in aqua uehementer frigida collo
cata: quę ſi nõ adſit, niuem uaſculo circumpones.
Hoc auxiliũ ſiue humorum ſiue uaporũ multitu-
do in caput impetũ faciat, præclare auxiliatur. Re
pellit enim eos infraq; in corpus detrudit, adeò ut
ego in ſexcentis hoc medẽdi modo uſus, nullo a-
lio habuerim opus. Nã & frigidorum fontiũ mul
ta Romæ ubertas eſt, & niuis apud nos in Perga-
mo, & in plurimis Aſiæ Græciæq; ciuitatibus. At
uero in calidis regionibus qualis eſt Aegyptus, in
qua & fontium frigidorũ & niuis penuria eſt, ne-
ceſſarium eſt præfrigerato roſaceo, per expoſitio
nẽ ſub diuũ per integrã noctẽ, & per obuerſionẽ
ad auræ alicuius afflatum, ita demũ addere ei ſem
per uiui ſuccũ, aut portulacę, aut lactucæ, aut pſyl
lij, aut polygoni. Quin et ſolani aliquãdo paululũ
& pampinorum uitis, & uuarum immaturarum.
Tales enim ſunt adhuc tempore æſtatis. A papa-
ueris uero et mandragorę ſucco abſtinendum, nõ
enim citra damnum refrigerat. uitãda etiam quæ
cum refrigeratione manifeſte adſtringunt: quare
ſi quãdo neceſsitas poſtulet, parum quiddam ex
eis ad refrigerãtia ammiſcere oportet. Propterea
ſanè & Solani ſuccũ, aut nunq; penitus, aut omni
no modicè ammiſcemus: ſic etiam mali punici, &
mali cotonei, & meſpili. Ad hanc tamen rẽ malo-
rum punicorum acidorũ ſuccus præſtantior eſt,
magis enim refrigerat. Porrò quum aliquando ru
ri degerẽ nihilq; horum ad manum eſſet, cucurbi
tæ ramenta exſuccata ad uuæ immaturæ ſuccum
ammiſcui. Poterit autẽ quiſpiã in tali loco etiã ſeri
dis ſucco uti, lactucæq; tum hortẽſis, tũ ſylueſtris,
quam proprie Thridacinen Græci appellant: hor
tenſem enim Thridacem uocant. Quin & moro-
rum ſuccus aptus ad refrigerandum. Sint autẽ nõ
ualde matura. Quod ſi caluus ſit æger, aut omni-
no breues habeat pilos, maxima ubertas refrige-
rantium exiſtit. Quæcunq; ẽm ad Eryſipelata au-
xiliaria ſcimus ex cataplaſmatis & liquidis cero-
matis, ea omĩa ab ardore exuſtis cõueniunt. Cæte
rum Apollonius ricini folia tenera tuſa in aquã
cõijcere iubet, & deinde per totã noctem uaſcu-
lum in quo cõtinentur ſub diuũ exponere, & po-
ſtera die uti. Ego quidẽ igitur nõ ualde expertus
ſum ricini facultatẽ, uerisimile eſt autem Apollo-
nium qui lõgo tẽpore in Alexãdria uixit, per ma-
gnã experientiam uim eius cognouiſſe. Atqui o-
leum ex ricino factum manifeſte cognoui calidi-
us eſſe facultate oleo quod apud nos eſt: quare
etiãſi nõ præſens ſit, ueteri utimur. Puto autem &
potamogetonem et Niliacum Stratioten quiddã
refrigeratiuum habere, mirorq; eorum Apolloni
um nullam mentionem feciſſe. Quin & Tribolus
apud nos, uelut etiã Polygonum, quiddam refri-
gerans habent, tenera uidelicet, & nondum dura
ac ſicca facta. Conyzam autem nõ ſolum refrige-
rare impoſsibile eſt, uerum et moderatè calfacere
potentẽ noui, & miror ſanè cur Apollonius eã in
ter refrigerãtia retulerit. Quod ſi et ab arborib. &
fruticibus auxilia ad caput præter naturã calidius
petere oporteat, uitex cõuenientior ad hoc exi-

A ſtit, & uitis, & lentiſcus, & platanus, ſi quis eorum
teneris germinibus acceptis, deinde tritis, ab ipſis
ſuccum exprimat. Eraſiſtratus uero magnũ quod
dã præſeruatiuum in calidis habitib. tradit, quum
uidelicet eos ſolem perferre oportet. Si ſpõgiam
latam & denſam ac cauam in aqua madefactam,
& probe expreſſam capiti imponas. Porrò ſigna
dolẽtium caput ob frigiditatem, cõtraria ſunt eis
quæ ex ardore oboriuntur. Nam & incõtracta mi
nimeq; arefacta, et decolor ipſorum facies exiſtit,
& frigidis neq; gaudent, neq; ab eis iuuanť. Quẽ-
admodum autẽ ardor non ægre ſolubilis affectio
eſt, Ita neq; frigiditas ex ambiente nos aere cõtra
cta difficulter curatur ſi recens eſt, ſed ſufficit ole-
um rutaceum calidum, ſincipiti ut dictum eſt affu
B ſum, perfecte hominem liberare. Si uero uehemẽ
tiori calfactione opus ſit, Euphorbium ad oleum
cõijciatur, & quæcunq; ex pipere pharmaca con
ſtant. Inungenda autem eſt facies & nares hiſce
ungentis, maxime quidem irino & amaracino, &
nardino. Quin & comptoria ungenta ex calfaciẽ-
tiũ numero exiſtunt, atq; adeò ipſa opulentarum
fœminarum precioſa ungenta, quæ foliata & ſpi-
cata Romæ appellant. Opobalſamum uero ſæpe
experti ſumus, nullum manifeſtum cõmodum ad
ullam aliquam affectionem calfactione indigen-
tem cõferre. Quemadmodũ autem rutaceum cõ
uenire dixi, Sic etiam ſamſuchinum & laurinum
laudo, itemq; ſerpyllinum, ſæpe & in pleriſq; ipſis
uſus. Dandum etiam uinum tenuium partium, &
C motus corporis precipiendus, lauacraq; calida, et
quandoq; à raphano uomitus.

De inueteratis capitis affectionibus calidis & frigidis. 4

In inueteratis capitis doloribus ac affectionib.
neceſſariò pilos radimus, aut ualde ad ipſam uſq;
cutẽ præſecamus, pharmacaq; tũ emplaſtrorũ ac
ceratorum forma, tum etiam liquida adhibemus:
atq; ea quidem quæ emplaſtrorum ac ceratorum
formam habẽt, raſis penitus adhibemus, liquida
uero his qui breuiſsimè præſectos pilos habent.
Eſt aũt & horum materia multiformis, quod par-
tim quidẽ magis, partim uero minus refrigerẽtq;
& calfaciant. Ea igitur quæ frigefaciũt ex his quæ
eryſipelata curant transferenda ſunt, calfacientia
uero ex pharmacis calfactorijs cõponenda. Quo
D rum ſimpliciſsimum eſt ex euphorbio prępáratũ.
Sufficit autem unciam euphorbij unam, ad tres
ceræ liquefactæ in olei libra una cõijcere. Vten-
dum aũt oleo ad omnes affectiones calefactione
opus habentes, neq; omphacino, neq; eo q uul-
go ab omnibus hiſpanũ appellatur, neq; omnino
eo quod cũ olearũ germinibus præparať. Sed eo
quod ex maturis oliuis cõficitur apud pleraſq; gẽ
tes citra germinũ iniectionẽ. Optimũ aũt ex eis
quæ ego noui, eſt ſabinũ, nõ procul ab urbe Ro-
ma in Sabinorũ regione prognatũ. Cæterũ phar-
maca quæ recentiores medici ſeipſos Methodi-
cos appellãtes, Metaſyncritica, hoc eſt, ex alto e-
uocãtia ac trãsferẽtia appellãt, ea omĩa ad huiuſ-
modi affectiões cõmoda exiſtũt, ex quibus opti-
ma in ſeptimo libro huiuſcemodi tractatiõis, quę

ante hanc à me edita est, relata sunt. Tempus igitur iam est me ad aliam capitis transire affectionẽ, ad scripturũ primo quę ab Apollonio cõscripta sunt quæ iuxta illius dictionem hoc modo habent.

Quæ Apollonius ad capitis dolorem, ex ebrietate & meri potu, scripsit.

Vtendum est omnibus descriptis auxilijs ad dolorem capitis ab ardore obortum. Quod si dolores amplius inualescant, rutæ folia cum aceto & rosaceo trita strigmenti crassitudine capiti illinẽda. Aliud, Nuces amaras cum aceto & rosaceo ad strigmenticiam spissitudinem tritas capiti illinito. Aliud, Iridem siccam ac uiticem aridum cum aceto & rosaceo, eodem adhibe modo.

Aliud, Lauri baccam & rutæ folia cum aceto & rosaceo trita adhibeto. Conueniet autem somnus, fames, quies, corporis tranquillitas. In potu aqua calida, aqua mulsa, & euacuatio. Hæc quidẽ Apollonius scripsit, atq; huius rei gratia laudare uirum decet, quòd cum discrimine de unoquoq; auxilio scripsit, quũ neq; Archigenes idipsum fecerit, quẽ quũ posterior Apollonio natu sit, apponere quidpiã ad discriminum certitudinẽ oportebat: uerũ quę ipse in priore de pharmacis libro cõscripsit, paulo pòst referentur. At uero quæ ego per longam experiẽtiam de capitis dolore ex uini potu cognoui, iam exponã, utpote qui spẽ quidem utilitatis ipsorum ex affectione inueni, diligẽtem autem comprobationem per multam experientiam feci. Capitis itaq; dolorem ex uinorum temperatura calidorum productũ indicat, quod ipsum caput omnino uaporibus repletur, quandoq; etiam humoribus calida temperie præditis. Nam & citra uini potum eiusmodi ad caput prompte deferuntur. Curatione itaq; opus est, quæ scopum primum uniuersalem & cõmunem omnibus habeat, nimirum euacuatione indigentem. Quum uero calidi sint qui caput repleuerũt humores, etiam refrigerante eos medela opus erit. Iubendi igitur sunt, si crudum adhuc in eis uinum permaneat, ut tepida aqua hausta uomãt: quod si etiã post concoctionem caput doleant, refrigerantibus utendum est ac repellentibus. Quale est rosaceum per se & cum aceto, aut hederæ aut brassicæ succo. Quin & ipsa brassicæ folia calida macerata, capitiq; circumposita ac obligata, naturaliter ebrietati resistunt. Cæterum somni ac quietis cura imprimis habenda est: quod ubi factũ fuerit per totum diem, ad uesperam lotũ, boni succi cibis, non tamen calfaciẽtibus nutrire oportet. Sunt autem tales ptisanæ succus, & sorbitio ex alica, & panis ex aqua, & oua sorbilia absq; garo: ammisceatur autem eis ex melle quantũ ad edulcandum satis fuerit. Si uero ad mel accipiendũ nõ fuerint appositi, sales aromatũ cõdimentis ad saporẽ edulcati, pro eo addantur. Ex holeribus est lactuca, utpote boni succi & refrigeratoria, & brassica, ut quæ uapores reficcet. Sic & ex leguminibus lẽs est. Potu uero omnino aqua utendũ est. at uero quum stomachus in quibusdã propter aquæ potũ subuertatur, malũ punicũ eis insuper exhibendũ est, aut solum

A per se, aut cum alica flaccida calida, probe cocta. Quin & mala cestiana appellata in urbe Romana, citra cocturã quidẽ sunt austera, post cocturã uero stomacho cõmoda fiunt. Coquẽda aũt sunt ipsa in ollam nouã aqua calida infusa, deinde malo in olla suspenso, igneq; sub ollam cõiecto, quo uapor ex aqua calidus sublatus cocturam ipsi malo præbeat. Vuæ passæ etiã et pira, aliqua quidem cruda, aliqua uero ut malum ipsum cocta, stomachũ corroborant. Abstinẽdum uero à glandibus palmarũ, proprietatem enĩ quandam habent capitis dolorem inducendi. Quod si uero post hæc probe dormire nõ possint, ad balneum postridie ꝙ celerrime inducantur, calidaq; aqua eis in balneo sæpe affundatur, deinde ubi dormierint aut omnino B interposito tẽpore quieuerint, rursum ad balneũ ducendi sunt, deinde ueluti pridie cõnutriendi. Si uero moderate habeant, & aquã bibere non possint, permittendus est eis potus dilutus ex uinis aquosis, quale est in Italia Sabinũ, in Asia Titacazenũ, & Arsyenum, & Ariusiũ. Quin & moderate habẽtibus gallorũ testiculi, & alæ, & ex piscibus petrosi, & teneris carnibus præditi exhibebuntur, & columbarũ pulli. Hæc uero omnia citra garũ & uinum, in albis ac simplicibus iusculis coquantur, in quibus aqua sola cũ oleo, & anetho, ac modico porro, cocturam perficiat, modico adiecto sale, nõ statim in principio cocturę, sed quum iam aliquo modo flaccida facta fuerint ac uicta. Manifestũ uero quod tum hoc, tũ omnes qui caput dolent, C augescente adhuc & uigente dolore, quiescere melius est: remittẽte uero ac decrescẽte, in locis aptis deambulare. Apti sunt aũt his qui calfieri opus habẽt loci calidiores, qui frigefieri, frigidiores. Et ante cibũ quidẽ pluribus deambulationibus utendũ, post acceptũ uero cibum breuibus & lentis. Oportet autẽ neq; multa comedere, neq; statim deambulare, sed post duas aut tres aut etiã plures horas. Quòd si quãdo ex uaporib. & humoribus in caput sublatis reliquiæ quædam relinquantur tenuibus poris ac meatibus impactę, & ob id etiam capitis dolor perseueret, à rosaceo quidẽ abstinere expedit. Vtendũ est aũt primum quidẽ chamæmelino moderate calido, postea uero irino: maximopere enĩ huiusmodi affectiones D iuuant. In balneo uero caput calida perfundatur, nõ solum ob id ut quippiam circa ipsum discutiatur, sed & somni cõciliãdi gratia, quapropter etiã secundũ, aut tertium etiã, ad uesperã balneum apparandũ est, acceptis ab eo lactucis ex aceto, modico aut omnino nullo addito garo, uerũ aqua affusa multa, ut acetũ plane exæquet, nisi omnino aquosum sit acetum. nam & huiusmodi magis ꝙ acerrimo opus habent. Caliditatem enim in se aliquam tale acetum cõplectitur. Post hæc uero postera die, quæ magis caput calfaciãt adhibẽda, ita ut ad irinum aliquando Amaracinũ ungẽtum addamus, aliquando uero Nardinũ. Quandoq; etiã preciosa, quib. opulẽtę fœminę etiãsi nihil habeãt mali, uti cõsueuerunt. Per huiusmodi sanè medicatiõis ductũ, capitis dolores ex uini potu obortos

in totũ persanaui, nullo ab Apollonio præscripto pharmaco usus. Quum enim per ea quæ iam dixi scopum cõtingerem, in nullo ab Apollonio scriptorũ spem aliquam posui, tãquam rite ac probe ab ipso relata essent, & superuacaneum amplius erat eorum experimentum facere. Cæterum post prædictas tres affectiones capitis dolorẽ inducẽtes, Apollonius quartam hanc insuper addidit.

Ad dolorem capitis ex plaga aut casu. Apollonij. 6

Rosaceo & aceto tepefactis caput rigato. Aliud, Rosis siccis maxime coctis, aut certe in passo maceratis, aut aqua mulsa tritis pro cataplasmate utitor. Aliud, Meliloto similiter apparato utitor. Aliud, Myrti albæ folia tenera cum uino & myrrha trita imponito. Aliud, Irino ungento & aceto illinito. Aliud, Absinthium tritum cum uino & myrrha itidem trita imponito. Aliud, Pulegio trita ex uino similiter utitor. Aliud, Pulegium & myrrham trita similiter adhibeto. Aliud, Apij comas cum uino coctas ac tritas imponito. Aliud, Mala cotonea cocta ex uino imponito. Conuenient & fomẽta per spongias aqua calida imbutas. Et mollium lanarum fasciculi aceto & rosaceo conspersi. Ad hæc & quies, & corporis trãquillitas. Subtractio cibi, euacuatio, fuga eorum quæ offendere possunt, qualia sunt sol, balneum, uini potus, clamor, contentio, & ex his quæ alimenti loco exhibentur, acida & acria ac salsa. Hæc quidem Apollonius scripsit de capitis doloribus ex cõspicua plaga obortis. Verum operæpretium est nosse nos, eiusmodi affectionem nullam aliam quàm inflãmationem esse, quæ non ex plaga solum aut casu, sed citra etiam manifestam causam, iuxta omnes corporis partes, propter humorum influxionem fieri consueuit. Siquidem igitur plaga uulneris aut contusionis causa existat, plures scopi erunt ad remediorum inuentionem. Vnus quidem in uulnere, ad quod conglutinantibus & inflammationem arcentibus pharmacis uti oportet, postq̃ ulceris labia fibulis impositis constrinxerimus. Alter uero in contusione, & tertius in doloribus, qui quandoque in ipsis solis percussis partibus fiunt, plerunq; uero etiam ad uicinas partes extenduntur. Etenim pellicula quę caluariam ambit, & cutis quæ forinsecus circuntenditur, utraq; propriam substantiam cõtinuam habet per omne caput extensam: & ob id sanè sæpe caput ipsum dolere contingit, præsertim si usq; ad pelliculam os caluæ ambientem plaga penetret, quam diducta pellicula caluariam ambiente, osseq; conscalpto, iuxta concarnationis modum curare oportet. Quod si per communionem membranæ caluam ambientis, quam ad duram cerebri membranam circa suturas habet, etiam intra caluariam inflammatio ipsa distribuatur, non absq; periculo eiusmodi capitis dolor existit. Contingit autem non parum sępe in casu præsertim ex sublimi facto, ut quædam circa cerebrũ aut membranas eius, partes abrumpantur: quod ubi contingit, etiam amplius capitis dolor inualescit, ipsaq; affectio tota

A ægre curabilis reddit, & periculum ingens ac pręceps imminet. Optimũ itaq; fuerit in his, nisi ætas prohibeat, et nisi uitalis facultas debilis appareat, à uenæ sectione curationis initiũ facere, & conuenientibus capitis irrigationibus uti, ex lana nimirum oleo dulci imbuta, capiteq; ex ea contecto. Quod si quippiam horum, siue ætas, siue uirium debilitas, aut etiam ambo simul, sanguinis detractionem fieri præpediant, aluũ per clysterem euacuabimus, tum ut superflua in ipso recremẽta extrahamus, tũ ut humores qui ad affectas partes inferri consueuerunt reuellamus, atq; inde auxilijs ad inflammationes cõmodis utemur. Si uero mẽbrana cerebri fuerit uulnerata, egregie ipsam conglutinat, inquit Archigenes, calaminthæ succus infusus, & farina milij arida inspersa. Deinde

B butyrum & rosaceum, ac adeps suillus insulsus uetus, tepefacta ac mixtim infusa. Cęterũ hoc modo affectos à uino & cibis crassiorib. abstinere oportet, maxime si febri sint correpti. Atqui prædictã euacuationem cõsulit etiam Apollonius, qualem aũt fieri oporteat nõ ostendit. At uero acetũ rosaceo ammisceri iubet, quemadmodum in phreniticis & letargicis in principio plurimi medici facere consueuerunt, uerum non recte mẽsuram utriusq; dicere reliquit. Empiricorum simili transitione usus, nõ indicatione dogmaticorum. Affectio enim ipsa nobis indicat auxilia. Quantitatem autem singulorum, & particularem materiarum differentiam simul tum affecta particula, tum ægri temperamentum indicat. Et ad hæc uitalis fa-

C cultas, deinde ætas, & ambientis nos aeris temperatura, iuxta regiones, anniq; tempora, & prædominantem anni constitutionem euarians. In phreniticis quidem igitur, quum omnia quæ extra caluariam, circaq; cutem & pelliculam caluariã ambientem ab affectione immunia sint, ueteres conuenienter acetũ ammiscuerunt: ea ratione persuasi, quã in commentarijs de pharmacorũ compositione per longũ recensui: quãdo uidelicet ad affectiones in profundo corporis obortas, pharmaca diuersa ab his quæ ad affectiones in superficie hærentes destinata sunt, adhiberi oportere dixi. Exoluitur ẽm omnium ipsorũ uis in transitione per profundum, & ob id ad propria affectioni auxi-

D lia, aliquando cõtrariæ & nocẽtis facultatis pharmaca ammiscemus. Quum nãq; inflammatio dolorẽ inducat, maxime contrariũ est acetũ reliquis auxilijs ammiscere, utpote quod neq; mitigandi neq; laxandi uim aliquã in se complectatur. Sed quũ per sinciput, (neq; enim per aliam quampiã capitis partem transitus patet) pharmaci facultatem intra penetrare uelimus, tunc sanè ad ammixtionem alicuius eorum quæ propria natura auxiliantur ac in profundum ducunt, deuenimus: tenuium partium substãtiam quandã inuenientes, quandoq; quidẽ frigidam, uelut acetũ: quandoq; uero calidã, uelut euphorbiũ, affectione quę curationi subiacet cõsiderata ac perspecta, nũ calfaciẽtib. opus habeat an refrigerãtibus. Iuxta hãc igiť ratiocinatiõnẽ, si quidẽ crassæ cerebri mẽbranæ

nudæ rosaceũ offeratur, quemadmodũ in his quibus capitis ossiculorum aliquod excisum est fieri consueuit, solũ ipsum leniter tepefactum adhibemus. Quum uero citra denudationẽ, per capitis iuxta sinciput partẽ, sana & integra existente caluaria, rosaceũ ad cerebri membranã peruenire uelimus, acetũ ei ut eò perducat ammiscemus, Cuius itẽ rursus uehemens facultas tum per uiarum trãsitionẽ, tũ per rosacei mixturam exoluit. Quapropter Apollonius in eo quod acetũ rosaceo indefinite ammiscere iussit, peccauit. Cutis enim capitis aut quæ post eam est membranæ caluariam ambientis inflammationes, citra quidẽ uehementem dolorem obortæ, per modici sanè aceti ad rosaceum ammixtionem iuuari possunt: lædentur autem ubi magna fuerint, doloremq; uehementem induxerint. Deliquit amplius Apollonius, quod neq; tempus usus singulorum ab eo descriptorum auxiliorum apposuit. Quædam enim incipientibus & nascentibus adhuc inflammationibus auxiliantur. Quædam etiam in uigore consistentibus aut decrescentibus, aut etiam induratis opem ferunt. Rosaceum itaq; cum aceto incipientibus. In uigore uero consistentibus, rosaceum solum adhibemus. Quemadmodum etiam in induratis absinthiumq; ac pulegium ei ammiscemus. At uero quæ citra indurationẽ decrescunt inflammationes, pharmacis laxãtibus appellatis solum opus habent. Relata est autem tũ materia, tũ compositio ipsorũ in prioribus huiuscemodi tractationis cõmentarijs, quos edidimus anteq; hoc opus sumus aggressi. Quapropter affecti loci multam indicationẽ faciũt simul cũ ipsis affectionibus ad inuentionem remediorũ. Quum igitur affectiones ab Apollonio descriptæ quatuor sint, quæ capitis dolorem faciunt, ob manifestas causas obortæ: deinde uero ex ordine transierit ad eas quæ ex obscuris causis producuntur: meritò sanè quis ipsum reprehẽderit, nõ solũ φ à dogmatica desciuerit doctrina, sed quod neq; Empirica sit usus. Distinguunt eñ etiam hi affectiones per symptomatũ cõcursus syndromas ab ipsis appellatos, qui sanè accessionũ ad morbos ipsos cõgregationes sunt, quę omnibus euidenter apparent: in quibus concursibus etiam externas & lacessentes causas ipsi comprehendunt, tanq; partes totius concursus existant. Verum nullam talem congregationem, neq; symptomatum siue accessionum, neq; signorum Apollonius scripsit, quemadmodũ discemus ubi & ad sequentem uiri doctrinam non minus quàm ad priorem animum adhibebimus.

Condependens ex præcedenti Apollonij doctrina, ad temporum ac totius capitis dolores, citra manifestas causas obortos. 7

Vnguento Mendesio caput illine. Aliud, Adipem anserinum Mẽdesio unguento dilutum illine. Aliud, Myrrham uino quàm optimo tritã, & ad succi ptisanæ crassitudinẽ redactã illine. Aliud, Myrrham unguento preciosissimo tritam similiter adhibe. In pueris autem sinciput dolẽtibus, myrrha cũ oleo trita utitor. Aliud, Viticis semen tritũ & aqua dilutũ imponito, aut linteolo illitũ similiter imponito. Aliud, Lolij farinã cum adipe anserino contritã pro cataplasmate imponito, adipe prius liquefacto. Aliud, Portulacã per se & cũ lini semine tritã imponito. Aliud, Oleę folia tenerrima oleo ac uino nigro affuso terito ac imponito. Aliud, Cinerẽ quencunq; habes aceto aut aqua diluito, eoq; caput rigato. Aliud, Solanum & terrã figulinam trita ac leuigata imponito. Aliud, Halicacabi fructũ cum adipe anserino, aut unguento balanino tritũ adhibeto. Aliud, Lentisci folia trita ex aqua imponito. Aliud, Blitũ tritum ac oleo dilutum adhibeto. Aliud, Ricini semen aqua tritum imponito. Aliud, Coriandri semen & anethi trita ac melle mixta imponito. Aliud, Melanthium tritum ac oleo dilutum imponito. Aliud, Cuminum & adipẽ anserinũ trita imponito. Aliud, Succum papaueris fabæ ægyptiacæ quantitate, & salis partes duas, & pulegij partem unam, cũ aceto & unguento optimo trita illinito. Cõuenit item cibum subtrahere, & aluum euacuare, caputq; cõtegere, amplius uero & quiete agere, omnemq; motũ uitare. Quod igiť Apollonius quemadmodum dixi, indefinite tradẽdo hæc remedia ad capitis dolores, dupliciter peccarit, neq; ut dogmaticus uir affectiones explicans, neq; ut Empiricus earũ concursus, idipsum ex illius ipsius dictione didicimus. Quod uero & pharmacorũ facultates inter se non parum differat, ex tota uirium ipsorum perpensione discere licet. Etenim primum ab eo descriptum simplicis est potentiæ laxantis. Talis enim est Mendesii unguenti facultas. Secundũ uero eandẽ uim intense possidet, in quo ad Mendesium ungentum anserinus adeps ammiscetur. Tertiũ autem propter myrrham quidem resiccatoriũ est, unaq; calfacit, propter uinũ uero adstringit, utile his existens in quibus redundantem humiditatem simul repellere ac discutere proposuimus. Scimus porrò myrrhæ odorem plurimis etiam sanis dolorem capitis inducere, quare sanẽ eos ipsos qui iam caput dolẽt non parũ offendet. Eiusdem aũt facultatis est & quod sequitur quartum. Quintum uero nõ prope ad horum uim accedit, ubi scilicet cataplasma ex aqua & uiticis semine componit, quod non solum ab utraq; facultate tum calefaciendi, tum resiccandi, quibus ea præstant, quæ ex myrrha composita sunt, multũ deficit, sed & contrariũ facere potest in his qui caput ob frigiditatẽ dolẽt. Quod uero deinde sequiť ex lolij farina & anserino adipe compositũ, in quibus resiccare intendimus utile est, neq; in capite solũ, sed & in alijs partibus rationabiliter adhibeť, idipsum uero ob anserinum adipem citra molestiam resiccantẽ cõtingit. Ab unde enim pharmacũ hoc & mitigat & sedat dolorem. Verũ quod deinceps sequitur, de quo hæc uerba scripsit: Portulacam per se & cum lini semine tritam imponito, refrigeratorium est pharmacũ, præclare faciens ad affectiones calidas. Quod uero post hoc scriptũ est hoc modo: Oleæ folia tenerrima

nerrima oleo ac uino nigro affuso terito & imponito, dolorem quidem non mitigat, uerum humiditates succorū euacuat. At uero quod deinceps scriptum est forti facultate præstat, in quo uidelicet iubet cinerē aceto aut aqua dilui, eoq; caput rigari. Si quidem enim ex aceto præparetur, inueteratas affectiones & in scirrhum induratas sanare potest, non tamen doloris mitigatiuum existit. Si uero cum aqua cinis diluatur ac percoletur, fortitudine quidem plurimū ab eo deficiet quod ex aceto constat, neq; tamē sic doloris mitigatiuum erit. Quemadmodum neq; id quod postea descriptum est, ex terra figulina et solano compositum. Superfluam autem compositionem Apollonius in eo quod ex halicacabi fructu constat, ostentat. utpote quod neq; prędictis, neq; postea dicendis quicquam amplius habeat. Quemadmodum sanè ea quæ deinceps sequuntur singula alia facultate prædita sunt. Nō rite autem fecit hæc omnia indefinite tradendo. Quid enim simile habet cataplasma ex blito cum oleo trito, ad illud quod ex ricini semine, aut coriandri, aut melanthij componitur. Calefaciunt enim hæc & resiccant, Blitum uero debiliter humectat et frigefacit. Porrò quod in fine sermonis ipsius scriptum est, primum neq; ab ullo in usum assumi experiundi gratia cōsuluerim, nedum sæpe. Raro enim cogimur pharmacis ex opio uti, quum uidelicet præ doloris uehementia homo de uita periclitatur. quanquam & tunc solidæ partes ex eius usu offendantur, adeò ut post hæc correctione opus habeant. Sic & ex opio collyria multis detrimento fuerunt, adeò ut debilem oculum reddiderint, & uisus hebetudinem, Amblyopiam Græcis appellatam induxerint: uelut etiam auditus grauitatē inducunt, quæcunq; ad uehementem aurium dolorem ex papaueris succo composita sunt. At uero ob capitis dolorem uehementem nemo unq; animi deliquio comprehēsus mortuus est, neq; seipsum occidit, quemadmodum quidam coli dolore uexati fecerunt. Vtcunq; enim doleāt, longè minor ipsorum dolor est, quàm eorum qui coli, aut auris, aut oculi, aut dentis dolore uexantur. Mitigantur illi ipsi perfusionibus & cataplasmatum impositione.

Quæ Archigenes ad capitis dolorem remedia conscripsit. 8

Relicto igitur iam Apollonio, ad Archigenē trāseamus, qui in priore libro de pharmacis secundum genus ei inscripto, hoc modo scripsit. Archigenis ad capitis dolores citra febrem obortos.

Communiter in principio auxiliatur eis aquæ potus, parcitas cibi, solutio alui. Hæc præfatus deinceps pharmaca multiformia conscribit. Præstabilius igitur mihi uidetur singulatim unaquaque ipsius dictione in manus sumpta, eam considerare, & primum sanè principium eius collaudare, in quo manifeste discrimen à febri inductum distinxit. Fuit itaq; & Apollonius non quidē uulgaris medicus, uelut & Mātias & Heraclides Empiricus, uerum ad diligentiam quam circa artem fecit, etiā hoc Archigeni accesit, quod posterior natu illis ipsis fuit. Cæterum maximum hoc cēseri debet, his qui artem quamcunq; tandem rationalem ediscere rite uolūt, quum natura apti ad eam fuerint, ingeniosiq; & à pueris in primis disciplinis eruditi. Pleriq; autem ex his qui eiusmodi artes tractant, non ut ipsi sapientes in his euadāt, sed ut uulgo tales uideantur studio habent. At uero Archigenes ut si quis alius, quæ ad medicā speculationem attinent diligenter ediscere studuit, atq; ob id merito scripta quàm plurima memorabilia reliquit. Non tamē in omnibus sanè quæ tradidit irreprehensibilis mihi uidetur, uerum uelut ipse pleraq; eorum uirorum à quibus adiutus optimus euasit, reprehendit, sic par est ipsum delinquentem à nobis posteris redargui. Difficile enim est ut qui homo sit non in multis peccet, quædam uidelicet penitus ignorando, quædam uero male iudicando, & quædam tandē negligentius scriptis tradendo. Quemadmodum sanè & nunc mihi in distinguendo non febrientes à febricitantibus peccasse uidet, quū non omnes eorū qui nō febriunt distinctiones & discrimina apposuerit.

De his qui ex stomacho caput dolent. 9

Statim igitur primum in his discrimen est doloris capitis ex stomacho producti, Quidā enim etiamsi modicus quispiam humor acris in uētre, & præsertim circa os eius cōgregetur, statim caput dolent, atq; ob id si diutius famem tolerent offenduntur. Augetur enim ipsis inediam ferentibus eiusmodi humorum malicia. Eos igitur qui hoc modo affliguntur sanare oportet, ita ut nihil remediorum capiti adhibeamus, quādoquidem neq; proprius est hic capiti affectus, sed ab humorum in uentre malignos uapores excitantium in ipsum adscēsu affligitur. Quemadmodum alij in suffusorum symptomata ob huiusmodi humores incidūt. Quæ igitur horum erit cura? ut uidelicet affligentes in uentre humores quàm celerrime euacuemus. Euacuantur autem ad uomitum procliuis facile ab aquæ potu, Aegre uomentibus uero difficilius, adeò ut etiam digitorum siue pinnularum immissione uenter ad uomitum irritatus, quibusdam nihil amplius effuderit. His igitur conabimur quàm primum cibum boni succi ac stomacho commodum exhibere, si res ita ferat à balneo: si non, ante balneum tantum cibi offeremus, ut ne lædantur inde postea lauantes. A cœna aūt postridie modicū absinthium in potu dabimus; eoq; modo in posterum diætam ipsis constituemus, donec ualde bene cōcoquentes ipsos uideamus, atq; tum sanè modicum panem eis præbebimus circa tertiam aut quartam horam, aut paulò prius uel etiam serius, ut satis amplum spatium ad consuetam balnei horam intersit. Quicunq; uero panem citra obsonium edere non possunt, his oliuas, aut palmulas, aut uuas, aut tale quiddam addemus, per experientiā cognoscendo quid ex eis præstet, quum aliud alio melius sit iuxta naturæ proprietatem. Cæterum ad uitiosorum in uentre humorum redundantiam tum facultatis concoctoriæ debilitas, tum oris uentris infirmitas, pluri-

mum

A mum cõferunt. Quemadmodum etiã sensuum mollicies & ad hæc caput ad eiusmodi humorum uapores suscipiendos aptũ, quemadmodum et in quibusdam oculi. Ego quidem igitur sæpe & in multis expertus sum hanc quam narraui, curandi uiã ad capitis ex stomacho dolorem cõmodam. Archigenes uero quum simpliciter ad omnem capitis dolorem citra febrem, cibi parcitatem auxiliarem scribat, palàm facit se nihil de eo qui ex bilioso humore oboritur scire. Quod sanè etiam amplius quis crediderit qui postremam eius dictionẽ legerit, quæ hoc modo habet. Archigenes. In his uero qui ex stomacho caput dolent, flatuoseq; distenduntur, acetum in quo papaueris capita incocta sint affundito, aut spõgias eo imbutas imponito. B deinde polentã cũ menta & aceto frõti pro cataplasmate imponito. Aut pulegium cũ ijsdem. Aut solani succum cum rosaceo illinito. Stomachum equidem os uentris appellat, quum & medici hanc partem ita appellare sint adsueti, qui etiã stomachica animi deliquia appellãt, & quosdam stomachicos esse dicũt à quopiam uidelicet in eo loco oborto affectu ita appellantes, uelut etiam hepaticos ab hepate, & colicos à colo, & nephriticos à renibus, & splenicos à splene affectos. Vnam autem ex stomacho affectionem dolorosam scripsit quæ caput occupet, eorum quos ipse flatuose distentos uocauit, quam ex uini largi potu magis oboriri scio. Qui enim propter humores caput dolent, mordacem dolorem, non distendentem percipiunt. Fames igitur in distẽsionibus cõ- C moda est, at non his qui mordaces humores in ore uentris habẽt. Quum itaq; hic mordax humor fuerit amarus, pallida & flaua bilis appellatẽ, quæ ob naturalem leuitatem ad uentris os sursum fertur: quũ uero pituitosus, aut acidus, aut salsus fuerit, magis in totius uentris spatio continetẽ, quàm quod in ore ipsius firmetur. optimum autem fuerit (quantum sanè nunc in his dicere licet) in fundo uentris ipsum contineri: facile enim relicto uẽtre in intestinum delabitur. Pessima autẽ fit affectio ubi uitiosi humores in uentris tunicas ineluibiliter fuerit imbibiti. Quorum optimum remedium est ex aloe pharmacum, quod aliqui picram, hoc est, amarum, aliqui hieram, id est, sacrũ ex a- D loe appellant: inq; eius compositionẽ aloes drachmas centum conijciunt, & sex uniuscuiusq; reliquorum, quorum etiam sex numero existunt, cinnamomum, spica nardi, xylobalsamum, mastiche chia, asarum, crocus. Præstantius autem fit pharmacum ubi minus de aloe additur. Visum nanq; mihi est, nimiam eius copiam centum drachmas esse, ad proportionem reliquorum quibus hæ adduntur, quapropter etiam per xc. drachmas ipsum composui, & per lxxx. Quin & per pauciorem aliquando crocum, propterea quod quidam ex eius usu capite lædantur, quod ipsum sæpe ex solo croci odore perpetimur. Quare optima eius fuerit compositio, quæ ex aloes drachmis xc. & croci drach. v. constat. hac ego utor. His uero qui neq; croci odorem citra molestiam ferunt, sed statim capite replentur, ex quatuor croci drachmis pharmacum compono. Cogor autẽ assidue hoc pharmacum præparare, propterea quod non solum his de quibus iam dixi, sed & suffusorum speciem patientibus, aut etiam alia symptomata ex stomachi affectione habentibus, idipsum exhibeam, & præterea his qui aluo adstricta laborant, & mulieribus, quæ nõ probe purgantur. In quibus maiorẽ efficaciã habet, ubi aloes drachmæ lxxx. & croci vi. fuerint cõmissæ. præstat autem & carpesium pro asaro conijcere, quanq; etiam utrisq; coniectis aliquando cõposuerim. Datur ad summum ex pharmaco hoc drachma una, cum aquæ calidæ cyathis nõ plurib. quàm tribus. Minimum uero dimidium eius præbetur. Datur & intra hos modos, quantitate iuxta ætatem, corporis magnitudinem, & anni tempus permutata.

Quæ Archigenes consequenter ad primam dictionem scripsit in quibus est etiam Galeni censura. 10

De his quidem igitur qui caput ex stomacho dolent hæc suffecerint. Transeũdum itaq; iam ad ea quæ Archigenes post primam dictionem deinceps scripsit. Faciam autẽ iuxta singula ipsorum consimilem expensionem qualem circa primam feci, cõnectendo ad ipsa propter rerum cõsequentiam etiam ultimam ipsius dictionem, Sed nunc à secunda initium faciam. Archigenis. Irrigationes autem siquidem à frigore aut hyeme patiantur, conueniunt, oleum tepidum. Et, Illitio narium, succus à baccis lauri expressus, aut oleũ laurinũ, aut ungentum Syriacum, aut cicinum, aut styracinum, aut gleucinum, aut tale aliquod aliud calfactorium. Vt igitur à postremo exordiar, opinor ipsum resinam quæ sua sponte emanat dicere, quæ plurima in Lacedæmone prouenit, & Capnelæon, hoc est, oleum fumosum Ciliciæ, & Amaracinum ac Styracinum in Cyzico, & quod in Perga apparatur irinum. His uero ungẽtis nares oblinere operæpretium ducit, quo per odorẽ ipsorũ caput calefiat. quod ipsum inde euenire manifeste apparet, adeò ut & idiotæ uulgo his utantur, & maxime eis quæ facile parari possunt. Parabilia autem sunt alijs alia, quæ uidelicet apud singulos redundant. Et apud nos sanè in Asia agrestibus & ruri degentibus hominibus cedrino appellato uti mos est, & si quando eius inopia fit pisselæo, quo nomine id appellant quod ex oleo & liquida pice constat. Ammiscent autem tum huic, tum cedrino, oleum aliqui plus, aliqui minus, in quantũ uirium ipsorum uehementiã exoluere uelint. Vtuntur autem omnibus quæ dixi et circa caput, & præsertim circa sinciput ueluti dixi. Illinũt & frontem ex eis, & aurium meatus. quidã etiam uestigia pedum, ac sedem. Cæterum quum Archigenes succũ è baccis lauri expressum dicit, quod simpliciter laurinum dicitur ipsum nominare putandum est, uelut id quod oleũ ammixtũ habet, laurinũ oleum appellatur. Syriacum uero ungentum, eum dicere Comagenum existimo, quando quidem idipsum nobis ex Syria apportatur. Archigenis. Aestate uero aut ubi aliàs æstuose distendun-

stenduntur, per acetum & oleū, aut aquam & rosaceum. Amplius uero & per polygoni succū, aut portulacæ, aut solani, aut aliquo alio ex refrigerãtibus irrigato, spōgiasq́ posca imbutas capiti imponito. In hoc sane sermone uidebitur forte quibusdam negligentius legentibus, unam simplicē affectionem Archigenes curare, uerum nō ita habet. Ex eo enim quod æstuose dicit, calidam affectionem indicat: ex eo uero quod addit, distēduntur, affectionē quę hoc modo à flatu uentoso affligitur ostendit: ut nō solum secundum intemperiē mutata sit, sed etiam uaporosi flatus redundantia adsit. In principio itaq; in eiusmodi utrisque affectionibus, refrigerantium auxiliorum facultas apta est, quæ intemperiem calidam refrigeret, & uētosi flatus allationem repellat & retundat. Atque mea quidem opinione præstiterit diligentiorem rei inquisitionem facere. Aliquando etenim ex corpore uētosus flatus affertur, quemadmodum in doloribus capitis ex stomacho relatum est. Aliquando uero in ipso capite generatū. Venter nanq; interdum ægre solubili modo inflatur. Interdum uero etiam post ipsum sita intestina, quandoque quidem ieiunum, aut tenue intestinum, quandoque etiam colum. Nihil igitur mirum est, neq; impossibile, eandem affectionem in quibusdam iuxta caput partibus obortam, uentosum flatum generare, cuius generationis in locis circa uentrē causam inuenimus, tanti caloris inopiam, ut ex cibis ac potibus uaporosum & uētosum flatum generet, propter infirmitatem uero comprehensiuę facultatis, interna ita affectarum partium capacitas infletur & expleatur, ut propter expletionem quidem distendatur, propter tensionem uero dolore afficiatur. Inuentum equidem & hoc nobis in commentarijs est, in quibus communes & generales dolorum causas cōsiderabamus, quod ob dissolutionem continuitatis similarium partium, dolor oboriatur. Dissoluunt autem ipsam erodentia, dissecantia, distendentia, & uehementer calfacientia ac refrigerãtia. Quapropter in doloribus circa caput, ægros interrogare consueui, qualisnam eorum qualitas sit, Quidam enim uelut erodantur corpora, doloris sensum perceptant. Quidam uero uelut distendantur, aut grauentur, aut tundantur, aut solius uehementer inualescentis caliditatis aut frigiditatis. Siquidem enim uelut erodantur aut pungãtur senserint, uel humorum uel eiusmodi flatus acredo, causa putanda est. Si uero citra morsum distendantur, repletionem distensarum partium, uel per uentosum flatum, uel per multi humoris influxum, causam putabimus. In quo genere & inflammatio & erysipelas existit. Inflammatio quidem ubi inflammata corporis pars multum sanguinem in se continuerit. Erysipelas uero ubi biliosum continuerit humorem. Quod si ex utrisq; redundantibus pars aliqua expleatur, aut inflammatio erysipelata, aut erysipelas inflammatum oborietur. Et ne quis putet nos longū sermonem de una particula iuxta unū symptoma affecta facere. Comunis eñ omniū dolo-
A re affectarum ratio est, quam si quis diligenter in articulos digesserit, promptior ac expeditior ad auxiliorum inuentionem, in omni affecta parte fuerit. Artis etenim curandi cōiectura in affectionum cognitione maxime consistit. Quæ ubi inuētæ fuerint, curationem nō coniecturaliter sed scientifice indicãt, cum hoc quòd & cognoscere datur, quàm ægre aliquę affectiones medelis cedãt, in quibus rationabiliter iuxta indicationē remedijs utimur, etiam si nihil efficere in principio appareant. atq; hoc est quod in aphorismo dictum est, in quo ait, Omnia secundum rationem facienti, si iuxta rationem nō succedat, ad alia transeundum non est, sed perseuerandū in eo quod uisum est à principio. Aliquando enim adeò uehemen-
B ter in angustijs meatuum flatus uaporosus infarcitur, atq; eo adhuc magis uiscosus aut crassus humor, ut multo tempore opus sit ad curationē. Etenim quæ sic infarta sunt attenuare oportet, meatusq́ dilatare per quos excernantur, habita simul prouidētia nequid aliud, puta humor aut eiusmodi flatus, amplius influat: & ad hæc corroborandum est affectum membrum, ut neq; ipsum uētosum flatum gignat. Qui igitur primi ad eiusmodi affectiones pharmaca composuerunt, meritò uaria materia opus habuerunt: si quidem influētem substantiam siue humor, siue uapor fuerit, repellere necessarium existit: impactam uero concoquere & attenuare, eandemq́ ipsam discutere: atq; nihilominus, imò magis circa affectam partem fir-
C mitatem inducere, ne uidelicet quod influit suscipiat, attenuatum uero excernat, impactumq́ concoquat & attenuet. Verū in mixtura pharmacorum hac facultate præditorum, alius alio feliciore coniectura usus, alius minus, alius magis commodam fecit compositionem. Quapropter uelut nostis, ad uos enim sodales loquar quibus maxime hæc scribuntur, Duo omnino uidistis mihi præparata pharmaca eundem effectum promittentia, quandoq; etiam tria & quatuor, & ex horum mixtura in ægre curabilibus affectionibus à me sæpe quod oportuit, factum esse. Considero nanq; in quo eorum sit simplex pharmacum amplius calfaciens, aut frigefaciens, uelut etiam resiccans, aut humectans, aut tenuium partium, aut crassa-
D rum, Deinde cōtemplans quid effecerit quod ægro iam fuit admotum, secūdum usum aut per aliud quoddam, aut per hoc ipsum facio. Sæpe quidem ad aliud quod idē promittit transeo, aliquando uero utraq; cōmitto, ac medium quiddam ex eis conficio. Talia autem omnia abunde à me nō uniuersim tantum, sed & particulatim in medendi methodo relata sunt, nosseq; oportet, quod & iam ante dixi, hanc tractationem illam sequi, & cogor tamen etiã nunc rursus meminisse, quo magis ea quæ isthic tradidi assequamini. In prædicta itaq; affectione, calore doloroso prædominante unà cū flatu uentoso, in principio quidē repulsoria curatione utendū est, quæ ex refrigerantiū facultate cōstat: quod ubi moderate factū est, ex mitigatorijs ac cōcoctorijs quippiã ammiscere ad re

pulso-

pulsoria oportet, Deinde etiam discussoria addẽda, ita ut paulatim repulsoria pharmaca detrahamus, donec ad cõtrariam mixturã perueniat pharmacum ei quã à principio habuit: hoc est, ut plurimum quidem discussorium sit & attenuatorium, Minus uero concoctorium & mitigatorium, minimum autem repulsorium. Portulacam quidem igitur refrigerantis & aquosæ substantiæ esse didicistis. Minus eã polygonum. In solano autem tantũ ammixtum esse crassæ & terreæ, quantũ adstrictionis. Acetum uero repulsoriã simul & attenuatoriam, imò & discussoriam habet facultatem, utpote in temperatura à tenuium partium frigiditate exuperatum, quemadmodũ exacte serenus aquilonaris aer. Didicistis etiam rosacei facultatẽ, quod uidelicet & repulsorium quiddã habeat, habet autem & cõcoctorium et mitigatorium, et ad hæc etiã discussorium. Meritò igitur Archigenes in prædicta affectione eiusmodi pharmacis utiť, ipsum quidem per se solum acetum neq; alibi exhibens, neq; hic, ob facultatis ipsius uehementiã, ammiscet autem ei uel rosaceum uel aquã. Transeamus autem iam ad sequentem Archigenis dictionem. Archigenis. Si uero augescat affectio, perfecta cibi abstinentia cõgrua est, Deinde uenæ sectio è cubito, & alui euocatio per ualidũ clysterẽ. De his auxilijs dictũ à me prius est, quando Apollonij dicta cõsiderabam, ubi sane in biliosis causis famí renũciaui, uelut etiam uenæ sectionem in pueris & senibus ac uiribus debilitatis fieri prohibui: laudaui autem euacuationem per clysterem, nõ solum propter euacuationẽ eorũ quæ intestinis continentur, sed etiam ob reuulsionem eorum quæ ad caput feruntur: atq; ob id probe in his quæ scripsit Archigenes nõ simpliciter dixit, Euacuatio alui per clysterẽ, sed addidit ualidum: multum enim in huiusmodi clysteri sitũ est, quantum ad reuulsionem attinet, ultra hoc quod non solum ea quæ circa uentrem et Mesaræum sunt euacuat, sed etiam quæ circa hepatis sima hærent.

Archigenes. Irrigationes autem, Ruta cum aceto & oleo trita. Memores affectionis ad quã auxilia scribere proposuit, sic iudicamus unumquodq; eorum quæ recensere cœpit. Affectionẽ itaq; sic scripsit. Aestate uero aut ubi aliâs æstuose distenduntur. Deinceps uero refrigerantis facultatis auxilia subiecit, & postea inquit. Si uero augescat affectio, perfecta cibi abstinentia, & uenæ sectio, & clyster ualidus adhibeatur. & post hæc propositam conscripsit dictionem, in qua cum aceto & oleo tritam rutam adhibere iussit, non apponens an uiridem an aridam uelit. Est enim non parua differentia, quum arida multo acrior & calidior, quàm uiridis existat. Mihi sane uiridem consulere uidetur. neq; enim aceruatim à refrigerantibus ad contraria transgressus est. Acetum uero ad hoc quòd refrigerat et repellit, discussorium quid habere antea dictum est. Mitigatoriæ autem & laxatoriæ facultatis existens oleum meritò ipsis ammiscuit. Alia, Succus à lauri baccis expressus cũ aceto et ruta. hæc priore lõge efficacior existit. A Ad succum nanq; à lauri baccis expressum fortiter calfacientem, rutam ammiscuit cum aceto, relicto oleo. Alia, Succus radicum iridis cum aceto. Hoc remedium nihil calfactorium habet, melius itaq; fuerat ipsum primum in transitu ad præclariora auxilia positũ esse. Alia, Salicis folia trita cũ aqua. Hoc prescripto ex iride imbecillius est, atq; his quæ omnium primum scripta sunt simile, ut intempestiue nunc ab eo sit relatum. Alia, Serpyllum cum aceto & oleo tritũ. De aceto & oleo prius dictum est: adiecit autem nũc eis serpyllum acris qualitatis pharmacum, et ob id etiam calfactoriæ facultatis. Negligenter uero etiã hic reliquit, an uiride aut aridum uelit: præstiterit autem fortasis uiride intelligere. Alia, Polygonum cum ruta oleo & aceto dilutum. B Polygoni succo iuxta primã rationem ut refrigerãte usus est, nam & reuera talis existit, Quare etiam ad inueteratos dolores iuxta primum transitũ rationabiliter quis eo utetur, ruta ammixta. Animaduersione autẽ dignũ est in singulis cõtrarię facultatis pharmacorũ mixturis, ut in principio parũ ex prę stãtiore ammisceamus, iuxta secundũ uero & tertiũ usum, copiam augeamus. Alia, Amygdalæ amaræ delibratæ tritæ cũ aceto & oleo irrigationis modo adhibitæ, aut cerati crasitudine in linteolo fronti impositæ. Et hoc ad primum transitum pertinet. didicimus enim discussoriam citra mordacitatem facultatem amygdalas amaras habere. Alia, Ruta syluestris cum oleo & aceto eodem modo. C Inordinate rursus hoc ualde forte pharmacũ interposuit, in doloribus multum inueteratis merito adhibendum. Alia, Populi albæ fructus cum aceto tritus. Discussoriæ facultatis est albæ populi fructus. In quibusdã aũt exemplaribus nõ cum aceto, sed cum posca, scriptũ reperitur. Alia, Ocymi semen cum aqua. Ocymi semen calfactoriæ & attenuatoriæ est facultatis, non tamen uehementer. cũ aqua autẽ sola inueterata affectiõẽ minime rationabiliter quis eo utatur. melius enim erat oleum & acetũ, uelut in alijs dixit, etiã huic ammiscere. Alia, Facit & balsamum, peucedanum, castorium, simul & singulatim unũquodq; cũ oleo & aceto. Hoc pharmacum rursus uehemens est, maxime quũ ipsum peucedanũ solum adhibeat, citra castorij ammixtionem. D Quid uero balsamum nunc uocet, nõ habeo dicere, Num uidelicet plantæ semen, aut succum quẽ opobalsamũ uocant, aut ramulos ipsius xylobalsamũ appellatos. Melius tamẽ mihi uidetur opobalsamũ accipere, quod tenuiũ partium & discussoriæ substantię existit, nõ tamen manifeste calentis. Alia, Lauri folia, & populi albæ, & uiticis cum oleo & aceto. Et hoc pharmacũ ex simplicibus facultatibus differentibus cõposuit: lauri enim folia calidissima, uiticis uero moderate refrigerantia sunt: in medio utrorumq; populi folia existunt. Alia, Panacẽ cum oleo illinito. Nihil hic refrigerantiũ ammixtũ est, & ob id ualde inueteratis affectionibus & nihil amplius caliditatis habentibus utile existit. Quapropter meritò

ritò quis ipsum reprehenderit citra distinctionẽ pharmaca auxiliaria cõscribentẽ. Panacẽ uero negligenter nũc ipsum dicere puto, panacis radicẽ, neq; enim opopanaca putãdum est ab ipso panacem dictum esse, Differt autẽ à radice hic nõ paruo caliditatis excessu. Alia, Viticem aut mentã, amygdalas amaras, iridem, æquali mẽsura cum aceto & rosaceo mixta adhibeto. Aliorum uires supra relatæ sunt. Mentæ autem nunc primũ mẽtionem fecit, pharmaci calfactoriæ facultatis. Alia, Aut mororum succo cũ aceto ammixto rigato. Hoc pharmacũ euidenter apparet refrigerãtium medicamẽtorum generis ab ipso cõscriptorum esse, quæ incipiente affectione conueniunt, minimeq; recte nũc ad pharmaca auctis affectionibus commoda, ammiscentur. Alia, Inueterata autẽ affectione pilis denudato, illitionibusq; & rigationibus prædictis, crassius tamen apparatis utitor. Alia, Resinam cum melle temporibus & fronti illine. Aut muscerdas cum aceto & rosaceo. Tertium hoc tempus est & oportunitas in capitis remedijs adhibendis. Primum nanq; erat incipiente affectione. Secundũ uero ut ipse scripsit augescente. Tertium autem hic quũ ait inueterata, quod ipsum uehementioribus auxilijs opus habet, quorũ aliqua nõ recte priorib. ammiscuit.

De his qui ob biliosum humorem caput dolent. 11

Signa in his similia sunt eis quæ ex ardore oboriunt, accedit his maior morsus & faciei pallor, & aliquando oris amaritudo. Aetati autem uigoris, & tẽperaturis calidioribus, & uitæ curiosæ, & his qui flauã bilem cõgregant, hæc affectio præcipue cõtingere solet. Itaq; balnea temperata, & unctiões, et potus dilutus eis exhibẽda sunt, omisq; diæta liquidior & boni succi cõstituenda. Euacuandus itẽ biliosus humor per absinthij cremorẽ, aut per aloẽ, et per ipsam picrã antidotũ per se datã, aut modica addita scãmonia, uel per catapotia ex aloe cõfecta. Illinenda frõs pastillo croceo aut Trigono appellato, aut aliquo alio his consimili.

De dolore capitis per consensum. 12

Si quidem uniuerso corpori caput per consensum coafficitur, illi prospiciendum, tum intemperiei, tum materiæ prædominanti instando, easq; urgendo. Et si quidem humorũ multitudo & maxime circa uenas fuerit, uenam secabimus. Si uero qualitas magis inualuerit, purgatiuo pharmaco utemur. Si uero uni alicui parti condoleat, uelut hepati, aut uẽtri, aut stomacho, his ipsis auxiliabimur: calida quidẽ in ipsis subsistente intemperatura, panem ex uino diluto exhibẽdo, & sorbitiones ex alica, Et foris irrigationes moderate refrigerantes & firmitatem addentes, uelut antea dictum est. Si uero propter uiscosos & crassos in stomacho contentos humores, caput doleant, etiam hos exturbabimus, acetum mulsum in potu præbendo, tum simplex, tum Iulianicum appellatum. Ex hyssopo etiam ac origano potionibus, & quę his adhuc fortiores sunt magisq; incidendi ui preditæ, utemur, & uomitu à raphanis, irrigationibusq; ac cataplasmatis calidioribus.

De capitis in febribus dolore. 13

In doloribus capitis qui in principio cũ febribus irruunt, uena secãda est post primã aut secundam remissionẽ, nisi quid impediat, & præsertim in corporibus bonæ habitudinis & multo sanguine redundantibus. Animaduertendum aũt num ob uapores à uentre sublatos, aut ob alui suppressionẽ capitis dolor contingat. Quod si serius post septimum tãdem irruat diem, aluo per clysterem qui aliquid operæpretij faciat preeuacuata, cucurbitæ ad occiput siue ceruicem affigantur, caputq; rigationibus ex oleo mitigetur, rosaceo quidem in calidioribus ac hora æstiua, et cum modico aceto, Chamæmelino uero in frigidioribus habitudinibus ac hyeme, quinta aceti parte adiecta. Illinẽda frons ex cyphi in frigidioribus, ex crocomagmate in calidiorib. Cætero ad capitis dolores ob febris magnitudinẽ obortos, medelæ præscriptæ sunt in febriũ tractatu. Porrò uitare oportet hæc, nõ solum in dolore capitis per consensum stomachi oborto, sed omnibus etiã alijs circa caput obortis affectionibus. Sunt aũt ea quæ sequutur. Viticis semen, absinthij succus, lac in potu, glandes quercinæ in cibo, oliuæ nigræ, arbuti fructus mæmecylon Græcis appellatus, eruũ, quod ipsum etiam articulos dissoluit. Amplius autẽ offendunt myrrha, thus, hederę cacumina. Mentem etiã perturbant lentisci fructus, crocus, peucedanũ, cyclaminus sicca cũ uino potata. Styrax modicus quidem potatus tristitiam uultus discutit, multus uero somnos multum turbulentos inducit.

De Cephalæa capitis dolore antiquo. Cap. 11

Cephalæa inueteratus & ægre cedens capitis dolor appellaẽ, qui ex facili occasione, maximas exacerbationes habet, adeò ut neq; strepitus, neque uocem uehementiorem, neq; lumen splendidum, neq; uini potum, neq; odoramenta caput replentia tolerare possint, neq; item motum, sed in quiete et tenebris ob dolorũ magnitudinem decumbere uelint: tanquam à malleo enim pertundi sibi uidentur. Quidam enĩ uelut contundantur aut distendãtur ea quæ circa caput sunt sentiunt, non paucis uero usq; ad oculorum radices dolor progreditur. Habet autem hæc affectio aliquãdo quidem continuos dolores, aliquando uero exacerbationes & interualla siue ordinata, siue inordinata. Intermittunt enĩ quandoq; eiusmodi exacerbationes, uelut in comitiali morbo apprehensis, interceditq; tempus aliquod quod omnino accusari non potest. Manifestum igitur est hãc affectionem consimilem aptitudinem capitis ut facile lædatur, uelut in cephalalgicis habere. Verũ ad maiorem debilitatem deueniunt in hac affectę capitis partes, Et quidã ex eis cerebri inuolucra dolitant, quidam uero membranam tãtum caluariã ambientem. dolores igitur cum grauitate, humorum multitudinẽ significant, cum mordacitate uero, aut humorũ aut uaporum acredinẽ, cum pulsu aũt inflammationem: cum tensione uero, si quidẽ citra grauitatem & pulsum fiat, flatus tenuis & uẽtosi multitudinem demonstrant: cum pulsu uero, membra-

mēbranosi corporis inflammationē. Si uero cum A
grauitate distētio fiat, humorū multitudinē intra
mēbranulas cōtentam. Et dolores quidē in super
ficie hærentes, mēbranæ os caluæ ambientis affe-
ctionē significant: qui uero in profundo sunt, ce-
rebri inuolucrorū. Quibuscūq; ēm affectio intra
caluariā est, his usq; ad oculorum radices dolores
procedunt, propterea quod oculorū tunicę ex ce
rebri inuolucris habeant ortū. Si uero humor pu-
trefactus calidior fiat, cū febri caput dolitāt: febri
citant aūt omnino & qui ex inflāmatione dolent.
Si quidem igiť humorū aut uaporū multitudinē
repereris causam, si quidē propter totius corpo-
ris repletionē facta est, uniuerso corpore euacua-
to capitis dolorē sanabis. Si uero uelut debile exi
stens caput ad se sublatos humores ac uapores su B
sceptet, materiā reuellere oportet in totū corpus,
atq; ita particulæ mederi. Per clysteres itaq; reuul
sio fit, & ligaturis extremitatū, & pluribus infer-
narū partium confrictionibus, Interdum etiā san
guinis ex cubito detractione. Quod si amplius
sanguis redundare uideatur, etiam ex naribus a-
perta uena, & quantū sufficere uideť sanguine e-
uacuato. Deinde hierā dabimus exacutam, & po
stea apophlegmatismis pituitā detrahētib. & me
dicamentis quæ naribus indunť utendū est, qua-
lia sunt quæ ex elaterio & cyclamino cū lacte &
porro apparanť. Caput autē curabis, quando qui
dem reuulsorijs uti oportet, per repulsorias irriga
tiones. Cæterum post totius corporis euacuatio-
nem, iam caput euacuantibus uteris, deinde his C
quæ firmitatē addere possunt admotis. Repellit
igitur oleū omphacinū, & rosaceū, per se & cum
aceto, & ex papaueris capitibus, & oleæ teneris
germinibus, & hederæ cacuminibus, ac menta ui
ridi apparatum. Afferantur autē remedia tepida
quidem, ubi frigidior & crudior fuerit humorum
multitudo, frigida uero ubi calidior & biliosior
extiterit. Discutit autem oleum dulcissimum cali
dum, & magis inueteratum, itemq; sicyonium. Si
uero crassior sit humorum multitudo, spondyliū,
aut serpillum, aut pulegij comā aut calaminthen,
aut mentam oleo incoquendo, multitudinē eua-
cuabis. Eadem hæc etiam firmitatem parti addūt,
quapropter usq; ad perfectam curationem eis uti
conuenit. Omniū porrò lōge maxime discutit & D
perfecte corroborat, uerbenaca recta maxime ui
ridis, Imò & arida cum radicibus & simul cum ser
pyllo, oleo incocta. Conijcienda etiam ad ea cro-
codiliadis maximæ iuxta aquas nascentis radix.
Quin & ipsam per se uerbenacam si oleo incoxe-
ris, caputq; inde rigaueris, omni capitis dolori an
tiquo ex frigiditate, aut ex crassis humoribus ob-
orto medeberis. Maxime etiam prosunt sub aqua
rio uase nascentes aselli, Millepedę appellati, si o-
leo incoquantur.

Archigenes de Apophlegmatismis. 2

Post hæc uero Apophlegmatismi quib. pituita
à capite detrahiť, ex sinapi aut hyssopo cū passo
cocto, aut ex staphide syluestri cū pipere & melle
trita, aut ex oleo ammixto melle, aut ex staphide
syluestri per se uel cū melle trita, cōueniunt. Ga
lenus. Pharmacorū quę pituitā à capite euacuāt,
& medicis pro more Apophlegmatismi appellā-
tur, materiā postea referā. Nunc aūt tantū ostēde-
re cōmodum fuerit, ꝙ hocce auxiliū pituitā infe-
stāte auxiliare est, quemadmodum sanè & ipsum
nomen eius apud Gręcos ostēdit. Archigenes au
tem calidā & flatuosam affectionē se curaturum
pollicitus est, non frigidā & pituitosam. Archi-
genes. Iuuanť aūt plurimū lauri, aut rutæ, aut pa
nacis, aut papaueris capitum, aut baccarū lauri de
cocto perfusi. Galenus. Fortibus calefacienti
bus pharmacis, nō scio quomodo papaueris capi
ta non instrennue refrigerantia annumerauerit,
quū in sermonis cōtextu singulis dictis aliquem
per se uti posse ostenderit, & fortasse etiā aliquan
do simul mixtis: nō tamen manifestū fecerit, num
quippiam ex papaueris capitibus ipsis adijcien-
dū sit, quo uidelicet aliorū pharmacorū uehemen
tia minuať & mitigetur: an & solis aliquando utē
dum sit, quod sanè incipiente & augescente affe-
ctione tempestiuius fieret. Inueterata ēm affectio
ne nō solum nō prosunt, sed etiam nocentiora ca
pita papaueris existunt. Archigenes. Cōmo-
dum est & ex salibus fomentū. Galenus. Om
nem rationem Archigenes hic cōfudit, quum fo-
menti mentionem faciat per pharmacū resiccans
quidem non strennue, uerū & calfactorium quid
dam in se habens. Meminisse ēm eum oportebat,
ꝙ quum calidā affectionem curare assumpsisset,
aut semper ab illa ipsa indicationem seruaret, aut
de trāsmutatione in diuersam speciem quippiam
diceret, iuxta quam temporis progressu calore se
dato, obturatio, aut intensio, aut tale quiddam ac
cessisset, quod cōtraria curatione indigeat, et nō
ea quæ in principio fuit determinata. Archige
nis. Post perfusiones uero aut fomenta iuuātur
si lini semen rosaceo infartum adhibeas, & lanas
sordidas ex aceto rosaceo calidas circūponas ac
obliges. Galenus. Hoc mitigatiuum est auxi
lium, quum uehementer infestat dolor, unà cum
hoc quod & subiectæ cōmodet affectioni. Qua-
re ubi ad intensum capitis dolorem remedia scri-
psit, isthic præstiterat etiam de hoc fomento men
tionem facere, Verum pro præsenti temporis o-
portunitate, de qua nunc sermo instat, si quis fo-
mentis aut cataplasmatis uti uelit, fomenta ex mi
lio meliora fuerint. Quemadmodum ēm Hippo-
crates ait, leue & lene miliū existit. Sales uero ob
grauitatē molesti sunt præsertim capiti admoti.

De cataplasmatis in capitis dolore. Archigenis. 3

Cataplasmatis uero utere ordeacea cruda fari
na quæ iridē cōtusam habeat ammixtā. Aut rutæ
semine eodē modo. Aut fœniculi radice similiter.
Aut cruda ordeacea farina cū aceto mulso appa-
rata. Aut polenta & pulegio mixtis. Galenus.
Et hæc cataplasmata ad secundā temporis opor-
nitatē pertinēt, quā supra augescente capitis do-
lore constituit, nam & hunc mitigāt, & affectio-
nē iuuant. Archig. Aut Nilei pharmacum ca-
storij & iridis decima parte ammixta, cū aceto &

rosaceo imponito. Nilei quidem igitur pharma cum quod ad emplastri formã paratũ est, iam olim nobile & laudatum pharmacum est, & ob id omnibus notũ. Promittit autẽ reliquiarum inflãmationum in præcordijs inueteratarum curationem. Verum eorũ quæ ei ammiscentur castorij uidelicet & iridis Archigenes obscure mixtionem conscripsit. Incertum enim num alterius ipsorum decimam Niliaci malagmatis partem esse uelit, an utriusq;. Verum mihi præstabilius uidetur utriusq; decimã partem ammiscere. Oportet autẽ castorium atq; iridem probe trita esse, & Nilei pharmaco diligenter emollito paulatim hæc ammiscere, manibus partim rosaceo, partim aceto madefactis. Aut nuces amaras decorticatas, & rutã, ac parum ex iride, cum aceto & rosaceo cõmittito, & malagmatis forma imponito. Quum eiusmodi multa pharmaca circa secundũ propositę affectionis tẽpus Archigenes conscripserit, facultatis ipsorum expositionẽ in illis feci. Aut uiticis seminis, perseæ uiridis foliorũ & myrrhæ, æquales partes cum ungento Aegyptio fronti cataplasmatis modo imponito. In sola Alexãdria perseæ arborem uidi, & in nulla alia Romanis subdita gente. Quidam Persion ipsam appellant, aiuntq; in persis lethalem eius arboris fructũ esse, qui in Aegyptiorũ regione innocuus existat. At uero Aegyptium ungentum, nõ solum sic, sed & Mẽdesium nominatur, Quidam etiam Megaleũ uocari aiũt, utroq; cognomine à Megalo, qui ipsum composuit accepto: & ab illius quidem proprio nomine in denominatiuorum forma Megaleum, à patria uero ipsius Mendesium appellari. Est autem laxatorium & sedat dolores. Aut sulphur, castoriũ, baccas lauri, æquis portionibus cum cerato rosaceo infarta, temporibus & frõti imponito. Hoc pharmacum multum calfacit, & frigidas affectiones relaxare potest. Aut castoreum & peucedanum pari mensura. Consimilis est & huius pharmaci facultas cum præscripta. Quod si affectio perseueret, uenę sectione à naso aut fronte, aut cucurbitis ad occiput affixis utitor. Sanguinis à locis affectis detractiones in affectionibus inueteratis conuenire omnes ferè medici confitentur, Verum cucurbitæ ad occiput affixæ, ex reuulsorijs auxilijs sunt, quũ humores ad oculos, aut ad anteriorem capitis partem ferri consuetos auertere conamur. Aut sternutatorio quopiam concutito, fasciolaq; collo circumposita spiritum cohibere iubeto. Vtilitatẽ ex hoc auxilio indicauit, per uerbi concutito adiectionem, Quod uero fasciolam collo circumdare iubet, ad uehementiorem affectionem pertinet. Aut per nares purgato. Hoc præfatus deinceps ea quæ per nares purgant recenset. De quibus ego sermonem faciam, uelut etiã de Apophlegmatismis, ubi pharmacorũ: quæ capiti adhibentur tractationem absoluero. At uero in uehementer inueteratis, sinapi ut moris est capiti adhibe & perurę. In omnib. plurimum inueteratis affectionibus quum nihil profecerint reliqua auxilia, curationẽ Metasyncriticã à Methodicis appellatã, omnes ferè adhibere cõsueuerunt, prioribus medicis haud scio qua ratiocinatione primũ ad eius usum progressis. Ego uero quũ intemperies quæpiam humida & frigida, aut per seipsam, in partibus affectis adest, aut propter eiusmodi humorũ frigiditatẽ fuerit oborta, ex sinapi et thapsia ac similib. adhibeo pharmaca. Calidis uero & siccis nõ adhibeo. Cæterum hi qui affectiões cognoscere nõ possunt, ad eiusmodi pharmaca uelut ad sacrã appellatam anchorã confugiunt, & ob id sæpe quod conuenit perficiunt, quod plerosq; hominũ eiusmodi affectiones propter malam & uitiatam diætam infestent.

Archigenes, De his qui ex ebrietate caput dolent. 4

In his qui ebrietate caput dolẽt, iridem siccam & uiticis folia ex aceto & rosaceo adhibe. Aut apij comas coctas ex uino impone. Aut pulegium ex uino eodem modo. Aut Mendesium ungentũ per se, uel cum anserino adipe irrora. Aut myrrham cum uino Mendesio impone. Aut rutæ folia, baccas lauri, uiticẽ, populi albæ fructum, æquali mẽsura trita, cum aceto & oleo tepefacta irrora. Cæterum Amethista quæ ab ebrietate præseruent, eiusmodi esse poterunt, Absinthium mane ieiunis bibendum præbe. Aut myrti florem & myrrham ac rutã trita ex aqua. De his qui ex ebrietate caput dolent satis dictũ à me est quũ ea quæ Apollonius ad hanc rem tradidit expenderem. At uero post hanc pręscriptam Archigenis dictionẽ, alia sequitur de his qui caput ex stomacho dolent, de qua iam dictum est.

Eiusdem Archigenis amuleta quæ capiti coronæ modo circumposita & alligata, dolorem eius arcent. 5

Quandoquidem uero & Amuleta ad dolorem capitis Archigenes scripsit, quę quidẽ nullam medicam rationẽ habent, ea his qui talia per experiẽtiam cognouerunt, et secundum mirabilem quandam contrarietatem homini incognitam efficacia esse dicunt, relinquam. Quæ uero ab eo iuxta medicam rationem tradita sunt selecta referam tantum, iuxta illius ipsius dictionem, quemadmodum hactenus de pharmacis facere cõsueui. Polygoni duos ramulos coronæ modo imponito. Quòd polygonum calidis & flatuosis capitis doloribus conueniat, ipse prius dixit, Nihil itaq; miri est in talibus sæpe ipsum iuuisse. Nã propter ardorem & ebrietatem dolores capitis assiduè contingunt. At uero ꝙ duos omnino ramulos esse oporteat, ab illis adiectũ est qui polygoni utilitatẽ ex incognita contrarietate, & nõ ex ipsius temperamento procedere uolunt. Aut cichoriũ quod Romani Intubum olus appellant, ægri capiti imponito, & maxime si ex ardore doleat. Ego uero etiã apponam, si ex ebrietate. Sic enim & rosaceæ coronæ iuuant. Eas igitur uolenti itidem licebit adscribere, numerumq; quemcunq; tandem uelit addere, & ex totidem rosis nexam coronam capiti mederi asseuerare. Deinceps Callitricho coronare caput operæpretiũ ducit, quod Trichomanes, inquit, quidam appellant. Ego uero eos qui de herbis scripserunt Adiantum magis appella-

pellare Callitrichum scio quàm Trichomanes.
Deinde paulo pòst philanthropo herba coronari
iubet,& palmulę masculę cortice summo. & post
hæc,in hæc uerba scribit. Aut aduersus solẽ ægrũ
expositũ,donec dolor quiescat finito. In Amule
torũ catalogo & hoc ab eo relatũ est, quod quidẽ
ex frigiditate dolens caput iuuare potest, si neq;
humorib.omnib.æqualiter redundet homo, neq;
ex cruditate laboret,aut aliquẽ uitiatũ humorem
in uentre,maxime circa cauitatẽ eius habeat: ue-
rum calidos capitis dolores, ex quorum numero
sunt & ex ardore ac ebrietate oborti, nõ parũ læ-
det. Cõsimilia his deinceps scribẽs ad chamæme
lũ peruenit, cuius experiẽtiã habemus ꝙ capitis
dolorẽ iuuet,si quis eo,uelut ante dictũ est, queat
uti. Appellat aũt Archigenes anthemidem hanc
herbã,quẽadmodũ alij multi, & ait florẽ quidem
ipsius tritum,olfactu prodesse, folia uerò summe
nocere.liberat à capitis dolore uerbenaca herba,
quã aliqui hierã,id est sacrã uocãt, tũ coronæ mo-
do circũposita,tũ illita ex rosaceo & aceto. Hoc
auxiliũ oportebat eum nõ nũc inter amuleta, sed
prius inter medicamenta referre, si quidem adeò
ei cõfidit,per longã experientiã cognito & pro-
bato.aut testudinis palustris quã quidã ammyda,
hoc est lutariã uocãt, sanguinẽ sincipiti instilla. et
hoc si quidẽ uerũ est,inter pharmaca & cũ discri-
mine referri cõueniebat.nisi sanè hoc uult ꝙ om-
nẽ capitis dolorẽ iuuet,idq; omi tẽporis occasiõe.
Ita em̃ & nos cõtrarietatis testimoniũ ei præbebi
mus,nõ efficaciæ quã ex tẽperamẽto habet. abso
luto igit̃ de amuletis sermõe, deinceps hęc scribit

Archigenis de fissuris & contusionibus in capite. 6

De uulneribus porrò in capite factis deinceps
dicet. Parua autem fissura facta, aliqui myrrham
aceto tritã,aut aloen cum linamentis indunt, glu-
tinaturq; ita & absq; inflãmatione mirabiliter ad-
seruatur. Cæterum in contusionibus citra dispara
tionem ac fissuram circa caput factis, polenta im-
posita commoda est. Amplius uerò et Oesypum,
hoc est lanæ sordes, atq; ipsæ adeo lanæ sordibus
sudoris succidæ, eodem modo. Magis autem
proprie similaginem ex aqua pro cataplasmate
impones. Aut origanum cum polenta. Hæc
utilia iudicata esse quid attinet referre? Verum al
terius negocij atque operis sunt, quàm ut ob hu-
iusmodi causam caput dolentibus apta esse iudi-
cans ea adscripsisse putandus sit. Sed ut quæ ob-
ortas inflammationes curare, aut easdem prohi-
bere possunt. Atqui in aliquibus exemplaribus
hæc in totum non habentur, uelut in alijs etiam
plura his in huncce modum. In mediocribus
capitis uulneribus, aut quæ omnino legitimo me
dico non habent opus, in quibus quidem nudi-
tas per se non adest, pilos rademus, fibulisq; im-
positis constringemus, ac glutinantibus experi-
mento cognitis utemur. Egregie glutinat uul-
neratam cerebri membranam, calaminthæ suc-
cus infusus, & farina milij arida inspersa, deinde
butyro, & rosaceo, ac adipe suillo ueteri mixtis
ac tepefactis infusis. In quibus uerò os denuda

A tum est, diuisa membrana caluariam ambiente,
os ipsum scalpemus, & per suturæ adductionem,
tanquam non sit denudatum curabimus. Si uerò
non permaneant suturæ, iuxta concarnationem
uelut etiam aliorum uulnerum curam faciemus.
Referetur autem huiusmodi curationis ductus
in proprio loco. Cæterum in quibus uulneri-
bus aut propter paruitatem, aut alias suturis uti
non licet, linamentum conuulsum cum aceto &
oleo imponito, aut cum myrti succo, aut lentisci,
aut rubi, aut conyzæ tenuia folia habentis, ad a-
liquem eorum modico ammixto melle ita ut li-
namentum ex his imbutum imponas. Et folijs a-
licuius ex prædictis pro cataplasmate utitor.
Aut spongiam nouam aceto & oleo imbutam im
B ponito. Aut lanam sordidam eodem modo.
At uerò ad ipsum uulnus brassicæ folia apponi-
to, aut polentam aceto subactã per se imponito,
aut cum brassicæ folijs tritis. Hæc quidem Ar-
chigenes scripsit ad capitis dolorem, discrimini-
bus simul quibusdam additis, quemadmodum e-
tiam Apollonius fecit. Asclepiades uerò uaria
quidem pharmaca scripsit, sed eorum discrimina
iuxta affectiones non ita multum apposuit, sed
saltem in incipientibus & inueteratis, quanquam
neque hoc in multis fecerit, sed in primo solum,
& postremis duobus. Postrema igitur credere
quis possit inueteratis efficacia esse, utpote ex
fortibus simplicibus pharmacis composita: pri-
mum uerò ob id fortassis solum quis in usum ta-
C lem adsumpserit, quòd papaueris succum non
paucum ammixtum habet: huiusmodi autem di-
dicimus, non propterea quòd affectionibus pro-
sint, sed quòd sensilem facultatem stupefaciant,
dolores mitigare solere. Quare etiam ea om-
nia deinceps à me conscribentur.

Quæ Asclepiades ad capitis dolorem in primo externorum scripsit. 7

Ad recentes capitis dolores irrigatio, qua u-
sus est Nicomedes. Foliorum rutæ drachmas ij.
mentæ drachmas duas, peucedani drachmas qua
tuor, iridis drachmas duas, seminis ocymi drach.
octo, seminis papaueris nigri drachmas quatuor,
alij drachm. octo. poscæ heminas duas, ad dimi-
D dium coquito, et expressum succum cum rosaceo
conquassato, & caput assidue ex eo irrigato.
Aliud, quo usus est Charicles. Amygdalarum
amararum depuratarum drachmas duas, seminis
uiticis drachmas duas, radicis peucedani drach-
mas duas, mentæ uiridis siue aridæ drachmas ij.
ramulorum rutæ drachmas duas, baccarum lau-
ri depuratarum drachmas duas, serpylli drach. ij.
sphondylij drach. ij. castorij drac. ij. rosarũ uiridiũ,
aut siccarũ drach. quatuor, aceti heminas ij. rosa-
cei quod satis est, apparato ac utere ut dictum est.

Pastillus ad capitis dolorem, quo usus est Antonius herbarius, qui multa artis experientia clarus fuit. 8

Succi peucedani drachmas sex, succi papaue-
ris drachm. quatuor, croci drachm. quatuor, myr-
rhæ drach. quatuor, scammoniæ drach. quatuor,
omnia trita cũ aceto in pastillos redigito, eosq; in

umbra resiccato. Vsus autem tempore aceto dilutos fronti illinito, à tempore altero initio sumpto & usq; ad alterum tempus progrediendo. In febricitantibus ex aqua illinito. Quo Alexander usus est sic habet. Peucedani radicis aut succi drac. unam, croci drach. unã, myrrhæ drach. unam. opij drach. unam, aceto excipe, ac redige in pastillos: usu uerò exigente, aceto dissolutos locis sensum doloris perceptantibus illinito. Aliud Antigoni qui in castris exercitus insignis medicus fuit. Baccarum lauri siccarum purgatarum tritarum drach. quatuor, scammoniæ drach. quatuor. succi papaueris drach. quatuor, seminis apij drac. octo, croci drach. octo, myrrhæ drach. quatuor, omphacij drach. quatuor, serpylli drac. octo, aceti quod satis est, præpara ac utere ut dictum est.

Ad inueteratum capitis dolorem epithema, quo Charicles usus est. 9

Retrimentorũ quæ ab expresso irino unguento supersunt, peucedani, castorij, singulorum partem unam, baccarum lauri partes ij. seminis uiticis partes ij. rosarum siccarũ partes ij. ramulorum rutæ partes quatuor, aceto dissoluta cerato ex rosaceo apparato excipito, deinde linteolo impacta prærasis capillis per omne caput imponito, & fasciola obligato, atq; usque in sequentem diem obligata custodito, rursusq; imponito. Aliud ualde bonum, Amygdalarum amararum, floris uiticis, peucedani radicis, mentæ uiridis, ramulorum rutæ, baccarum lauri, serpylli, spondylij, castorij, singulorum partem unam, rosarum partes duas, appara, & utere ut dictum est. Post hæc præscripta pharmaca Archigenes & Apollonius itemq; Asclepiades, pharmaca cõscripserũt, quorum aliqua per os, aliqua per nares caput purgãt. Ceterũ quæ Archigenes tradidit hęc sunt iuxta illius ipsius dictionem.

Archigenis de apophlegmatismis, & quæ naribus infunduntur. 10

Post hæc uerò apophlegmatismi ex sinapi aut hyssopo cum passo cocto, aut ex staphide syluestri cum pipere trita, aut ex melle oleo ammixto, aut ex staphide syluestri per se, & cum melle trita. Hæc quidem Archigenes inter remedia doloris capitis scripsit. Apollonius uerò de his quę ad dentium dolores, in primo parabilium tradidit, hæc uerba scripsit. Quæ naribus infundantur in dentium dolore. Radicis betæ succum per se in nasum infundito, & dolores dentium soluet. Aliud, Cumini quantum tribus digitis apprehendi potest, & myrrhæ ad magnitudinem fabæ, medullæ cucumeris syluestris duplũ, trita & lacte muliebri subacta in collyria redigito, eaq; in utramque narem indito. Deinde quàm diu quis quinque stadia percurrere possit adtrahere, & postea emungere iubeto. Hoc pharmacum & ad aurium dolores facit. Asclepiades autem in primo exteriorum ita scripsit. Asclepiades de his quæ naribus induntur, & de sternutatorijs, & apophlegmatismis pituitam è capite detrahentibus. Erhina quæ naribus indita caput purgant, commodant etiam ueteri lippitudi- A ne oculorũ infestatis, faciunt & ad comitiali morbo apprehensos. Ducuntq; multam humiditatẽ. Melanthij drachmas octo, salis ammoniaci drac. unam, elaterij drach. unam, trita & quàm tenuissime leuigata, sicyonio oleo, aut irino unguento, aut cyprino excipe quoad ad cerati liquidi crassitudinem perducantur, & reconditis in cornea pyxide utitor, sublitis inde naribus, atque ægris attrahere iussis. Aliud, Citra molestiam purgans, doloremq; euestigio sedans. Cyclamini siccæ drach. octo, iridis siccæ drach. ij. nitri rubri drach. unam. Ego elaterio usus sum diligenter trito, & per arundinem insufflato, ægro ipsum attrahere iusso, atque deinde deorsum pronuere, quo uidelicet coactus liquor destillet. Post hæc uerò B Asclepiades in hæc uerba scripsit. De sternutatorijs. Sternutatoria caput purgantia Heraclidæ Tarentini, Cumini æthiopici, piperis albi, struthij, castorij, singulorũ æquales partes contusas & cribratas in ærea pyxide reponito. Vsu uerò exigente, pyxidem cõcutito, et apertam naribus admoueto, aut cum digito adhibeto, aut etiam per arundinem insufflato. Aliud, Zingiberis drac. ij. struthij drach. ij. piperis albi drac. unam, casiæ drachmam unam, utere ut dictũ est. Ad ueterem capitis dolorem sternutatoria Ptolemæi. facit ad uertiginem & comitiali affectos. Veratri albi drach. iiij. alij unã habet, radicis cucumeris syluestris ʒ.i. struthij drac. i. nitri rubri drac. unam, castorij drach. unam, piperis albi drachm. C unam. Vtere ut dictum est. Aliud, Veratri albi, radicis cucumeris syluestris, struthij, singulorum partes duas, castorij, acori, nitri rubri, cumini æthiopici, singulorum partem unam, euphorbij partem unam, tritis ut dictum est utere. At uerò post dictorum sternutatoriorũ descriptionem Asclepiades in hunc modũ scripsit. Quæ mansa caput purgent, & multam humiditatem ducãt.

Piperis albi drachm. duas, staphidis syluestris drach. duas, casiæ drach. duas. Excipe uuarũ passarum exacinatarum, aut ficuum pinguium carne, & mandenda præbe. Mandentes uerò deorsum pronuere oportet, & per interualla hiare, quo collectus humor destillet. Post uerò etiam aqua calida in ore continenda, quæ etiam ubi multam per- D ceperint mordacitatem eis exhibenda est.

Aliud, Staphidis syluestris, pyrethri, piperis albi, hyssopi, cardamomi, singulorum æquales partes, polentę duplum, aqua subigito ac utitor ut dictum est. Porrò ex subscriptis pharmacis quibusdã præceptores meos usos scio, quibusdã amicos, aliqua etiã ipse in usum assumpsi, ut ex multo usu fidem suam mihi probauerint. Sunt autẽ hæc, Foliorũ cucumeris syluestris succus narib. infundit tũ per se solus, tũ betæ addito decocto aut succo. Aliud, Myrrham melle coctã naribus infundito. Aliud, Aloes, nitri, melanthij, parẽ mensuram cum oleo ueteri ad strigmentorum crassitudinem redacta. Aliud quod manditur. Nitri sexuncem, anisi trientem, staphidis syluestris quadrantem, foliorum lauri uiridiũ, & uuæ passæ

exacinatæ pari mensura excipe, & ex hac mixtura pastillos trium drachmarum coge, & singulos usu expetente mandendos præbe. Aliud quod naribus inditur. Euphorbij drach. dimidiam, thapsiæ drach. unam, iridis drach. unam, mellis cocti sesquidrachmam, succi radicis betæ quantum sufficit. Ex hoc ad milij magnitudinem accipe, & aqua dilutum specilloqꝫ exceptum naribus infunde. Aliud quod naribus infunditur. Succi cyclamini cyathos duos, succi foliorum hederæ cyathum unum, peucedani obolum unum, elaterij obolum unum. In uitreo uase recondito, usu uero expostulante lacte muliebri dissoluta naribus infundito. Aliud, Myrrhæ trientem, euphorbij trientem, piperis albi grana uigintiquinqꝫ. Myrrham aqua prius dissoluito, unaqꝫ ipsum euphorbium, deinde piper tritum addito, & adiecto olei gleucini sexunce utitor. Aliud, quod naribus infusum multam pituitam per os detrahit. Olei communis sextarios duos, saponis libram unam, resinæ frictæ sesquilibram, opopanacis unciam unam, per anchusam colorato ac utitor, ore prius aqua expleto. Aliud quod in os illinitur. Saponem betæ succo dilutum iuxta palatum illinito, atqꝫ itidem iuxta oris columellã. Idem etiam naribus infundi potest.

Quæ Crito in primo de pharmacis scripsit his uerbis. Apophlegmatismi. 11

Staphis syluestris per se & cum pulegio mansa. Aliud, Staphidis syluestris & origani utriusqꝫ acetabulum, nitri drachm. ij. trita cochlearij mensura manducanda præbeto, donec os pituita repleatur, deinde aperto ore effluere sinito. Aliud, Origani trientem, hyssopi drachm. quatuor, staphidis syluestris drachm. quatuor, spumæ nitri drach. ij. sinapis drach. ij. pyrethri drach. tres. tritis utere. Aliud, Sinapis partem unam, staphidis syluestris partem unam, cõtusis utere. hoc pharmacopolæ utuntur. Aliud, Hyssopo, thymo, origano, tum per se, tum simul mixtis utere. Aliud, Medullæ colocynthidis in aceto ad multum tempus coctæ, aut etiam per longum tempus in uino maceratæ, liquorem in ore contineto. Aliud, Allia cum erucæ semine & nitro. Aliud, Staphidis syluestris drachmas septem, pyrethri drachm. quatuor, hyssopi drachm. unam. Contusa in orbiculares pastillos cogito, eosqꝫ drachmæ pondere formatos manducandos exhibeto.

Quæ pharmaca naribus indenda Crito ictericis seu arquato infestatis conscripsit. 12

Pharmacum quod naribus infunditur, & tum per nares, tum per os excernit. Ob idipsum uero ne consterneris, si palatum calefaciat aut exasperet. Ex alto enim auocat ac transfert humores. Staphidis syluestris drach. unam, melanthij drac. tres. Cum aceto trita ad formam strigmento liquidiorem redigito, & per dies quinque in nares infundito, donec expurgetur æger. Id autem alternis diebus facito. Aliud, Hederæ folia decẽ, lauri folia decem, cum oleo terendo ad strigmen-

A ti crassitudinem redigito, & naribus similiter instillato. Aliud, Egregie facit & elaterium in sufflatum in ipsorum nares. Cæterum si quis hoc citra detrimentum facere uelit, in calidæ solium ægrum immittet, atqꝫ ita toto corpore præter faciem in eo immerso, elaterium insufflabit. Large enim bilem per nares educit. Aliud, Elaterium ad magnitudinem erui, in lacte muliebri dilutum naribus infundito, atqꝫ ubi purgatio prodierit, in calidæ labrum demittito ac lauato, & per diætam reficito.

Quæ Aeneas per experientiam pituitam detrahentia tradidit. 13

Quorum experientiam per Aeneæ usum habeo, à quo etiam descriptiones accepi. Pharmacum quod naribus inditur atqꝫ pituitã detrahit.

B Saponis lib. sex, adipis caprini lib. unã, ceræ libr. iij. picis aridæ trientem, quidam uero quadrãtem habent, nitri tantundem, lixiuij acris cyathos ij. Vsus tempore aqua diluta per specillum infundito, attrahereqꝫ iubeto. Caput uero irino prærigato, & post usum aquam mulsam sępe gargarissandam præbeto. Aliud, Euphorbij drach. sex, lycij Indici drach. quatuor, succo betæ excipe, ac melle addito coge. Vsus tempore aqua aut lacte dilue. Aliud, Succi cyclamini cyathos duos, succi cacuminum hederæ cyath. unũ, succi peucedani obol. unũ, elaterij obol. unum. Vtere in balneo cum lacte muliebri. Aliud, Pyrethri, piperis, hyssopi, staphidis syluestris, parem mensuram in pastillos drachmæ pondere cogito, quorum unum manducandũ prębeto, & post factam

C ab ipso purgationẽ, sale & melle curato. Sternutatoriũ, Piperis albi, ueratri albi, castorij, euphorbij, struthij, succi cyclamini aridi, æquali mensura penna præirritatis insufflato.

De usu omnium fortium pharmacorum. 14

Quã utẽdi ratione de prædictis pharmacis dixero, eã ad oĩa alia quæcunqꝫ forte uim habent trãsferre oportet. nõ ẽm statim à principio efficacissima adhibere cõuenit, sed à debiliorib. auspicari. Quin & ipsa fortia pharmaca mitigatoriorũ admistiõe lenita, moderata fiũt. & ob id ego quędam ex eis muliebri lacte recenti et aqua diluo, et post hoc oleo dulci, deinde betę succo, & anagallidis quæ cæruleũ florẽ habet itidẽ succo, atqꝫ ita

D sensim in usu eorũ progredior, donec postremũ etiã per opobalsamũ talia dissoluo. ac primũ quidẽ lacte admixto adhibeo, q̃d ubi leniter ferũt ægri, etiã citra lactis adiectionem admoueo. Porrò parabili sæpe pharmaco usus sum, q̃d naribus infundit melanthio, aliquãdo quidẽ aceto acri rigato ac pridie macerato, deinde sequẽti rursus cũ aceto trito, & narib. infuso, aut ægro ipsum absorbere in nares iusso. Aliquando uero oleo ueteri idem melanthium contriui, atque ita usus sum, quo modo etiam Archigeneseo utitur in narium obturatione. Eo uero quod cum aceto infunditur, Crito utitur ad arquati morbum.

De hemicrania, hoc est dimidiæ partis capitis affectione. Cap. III

Affectio dolorosa circa dimidiam capitis partem

tem, aliquando dexteram, aliquando ſiniſtrã contingit, quæ iuxta ſuturam ſecundũ longitudinem eius extenſam terminatur, & ut plurimum per circuitum exacerbatur, influxu uaporum aut humorum ſiue multorum, ſiue calidorum, ſiue frigidorum, cauſam dolori ſuggerente. Quidã igitur ipſorum circa temporum muſculos uehemẽter dolitant, & pleraq; ſane ipſorum pars hoc modo affligitur. Quidã uerò dolorem longe ulterius progredientem habent. Et quidam adeò uehemẽter dolent, ut neq; manuũ contactum facile ferãt, in quibus palàm eſt pelliculam caluam ambientem eſſe affectam, & neque cutem ipſam omnino ab affectione immunem exiſtere. Manifeſtum igitur eſt uaporum, aut humorum, aut utrorumque influxum ſiue per uenas, ſiue per arterias, ſiue per utraſque contingere: quum interdum ea ſola quę intra caluam continentur, hoc eſt, cerebrum eiuſq; membranæ, quod in ipſis redundat foras protrudant: interdum uerò corpus infra caput poſitũ uitiatos uapores aut humores ſurſum mittat. Quapropter ubi quis hemicraniam curare aggreditur, prius quali purgatione aut uenæ ſectione æger opus habeat, conſideret. atque ita deinde ad capitis auxilia progrediendo, tum per digitos ſuæ manus, tum per linteum dimidiam frontis partem, & eam maxime quæ circa temporum muſculum eſt, confricando calfaciat, atque id ante irritationis tempus faciendum eſt. Poſt exacerbationem uerò pharmacis hemicranicis à medicis appellatis utendum, ſiquidem multa caliditas in doloribus percipiatur, his quæ refrigerãs quippiam habent: citra uerò hanc, his quæ multum excalfaciant. Vtriſque uerò aliquid ex his quæ firmitatem ac robur addunt miſceatur, quod aſtringentem uidelicet habeat facultatem. Demiror autem, quod neque Apollonius, neque Archigenes, neque Aſclepiades quicquam de hemicranicis pharmacis, quæ meritò poſt doloris capitis totius pharmaca ſubijcienda erant, conſcripſerunt. Decebat enim ipſos, tametſi nihil priuatim in ſe habeant, propterea quòd inter ea quæ totius capitis dolori deſtinata ſunt, contineantur, idipſum ſaltem annotare. Similiter autem & ab Hera, & à Critone, uberior de hac affectione tractatio neglecta eſt. Cæterum per quæ pharmaca inueterato capitis dolori medentur, per eadem cõſtat eos etiam hemicranicis affectiõibus auxiliari. Heras itaq; in medicamẽtario libro ſtatim à principio in hæc uerba ad capitis dolorẽ pharmaca cõſcripſit.

Pharmaca ex libris Heræ ad capitis dolorem. 2

Crocomagmatis partẽ i. gallæ partẽ i. trita ex uino fronti ac tẽporibus illinito. Paſtillus ad capitis dolorẽ egregie faciens, à tẽpore ad tẽpus bis aut ter illitus. Croci drachm. xv. atramenti ſutorij drac. x. aluminis ſciſsi drac. xiij. myrrhæ drach. iij. opij drac. iij. omphacij drac. iij. chalcitidis drac. iij. gũmi drach. xv. tritis uini falerni auſteri quod ſatis eſt affunde, & ut collyriũ tere, indeq; in paſtillos omnia redige. Vſu uerò expetente, poſca aut aceto dilutis utere. Malagma ad capitis dolorẽ,

A Aeruginis raſilis drach. iiij. æris uſti drach. ij. ſquamę ſtomomatis ferri drac. ij. cimolię drac. iiij. chalcitidis drac. iiij. pumicis crudi drac. iiij. terebinthinæ unc. i. ceræ drach. xxxvij & dimidiã. olei ueteris cyathos ij. Aridis tenuiſsime tritis, liqueſcibilia affunde, emolli ac utere. Quòd ſi durius uideatur pharmacum, oleo amygdalino emollito. Hæc quidẽ pharmaca Heras ad capitis dolorẽ ſcripſit. Vtuntur aũt eis quidam etiã ad hemicranicos dolores, quemadmodũ etiã alijs medicamẽtis quæ prædicti uiri ad inueteratos capitis dolores deſtinauerunt. nõ tamẽ per omnẽ frontẽ pharmacum extendunt, ſed per affectam ſolum partem. Cæterum ex pręceptoribus noſtris quiſpiam hoc pharmacum ad inueteratas hemicranias in uſu habe- B bat. Piperis albi drach. ij. crocomagmatis drac. ij. euphorbij drach. dimidiã, utere. Porrò de euphorbij facultate iam mihi relatum eſt, quod cito exoluatur. quare in eiuſmodi pharmaca nõ uetus conijcere oportet. dictum etiam recens albidius eſſe, quod uerò inueteratũ eſt, flauioris aut pallidioris coloris reddi. uerũ ſi nõ ualde uetus ſit euphorbium, ſed duorũ aut triũ annorũ, duplũ eius adijcies, hoc eſt drach. i. Quemadmodum autẽ euphorbium recens conijciendum eſt, ſic itidem ſtercoris columbini drachmæ dimidiũ, ex colũbis montanis quas in turribus nutriunt ſibijpſis uictũ quęrentes, nõ uelut quæ in urbibus intra domos nutriuntur. At uerò & atramenti ſcriptorij æqua portio, hoc eſt drachmæ dimidiũ ad columbinũ ſter- C cus inijcitur, atq; ad hanc rẽ noſtrũ pergamenum præſtat, eo enim ſemper præceptor noſter utebatur. Aut igitur illud ipſum ex Pergamo atramentũ inijcere oportet, aut aliquod aliud optime præparatũ: atq; ita omnibus his mixtis & probe ſubactis, acetoq; acerrimo imbutis ac dilutis temporis muſculus, & dimidiũ frontis, & affecta capitis pars illinenda eſt. Aliud pharmacũ, quod non ſolum in hemicrania, ſed & in omni inueterata capitis affectione illinitur, in capitis quidẽ dolore per omnem frontẽ, in hemicrania uerò per mediã capitis partem affectam. Croci drach. xv. atramenti ſutorij drach. x. aluminis ſciſsi drach. xiij. myrrhæ drach. iij. opij drach. iij. omphacij drach. iij. gummi drach. xv. Omnibus tritis uinum falernũ adij- D ce, & rurſus ut collyrium tere, deindeq; in paſtillos redige. uſus uerò tẽpore poſca dilutas aut aceto illine. Aliud, ad eaſdem affectiones. Scammoniæ drachm. vi. croci drachm. ij. comæ hederæ drach. vi. ſulphuris uiui drachm. iiij. ſeminis aniſi drach. viij. ſeminis apij drach. viij. diligenter trita cum ocymi ſucco in paſtillos cogito. Hoc pharmacum multo roſaceo diſſolutum capitibus letargicorum rigãdis fit cõmodũ. Aliud pharmacũ, non iiſdem ſolum cõueniens, ſed & uertiginoſis auxiliare. Radicis peucedani drach. iiij. iridis illyricæ drachm. ij. æruginis drach. i. acori drachm. i. ſphondylij drach. iiij. piperis nigri drach. ij & dimidiam, caſtorij drach. ij & dimidiã, ſerpylli drac. iiij & dimidiam. myrrhæ drach. ij. baccarum lauri numero xxxv. rutæ uiridis drach. viij. mentæ ui-

ridis drach. quatuor. opij drachmam unam. aceto A excipe, & in pastillos redige. Vsu exigente aceto & rosaceo dilutos illine. Verũ cerato rosaceo exceptum hoc pharmacũ ut malagma imponitur.

Pastillus, Non solum hemicrania laborantibus commodus, sed & coxẽdicum morbo affectis auxiliaris. Thapsiæ drach. tres. euphorbij drac. iiij. laseris, siue succi medici drac. iij. myrrhæ drac. i. opopanacis drac. i. simul cõtusa in pastillos cogito, quos deinde usus tẽpore aceto tritos illinito. Hęc quidem composita sunt pharmaca. Sæpe uerò & ex tẽpore ac improuiso pharmaca præparare coactus, simpliciter euphorbij illitione usus sum, modica cera compagis acquirendæ gratia adiecta. Sufficit autem in libram olei siue Sabini, siue alterius ei propinqui, ceræ quadrantem inijcere, & B euphorbij unciam unã, atq; ex hoc dimidiã frontis partem illinere, unà cum tẽporis uidelicet musculo. Cæterum in quibus suspicionem habueris, à calidis uaporibus aut humoribus, dimidiæ capitis partis fieri dolorem, in his ne admoueris hoc pharmacum. His uerò qui ob frigidas causas infestantur, commodissimum adeò est, ut sæpe semel ante balneum illitũ, quàm citissime affectionem persanet, ut à balneo omnino sani ægri euadant. Iuuat etiã hos, si oleũ tepidũ in aurẽ instillet, modico euphorbio ad oleũ iniecto: nimirũ ad librã olei unã euphorbij uncia dimidia, si ualidum euphorbiũ existat. Si uerò nõ, etiã amplius inijcere conuenit. Verum in corporibus molli ac tenero sensu præditis, etiam si minus quàm dimidiam unciam inieceris, melius res procedet.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI III

Caput I. De aurium affectionibus, & ob quot causas aures dolore affligantur. 2. De dolore auris ex frigiditate. 3. Ex inflammatione. 4. Ex flatu uentoso, aut crassis & uiscosis humoribus. 5. De ulceribus aurium. 6. De audiendi difficultate, & de sonitu aurium. 7. Heræ compositio auricularis. 8. Apollonius ad aurium dolores. 9. Archigenes ad eosdem. 10. Andromachi auriculares compositiones, numero 24. 11. Asclepiadæ compositiones. 12. Ad inflammationes cum exulceratione, Charixeni. Vide sect. 17. 13 Ad easdem cum fluxu. 14. Ad fœtorem, & ulcera serpentia. 15. Ad carnium incrementum & affectiones inueteratas. 16. Pharmaca quæ Archigenes post prius scripta subiecit. 17. De auribus exulceratis. 18. De uermibus aurium. 19. De sonitu in auribus. Vide sect. 12. 20. Archigenes ad sonitus. 21. Apol- C lonius ad sonitus, susurros, sibilos, & inflãmationes aurium. 22. Idem ad aures exulceratas & purulentas. 23. Ad auditus grauitatem. 24. Apollonius ad eandem. 25. Eiusdem fomenta ad aurium dolorem. 26. Archigenes ad auditus grauitatem & surditatem. 27. Idem de corpusculis quæ auribus illabuntur. 28. Apollonius de ijsdem. 29. Critonis auricularia pharmaca. 30. Ad dolores aurium cum humiditate & purulentia. 31. Archigenes ad aurium affectiones extra meatũ. 32. Ad exulceratas ex plaga & fractas aures. Cap. II. De parotidibus. 2. Archigenes ad parotidas. 3. Galeni ad easdem. Cap. III. De affectionibus narium. 2. Archigenes ad ozænas. 3. De polypo narium. 4. Asclepiades ad ozænas & polypos. 5. Lamponis & aliorũ, ad ozænas, ægilopas, polypodes, & multa alia. 6. Apollonij parabilia & experimenta Galeni. Cap. IIII. Ad eruptiões sanguinis è naribus, Archigenes. 2. Asclepiades. 3. Andromachus.

CLAVDII GALENI DE COMPOSITIONE
PHARMACORVM SECVNDVM LOCOS LIBER III

De aurium affectionibus, & ob quot causas aures dolore affligantur. Cap. I

AVRIVM dolores aliqui ex frigiditate fiunt, quos sanè in peregrinationibus à frigidis uẽtis perflati habẽt: aliqui uerò ex balneis frigidis, & quibusdã medicatis aquis oboriunt, in quibus quidã ob de- D licias lauant, quanq; sint qui & ob corporis cõmoditatẽ id faciãt. fiunt & auris dolores ex inflãmatione, interdũ quidẽ solius circa meatũ cutis, interdũ uerò in profundũ progressa, quãdo uidelicet neruus auditorius ad inflãmatam affectionẽ peruenit. Qua uerò ratione inflãmatio partes inflãmatas distẽdens dolorẽ producit: iuxta eundẽ modũ etiã flatus uẽtosus, transitũ nõ habẽs, dolorẽ excitat. At uerò cõsimilis dolor est ex serosis & saniosis humoribus in corpore aurium generatis, ei qui ex mordacium humorũ illapsu forinsecus facto, contingit.

De dolore auris ex frigiditate. 2

Dolores quidẽ igitur à sola frigiditate obortos calfaciẽtia q; celerrime curant: atq; in hunc usum quosdã rurales homines magnas cepas exsculpẽre uidi, deinde oleo eas explere, & in feruẽte cinere moderate calefacere, atq; ita aurib. infundere. quosdã uerò nõ cepas tantũ, sed & allium in oleo feruefacere atq; ita infundere uidi. Ego uerò euphorbio omnino modico, ad multũ uetus oleum admixto utor, uelut etiã pipere exquisitissime trito. Auriũ enĩ dolores à frigiditate inductos eiusmodi calefaciẽtia magnopere iuuãt. Prodest etiã amaracinũ oleũ eis infundi, & optimũ nardũ. Et quod apud Romanos foliatũ, itẽq; quod spicatũ appellat: prodest eis & comagenũ: atq; si rutam quoq; oleo nõ astringẽti ampliusq; tenuiũ partiũ incoxeris, uelut est Sabinũ, magnopere iuueris. Cũ uerò ex aqua medicata quippiã circa auditoriũ meatũ cõtineat, oleũ assidue infundere cõuenit, quo ipsum eluamus, deinde lana molli extergere, rursusq; infundere. Magnifice aũt eos mitigat oui candidũ, quo etiã ad lippitudines utimur, itemq; lac muliebre. Manifestũ uerò est quicquid adhibet mediocriter calidũ esse oportere. plurimũ iuuant quoq; ex adipe anserino atq; itẽ uulpino.

De

De dolore auris ex inflammatione oborto. 3

Quòd si inflammatio adsit, optimum ad eam pharmacum unguẽtum nardinum cum modico basilico appellato pharmaco infunditur. idem etiam tetrapharmacũ appellatur. Et Comagenum quoque aptum est, & ex adipibus pharmacũ, cuius compositionem paulo pòst describam. Cogente uerò dolore, necessarium est etiam his quæ sensum stupefaciunt uti, quemadmodum etiam in his qui collum, aut renes, aut quamcunq; tandem partem affecti, uehementi dolore affliguntur, facere consueuimus. Miscetur autem opium muliebri lacti & oui candido, quæ ipsa & per se sæpe aurium inflammationibus profuere. Miscetur & castorio opium. Verum multo ante usum tempore, siue pari pondere, siue duplo castorio ammisceatur, præparatum id esse conuenit: & miscetur quidem in uehementissimis doloribus pari, in minoribus uerò duplo. Liquor uerò quo hæc diluuntur ex musto sapa fit. Multo enim magis quàm dulcia uina, dolorem hæc sedat. Statim itaque in principio prædicta pharmaca diligenter trita cum sapa misceantur, castorium quidem diligenter prius tritũ & leuigatũ, papaueris uerò succus ipsa sapa dissolutus, atque ita hæc tria mixta probe leuigentur. Deinde uerò usu postulante rursus sapa diluantur, in eiusmodi compagem, ut per aurifusoria specilla ad lucernam tepefacta infundi possint. Verum ego nullum pharmacum dolore uexatis infundo, neque etiam per lanam instillo, utpote qui experiẽtia edoctus sim, quòd præstat neque omnino contingere doloris tempore auditorium meatum: sed per auriculare specillum lana mollissima obuolutum dolore uexatos foueo, pharmacumq; ita moderato tepore in aurifusorio specillo præparatum inijcio, ut interrogato per nos ægro, num tepidum ei uideatur, & num calidius ipsum ferre possit, ad tantam caliditatem procedam, ut nihil amplius offendat. Tinctum itaque in hoc modo pręparato pharmaco specillum, ad principium meatus moderate imponito, et in altum defluere ex eo pharmacum permittito, & postea iterum iterumq; & sæpius tingito, idemq; facito, nullo tempore intermisso. Palàm est autem cum hoc fit etiam foris omnino aliquid effluxurum esse, expleto nimirũ toto auditorio meatu: hoc igitur quantum possibile est, moderate excipe, nec aurẽ contingas. Postquam uerò probe foueris, meatũ pharmaco expletum sinito, & mollem lanam forinsecus tum meatus osculo, tum uniuersæ auri imponito: atq; ubi rursus fomenta adhibere oportebit, incumbentem foris lanam leniter tollito, rursusq; similiter foueto, quantum possibile fuerit diligenter cauens, ne aliquid aliud graue aurem contingat. Ad hoc uerò præceptum maxime animum aduertas, utpote quod omnium potissimum sit in aurium curatione. Fomenta uerò fiant per ea quæ uelut dictum est, dolorem sedant. Quale est optimũ nardinum unguentum paucissimo in eo tetrapharmaco dissoluto: deinde etiam Comagenum et Su-

A sinum, & pretiosa diuitum muliercularũ unguenta, quæ ipsæ spicata & foliata appellant. Sunt autem spissiora quàm ut infundi queant. Quapropter per nardinum unguentũ ea dissoluere oportet, & æstatis tempore, & si caloris sensus ægrum circa inflãmatã aurẽ infestet, per rosaceũ bonum: aut si hoc nõ adsit, amygdalinum. Memineris autem quod bonũ semper rosaceũ dico, in quo plurimæ rosæ maceratę sunt: uerum oleum in quo hę macerantur, omphacinum sit, ex crudis oliuis & necdum penitus maturis expressum, citra salis additionem præparatum. Imò neq; etiã aliud quicquam ad rosas conijciatur, quemadmodũ illi faciunt qui spissamenta stymmata Græcis appellata addunt, quo uidelicet per multum tempus ipsum rosaceum odoratum permaneat.

B *De dolore auris ex flatu uentoso, aut crassis & uiscosis humoribus.* 4

Si uerò flatũ uẽtosum, aut crassum aliquẽ & uiscosum humorẽ, qui transitũ nõ habeat, inclusum esse conieceris, etiã ex pharmacis ab obturatione liberãtibus quippiã admisce. Artificiosa enĩ cõiectura causarũ huiuscemodi doloris tibi cõtinget, si tum prægressa, tum præsentia percunctatus fueris. frigiditate enim antegressa flatus uẽtosus congregatur: grauitate uerò capitis, cibisq; pituitosis & mali succi, frigidi & crassi humores. His enim si frigiditas accedat, dolores cõtingunt, eis nimirum quę prius difflabanť propter densitatẽ inclusis & retẽtis. In his igiť spuma nitri, & nitrũ ipsum molle, eiusmodiq; aphrolitro, & oleũ amygdalinum appellatũ rationabiliter in auricularia pharmaca miscentur. Ex hoc genere album item ac nigrum uera trũ est, & struthiũ, ac amygdalę amarę, & ex tribus aristolochijs quæcunq; fuerit ad manum, & iris illyrica. Inijcies autẽ & cinnamomũ si habueris, aut casiam illo nõ præsente, tũ eam quę Zigeres, tum quæ Motodes appellať. Item carpesium, quod plurimũ in Sida Pamphyliæ nasciť, & ob id uilissimo pretio uẽditur. Quintus sane cum cinnamomi inopia esset, carpesium pro ipso iniecit duplo põdere, uelut aliqui eius loco casiã exhibere solent. Cæterum aurium meatus ab obturatione liberant etiam quæ lapides in renib. atterũt, omniaq; insuper tenuium partium citra mordacitatem, ut ne dolorem exacerbent. Ex quorum numero est etiã cucumeris siluestris radix, itemq; bryoniæ & ari, & dracunculi ac centaureæ & polij, & omnino omniũ amarorũ. Citra mordacitatẽ namque & absque molestia expurgant hęc meatus, disijciuntq; & dissecant obturata. Verum ob id multa eiusmodi exempla scribo, quamuis sane omnia in libris de simplicium pharmacorum facultatibus retulerim, quod uidelicet omnibus terræ locis remedijs uos abundare uolo, ut ipsorum memoriam in promptu habeatis. Alia enim in alijs regionibus abundant, & meliora his quæ alibi nascuntur existunt. Alioqui sanè ex adipibus compositum pharmacum tibi sufficiet, & ex simplicibus quæcunque paulo antè recensui doloris mitigatiua. Mirari porrò subit medicos qui ci-

C

D

tra

tra distinctionē ad auriū dolores pharmaca quædam conscripserunt. Quæ enī à frigiditate dolent, per calfacientia celerrime curantur: si uero à mordaci acredine, aut à pulsatili inflammatione dolor fiat, maximum detrimentum continget, si eiusmodi pharmaca adhibeatur. Atqui moderatæ inflammationes & nō pulsatiles, etiā per eiusmodi pharmaca curantur. Quale est acetum cum rosaceo tepefactum, utrisq; diligenter simul commissis. Sic etiam Glaucium in cote medica cum aceto tritū, breuibus inflammationis doloribus prodest. præstet autē pastillum ex glaucio multæ sane utilitatis pharmacū, prius præparatū habere, qui fit ex glaucio probe cum aqua pluuiali trito, deinde in pastillū redacto & exsiccato. Si uero fragilius uideatur glaucium quàm ut in pastillos formari possit, parum gummi ei addes. Sufficit autem id duodecimam aut quintam & decimam glaucij partem esse. Quin & collyria ex glaucio eodem modo cū aceto trita, eis prosunt auribus instillata, atq; his nihil minus collyria ex croco. Hæc quidē igitur sunt doloris & inflammationis remedia. Cæterum de alijs affectionibus quæ in auribus oboriuntur, ubi pharmaca quæ per experientiam cognoui recensuero, ita deinde ad ea quę à prioribus medicis scripta sunt transibo.

De ulceribus aurium. 5

Vlcera aurium recētia, tum glaucium solū cum aceto tritum, ut iam dictum est, curat, tum collyria ex eo omīa, & collyria ex croco, & ex rosis, medicis appellata, uelut etiam quod Nilo inscribitur. Curat item ea Damocratis collyrium ex myrrha.

Quæ uero pure manant citra dolorem, atque id moderate patiuntur, per eadem curantur: uerum quæ fortiter affligūtur, per eiusmodi qualis est pastillus Andronius, & pastillus Musæ cum sapa & modico aceto dilutus. In quibus componendis uarietas rursus dicetur. Vbi uero & hæc à malo uincantur, Scoria siue recremento ferri ad plurimos dies in sole cū acerrimo aceto trita & leuigata, confidenter utere. Etiam si præter rationem uideatur, aurem acerrima pharmaca sustinere posse, quam paulò ante dixi neq; mollissimorum infusorū admotionem & allapsum circa molestiam sustinere, sed & hæc ipsa offendere ipsam uideri.

De audiendi difficultate, & de sonitu aurium. 6

Restat itaq; adhuc de audiēdi difficultate, & de sono aurium disserere, quę nihil cum doloribus & ulceribus commune habent. De quibus deinceps dicam, ubi prius compositiones auriculares à celeberrimis medicis magnifice laudatas recēsuero, iuxta quam rationem eas cōposuerint tandē illi. Initio ab ea quam Heras scripsit sumpto.

Compositio auricularis, Heræ. 7

Heras quidem igitur ita scripsit. Compositio auricularis ad omnē dolorem, omneq; ulcus, hac in febriente quodam usus sum, & ob dolores delyrante, & feliciter successit. Myrrhæ drach. i. thuris drach. iij. alij. vij. spumæ nitri drachmas iij. croci drach. iiij. alij. i. succi papaueris drach. iij. galbani drach. duas, amygdalas amaras delibratas. xx. aceto excipito. Vsus uero tempore, siquidem dolor adsit, rosaceo diluta instillato: si uero audiendi difficultas adsit, aceto. Heras itaq; unū hoc pharmacum scribere contentus fuit, ad omnem dolorem, ac aurium exulcerationum remedium. Ego uero dolores per pharmacū ex adipibus cōstans, & per nardinum unguentum tetrapharmaco ammixto leniri dico, unaq; & affectiōes ipsas iuuari, ueluti etiam oui candido, & lacte muliebri: per papaueris uero succum mitigari solum dolores, nihilq; iuuari affectiones: uerū per accidens, nō primario etiam affectiones inde opem sentire quis dicere possit. Sedato enim dolore, & somno consequente, natura affectiones dolorem efficientes concoquit. Cæterum ulcera in auribus omnino cum

B glaucio ex aceto curaui. Quēadmodum etiā quæ cum fluxione aut purulentia cōsistunt, per pastillos, à mitioribus auspicatus, qualis est polyidæ, & post eum Andronius, & ab illo Bithynus appellatus, cui similis est meus, hoc est, ex charta usta constans, & uelut ego iudico, eo etiā præstantior. Minime uero semper omniū usu opus habemus, sed sufficit omnino unus, si quis ipso uti norit, aliquando quidem per sapam diluto, siquidem mitius reddere pharmacū uelit, & rursus per uinū dulce, deinde per acetū non acre, deinde etiā per acre, ac postremo per longe acerrimum. Quapropter quum per eiusmodi mixturam aliàs aliter parabilem, huiuscemodi pharmaci uehementiam exoluere possis, fortissimū tantum pręparatum habere poteris.

C Verum mirari rite, uelut dixi, licet plerosq; medicos, qui citra discrimen omnigena aurium doloris pharmaca cōscripserunt, eaq; cōmiscuerūt in unū ordinem redacta quæ uel maxime contrarias habēt uires. Quemadmodū statim (à ueteribus enim auspicari pręstat) Apollonius Herophili sectator, in parabilium pharmacorum descriptione, in principio quidē libri, capitis doloris remedia scribens, primum omnium ea quæ ex ardore oborto conueniunt, locauit, deinde consequenter ea quæ dolori congruūt ex frigiditate. Deinde ea quæ ex ebrietate & meri potu oborto medentur, sic enim ipse appellauit. Quarto loco ea quæ plagæ aut casui dolores capitis inducentibus adhibenda sunt subiecit. Et postremum iuxta illius pręscriptum ea

D quæ ad temporū & totius capitis dolores citra manifestam causam obortos conducūt. Verum in aurium dolore nullam omnino apposuit distinctionem, sed simpliciter Ad aurium dolores titulo pręscripto, deinceps pharmaca recenset, aliqua calefacientia, aliqua refrigerātia, quædam humectantia, quædam resiccantia, & iuxta secundas facultates ac qualitates, austera, acerba, amara, acria, acida, salsa, & ad hæc insuper alia discutiētia, alia adstringentia & cogentia, ac repellentia influxiones, alia extrahentia è profundo corporis. Alia ab obturationibus liberantia, alia repurgātia & extergētia, alia sensum stupefacientia. Si quidē igitur una affectio dolorū est causa, rationabile est etiam unā esse remediorū ipsius facultatem. Si uero multæ, tantum remediorum numerum esse oportet, quātus

est efficientium causarum. Quum itaq; Herophilus distinctiones in tantum, ut haud sciam si quis alius, laudet: ipse'que Apollonius capitis doloris pharmaca distincte scripserit: magis utiq; miror, quòd circa aurium dolores ita indiscriminatim omnia tractauit. Et quintū insuper pharmacorum genus penitus indistinctum reliquit, illud scilicet quod postremum ad capitis dolores citra manifestam causam obortos descripsit. Quanquam & huiusmodi capitis dolores necesse sit primum communibus generibus causarum dolores efficientiū subiectos esse, solutioni uidelicet cōtinuitatis, aut intemperiei, quemadmodum à nobis est demonstratum, deinde etiam his quæ has ipsas operātur. Quę omnia à me proprio huic rei & tractationi loco sunt determinata: nunc autē eorum quæ ad aurium dolores pertinent solum mētionem faciam: quum omnium postrema uelut sæpe in methodi medendi libris dictū est, hæc tractatio existat. Etenim curandi methodos illic tradens, unum atque alterum particulare exemplum apposui, multitudine pharmacorum quæ ex multis compono, in præsentem tractationem reiecta. Quare medendi methodum de simplicium pharmacorum facultate libri XI. meritò præcedunt: post hos uero XIIII. de medendi methodo rite consequuntur, his demum de compositione pharmacorum libri, quos nunc in manibus habemus succedunt.

Quæ Apollonius ad aurium dolores scripsit. 8

Quod uero Apollonium deliquisse dixi, in eo quod non distinxerit in quali aurium dolore unūquodq; eorum quæ describit pharmacorum utile existat, ne falso uirum reprehendisse coarguar, ex paucis exemplis demonstrabo. Quum enim præscripsisset ut dixi, ad aurium dolorem infundenda, inter eaq; scripsisset, Anserinum aut gallinaceum adipem liquefactum sensim instilla: Rursus deinceps scribit: Fel taurinum aut caprinum cum porri succo instilla. Adeps quidem igitur horum quæ dixit animaliū maxime mitigat ōmes affectiones dolores inducētes, simulq; ipsarū aliquib. magnifice auxiliat: fel uero ipsum cū porro, tū ex inflāmatiōe tū ex acribus & mordacib. humorib. obortos dolores auget. Solos aūt iuuāt ob obturationem, aut frigiditatē inductos, siue ob nudam intemperiem frigiditatis solidæ partes dolore uexentur, siue propterea quod in eiusmodi affectionibus uentosi flatus, & frigidi humores generentur: excerni autem prohibeantur, propter cōtinentis corporis condensationem, citra inflammationem factam. Vbi em̄ ab huiusmodi acribus & calidis pharmacis dolorū causæ fuerint exclusæ, curatio simul & doloris sedatio cōtingit. Gallinaceus itaq; & anserinus adeps si quidē euacuatū corpus inuenerint, & humorem qui inflammatā affectionē excitat, non amplius influentē, duabus rationibus tum mitigandi, tum curandi profuerint. Si uero influente adhuc causa adhibeātur, affectioni quidē nihil auxiliantur, leniūt tamē doloris accesionē siue symptoma, quemadmodū etiā si ob humorū acredinē mordacitas contingat. Verū fel cum porri succo

A nunquā in eiusmodi affectionibus quicquam cōmodum efficere potest. Quemadmodum neq; piper, & tamen eo etiam medicum quendam usum scio, in muliercula ex calidarū naturæ spōte aquarum usu, aurem dolente. Quum enim per ōmia parabilium pharmacorum Apollonij libris fidem haberet, & iam ante feliciter sæpe ex pipere remedio usus esset, etiā tunc sperauit se in auris dolore opitulaturū: uerum adeò ab ipso exacerbata est muliercula, ut parum abesset quin seipsam strangularet. Scribit itaq; Apollonius in hunc modū: Piper in uino feruefactum terito, & mediocri crassitudine instillato. Scribit autē consequenter post hoc etiam hæc: Lycio & papaueris succo, pari pōdere lacte muliebri dilutis utere. Et post hoc rursum a-
B liud hoc scilicet: Castorij & papaueris succi par pōdus in testa Attica aut, si haberi nequeat, Romana torrefacito, & trita passo diluta instillato. Pharmaca igitur ex papaueris succo ōmia sensum stupefaciūt, & ob id sanè necessariò cogimur ipsis uti, ubi nullum aliud mitigatiuū opem tulit. At uero ex pipere pharmacū alterius generis est. Quēadmodum etiam quod ex adipibus constat. Et uelut id quod deinceps scriptū est hoc modo: Galbanū susino ungēto diluito, & mel ac rosaceū ammisceto, atq; lanam sordidā auriculario specillo obuolutam in eis agitando imbuito, & tepefacta instillato. Discussoriū est citra molestiā hoc pharmacum, inflammationibus cōduces in quas nihil amplius influit. probe etiam fecerit in his qui ex frigiditate
C dolore uexātur. Cæterum quæret fortasis aliquis quam ob causam, quū non solum Apollonius, sed alij etiā quidam celebres uiri papaueris succum & castoriū torrefacere iusserint, quo uidelicet uehementia uiriū ipsorum minueretur, ego ad priorem meum sermonem id apponere reliqui, nimirū supra quum auris doloris curandi rationē scribebā. Huic ego respondebo in hunc modum. Castorium quidem igitur neq; ōmino torreri operæpretium existimo: neq; enim tanquā sensus stupefactiuum ad papaueris succū ammiscemus, sed ob contrariam omnino rationem, ut uidelicet uehementiam refrigerādi facultatis in eo obtundat. Quare qui papaueris quidem succum torreri iubent non simpliciter id faciūt, In castorio uero omnino ab-
D surde id pręcipiunt: ipsum enim per se cōcoctoriā ægre solubilium & in scirrhum induratarum affectionum uim habet. Sufficiens itaq; est etiam papaueris succi facultas, si ex eo quòd eorum cōpositio diu ante præparata & iam inueterata sit, ipsius uires lenianē: torrefactus enim efficaciā perdit. Si uero castorio mixtus ad tēpus aliquod inueterascet, manebit quidem adhuc in eo multa efficacia ipsius facultatis: malignitas uero ipsius extinguetur, ex qua etiam aliqui læduntur ut obscurius uideant per multos omnino dies, & capitis grauitatem sentiant, & neq; probe concoquant cibos: & ob hāc sanè eius malignitatē pleriq; medici ad torrefactionē confugerunt. Verū quum rursus in torrefaciendo, efficacia ipsius pessundari uideatur, id quod sæpe sum expertus, melius esse existimaui

inolitum quidem misceri, sed post tẽpus aliquod, A inueterata iam cõpositiõe, in usum adsumi. Hęc itaq; extra rem dicta sunt, sed quæ tamẽ utilia existant. Cæterũ ut ad id quod propositũ erat reuertamur, nõ parũ noxæ inferũt illi qui indefinitis pharmacorũ descriptionibus fidem per omnia habent. Porrò multi alij iuxta eundem modum in plerisq; tum locis, tum affectionibus, indefinita pharmaca scripserunt, neq; cognouerũt quãtam uim habeat certa distinctio ad artis constitutionẽ: in quibus sanè nihil miror quòd omnia indiscriminatim confuderunt, quemadmodũ in Apollonio Herophili sectatore mihi accidit: utpote qui norit quod iubeat Herophilus, Medicum omnino anniti debere ut sciat, quæ & qualis, & quanta sit morbi causa, & ubi maxime ea dominetur, quo uidelicet & B curationem unicuiq; cõuenientem faciat. Magis uero adhuc Archigenem quis miretur, qui & ipse non pauca indefinite & indistincte scripsit, quum in alijs curationibus, tum in eis præsertim quæ ad aurium dolores destinauit. Vna enim tantum in ipsis distinctione usus est, à uehementia nimirum & mediocritate doloris. Atqui & ipsius totam tibi adscribam dictionem.

Quæ pharmaca Archigenes ad aurium dolores conscripsit. 9

In priore de pharmacis secundum genus libro, Archigenes in hunc modũ hæc uerba scripsit. In aurium dolore, præcedente alia diæta quam ad capitis dolorem ordinauimus. Si quidem moderatus fuerit, simplicia ungenta tepida instilla, uelut C crocinum, aut irinum, aut rosaceum, aut nucum amararum succum, aut casiæ ungentum, aut simplicem nardum, aut susinum, aut amygdalinũ, aut rosarum, aut mali punici, aut papaueris succum cum oleo calido, aut porri semen tritum. Aut ueratrum album cum rosaceo tritum, tepidum per strigilem infunde. Aut opij parum cum lacte muliebri. Aut opij succum eliquatum cum lacte eodem modo. At uerò ubi uehemẽs sit dolor, Aluus per clysterem ualide subducatur, & sanguis à cubito detrahatur, & quæcunq; similia adhibeantur. Indeq; fomentum ex decocto lauri aut simili quopiam fiat, aut ex sulphure uiuo in aquã inspersò. Exprimantur autem uehemẽter spongiæ, auribusq; apponanť, facilime em̃ ab humore frigescũt: D quapropter fomenta sicca longe commodiora eis existũt, ex sale uidelicet aut milio, aut simpliciter lana cõuoluta, aut tenuibus mappis. Aut rutam feruefacito, eiusq; decoctum in angusti oris uasculum transfundito, lanaq; os eius obturato, & auriculæ admoueto, quo uapor inde per lanam ad aurem penetrare posit. Quidam in posca & modico oleo rutam coquũt, atq; ita liquorem in uasculum infundunt, ex eoq; fomentum parant. Post fomenta uero aurem scalpito, & balsamum cum rosaceo dilutũ infundito, aut aliquod ex prædictis ungentis tepidum. Aut aliquod aliud conueniens ad auris dolorem, ex his quæ mox describentur imponito. Aut papaueris calicẽ tenuem farina ammixta, & in aqua mulsa coctum. Aut papaueris calicem tenuem cum ordeacea farina in uino coctum. Aut fœnum græcum aqua mulsa coctum. Aut semen lini eodem modo. Summe auxiliatur spongia ocularis melle cocto atque adhuc calido imbuta, et imposita. Aut ceratum ex irino, styrace ad ipsum ammixto. Egregie facit ad aurium dolorem aloe rosaceo permixta, & mellis crassitudine infusa. Aut chalcitis uino diluta. Aut perdicij succus tepidus instillatus per se, & cum melle. Aut nitrum modica aqua diluito, ammixtoq; oleo tepidũ instillato. Aut aristolochiæ radicẽ cum oleo. Aut ueratrũ albũ cum rosaceo tritũ tepidũ per strigilẽ instillato. Probe facit opium in testa torrefactũ, similiterq; castorium, pari pondere, cum rosaceo & passo ad mellis spissitudinẽ redacta, In quibus deinde post fomentum, specillum lana obuolutum intingitur & imponitur. Aut succum fœniculi cum aliquo ex prædictis ungentis in principio instilla. Aut anguis senectam cum calicibus papaueris coquito & infundito, aut cum quopiã ex prædictis ungentis. Aut garum hispanum calefactum per strigilem instillato. Facit & acopõ fœtidum tepidum infusum. Aut papaueris succus rosaceo, & modico crocino dilutus. Omnibus tamen præstat Hiera aromatica cum quopiam ex ungentis. Egregie facit & ueratrum albũ tritum cum melle & rosaceo infusum, meatu per purpuræ lanam obturato. Præclare facit & ueratrum cum irino ungento. Facit & cedria cum nardino ungento infusa. Seuerus autem Asellos in aquarijs uasis nascẽtes (Millepedas Latini uocãt) cum ungentis tritos ulceratis infundebat. Quidam uero frigidam aquam dolenti auriculæ infundũt, & confestim quidẽ longè magis dolitant, paulò post uero perfecte à dolore liberantur. Alij melius faciũt, & in alteram non dolentem aurem frigidam infundunt quemadmodum Lucius solet. Præclare faciunt & aloe & crocinum cum ungento amygdalino infusa. Aut æs tritum cum aceto & aliquo ungẽto. Summè prodest Silphium cum rosaceo, si exulceratio adsit. Mirabiliter confert in excellenti aurium dolore, porri succus, & caprina urina, & rosaceum, cum modica myrrha infusa.

Aut Sciuri adeps in strigili tepefactus instillatus. Aut alumen scissum & mentæ succum cum passo instilla. Aut piper album & salem, pari pondere, cum sapa, sinistra manu, ter aut septies infunde. Aut cochleam siue limacam aphricanam putridam compungito, & rosaceo impleto, & feruefactum calidius per strigilem infundito. Quod si ex plaga, externa pars auriculæ doleat, ad micam thuris lac affundito, semelq; atq; iterum diffundito, ac tertio macerari in eo sinito, & agitatum infundito: statim enim dolorem sedat. Hæc quidem Archigenes ualde indistincte scripsit, posit autẽ quispiam mẽte preditus, reuocatis in memoriam his quæ prius dixi, facile animo concipere quale tandem ex prædictis pharmacis, singulis relatis aurium doloribus conueniat. Nimirum si memor sit facultatis eorum: de qua in simplicium pharmacorum libris mentionem feci. Verum ego iam ad au

riculares compositiones ab Andromacho scriptas transibo.

Auriculares compositiones Andromachi numero XXIIII.

Quatuor & uiginti compositiones auriculares ex ordine Andromachus conscripsit, quarum aliquibus distinctionem quãdam, aliquibus nullam apposuit. Et prima quidem ex eis hoc modo scripta est. Compositio auricularis ex libris Galli qua utor. Myrrhæ drach. i. salis drach. iiij. thuris drach. iij. spumæ nitri drach. iij. croci drach. iiij. succi papaueris drach. iij. amygdalas amaras xx. galbani drach. ij. aceti boni quantũ satis est. Descriptio hæc ad Menemachum refertur. Multi usus hanc compositionem auricularem Andromachus scripsit, multis simul affectionibus aurium destinatã.

Verum antea à me dictum quod huiusmodi cõpositiones nihil magnopere corrigũt, neq; etiam error ex earum usu nobis contingit. Quæ uero uni affectioni congruunt, illam ipsam optime curant, alias uero aliquando, ultra hoc quod nihil iuuant, amplius etiam exacerbant. Secundam deinceps compositionem post prædictam scripsit hanc. Compositio auricularis Aelij Galli ad inflammationem, & intensos dolores. Galbani drach. viij. cinnamomi drach. ij. myrrhæ drac. viij. croci drach. viij. thuris drach. iij. spumæ nitri drac. iij. succi papaueris drach. iij. aceti ut mellis accipiat spissitudinem. Oportet autem nitro prius præparare ne pingue quicquam adsit, deinde pharmacũ ipsum infundere. Et hic rursus ab obturatione liberantia, & concoctoria, & laxatoria & discussoria pharmaca mixta sunt, quæ uehemẽtes dolores sanare non possunt, & ob hoc ipsis papaueris succus ammixtus est. Tertiam auricularem huiusmodi conscripsit. Auricularis compositio Laodici regis, qua assidue utor. Castorij drach. ij. succi papaueris drach. iiij. opopanacis drach. ij. spumæ lycij drach. i. passo excipe, & tepefactis utere. Hæc euidenter intensis doloribus conuenit, non tamẽ alijs affectionibus. Ego uero quemadmodum dixi, in unaquaq; affectione proprio pharmaco utor, semperq; papaueris succum fugio, neq; nisi urgẽte necessitate, ad eius usum peruenio. Quartam deinceps auricularem sic scripsit. Alia ad inflammationem & purulentas ac ueteres affectiones.

Fabæ Aegyptiæ internæ amaræ, aluminis scissi, piperis albi, spumæ nitri, croci, opij, malicorij, myrrhæ, thuris, nardi, singulorum drachmas ij. castorij drach. i. aceti & mellis quantum sufficit. Alij mellis drach. vi. conijciunt. In hac compositione, pharmaca alia discussoria, & resiccantia, & obturatione liberantia sunt, & quædam etiam concoctoria, uelut myrrha & thus existunt. Alumen autem scissile fortiter adstringens pharmacum, ad resiccandum purulenta ammixtum est. Adiectum est & opium doloris sedandi gratia, oppositumq; est ei castorium uelut antea dixi. Sed in eiusmodi affectionibus non solum ut oppositum, sed & ut cõcoctorium earum, & tanquam resiccatiuum meritò inijcitur. Quintam deinde auricularem An-

A dromachus scripsit his uerbis. Alia Xenocratis qua sæpe usus sum. Spumæ lycij drach. ij. myrrhæ drac. i. thuris drach. i. aluminis scissi obolos iij. spumæ nitri obolos. ij. trita cum aceto reponito. Vtere cum aceto. Et hæc multi usus est, non tamẽ in dolore forti conuenit, ut quæ neq; opium neq; castorium habeat, neq; quippiam ex adipibus sedantibus dolorem, neq; galbanũ. Sexta cõpositio auricularis consequenter hac uerborũ serie scripta est. Alia Prytanidis concordat cum Harpali compositiõe. Myrrhæ obolos iij. nardi obolos iij. croci obol. iij. æris usti obolos v. opij obol. ij. castorij obol. iiij. aluminis scissi drac. i. & rotundi drac. i. Excipe passo ubi fluxus fuerit, quum dolor rosaceo. Vbi uero uermiculi generentur, ueratri nigri

B drach. ij. ammisceto. Probe fecit quòd in fine usum eius adiecit, quem nos sanè dixissemus, si ipse adscribere neglexisset. Septima similis præscriptæ, in hunc modũ descripta est. Alia Vgæi cõpositioni consona. Veratri nigri obol. ij. myrrhæ obolum. i. & dimidium. opij. obol. iij. æris usti, obolos iiij. aluminis scissi obolos ij. castorij obolum i. croci obolos iiij. cum passo utere. Octaua præscriptis omnino similis est. De nona uero hoc modo ipse scripsit. Alia qua utor in doloris uexatione & sonitu. Nitri drac. i. myrrhæ ℥. i. rosacei cyathũ i. aceti cyathũ i. simul tritis utere. Hoc pharmacũ nõ ad dolorẽ in inflãmatione conuenit, sed ad eos dolores qui ex obturatione, & flatu frigido ac uaporoso, similiterq; ex humore oboriuntur.

C Decimam deinde hoc modo scripsit. Ad aures purulentas Harpocrationis. Florum mali punici, malicorij, aristolochiæ, chalcitidis, misyos cyprij, gallæ, squamæ æris, singulorum drach. i. myrrhæ, thuris, utriusq; obolos iij. atramenti sutorij assati, aluminis scissilis, utriusq; obolos iij. cum passo pastillos formato ac utitor. Quod si etiam ipse pharmaci promissionem non præscripsisset, facillimum tamen erat nobis eam animo assequi, memoria repetẽtibus ea quæ in principio præfatus sum. Est enim aurium purulentarum resiccatiuum hoc pharmacum quod ipsum malum ex fluxione quapiam ex capite delabente contingit, ob quam etiã exulcerationes diuturnas accidere uidemus. Vndecimam auricularẽ sic scripsit. Auricularis cõ-

D positio in multis consona. Croci drac. i. myrrhæ drac. i. castorij drac. ij. aluminis scissi drach. iiij. thuris drach. i. cum passo ad mellis crassitudinẽ redigito, deinde etiam sic dilutis utitor. Et hæc moderatas affectiones sanat, quemadmodũ etiam ea quæ hanc sequitur. Cæterum quæ deinceps post hanc ab Andromacho adscriptæ sunt auriculares compositiones, eas citra meam expositionem adscribã, quũ ipsas per se cognoscere possint, qui prædicta memoria tenent. Verũ quarũ ipse cum distinctione fecit descriptionem, earum nulla amplius nostra interpretatione opus habet. Deinceps igitur omnes describentur. Ne uidelicet amplius alicuius alterius articularis compositionis, ab aliquo alio medico conscriptæ, mentionem facere opus habeam. In his enim uarietas omnium ipsarum cõprehen

prehēsa est. Auricularis ut Solō diætarius. Myrrhę drach.iiij.aluminis scissi drac.iiij.castorij drachmas duas. thuris drachmam unam. croci drach.i. opij drach.i.cum cretico aut uino mulso ad mellis crassitudinem redige. Auricularis compositio Antipatri ad doloris uexationes. Croci sextantem,alij unc.i. myrrhæ unc. unam. salis ammoniaci unc.i. aluminis scissi, ammoniaci thymiamatis, utriusq; unciæ dimidium,fecis ungēti irini aut Syriaci sextantē,cum uino mulso aut cretico ad mellis tenuis spissitudinem redige ac utere. Auricularis alia ualde commoda. Opopanacis drach.ij. succi papaueris drac.iiij.spumę lycij.drac.iiij.castorij drac.ij.aluminis scissilis ob.iij.croci.ob.iij.myrrhę drac.i. Vsus eius est cum lacte muliebri. Ad aures purulētas cōpositio Spédusæ. Fellis porci castrati partes ij.mellis Attici partē i. Vase uitreo simul indita in feruido cinere usq; ad dimidiū calfacito,atq; ita utitor. Auricularis Harpocratis ad affectiōes & dolores. Spicæ nardi drach.vi.myrrhæ drach.vi. piperis drach.vi. spumæ nitri drach.vi.floris salis drach.vi.croci drach.xij.nuces amaras x.succi papaueris drach.xij.uini ueteris quantum sufficit,stanneo uasi pharmacū infundito. Ad grauitatē auditus & sonitus. Veratri albi drac.i. castorij obol.i.spumæ nitri sesquiobolū. cum aceto optimo utere. Alia. Struthij drac.i.croci cilicij drach.i. castorij drac.i.ueratri albi drach.iiij.nitri drach.i.redigito in pastillos, & usu expetente uino dilutis utere. Ad aures purulentas. Alumen ustum & myrrham cum melle terito & prælota auricula pharmacum lana exceptum imponito. Auricularis Chrysanthi Gratiani, ad inflammatiōes & exulceratiōes. Blattas detractis pennis xij.uini ueteris & mellis utriusq; sexuncē, mali punici putamen unum, succi porri sesquicyathum.In olla noua donec mali punici putamē flaccidum fiat coquito,deinde terito, & ungenti Syriaci unciam unam adijcito,picis liquidæ sequiunciam,ceparum iiij succum expressum, & contrita simul reponito:usu uero expetente tepefacta lana excepta indito. Auricularis compositio ad inflammata & purulenta. Nardi indicæ drach.i.aluminis scissi drac.ij.opij drach.iiij.malicorij drac.iiij.croci drach.ij.myrrhæ drach.iiij. thuris drach.iiij.mellis attici drach.iiij.spumæ nitri drach.iiij.castorij drach.ij.amygdalarum amararum drac. viij. piperis albi grana xxx.aceti cyathum i.urinæ suis syluestris tantundem,fabæ Aegyptiæ uiridis internæ amaræ drach.iiij.trita simul in stanneo uase reponito. Vsus tēpore cum rosaceo instillato, & lanæ purpura infectæ tomentum indito. Auricularis ad desperata uelut Zoilus ophthalmicus tradidit. Seminis hyoscyami obolos iij. aluminis scissi oboli dimidium,myrrhæ drac.i. castorij obolos tres. succi papaueris obolos. iij. gallæ obol.iij. croci obolos iiij. cinamomi obolos quatuor.thuris obol.ij.spumæ nitri obol.ij.sandarachæ obol.ij. uini recentis cochlearia iij.urinæ suis feræ masculæ cochlearia tria,sanguinis conchylij obol.iij. succi mandragoræ obol.i.mellis Attici quantum suf-

A ficit.conchylio aurem obturato. Auricularis alia ad inflammata & purulenta mirabilis. Rutæ obol.iij.myrrhæ obol. iij.succi hyoscyami drach.i. opij.drach. i. croci drac.i.Cum lacte muliebri utere & tepidum infunde. Auricularis compositio ualde bona & probata ex Apollonij libris. Myrrhæ drac.ij.thuris drach.ij.nucum amararū drachmam unam.spumæ nitri drach.ij. aluminis scissilis drachmā unam.malicorij drachmam unam.spicæ nardi drach.ij.aloes drac.iij. uini mulsi ueteris cyathos iij. Arida trita uino mulso ammisce, & cocta in stanneo uase repone, usu uero exigente tepido utere.

Compositiones auriculares ab Asclepiade in primo externorum scriptæ. 11

B Auriculares compositiones ad dolores aurium recentes,quibus Niceratus usus est.Inter eas optima hæc est. Asellorum domesticorū. Est autem animal multipes in aquarijs uasis & sterquilinijs enascens,quod ad digitorum cōtactum in orbem se contrahit,horum tres aut quatuor in oleo ferue facito,& expressum oleū auribus infundito. Facit & cucurbitæ succus cum rosaceo, aut nardino mixtus & tepefactus. Et perdicij herbæ sucus cū oleo coctus. Et centaureæ succus aqua multa dilutus. Et hyoscyami succus rosaceo mixtus.Facit & papaueris succi parum lacte muliebri dissolutum. Et serosus cruor qui à carnibus bubulis dum torrentur destillat.Has itaq; crudas recentes prunis imponere oportet,& crudas adhuc exprimere, C & expressum liquorem calidum infundere. Facit etiam nucum putrefactarum internarum liquor,aceto dilutus addito rosaceo. Facit & Aphricana limaca in propria testa, cum oleo nardino aut rosaceo feruefacta. Facit & suis quæ non peperit fel,pari melle Attico ammixtū. Aliud. Succi papaueris,castorij,utriusq; obolos ij. passo diluito,& modico rosaceo adiecto tepida infundito. Aliud. Succi papaueris & succi peucedani æquales partes dissolutas infundito.

Ad inflammationes cum exulceratione Charixeni. 12

Myrrhæ,opij,castorij,singulorum æquales partes,passo dilutas tepidas infunde. Aliud. Hyoscyami succi,succi papaueris,myrrhæ,castorij,sin- D gulorum drach.iiij.piperis drach.i. passi protropi quantum satis est. Ad siccas nō humentes ulcerationes. Optime conuenit & in pessō appositum.Oesypi drac. iiij. medullæ ceruinæ drach. iiij. butyri drac. iiij. adipis anserini drachmas quatuor. ceræ tyrrhenicæ drach. iiij. terebinthinæ drach.i. olei cicini cyath.ij. olei amygdalini cyat.ij. olei cyprini cyath.ij.pisselæi cyathū i. Componito & utitor quantū sufficit oleo nardino diluto, & ad mellis crassitudinem redacto. Aliud ualde commodum & ad neruorum affectiones. Olei cyprini cyath.ij.irini,rosacei, amygdalini, olei ueteris singulorum cyath. ij. pisselæi cyath. ij.ceræ sextantē. terebinthinæ unc.i.adipis anserini unc.i. componito & utitor. Aliud ad abscessus in profundo, Antonij Musæ. Croci drach.duas,myrrhæ drach.ij.

bdellij drach.iiij.nucum amararum drac.viij.ſucci marrubij, heminæ dimidium.paſsi protropi, heminæ dimidium. Liquores coquito, & ammixtis reliquis reponito. Vtere in paſſo diſſoluens quantum ſufficit. Aliud. Croci,myrrhæ,caſtorij,centaureæ,ſingulorum drac. ij. ſpumæ nitri drac.i. amygdalarum amararum depuratarum drach.viij.ſucci helxines ſeſquiſextarium.paſsi protropi ſeſquiſextarium.Componito ac utitor ut dictum eſt.

Aliud ad inflammationes cum fluxu,quo uſus eſt Cleon. 13

Myrrhæ,aloes,thuris,ſucci papaueris ſingulorum drach. ij.Miſyos crudi drac.i.aceto excipe, & uſu expetente paſſo diluta infunde. Aliud Arij Tarſenſis. myrrhæ drach.iiij. thuris drach.iiij.Miſyos crudi drach.ij.lycij indici drach.iiij. aceto excipe. Vſus iam indicatus eſt. Quod ſi multus fluxus oboriatur ſubſcriptis compoſitionibus utendum eſt,croci,thuris,myrrhæ,opij,ſeminis uiticis, ſingulorum drachmam unam.lycij indici, florum mali punici,florum roſarum ſingulorum drach.ij. aceti heminam unam. Viticis ſemen, mali punici flores,roſarũ flores,in aceto coquito, & ubi diſſoluta fuerint reliquis adijcito, & excepta reponito. Vſus tempore paſſo diluta infundito. Aliud ad purulentas aures cum dolore, quo uſus eſt Cimon. Caſtorij drach.ij.aluminis ſciſsi,croci,myrrhæ,thuris ſingulorum drac.i.paſſo aut uino Myrtite excipe, ac utere ad recens malum cum uino mulſo,ad inueteratum cum aceto. Aliud Claudij Damonici ad purulenta & inueteratas affectiones. Croci drachmas iij. myrrhæ drach. i.nuces amaras depuratas numero xxx.ſpumæ nitri,nardi ſyriacæ, aluminis ſciſsi, ſingulorum drachmam i. thuris obolos iij. Aceto acerrimo excipiuntur, & per acetum diluuntur.

14 Ad fœtorem & nomẽ ſiue ulcus depaſcendo proſerpens,compoſitio Hiſpanorum appellata. Gari nigri quod Romani Sociorum appellant,ſexta.i.aceti ſcillitici ſextarium i.mellis Attici ſeſquiſextarium. Ad compagem coquito, & in uitreo uaſe repoſitis utitor. In alijs deſcriptiõibus ſic legere eſt. Succi cucurbitæ ſextarium i. cõponito.facit ad fœtorem cum inflammatione. Charixeni ad corruptiones & fœtores. Aluminis Melij drachmas octo.atramenti ſutorij drachmas octo.aloes drachmas octo.crocomagmatis drachmas octo.myrrhæ drachmas octo.uini myrtitæ ſextarium dimidium. Alumen & uinum ipſum coquito,atq; ubi in compagem coierint, reliqua aceto diſſoluta inijcito, & repoſitis utitor.

15 Ad carnium incremẽtum,quo uſus eſt Heraclides Tarentinus. Aeruginis raſæ drachmas octo,ſquamę æris drachmas octo.In alio exemplari drachmas quatuor. mellis heminæ dimidium. Arida trita ac melle excepta donec rubefiant coquito, & ablatis utitor. Aliud. Aeruginis drachmas quatuor.atramẽti ſutorij drachmas quatuor. myrrhæ drachmas quatuor. ſucci marrubij cyath. tres. mellis quantum ſufficit, præpara ut dictum eſt. Chalcedonia ad inueteratas affectiones.

A Veratri albi drachmas quatuor.croci drachmas quatuor.myrrhę drachmas quatuor.caſtorij drachmas quatuor. thuris drachmas iiij. opij drachmas quatuor.atramenti ſutorij drachmas ſexdecim.piperis drachmas duas.myrrham, opium, thus, caſtorium, in aceto cui malicorium incoctum eſt, uſq; ad diſſolutionem macerato, deinde ueratrũ, crocum,piper,atramentum ſutorium,contuſa inijcito,atque omnia ſimul diligẽter terito: quod ubi probe factum fuerit, uini mulſi quantum ſatis eſt affundito, ut ad diluti mellis craſsitudinem redigantur. Vſu uero expetente tepefacta infundito. Ex huius pharmaci uſu ſæpe egregie mihi ſucceſſit, uerum temporis progreſſu omphacij drach.i. ad hanc deſcriptionem adieci.

B *Aegyptiæ ad eaſdem affectiones etiam ſi ſint connatæ.*

Amygdalarum amararum depuratarum drachmas ij.fabarum ægyptiarum interioris partis amaræ,piperis albi,croci,myrrhę,opij,ſingulorũ drac. duas.thuris drach.ij. omphacij drachmas iiij. aluminis ſciſsi drac.iiij.caſtorij drachmas ij. atramenti ſutorij drac.iiij.ſpumę nitri drac.ij.Aceto in quo malicorium incoctum eſt excepta,ad limi craſsitudinem redigito. Vſus uero tempore quantũ ſuffecerit ex pharmaco acceptum, ac nardino ungento diſſolutum infundito. Ad ſanguinis ex auribus eruptiones. Heraclidæ Tarentini, facit ut ne in grumos coeat. Marrubij ſuccum coquito & ammixto aceto infundito. Aut mali punici in aceto cocti ſuccũ exprimito & infundito. Aut

C polygoni ſuccum cum modico aceto. Aut acaciam,aut amurcam, aut lyciũ cum aceto. Aliud.

Botryos ſiſtit ſanguinis eruptiones. Succum rubi,et ſuccum gallarum in aceto coctarum,ſimul mixtos infundito.

Quæ pharmaca Archigenes poſt prius ſcripta ſubiecerit. 16

Pharmaca ad auriũ dolores ab Archigene ſcripta ſuprà relata ſunt. Nunc uero etiam ea quæ ad alias affectiones conſcripſit apponam. Humentibus uero polygoni ſuccũ cum pari roſarum ſucco infundito. Aut crocum & myrrhã cum paſſo & roſaceo tepefacta infundito. Purulentis autem prodeſt quidem polygonũ cum roſaceo infuſum. Verum egregie conuenit eis uinum, in quo

D conizæ tenuia folia habentis folia ſint incocta, inſtillatum. Quidam etiam thus ad uinũ ammiſcent.

Aut lycium roſaceo dilutũ inſtillato. Aut marrubij ſylueſtris ſemẽ cum aceto & roſaceo eodem modo. Aut cumini & croci æquale põdus cum uino auſtero. Aut croci & myrrhę utriuſq; drac. duas. nuces amaras decorticatas numero xxxv. nuces tritas cum mellis hemina dimidia, & porri ſucci hemina dimidia commiſceto, et reliqua item probe trita iiſdem liquoribus diluito, ac ſimul deinde contrita inſtillato.

De auribus exulceratis. 17

Cæterum exulceratis auribus & cruentis ac dolentibus, galbanum & opium cum paſſo & roſaceo, mellis craſsitudine inſtilla, aut pro galbano peucedani ſuccum ammiſce, & magis ſuccedet.

Aut

Aut ſpodium aſſatum cum roſaceo tritum infun dito. Aut lycium cum lacte muliebri. Magnifice opitulatur etiã ipſum mel per ſe tepidum infuſum, præſertim ſi fœtores ſimul adſint. Quidam aſellos Millepedas appellatos, qui in aquarijs uaſis reperiũtur, cum unguento quopiam inſtillant, & eximie opem ſentiũt. Aut blattas domeſticas cum roſaceo inſtillato. Probe facit ad omnem auris affectionem, adeps uulpinus inueteratus liquatus & inſtillatus. Aut ſphondylij interiorem uelut medullam cũ melle & roſaceo infunde. Aut elota & cõſcalpta auricula porri aut marrubij ſuccum cum melle infunde. Aut lixiuium pileatorum cum melle feruefactum. Aut thus cum aceto in mali punici putamine feruefactum infunde.

A

Aut gallam tritam linteolo illigatam in uino coquito, & ex hoc inſtillato, ſtatim à dolore liberat.

B

De uermibus aurium. 18

Porrò in quibus uermes ſunt, ueratrum album cum melle immitte, aut aridum inſuffla, aut rubi ſuccũ infunde. Quod ſi uero auriculæ os corroſum ſit, fiſſura retro aurẽ impacta, ipſum ſcalpito, deinde urito, ac citra moleſtiã cicatricẽ inducito.

De ſonitu in auribus. 19

Sonitus quidam ex flatuoſo ſpiritu generantur. Quidam ob exquiſitam ſenſus audiendi ſubtilitatem fiunt, quemadmodum in oculis imaginariæ ſuffuſiones, propter uapores ex ore uentris exhalantes. Cæterũ neutrius affectionis certa cognitio in principio haberi poteſt, Non conuenit tamen citra artem, aut cognitionẽ, aut curationem auſpicari. Dictum enim iam ſæpe eſt atque etiam demonſtratum, non unum coniecturalis ſpei genus eſſe: atq; artificialem quandam coniecturam ex cauſis forinſecus laceſſentibus, procatarcticis à Græcis appellatis, facere licet, ſi quis ipſarũ uires norit, quum alia affectio ex frigiditate, alia ex ardore fiat. Quemadmodũ etiam ex prægreſſa plaga, aut tali uel tali morbo: uelut & ex cruditate, aut largo uini potu, aut uiolento & multo uomitu: aliquando & ob pharmacorum auricularium uſum, ſonitus quidam fiunt. Quin & ſi uel paulatim congregetur, uel coaceruatim irruat ſonitus, idipſum quoq; ad inuentionem affectionis conducit. Inſuperq; ſi per interualla repetat, uel continenter hoc ſymptoma perſeueret. Verum certa cognitio tempore contingit, poſt uſum pharmacorum artificiali coniectura exhibitorum.

C

Siquidem igitur in febribus ſonitus fiant, minime interturbandi ſunt: ut plurimum enim ſtatim ſedantur. Si uero ob flatũ uentoſum, cui tranſitus interclуſus ſit, ſonitus fieri ſuſpicatus quiſpiam fuerit, & ob hanc rem diſſecãtibus & attenuatorijs ac diſcuſſorijs pharmacis admotis, nihil profecerit, ſimulq; apophlegmatiſmis uſus ſit, & toto capiti proſpexerit: huic merito in hanc ſuſpicionem inclinatus animus erit, ſenſus audiendi uidelicet ſubtilitatem ſonitus cauſam eſſe, præſertim ſi acuto audiendi ſenſu æger præditus appareat. In eiuſmodi itaq; quendã, qui prædictis pharmacis uſus erat, neque quicquam opis ſenſerat, quũ ego forte incidiſſem, ex ſtupefacientibus ſenſum quippiã ammiſcui, uelut eſt mandragoræ ſuccus, & papaueris ſuccus, ex eiſq; à ſonitus ſymptomate liber euaſit. Quæ igitur à prioribus medicis ad huiuſmodi ſymptomata & acceſſoria mala cõſcriptæ ſunt auriculares compoſitiones ex diſcuſſorijs & incidentibus pharmacis conſtant. Suprà itaq; in Catalogo & enumeratione cõpoſitionum auricularium ab Andromacho deſcriptarũ, ex eiuſmodi materia compoſitę quædam recenſebantur, quas ipſe ad ſonitus conuenire ſcripſit. Nunc uero eas quas Archigenes ad hanc rem conſcripſit recenſebo.

D

Compoſitiones ab Archigene ad ſonitus conſcriptæ. 20

In ſonitibus repetinis acetum cum roſaceo inſtilla. Aut cuminum & oleum craſsitudine mellis. Aut radicis cucumeris ſylueſtris ſuccum. Aut ipſam radicem oleo incoctã. Si uero ad multum tempus perſeuerent, omnibus amaris & acribus, attenuatorijsq; & diſcuſſorijs, quæ ad dolorem ex craſsis humoribus obortũ deſcripta ſunt, utaris, ſingulis in aceto coctis & admixto melle. Aut reclinato ægro, et nitro crudo trito in aurem inſperſo, acre acetũ tepidũ infunde, ac poſtquam feruere deſierit, lana ſcalpẽdo exterge, & nucum amararum ſuccum infunde, & lana obtura. Aut nitrum & myrrham probe unita, cum roſaceo & aceto, ac atramento ſcriptorio craſſo inſtilla, aut penna in eis immerſa bis in die inde. Aut caſtorio ac nardino pari menſura cum aceto & roſaceo utere. Aut aceto ac nitro melleq; mixtis collue.

Cæterum quibus ob multam ſenſus ſubtilitatem ſonitus oboriuntur, caſtoriũ & cicutæ ſemen cum aceto trita inſtilla. Ex morbo uero obortis ſonitibus, ubi fomentum ex decoctione abſynthij adhibueris, acetum & roſaceũ inſtilla. Aut raphani ſuccum cum roſaceo, aut aloen optimam cum uino mulſo dilutam. Si uero perdurent, ueratrum nigrum aceto decoctũ adhibe. Huiuſmodi quidẽ Archigenes ad ſonitus auriũ cõſcripſit: uerum Apollonius in primo parabiliũ ſubſcripta habet.

Quæ Apollonius ad ſonitus & ſuſurros ſibiloſq; ac inflationes aurium conſcripſit. 21

Acetum acre tepidum inſtilla. Mel Atticum calidum inſtilla. Laurinum oleum eodem modo. Porri ſuccum cum lacte muliebri aut roſaceo infunde. Cucumeris ſylueſtris foliorum aut fructus ſuccum per linteolum inſtilla. Cucurbitæ ſylueſtris medullam oleo dilutam infunde. Cuminum tritum cum medulla uitulina inſtilla. Cucumeris ſylueſtris medullam oleo dilutam infunde. Glandem unguentariam terito, & adipe anſerino ac reſina pari menſura ammixtis inſtillato. Semen lini tritum & unguento Arabico dilutum inſtilla. Miſy terito & unguento roſaceo dilutũ inſtillato. Rutam & cuminum pari mẽſura trita & aceto diluta, ammixto melle infunde. Hyſſopum tritam & cedrino oleo dilutam inſtilla. Amygdalarum amararum oleum melle mixtum eodem modo. Quod ſi efficacius reddere uelis hoc cum priore cõmittito. Viticem & ſtellionis caput pari pondere

dere trita ammixto oleo instilla. Nitrum & resinam & adipem anserinũ, æquis partibus cũ oleo ammixto dissoluta instilla. Cepas & alliũ & adipẽ anserinum pari mensura trita et excolata infunde. Et aqua collutis prius calida, nitrũ tritũ insuffla.

Ad aures exulceratas & purulentas eiusdem. 22

Primum quidem collutiones Apollonius scripsit. Secundum deinde locum infusilia habent. Tertium resiccatoria, & quartum quæ insufflant, iuxta subscriptã ipsius dictionẽ. Aqua calida assidue collue. Lenticulæ decocto eodem modo. Aqua mulsa calida similiter. Hederæ cremore aut decocto cum uino utitor. Malicorij cremore aut decocto similiter cum uino. Gallæ plenę decocto cum uino. Myrto in uino decocta elue. Vino cum modico alumine trito utere. Stœbes semine in uino cocto elue. Vrina & uino mixtis ac calfactis elue. Infusilia: picis serum infunde. Oleæ folia exsuccato, & ammixto melle coquito ac utitor. Papaueris succum passo dilutũ instilla. Ceparũ succo cum melle utere. Rutæ syluestris succum, cũ uino & oleo rosaceo in mali punici putamine calfactis instilla. Cardamomũ tritum cum melle instilla. Peucedani succũ rosaceo dilutum instilla. Aloen et crocomagma diluta instilla. Absinthio cum melle trito utere. Myrrham & resinam ac anserinũ adipem cum oleo trita infunde. Pinguitudinem caseo in figulinum uas recẽs coacto superstantẽ tepefactam instillato. Diphryges tritum cum melle instillato. Alumen scissum tritum cum passo & aceto, ad mellis crassitiem coquito, ac utitor. Resiccatoria. Cedriam melle mixtam instilla. Piperis albi grana tria unguẽto Aegyptio diluta, & in parua concha trita instilla. Crocum et cerusam pari mẽsura trita, et rosaceo diluta infunde. Melanthiũ & sulfur pari põdere terito et rosaceo diluito, et unguẽto irino, adipeq́ anserino pari mensura additis rursus terito ac utitor. Myrrham & sulfur æquis partibus, trita & oleo mixta instillato. Myrrham & putamẽ mali punici dulcis, æquis partibus, trita ac melle diluta infundito. Animalcula ex arboribus, ueluti rubri uermes, trita & oleo diluta instilla. Animalculum quod Intestinum terrę appellatur, coctum & excolatum instilla. Resinam & mel ac oleum pari mensura mixta ac dissoluta instilla. Malum punicũ dulce accipito, & execto eius umbilico acinos eijcito, deinde passi cyathum unũ infundito, & atramenti sutorij triti obolos duos infarcito, & ad mediocrem crassitudinẽ coquẽdo redigito, ac tepido utitor. Quæ insufflantur. Gallã tritam insuffla. Piper rotundũ cũ uino contritũ insperge. Eodem etiam magis diluto pro infusili utendum est. Omphaciũ & gallam torrefactã ęquis partibus trita insuffla. Vtendum etiam deambulationibus, & uetris euacuationibus, & ciborum subtractione & purgatione aurium diligentiore.

Ad aures humectas. Cæterũ ad aures humore madidas, ita enim Apollonius appellat, subscripta pharmaca cõmoda existunt. Misy linteolo illigatum urito, & cum ipso tritũ insufflato. Galla usta ac trita similiter utitor. Spodio trito eodem modo. Alumen in testa torrefactum & affuso oleo tritum insufflato. Cæterum eadem diligentia circa diætam utitor.

Ad auditus grauitatem. 23

Porrò in subsurdis, siue grauiter & difficulter audiẽtibus, aut etiã surdastris appellatis, utpote qui exiguas uoces penitus nõ audiũt, magnas autem uix percipiũt, hoc ipsum symptoma ualde suspectum habere oportet: paulatim enim augescẽs tẽporis progressu perfectam surditatẽ inducit. Quapropter per hieram purgãdi sunt, & per catapotia ex colocynthide, pituitaq́ eis per apophlegmatismos detrahẽda, ac caput resiccandum est, omniq́ modo curandũ ut robur ei addatur, quemadmodum iam sæpe est demõstratum. Vtendũ etiã attenuatoria diæta. Atq́ in ipsam auriculã pharmaca conijciẽda sunt, quæ crassos & uiscosos humores findunt ac diducunt. Quorum sylua eiusmodi est.

Quæ Apollonius in primo parabilium ad auditus grauitatem pharmaca conscripsit, in hæc uerba. 24

Ad auditus grauitatẽ repentinam, & ex dolore capitis obortã. Absinthiũ cum aqua decoquito, et per stipulam fomentũ inde facito, quomodo aliàs per arundinẽ id fieri demõstrauimus. Baccis lauri aut folijs eiusdem in aqua decoctis similiter utitor. Similiter etiã origano, atq́ itẽ hyssopo. Aqua quoq́ marina & aceto eodẽ modo. Eisdẽ autem & in olla coctis utẽdum est, fomentũ uero per ollam quõ fiat iam demonstratum est. Aceto albo et aqua pari mẽsura cum nitro trito feruefactis, ad plures dies eluito, atq́ inde aqua simplici calida eluito, & sic ea quę ad hãc rem descripta sunt infundito. Marrubij succũ & irinum unguentũ mixta instillato. Fel tauri & capræ ac unguẽtum rosaceum mixta instillato. Ceparũ succo & resina oleo dilutis æqualiter utitor. Oleo nucũ & resina mixtis pariter utitor. Alumen aceto dilutũ instillato. Myrrhã & alumen pari põdere trita & aceto diluta infundito. Adipẽ anserinũ & fel bouis, ac laurinũ pari mẽsura mixta instillato. Hederæ syluestris baccarũ succum per linteolũ expressum instillato. Veratrũ nigrũ aceto tritũ, melleq́ multũ cocto exceptũ, in parua collyria ad formã glandis redigito, eaq́ meatui indito, ac per dies quinq́ sinito. Senectam anguiũ aceto tritam instillato. Eadem & cũ felle bubulo, aut caprino, aut testudinis marinę, aut callionymi diluta utitor. Nasturcij quantũ sufficit, et nitri parũ, carne ficus reiectis granis excipito, indeq́ collyriũ auditorio meatui congruũ formato ac indito, Per triduũ aũt ipsum eximito. Hoc multas sordes educit, & confestim leuius malũ reddit. Cęterũ reliqui corporis quoq́ cura habẽda est. Deambulationibus itaq́ pro uiribus multis utendũ est, et capitis reliquorũq́ mẽbrorum frictione. Insuper & apophlegmatismis & collutiõibus quæ pituitam extrahere possunt.

Cibis utendũ est copia moderatis, & ex genere eorum quæ facile exoluuntur & facile concocta excernũtur. Plurimum autẽ auxiliatur in huiusmodi affectiõe cõstitutis, spõgia tenuissime cõtri

ta & auriculæ indita. Idem remedium cōmodum A est & ad carnem in auditorio meatu enascentem. Post hæc uero, inquit, utendum esse ollę fomento iam ante à se indicato. Indicauit aūt hoc ipse inter reliqua auditus præsidia, uerum ego ipsum uelut à me condemnatū reliqui, propterea quod ad elo tionem quidem præstet in aurium dolore, utilitatem autē de se omnino nullam præbeat. Quapropter nunc ipsum apponam: uerisimile est enim surdastros inde iuuari, utpote qui cōtrarijs præsidijs opus habeāt his qui aurium doloribus uexantur. In doloribus enim affectæ partes exquisita quiete opus habent. Surdastri uero uehementi motu, & ferè dixerim trāsmutatione in contrariā ei quæ iam adest affectionem indigent.

Fomenta ad aurium dolorem ab Apollonio his uerbis conscripta. 25 B

Fomentis porrò utēdum est per spongias aqua calida imbutas ac sufficiēter expressas. Itemq; per cucurbitas affixas. Amplius uero & per uaporem ex arundinibus perforatis illatum. Oportet autem alterum arundinis extremum concauitati auriculæ congruens esse, alterum uero in ollam perforatum operculum habentem, & undiq; obturatam incumbere. Sit autem in olla absinthium in aqua feruefactum, quo uapor inde sublatus ad auditorium meatum perferatur. Similiter & per fermentum in ueru assatum fomētum adhibendum est. Vehementer etiā subscriptus fomenti modus cōuenit. Vrinam tauri maxime, aut certe bouis uetustissimā, in ollam nouam angusti oris infundi C to, & aceti tertiam urinæ partē, ac myrtū cōtusam ammisceto, deinde testas pro ollę magnitudine satis multas, igni candefactas in ollā conijcito, posteaq; hominem inclinatū apposita ad ollam aure, fomentum admittere iubeto. Circum aurē uero fasciculum ex lana in orbem circūponito, ne uidelicet circumsitæ partes exurantur. Vtendum & farina ordeacea ac triticea in uino cocta, itemq; unguento irino calido, grātia fomēti. Superne uero auriculæ imponēdæ sunt lanæ molles ac puræ uino & oleo imbutæ, ordeacea itidem & triticea farina, aliquando quidem per se cocta, cum uino & unguento irino, aliquando uero columbino stercore, & aristolochia tenui, æquis partibus ammixtis. Confert autem & cibi abstinētia, & diæta te D nuis, & alui euacuatio larga & memorabilis. Insuper & quies, ocium, capitis uelamē, In potu aqua calida, aqua mulsa, ptisanæ succus cum melle, donec remiserint dolores.

Quæ Archigenes ad auditus grauitatem, ac surditatem his uerbis conscripsit. 26

In auditus grauitate succū corticis raphani cum rosaceo aut cyprino tepefactum instilla. Aut galbanum cum aceto & melle feruefactum. Quod si surditas succedat, Veratrū nigrum erui magnitudine in cocto melle indito, ac donec quod impedit erodat sinito. Aut ubi absinthij decocto elueris, mel & oleum instillato. Aut collyrio ex nitro, ficu, & sinapi immisso, per triduū id non extrahimus. Postea uero acutis uocibus assiduis & uicissim grauibus inclamamus, et per tubam sonitu immisso malū depellere conamur. Post hæc & asphodeli radices oleo ueteri incoctas utiliter infundimus, caprinaq; urina assidue eluimus. Cæterū surditate ex capitis dolore oborta, raphani succum cum rosaceo infudi. Aut foliorū cucumeris syluestris succū. Aut castoriū cū baccis lauri & aceto.

Eiusdem de corpusculis quæ auribus illabuntur. 27

Quod si aqua in aurē illabatur, Auxiliatur acetum, & cum altero pede affectæ auriculæ propinquo exilire, aliqualiter seipsum reclinando. hoc enim modo facile excernit. Quin & exuctio simplex per os, aut etiā per stipulam, egregie aquam extrahit: quod ubi factum fuerit, cōscalpta per lanam auricula, ex prædictis unguentis aliquod instilla. Si uero calculus, aut faba, aut cōsimile quippiam, in auditorium meatum illapsum fuerit, eluito, aut lana circa auricularium specillum obuoluta, & resina tincta extrahito. Idem & per glutinosum aliquod pharmacū fieri potest. Quod si neq; sic sequatur, sternutatorio in nares iniecto, os ac nares obturato: facta enim spiritus cōclusi extensione, id quod incidit efflatur: idq; assidue donec excidat facito. Si enim intus manserit, aure inflammata conuulsiones inducet. Optime etiam confert ad eorum quæ illapsa sunt eiectionem, concussio. Si itaque puer fuerit, pede comprehensum & in caput eleuatum, cū concussione uibrabis, Si uero perfectæ ætatis quispiā ita fuerit affectus, ipsum in tabulam secundū affectam aurem reclinatum, caput ad tabulam firmare iubeto, deinde leuata tabulę circa caput parte, deferri sinito, idq; sæpe repetito. Mouebitur enim quod incidit, & ad expeditiores meatus partes progredietur, atq; ita angusta & cōcaua specilli parte immissa scite extrahito. Si uero faba aut cōsimile quippiam in aurem illapsum, in ea maneat, madefactumq; & tumefactum, dolores inducat, impossibile quidē est ipsum integrū eximere. Quare per specilli concauū industrie partiri ac diuidere idipsum oportet, atq; ita particulatim extrahere, deinde sapam aut uinum dulce calidū infundere, ac lenire meatum ex lancinatione offensum. At uero si animal aliquod illapsum sit, scāmoniam aceto dilutam, aut absinthij succū, aut peucedani succum, nitrūq; ac sulphur cum raphani succo instillato.

Apollonij de ijsdem. 28

Apollonius autem de ijsdem sic scripsit. Ad pulices & uermiculos in auribus, reliquaq; earum poro illapsa, acetum & oleum instilla. Aut capparis succum instilla. Aut amygdalas amaras terito, & oleosum ab ipsis expressum instillato. Veratrū album tritū inspergito. Aut Aristolochiam tritā inspergito. Aut calaminthæ succū infundito. Aut cinnabarim uiridē instillato. Aut ueratrum albū cum uino infundito. Aut aluminis & seminis cucurbitæ syluestris, siue medullæ eius, æquas partes tritas cū oleo cedrino instilla. Aut cepam tritā & œsypū æquis partibus in uino diluito ac infundito. Aut myrrhā tritam, acetoq; ac melle pariter dilutā adhibe. Aut chalcitidē crudam

tritam ac melle dilutam infunde. In uniuersum uero eximendum est quicquid in meatum incidit hoc modo. Per auriscalpium nimirum aut uolsellam, aut lanam mollem specillo obuolutam & resinatam, aut etiam quæ uncinum habeat tenuem appensum. Nitrum etiam assatum tritum auriculæ inspergito, & acetum instillato, ac lana apposita per noctem sinito. Sequenti uero die aqua & oleo calido eluito. Cæterum ad aquam in aurem acceptam, cæpe succum & adipem anserinum tepefactum instilla. Aut mali punici nucleo carentis dulcis & acidi succum in æreo uase donec duæ partes supersint coquito, indeq; duas guttas instillato. Aut myrrham ex aceto & melle tritam infundito.

Auricularia pharmaca à Critone conscripta his uerbis. 29

Ad sonitus aurium à morbis. Absinthium in aqua decoctum pro fomẽto adhibe, & rosaceum cum melle instilla. Aut raphani corticis succum cum rosaceo instilla. Aut aloen cũ uino & melle. Aut thus cum aceto & rosaceo in malicorio ad mellis spissitudinem coquendo redactum. Aut hyoscyami succum cum rosaceo tepidum. Aut radicum calami uiridis succum cum lacte. Aut rhamni succum cum celtica nardo. Aut gallam nigram cum pari myrrha ex melle. Aut lycium cum uino mulso instilla. Aut uulpis adipem.

30 Ad dolores aurium cum humiditate & purulentia. Vini ueteris sesquiunciam, mellis corsici unc.i. nitri rubri unciẹ dimidiũ. lycij indici unc.i. lycium cũ uino & nitro tritũ leuigato, ac mel ammisceto, & in uitreo uase reposita infundito, hyeme quidẽ bis in die, æstate uero sæpius, & tomentum lanæ cõchylio infectæ indito. Ad aures purulentas. Alumen scissile terito, & affuso aceto ad liquidiorem strigmento compagem redactum lana conuoluta excipito, & resiccata lana, ex ipsa in aurẽ indito, aut hoc ipsum pharmacũ liquidum per lanam specillo obuolutam in aurẽ demittito, eamq; ex eo quotidie illinito. Expedit & modicum passum affundere ne pharmacum exarescat.

Archigenes ad aurium affectiones extra meatum. 31

Cęterum ad affectiones aurium extra meatum auditorium Archigenes hæc conscripsit. Ad aures contusas, myrrham, thus, terram nigrã, qua aliqui se tanquam smegmate confricant: cum acri aceto probe unita cerati crassitudine imponito, & nequaquã amplius irritato. Aut cerusam & apij semẽ pariter accepta cum melle obline. Quidam absinthiũ pro cerusa scribũt. Aut sulphur uiuũ, myrrham, & thus cum pice liquida in splenio imponito. Aut glutinum fabrile & asphaltum siue bitumen eodem modo. Quidam etiam mannam, hoc est, thuris micas ammiscent. Aut cephalico Asclepiadeo emplastro utere. Aut pastillis pudendis destinatis illine. Porrò in quibus contusæ sunt aures, intrinsecam expeditionem concauitatem cartilagineã, figulina terra expleto: & sequenti die ubi exaruerit, solanum cum cerusa illinito, usq; quo in integrũ restituãtur. Verum in aurium uulneribus & fissuris, cartilagine probe coaptata

A fibulas imponito, deinde inflammationem arcentibus & reliquo glutinatorio ductu utitor. At uero inflammata in aurium puerorũ pulpis foramina oleum, quod in ærea lucerna æruginem contraxerit, illinẽdo persanabis. Cæterum Asclepiades huiuscemodi ad contusas & fractas aures compositione usus est. Aloes partem unam. glutinis fabrilis cum aceto cocti partem unam. mixta imponito. Aliqui mannam siue micas thuris ammiscẽt. Epithemata ad contusas aures. Cotyledonis herbæ drach.viij. amygdalarum amararum depuratarum drach.ij. tragacanthi drac.ij. aceto dilue & uisco quercino excepta, et linteolo infarta, impone. Aut ceræ drach.viij. galbani drach.viij. nucum amararum drac.viij. uisci quercini drach.xvi. thuris drach.viij. misyos. assati drach.viij. componito

B ac utitor. Apollonius autem hoc modo, tum aurium inflammationes in superficie cutis ex humorum impressione aut plaga obortas, tum tumores ac rubores curauit. Butyrum recens excolatum instilla. Aut adipem anserinum & lac muliebre mixta instilla. Aut glandis unguentariæ succum & resinã liquidam tepidã affunde. Aut adipem bubulum ac anserinũ æquis partibus liquefactos instilla. Aliud quod illini potest. Papaueris succum aqua dilutum, penna illinito. Aut crocũ tritum & muliebri lacte dilutũ illinito. Aut argenti spumam cum aqua & nardo tenui tritam illinito. Aut cerusam coriandri aut polygoni aut solani succo dilutam illine. Cataplasmata. Ab-

C sinthium tritum ex aqua pro cataplasmate impone. Aut sesamum aqua tritũ impone. Lentem aqua tritam cum melle impone. Aut mali punici dulcis putamina cocta & trita in uino: hoc ualde cõmodum pharmacum existit. Aut myrrham & adipem anserinũ, uel butyrum, uel resinam, & cõchylij partem internam æquis partibus trita super aurem & propinqua tẽpora impone. Cõuenit autem ad hæc ciborũ abstinentia, alui euacuatio, insuper quies, & capitis ac reliqui item corporis uelamen. Lõge uero remota esse debẽt, ardor, frigiditas, balneũ, uomitus, clamor, & omnis distẽtio.

Ad exulceratas ex plaga & fractas aures. 32

Panem calidum internũ cum melle tritum impone. Myrrham cum uino ueteri tritam illine.

D Cochlearum colla unà cum testis terito, & dimidiam myrrhæ partẽ addito ac imponito. Absinthij & apij seminis æquales partes tritas cũ melle imponito. Picem circũline & sulphur tritum aut thuris micas insperge. Verũ ne obliges ista, neq; frequenter repetito epithematum detractiones.

De Parotidibus. Cap. II

Parotides è genere quidem sunt inflammationum, fiunt autẽ glandulis circa aures affectis: non tamen prima parte curationis partiũ inflammatarum in eis utimur. in illis enim ut plurimum curatione reprimente ac repulsoria à medicis appellata uti cõuenit, atque id maxime quum neq; malignũ sit, neq; multum quod influit, neque corpus humoribus ex æquo redundet: Sic nanq; spongia sola ex posca imposita incipiẽtes inflammationes

repressit, neq; quicquã ex eo totũ corpus fuit offensum. Verum in parotidibus ipsum contrarium facimus, pharmaca attractoria adhibentes, atq; si hæc nihil memorabile efficiãt, etiam cucurbitam affigentes, aut fomenta assidua adhibentes, Annitimur enim ut affligẽs humor ex profundo ad cutem adtrahatur, præsertim si in capite affectio sit firmata, humoribus uidelicet in ipso obfirmatis. Quin & quũ citra capitis affectionẽ, in febribus acutis natura superfluos humores ex uasis effundens, ad regionem inter cutem & subiecta corpora deponit, quando sane & glandulæ ex effusis humoribus participãt: melius utiq; etiam tunc uidetur naturam adiuuare, per humorum ex loco in locum impetuosum illapsum, febres curantẽ. At uero quum uehementi impetu fluxus illabitur, nihil nos curiosius agẽtes, omnia naturæ permittimus. Si enim siue cucurbitam, siue aliud pharmacũ humores ex alto ad cutem adtrahẽs admouerimus, uehemens dolor hominẽ apprehendit, unde & uigiliæ & febres inducũtur, ac uires exoluuntur. Mitigare itaq; tunc & non humorum influxui opitulari cõuenit, per cataplasmatũ maxime leniẽtium usum, uelut est quod ex frumenti, aut hordei, aut seminis lini farina, cum aqua mulsa, aut fœni græci, aut altheæ, aut chamęmelorum decocto coquitur, & quæcunq; ad hoc quod moderate humectã habent caliditatem, per quã mitigare dolores ualent, etiam influẽtes humores cõcoquere possunt ac suppurare, quemadmodum de his in cataplasmatum tractatu sermonem fecimus. Quod si etiam sanguis redundare uideatur, per uenæ sectionem ipsum euacuabimus, pręsertim si id uires permittant. Nunc uero ad pharmacorum compositionem progredientes, quã etiam à principio nos tractaturos recepimus, qua ratione tum compositio ipsorũ, tum usus constet docebimus. Si itaq; tumor non discutiatur, suppurantibus pharmacis utendum est, uelut est frumenti farina cũ caricarum decocto & oleo. Itẽ quod ex polline, & quod ex fermento constat pharmacum. Si uero suppuratæ fuerint parotides, tunc aut per sectionem pus elicere oportet, ulcusq; uelut in eiusmodi fieri moris est ac omnibus notũ curare, aut sane per pharmacum abscessum rumpere, Quale est Smiliũ appellatum, & quod ex allijs cõstat: aut tẽtare ut ipsum per medicamenta attractoria & tenuium partium uim habentia discutiamus, bis per diem ijsdẽ ablatis, & fomentis admotis donec remiserint & laxati fuerint dolores. Quãdo uero iam plurimũ puris fuerit discussum, tunc iam primũ semel soluere ea medicamenta, & fomenta adhibere oportet: deinde uero neq; ex re est id facere, sed ipsis pharmacis permittere, ut si quid reliquum in profundo hæreat, id ipsum discutiant. Quòd si duricies adsit, ea ipsa quoq; mollienda est, quare hoc tempore ex mixta pharmacorũ facultate compositio parabitur, emollientibus uidelicet ad attractoria ammixtis. Postquam uero omnis purulentia fuerit euacuata, & adhuc duricies aliqua relinquatur, emollientibus pharmacis utendum est, quorum syluæ siue

A materiæ itemq; compositionis uarietatem, in malagmatum sermone demonstraui. Manifestũ autem est, quod moderatas parotidas, in quibus neque humorum multitudo redundans in particulas irruit, intantum ut uehementes dolores excitet, neq; caliditas cũ humore adest, facile per hæc sanare possimus. Neque enim ad suppurationem festinant, neque uehemẽtem dolorem inducunt. Verum licet etiam fomentis ex muria uti, & cataplasmata magis calefacientiaq; & discutientia adhibere, & medicamenta eandem facultatem prope attingentia. Quum uero plerique medici & parotidum pharmaca indistincte conscripserint, Si quis prædictis in memoriam reuocatis ad eorum usum accesserit, facile intelliget quibus tãdem ad B singulas parotidas utendum sit. Verum præexercitabo etiam ego uos ad hanc rem per exempla, quæ Archigenes in primo pharmacorum secundum genus his uerbis scripsit.

Archigenis ad parotidas. 2

Parotidas dissoluere uolentes, plantaginẽ cum sale tritam assidue pro cataplasmate imponimus. Aut caprinum stercus ex aceto. Aut rumicis syluestris radices coctas in uino, aut ficũ tritam cum atramento sutorio. Aut ficum coctam, cum absinthio & uino tritis. Aut buccina marina, aut purpuras ustas, melle aut axungia exceptas imponito, & confestim discutientur. Idem etiam ostreorum testa usta & cũ melle imposita facit. Aut ceratum rosaceum siue cyprinum, ruta ammista, aut C sulphure uiuo addito, emollitũ, aut cimolia cum aceto. Discutit maxime ficus aqua marina aut muria cocta, ac trita imposita. Idem facit & marrubium tritum cum sale, & lana butyro imbuta ac imposita, inchoãtibus parotidibus opitulatur. Quẽadmodum huic postremo loco ab eo relato, recte Archigenes discrimen apposuit, incipientes parotidas è butyro opem sentire testatus: Sic cõueniebat ipsum etiã circa alia medicamẽta utendi tempus adijcere, uelut ego pauloante feci. Quin et circa hoc ipsum butyrum, non satis est ex solo parotidum principio facere discrimen nisi apponatur num uehementer aut molliter concitetur, & num dolenter uelut cum pulsationibus & uigilijs infestet, an cum moderato dolore. Deinde qui sit D morbi status, Num magna omnino laxitate opus habeat, an per minorem iudicari ac finiri possit: tali nanq; suffecerit butyrũ, in corporibus præsertim mollibus eunuchorum, puerorum, & mulierum, & eorum qui teneram habent carnẽ. Si uero cum uehementi dolore fiat, cataplasmate dolorem sedante opus habet, simulq; assiduo fomẽto uel per solam aquam, uel etiam modico iniecto ad eam sale. Quandoquidem uero primum omnium pharmacum conscripsit, plantaginem cum sale, ab illo sane etiam nos rursus initium faciemus, plantaginis naturam recordantes ex mixtis facultatibus discussoriaq; & repulsoria compositam esse. Ego uero nunquam pharmacis ad parotidas destinatis repulsoria ammisceri operæprecium existimo, præterquã si aliquando, raro tamen, ad multam

discussoriorum copiam parũ quiddã ex eis addatur, atq; id tum demum ubi citra uehementẽ dolorem parotides irruant. Quod uero deinceps scriptum est, Stercus caprinũ ex aceto, inueteratæ, ac induratæ nullumq; amplius memorabilem dolorem habẽtis parotidis pharmacum esse possit, uelut etiam lienis in scirrhum indurati. Tertio dein de loco consequenter, Radices rumicis syluestris in uino coctas tradidit. Si sanè & qualitatem & ætatem uini apposuisset, fortassis & ego tentassem de eo iudicium ferre. Quũ uero nõ adiecerit, multumq; differat acerbũ, aut austerum, aut acre, aut dulce, aut recẽs, aut uetus, aut crassum, aut tenue, aut fuluum, aut album, aut nigrũ uinum esse, ob id etiam ego nihil habeo quod de hoc pharmaco dicam. At quum uobis hoc cognitũ sit, q maiori discutiendi ui præditũ sit uetus, præsertim si ex genere natura calidiorũ sit, uelut sunt in totũ fulua, cõtraria uero huic secundũ uires tum austerum, tum acerbum, huiusmodi quidem uinum uitare oportet, In fuluo uero et mediocriter uetusto, et tenuiũ partiũ, rumicis radices coquetis, et in parotidibus citra uehementem dolorem obortis adhibebitis. Scribit deinceps, ficum tritam cum atramento sutorio. Discussoriæ quidem igitur & attenuatoriæ facultatis est ficus, præsertim arida: recens uero discutiendi quidem uim habet, uerum concoquere non potest. Verum attramentum sutorium nemo ignorat utrasq; facultates fortes cõplecti, quapropter etiã uehementia eius uitãda est. Cocta dein de fico nimirũ arida, cũ absinthio & uino tritis, uti iubet. His sanè etiã uos utemini in tẽpore, ad medias magnitudine ac tẽpore inflãmationes, Quẽadmodum etiã buccinis, & purpuris, & ostreis ustis, in durescentibus ac uetustis. Est enim pharmacum quod omnem afflictionẽ & acrimoniã mitigat & discutit, nõ solũ si melle quis eorũ cinerem imbuat, sed & multo magis si adipem uetustum à fibris depuratũ ammisceat. Citra omnẽ enim molestiam omnes inueteratas inflãmationes discutit, etiam si ex influxionis materia sint obortæ. Deinceps cerato rosaceo & cyprino cũ ruta uti iubet, quod discussorium quidem pharmacũ est, uerũ nihil uehemẽs neq; uiolentũ in se habet. Paulò uero efficacior fit cõpositio, si sulphur uiuũ pro ruta ammisceamus. Quæ sequit deinde cimolia cũ aceto, neq; fortẽ, neq; dolorosam, neq; magnã parotidẽ curare potest. Ficus uero aqua marina cocta, in inueteratis iam cõmoda fuerit, utpote discussoria ui prædita, uelut etiã si aquæ marinæ penuria, muria quis utat. Simile huic est, quemadmodũ etiã ipse Archigenes dixit, Marrubiũ cũ sale. Post hæc uero de butyro scripsit, cuius ut ultimi circa illius dictiõis ordinẽ, paulò ante mentionẽ feci, post quod rursus ad generosum pharmacũ trãsit, Pyrethrum tritũ fico excipi iubẽs. Deinde calce uiua cũ melle trita uti præcipit. Et post hoc, mustelæ sanguinis illinendi meminit. At uero talia tanquam curiosa & superuacanea, & quæ magnã rei medicamentariæ egestatem indicent, si per alia auxilia, citra sanguinis mustelæ adhibitionem, parotidas cu-

A rare nequeat, neq; in usum assumpsi, neq; eorũ experimentum habeo. Sed neque ex amicis nostris quispiam alius uti tentauit. Verum cerebrũ illinire quodcunq; tandem, mediocriũ parotidum medela existit. Post hoc uero hæc uerba scribit. Aceto feruenti perfundito, aut spongiam in acida muria imbutam imponito. Fossorum ac messorum fortassis ea fuerit medela, non hominum urbanorum. Deinceps acris mẽtionem facit pharmaci ex mustela usta, cuius cinerem cerato irino excipi iussit. Verum eiusmodi pharmacis, quando diu durant & in scirrhum indurantur utẽdum est: pleraq; enim ab eo scripta ueterascentium & ægre solubilium parotidum remedia existunt, quapropter etiam ipse ad pharmacũ hoc adiecit, q etiam B Strumas probe sanare possit. Post hoc uero eiusmodi dictio inordinate inserta est, tum assidua calidæ adspersio, tum assidua crudæ ordeaceæ farinæ impositio. Quod ipsum siue quis per se legat, siue prioris dictionis finem, huius dictionis principium faciat, utrunq; male dictum est. Manifestum uero hoc erit ubi præcedentis dictionis finẽ præposuerimus, ut totus sermo eiusmodi fiat. Mirabiliter discutit & strumas, sæpe etiam parotidas, tum assidua calidæ adspersio, tum assidua crudæ ordeaceæ farinæ impositio. Aperte enim falsum est, strumas & parotidas ex assidua calidæ aspersione, & assidua crudæ farinæ ordeaceæ impositione discuti. Si uero de parotidibus solum dicatur, certa distinctio aberit, quæ doceat nos in quibus & quali C bus parotidibus aquæ calidæ adspersio, & assidua crudæ ordeaceæ farinæ adhibitio conueniat. Non enim in omni, sed quam citissime uelimus suppurari, hæc facienda sunt, quemadmodum in superiori sermone est indicatum. hoc itaq; uitiose, ut dixi, intersertum est. Cæterum Archigenes ad consequentia transgressus rursus pharmaca scribit, non apponens quod induratis & inueteratis salutaria existant, quum nos ex materia ipsorũ, ipsa talia esse cognoscamus. Adscribam aũt iam uobis ipsius Archigenis dictionẽ. Quæ sic habet. Proprie uero lupinorũ amarorum farinã cum melle coctam, modica calce uiua addita, pro cataplasmate imponito. Egregie discutit & hoc. Picis brutiæ, mannæ siue micarũ thuris æquales partes, terebinthi D næ, palmarũ Syriacarũ non uetustarũ pinguiũ carnis puræ, utriusq; duplũ. galbani dimidiũ mannæ. probe unitis utitor. Si uero dura sit resina expectato. Aut nitrũ & rubricæ sinopidis tertiã partem cũ ungento cyprino ad strigmentitiã crassitudinẽ redacta, ac linteolo infarta imponito: Aut calcẽ uiuã cum strigmẽtis eodem modo. Aut caricas, galbanũ, nitrum pari mensura, sulphuris tertiã partem, terebinthinæ, opopanacis utriusq; parũ quiddam. unitis utere. Aut calcem uiuã cum aceto tritam impone. Quòd si neq; per hæc discutiantur, adiuuabimus permutationẽ in suppurationẽ per largam & frequentẽ decocti lauri aut baccarum eius perfusionẽ, aut sulphure uel cõsimili quopiã in aquã insperso, et per frequẽtia ex calida crudaq; ordeacea farina cataplasmata, siue nitro, siue co-

lumbino stercore in ea ammixto. Aut etiã cucurbita cum scarificatione affixa. Deinde ad chirurgiam perueniendum est & crudi abscessus sectionem. Optimum enim in his ut q̃ celerrime fluxio foras euellatur. Hæc quidẽ Archigenes scripsit.

3 Sunt aũt & multa emplastra quæ parotidas discutiunt, aliqua quidem iam inueteratas et induratas: aliqua uero eas in quibus sedato dolore, nulla amplius puris suspicio est, Quemadmodum etiã aliqua quæ iam suppuratas curare possunt: talia uero inter discussoria emplastra, singula cũ uirium suarum professione conscripta sunt, uelut etiam ea quæ simplices parotidas curant laxatoria appellata, omnibus nota sunt. Exempla ipsorum sunt, Emplastrũ Mnaseæ, & quod ex succis constat, & quod ex ptisana. His adhuc molliora sunt cerati forma, tum ex butyro, tum ex œsypo conflata, ostreis aut buccinis, aut purpuris ustis additis, adipeq; porcino, singulis quadrãtis pondere Præstat & hoc. Butyri unc. i. ceræ sextantem et unciæ dimidium, ostreorum ustorũ quàm tenuissime tritorũ sextantem. liquescibilia liquefacito, ostreaq; infarcito, ac unitis utitor confidenter. Efficacissimum hoc ad parotidas existit.

De affectionibus narium. Cap. III

Ex genere tumorum præter naturam, polypodes in naribus generant. Ex genere uero ulcerum ozænæ, Secundum genus autem excretionũ præter naturam, Sanguinis eruptiones fiunt in morbis acutis, iuxta rationem earum quas recẽtiores Medici priuatim Superexcretiones appellant. Nimirum in quibus natura ad iudicatoriũ auxilium concitata, modũ excessit. Primum itaq; de ozænis sermonem faciunt, quæ ex humorum acriũ & putrescibilium influxu generantur: ita ut si acres solum sint, ægre curabilia ulcera producere cõsueuerint, non tamẽ graueolentia. Cæterũ cura communis ambobus his est, iteq; polypi, ut uidelicet primum caput siccetur & firmetur, quũ palàm sit ob uitiatorũ humorem redundantiam defluxũ ex eo in nares prouenire. Quo modo uero caput totum corroborare oporteat, quo nullum recremẽtum ex eo ad inferas partes delegetur, sæpe iam dictum est. Quum igitur per illa caput ualidum reddideris, ad naris progredieris curationem, Scopo in ozænis proposito, ut affecta pars per mixtæ facultatis pharmaca tum repellentia, tum discutientia, resiccetur. Repellunt itaq; tum austera, tum acerba, quæ communem adstringentium appellationem habent. Discutiunt autem calida & sicca facultate prædita, quorum sylua talis est.

2 Archigenis pharmaca ad ozænas, Quum ozæna in naribus fuerit, calaminthæ succũ infunde. Aut ipsam calaminthẽ aridam per fistulã insuffla. Aut ueratrum album cum seminis nasturtij chema quotidie insuffla: post hoc uero caput perfunde. Obline autem eos uel chalcitide, aut atramento sutorio, aut psorico cum melle. Aut instillato in narem melle, & per sternutatoriũ facta cõcussione, tectoria ulceri obducta excutito, deinde præscriptũ ex nasturtio & ueratro pharma-

A cum, per narem adtrahere quàm plurimum iubeto, & postea amurcam cum melle illinito. Aut ranunculi succũ cum alumine liquido in narem infunde, ægrumq; resupinatum donec ad os penetret attrahere iube, atq; id usq; quo percuraueris identidem repete. Si uero uetera sint ulcera, etiam acetum uetus ammisce, aut sulphur tritum. Acre item acetum in uasculũ angusti oris fusum, ad multum tempus ad respiratione ipsorum appone, deinde Misy cyprium, & dimidium eius nardi indicæ, cum uino chio ad mellis crassitudinẽ redige, ex eoq; meatus obline, & per lanam obtura. Ad ulcera in naso. Vlcera in naso, ex malorum punicorum succo in æreo uase ad medietatẽ cocto perline. Aut malum punicũ dulce integrum in uino B coctum terito, & forinsecus imponito. Aut uiolam albam ex aqua affricato. Aut rubi succum & alumen Melium cum aqua diluta eodem modo. Si uero uetus sit ulcus cũ aceto diluito. Aut iridem & sandaracham cum melle oblinito. Aut adipem uitulinum & resinam illinito.

De polypo narium. 3

Polypus tumor est qui præter naturam in naribus generat, polypodis carni assimilis iuxta substantiæ proprietatem. Manifestum itaq; est affectionem hanc ex crassis & uiscosis humoribus generari, atq; ob id mixta materia medicamentaria opus habet, ut uidelicet partim adstringat, partim secet & attenuet, partim etiam discutiat & cõdenset. Archigenis ad polypodas. In polypode C nasturtij tenuis chemam, siue drachmam dimidiam, cũ ueratri albi obolis duobus, nare adtrahere iube. Vbi uero exciderit linamentis cum anthera siue florido emplastro ex melle utere, aut lyceo eodem modo.

4 Asclepiadæ ad Ozænas & polypos. Asclepiades in quinto exterorũ sic scripsit. Aridũ ad Ozænas, Aluminis scissi drach. iiij. myrrhæ drac. iiij. sandarachæ drac. iiij. gallæ drach. i. atramẽti sutorij usti dra. i. tritis utere. naribus prius uino odorato elotis, & pharmaco per specilli extremũ siue nucleum admoto. Aliud. Seminis ericæ drac. viij. myrrh... drac. viij. nitri rubri drach. viij. malicorij dra. viij. seminis tamaricis drac. i. crocomagmatis drac. ij. tritis utere. Aliud. Soreos Aegyptij D friabilis drac. ij. chalcitidis ustæ drac. ij. seminis tamaricis drac. i. croci drac. i. myrrhæ drac. i. tritis utere. Aliud. Chalcitidis ustæ ʒ. ij. atramenti sutorij assati ʒ. ij. Misyos drac. ij. amomi ʒ. i. myrrhæ ʒ. iiij. croci ʒ. i. tritis utere. Alia compositio quæ flauescens appellatur. Aluminis scissi drac. viij. chalcitidis crudæ drac. vi. sandarachæ drac. iij. putaminis mali punici drach. ij. atramenti sutorij usti drac. ij. misyos assati ʒ. ij. tritis utere. Alia. Atramenti sutorij usti ʒ. iiij. diphrygis ʒ. ij. calcis uiuæ ʒ. ij. sandarachæ ʒ. ij. Arida admoue, aut linamentum tortum aqua madefactum ac pharmaco imbutum inde. Aliud. Misyos assati drach. duas. mannæ thuris drach. ij. chalcitidis assatæ drach. ij. squamæ æris sesquidrachmã. æruginis drachmam unam. arida adhibe.

Lamponis ad Ozænas, ægilopas, polypodas & multa alia. 5

Ad Ozænas & ægilopas ac polypos, & quæcunque uelis citra sectionem ac ustionem submouere. Dirimit etiam ossa corrupta, facit & ad ulcera serpentia ac putrida inspersa, & ad sordida ulcera linamento excepta ac indita cum melle. Scobis æris rubri unc. i. salis ammoniaci sextantem, ammoniaci thymiamatis sextantē, aluminis rotundi quadrātem, aceti acerrimi heminas vi. Arida terito, & affuso aceto, omnia in uas æris rubri transferto, in eoque ad solem sub caniculæ ardore cum æris rubri radio agitato donec pharmacū exarescat, deinde in mortarium translatum diligenter terito, & in fictili recōdito. Vsu uero exigente, aquā absorbendam dato, deinde etiam in ore continēdam, pharmacū uero per fistulam insufflato. Scribonij Largi facit ad omnia extuberātia. Misyos usti, chalcitidis ustæ, atramenti sutorij usti, soreos, squamæ æris, singulorum drac. viij. Arida admoueto. Oportet autem præcedenti die quiescere, deinde sequenti pharmacum post cibum indere, Illinendæ etiam nares antea cum bitumine aut liquida pice, aut myrrha stacte. Philoxeni chirurgi ad polypodas, ozænas, omnem excrescētem carnem, hæmorrhoidas, & quibuscunque crustam inducere uelis. Aeris usti, auripigmēti torrefacti, misyos assati, singulorum drach. ij. diphrygis drach. iij. chalcitidis ustæ, atramenti sutorij usti, squamę æris, singulorū ʒ. iiij. tritis utere. Cæterū post pharmacorū adhibitionē, etiā sternutatorijs utimur, quo uidelicet tectoria ulceri obducta excutiamus, quæ tribus aut quatuor diebus ferè excidere cōsueuerūt. Vbi uero exciderint adipe anserino ac butyro cum rosaceo cerato curantur. Verū Asclepiades in primo pharmacorū exteriorū sic scripsit. Asclepiadæ ad ozænas, quo usus est Meges. Seminis ericæ drac. iiij. myrrhę drac. iiij. nitri rubri drac. iiij. putaminis mali punici drachmas quatuor. croci drach. ij. costi drach. ij. trita insufflato. Aliud. Aluminis scissi drach. iiij. myrrhæ drach. iiij. sandarachæ ʒ. ij. rhois rubri ʒ. ij. salis fossilis ʒ. ij. costi ʒ. ij. croci ʒ. ij. trita insufflato. Ante curam uero nares uino odorato & optimo melle eluere conamur. Ad nariū polypos quo usus est Antipater.

Aeris usti ʒ. iiij. minij sinopici ʒ. i. trita per harūdinē insufflato. Quin & per specilli nucleū admoueto. Aliud Antonij Musæ. Atramēti sutorij partē unam. sandarachæ partē unam. trita insuffla. Aliud Charixenis post chirurgiam. Cornu cerui usti drac. iiij. squamæ æris rubri drach. iiij. auripigmenti drachmam unā. trita insuffla. Aliud. Bryoniæ radicis ustæ drach. quatuor. atramenti sutorij drach. iiij. spumæ nitri drac. iiij. elaterij drach. quatuor. trita insuffla. Ad ulcera in naribus.

Recremēti plumbi, uini ueteris, olei myrtei, singulorum æquales partes. plumbi recremētum ut quàm leuissimum fiat terito, & adfuso uino rursus leuigato, deinde myrteum addito, omniaque simul misceto ac conquassato, & in figulinum uas coniecta prunis imponito, assidueque agitato, atque ubi strigmentosum redditum fuerit pharmacū subla-

A tum in pyxide plumbea seruato. Aliud. Plumbi usti & loti drach. viij. uini rosati quantum sufficit, olei myrtei quod satis est, apparato & utitor ut dictum est. Aliud. Spumæ argenti drach. vi. cerusæ drach. viij. malicorij drac. iiij. aluminis scissilis drac. iiij. uini aminæi quantū sufficit, olei myrtei quod satis est. Arida tusa & cribrata in mortarium coniecta cum uino ad strigmentitiam crassitudinem redigito, postea uero myrteo oleo affuso conquassato, & ablatis in pyxide plumbea reconditis ut dictum est utitor. Sint autem myrtei heminæ quatuor. uini cyathi. iiij. Diogenis pharmacum accommodatum. Adipis anserini drac. iiij. œsypi sesquidrachmam, medullæ ceruinæ drac. ij. ceræ Tyrrenicæ drac. viij. plumbi usti & loti drac.
B iiij. stibij usti & loti drach. viij. ladani drach. ij. adipis uitulini drach. ij. terebinthinæ drach. iiij. cerusę drac. ij. spumæ argenti drach. i. rosacei quantū sufficit. Liquida cum aridis committito & repositis utitor. Vsu autem expetente quantū satis fuerit tollito, & rosaceo dilutum naribus sublinito.

6 Ex primo de parabilibus Apollonij. Ad affectiones in naribus. Ad narium exulcerationes, & putredines ac fœtores, mali punici nucleo carentis dulcis itemque acidi succum, in æreo uase donec duæ partes supersint coquito, ac utitorque penitissime illinendo. Facit & malum punicū dulce cum uino coctum & forinsecus impositū. atque intro illitum. Ad excrescentem carnem & polypum. Diphryges tritum admoueto & linamento
C nares disparato. Aliud. Veratrū terito, eique origani par pondus tritum addito, ac naribus bis in die insufflato. Aliud. Veratrum nigrū cum pari sandaracha terito, & ammixto oleo, lana excipito, eoque narem expleto. Aliud. Florem æris, & æruginem, ac silphij succum pari mensura oleo ammixto terito, & ungenti crassitudine ad dies quinque naribus sublinito: deinde per uolsellam eximito. Aliud. Auripigmentum & calcem trita cum specillo large adhibeto. Vbi uero intumuerit & eleuatus fuerit polypus, ueratro nigro arido trito moderate utitor. Vt plurimū enim in diebus septem nasus uacuus redditur. Deinde diphrygis cū melle usu expurgato. Aliud. Auripigmētum & calcem ac ueratrū album trita cum specillo ad-
D moueto. Ad ea quæ naribus illabuntur. Quæ naribus illabuntur, auriscalpio aut uolsella extrahito, aut sternutatorio admoto, os adprehendito, atque alteram narem comprimito, siquidem non in utraque nare adfectio existat. Hæc quidem Apollonius quibus ipse usus est tradidit. Verum ut ego usus sum, & in polypis ac ozænis narium, probatissima reperi subscripta. Ac primū quidem quod ex malis punicis constat pharmacum. Sint autem pari numero ac magnitudine ex tribus eorum differentijs accepta. Aliqua enim ex his sunt austera, aliqua dulcia, & quædam acida. Contundenda itaque sunt recentia & matura, atque integra diligenter confringenda, quo succus ex eis exprimi possit, quem in uase stanneo depositum adseruare oportet, modice coctum siquidē liquidior quàm

oporteat uideatur. Quod uero ab eo reliquum est solidum & crassum, rursus diligenter contundendum est, ut à contusione rursus in pila atteri ac leuigari posit, indeq; collyriorũ formæ effingi, quę congruam ad ægri nares proportionem habeant. Induntur enim hæc in naris quam polypus obsedit meatum, quo citra mordacitatem & consensum, qualem acria pharmaca excitare solent, per longiorem moram ipsum expurgent. Quod si humectior & mollior tibi appareat polypus, plus ex austeris malis punicis cõijcies: si durior, ex acidis. Quandoquidem uero perpetuo tolerare collyrium molestum est, ab eius usu interquiescere conuenit, atq; eo tempore quo ipsum non indis, per expressum succum ægrũ curare, & sanè oris diducto rictu hianti, etiam circa illas partes iuxta quas nasus ad palatum perforatus est, liquidum ipsum expressum pharmacũ illinire, uel cum penna, uel cum lana specillo duos nucleos siue cuspides habenti obuoluta. Cæterum ex aridis pharmacis diphryge, citra mordacitatẽ aliquando per multum tempus cõsumptũ polypum noui. probatur etiam in ipsis prędictũ collyriũ ex malis punicis effictũ, si ubi exaruerit probe contundatur, cribreturq; ac leuigetur, indeq; suffletur, aut etiã per specilli nucleum indatur. Omnia autem hæc assidue facere oportet, ut nunquã ab affecta parte pharmacum absit, quum facile ab humiditate eluatur. Quemadmodum igitur in lippientibus, sic & in his semper si possibile est, pharmacũ adhibere oportet: abluitur enim facile, ut dixi, ab influente humiditate. Porrò quum eunuchus quidam nullius pharmaci ferre posset adhibitionem, sed ab omnibus irritaretur, rosis aridis contusis ac probe tritis atque inditis, mirum quàm uiderim hominẽ magnopere citra omnem mordacitatem adiutum. Quare in corporibus mollibus & humidis, aut quibus ęgre ulcera ipsa sanescunt, rursus eodẽ pharmaco usus sum, contigitq; ex duobus alterum, aut ut nihil noceret, aut omnino citra molestiam opus suum perficeret. Pleraq; enim eorum quę polypodas extergunt, eos acerbant ubi à scopo aberrẽt. Cæterũ ulcera in narium meatibus semper per pastillos curaui, andronium uidelicet, & pasionis, & polyidę, & bythinum, & per eum quem ego cõposui, his ipsis aliquãdo uino dulci dissolutis, aliquando austero, & quandoq; moderatæ ætatis, quandoq; ueteri. Interdum etiã aceto dilui uel uinoso, uel simpliciter acido, uel etiã acri ualde & uetusto, Iuxta prædictas indicationes, usu pharmacorum secundum symptomata affectionũ reperto. In diuite uero quopiam qui odoratum pharmacum sibi adhiberi expetebat in ozænæ curatione, hedychroi usum excogitaui, ipsũq; uino falerno ueteri dissolui, & mirum quàm breui affectio ipsa est curata. Relata est hedychroi compositio circa theriaces antidoti descriptionem.

Heraclidæ ad eruptiones sanguinis è naribus, ad Antiochidem. Cap. IIII

Sufficienter quidem de sanguinis eruptionibus in curandi Methodi libris dictum est, uerum nũc

A quæ ex sylua usu cognita cõstant, & à prædecessoribus nostris ap̃bata sunt referent. Vbi grumos sanguinis eduxeris, lanã specillo obuoluito, eãq; in lycio aqua diluto imbuito, & sanguine manantem locum illinito. Aut linamentum longum lycio imbutũ indito, deinde forinsecus cũ digitis apprehẽsum nasum cõprimito, donec cõstiterit sanguis. Aut chalcitidem mediocriter leuigato, & linamẽtum ex ellychnio cõtortũ in frigidã aquam demittito, deinde in chalcitide obuoluito. Aut linamentũ priapi siue pudendi forma naribus indito. Aut linamento rasili utitor ꝙ penitissime intruso. Pręstat aũt digitũ ad palatum immittere, ne eò linamentũ rasile deferatur. Aut thus cõfringito, & polygoni aut seminis porri succo diluito, in B eoq; linamẽtũ rasile, aut ex ellychnio obuolutum indito. Aut mentã tritam indito. Aut spongiam siccam immittito. Aut spongiã in acre & feruidũ acetum cõiectam forinsecus ad sanguine manantem narẽ apponito, atq; specillo donec impleatur apprimito. Præstat aũt spongiæ principiũ filo per acũ transmitti, quo facile extrahi possit, extrahito aũt quũ opus suũ perfecisse existimaueris. Si uero inarescat spongia, intusq; agglutinet, per auricularem clysterẽ frigidã aquam immittito, ac infundẽdo humectato, atq; ita extrahito. Vtere etiã compositionibus uulnerarijs, & sanguinẽ sistentibus quæ describent. Accõmodatũ est & frontẽ spongijs refrigerare, iteq; capitis partes sublimes facere. Brachia aũt & manuũ iuncturas, fœmoraq; & C inguina, atq; genua cõstringere, in his qui mœsto ac deiecto sunt animo, queadmodũ in uenarũ sectionib. facere moris est, Iubẽdiq; sunt ut ea membra moueãt, manus quidẽ confricãdo, pedes uero ambulãdo. Expletis eñ sanguine quæ in eis sunt uenis, nares sanguine manare cessant. In potu amplius exhibẽda sunt ea quæ ad sanguinis reiectionẽ cõscribent. Aures quoq; cõtentæ per linteola ac cerã obturent, & in ore aqua pluuialis frigida contineat. Quod si quid ex sanguine deglutitũ esse uideat, etiã idipsum ubi multa eius sit copia, per euacuatiuũ educito. In uentre eñ & intestinis in grumos coactum, incensionem facit.

2 Pharmaca Asclepiadæ in quinto externorum ad sanguinis narium eruptiones scripta. Quę D Marcellæ inscribit. Platani pilulas collectas in umbra exsiccato, & desiccatas super pannũ asperum in discũ diffundito, easq; aspera ipsius panni siue tunicę parte cõfricato, aut in panno ex pilis siue setis cõposito obuoluito: ac semẽ quidẽ pilularũ abijcito, tomenta uero collecta in testaceũ uas nouum reponito. Vsu aũt expetente, ea ipsa lanuginosa tomenta in harundinẽ cuius geniculi recisi sunt indito, & qua parte excauata est harundo, naribus imponito ac insufflato, compendio hoc uincit sanguinis eruptionẽ. Aliud, Atramentum sutorium diligenter tritum reponito. Vsu uero postulante, rasuram quãpiam linteolorũ in pharmacum immersam indito. Aliud, Spongiam cruda pice imbutam exurito, & linamento torto exceptã indito. Aliud, Putaminis oui partem

unã, gallę omphacitidis partē unã, trita linamento torto aqua aut aceto madefacto excipito, & indito. Frontē uero & naſum gypſo aut luto figulino integito. Aures aūt contente obturare iubeto. Quidam ſpōgiam aphricanam aceto acerrimo incoquūt, deinde exprimunt, eamq; in ignito lapide frequenter obuoluūt, atq; ita ſuffitū & uaporem excitant, quē naribus attrahere iubent.

3 Quæ Andromachus ſcripſit, Ad ſanguinis quidem ex naribus eruptiōes nihil priuatum Andromachus ſcripſit, Verū inter ea quæ ſanguinem cohibēt, pleraq; etiã hæmorrhagias narium ſiſtunt, quapropter etiã ego adſcribam eiuſmodi A pharmaca quō ab ipſo deſcripta ſunt. Cōpoſitio iſchęmos, id eſt ſanguinē ſiſtens, qua utor. Chalcitidis, miſyos, mannæ thuris, ſingulorū ʒ. iiij. tritis utitor. Aliud. Chalcitidis ʒ. c. atramēti ſutorij ʒ. l. miſyos aſſati ʒ. xxv. æris uſti ʒ. xij. & dimidiã, tritis utere. Iſchæmos magna. Miſyos cyprij. ʒ. vij. atramēti ſutorij ʒ. vij. corticis pini ʒ. iiij. ſquamę æris ʒ. iiij. mãnę ſiue micarū thuris ʒ. iiij. alij ʒ. xv. habent, æris uſti ʒ. xv. chalcitidis ʒ. xv. calcis uiuæ ʒ. xviij. alij xl. gypſi torrefacti ʒ. iiij. alij viij. tritis utere. Iſchęmos Aphrodę. Chalcitidis ʒ. vi. mãnæ thuris ʒ. ij. reſinę terebinthinæ frictæ drach. iiij. alij tres accipiūt, tritis utitor.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI IIII

Caput I. Doctrina affectionum, quæ in oculis fiunt, inter quas etiam de pharmacis diuerſis in genere & particulatim. 2. De pharmacis mordacitatis expertibus ac lenibus. 3. De pharmacis acribus. 4. De extergentibus ſiue repurgantibus. 5. De erodentibus.

6. De aſtringentibus. 7. De concoquētibus & emplaſticis. 8. De aſpritudinibus palpebrarum. Vide cap. 4. ſect. 2. & cap. 8. ſect. 8. II. De lippitudine ſiue ophthalmia. III. De ulcerib. oculorū. IIII. De ocularium pharmacorū uiribus. 2. Quæ ad ſcabras in palpebris affectiones conueniant. Vide cap. 1. ſect. 8.

3. Quæ induratis auxiliētur. 4. Quæ ſuffuſis conueniãt. V. De aridis medicamētis ad oculos. 2. Aridū Galeni ad tuendã oculorū ualiditatē. VI. Arida pharmaca ad oculos ab Aſclepiade conſcripta.

VII. Liquidæ oculares cōpoſitiones ad ficoſas eminētias, ac omnē extuberantiã carnis: ad carnē circa naſi angulū excreſcentē, & ad incipiētē lippitudinē. 2. Tincturæ albuginū. 3. Ad pilos pungentes in palpebris enaſcentes, Græci trichiaſin appellant. Vide cap. 8. ſect. 10. & cap. 1. ſect. 8. 4. Ad crithas, & chalazia in palpe-

B bris. Vide cap. 8. ſectione 16. 5. Aſclepiadis ad oculos cataplaſmata, itemq; agglutinatoria, & inunctilia.

6. 7. 8. 9. 10. Has quinq; ſectiōes, ne quinta (ad quã hæ omnes pertinent) nimis prolixa foret, addere libuit.

VIII. Archigenis remedia ad oculos. 2. Ad fluxionem calidam. 3. De chemoſi, id eſt utriuſq; palpebræ diſtortione, ex inflãmatione oborta. 4. Oblitiones oculorū. 5. Agglutinatoriū ad fluxionē. 6. Ad hæmalopas & hypoſphagmata, id eſt cruentatos oculos & ſugillatos. 7. Curatio tumorū. 8. Ad oculos ſcabros. Vide cap. 1. ſect. 8. & cap. 4. ſect. 2. 9. Ad eos qui craſſas, calloſas, ac rubras, glabraſq; genas habēt, ptilos Græcis dictos. 10. Ad trichiaſin, id eſt pilos inutiles & pūgētes in palpebris. Vide cap. 7. ſect. 3. 11. De ſtaphylomatis ſiue uuis & albuginibus. 12. Curatio obfuſcationis uiſus, & ſuffuſionis. 13. De humorum ſuffuſionibus. 14. Ad pterygia. 15. Ad glaucos oculos & nyctalopas, id eſt luſcioſos. 16. Ad crithas, C inſtar hordei oblongos circa palpebrarum pilos abſceſſus: qui item poſthæ Græcis appellãtur. Vide cap. 7. ſectione 4.

CLAVDII GALENI DE COMPOSITIONE PHARMACORVM SECVNDVM LOCOS LIBER IIII

Doctrina affectionum quæ in oculis fiunt, inter quas etiam de pharmacis acrimonia carentibus, & meatus obducentibus, & de alijs omnibus. Cap. I

NON equidē alia eſt cōponendi, alia utendi Methodus in his pharmacis, Ipſa enim cōpoſitio uelut ad uſum relata conficit, ita ut hi qui pharmaca cōponunt ſcopū habeant utilitatem ex uſu ipſorum emergentem. Verū quemadmodū in alijs, ſic etiã in his affectiōib. quidã indefinite pharmacorū uſus ſcripſerūt. Verbi gratia, Ad dolorē accōmodatū eſt hoc pharmacū, nō apponētes affectionē in qua dolor ſit obortus. Quidã uero etiã affectiōes adſcripſerūt, alij quidē magis iuxta experientiã: alij aūt magis ſecundū rationem. Iuxta experientiã quidem magis, quicūq; ex cōſpicuis circa oculos ſignis diſcrimē fecerūt. Secundū rationē uero magis qui ex obſcure apparētibus, aut neq; in totū apparētibus idem fecerūt. cōſpicue itaq; apparet fluxus multus et modicus, mordacitas & lenitas, ruborq; plus aut minus, uelut itidē uenæ pauco & multo ſanguine plenæ: & inflãmatiōis tumor minor aut maior, Quēadmodū etiã colores præter naturã uariegati, & oculorū ſordes ſiue lemæ plures aut pauciores, aut minores aut maiores progrediētes. Apparēt itē nobis manifeſte aſperitates in palpebris oculorum. Quid uero attinet dicere, q; & ulcera & puſtulæ, tū ſecundū locos, tū magnitudine, nō paruã differentiam habent, itemq; quæcūq; eius generis alia D exiſtunt, Quin iuxta aliū ſanē modū, ex eorū quæ conſpicue apparent numero, ſunt etiam ipſi adeo dolores, Nihil enim intereſt ſiue nobis ſiue ægris appareant, Etenim quod dolent, & quomodo dolent manifeſtū eſt. quod enim cum cōpreſſione, aut tenſione, aut obturatione, aut corroſione, aut quibuſdã pulſationibus dolent, nobis aperte indicatur. Cæterum eiuſmodi diſcrimina non apparēt (uelut aliqui ſcribunt) ad fluxum qui ab his quæ intra craneum ſunt, aut ad fluxum qui ab his quæ extra craneum ſunt, aut etiam per Iouem ad eum qui ex arterijs, aut ex uenis affertur: & quum quidam dicant diſtenſionem aut obturationē in profundo oculorū eſſe, humoribus uidelicet craſſis, aut uiſcoſis, aut multis impactis, nullū ex his ſymptoma adeo ægros grauat, uelut uehemēs dolor

circa quodcũq; tandem membrum, nõ ſane circa A oculos ſolos, adeo ut mortem aliqui ultro elegerint, melius fore rati hanc ſemel obire, quàm totos dies dolores perferre. Ego uero cũ in aliјs quibuſdam, tum duodecimo De curãdis morbis Methodi, in uniuerſum manifeſte ſcripſi, tũ de differẽtia affectionum in quibus uehementer dolent, tum quę cauſa uniuſcuiuſq; ipſarũ exiſtat. Scripſi itẽ in decimo tertio eiuſdẽ operis om̃ia, quę neceſſe eſt medicũ de oculorũ affectionibus noſſe, et quæ ad ipſarũ curationes requirunť. Referã nihilominus tamẽ & nũc breuibus capitib. tantũ repetitis eorũ, quę ad pręſentẽ tractationẽ utilia ſunt, hoc eſt eorũ quæ cũ materiæ medicæ doctrina cohærent. Nam & liquores & ſucci, & ſemina, & fructus, & plantarũ particulę ocularibus cõpoſitionibus in- B duntur, ueluti etiam nõ pauca ex his quæ Metallica appellãtur, aliqua quidẽ extreme auſtera & acerba atq; acria, aliqua uero his moderatiora, et tamen fortia Quemadmodũ itẽ aliqua om̃is mordacitatis expertia ac leniſsima per lotionẽ reddita.

De pharmacis mordacitatis expertibus, ac lenibus. 2

Pompholyx igiť lota nulli pharmacorũ mordacitatis expertiũ inferior eſt, atque ob id ea utimur ad tenues & acres fluxiones, capite uidelicet prius ſimulq; uniuerſo corpore euacuato. At uero manifeſtũ eſt quod per uenæ ſectionem ac purgationem totũ corpus euacuemus: per apophlegmatiſmos uero caput à pituita uindicamus. Poteſt enim põpholyx lota, quemadmodũ etiam ſpodiũ, atq; amylum, ſimul & moderate humores reſicca- C re, ſimulq; ne per tuniculas euacueť ea quæ in magnis ipſorũ uenis ſuperflua humiditas cõtinetur, prohibere. Quare ſi quis prius q̃ caput ab humoribus ad oculos defluẽtibus expurget, obturantibus pharmacis utať, uehementẽ dolorẽ ex diſtentis tunicis efficiet, & ex multitudine influentium humorũ aliquãdo rupturã aut eroſionẽ ipſorum inducet. Eiuſdẽ generis cũ prædictis pharmacis, ſubtenuis ouorũ liquor exiſtit, ex redundanti potens humiditates abluere, & exaſperata oblinere. Verũ obturãdi meatus uim cũ illis ęqualiter non habet, ſicut neq; uim reſiccandi. Atqui fœni græci ſuccus quod ad uiſcoſitatem attinet, ſimilis eſt albo ouorũ liquori, diſcuſſoriam autem habet facultatem, & moderate calfactoriã atq; ob id mul- D tos dolores mitigare conſueuit.

De pharmacis acribus. 3

Prædictorũ pharmacorũ ſyluæ ſecundũ genus maxime cõtraria acriũ liquorũ materia eſt, ueluti liquoris Cyrenaici & Medici, & ſagapeni, & euphorbij, atq; ſimpliciter loquẽdo, omnium uehementer calfacientiũ citra exaſperationẽ: atq; hæc ipſa ſylua non ſolum in liquoribus, ſed & in ſuccis, & ſeminibus, & floribus, & plantarum fructibus continetur.

De extergentibus ſiue repurgantibus. 4

Tertio cõſequenter poſt prædictas, fortis facultas eſt extergentium pharmacorum qualis ſquamæ æris eſt, & chalcitidis uſtæ, & æris uſti, itemq; floris eius, & miſyos, ac ſoreos, itemq; ſtibij.

De erodentibus. 5

His adhuc aliud genus adiacet erodentiũ uidelicet, quale eſt auripigmentũ & ſandaracha, & Aſiæ petræ flos, participat & miſy paululum eiuſmodi facultate.

De adſtringentibus. 6

Eſt & aliud genus pharmacorũ quod in oculares cõpoſitiones inijcitur, eorũ uidelicet quæ natura aſtringũt. Quæ igitur mediocriter hanc uim habẽt, influxiones repellũt. Quæ uero uehementer, ampliorẽ dolorem infligũt, tunicas exaſperãdo, q̃ iuuent influxionũ impetum repellẽdo. Miſcetur aũt aliquando utiliter ex eis parum quid in cõpoſitiones oculorũ aciẽ exacuẽtes, utpote quæ oculorũ ſubſtantiã cogant et adſtringant. Verum quæ mediocriter adſtringũt lippitudinibus commodiſsima exiſtũt: conferunt aũt & reliquis ferè omnibus adfectionibus ulcerũ, puſtularũ & fluxionũ. Sunt uero eiuſmodi. Folia roſarũ & flores & ſuccus, ericæq; fructus, & nardi ſpica, ampliuſq; & malabathri foliũ, & crocus, & lyciũ, & quę hypociſthis appellať. Porrò uehementiorẽ his adſtringẽdi uim Acacia habet & omphacium, quæ & ipſa in ſuccorũ genere numeratur. Item balauſtium, & cytini, & gallæ omphacitides ex genere eorum ſunt quæ multum adſtringunt.

De concoquentibus & emplaſticis. 7

Inflãmationes itemq; alias affectiões cõcoquũt hæc, myrrha, crocus, caſtoriũ, & thus, & fœnigræci cocti ſuccus, quę etiã diſcuſſoria ui prędita ſunt, & præſertim ex eis myrrha. Atq; hæc quidẽ eſt oculorũ medicamẽtorũ ſylua, & quicũq; ſanè naturali intelligẽtia præſtãt, ratiocinatiõeq; exercitati ſunt, nihil amplius opus habẽt mea inſtructione, potẽtes nimirũ ad ſingulas oculorũ affectiones aptũ cõponere pharmacũ. Quãdoquidẽ uero pauci tales exiſtũt, & multorũ utilitatis potiorẽ rationem habere cõuenit, præſtabilius mihi uiſum eſt cõpoſitionis ipſorũ rationẽ integre receſſere, ubi repetiuero prius perſpicacitatis gratia, cõmunẽ in genere uim ſingulorũ quorũ mentionẽ feci pharmacorũ, Quæ uniuerſim quidẽ in quinto De ſimpliciũ pharmacorũ tractatione cõmentario à me relata eſt, & per cõſequentes ſex libros particulatim uſq; ad extremũ. Vtar aũt appellationib. facultatũ in pharmacis, iјſdẽ quas in prędicta tractatione poſui, uelut exẽpli clarioris gratia. Quædã ſubſtantia terreſtri dico, citra refrigerationẽ manifeſtã aut caliditatẽ, in medio quodãmodo utriuſq; cõſiſtẽtia: atq; ex his aliqua quidẽ parũ quid ex frigiditate aut caliditate cõplectunť: aliqua uero in totũ nullã eiuſmodi facultatẽ ex ſe oſtendũt. Totum aũt hoc genus pharmacorũ emplaſticũ, hoc eſt, meatus obducens & obturãs appellaui, cõtrariam uim habẽs his quæ ab obturatione liberãtia, Ecphractica ſunt appellata; qualis eſt Samius Aſter magis tenuiũ partiũ exiſtẽs q̃ quę ſimpliciter Samia terra appellať. Et pompholyx lota, uelut etiam cinis eius lotus, & cadmia uſta ac lota. Videť aũt mihi parũ quid exterſoriũ in ipſa cadmia ineſſe, ſiue poſt uſtionẽ, ſiue citra eã laueť. Pompholy

giuero & spodio parũ quid adstringẽs inest, Quẽadmodũ etiã plũbo, post ustionẽ & lotionẽ, Nam & hoc pharmacũ omnis acrimoniæ expers est, parum quid adstringẽs habens. Neq; refert siue masculino siue muliebri genere põpholygem dicere uelis. Eodẽ modo etiã amylum habet, quod & ipsum lotũ exquisite, mordacitatis expers est, & mediũ, ut neq; adstrictionem neq; acredinem habeat, hoc est, neq; frigiditate neq; caliditate participet. Quin & cerusa lota proxime ad facultatẽ usti ac loti plũbi accedit, manifestũq; signum per adstrictionẽ exhibetur, quod penitus qualitatis omnis expers sit, & quantũ ex gustu ac odore apparet, amyliq; est & samij asteris naturæ. Vniuersum igit̃ huiusmodi pharmacorũ genus, siue modicam in gustu aut odore qualitatẽ exhibeat, siue penitus nullã ostẽdat, cõsimiliter ut purissima aqua, Qualitatis expers nominat̃, & per solã terrestrẽ substãtiam moderate à natura resiccat. Quapropter etiam lõgiori tẽpore cõmoditatẽ ex se proficiscentẽ sensui perceptibilẽ faciũt, utpote quæ per primos dies nihil iuuisse putent̃. Adhibent̃ tamẽ à medicis tanquã acrimoniæ expertia, circa ęgre curabiles affectiones, in quibus ulcus est siue solũ, siue cũ erosione corniformis tunicæ, & prolapsu uuiformis appellatæ, serosis humoribus lõge mordacissimis affluẽtibus, In his enim nullũ aliud pharmacũ cõuenire potest, utpote quũ adstringentia cohibeant effluẽtes humores, atq; per hoc dolorẽ ex mordacitate ipsorũ obortum intẽdant, Acria uero affectionẽ simul adaugeãt, siue in solis oculis affectio sit, in eiusmodi malũ habitũ partibus perductis, ut quod influit corrũpant: siue etiã ipsum quod influit uitiatũ sit, aut propter solum caput, aut etiã ob totũ corpus tale existẽs, Vnde etiam affectã partẽ quo ad curationẽ apta fiat præparamus, tũ totius corporis purgatiõĩbus, tũ reuulsionibus, primũ quidẽ ad infernã corporis partẽ, deinde etiam ad occiput, & capitis cutẽ. Vtimur etiam sectionibus arteriarum, quandoq; retro caput porrectas circa aures arterias incidentes. Excindimus quoq; partem arteriarũ in temporibus, tantum ut curemus in tunicis oculorum factã affectionẽ, ob quã etiam bonus sanguis per uenas ad ipsas tunicas delatus corrumpitur. Ad has igitur affectiones solas cõuenire uidet̃ prædictorũ medicamentorũ genus, citra mordacitatẽ resiccãs in affecta parte uitiatos humores, quæ ut dictũ est id quod influit corrũpit. Adstringentiũ eñ facultas neq; resiccat talẽ affectionẽ, cohibetq; mordaciũ humorũ serosorũ effluxus, Calidorũ uero & acrium facultas non solũ nihil iuuat, sed etiã simul auget mordaciũ humorum qualitatẽ. At uero relaxantiũ & discussoriorũ pharmacorũ uis euacuare quidẽ potest quod generat̃, Verũ ulceratũ neq; renutrire aut ad cicatricẽ perducere potest, neq; qđ procidit retrudere & cõcludere, Quẽadmodũ etiam neq; cõcoquentiũ facultas id præstare potest, etiam si cõcoquere affectiones nõ paruum cõmodum complectatur. Ex eorũ uero genere sunt crocus, myrrha, & thus, quemadmodum dixi. Quid

A porrò dicere refert, de his pharmacis, quæ acidas aut amaras habẽt uires, q̃ mordacia & exacerbatiua eiusmodi affectionũ existãt? Verũ his adhuc ampliore malicia prædita sunt, quæ nitrosam, aut salsam, aut austerã, uim habẽt. Reliquũ igit̃ est genus id quod ulcera cũ acri fluxiõe curare potest, eorum uidelicet quæ paulo ante mordacitatis expertia pharmaca dixi, quę longiori tẽpore affectę partis uitiatum humorem consumunt, Appellant̃ talia à Medicis collyria libiana & cygni, Ob colorem quidẽ album qualẽ etiã cygni habẽt, prævalẽte in ipsis amylo, & terra Samia ac cerusa Rhodiaca, Nam & aliàs optima hæc est, & colore albidior ac leuior, magisq; tenuiũ partiũ q̃ quæ in alio quopiam loco conficiant̃. Cæterũ in quibus alia

B pharmaca prædominant̃, colorem iuxta sui ipsorũ substãtiã efficiunt, ueluti si quis albo colori modicum cæruleum ammisceret. Hæc ipsa uero collyria quidam in oŭibus terũt, boni succi lacte ex nutricum uberibus instillato, ut obductoriã meatuum uim quæ in ipsis ouis est euitent, quum in lacte serosa quædam extersoria uis contineat̃, cuius usus congruens est ad propositam curationem. Relatũ enim in tertio curãdi Methodi est, Quod ulcera explenda, citra acrimoniam extergentibus medicamentis opus habeant. Quod si huiusmodi lac haberi nequeat, per fœnigræci decoctum collyria terere præstiterit, utpote quod extersoriam quandã uim habet, qua oua ipsa in totũ carent.

De aspritudinibus palpebrarum 8

C Quum ægre curabiles prædictæ affectiões existant, adhuc molestius se extendunt, ubi accesserint aspritudines palpebrarum, à quibus etiam in lippitudinibus oculorũ tunicæ incisæ, dolore affliguntur: uerũ in illis audemus ad inflãmationi propria pharmaca, miscere parũ quid de extergentibus, uelut est collyrium ex uino aspritudinibus accõmodatum, quo primũ ea quæ ad palpebras delata sunt, deprimantur, ubi uero inflammatio reliquit, ea quæ aspritudines repurgare possunt adhibemus. In his uero qui ulcus habent cum mordaci fluxione, impossibile est eiusmodi uti Pharmaco: corniformis enim tunica amplius erodet̃, & uuiformis magis procidet, & uehemens dolor hominẽ apprehẽdet, augebit̃q; malignitas fluxio-

D nis. In huiusmodi itaq; affectionũ cõplexu Medici ad consilij inopiã redacti, solũ remediũ uelut in desperatis repererũt, ut extensis atq; uersis palpebris, ipsa citra pharmacorũ usum repurgẽt & abstergãt, Aliqui quidẽ specilli cõcauo superficiẽ deradentes, deinde molli spongia id quod defluit excipientes, & de cætero palpebrarũ aspritudinem moderatiorẽ reddẽtes. Aliqui uero etiã marinorum quorũdã animaliũ coria in superficie aspera, in eiusmodi usum cõgrue adsumũt. Quidã ex pręceptorib. meis etiã ex pumice collyriũ fecit, cum eoq; extẽtis ac uersis palpebris aspritudines deradebat. Manifestum est autem pumicem exquisite leuigatam esse oportere, atque ubi id factum fuerit cum tragacantha aut gummi in collyrium formari Cæterum ubi temporis progressu per prædicta

dicta collyria fluxio fuerit sedata, audemus iam ea quæ palpebras extergent adhibere, parum tamen quippiã ex eis in principio ammiscẽdo, quod ubi homo perpeti posse uidebitur, paulatim copiã augebimus. Postquã uero fluxus fuerit resiccatus & palpebræ moderate habuerint, caua ulcera collyrio ex thure explere oportet, ita ut in principio pauxillũ ex collyrio ex uino ei ammisceamus, & paulatim eius copiã extendamus, ut ne palpebræ amplius tunicas oculorũ infestent, & ulcera mũda reddita exacte impleantur, & ad cicatricẽ perducantur. De his itaq; sufficiẽter dictũ est. Trãseundi eñ iam tẽpus ad reliquas oculorũ tum affectiões, tum pharmacorũ ad easdem compositiones.

De lippitudine siue ophthalmia. Cap. II

Exordium autem à frequentissima oculorũ affectiõe sumam, quam proprie ophthalmiam, hoc est, lippitudinem appellant. Est autem uelut didicistis, inflammatio tunicæ os capitis & caluariã ambientis, neq; refert si pelliculam quis, aut quocunque tandem nomine appellare uelit. Vocant autem & membranam agnatam, propterea quod alijs quæ oculum ipsum constituunt tunicis, forinsecus agnata sit, ligamẽtum existens toti oculo ad circumlita ossa, & ob id omnia quæ circũcirca oculos sita sunt usq; ad malas quandoq; in uehementi lippitudine simul attolluntur. In propatulo itaque est, omnia pharmaca huiusmodi affectionem curantia, sub communem omnium inflammatorum curationẽ cadere, assumereq; necessario quippiã pro partis ipsius natura, quæ excellentem molliciem & ad hoc ut lædatur aptitudinem, super omnem totius corporis cutem nacta est, propter sensus subtilitatem, & substantiæ raritatem. Adhibenda sunt autem pharmaca repulsoria non exasperãtia, hoc est non uehemẽtem sortita adstrictionem, sed quæ tum propria sua substantia sunt moderatiora, tum lenitiui liquoris ammixtione adhuc magis talia fiant. Lenitiuos autem liquores dixi oui candidum, & fœni græci decoctum, & ad hæc amplius ipsum lac, in quo prouidum esse conuenit, ut iuuenculæ simulq; boni succi fœminæ existat, uberibus ipsius in cotem in qua collyrium teritur expressis, quo calidum adhuc oculis infundatur. Cæterum hoc in uehementi dolore afflictis, aut propter inflammationis magnitudinem, aut ob influentium humorum acritudinem, facere cogimur. Vt plurimum uero albus oui liquor cum accõmodatis pharmacis, lippitudines curare sufficit, per collyria uidelicet Monohemera, hoc est, unius diei, appellata. Adeò enim hæc non parũ sæpe magnas inflammationes mitigauerunt, ut in uesperã quidem homo in balneo uteretur. Insequenti uero die nardino collyrio ad instaurationem & corroborationem inungeretur. Admiscere autem ei circa primam inunctionem, minimum quiddam acrium & sistentium medicamentorũ oportet, & circa secundam paulò amplius quiddam priore. Sufficiunt enim hæ duæ pharmaci adhibitiones, & deambulatiũcula aliqua nõ multa ante balneũ. Porrò collyria Monohemera appellata, quędã priuatim feculenta dicta, multã in se habent Acaciã. Quædam siue omnino modicam, siue neq; in totũ habent. cõplectuntur autem alia quidem ęris squamam, alia uero æs ustum modicum, additis multis alijs quæ mediocriter adstringunt, & concoquũt, & discutiunt. Talia autem sunt, crocus, myrrha, lycium indicum. castorium etiam & thus citra adstrictionem cõcoquunt simulq; discutiunt. In quibus igitur adstringentia prædominantur, plurimũ oui liquorem, & modicissimũ pharmacum esse oportet, præsertim si quid ex metallicis pharmacũ in se cõplectatur. In quibus uero crocus, & myrrha, castoriumq; ac thus, & lyciũ præualent, paulo crassiore pharmaco utendum est. Fomentum præterea omnino adhibendũ est ipsis per spongiam, siquidem mediocris sit dolor, semel aut bis in die. Si uero uehementior dolor urgeat, præstat ter aut quater, & sæpius uti, in longis præsertim æstiuis diebus. Fiat autem fomentum per meliloti & fœni græci decoctum. De lippitudine itaq; satis dictum est, deinceps de ulceribus dicam.

De ulceribus oculorum. Cap. III

Vlcera oculorum eandem secundum genus cũ rationem requirunt, quam alia ulcera, eam uidelicet quam per longum in tertio & quarto curatiuæ Methodi recensui. uerum ob partis naturã quàm lenissima adhibenda sunt, ex quorum numero id quod ex pompholyge lota constat esse dixi. Ammiscentur eis etiam succi quidam non solum omnino mordacitatis expertes, sed qui etiã uehementissimos dolores mitigare possunt, uelut est mandragoræ succus. Quidam etiam polygoni succum ammiscuerũt: quemadmodum alij ipsorum etiam ouorum candidum. Manifestum uero est, quòd ubi iam propemodũ instat tempus præparãdi pharmacũ, tum demum huiusmodi ammiscentur, propterea quod facile acescant. Eodem tempore etiam rosarum additur succus. Cæterum sylua medicamentorum quæ proprie ad oculorum ulcera pertinet, itidẽ scopum habet, ut ulcus mũdum seruetur. Vtpote partium natura ipsum explente & ad cicatricem perducente, quemadmodum in alijs ulceribus est prædictum. Si itaq; inflammatio adhuc circa oculum existat, aut quispiam etiam dolor, collyria ex thure, & metallicis lotis, & succis mordacitatis expertibus adhibentur: ubi uero sordida reddita ex eorum usu ulcera fuerunt, de repurgantibus quippiam ammiscere oportet. Quale est paccianum ex uino croceum, quo utimur, minimũ quid ex eo prædictis pharmacis addentes. Habet autem hoc plurimum in se crocum, unde etiam croceum appellatur. Habet etiã ex repurgantibus metallicis aliqua, quapropter etiam aspritudines extirpat non paruas modo, sed magnas quas sycoseis Græci à granorum ficus similitudine appellant. Attenuat item pterygia, hoc est, oculorum ungues. De his itaq; medicamẽtis paulo pòst dicetur. At uero ulcera quę per erosionem tunicæ corniformis fiunt, ut etiã ex uuiformi quid pronuat, manifestum est quòd tum propter seipsa, tum ob prolapsionem, repellentibus & adstrin-

gentibus pharmacis opus habent. Conandum est autẽ ut ex ipsis eligamus quæ nullam aspritudinẽ faciunt. Verũ his contraria pharmaca, hoc est discussoria pustulæ expetunt, & pus quod intra corniforme est generatũ. Recentia igitur & adhuc inflãmata, pharmacis ex myrrha, thure, & croco sedantur. Vetustiora etiam ex discussorijs quid deposcunt, quemadmodũ item induratæ inflammationes tunicarũ. In his enim & per acres liquores hæc ipsa pharmaca in collyriorũ formam redacta proficiunt. & quę priuatim à Medicis inunctiles liquidæ cõpositiones appellantur, quales etiã in his qui suffusionis principiũ sentiunt, apparant. In pterygijs uero & sycosi repurgantia, ut dixi pharmaca adhibẽtur, partim in collyriorũ formã reducta, partim arida citra alicuius figuræ inductionem, in quibus aliqui etiã ex erodentibus pharmacis aliquid addiderũt. His uicina sunt quæ scabras in palpebris affectiones persanant, atq; ob id psorica appellant. Fortissima uero omniũ sunt quę antiquos callos cõsumunt, & quæ pterygia dicta curãt, ex repurgãtib. & erodẽtibus medicamẽtis conflata.

De ocularium pharmacorum uiribus. Cap. IIII

Porrò quum iam omniũ fere in oculis affectionum, pharmacorũq; eorundem secundum genus expositionẽ fecerim, relataq; sint à me pharmaca secundum genus mordacitatis expertia, qualia ex lotis metallicis componi dixi: melius fore mihi uidetur si etiam aliorum ocularium pharmacorũ uires exponam. Ex hoc enim existimo ad cõponendum promptiores futuros, & de iam compositis felicius iudicaturos, eos qui in ipsis fuerint exercitati. Quum igitur mordacitatis maxime expertia sint pharmaca quæ dixi, sintq; acrimoniæ om̃is expertes tres liquores, quorũ primus fœni græci decoctum erat, alter lac, tertius tenuis ouorũ liquor: In hoc genere esse existimandum est, tum gummi, tum tragacantham: & nisi prædicta tria copiaq; & usu prompta & expedita essent, possimus parum gummi aut tragacãthæ in multa aqua maceratum in eundem usum uelut illa assumere: ita ut per ipsa in medica cote collyria tereremus, & per sola etiã infusa serosos in affectis oculis generatos humores elueremus. Sed tamẽ etiã nunc ipsis circa omnia fere collyria utimur. paucissimis em̃ demptis, omnia postquã trita sunt, moderate his ipsis pharmacis madefacta excipiuntur. Vnum sane hoc genus ocularium pharmacorũ numeretur, in tribus liquoribus, tragacanthaq; ac gummi, & lotis metallicis contentũ, Alterũ uero genus eorũ est quæ modicam habent mordacitatem, propterea quod quædam eis ammixta sunt quæ parum adstringũt & extergent. Qualia pharmaca sunt rosæ & thus, rosis quidem paucam habentibus adstrictionem, thure uero modicã uim extergendi. Et quum thus mediocriter calida ui præditũ existat, eam ob rem habet quid concoctoriũ & quod dolorẽ sedat. Ex eodẽ genere cum ipso, quantũ ad concoctionẽ & discussionẽ attinet, cẽsendus est crocus et myrrha: quæ inter se in eo differũt quod crocus moderate adstringat, myrrha uero citra adstrictionẽ non ingenerose discutiat & resiccet humiditates. Suntq; sane hæc uiribus præstantiora thure, & ob id etiã maiorẽ discutiendi uim habent: uerũ exterforia ui carẽtia, ad ulcerum curationẽ thure inferiora existunt. Huius generis medicamentorũ, cõcoctorij inquam & discussorij, Lycium quoq; est & castorium. neq; obscurũ esse puto, Indicũ lycium à me dici, non hoc quod apud nostros populos prouenit. proxime uero ad horũ facultatẽ accedit sarcocolla dicta, quæ concoctoriũ & discussoriũ est medicamentũ, atq; ipsa adhuc magis galbanũ prædictas uires habet. Meliloti uero decoctum ad concoctoriam facultatẽ adsumpsit etiam quid adstrictorium, eiusdem fere generis cum croco existẽs. Inijcitur etiã in oculares cõpositiones lapis Hematites appellatus, humores resiccandi uim habẽns, uelut & Cadmia. Mitius autẽ pharmacũ lapis ipse quàm Cadmia existit, utpote ex humida substãtia; non terrestri, uelut Cadmia, generationẽ adeptus. Hanc enim eius naturam indicat solutio, quę fit in medica cote, quum per attritionem cum liquore quopiam in succum resoluatur. Quin & quum solus per se citra liquoris alicuius affusionẽ teritur, nõ in terrea fragmẽta dissoluit uelut Cadmia, sed in ęqualium partiũ & cohærens corpus. Consimilis ei est & lapis Schistus appellatus, sed fortiorem facultatem habet. Quod uero stibium appellatur illotũ quidem fortem ex se ostentat adstringendi facultatẽ: lotum uero exoluitur, ut prope ad mordacitatis expertium uim accedat. Vehementẽ autem exterforiam facultatẽ æs ustum habet, itemq; squama eius & flos. Neq; minus efficax, sed minus mordacitatis expers chalcitis usta est. Quod si lauentur talia pharmaca, exterforia quidem adhuc manent, tanto autem efficacia imbecilliora, quantum mordacitatis magis expertia fiunt. Huius generis sunt etiam Misy & Aerugo, fortissima pharmaca his quæ sycosi & callis cõueniunt ammixta. Quidam uero ipsis etiam gallas iniecerunt, uehementer adstringẽs pharmacum: quemadmodum aliqui chalcanthũ neutro genere appellatum, atque etiam ut aliqui usurpant chalcanthus, tum masculino tum muliebri genere, quod ad adstringendum unà cum acredine uehemẽtissimũ inter hæc omnia pharmacum existit. Manifestum est autem quod multo moderatius redditur ustum & lotũ. ad hanc syluam pertinet etiam stomomatis squama. At thuris cortex adstringit quidem & ipse nõ ingenerose, uerum prædictis omnibus longe inferior est. Atqui & Misy ipsum tum ad easdem affectiones, tum amplius ad scabras palpebras quidã in collyria miscuerunt. Quandoquidem uero & Mannæ quidam mentionem fecerunt, & uidetur aliquibus nihil à thure trito ac leuigato differre, Cognosse operæpretium est, quòd Mannam proprie appellant id quod excussum est à thure circa magna onera confracto. Auferuntur em̃ simul ab ipso fragmenta quædã parua corticis Thuris, quare à thure differt tale pharmacum in hoc quod parum quid adstrictorium adsumpsit. Quæcunque igitur ex adstringentibus multam terream compagem

gem habent, aspritudines & sycoseis ac callos consumunt. Cæterum quæ ex succorum genere sunt, uelut omphacium & hypocisthis, eluuntur facile in sublitionibus diffluentia simul cum lachrymis. Ex hoc genere est & glauciũ & acacia. Citra mordacitatem uero exterget ceruicornu ustum, uelut etiam caprarum. Dictum est autem & thus ex talium genere esse, uerum hoc uelut dictum est, omnino exigua participat extergendi facultate, doloris sedatiuum & concoctorium existens. Cornua uero prædictorum animalium extergẽdi quidem uim habent: sed neq; dolorem sedant, neq; concoctoria facultate prædita sunt, frigidi nimirum & sicci temperamenti existentia. Habet aũt & quod Armenium uocatur, extergendi uim, quemadmodum & atramẽtum Indicum appellatum, & ob id B sane ulceribus inflammatione carẽtibus citra molestiam adhibetur. Mixtæ uero quodammodo facultatis est aloe, ueluti etiã rosa. Habet enim quid in se amarum, quod extergendi à natura aptitudinem habet: inest autem ei etiã quid adstrictorium, ut committat & ad cicatricem ulcera perducat.

Quæ ad scabras affectiones conueniant. 2

Ex pharmacorum ad scabras in palpebris affectiones conuenientium numero, sunt sales ammoniaci, & lapis Asius tum ipse, tum flos ipsius, & quod psoricum appellatur, non simplex, neque sponte naturæ productum, sed præparationis modum quendam habens, quem etiam Dioscorides conscripsit, & alij fere omnes, qui de Medica materia commentati sunt. Ammiscetur his & misy ustum, & sandaracha, & quod à ueteribus Græcis C Arrhenicum, nostro uero æuo Arsenicum appellatur. Ex medicamẽtis uero aromaticis casia, et malabathri folium, quin & amomum et cinamomum quidam ocularibus compositionibus ammiscuerunt, quum discussoriam quidem uim habeat cinamomum, reliqua uero etiam adstringendi facultate participent. In communi porrò de omnibus repurgantibus siue extergentibus & rypticis à Græcis appellatis, medicamentis id nosse oportet, tum eis quę moderata sunt, tum his quę sycoseis & callos consumunt, quod hæc omnia etiam ad cicatrices crassas conueniant. Attenuant enim ipsarum crassitudinem, & substantiam superficiei deradunt ac remouent. D

Quæ induratis auxilientur. 3

Compositiones quæ ad induratas oculorum tunicas conueniunt, ex succis constant & ammoniaco thymiamate, quemadmodum etiam antea dixi. Miscentur autem eis moderatiora quædã, quæ uiribus eorũ tamen non obluctẽtur, myrrha uidelicet & thus, & galbanum, aliaq; consimilia.

Quæ suffusis conueniant. 4

Ad suffusos uero quidam Medici liquida pharmaca composuerũt. Ac prima fere omnium compositionum est quæ ex fœniculi succo, & hyænæ felle, ac melle Attico constat: quidam uero etiam caprinum fel addiderũt. Verum postea alius aliud fel admiscuit, alius galli, alius uiperæ, alius testudinis marinæ, alius callionymi piscis. Nunc uero in A pretio est pharmacũ ex felle scarorum. Quemadmodum & quod ex myrrha stacte cõstat. Promissiones itaq; omnium horũ pharmacorum magnæ sunt. Verum effectus aliquando nullus, aliquando ualde exiguus.

De Aridis medicamentis oculis conducentibus. Cap. V

Ex præscripta materiæ medicæ sylua cõposita sunt à Medicis pharmaca arida, quæ priuatim ab ipsis arida collyria appellantur. Quorũ aliqua quidem callos & Sycoseis consumunt, excrescentem item iuxta nasi angulum carnem, encanthida appellatam, & pterygia quæ etiam ungues dicũtur. Aliqua uero scabris palpebris conueniunt, & ad palpebrarum defluuia quæ Milphæ appellantur conducunt: uerũ aliam ab acribus collyrijs facultatem habent, unde etiam à quibusdã medicis Apodacrytica, id est, delachrymatiua & repulsoria appellantur, uelut etiam ipsa collyria. Ex his autem pleraq; etiam obtuse cernẽtibus, siue per ætatem, siue crassitudinem, aut frigiditatem humorum in oculis, aut etiam flatus caliginosi redundantiã id contingat, non parum prosunt. Aliqua deinde ex aridis pharmacis affectionem in oculis congregari prohibent, impediẽdo uidelicet influxiones humorum, ex quibus oculi lædi consueuerunt. Præstantissimum uero horum apparuit, & experiẽtia iudicatum est quod ego composui, & ob id apud multos in usu est, ac fere per omnes gẽtes, quibus imperant Romani. Ac primum sane ipsius cõpositionem scribã, quum præstantius putem esse, nullis omnino affectionib. corripi, quàm eas quæ iam præoccuparunt optime sanare. Quando uero etiã Asclepiades plurimamq; & optimam tum aridorum, tum liquidorum collyriorum conscripsit syluam, ab aridis primum initio facto: & ego sane mihi recte facturus uideor, si consimili scribendi ordine utar. Quare ubi meum aridũ adscripsero, deinceps omnia quæ Asclepiades habet in primo externorũ quem Marcellæ inscribit, iuxta ipsius ordinem subiungam. Et post hæc cataplasmata oculis accõmoda, agglutinatoriaq; & inunctilia pharmaca ab Asclepiade descripta adijciã. Prestabilius enim mihi uidetur & istorum ordinem in scribendo seruare, atque ita ad collyria ac liquida pharmaca transire, omnibus appositis, uelut Asclepiades ipse recensuit, illius ipsius uerbis.

Pharmacum Aridum ad tuendam oculorum ualetudinem à me compositum. 2

Vtilissimum sanis oculis præseruatiuũ ego cõposui pharmacum, quod omnes iam in usu habẽt. Vrit lapis phrygius in minutas partes confractus, ut maior tamen sit nuce quæ pontica à quibusdam uocat, ab alijs nux parua, Modus urendi idem qui in alijs est, lapide in ollulam nouam cõiecto, deindeq; ollula forinsecus luto obturata, operculũ perforatum uel in solo uertice, uel quod melius est, etiam circa alias plures partes imponimus, quo per ipsa foramina fuliginosæ & fumosæ eorum quę uruntur exhalationes facilius efferãtur. Postquam uero totus lapis ignitus factus fuerit, tunc sane

ollulam

ollulam in purum quoddam uasculum euacuare oportet, butyrumq; infundere nõ uetustum, & circumagitare usti lapidis partes, donec omes extinguantur, atq; tunc cessare, & sic rursus easdem in ollulam coniectas urere, rursusq; prunis candefactis ab igne ollulam imponẽdo, ut nihil fumosum in se habeant: uentilatione etiam easdem excitare conuenit, quo citius ustio perficiatur. Deinde quũ iam igniti facti fuerint lapides, & nulla amplius fuligo effertur, rursum eosdem eximere oportet, & uino phalerno extinguere, aut aliquo fuluo & odorato, uelut est Tmolites, Ariusiumq; & Lesbiũ. Deinde rursum in ollulam coniectos, tertio urere, & postquam ignitus fuerit lapis, rursus extinguere melle Attico non multo. Reddetur enim pharmacum non aridum, sed uiscositate aliqua præditum. Cæterũ pluribus diebus trita & præleuigata in promptu habere oportet, ita ut in tenuissimum puluerem redacta sint, subscripta. æris usti unciam unam. quod est drachmas viij. piperis albi tantundem, folij malabatri tantundem, stibij hemiolium quod est drach. xij. his ammisce lapidis usti lib. i. Et postquam omnia probe fuerint leuigata, & reponere medicamentum uelis, adijce opobalsami Syriaci sesquiunciam quod totum drach. xij. facit. Sit uero opobalsamum tenui & pellucenti compage, non crassum quemadmodum solet in uasis circa fundũ considere ac spissari: quod enim ita crassum est, ariditatem pharmaci impediet. Porrò usus ipsius ad solas palpebras competit cum specillo inducti, citra tunicarũ ipsius oculi cõtactum. Vt plurimũ itaq; sufficit circa solam infernã palpebrã specillũ inducere. Nihil uero uetat etiã supernam palpebrã similiter illinere, ubi presertim pharmaco opus fuerit, hoc est, ubi iam manifeste perturbationem quandam perceperit oculus: non tamen expectare conuenit donec id fiat. Verũ præoccupare oportet circa primũ affectionis sensum, in omi tempore diei, etiamsi quis biberit & cœnauerit. Et plane frequens eius competit usus, cum cautione, ut dixi, ne tunicæ oculorum eo contingantur. Oportet autem & eum cui inducitur pharmacum palpebras exertas & extẽtas exhibere, & quum inungitur nequaq; cum ipsis nictare. Hoc sanè pharmacum à me compositum est, non permittens eum qui ipso recte utatur oculorum lippitudine apprehẽdi. Deinceps uero quæ ad affectiones commoda sunt medicamenta conscribam, initio ab his quæ Asclepiades scripsit facto.

Arida pharmaca ad oculos ab Asclepiade conscripta. Cap. VI

In primo libro pharmacorum externorum quæ Marcellæ inscribit, in hunc modum hęc uerba scribuntur. Aridum ex psoricis Heraclidæ, ad circumrosos oculorum angulos. Spodij cyprij, drach. iiij. omphacij aridi drach. ij. nardi obol. iij. piperis fricti grana xv. tritis utere. Psoricum Aelij. Cadmiæ drac. iiij. æris usti drach. ij. cũ aceto in sole terito & resiccato, rursumq; leuigatis & repositis utitor. Aliud. Cadmiæ drach. i. æris usti drachmam unam. nardi indicæ drachmam i. piperis fri-

A cti obol. ij. tritis utere ut pharmaco uehementer commodo. Aliud. Chalcitidis partes duas. cadmiæ partem unã. tusa & cribrata terito in sole, adiecto uino sufficienti, deinde resiccato, & leuigatis repositis utitor. Ex libris Philoxeni aridũ Acharistou. Cadmiæ drach. duas. chalcitidis ℥. viij. aloes ob. ij. æruginis ob. ij. piperis grana x. florũ rosarũ drach. i. tritis utitor. Eiusdem ad lippitudinem siccam & sycosin, putrescentia, & excrescentem carnem. Cadmiæ drach. x. chalcitidis drachmas octo. piperis grana xv. nardi celticæ drach. i. Cadmiam & chalcitidem cum uino terito, atque ubi exaruerint nardum & piper inijcito, ac in puluillum redactis utitor. Aliud. Cadmiæ drach. uiginti. chalcitidis drachmas xl. nardi indicæ drac. duas. myrrhæ torrefactæ drac. duas. piperis grana xxxv. cum aceto acerrimo apparato. Capitonis ad lippitudines siccas, & oculos humectos, ac angulos circumrosos & palpebras ficosas. Cadmiam cypriam ad polentæ magnitudinem cõfringimus, deinde Attico melle subactam in uasculũ fictile conijcimus, huiusq; ore obturato ac luto circumlito, foramẽ iuxta medium oris facimus, quo id quod assatur inde transpiret. Ipsum uero uasculum intra prunas erectum statuẽtes succensis prunis urimus, atq; ubi exignitum fuerit, exhalationũ per foramen elatarum animaduersionẽ habemus, quæ si nigriores efferãtur amplius urimus. Quum uero albidiores apparuerint, assationem sufficientem factam putamus, ablatoq; uasculo & dempto operculo, cadmiam uino Italico extinguimus, & in pilam translatam terimus, resiccatamq; ad pharmaci confectionem reponimus. Quæ hoc modo habet, Cadmiæ drach. viij. æris usti drach. viij. stibij drach. viij. tritis & ablatis utere, cum specilli extremo palpebris mane & uespere ex eo sublitis.

Aliud. Cadmiæ ustæ uelut prædictũ est drac. viij. æris usti drac. viij. stibij drac. iiij. armenij drac. ij. tritis & repositis utitor. Nos cadmiã & reliqua adipe uiperæ excepta assauimus, deinde uino extinctis ac tritis usi sumus. Pharmaca ex lapide Hæmatite ad scabras palpebras accommodata. Capitonis ophthalmici. Cadmiæ cypriæ drachmas xxiiij. lapidis hæmatitæ drach. vi. in alio exemplari drachmas xvi. æris usti drachmas uigintiquatuor. arida ad polentæ magnitudinem contunduntur, melleq; excepta uelut prædictum est assantur ac uino extinguuntur, deinde resiccata leuigãtur. Vsus demõstratus est. Aliud. Cadmiæ drachmas xx. æris usti drachmas decẽ. lapidis hæmatitæ drach. x. tomentorum purpuræ laconicæ drachmas viij. melle excepta & usta componito ut dictum est. Sosandri ad palpebrarum defluuia, & inueteratas affectiones, facit & ad excrescentem iuxta nasi angulum carnẽ. Cadmiæ, stibij, chalcitidis crudæ, misyos peregrini, singulorum drac. viij. cõtusa & melle excepta uelut dictum est assato, deinde uino extincta tritaq; & resiccata reponito, utitor. Aliud. Chalcitidis crudæ, cadmiæ, stibij, misyos peregrini, singulorum drach. viij. nardi indicæ drachmas ij. croci torrefacti drach. duas.

pipe-

piperis drach. unam. Metallica melle subiguntur ac uruntur ut dictum est, deinde uino extinguuntur & terũtur, adijciturq; his nardus & crocus torrefactus, itemq; piper, postea uero simul leuigatis ac repositis utimur. Pharmacũ calliblepharon exornandis palpebris accommodatũ. Facit & ad inueteratas lippitudines. Stibij usti ac uino extincti drach. xvi. plumbi usti ac loti drach. viij. fuliginis thuris, spicæ nardi, myrrhæ torrefactæ, croci, squamæ æris, singulorum drach. i. Omnibus tritis ac repositis utitor. Aliud ex croco. Croci unciam i. glaucij unc. i. sarcocollæ unc. i. ego etiam opij unc. i. adieci. Aliud Seuerianum. Cadmiæ ustæ & lotæ sextantem. salis ammoniaci, piperis albi utriusq; sextantem. folij drach. ij. probe tritis utitor. Aliud pueris maxime cõmodum. Stibij drach. xvi. plumbi drac. viij. squamæ æris drac. unam. croci drach. i. florum rosarum drach. i. myrrhæ drac. i. nardi indicæ, thuris masculi, piperis albi, singulorum drac. i. palmularum ossicula decẽ. omnia in figulinum uas coniecta diligenter assato. Deinde in pilam translatis ac tritis opobalsami cochlearia duo adijcito, conquassato, resiccato, & utitor. Aridũ Philoxeni ad pruriginosos ac circumrosos angulos. Facit & ad obtusum uisum.

Cadmiæ drach. iiij. salis ammoniaci drach. ij. piperis albi drac. i. tritis utere. Ego hæc ita apparo.

Cadmiæ drach. viij. croci drach. ij. piperis albi drachmam i. salis ammoniaci drach. ij. nardi indicæ drachmam unam. tritis utitor.

Liquidæ oculares compositiones ad ficosas eminentias, ac omnem extuberantiam carnis. facit & ad carnem circa nasi angulum excrescentem, & ad incipientem lippitudinem. Cap. VII

Compositio qua usus est Philippus in Cæsaria, Misyos assati drach. viij. myrrhæ drach. iiij. cadmiæ drac. viij. croci drach. ij. salis ammoniaci drac. ij. nardi indicæ, piperis albi utriusq; drach. i. mellis Attici cyathum unum. Aliud. Misyos assati drach. vi. atramenti sutorij drach. iiij. myrrhæ drac. iiij. æris usti drach. i. mellis attici cyath. i. Panchrestos Erasistrati. Ad aspretudines ac omnes lippitudines, auresq; purulentas, & ad ulcera ægre recipientia cicatricem, & ad nomas, hoc est, ulcera serpentia oris. Aeris usti drachmas ij. myrrhæ drachmam unam. piperis obolos ij. misyos assati drachmam unam. croci obolos iij. uini chij heminam unam. passi cretici heminæ dimidium. Arida terito affuso uino, atq; ubi imbibitum fuerit uinũ, affunde etiam passum, & conquassata in æreum uasculum trãsferto, ac ad lentum ignem coquito, deinde in pyxidem æream reponito. Ad callos & omnem eminentiam. Aeris usti drachmas ij. misyos usti drach. i. myrrhæ drach. i. croci drach. i. omphacij drach. i. uini chij cyathos duos. mellis attici libram dimidiam. utitor. Philoxeni liquida uisum exacuẽs, cicatrices & callos exterit. Ammoniaci thymiamatis drach. iiij. æruginis drach. ij. uino diluta & contrita melle attico excipito.

Aliud. Ammoniaci thymiamatis drac. xij. æruginis drach. vi. myrrhæ drach. ij. componito ut

A dictum est. Aliud Phædri Rhinion, id est limula. Ammoniaci thymiamatis drach. iiij. æruginis drach. i. alcyonij torrefacti drac. unã. floris lapidis Asii obolos iij. componito ac utitor ut dictum est.

Aliud. Ammoniaci thymiamatis drach. viij. æruginis drach. viij. floris lapidis Asii drach. ij. obolos ij. alcyonij ʒ. i. ob. ij. opij sesquidrachmam, myrrhæ sesquidrachmam, componito ac utitor ut dictum est. Aegyptia ad callos & albugines, aufert etiam pelliculas confestim. Aeruginis Corinthiæ drach. vi. ammoniaci thymiamatis drachmas sex. obolos quatuor. salis fossilis drach. iiij. medullæ colocynthidis drachmas quatuor. fellis taurini drach. ij. nitri nigri sesquidrachmã. piperis albi grana xl. mellis attici cyathos vi. componito ut di-

B ctum est, & in pyxide ilicea reposito utitor. Alia Aegyptia ad callos & albugines, ac inueteratas affectiones. Aeruginis drach. vi. ammoniaci thymiamatis drach. sex. medullæ colocynthidis drac. iij. fellis taurini drachmas duas. nitri nigri drach. ij. excipe mellis attici cyathis vi. & utere. Compositio exacuens uisum, faciens & ad glaucedinem. Antonij Musæ. Fellis perdicis syluestris partem unam. In alio exemplari, succi herbæ perdicij. Aliqui succi centaureæ partes iij. mellis attici tantundem. Aliud. Fellis gallinæ ueteris partem unam. succi centaureæ partem unam. mellis attici partes tres. facit ad glaucedines. Compositio Largi exacuens uisum. Succi fœniculi radicis partem unam. mellis tantundem. Reponito in py-

C xidem æream ac utitor. Aliud. Succi radicis fœniculi partem unam. succi chelidoniæ tantundem. mellis attici tantundem. Aelij Galli ad suffusiones. Fellis testitudinis marinæ drach. viij. mellis attici tantundem. fellis taurini drachmas ij. croci drachmas ij. opobalsami drach. ij. contusis utere. Cassij ad suffusiones. Fel taurinũ in æream pyxidem euacuatum per dies decem sinito, deinde myrrhæ, croci, utriusque drach. duas. opopanacis drach. ij. opobalsami drach. duas. piperis grana xij. mellis attici duplum omniũ accipito, omniaq; cum felle misceto, & in æreo uase coquito. deinde in ærea pyxide repositis utitor. Liquida Basilis, hoc est regina, hanc reparatricem appellamus.

Omphacij drachmas duas. myrrhæ drachmas

D duas. fellis aquilæ drach. ij. opobalsami drac. duas. lachrymæ oleæ drach. ij. ammoniaci thymiamatis drach. i. fellis hyænæ drac. ij. excipe melle. Antonij Musæ. Fellis hyænæ drach. i. fellis ursi drac. duas. opobalsami drach. ij. salis fossilis drach. i. croci drach. unam. myrrhæ drachmam i. mellis attici cyathos ij. succi fœniculi cyathos duos. Philoxeni. Fellis hyænæ sesquidrachmam adipis uiperæ sesquidrachmam. croci drac. i. omphacij drac. i. myrrhæ drachmæ dimidium, opobalsami drach. i. mellis attici drach. octo.

2 Tincturæ albuginum. Gallam tritam ac leuigatã in prompto repositã seruato, usu uero expetente cum specilli nucleo calfacto adhibeto, deinde atramentum sutorium aqua dilutum admoueto. Aliud. Malicorium tritũ adhibeto, indeq;

atramen

atramentum sutorium aqua dilutum admoueto.

Aliud. Misyos, atramenti sutorij, gallarũ omphacinarum, singulorum æquales partes contusas & cribratas reponito. Vsus uero tempore aridum adhibeto. Ad glaucos oculos quo pupillæ nigræ reddantur. Malicorij dulcis succũ infundito, deinde post temporis interstitium hyoscyami florem cum uino aut hyoscyami succo tritum instillato. Verum hæc opportuno tempore colligere & reponere conuenit. Aliud. Acaciæ fructum & gallarum parum quid diligenter trita fremij succo excipito, & ad mellis crassitudinẽ redigito. Deinde expressum per linteolũ liquorem reseruato ac utitor ut dictum est.

3 Ad pilos pungentes in palpebris enascẽtes, Trichiasin appellant Græci. Antonij Musæ. Fel auiculæ quæ cinædus appellatur, & aconiti dimidium eius, mixta reponito. Vsu uero exigente, euulso pilo locum ex pharmaco illinito. Aliud.

B Fel piscis pagri, & aconiti dimidium, cum squama ferri lota, adipe subigito, atq; his amygdalini olei parũ adijcito, & sanguinis uespertilionis quãtum suffecerit. Deinde mixtis & repositis utitor ut dictum est. Adglutinatoria pilorum, Heraclidæ Tarentini. Ceræ drach.i. picis drach.i. lithocollæ drach.i. simul liquefacta reponito. Vsu uero postulante, specilli summum candefacito, & quod ex pharmaco dissoluto adhæserit adhibeto, eoq; pilos agglutinato. Aliud. Resinæ siccæ, picis siccæ utriusque drach.i. sulphuris uiui drach.i. bituminis drach. unam. ceræ drach.ij. liquefactis utitor. Ad paruos instar hordei oblongos circa pilos palpebrarũ abscessus, Crithas & Posthias Græci appellant. Antonij Musæ. Galbani partem unam cum modico nitro mixtam imponito, aut etiam misyos crudi parum ammisceto. Faciunt & ficus aridæ in uino mulso coctæ & tritæ, modico simul galbano cõtrito. Facit & farina hordeacea in uino mulso cocta ac trita, itidem modico galbano simul contrito. Dionysii Milesii ad pilos palpebrarum pungentes. Leporem marinum in figulino nouo urito, & cinerem tritum ricinorum sanguine excipito & reposito in cornea pyxide utitor, euulsis antea pilis. Aliud. Salamandræ ustæ cinerem, terrestrium herinaceorum felle excipito, ac utitor ut dictum est. Quidam castorio usi sunt cum melle mixto. Aut castorio & hirudinis ustæ cinere. Aut cicutæ semen tritũ ac Thunnæ sanguine exceptum, præeuulsis pilis illeuerũt.

4 Ad crithas & chalazia. hoc est, instar grandinis in palpebris tubercula. Sagapeno cum aceto trito utitor. Aliud ad Aegylopas. Succi illecebræ, succi solani, utriusq; libri dimidiã. thuris drac. viij. mastiches quadrantem. galbani libram dimidiam. Succos cum thure coquito, atque ubi dissolutum fuerit galbanum inijcito: mastichen enim improbamus. Aliud. Thuris drachmas octo. ladani drachmas quatuor. aluminis scissilis drach. quatuor. myrrhæ drachmas octo. ceræ drachmas quatuor. spumæ nitri drachmas quatuor. coaguli leporis drachmas quatuor. Contunditur hoc pharmacum & cum ungenti irini fece mollitur.

Cataplasmata in eodem libro primo externorum ab Asclepiade ad oculos descripta, itemq; agglutinatoria & inunctilia. 5

Cataplasmata lippientium, ad doloris uexationes ac maximas Epiphoras, quibus usus est Heraclides Tarentinus. Rosarum uiridium aut siccarum drachmas iiij. croci drac.i. opij drac. unam, excipe meliloti decocto aut passo. Aliud. Rosarum, uiolarum albarum, meliloti, capitum papaueris, singulorum drach.ij. croci drach. unam. opij drac. unam. myrrhæ drachmam unam. oui assati uitellum, tritis & passo subactis utere ut dictum est.

Illitiones ad dolores, quibus usus est Glaucus.

Aloes, lycij indici, rosarũ uiridium, croci, opij, myrrhæ, singulorum ęquales partes uino subactas in pastillos formato, eosq; in umbra siccato. Vsu uero exigente passo dilutos oculis illinito, itemq; fronti ac temporibus. Philoxeni ad fluxionem multam & dolores. Foliorum rosarum recentium drachmas ij. seminis hyoscyami drach. octo. thuris drach. iij. myrrhæ drachmas iiij. farinæ polentarum acetabulum, oui assati unius luteum, succi mandragoræ drach. iiij. croci drach. ij. opij drac. iiij: uini austeri quantum sufficit. In pastillos redigito ac utitor ueluti dictum est. Illitio Anthera eadem hora iuuans. Croci drach. iiij. thuris drachmas duas. cinnabaris drachmas iiij. gummi drachmas ij. uino excipito. Vsus tempore terito & ad solidum modicum mellis adijcito. Aliud Lychnium inscriptum. Croci drach. unam. thuris drachmas ij. opij drac. ij. gummi drac. ij. cinnabaris drac. ij. aqua pluuia excipito. Alij habent, croci rosas specie referentis drach. iiij. cinnabaris drac. ij. myrrhæ, opij, utriusq; drach. ij. aqua pluuiali excipito.

Illitiones mordaces quæ euestigio fluxionẽ cohibent. faciunt & ad lippitudinem scabram ac aridam. Aeris usti, drach. iiij. croci drach. iiij. piperis albi drach. ij. opij. drach. ij. gummi drac. iiij. cum aqua pluuia forinsecus illinũtur. Relidit hoc pharmacum maximas Epiphoras. Cæterum cauere oportet ne quid ex eo in oculũ præterlabaẽ. Aliud. phloginum, hoc est flammeum inscriptũ.

Aeris usti & loti drachmas xij. croci drachmas sex. piperis albi drachmas quatuor, myrrhæ drachmas iij. opij drach. iij. gummi drach. xij. uino Amminæo excipito. Agglutinatoria quæ fluxiones cohibent. Pollinis partem unam. myrrhæ partem unam. mannæ thuris partem unam. candido oui excipe, deinde in linteolum impacta impone temporibus ac fronti. Aliud. Seminis hyoscyami drach. ij. opij. drach. i. croci drach. i. pollinis drac. iiij. ouorum assatorum uitellos duos. castorij drach. i. omnibus simul coactis utitor. Collyriũ ad Epiphoran, & dolores, ac fluxionem multam, quo Moschio familiaris usus est. Glaucij drach. xvi. sarcocollæ drac. viij. croci drac. iiij. gũmi drac. ij. tragacanthæ drach. ij. succi mandragoræ drac. ij. opij drac. i. aqua pluuiali excipito ac utitor cum ouo. Heronis ophthalmici psittacus, ad dolores & fluxum largum, euestigio somnum inducit.

Glau

Glaucij drach.xvi. croci drachm.viij. sarcocollæ drach.viij.opij drach.iiij.succi mandragoræ drac. duas,tragacanthæ drach.octo,aqua pluuiali excipe. Ad prædictas affectiones Neapolitæ. Glaucij drach.xlviij.sarcocollæ drach.xxiiij.croci drach.xxiiij.lapidis hæmatitæ drachm.xij. opij drach.xix. succi mandragoræ drach. octo, gũmi drach.xvi.tragacanthes drachm.xij.excipe aqua pluuiali. Sergij Ophthalmici Babylonij. Glaucij drach.xxiiij. sarcocollæ drach.xvi. croci drac. xij.opij drach.iiij. lapidis hæmatitæ drachm.sex, gummi drach.xij. excipito aqua pluuiali. Illinito per unum atque alterum diem, atque ubi affectio nõ soluatur ad insequentes illitiones transimus.

A

Aliud diasmyrnum glaucidanum inscriptum. Glaucij drachm.xlviij. sarcocollæ drachm.xlviij. croci drach.xxiiij. opij drach.sex, myrrhæ drach. sex,hæmatitæ drach.sex,tragacanthæ drac.xlviij. aqua pluuiali excipe ac utere cum ouo. Diasmyrnum ex hæmatite. Glaucij drach.lxiiij.sarcocollæ drach.xxxij.croci drach.duodecim, opij drach.octo,myrrhæ drach. sex, hæmatitæ drach. xvi.tragacanthæ drach.xlviij.gummi drach.xvi. In alio exemplari drach.xlviij. Excipiuntur aqua pluuiali,usus eius est cum ouo. Phosphorus ad doloris uexationem, omnemque inflammationem & intensas epiphoras. Glaucij drach.xxiiij. sarcocollæ drach.octo,croci, opij, utriusque drachm. octo,myrrhę drach.octo,misyos usti drach.octo. gummi drachm.xix. excipe aqua pluuiali, utere cum ouo. Euchrun excellentis & mirabilis efficaciæ. Glaucij drach.xx. sarcocollæ drachm. septem,croci drach.septem,myrrhæ drach.septẽ, opij drach.septẽ,misyos usti drach.septẽ, gummi drach.xij.excipe aqua pluuiali,utere cum ouo.

B

C

Pharmacum ex succis,dolorẽ sedans, facit ad omnem doloris uexationem, somnum euestigio inducit. Glaucij drach.xlviij.sarcocollæ,tragacanthæ, utriusque drach.xvi. croci drachm.octo, opij drac.iiij.succi rosarum drach.iiij.lycij indici drac. quatuor,hyoscyami drach.quatuor,succi mãdragoræ drach.quatuor,gũmi drach.octo.Excipiuntur meliloti decocto:cõponuntur aũt hoc modo, Meliloti lib.unam,& aquæ pluuialis heminas xij ad tertias coquito, & excolato liquore ad pharmaci compositionem utitor. Aliud, Glaucij drach.xlviij.sarcocollæ drach.xxiiij. croci drach. xxiiij.opij drachm.xij.lycij Indici drach.xij.succi hyoscyami drach.xij.succi cicutæ drach.xij. rosarum uiridium resectis extremitatibus drac.xlviij. gummi drach.xxviij. aqua pluuiali excipe, utere cum ouo. Pharmacum Phæon,id est fuscum inscriptum, accommodatum ad doloris molestias. Cadmiæ drac.xij.aut xvi.æris usti drach. sex, myrrhæ drach.tres,opij drach.tres,acacię drac.septẽ. excipito aqua pluuiali uelut demonstratum est. Aliud phæon, ad omnem fluxum & omnem lippitudinem.In alio pædicon,id est puerile legitur. Aeris usti drach.xij. cadmiæ drach.xxxij.gummi drach.xxxij. acaciæ drach.xxxij. myrrhæ drach. quatuor,opij drac.quatuor.aqua pluuiali excipe.

D

Aliud ex libris Philoxeni. Spodij cyprij,drac. xij.æris usti drach.iij.opij,myrrhæ, utriusque drac. tres,acaciæ,gummi,utriusque drach.septem, aqua pluuiali excepta cum ouo in usum eueniunt,ut dictum est. Pharmacum Berytium inscriptum, quo usus est Berytius ad maximas epiphoras, euestigio auxiliatur. Aeris usti & loti drach.xvi. acaciæ drach.xvi.spodij pompholygis drachm.xvi. opij drach.xvi,gummi drach.xvi. croci drachm. xij.myrrhę drachm.ij.aqua pluuiali excipe,utere cum ouo. Oportet hoc assidue infundere. Aliud ad easdem affectiones. Spodij pompholygis drach.xvi.opij drach.xij.myrrhæ drach.xij. gummi drach.sedecim, æris usti & loti drac.sedecim, aqua excipito pluuiali,ac utitor cum ouo. Pharmacum Acharistum inscriptum, ad maximas epiphoras. Huius solius usu medici ægyptij feliciter medicantur,in agrestioribus præsertim corporibus. Cadmiæ drach.xvi.acaciæ drach.viij. æris usti & loti drach.viij.opij drach.quatuor, fructus ericæ drach.quatuor,myrrhæ drac.quatuor,gummi drach.xvi. aqua excipito, ac utitor cum lacte muliebri. Temperatura media est, ubi uero circa oculos affectio fit,ab hoc collyrio abstinere oportet. Quo ipse usus sum sic habet. Cadmiæ drac. xvi.fructus ericæ drac.ij.æris usti drach.quatuor, opij drach.ij.myrrhæ drach.unam. acaciæ drach. sex,gummi drach.octo.aqua excipito, usus indicatus est. Aliud, Cadmiæ drach.sex,fructus ericæ drachm.quatuor,opij drachm.sex, æris usti & loti drac.iiij.gũmi drac.xx.cõponito, ac utitor ut dictum est. Nectariũ Marci, facit ad incipientem lippitudinẽ, facit ad illationẽ fluxus tenuis, ad chemoseis,tumores, pellicularum eminẽtias, & ferè ad omnem lippitudinem facit, & ad palpebras crassas.Oportet autem præ omnibus fomentum adhibere,deinde ipsum infundere,in principio quidem fluxionis cum aquoso oui liquore:ubi uerò successerit hæc curatio,paulatim hãc temperaturã extendere & augere oportet. Cæterum ad palpebras asperas collyrio cũ aqua utimur,apud alios Sphragis appellatur. Aeris usti & loti ʒ. iiij.cadmię ʒ.iiij. croci drach.ij. opij drac.ij. gũmi drac.sex.aqua excipe,ac utere ut indicatum est.

6 Sergij Ophthalmici Monohemerum inscriptum,hoc est una die efficaciam suam commonstrans. Cadmiæ ustæ & lotæ drachm.quatuor, spodij pompholygis loti drachm. quatuor, æris usti & loti drachmas quatuor, croci drach. duas, acaciæ drachm.sex,gummi drachm.sex,aqua pluuiali excipe, ac utere cum ouo. Temperatura est aquosa. Postquam lachrymæ prolectæ fuerint, candidum oui infundere oportet,& rursum sublinere. Vbi uerò morsus consequeretur, fomentum adhibendum est,rursumque oui candidum infundendum:postea uerò collyrio nigro inscripto illinito. Sphragis Neapolitæ. Cadmiæ drac. octo,æris usti & loti drachm.octo,acaciæ drach. octo,spodij cyprij drach.quatuor, croci drachm. quatuor,opij drachm.quatuor, gummi drachm. duodecim.aqua excipe, usus indicatus est.

Paccij Sphragis. Cadmiæ ustæ & lacte caprino siue muliebri extinctæ ac lotæ, & in umbra siccatæ ʒ.x. æris usti et loti ʒ.x. acaciæ ʒ.x. opij ʒ.vi. croci drach.vi. gummi ʒ.xv. aqua pluuiali excipito. Zoili sphragis cum Paccij concordat. Philotæ Aphroditarium inscriptum. Cadmiæ lotæ drachm.xxiiij. acaciæ drachm. xxxvi. æris usti & loti drachm. duodecim, croci drachm. duodecim, opij drachmas duodecim, spodij cyprij loti drachm.xij. gummi drachmas xlviij. excipe aqua pluuiali, ac utere cum ouo assidue infundendo. Post curationem uerò lauari iubeto, hoc assidue usus sum in maximis epiphoris. Aliud Neapolitæ. Facit ad maximas epiphoras, maxime in his qui ægre rigantur & subalbicant circa inflammationes, ut simile quiddam chemosi appareat. hoc nos usi sumus, post illitiones ægris lauare iussis.

Lapidis schisti drachm.viij. thuris drachm.vij. æris usti & loti drach.viij. opij drach.viij. myrrhæ drachm.iiij. gummi drach.viij. excipe uino ac utere cum ouo. Temperamentum est aquosum. Sæpe uerò hoc infundere oportet, & post interuallum ab illitione lauari iubere. Fuscum Olympionico inscriptũ. Facit ad maximos dolores, facit & ad chemoseis & omnino ex accõmodatissimis collyrijs est: nam statim liberat. Cadmiæ ustæ & lotæ drachm.viij. acaciæ drachm.viij. stibij usti & loti drachm.viij. aloes indicæ drachm.viij. croci drach.iiij. myrrhæ drach.iiij. opij drach.iiij. gummi drachmas viij. aqua excipe ac utere cum ouo. Temperamentum est crassum. Ego etiam pompholygis ac thuris utriusque drach.iiij. adieci. Aliud Zosimo inscriptum odorum. Facit ad dolores & recentes affectiones. Cadmiæ ustæ & lotæ uino Italico, hoc est extinctæ, drach.viij. aloes drach.viij. stibij drachm.viij. æris usti & loti drach.viij. aut ij. croci drachmas ij. myrrhæ drac. unam, nardi indicæ drachmam unam, opij drach. unam, acaciæ drachm.xix. gummi drachm. duodecim. aqua pluuiali excipe. Hermiæ ophthalmici Lutron, id est balneum appellatum. Ad maximos dolores eadem die ad summum auxilians, facit & ad inueteratas lippitudines. Aloes drach. viij. æris usti & loti drach.xvi. opij drach.xvi. myrrhæ drach.xij. croci drachm.viij. cadmiæ drach. iiij. thuris drach.iij. gummi drach.xvi. uino Mendesio excipe, ac utere cum ouo. Temperatura est aquosa. Oportet hoc per interualla trium aut quatuor horarum infundere, & usque ad mali depulsionem sinere, atque tunc lauari iubere. Theodotiõ Phlacianum, Harpocratium inscriptum. Ad maximas epiphoras & dolores, liberat citra uenæ sectionem. Succi acaciæ drachm.xxiiij. cadmiæ drach.viij. æris usti & loti drachmas viij. stibij drachm.xvi. aloes drachm.iiij. croci drach. iij. myrrhæ drachm.iij. lycij indici drachm.ij. castorij drachmam unam, opij drachmas ij. gummi drachm.xxiiij. aqua pluuiali excipe, ac utere cum ouo. Temperatura est crassior. Hoc collyrium tumorem palpebris inducit. Scylacium pharmacum accõmodatum eadem die curans, euestigio

A soluit inflãmationes. Stibij drac.xl. acaciæ drac. xl. cadmiæ drach.xvi. æris usti & loti drach.xiiij. cerusæ drach.viij. myrrhæ drach.iiij. nardi indicæ drachm.iiij. croci drachm.ij. lycij indici drac.iiij. castorij drach.ij. aloes drachm.ij. opij drachm.ij. chalcitidis assæ drach.ij. gummi drach.ij. Excipe rosarum decocto ac utere cum ouo. Temperatura est crassior. Neapolitæ Phanion, id est lampas seu facula. Ad maximas epiphoras & doloris molestias, facit & ad affectiones. Cadmiæ lotæ drach.viij. acaciæ drach.viij. æris usti & loti drachm.vi. stibij loti drach. xx. psimmythij drac. vi. myrrhæ drach.ij. aloes drachmas ij. nardi celticæ sesquidrachmam, opij sesquidrachmam, croci drachmam unã, castorij drachmæ dimidiũ, gũmi B drachmas xx. aqua pluuia excipe, utere illinẽdo.

Aliud Phanion Serapiacum inscriptum. Acaciæ drach.xl. stibij drach.xl. cadmiæ drachm.xvi. æris usti et loti drachm.xij. aloes drachm.iij. myrrhæ drach.iiij. cerusæ drachm.xij. opij drachm.ij. croci drach.ij. nardi indicæ sesquidrachmã, gummi drachmas xxv. aqua pluuiali excepta illinito.

Malabathrinum nostrum, facit ad doloris uexationes, & affectiones in declinatione. Cadmiæ drach.xvi. acaciæ drachm.xl. æris usti & loti drach.xiiij. opij drach.ij. lycij indici drach.ij. myrrhæ drach.iiij. malabathri drachm.ij. nardi indicę drachm.ij. castorij drach.ij. aloes drachmas ij. cerusæ drachm.viij. stibij loti drachmas viij. gummi drachmas xl. aqua excipe, & utere cũ ouo in prin- C cipio affectionum, & in declinatione facta ab illatione pharmaci panchresti appellati: descriptũ hoc inter mordacia collyria habetur. Aliud, Philadelphium inscriptum. Facit ad declinationes inflammationum, & ulcera sordida, & pustularum eruptiones, euestigiò auxiliatur. Stibij usti & loti drachmas uiginti, plumbi usti & loti drachmas decem, cadmiæ drachmas viij. æris usti & loti drachm.iij. aloes drach.iij. lycij indici drac. duas & dimidiam, myrrhæ drachm. duas & dimidiam, nardi indicæ drach. duas, croci drach. duas, castorij drachmam unam, opij drach. unam, gummi drachmas viij. aquam & ad exceptionem candidum ouorum decem. Collyrium album, ad epiphoras et affectiones inscribitur Trypherum, D id est delicatum. Cadmiæ lotæ drach.xvi. cerusæ drachm. viij. amyli drach.iiij. gummi drachm. iiij. tragacanthæ drachmas iiij, opij drachm. duas. excipe aqua pluuia. Vsus est cum ouo. Collyrium ex terra Samia Terennum inscriptum; ad epiphoras & affectiones. Cadmiæ lotæ drach. duodecim, cerusæ drach. duodecim, terræ Samiæ drach.xij. opij drachmam unam, gummi drach. iiij. aqua excipe & utere cum ouo. Aliud dolorem sedans, ad fluxũ omnis generis, ulcera, dolores, papulas et tubercula, prolapsus, chemoseis & omnigenas affectiones. Cerusæ drach.viij. terræ Samiæ drac.viij. spodij pompholygis drac. xij. tragacanthes drach.ij. opij.drac.ij. gũmi drac. iiij. aqua pluuia excipe ac utere cũ ouo. Aliud, Diocleũ inscriptum, ad doloris molestias, & epi-

phoras

phoras, ad suppuratos oculos, pustulas, ulcera. Hoc pharmacum delicatius existit. Tragacāthæ drach.viij.gummi drach.iiij.amyli drach.iiij.spodij pompholygis drach.xvi. cerusæ drachm.viij. opij torrefacti drach.ij. aqua pluuia excepta admoue cum ouo. Pharmacum ex thure, accommodatum ad fluxiones & chemoseis. Cadmiæ drachmam unam, thuris drachmam unam, cerusæ ʒ.xl.opij drach. sex, gūmi ʒ.vi. aqua pluuiali excipito. Cæterum nos sic apparauimus. Cadmiæ drachmas x. pompholygis drachmas x. thuris drachmas x. cerusæ drachmas xl. opij drachm. sex, gummi drachmas sex: aqua pluuia excepta admoue cum ouo. Aliud, Trypheron, id est delicatum inscriptum. Ad inustiones epicaumata grecis dictas, pustulas, chemoseis, maxime in his qui nullam mordacitatem perferre possunt. Cadmiæ lotæ drach.viij.amyli drach.viij. thuris drac. viij.cerusæ drach.xlviij.opij drach.vi. gūmi drac. xvi.aqua pluuia excipe, usus indicatus est.

7 Cygnus inscriptus reginæ, ad maximos dolores & affectiones. Cadmiæ drachm.xvi.cerusæ lotæ drach.viij.amyli drach.ij.tragacanthæ drac. duas, acaciæ drachm.duas, opij drach.duas, gummi drach.xij.excipe aqua pluuiali, & ad excipiendum adijce ouorum crudorum recentium candida iiij. Aërianum Diomedi inscriptum, collyrium accōmodatum ad epiphoras, & ueteres affectiones itemq́ recentes. Spodij pompholygis drach.viij.cerusæ drach.xx. æruginis drachm.iiij. myrrhæ drach.xiiij.thuris drach.iij. opij drachm. iij.gūmi drach.viij. excipe aqua pluuiali ac utere cū ouo. Cygnus ex terra Samia. Ad ulcera omnis generis, ad epiphoras, dolores circūcirca molestātes, suppuratosq́ oculos. Spodij loti drac. xvi.cerusæ lotæ drach.viij. terræ Samiæ drac.iiij. amyli ʒ iiij. acacię ʒ.iiij. opij ʒ.iiij. gummi ʒ.iiij. tragacanthæ drachmas duas. aqua pluuiali excipe ac utere cum ouo. Aliud Dionysio inscriptum. Cerusæ drach.xxxviij. æruginis uermiculatæ drach.xvi.succi papaueris drach.viij.gummi drach.iiij.excipe aqua pluuia, ac utere cum lacte. Aërianum pharmacum nostrum, ad ueteres ac recentes affectiones accommodatum. Cerusæ drach.xxiiij.cadmiæ ustæ & lotæ drachm.x. stibij usti & loti drach.x. thuris drach.x. squamæ æris drach.quinq́, opij drach.tres, myrrhę drach. tres, gummi drach.xij.excipe aqua pluuiali, ac utere cum ouo. Collyrium Gennadij. Cerusæ drach.xviij. stibij drach.xij. myrrhæ drachm.xij. squamæ æris drach.xij.opij drachm. sex, gummi drach.xxiiij.excipe aqua pluuiali. Collyrium ex terra Samia, Paccij Ophthalmici, ad affectiones intensas. Cadmiæ drach.xvi. cerusæ drach. xvi.terræ Samiæ drachm.quatuor, opij drach.ij. thuris drach.ij.stibij drach.quinq́, gummi drach. quinq́: excipe aqua, ac utere cum ouo. Therinum, id est æstiuum inscriptum. Cadmiæ ustæ & lotæ drach.xx.acaciæ drach.ij. squamæ æris ustæ & lotæ drac.xij.corticis thuris drach.ij.tragacanthi drach.v.gūmi drach.xvi.aqua pluuiali excipe, utere cum ouo. Collyrium Hygidion appellatum. Cadmiæ drach.viij.myrrhę drachm. viij.acaciæ drach.vi. opij drach.ij. æris usti & loti drach.ij.gūmi drach.vi.fructus ericæ drachmam unam: aqua pluuiali excipito. Aster anicetus, hoc est inexuperabilis. Ad doloris uexationes, pustulas, staphylomata, ulcera sordida & serpentia. Facit & ad inueteratas affectiones, & cicatrices exterit. Cadmiæ ustæ & lotæ drach.xvi.cerusæ lotę drachm.xvi.amyli drachm.xij.stibij usti drachm.xij. spodij drach.viij. plumbi usti ac loti drach.viij.terræ Samiæ drach.viij.myrrhæ drachmas duas.opij drach.ij.tragacanthæ drachm.viij. excipe aqua pluuiali. Libianum. Ad pustulas, inustiones, rupturas, concauitates, oculos purulentos, chemoseis, staphylomata. Facit et ad circū molestantem dolorem, & affectiones; & cicatrices exterit. Cadmiæ ustæ & lotæ drach.xvi.cerusæ lotæ drach.xvi.stibij usti & loti drachm.xvi. plumbi usti & loti drach.viij.amyli drach.xij. spodij pompholygis drach.viij.myrrhę drachm.viij. terræ asteris drach.viij.tragacanthæ drachm.viij. opij drach.ij.& ad exceptionem ouorum albumina decem. Aliud Libianum. Pompholygis drach.viij.cadmiæ ustæ & lotæ drachm.xvi.stibij usti & loti drach.xij.cerusæ lotæ drach.xvi.amyli drach.xij. terræ Samiæ drach. viij. plumbi usti & loti drac.viij.myrrhæ drach.ij. opij drach.ij.tragacanthæ drach.ij.excipe aqua pluuiali. Collyrium ex cornu ceruino. Ad ulcera, pustulas, cicatrices exterit. Cornu ceruini usti & loti drach. iiij.thuris drach.iiij. plumbi usti & loti drach.iiij. squamæ æris lotæ drach.ij.opij drachm.i.gummi drach.iiij.excipe aqua pluuia. Aliud ex cornu ceruino, Neapolitæ. Plumbi usti & loti drach. xvi. cornu cerui usti drach.xvi. thuris drach.viij. acacię ʒ.viij. spodij cyprij ʒ.viij.amyli ʒ.iij. opij drach.ij. squamæ æris drach.ij. croci drach.octo, myrrhæ drachm.quatuor, tragacanthæ drachm. unam, gummi drach.viij.hyoscyami cremore excipito. Viride ad affectiones. Spodij cyprij drac. xvi.amyli ʒ.xvi. croci ʒ.viij. stibij ʒ.viij. opij ʒ. iiij.gummi drach.iiij.excipe aqua pluuiali ac utere cum ouo. Aliud uiride Zoili Ophthalmici. Spodij cyprij drach.octo, croci drach.viij. amyli drach.viij.opij drachm.ij. stibij drachm.viij.gummi drach.iiij.anagallidis succo excipito. Aliud. Alia exemplaria ita habent Zoili uiride. Cadmiæ ustæ ac lotæ & uino Italico extinctæ drach. viij.croci drachmas iiij.stibij usti & lacte extincti drach.iiij.amyli drach.unam, gūmi drach.ij.excipito succo anagallidis quæ cæruleum habet florem. Ex libris Scribonij Largi, Psittacinum inscriptum. Ad doloris molestias, pustulas, inustiones, cicatrices resolutas, prolapsus, confusiones, & ubi multus sanguis æstate suffunditur. Cōmodat etiam ad alias affectiones, & præsertim in oculis molli sensu præditis, in quibus tenuis lacryma profluit. Cōpositio hoc modo habet. Cadmiæ drach.viij.croci drac.viij.stibij drac.viij.amyli recentis drac.viij. opij drac.iiij.gūmi drac.iiij. aqua

pluuiali excipito, utitor cum ouo. Naucratitæ pharmacum affectionibus accommodatum. Cadmiæ drach. xij. croci drach. xij. opij drac. sex, squamæ stomomatis purgatæ drachm. v. squamę æris drach. sex, succi rosarũ drach. xvi. plumbi usti & loti drach. v. myrrhæ drach. iij. nardi drachm. ij. acacię drach. ij. gũmi drach. xij. excipito aqua pluuiali. Antei uiride. Cadmię drac. xlviij. myrrhę drach. xxiiij. croci drac. xlviij. opij drac. xxiiij. plumbi usti & loti drach. viij. squamę æris drach. vi. nardi indicæ drach. vi. acaciæ drach. vi. gummi drach. xxiiij. aqua pluuiali excipito. Pharmacum ex Galbano, quo usus est Nicetes. Ad dolores & lippitudines. Cadmię drac. viij. spodij cyprij drach. viij. æris usti & loti drac. viij. opij drac. viij. myrrhę drach. viij. galbani drach. viij. aqua excipito: hoc pharmacum ex ualde approbatis est, recipitq́ amplius gũmi item drach. viij. Alia exẽplaria spodium non habent. Aliud, Cadmię drach. xvi. æris usti & loti drach. viij. myrrhæ, galbani, singulorũ ʒ. viij. opij ʒ. viij. atramẽti sutorij drac. vi. gummi drach. vi. aqua pluuiali excipito.

§ Collyrium diarodon Nili ex rosis, uelut Andreas tradit: ad doloris molestias, fluxũ uberem, ac tenuem, pustulas, prolapsus. Foliorum rosarum resectis extremitatibus drach. iiij. croci drac. ij. opij obol. i. nardi indicæ obol. i. gummi drach. iij. alij drach. i. habent. aqua pluuia excipe, ac utere cũ ouo. Temperatura dissoluta est. Aliud ex rosis Nili, quo usus est Gallio Ophthalmicus. Rosarum drach. iiij. croci drach. ij. acaciæ drach. i. opij ob. i. nardi indicę ob. i. gummi drach. iij. aqua pluuia excipe: utere cum ouo: tẽperatura est diluta. Aliud ex rosis horæum appellatũ, ad easdem affectiones. Rosarum resectis unguibus drac. xxiiij. croci drach. xij. amyli drach. vi. balaustij drac. iiij. opij drach. iiij. tragacanthæ drachm. viij. hyoscyami foliorũ succo excipe. Aliud, Rosarum drac. viij. croci drach. iiij. æris usti & loti drach. i. gummi drach. i. aqua pluuia excipe, ac utere cum ouo.

Aliud diarodon ex rosis Terentij, constans ex pompholyge. Rosarum recentium drach. duodecim, spodij cyprij drach. iiij. croci drachm. iiij. opij drach. iiij. nardi drach. iiij. gummi drach. iiij. excipito aqua pluuiali. Aliud diarodon. Rosarũ recentium drachmas ij. croci drach. vi. spodij cyprij drachmas duas, amyli drachmas duas, acaciæ drachmam unam, nardi indicę ʒ. i. gũmi ʒ. ij. tragacanthæ drach. ij. excipito aqua pluuiali. Diarodon Euelpidion diasmyrnum appellatum. Rosarum drac. centum, croci drach. l. opij drach. viij. myrrhæ sesquidrachmã, gũmi drachm. l. uino odoro excipe, ac utere cum ouo. Aliud diarodon. Rosarum drachmas centũ, croci drach. l. opij drachmas octo, myrrhæ drachmas viij. gummi drachmas quinquaginta: uino odorato excipe ac utere cum ouo. Ego hoc apparaui pro folijs rosarum, florum earundem drachmas centũ inijciens, atque feliciter succeßit. Diarodon ex rosarum lxxij. drachm. Magnum appellatum. Hoc usus est Lucius præceptor ad doloris molestias,

A pustulas, inustiones, staphylomata, prolapsus, ad oculos purulentos, ad fluxiones antiquas, inueteratas lippitudines & affectiones ægre cedentes. Rosarum uiridium resectis unguibus drachmas lxxij. cadmiæ ustę ac lotæ drachmas uigintiquatuor, croci drachmas lx. opij drachmas tres, stibij drachmas tres: alij drachmas sex, æruginis drach. duas: alij tres. squamæ æris drachmas duas, nardi indicæ drachmas duas, myrrhæ drachmas sex: alij quatuor. gũmi drachmas uigintiquatuor. excipito aqua pluuiali. Aliud ex drachmis lxxij. Rosarum drachmas lxxij. cadmiæ ustæ & lotæ drac. xxiiij. croci drachmas sex, alij octo. opij drachm. tres, stibij drach. tres, myrrhę drachmas tres, squamæ æris drach. duas, ęruginis drach. ij. nardi drac. unã: alij ij. gũmi drach. xxiiij. excipe aqua pluuiali, ac utere cum lacte. B Pharmacũ ex uiolis albis accõmodatum ad epiphoras & affectiones. Acaciæ drach. xlviij. succi uiolarum albarum drach. xlviij. spodij cyprij drach. xxiiij. croci drac. xxiiij. myrrhæ drach. iiij. opij drach. iiij. alij vi. succi hyoscyami drach. iiij. æris usti & loti drach. iiij. gummi drach. iiij. excipe uino falerno. Collyriũ quo usus est Florus in Antonia Drusi matre, quæ parum abfuit ut ab alijs medicis excęcaretur. Acaciæ drach. xlviij. rosarum siccarum drach. xlviij. melilotorum drach. xlviij. spodij cyprij drachm. xxiiij. malorum mandragoræ drach. ij. croci drac. xxiiij. opij drach. vi. seminis hyoscyami acetabula ij. alij drach. xxiiij. myrrhę drachm. iiij. æris usti & C loti drachmas quatuor, gũmi drachmas quadraginta, uini falerni, aquæ pluuialis, utriusq; heminas tres. Vinũ & aquã misceto, eisq́ rosas, melilotũ, semẽ hyoscyami, mandragorę mala: aut si hęc nõ adsint, corticẽ inijcito, & ad dies tres aut quinque macerari sinito, deinde expresso liquore ad pharmaci cõpositionẽ utitor, probatissimũ hoc existit. Melinũ delicatũ, cõmodum his qui nullam penitus pharmacorũ mordacitatem perferre possunt: facit ad pustulas, prolapsus, fluxũ acrem & uberẽ, inustionesq; & ad recentes affectiones. Cadmiæ ustę ac lacte extinctę drach. xvi. cerusæ lotæ drach. octo, croci drach. iiij. opij drach. i. tragacanthæ drach. ij. aqua pluuiali excipito, ac utitor cum ouo. Aliud ad inustiones, pustulas, pro- D lapsus, dolores. Cerusę drac. xxiiij. amyli drachm. xij. cadmię lotæ drac. x. thuris drac. x. croci ʒ. viij. opij drach. octo, gummi drachm. x. tragacanthæ drach. ij. excipe aqua pluuiali & utere cum ouo.

Diarodon inculpabile. Cadmię ustæ & lotę drach. xxiiij. cerusæ drach. xij. opij drachm. vi. florum rosarum drach. vi. croci drach. vi. lapidis schisti drach. duodecim, gummi drac. x. excipe aqua pluuia, ac utere ad ulcera sordida cũ lacte, ad mũda cum ouo. Aliud, Cadmię ustę & lotę drach. xxiiij. cerusæ drach. xij. lapidis schisti drach. quatuor, florum rosarum drach. sex, excipe aqua pluuiali, ac utere ad sordida ulcera cũ lacte, ad repurgata cum ouo. Croceum pædicon, id est puerile inscriptum ex pompholyge. Ad epiphoras & molestias doloris, & ad effectiones ex plagis.

Spodij

A Spodij pompholygis drach.xvi. croci drach.xvi. opij drachm.xvi. tragacanthæ drach.viij. excipe aqua pluuia, adhibitis simul albuminib.ouorum quatuor. Collyrium Caij Ophthalmici. Spodij cyprij drach.iiij. amyli recentis drachm.xij. croci drachmas duas, myrrhæ drachmam unam, succi mandragoræ drachmam unam, gummi drac.iiij. excipe aqua pluuia, ac utere cum ouo. Atimeti Lysiponion, hoc est soluens dolorē. Atramenti sutorij crudi drach.xl. pompholygis crudæ drac. xl. cerusæ drach.xxiiij. opij drach.ij. croci drach. iij. Crocus in aquam conijcitur ac maceratur, & ex cremore hoc collyrium apparatur. quod uerò reliquum est ex croco teritur, reliquisq; admiscetur, additis item gummi drach.xxxij. Diomedis Lysiponion ad dolores. Atramenti sutorij

B crudi drach.xxxij. cerusę drach.xxxi. spodij pompholygis drach.xvi. croci drach.xvi. thuris drac. viij. myrrhæ drach.ij. gummi drach.xvi. aqua pluuiali excipito, ac utitor cum ouo: præclarum est hoc collyrium. Zoili pharmacū faciens ad lippitudines antiquas, myocephalos, staphylomata & fluxiones antiquas. Cadmiæ drach.viij. æris usti drach.viij. cerusę drach.iiij. alo es sesquidrachmam, foliorum croci, chalcitidis assæ, atramenti sutorij, opij, lycij, singulorum drach.unā, myrrhæ drach.ij. acaciæ drach.xx. spicę nardi sesquidrachmam, gummi drach.xx. castorij drachm.iiij. stibij usti drach.viij. excipe aqua pluuiali. Asclepiadeum Paccij, ad doloris uexatiōes, fluxū tenuem & multum, inustionem, pustulas, pellicularum e-

C minentias, aspretudines, inueteratas affectiones, & eos qui à multis illitionibus læsi sunt, cōfestim opitulatur. Compositio sic habet, Cadmię drac. xij. æris usti drach.xij. croci drac.xij. squamæ æris drach.xij. myrrhæ drach.iiij. nardi indicæ drach. iiij. rosarum siccarum drach.iiij. opij drachm.iiij. lapidis hæmatitæ drachm.iiij. piperis albi grana xxiiij. gummi drach.xij. uini Chij quantum sufficit, utere cum ouo. Aliud exēplar habet rosarum drach.iij. piperis grana xxv. Pharmacū accommodatum, Nectarium inscriptum. Cadmiæ drac. xij. squamæ æris cypriæ lotę drach.xij. croci drac. xij. opij drach.iiij. æris usti & loti drach.xij. myrrhæ drach.iiij. lapidis hæmatitæ drachm.iiij. rosarum siccarum drach.iiij. spicæ nardi drach.iiij. mi-

D syos asśi drach.iiij. casśiæ fistulæ drach.iiij. piperis albi grana xxv. gummi drach.xij. uino exceptis utere. Antigoni Croceum Leontariū, hoc est, leunculus appellatū, propterea quòd leonis imago ei imprimeretur. Facit ad epiphoras, molestiam doloris, inueteratas affectiones. Est & aspretudinibus cōmodū: cicatrices & callos exterit: maxime uerò pueris cōmodum est. Spodij cyprij drac. xlviij. croci drach.xxiiij. myrrhę drach.xij. lapidis hæmatitæ drach.viij. opij drachm.xij. piperis albi grana xxxvi. gummi drach.lxxx. uino falerno excipito. Aliud, Spodij cyprij drach.lxxx. croci drach.xl. myrrhæ drach.xx. opij drach.xx. lapidis hæmatitæ drach.xij. piperis grana lx. gūmi drac. lxxx. uini falerni quantum sufficit.

9 Ex libris Scribonij Largi, Asclepios Machaonis. Ad ueteres affectiones, & oculos suppuratos. Spodij pompholygis drach.xxxij. æris usti drach. xxxij. croci Siculi drachm.xvi. myrrhæ drachmas vi. lapidis hæmatitæ drach.decem, nardi indicæ drach.vi. opij drachmas vi. piperis grana xl. uino Chio excipito. In libro de Athenippis Asclepijs, opij drachmæ viij habentur. Eumeri ad dolores & affectiōes. Aeris usti et loti drachmas trigintaduas, spodij pompholygis drachm. xvi. croci drach.xvi. myrrhæ drach.viij. lapidis hęmatitæ usti & loti drach.viij. spicæ nardi drac.iiij. misyos usti drach.iiij. opij torrefacti drachm.iiij. gummi drachm.xvi. uini Italici quod satis est.

Diasmyrnum odorum Synerotis, pharmacum accommodatum ad inueteratas affectiones. Facit & ad Rhœadas, hoc est angulos antrosos, & ægilopas. Cadmiæ lotæ drachm.xxviij. lapidis hæmatitæ usti & loti drachm. xxv. spodij cyprij drach.xxiiij. myrrhę drach.xlviij. croci drach.iiij. opij Hispani drachm.viij. piperis albi grana xxx. gummi drachm.vi. uino Italico excipito. Vtitor cum ouo in recentibus affectionibus. Temperatura aquosa est. Aliqui croci drach. xij iniiciunt.

Hæmatitinum Synerotis aspretudinibus commodum. Facit ad ueteres affectiones, ad ficosa, & ad omnem extuberantiam si cum odoro Synerotis cōmisceatur. Aeris usti & loti drach.xxiiij. lapidis hæmatitæ drach.unam, croci drach.iiij. opij drach.iiij. gummi drach.xij. Excipe aceto acerrimo. Aliud, Aeris usti drach.xlviij. croci drac. xxiiij. opij drach.iiij. gummi Thebaici drachmas xxiiij. pompholygis drach.xviij. myrrhæ drach. xviij. salis ammoniaci drach.xij. lapidis hæmatitę drach.unā, æruginis drach.iiij. uino excipito.

Hieracis ad aspretudines. Misyos usti drachm. viij. croci drach.viij. opij drach.viij. lapidis hæmatitæ loti drach.viij. æris usti & loti drach.xij. myrrhæ drach.xij. gummi drachm.xij. uino acerrimo excipito. Apollonij Phœnix, Collyrium Hieracium ad aspretudines. Per hoc catulo egregie medicatus est. Facit & ad palpebrarum defluuia, & inueteratas affectiones. Lapidis hæmatitæ usti & loti drachm. trigintaduas, ęris usti & loti drachmas sedecim, æruginis rasilis drachmas sedecim, opij drach.viij. alij sex: cadmię botryitidis drach. iiij. chalcitidis assæ drach.iiij. gummi drach.xvi. Excipe aqua pluuiali. Phœnix Apollonij aliter, uelut Arius Asclepiadeus inscripsit, in libro quo propria pharmaca coaceruauit. Lapidis hæmatitę drach.xxiiij. lapidis schisti usti & loti drac. xxiiij. cadmiæ drach.xij. æris usti drachm.xij. opij drach.viij. chalcitidis assatæ drach.iiij. alij drach. viij. In alio exemplari etiam æruginis drach.xij. gummi drach.xvi. excipe aqua pluuiali. Aliud collyrium ad aspretudines. Chalcitidis ustæ drac. xij. misyos usti & loti drac.viij. croci, opij, utriusq; drach.vi. lapidis hæmatitæ drach.viij. gūmi drac. xij. acerrimo aceto excipito. Collyriū ad crassitudines. Aeris usti & loti drach.xxiiij. spodij pompholygis drachmas xvi. myrrhæ drach.xvi.

salis ammoniaci drach.xij.lapidis hæmatitę drac. iiij. opij drach.iiij.piperis grana xij.alij xvi. gũmi ʒ.viij.uino excipito ac utitor. Euemeri cicatrices & callos exterit.facit & ad inueteratas affectiones. Cadmiæ drachm.lx.croci drachm.l.spicæ nardi drachm.xx.squamæ æris torrefactæ drach. l.myrrhæ drachm.l.opij drachm.triginta,ęris usti drach.lx.misyos crudi drach.quinquaginta, gummi drach.lxx.excipe uino Chio. Aliud Pyrami, Cicatrices & callos exterens,deprimit omnem extuberantiam.Cadmiæ cypriæ drachm.xl. lapidis hæmatitæ drach.xl. æris usti drach.xl. misyos usti drach.xx. croci drachm. xx. ammoniaci thymiamatis drach.xx. squamæ æris ustæ & lotæ drach.xx.opij drach.xx.gummi libram i.cũ acerrimo aceto utere. Aliud Euemeri,ad easdẽ affectiones.Aeris usti & loti drach.xxiiij.spodij pompholygis drach.xij. myrrhæ drach. viij. salis ammoniaci drach.xij.lapidis hæmatitæ drach.iiij. piperis drach.xij.gummi drach.viij.uini Chij quod satis est. Lynceus,ad affectiones callosas, exacuit uisum,cicatrices & callos exterit. Cadmiæ drach.xij.æris usti & loti drachm.xij. ammoniaci thymiamatis drach.xij.myrrhę drach.xvi.lapidis hęmatitę ʒ.vi.opij ʒ.vi.aloes ʒ.iiij.fellis taurini ʒ. iiij.galbani ʒ.iiij.ęruginis ʒ.i. opopanacis drach. iiij.salis ammoniaci drach.ij.gummi drach.vi. alij ij.aqua pluuiali excipito. Collyrium Rinema, hoc est,lima inscriptũ.facit ad callosas affectiões, cicatrices exterit,facit & ad suffusiones. Cadmiæ drac.xlviij.ammoniaci thymiamatis drac.xlviij. æris usti drach.xlviij.opij drach.xvi. æruginis cyprij drach.xvi.myrrhæ drach.xvi.lapidis hæmatitæ drach.xxiij.galbani drach.xvi. opopanacis ʒ. xviij.fellis taurini drac.viij.salis ammoniaci drac. iiij.gummi drach.lx.aqua pluuiali excipe. Temperatura aquosa est. Collyrium Harmatium,id est,currus inscriptũ.Quo usus est Ptolemæus rex extersiua facultate præditum. Exterit cicatrices, acuit uisum,est & aspretudinibus commodum.

Aeris usti & loti drac.viij.ammoniaci thymiamatis drach.viij. lapidis hæmatitæ drach.viij. thuris corticis drach.viij.gummi drac.viij. excipe aqua pluuiali,ac utere cũ aqua. Alia exemplaria etiam æruginis drach.ij.habent. Collyrium oxydorcicum,hoc est uisum exacuẽs,ex hæmatite,cicatrices & callos exterit.Ammoniaci thymiamatis ʒ. xxiiij.æris usti & loti drach.xxiiij. lapidis hæmatitæ drach.xxiiij.gummi drachm.xxiiij. æruginis drach.viij.Excipe aqua pluuiali. Collyrium Artemonium inscriptum, quo Bassus sodalis meus usus est.Facit ad fluxiones antiquas, & aspretudines palpebrarum,ad humore putrescentes & erosos angulos,ad oculos humectos, & membranarum extuberantias, cicatrices & callos exterit.& quod maximũ in eo est; post illitiones oculos imperturbatos conseruat.Stibij drac.iiij. æris usti ʒ. ij.cerusæ drach.ij. croci drach.i. myrrhæ drach.i. corticis thuris drach.i.æruginis uermiculatæ dra. unam, gallarum omphacinarum drach.unam,piperis albi drac.i. gũmi drach.i. uino excipe, utere

A cum aqua. Aliud pharmacum accõmodatum. Cadmiæ drach.viij.stibij drach.viij.cerusæ drach. viij.æris usti drach.iiij.corticis thuris drach.ij. croci drach.ij.myrrhæ drach.ij. æruginis uermiculatæ drach.ij.gallarum omphacinarum drach.ij.piperis albi drach.unam, gummi drach.iiij. excipe uino. Collyrium Indicũ Aërianum inscriptum, præoccupat ac præripit omnes lippitudines. Facit ad obtusum uisum, & scabras affectiões,ad erosos angulos, cicatrices exterit. Et quod maximum est,post illitionẽ oculos imperturbatos cõseruat. Cerusæ Rhodiacæ drach.xlviij.cadmiæ cypriæ drach.xxiiij.atramenti indici drach.viij.opij drach.viij.piperis albi drach.viij.aut vi. opobalsami drach.viij.aut vi.gummi drach.xvi. cinnamomi
B drach.ij.alij xij.drachmas.aqua pluuia excipito. Hermophili collyriũ Thalasserum, accommodatum ad suffusiones, & ad omnem hebetudinem uisus,facit & ad incipiẽtem suffusionẽ. Estq; odoratissimum pharmacum.Cadmiæ drach.xvi. atramenti indici drach.xvi. piperis albi drac.viij. æruginis drach.iiij.succi medici drach.iiij.opobalsami drach.iiij.gũmi drach.xij.aqua excipe,utere cũ aqua.tẽperatura diuersa est iuxta affectiones.

10 Pomponij Bassi.Facit ad incipientẽ suffusionem. Cadmiæ drach.xxvij.atramenti indici drach. xvi. piperis albi drach.xij. succi cyrenaici drach.v.opobalsami drach.vi.spicæ nardi drach. vi.sagapeni ʒ.v. opopanacis drach.v. opij drach. iiij.euphorbij drach.i. cinnamomi drachmam u-
C nam, gummi drachmas triginta. fœniculi succo excipito. Indicum basilicon, id est, regium inscriptum.Facit ad incipientem suffusionem,& omnem uisus hebetudinem,cicatrices exterit.Cadmiæ ustæ & lotæ libram unam & trientem, atramenti indici drach.vi.cerusæ trientem,piperis albi sexuncem,fel hyænæ integrum quanticunque ponderis,fel scarorum decem,fel perdicum quatuor, succi papaueris unciam unam, opobalsami sextantem,opopanacis sextantem, sagapeni sextantem,gummi libram unã: excipe succo fœniculi aut herbæ Heracleæ appellatæ. Enstacton,id est instillatitium Paccij ut Themison. Cadmiæ ʒ. lxiiij.misyos drach.xxxij. atramenti sutorij drac. xxxij.stibij drach.xxxij.piperis albi drach. xxxij.
D opij drach.xvi.æruginis drachm.xvi.opobalsami drach.xvi.gummi drach.lxiiij. excipe aqua pluuiali. Collyrium Chelidonium inscriptum. Cadmiæ drac.xlviij.stibij drach.xij. misyos drac. viij.piperis drach. xxxvi.atramenti sutorij drachmas sex, opij ʒ. sex, opobalsami drac.iiij.gũmi ʒ. xxiiij.excipe aqua pluuiali.Hieraciũ ad obtusum uisum,& scabras affectiões.Cerusę ʒ.xvi.cadmię ʒ.viij.opij ʒ.ij.gũmi ʒ.vi.excipe aqua pluuiali ac utere cũ aqua. Aliud,Cicatrices & callos exterit. Cadmię ʒ.xvi.cerusæ ʒ.viij.piperis albi ʒ.iiij.ęruginis drac.ij.opobalsami drach.ij.omphacij drac. duas,gũmi drach.quatuor: excipe aqua pluuiali.

Collyrium fuluum panchrestum,ab omnimoda utilitate inscriptum, accommodatum ad scabros & circumrosos angulos, ac intensos pruri-

tus,& palpebras ficosas. Cadmiæ drach. lxxx. A chalcitidis ustæ drach. xl. piperis albi dra. xl. gummi drach. xl. aqua pluuiali excipito. In alio exemplari æqualis omnium apponderatio habetur. Aliud, Cadmiæ drach. lxxx. chalcitidis ustæ drac. xl. piperis albi drach. xl. croci drachm. xij. myrrhę drach. xij. gummi drach. xl. aquæ pluuialis quod satis est. Tryphonis orbiculare Sphæricum dictum. Cadmiæ drach. xlviij. squamæ æris drac. xxxij. æris usti et loti ʒ. xxxij. piperis albi ʒ. xxxij. opij dra. viij. myrrhę ʒ. viij. opobalsami drachmas iiij. gummi dra. xxxij. excipe aqua pluuiali. Collyrium Galli oxydorcicum. Cadmiæ drachm. xlviij. chalcitidis ustæ drachm. xxiiij. piperis albi drachm. vi. squamæ æris drach. viij. opij drachm. vi. omphacij drach. iiij. myrrhæ drachmas ij. opo- B balsami drach. iiij. gummi drach. xij. piperis albi grana x. aquæ pluuialis quantum sufficit. Collyrium aromaticum appellatum. Aeris usti & loti drachmæ xvi. æruginis drachmæ iiij. myrrhæ drach. iiij. opij drach. iiij. piperis albi drac. iiij. nardi drach. ij. croci drach. iiij. opobalsami drach. iiij. gummi drach. iiij. aqua pluuiali excipito. Heraclidæ aromaticum croceum ex hæmatite. Aeris usti & loti drach. xlviij. cadmiæ drachm. xxiiij. croci drach. xxiiij. lapidis hæmatitæ drach. xxiiij. opij drach. xij. piperis albi drach. xij. gummi dra. xxiiij. uino falerno excipito. Croceum Asclepium oxydorcicum. Aeris usti drachmæ xlviij. croci drachmæ xij. omphacij drachmæ iiij. opij drachmæ xij. myrrhæ drachmæ ij. opobalsami C drachmæ iiij. gummi drachm. xij. piperis albi grana x. aquæ pluuialis quantum satis est. Collyrium Isochryson, hoc est auro compar, ad corrosos angulos, scabras affectiones, inueteratas lippitudines, aspretudines, ficosas eminentias, cicatrices & callos exterit. Cadmiæ drachmæ vi. lapidis hæmatitæ drachmæ xvi. myrrhæ drachmæ xvi. croci drachmæ xxiiij. piperis longi drach. xij. piperis albi drachmæ xxiiij. gummi drachmas lxiiij uini Italici quantum satis est. Collyrium Cinnabarium, celebris ophthalmici Stoli Britannici. Ad corrosos angulos, lippitudines ad malum habitum perductas, intensos pruritus, & inueteratas affectiones. Psorici drachmæ xxiiij. cadmiæ drachmæ xxiiij. croci drachmæ xvi. piperis drac. D xvi. cinnabaris drachmæ xvi. opij drachmæ xij. gummi drachmæ xxiiij. aquæ pluuiæ quod satis est. Aliud, Psorici drachmæ xxiiij. piperis drachmæ xxiiij. cadmiæ drach. xxiiij. croci drac. xxiiij. sandarachæ drachmæ viij. opij drach. viij. cinnabaris drach. viij. gummi drachmæ viij. aqua pluuiali excipito. Melinum atarachum à perturbationibus amoliendis appellatum. Facit ad omnem oculorum hebetudinem, & ad affectiones antiquas, cicatrices & callos exterit. Cadmiæ drach. xxiiij. omphacij drach. xij. salis ammoniaci drach. iiij. ammoniaci thymiamatis drac. xij. opij drach. viij. gummi drach. xxiiij. cerusæ drach. xxiiij. croci drach. xvi. piperis albi drach. xxiiij. aquæ pluuialis quantum sufficit. Lucij præcepto ris Melinum. ad scabros & corrosos angulos, intẽsos pruritus, oculos humectos, ad omnẽ uisus hebetudinem, cicatrices & callos exterit. Cerusæ drach. xxiiij. croci drach. xxiiij. ammoniaci thymiamatis drach. vi. salis ammoniaci drach. vi. nardi indicæ drach. vi. opij drach. vi. myrrhæ drac. vi. omphacij drach. vi. gummi drac. xxiiij. excipe aqua pluuia. Aliud collyriũ Proteus cui nullum conferri potest. Facit ad incipientem suffusionẽ, & ad omnem uisus obtusitatẽ, cicatrices & callos exterit. Cadmiæ drach. xx. chalcitidis crudæ ʒ. xl. cerusæ drac. xl. piperis albi drachmas xxx. succi cyrenaici drach. xx. croci drach. xvi. opij drach. xij. sagapeni drach. xij. lachrymæ oleæ dra. xij. auripigmenti drach. viij. myrrhæ drach. xij. gummi drach. xx. opopanacis drach. xx. opobalsami dra. xij. Apparato cum aqua pluuiali ac utitor cum aqua. Hygieni collyrium aureum. Ad corrosos angulos & scabras affectiones. Sandarachę drach. xxiiij. piperis albi grana xij. myrrhæ drach. vi. croci drach. vi. gummi drach. xij. cum aqua pluuiali apparato. Aliter aureum collyrium. Sandarachæ drach. xvi. croci drach. xvi. piperis drac. xvi. myrrhæ drach. iiij. gummi drachmæ xij. usus ostensus est. Aliter, Sandarachæ drac. xxiiij. piperis albi drach. xij. myrrhæ drachmæ vi. croci drach. vi. gummi drach. xij. aqua pluuiali excipito. Euemeri psoricum. Facit ad corrosos angulos, & scabras cicatrices ac callos exterit. Facit & ad inueteratas affectiones, & lippitudines ad malum habitum perductas, itemq; ad aspretudines. Psorici drach. xxiiij. croci drach. xij. opij, cerusæ, utriusq; drach. iiij. piperis albi drach. iiij. omphacij drach. iiij. uino falerno excipito. Basilidion, hoc est regineum psoricum. Psorici drac. xlviij. croci drach. xxiiij. opij drach. viij. floris lapidis asii drach. viij. cerusæ drach. viij. piperis drach. vi. opobalsami drac. iiij. omphacij dra. iiij. gummi drach. xvi. uino falerno excipe. Panchrestũ Athenipion. Psorici drachmas lxiiij. croci drachmæ xvi. chalcitidis ustæ drachmæ xvi. sandarachæ drachmas xx. myrrhæ drachmæ viij. piperis albi drachmæ xvi. casiæ fistulæ drachmæ viij. foliorum malabathri drachmæ iiij. opij dra. xvi. omphacij drach. iiij. misyos usti drach. ij. gummi dra. xxiiij. excipe aqua pluuiali. Ptolemæi familiaris pharmacum. accommodatum ad scabros & corrosos angulos, intensos pruritus, defluuia palpebrarum, hebetem uisum. Psorici drach. lx. sandarachæ drach. xxx. chalcitidis ustæ drach. xxiiij. croci drach. xxiiij. myrrhæ drachmæ xij. opij drachmæ ij. casiæ fistulæ drachmæ xij. piperis drac. iiij. piperis albi drachmas vij. omphacij drach. vi. misyos usti drach. iij. foliorum malabathri drac. i. gummi drach. xxxvi. aquæ pluuiæ quantum sufficit. Collyrium Malabatri oxydorcicum. facit ad corrosos angulos. Stibij drach. xxiiij. acaciæ drach. xxiiij. piperis albi drachmæ xxiiij. nardi indicæ drachm. xij. opij drach. vi. croci drachmæ vi. omphacij drach. vi. gummi drac. xxxvi. aqua pluuiali excipito. Aliud, Stibij usti & loti drach.

xl. acaciæ drach. xlvi. nardi celticæ drach. vi. myrrhæ drach. viij. croci drach. viij. omphacij drach. vi. opij drach. vi. cadmiæ drac. xxxvi. gummi dra. xxxij. aquæ pluuialis quod satis est.

Remedia ad affectos oculos ab Archigene in primo pharmacorum secundum genus conscripta. Cap. VIII.

In fluxionibus circa oculos in principio conuenit cibi ac potus parcitas, aquæ potus, & maxime omnium rei Venereæ abstinentia. Aluus ipsa subducatur, & facies assidue primũ multa frigida, deinde etiam aceto ammixto proluatur. Quidã atramentum sutorium aqua dilutum proluendum exhibent. Fugiãt odores acres, et pulueres, fumũq;, & tum solis tum lucernarum splendorem. ad noctem lanas puras ex uino, aut sordidas ex aqua frigida imponant, maneq; uelut dictum est se proluant. Quod si augescat fluxio, accedatq; dolor, uenæ sectio congrua est, et perfecta cibi abstinentia ac sitis, nisi exurantur, & malũ inde augescat. Conuenit & solutio uentris ualida, siue per purgatorium conueniens medicamentum, siue per clysteres robustos. Post hæc uero circa frontem imposita assidue, Vitis folia uiridia auxiliantur. Aut myrti, aut lentisci, aut rubi succus, aut brassicę aut uitis folia cum flore farinæ polentæ. Aut cupressus, samsucus, ocymum, sisymbrium, œnãthe, crocus hortensis, itemq; agrestis, portulaca, mali punici satiui flores, cytini appellati, uitex, folia recētia mali cotoneæ, singula cũ uino & flore farinæ polentæ. Super ipsos uero oculos lana pura oui candido madefacta imponatur, aut oui assi luteũ. Aut melilotum in passo coctum. Aut asphodeli radix cum uino & flore farinæ polentæ. Aut iris contusa cum uino & flore farinæ polentæ. Aut mali punici succus cum flore farinæ polentę. Aut ipsum malũ in uino maris experte coctum. Aut iuniperi baccæ tritæ cum uino & flore farinæ polentæ fronti imponantur, aut etiam super ipsos oculos adhibeantur. Ad hæc uero eryngij & fœniculi syluestris radix trita ex aqua, & cicutę semẽ eodem modo apparatum, opitulantur. Caseus itẽ mollis & nuper salsus cum apij folijs cataplasmatis modo impositus. Aut papauer syluestre passo coctum ac tritum impositũ. Similiter & melilotum passo coctũ, modico croco & papaueris succo ammixtis. Panis item ex uino, rosaceo ammixto mirabiliter auxiliatur. Aut tribulum recentem per se imponito: imò & polenta ammixta egregie opitulatur. Et ut summatim dicam omnia ex adstringentium genere & repulsoria in principijs prosunt, uelut est cicuta, & psyllium, apium, solanum, lentes palustres, serpyllum, samsucus, folia uitis, coriandrum, portulaca, semperuiuum, folia papaueris, urtica; Quę singula ex uino trita imponãtur: psyllium uero ex aqua, eodemq; modo palustris lenticula.

Ad fluxionem calidam. 2

Brassicam tritam cum polentæ flore ex aqua imponito. Aut ocymi folia eodem modo. Aut rutæ folia cũ adipe anserino, aut samsuci folia. Aut halicacabum tritam. Cæterũ largum fluxũ sistunt papaueris capita, & hyoscyamus cum polętæ flore ex uino. Oportet autem fomentum prius adhibere, atq; ita imponere. Postquam uero status & uigor præterierit, & quum non amplius oportunum est adstringentibus uti, non incommodum fuerit, tum oculorum, tum capitis fomenta adhibere. Magnifice uero auxiliatur, inflammationesq; soluit, & si qua distẽtio adsit eã laxat, linteolũ molle butyro madefactũ ac oculis superpositũ.

De chemosi, hoc est utriusq; palpebræ distortione ex inflammatione oborta. 3

In quibus uero chemosis fortis contingit, Oui luteum cum muscæ carne terito, atq; ubi ad cerati formam deducta fuerint, linteolo excepta impone, confestim sedant.

Oblitiones oculorum. 4

Panis purus ustus acacia & hedera cum aqua permixtus. Verũ ad doloris uexationes rosas uirides aut aridas passo maceratas terito, et ammixto oui assi uitello, ac croco sufficienti, cum passo utitor. Aut crudam hordeaceam uel triticeam farinam passo coctam adhibeto. Si uero maior dolor fuerit papaueris folia recẽtia ammisceto, aut corticem papaueris capitum. Aut hyoscyami folia drachmarum iiij. pondere cum oui uitello. Aut sisymbrium aqua coctum terito sufficienti affuso uino, & imponito. Aut papaueris albi capita passo cocta ac trita imponito. Aut opij recentis comã itemq; pulegij recẽtis similiter utitor. Aut peponis aut cucumeris carne. Aut oui assi luteum cum modico croco ac uino tritum imponito. Cæterũ dolẽtes ex inflammatione oculos cũ panace & pulegio uino subactis integito. Præclare facit & pini cortex & polenta cum uino. Aut hyoscyami folia & opium trita imponito. Aut papaueris cortices terito, rosisq; ac meliloto myrrhaq; ammixtis, albumine oui diluito, atq; ita imponito. Aut aloen ac opium cum aqua diluta linteoloq; excepta imponito, uitando ne quid in oculũ præterlabatur. Cæterũ in his qui dolore uexanť crocum bonum cũ lacte instillato. Verũ ad uehemẽtes doloris molestias, Coriandri succus cum muliebri lacte oculis instillatus, Similiterq; papaueris succus torrefactus, auxiliatur. Folia item platani trita cum farinæ polentæ flore oculis superne imposita. Cataplasmata uero in fluxionibus conueniunt, Cupressus uiridis cum uino, aut paliuri folia. Aut portulaca trita cũ adipe anserino & croco. Aut iris sicca cũ melle. Aut micas thuris & myrrhã cum oui candido lana excepta fronti imponito. Aut apium cum polenta, aut seselis flores uino maceratos imponito. Aut papaueris folia recentia adglutinato. Quod si uigiliæ instent, Mandragoræ radicẽ & succũ, papaueris folia, & polentã æquis partibus in massam cogito, eamq; odorãdam exhibeto, & obdormiscent. Porrò in magnis fluxionibus pulegij recentis semen, & maxime succũ, cum aceto ad malagmatis formã redigito, ac sincipiti imponito, lanis superne additis, ac leni uinculo cõstrictis, Aliqui etiã papauer recẽs ei ammiscẽt, aut opij minimũ quid, aut rosas, aut melilo-

melilotum coctum. Aut amylo ex uino cum oui candido oculos ipsos integito. Praeclare faciũt ad fluxionem uberem, tenuem, ac uetustam, itemq; ulcera, pompholygis drachmae iiij. opij torrefacti ob. iij. gummi drach. iiij. aqua pluuiali aut fontana excepta.

Agglutinatorium ad fluxionem. 5

Similaginem & mannae thuris dimidium eius, cum oui albumine ad emplastri formã redigito, & in principio fronti in linteolo imponito. Aut oui tenuis uitellum cum thure. Aut cochleam cum testa sua & oui candido ad strigmentitiã formam redactam in splenio à tempore altero ad alterum extẽdendo imponito. Sua sponte decidit, ubi restiterit fluxus. Aut Moschi malagma, aut barbarum emplastrum, aut uiride, aut aliquod aliud eorum quae aceto constant, splenio inditum fronti imponito.

Ad haemalopas & hyposphagmata, id est cruentatos oculos, & sugillatos. 6

Ad plagas oculis illatas, & ad oboriẽtes ex eis cruentas suffusiones, statim in principio tum ad inflammationem, tum ad dolorem compescendum, facit columbinus sanguis instillatus, & praesertim is qui ex teneris pennis exprimitur. Candidum etiam oui eodem modo in oculum instillatum, atq; amplius pura lana exceptum et superne impositum. Prodest etiam oui assi luteum cum uino impositũ, aut melilotum coctum cum uino eodem modo. Insuper & folia rosarum ac flos per se & cũ uino trita, itemq; cum flore farinae polentae. Aut brassicae folia in cataplasmate. Vbi uero diutius cruentatio perstiterit, cum thure & bitumine equis portionibus acceptis ac mixtis oculum suffito. Aut hyssopi comam tritam lineo panniculo illigatã in feruentem aquam demittito, oculoq; admoueto. Sequit̃ enim cruor, adeò ut ex linteolo cõpresso exprimi queat. Aut nitrũ & terram Aethiopicam, ac myrrhã pari pondere cum aqua illinito. Aut foliorum oleae uiridiũ succum sublinito. Aut ammium & hyssopum cum lacte bubulo terito, agitato, ac sublinito. Aut semen lini tritum cũ butyro per linteolum exprimito ac sublinito. Caput uero frigida perfundito.

Curatio tumorum. 7

Ad tumores ex plaga circa oculos obortos, ualde conuenit fomentum per mollem spõgiam assidue factum, Ita ut spõgia postea aceto diluto madefacta imponatur. Conuenit insuper sinapi uetustum ex aqua tritum, assidue circumpositũ & ablatum. Similiter & nasturtium, si post eorum ablationem loci assidue calida aqua foueantur.

Ad oculos scabros. 8

Ad oculos propter solem aut omnino puluerẽ scabros atq; aridos factos, aqua multa aestate quidem frigida, hyeme uero calida affusa commodat. Conuenit & spongiae calida, aut lentis decocto, imbutae fomentum. Ipsis uero oculorum angulis rubi, lentisci, myrti, rosarum succum, unumquemq; per se cum aqua adhibeto. Aut rosas aridas tritas cum uino, aut earum florem. Aut uinum maris expers ac oleum uetus maxime ubi dormire uoluerint admoueto. Conducit praeterea his ut à salsis, acribus, ampliusq; acidis omnibus abstineant. Porrò ad inueteratas & callosas circa palpebras affectiones, amurcam coctã cum oleo tritam illinito.

Ad eos qui crassas, callosas, ac rubras, glabrasq; & pilis nudatas genas habent, ptilos graecis dictos. 9

In his qui crassas callosas, ac rubras, & glabras palpebras siue genas habẽt, quae pilis exutae sunt, egregie facit, ac pilos producit hoc medicamentum. Acaciae drach. ij. atramenti librarij aridi, aut si fieri potest memphitici drach. v. succi porri heminas iiij. Vini maris expertis heminas iiij. Coquito donec strigmentitiam formam induant, & repositis in pyxide utitor. Aut muscerdas & caprarum stercora usta pari mensura, cineris calami graeci duplum, cum melle attico illinito. Hoc uerò etiam palpebrarum defluuia emendat. Aeruginis tritae partem unam, ammoniaci thymiamatis tantundem, trita adhibeto. facit idem & egregie ad scabros oculos. Aut cadmiam tritã melle subactam in ollula urito ac assato, deinde aeris usti tãtundem ammisceto, ac tritis utitor.

Ad pilos inutiles & pungentes in palpebris enascentes, Trichiasin hoc malum graeci appellant. 10

Pilos inutiliter in palpebris supernascẽtes euellito, & sanguinem cimicum illinito, et non enascẽtur. Papias Laodicensis Autolyci medicus multa in his tentabat. euellebat primum ipsos pilos, deinde locum diligenter cum dropace irritabat, & cum chamaeleone albo trito uiridium ranarũ sanguine permixto (Sunt autem ranae quae in harundinibus degunt) illinebat. Neq; enim postea enascunt̃. Potes & euulsis prius pilis cedriam cũ Tellinarum cinere mixtam ac tritam illinere. Ad eandem quoq; rem auiculae cinaedi appellatae felle utitor. Aut pagri marini piscis itidem felle. Aut ricini à cane foemina adempti sanguine. Egregie facit hoc, Fellis & sanguinis herinacei terrestris pares partes, fellis chamaeleonis tantundẽ, castorij parum. Ad formam squamularum piscium reducito, & pilis radicitus euulsis utitor, squamulam unam oris saliua matutina dilutam illinendo, locumq; ad dimidium horae obligando. Dolitant equidem ex medicamenti huius usu, sed pili amplius non enascunt̃. Aut felle hyaenae foeminae mox ab euulsione illinito. Aut tellinarum tenuissimã puluerem oblinito. Aut euulsis pilis, cicutae folium, & cedriam aequalibus partibus cum uespertilionis sanguine illine, illitũq; donec exarescat tene. Si enim hoc oculum cõtingat eius humorem corrumpit. Aut ab euulsione, caprae fel cum brassicae succo illinito. Aut capni siue fumariae herbę succo palpebrae alam siue summitatem illinito: deinde pilos euellito rursusq; illinito. Testatus est & Hermias spumam aquae post dropacum adhibitionem illitam summe conducere.

De staphylomatis siue uuis, & albuginibus. 11

Staphylomata tolles cantharidum succo illito. Albugines uero cito sanat nitrũ cum oleo ueteri

diligenter tritũ & illitũ. Aut lacertæ ſtercus illine & tolles. Aut Nycticoracis ouũ illine, & tinges ipſas. Aut croci, piperis, æquales partes cum felis felle in collyria formato ac illinito. Aut ſepiæ teſtam tritam melle ſubigito ac urito, & leuigato poſtea pharmaco hoc ſublinito.

Curatio obfuſcationis uiſus & ſuffuſionis. 12

Obfuſcationem omnem aut etiam incipientẽ ſuffuſionem perſanat omne fel cum marrubij ſucco ac melle Attico. Aut myrrhæ & piperis partes æquales cum melle. Aut ſolanum nigrum illine. facit & Cyprus in ærea pyxide repoſita. Aut fœniculi ſuccum, & fel taurinum liquidum paribus partibus, mellis attici duplum illinito. Aut croci & piperis æquas portiones felle taurino excipito, atq; in collyria redigito, ac illinito. Aut populi nigræ ſuccũ cum duplo mellis Attici illinito.

De humorum ſuffuſionibus. 13

Fellis teſtudinis marinæ partem unam. mellis Attici quadruplum illinito. Fel ipſum etiam per ſe ſufficit cum aqua illitum.

Ad Pterygia. 14

In pterygijs oculorum atramenti ſutorij, ſalis ammoniaci, æquales partes, gummi dimidium, cum aceto in collyria formato ac illinito. Aut po-

A puli nigræ ſuccum, cum duplo mellis attici mixtum ac tritum illinito.

Ad glaucos oculos & Nyctalopas, hoc eſt luſcioſos. 15

Solani ſuccus inſtillatus glaucos oculos denigrat. In luſcioſis uero hepar hircinum aſſato, ipſumq; inter aſſandum deſtillantem cruorem colligito, eoq; ipſos illinito, ipſum uero hepar edendũ præbeto. Auxiliatur & columbinus ſanguis illitus, & fel capræ. Aut hepar caprinum coquito, eosq; obuelatos in ollam intẽdere iubeto, quo elatum inde uaporem oculis ſuſceptent. Ipſum uero hepar aſsidue edendum dato, Ex hoc enim cito auxilium ſentient. Aut elaterij obolum, ſeminis portulacæ drachmam i. cum melle inunge. Aut ſtercus Aſini recens exſuccato ac illinito. Veſcatur æger beta, uulturis iecore aſſato, eiuſq;

B felle illinatur.

Ad Crithas inſtar hordei oblongos circa palpebrarũ pilos abſceſſus, qui item poſthiæ Græcis appellantur. 16

Abſceſſus circa palpebrarũ cilia crithas ab hordei ſimilitudine Græcis appellatas, ceræ albæ fomento diſcuties. Aut muſcæ caput auellito, ac reliquo corpore abſceſſum ipſum confricato.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI V

Cap. I. De hypopio, id eſt ſugillatione ſub oculis. 2. Archigenes ad ſugillata. 3. Apollonius ad ſugillata recentia ac liuida. 4. Inueterata. 5. Cum tumore. 6. Cum inflammatione. 7. Cum pertuſione. 8. Crito ad ſugillata recentia. 9. Ad liuores & ſugillationes profundas. 10. Heras ad ſugillata.

II. Idem ad ægilopas. Vide ſequens caput. III. De ægilope: Vide circa finem præcedentis capitis. 2. Archigenes ad ægilopas. 3. Aſclepiades. III. De uaris. Vide cap. 7. ſect. 2. & 3. IIII. De ficoſis tumoribus. Vide cap. 7. ſect. 11. & 13. V. De lichenoſis in mento tumoribus: Vide cap. 7. ſect. 6. & 7. & 8. & 9. & 10.

VI. De menti eruptionibus. Vide cap. 7. ſect. 5.

VII. De furunculis. 2. Ex Critone ad uaros. Vide cap. 3. 3. Ad uaros calloſos. 4. Ad affectiones emimentiores, & in facie pruritum, ac principium elephantiaſis. 5. Ad ficoſas menti papularum eruptiones. Vide cap. 6. 6. Ad lichenes in mento. Vide cap. 5.

7. Ad recentes in mento uel alia faciei parte lichenes: Vide ſectionem præcedentem: & ſuperius cap. 5.

8. Emplaſtra lichenica, quæ citra exulcerationem liberant. 9. De excoriatorijs lichenum. 10. Excoriatorium Menecratis. 11. Archigenes ad papularum in mento eruptiones, & ad ficoſas eminentias. Vide ſupra. cap. 4. & 6. 12. Ad capitis & menti ficoſos tumores, & alibi etiam eminentia ulcuſcula. VIII. De dentium affectionibus. IX. De gingiuarum curatione. 2. Archigenes ad dentium dolores. 3. Apollonius. 4. Archigenes de remedijs perforatorum dentium cum dolore & abſq; dolore. 5. Apollonius quæ quibus locis ſcribat: quorum tamen nihil addit, niſi

C errhina ſectione 6. 7. Eroſi dentes ne uacillent, neq; fœteant. 8. Ad dentes denigratos. 9. Aſclepiades ad dentes, motos, dolentes, eroſos. 10. Emplaſtra.

11. Ad tollendos dentes ut citra dolorem excutiantur. 12. De mobilibus dentibus ac prominentibus.

13. Archigenes ad roborandos mobiles dentes.

14. Ad debilitatos dentes, tum alios, tum molares.

15. Archigenes de dentitione puerorum. 16. Amuleta ad dentium dol. 17. De doloribus gingiuarum. 18. Quæ dentes præſeruent. 19. Andromachus ad omnes dentium dolores. 20. Ad dolores dentium, gingiuarum, aliaq; multa. Ad dentes motos. 21. Ad eroſionem & dolorem dentium. Ad gingiuas madore laxas. 22. Ad motos dentes, gingiuas humore grauidas & ſubcorruptas. Ad dentium dolores. Ad dentes corroſos. Smegma gingiuas contrahens. 23. Critonis ad omnes dentium affectiones re-

D media: quorum quædam etiam gingiuis conferunt, & ad fœtorem oris, & nigros in ſuperficie dẽtes. 24. Molares compoſitiones: item ut dentes ſine dolore tollantur, uel ut digitis eximantur: Ad perforatos. 25. Dentifricia. 26. Ad mobiles dentes: & alia dentifricia. 27. Dentifriciũ Democratis. 28. Aliud Aurelij. 29. Pharmacum dentes præſeruans.

CLAVDII GALENI DE COMPOSITIONE PHARMACORVM SECVNDVM LOCOS, LIBER V.

De sugillatione sub oculis hypopion Græci dicunt. Cap. I.

QVOD hypopion sub oculis fiat, nomẽ ipsum indicat. Idem em̃ est uelut si quis hypophthalmiũ dicat, q̃d ipsum sub oculis sonat. Est aũt ex genere effusionũ, ecchymomatũ appellatarum, Appellant ita Hippocrates et alij multi Medici circa cutẽ affectionẽ, quũ tenuibus in ipsa uenis cõtusis, sanguis per fissuras effundit, non uno loco aceruatim ac statim ita excretus in grumos coiẽs, sed postq̃ per persultationẽ, hoc est diape- B desin, ut ipsi appellãt, effusio ipsa facta est, cõtingit sane aliquãdo ubi ita coierit, tẽporis progressu liuescere & denigrari, paruis nimirũ grumulis ex disperso in multas cutis partes sanguine coactis, Quare meritò ad eius curationẽ statim festinãt medici priusquã denigrescat, scopũ medendi habẽtes ut sanguis discutiat, quum sciãt id quod in grumos coierit ex sanguine, ægerrime discuti posse. Quũ uero tunicula uenarum ex quibus sanguis exilit rũpatur, parum quiddam ex adstringẽtibus ad discutienda ammiscetur. Si enim ex sola simplici facultate discussoria pharmacum à principio adhibeatur, nõ solũ quod effusum est discutiet, Sed & per fissuras aliquid attrahet ex sanguine in contusis uenis cõtento. C Postq̃ uero in suam naturam redierint uenulæ ad discussoria pharmaca citra adstringentiũ ammixtionẽ oportune trãsimus. Quemadmodum aũt in alijs affectibus plerique medicorũ indistincte auxilia conscripserunt, Ita etiã in his citra eas quas iã recẽsui distinctiões, simpliciter Sugillatorũ remedia prodiderũt. Porrò si uos eorum quæ in libris de simplicium pharmacorũ facultate didicistis, memores fueritis, facile discernere poteritis, Quásnam sugillationes sola discusione digerere oporteat absq; adstrictione, & in quibus ammiscere conueniat quippiam ex modice adstringentibus. Quin & ex ipsis discussorijs imbecilliora primũ adhibẽda esse manifestũ est: fortiora uero inueteratis & denigratis admouenda. D Exempli itaq; loco primũ ea quibus ipse utor indicabo, Inde ad ea quę probati medici tradiderunt progressurus. Appellatur autem collyrium Nili ex rosis diarodon, multis iã annis pręclarum & celebratum, cuius compositionem proximo libro tradidi, hoc ipsum in ocularíorum coticula ex aqua cõtero, atq; sugillationi illino, fertulæ campanę ac fœni gręci decocto prius pro fomẽto admoto, deinde etiam collyrio ex eo decocto dissoluto: postea etiam ex ipsius solius fœni græci decocto. Quod si reliquiæ quæpiam affectionis resistãt, in fœni græci decocto collyria ex myrrha, diasmyrna appellata, soluo ac illino. Conducit aũt bis in die pharmacũ hoc illinere, simulq; fomentũ decoctorum calidorũ per mollem spongiã prius admouere, ita ut primũ ex ambobus fœnogræco & meliloto decoctũ fiat, inueterato autem malo, ex solo fœno græco. Hic curandi modus ut plurimum perfecte sugillata persanat, paucis omnino subterfugientibus eumq; respuentibus, in quibus collyrium ex sandice commodum est, & ex pharmacis ad sugillata à medicis descriptis ea quæ generosè discutiendi uim habent. Initium autem faciam ab eis quæ Archigenes in primo pharmacorum secundum genus conscripsit, præpositurus quidem ipsius uerba: postea uero si quid ab eo ad distinctionem pertinens relictum est, appositurus.

Archigenis pharmaca ad sugillata, iuxta ipsius dictionem. 2

Sugillata euestigiò sanat raphanus impositus, auferes aũt ipsum postq̃ mordere incœperit. Recte fecit in eo quod adscripsit, tollendum esse ubi mordere cœperit: si em̃ diutius maneat, uenulas contusas cõmordendo, oscula ipsarũ aperiet, quapropter & à principio eo utendum non est. Vbi uero inueteratæ fuerint sugillationes & iam denigratæ, etiã si quis longiori tẽpore incũbere ipsum sinat, magis iuuabit. Facit & caseus recens salsus impositus. Ipse quidem caseus uim obstruẽdi meatus habet, uerum recens salsus & nondum inueteratus, mixtam facultatẽ habet, obductricẽ ex seipso, discussoriã uero & aliqualiter adstringẽtem ex sale, quare nihil absurdi est eo etiã in principio uti. Aut ceratum cum absinthio uel raphani succo subactum. Aut hyssopi coma leuigata eodem modo. Siue cum absinthij coma trita, siue cum succo ceratum subactũ adhibeas, eandem uim demõstrabit, Verum ad tactum mollius reddetur pharmacum si succus cum cerato committatur. At uero raphani succus, aut hyssopum cerato addita, efficacius reddunt pharmacũ, q̃ ut à principio statim adhiberi conueniat, nisi iã planè liuida aut nigra facta sit sugillatio, quod etiã ipse deinceps dicet. Summe facit ad recentia & liuida sugillata, Spongia muria tincta & asidue imposita ac ablata: postea uero fomẽtum asiduum ex calida aqua prodest. Quemadmodum raphano in principio uti minime tutum est, ob eã quam dixi causam, Sic etiã muria: quapropter etiã post eius usum, calidæ fomentum probat, quo uidelicet acrimonia ex muria inducta cõpescatur. Neq; uero in omnibus sugillatis fomento ex muria uti consuluit, sed in his quę statim liuescunt. Modico itaq; tempore in his muria utẽdum est, in quibus uero cruentus, aut subflauus, aut subpallidus est color, fugere muriam oportet. Cataplasmate autẽ utere faba fresa contrita, absinthio, hyssopo, origano, raphani cortice, uua passa exacinata, unoquoq; per se cum melle, aut aceto, aut aqua. Imperfecte primum hæc remedia conscripsit, quum non apponat ad sermonem, coctisne an crudis uti iubeat faba fresa, & absinthio, & hyssopo. Videtur autem crudorum usum præcipere. Porrò ad finem ubi dicit, cum melle, aut aceto, aut

aqua, singulis prædictis utendum esse, neq; tum quidem coctis addidit. Quin & eo ipso sermone tria inæqualia medicamenta tradens, minime recte mihi uidetur, cum hoc uel illo utendum esse præcipere. Aqua enim acrimoniæ omnis expertissima est, non in cute tantum, sed ipsis etiam ulceribus. Mel uero ulceribus mordax est, cutẽ autem non offendit, Acetũ uero utrisq; mordax existit. Neq; uero raphani cortex uuæ passæ uiribus par est, Sicut neq; absinthium, ac hyssopum & origanum. Fortia enim hæc sunt & discussoria ui prędita. Moderata autem est uua passa & omnis acrimoniæ expers. Et bulbus albus cum ouo & melle. Bulbum flauum ut acriorem in principio statim adhibere recusat. Scimus antem mel discussoriæ facultatis esse, quapropter ouum ipsis ammiscere uidetur, quod mitigandi facultate multum præstat. Cyclaminus per se, & cum uua passa. Neq; hic modicum est quod interest inter cyclaminum & uuam passam, Quare haud scio qua ratione per se cyclamino utaƭ, & ammixta uua passa. per se enim fortissimum est medicamẽtum. At ammixta uua passa, tãtum auferet eius facultatis, quanta fuerit ammixtæ uuæ passæ moles. Aut nitrum cum hyssopo & uua passa, melle exceptũ.

Hic sermo priore rectior est, in quo etiam solius cyclamini usum permittebat, Nam si etiam nunc hyssopum ipsum per se adhibere consuluisset, nõ apponendo inueteratis sugillationibus id conuenire, similiter utiq; deliquisset. Myrtum cum sale & aqua. Dictum etiam antea à me est, quod ex discussorijs medicamentis in principio præstãtiora sunt, quæ modicam adstringendi uim complectuntur, Qualia sunt rosę, & melilotum, & crocus. Non tamen ex eiusmodi pharmacorum numero est myrtus, utpote uehementer adstringẽs. quapropter ego nunquam ipsa uti audeam, præsertim si iam liuidus sit color sugillationum. Sinapi cum adipe ouillo. Inueteratis & nigrefactis sugillationibus solum, hoc medicamentũ cõuenerit, & maxime si non omnino modicum sit sinapi adipi ammixtum. Myricæ folia & fructus trita cum aqua, per se & simul mixta. Et hoc pharmacum non solum discussoriam, sed & concoctoriam quandam uim habet, quare inueteratis & nigrefactis sugillationibus non conducit. Facit & spongia, & linteolũ, aceto ac melle imbuta, & apposita. Hoc remedium in principio adhibitũ, non ualde acri aceto opus habet: in progressu autem temporis liuefacta aut denigrata sugillatione, nihil profuerit absq; acerrimo aceto præparatum. Aut fabam fresam commanducatam imponito cum melle. Quin & fabæ lomentum, etiam citra manducationem, cum melle subactũ liuida discutit. Ex manducatione autẽ summe discussorium redditur, nimirum uiribus à saliua adsumptis. Oui uitellum eodem modo. Si mel ad oui uitellum miscuerimus, uelut ante dixi de faba fresa, simile faciemus prædicto medicamẽto, tum in apparatu, tum in facultate. Aut porci pulmonem calidum imponito. Hoc remedium non tole

A rarit uir mundiciem amans. Aut myricæ decocto prolue. Non ita longe ante de myricæ facultate dictum est. Aut cardamomũ cum myrrha impone. Discussorium quidẽ pharmacum est myrrha, uerum acre cardamomum. Hęc sane sufficere uidentur mihi ex Archigenis scriptis exempli gratia prolata, ostenso simul modo examinandi pharmaca, Qualia scilicet in principio conueniant, antequam liuida aut nigra sugillatio fiat, & qualia liuidis, aut iam nigrefactis, & inueteratis sint adhibenda. Quare quæ consequantur apud eum deinceps, ea sola per se adscribam, ipsius Archigenis uerbis. Aut cerusæ & spumæ argenti æquales partes cum melle terito, & ammixta faba fresa ad cerati formam reducito, ac utitor. Aut
B anguium senectam cum aqua marina tritã illine. Aut cuminum linteo illigatum in feruenti aqua tinctum pro fomento adhibe. Aut sinapi cũ cerato impone. Aut fœniculũ tritũ impone. Aut thus & thapsiam æquis portionibus cum rosaceo cerato. Aut mentam & argenti spumam pari põdere impone. Aut ordeaceam farinam cum aceto mulso coctam. Aut fabam uino maceratã donec dissoluatur, tritã splenij modo impone. Aut cicer eruinum uocatum eodem modo. Aut furnorum fuliginem cum pari cerusa ex uino odorato illine. Aut thapsiam & eruinæ farinæ tertiam partem eodem modo. Aut salsam thunni carnẽ, omotarichon Gręci uocant, exprimito: deinde in uino odoro tritam imponito. Cæterum ad uetu
C stiores sugillationes Smilacis fructus cum uua nigra tritus facit. Aut thapsiæ radix tusa, & succo eius adipe excepto, ac assidue apposito. In uetustis exemplaribus non uetustiores comparatiue scriptũ est, sed uetustissimas superlatiue. Dictum est porrò à me statim in principio, quod in eiusmodi sugillationibus, pharmacis forti discussoria ui præditis uti oporteat, qualia sunt sane ab eo his uerbis descripta, & quædã item ex superioribus uelut est indicatum. Atq; hæc quidem Archigenes prodidit. Verum Apollonius diligentius & cum pluribus distinctionib. in primo parabilium in hunc modum scripsit.

Pharmaca ab Apollonio conscripta, ad sugillata recentia ac liuida. 3

D Spongiam in aqua marina feruente tinctã assidue locis pro fomento adhibeto. Aut spongia in acri muria tincta similiter foueto. Idem facit si feruenti aceto, & uino imbuatur. Imponendum est & splenium melle & aceto madefactũ, aut lana, aut spongia. Cataplasmate autem utere, Absinthio trito cum melle, faba fresa eodem modo. Origano similiter. raphani cortice cum melle, Bulbis tritis per se, aut cum melle & oui uitello, Silphio trito cum oleo & uino, Samsuco trito cum melle, Myrto & sale tritis cũ aceto, fœniculo trito cum cerato, hyssopo & nitro cum melle & aceto, calce uiua cum cerato, Sinapi trito cum adipe uitulino, aut cum cerato.

Ad sugillata inueterata. 4

Ari radicem rasam ac melle subactam in linteo

lum

lum illitam imponito, utere etiam discussorijs facultatibus & compositionibus, quę ex descriptionibus commentariorum apparantur.

Ad sugillata cum tumore. 5

Spongiam aceto imbutā imponito, et pręmonstratis fomentis frequentius utitor, cataplasmatis loco farinā ordeaceā ex aceto mulso coctā imponito, donec locus sugillatus humilior reddat: de cætero uero subscriptis cataplasmatis utitor.

Ad sugillata cum inflammatione. 6

Aqua calida foue, & pro cataplasmate lenticulam coctā tritam cum melle impone. Aut cochleam ægyptiā contusam impone. Vbi uero inflammatio remiserit, tūc iā etiā alijs pharmacis utere.

Ad sugillata cum pertusione. 7

In ipsam quidem pertusionis fissuram ex medicamentis quæ cruentis uulneribus cōueniunt inde: circumsitis uero partibus cataplasma ex medicamentis ad sugillata citra pertusionē conscriptis impone. Pręstabat fortassis hic iam sermonem de sugillatis desinere, Verum quum ea quæ ex consentiente experimento iudicata sunt, alijs stabiliora existant, uisum est mihi etiā ea quæ Crito in tertio de Ornatu scripsit apponere, quæ sanè iuxta illius dictionem ita habent.

Quæ Crito ad sugillata recentia medicamenta scripsit. 8

Cicutam tritam ex aqua impone. Absinthium tritū ex aqua, & in linteolum infarctū imponito: quod si tenera sit cutis, parū mellis adijcito. Hyssopum ciliciū ex aqua tritū, & in linteolū ligatū, in globulos cogito, cumq; his in feruentem aquā tinctis sensim foueto. Bryoniæ radicē tritā cū melle imponito, aut rosaceo cerato exceptā adhibeto. Muriā acrē facito, spongijsq; in ea madefactis foueto. Et post hęc raphani corticē tritū cū melle, & linteolo infarctū imponito. Aut sinapi tritum cerato exceptum, & modico adipe uitulino addito, in linteum infarctum imponito. Et de his quidem in tantum. Quod si inueteratæ sint sugillationes, aut etiam appellati liuores, subscriptis cōpositionibus utendum est.

Ad liuores & sugillationes profundas. 9

Tordylij partes ij. terræ samiæ partē i. aceto excipito, modicumq; mellis simul conquassato. Animaduertere autem oportet diligenter ne cutis exulceretur. Medicamentū deterens sugillata, Aristarchi. Hyssopi cilicij drach. i. radicis thapsiæ tantundem. thuris integri non secti tantundē. ceræ tyrrhenicæ drach. ij. resinæ terebinthinæ drac. i. arida cū liquescibilibus cōmittito, deinde linteolo infarcta imponito, animaduersione habita ne locus exulceretur, & ob hoc sanè frequenter tollere oportet. Aliud, Radicis thapsiæ drac. xij. aut succi drach. vi. thuris insecti drac. viij. ueratri albi drach. ij. absinthij drach. i. cerati rosacei drac. xvi. mollita repone, ac linteolo infarctis utere. Oportet etiā hoc assidue amouere. Aliud, Viticis albæ obol. iij. struthij tantūdem. glandis Aegyptiæ tantundē. pulmonis caprini usti tātundē. radicis asparagi tantundem. bdellij tantundē. succi thapsiæ tantūdem. aceto mulso exceptis utitor.

Aliud, Seminis uiticis albæ drach. iij. radicis struthij tantundem. nitri rubri tantūdem. succi raphani tantundem. hyssopi cilicij tantundem. farinę fabarum tantundem. glandis ungentariæ drach. xl. myricæ drach. xl. pulmonis caprini usti drach. xl. bulborum rubrorum drachm. xl. radicis thapsiæ drach. xl. thuris drach. xij. excipe cerato rosaceo, ac utere ut dictum est.

Medicamentum ab Hera conscriptum ad sugillata. 10

Aufert, ut inquit Heras, tribus horis: quod si inflāmatio fiat, cataplasma ex uiridi caseo probat, et fomentum ex pane. Succi cicutæ obolos ij. croci drach. ij. myrrhæ drach. i. acaciæ drac. i. opij dra. ij. succi thapsiæ drach. ij. gummi drac. i. cum aqua cogito. Hoc equidē Heras scripsit. Ego uero nucem per ætatem iam oleosam factā expertus sum aliquando ad cruentatos facientem. Oportet autem ipsam nucem diligenter terere, atq; ita imponere homini supine reclinato, quo ad horas duas & tres pharmacum adhereat: ubi enim sic fecerit, etiam si postea surgat, ad multū tempus adhæret, oportetq; priore delapso aliud statim imponere.

Eiusdem Heræ ad ægilopas. 11

Maluæ folia cū sale & melle trita imponito, destruit hoc ac extirpat ęgilopas. Alicā etiā in aceto coctā incipienti ægilopi imponito. Aut myrti recentissimas baccas cataplasmatis modo adhibe, ubi uidelicet fluxio infestauerit. Similiter facit & lemnia terra si illinatur.

De Aegilope. Cap. II

Inter nasi os & magnum iuxta oculum angulū, paruum quoddam abscessui simile tuberculū oriri solet, & rūpitur sanè sæpe in angulū, ut ægre curabile reddatur, nisi mature occurrat. Mederi igitur oportet ipsi cū discussorijs medicamentis quę citra mordacitatem efficacia sunt. Coafficit enim oculus ab acribus, atq; ita etiā affectæ partis inflāmatio augetur. Verū affectio ipsa nō ob id solum ęgre curabilis est, sed & propterea quod quū multa liquida pharmaca in experimentū adsumi possint, ea nō tolerat locus ipse, necessariò ēm ex eis in oculū quid influit. Neq; uero adhærere eiusmodi queant citra obligationem quę totum oculum complectatur, quam impossibile est tot diebus aliquem perferre posse, quot ad mali curationē requirūtur. Ob hanc igitur causam Apollonius nulla pharmaca ad Aegilopas scripsit, Archigenes uero paucis enumeratis, deinceps ad curationem ipsorū per chirurgiā progreditur, quanq; res ipsa nō manuariæ operæ, sed pharmacis secundum genus sit subiecta, Itaq; totam ipsius dictionem adscribam hoc modo habentem.

Quæ Archigenes ad Aegilopas scripsit in primo pharmacorum secundum genus. 2

Aegilopas qui circa oculorum angulos oriuntur eruo cū melle integimus, aut cinere uitis cum aceto subacto. Probe facit & thus cū columbino stercore recenti impositum. Aut succum herbæ ægilopis, auenam nostri dicunt, cum melle illine. Cæterum in nondum perforatis staphidem syluestrem, & ammoniacum thymiama cum melle

ueluti splenium impone. Aut alumē scissile cum terebinthina splenij forma impone. Aut lanæ tomentum sanguine marini leporis tinctum inde. Aut melanteriam tritam adhibe. Quod si neq; sic sanētur, diuiso angulo, & cum tenui perforato terebello cōtinuis foraminibus incussis disparato, capitale emplastrū adhibeto, discedent em̄ squamæ, & sanabuntur. Aut osse denudato cauterium admoue, & sic squamulæ discedunt ac sanantur. Quidam diuidentes angulum osi qua parte perforatum est angustum infundibulum admouent, ac plumbum liquefactum infundentes urunt, atque hoc modo optime sanant. Hæc quidem Archigenes scripsit.

Quæ Asclepiades ad Aegilopas conscripsit. 3

Porrò Asclepiades in primo exteriorū hęc prodidit. Succi illecebræ librā dimidiam. succi solani lib. dimidiam. thuris drac. viij. mastiches drach. iij. galbani libræ dimidium. succos cum thure coquito, & ubi dissolutum fuerit, galbanū inijcito: mastichen uero improbamus. Aliud, Thuris dra. viij. myrrhæ drach. viij. ladani drach. iiij. ceræ dra. iiij. aluminis scissi, coaguli leporis, utriusq; drach. iij. spumæ nitri drachmas iiij. pharmacum cōtundito & emollito cum irini ungenti fece.

De Varis. Cap. III

Tumor paruus & durus in faciei cute orit̄ Varus Latinis, Gręcis Ionthos appellatus, à crasso uidelicet succo congregatus, demonstransq; suij psius curationē rationabiliter per pharmaca emollientia & discussoria futuram, Etenim duricies ipsius emollientibus, tumor uero præter naturam discutiētibus opus habet, Quum igitur iam sæpe tum in superioribus libris, tum in de simplicium pharmacorum facultate commentarijs, prædictę sint mihi materiæ tum discussoriorum, tum emollientium medicamentorum, Compositio sanè ipsorum particularis per experientiam iudicata, utilis erit ad rectum relatorum usum, quæ uidelicet paulo pòst referentur, ubi saltem prius determinauero, Quæ similes sint Varis affectiones, & aliqua parte ab ipsis differentes.

De ficosis tumoribus. Cap. IIII

Vna quædā hæc affectio est ex his quæ in mento enascuntur, differens à Varis in eo quod non solum crassus sit qui hos tumores efficiat humor, sed & serosa tenuitate participet, ob quam etiam cito exulcerantur, si non ut debent curentur, & ob id magis resiccantibus pharmacis quàm Vari opus habent.

De lichenosis in mento tumoribus. Cap. V

Et hæc affectio ex mixto quopiam generatur humore, serosis nimirum ac tenuibus & acribus succis cum crassis permixtis, quapropter etiam facile in psoram ac lepram transit, indigetq; etiā ipsa pharmacis fortiter resiccantibus. Postquam uero in psoram aut lepram trāsierit, ultra hoc quòd resiccantibus indiget pharmacis, etiam repurgantia & extersoria expostulat.

De menti eruptionibus. Cap. VI

Hoc eruptionum, siue ut Græci dicūt exanthe- A matum, nomē quidam in communi usurpant, de affectionibus uidelicet ulcerosis & asperis in mēto sua sponte prouenientibus, quemadmodū etiā Archigenes facit. Indiget autem & hæc ipsa affectio resiccantibus medicamentis.

De furunculis. Cap. VII

Furunculi Dothienes Græcis dicti ex similibus humoribus ueluti Vari generantur, per uniuersum corpus duplices existentes, Aliqui quidē ut ita dixerim Varosi, duri, & ægre concoctiles. Aliqui uero inflammati, in quibus aliquando etiam febres consistunt, & tumor in magnitudinem excrescit, & in pus transmutatur. Vnde curatio ipsorum ut plurimum eadem quæ inflammationis existit.

Ex Critone ad Varos. 2

B Crito in tertio de ornatu hęc uerba scripsit. Ad Varos in facie, Mellis attici cyathū unum, siue ℥. xij. aceti acerrimi tantundem. misceto diligenter eoq; Varos illinito cum digito affricando. Aliud, Spumæ argenti chemam siue drach. iij. terebinthinæ puræ, fabæ Aegyptiæ magnitudinem, addito olei albi parum, atq; ubi prius faciē deterseris, ex medicamento hoc parum digito excipe, deinde ambabus manibus terendo uaros obline. hoc pharmacum etiam à rugis liberam & mundam faciem conseruat. Aliud, Amygdalas amaras aceto dilutas ac probe tritas faciei obline. Aliud, Alumen scissum probe leuigatum terebinthina excipe, & emollitum impone. Aliud,

C Costū Indicū tusum & tenuissimo cribro cretū felle caprino excipe, ac ad cerati crassitudinem redactum Varis circa uesperam illine, Mane uero ubi surrexerit lacte ægrum faciem proluere iube. Inueteratis porrò Varis subscriptis compositionibus utendum est.

Ad Varos callosos. 3

Saponis gallici ℥. iiij. ammoniaci thymiamatis ℥. i. thuris ℥. i. aqua dissoluito, & cerati spissitudinē facito, eoq; illinito, & post horæ interstitiū calida abluere iubeto. Aliud, Nitri rubri, hyssopi, pulegij, salis fossilis, ęquales partes tundito & per tenuissimum cribrum cribrato, exceptisq; cerato rosaceo utitor. Aliud, Seminis ocymi, nitri rubri, pulegij uiridis, aluminis scissi, costi indici, singulorum æquales partes tusas & cribratas, adipe

D anserino seu gallinaceo excipe, ut cerati fiat crassitudo, ex eo uero in linteolum infarcito & imponito donec penitus persanescant. Aliud, Salis assati, pulegij, hyssopi, ammoniaci thymiamatis, Rhois coriarij, singulorum par pondus rosaceo cerato exceptum donec persanentur imponito.

Ad affectiones eminentiores, et in facie pruritum, ac principium elephantiasis. 4

Gummi albi, spumæ nitri, thuris, sulphuris uiui, singulorū æquales partes aceto dilutas ac probe tritas in pastillos redige, eosq; in umbra exsicca, usu uero expetente aceto dilutos illine, atq; ubi resiccati fuerint, subscripta cōpositione deterge. Saponis gallici libram i. ammoniaci thymiamatis tantundem. thuris quadrantem, mastiches quadran-

A quadrantem, spumę nitri quadrantem. Saponem & ammoniacum in uas fictile coniecta, & aquæ sextarijs duobus affusis coquito, atq; ubi dissoluta fuerint, arida contusa & cribrata adijcito, deinde in mortarium translata ac probe conquassata, uase uitreo reponito, Vsu uero postulãte faciem ex eo smegmate inquinato, & post modicum tẽporis spacium larga aqua molliter perfricãdo abluito. Vtendum est hoc smegmate per omnem Varorum curationem.

Ad ficosas menti papularum eruptiones. 5

Crito in tertio de ornatu in hũc modum de eis scripsit. Ad ficosas in mento eruptiones, uelut Lucius præceptor tradit, Spumę argenti, misyos crudi, æquas partes tritas insperge. Aliud Thuris drach. ij. spumæ argenti drac. iiij. salis fossilis drac. B viij. sandarachæ drach. ij. trita insperge. Aliud, Atramenti sutorij drach. ij. sulphuris uiui drac. ij. æruginis drach. i. nitri rubri drach. ij. trita insperge. Aliud, Elaterij drach. iiij. salis fossilis drac. iiij. atramẽti sutorij dra. ij. mixta insperge, & cum specilli humecti extremo admoue, quo uidelicet pharmacum ipsum adhæreat. Cæterum post pharmaci impositionem, semine lini ex aqua trito utendum est. Porrò ubi humidiora fuerint ulcera, ut ab ipsis aqua pura uelut à fonte defluat, subscriptis compositionibus utendum erit. Pastillus ad ficosas menti papulas, Vsus est eo Artemidorus, reprimit omnes tumores, qui accidunt his quibus cicatrix male inducta est, ueluti in his qui futura usi sunt contingit. Compositio hæc C est. Squamæ æris dra. iiij. atramenti sutorij drac. ij. aluminis scissi drach. ij. glutini fabrilis perlucidi drach. ij. Arida tunduntur & cribrant, Glutinum uero aceto maceratur, et tritis affunditur, rursusq; leuigatur, & formantur pastilli, quos usus tempore aceto dilutos illinimus. Hoc medicamentũ etiam fistularum callos extirpat. Alius Magni Clinici. Aluminis scissi, æruginis corinthiæ, rubricæ sinopidis, chalcitidis, glutinis fabrilis, singulorũ æquas portiones, componito ac utitor ut dictum est. Alius, Arij Asclepiadei. Milti siue rubricæ sinopidis, æruginis corinthiæ, aluminis scissi, gallæ omphacitidis, malicorij, æquas singulorum partes, gummi duplũ, aceto excipito ac utere ut D dictum est. Alius Apollonij, ut Charixenus tradit. Squamæ æris, misyos assati, auripigmẽti, singulorum drachmas ij. diphrygis drach. iij. ęris usti drach. iiij. chalcitidis ustæ drach. iiij. glutinis fabrilis dra. iiij. aceto diluito, & pastillos formato, quibus uelut superioribus utitor. Andronis pharmacum accommodatum. Atramẽti sutorij dra. ij. myrrhæ drach. ij. thuris drach. iiij. aluminis scissi drach. iiij. malicorij drach. viij. gallarum dra. viij. aristolochiæ drach. viij. Vino austero exceptis ut prædictis utere.

Critonis, ad lichenas in mento. 6

Consequenter uero Crito ad lichenas mẽti scripsit hoc modo. Ad menti lichenas quæ iniucundissima est affectio, Nã & pruriginem inducit, & affectarũ partium circumtensionẽ, & periculum non modicum: proserpit enim aliquando per totam faciem, oculosq; contingit, & ferme extremę fœditatis causa existit. quapropter diligẽtiore cura utendum est, inspiciendo tum irritationes, tum interualla & remissiones, Ita ut etiam ab inueteratis recentes disparemus. In quibus conueniet uti resiccantibus medicamentis. Quum uero in psoram aut lepram transierint, supra resiccãtia etiam extersoriorum & repurgantium erit usus, & postea sanè subscriptarum item compositionum.

Crispi amici ad recentes in mento, siue alia faciei parte lichenas. 7

Tritici grana multa in incudem imponito, deinde laminam æris igni candefactã tritico superponito, & resolutũ ab eo liquorem calidũ adhuc auferto, ac super lichenas linito. Hoc solo multos curatos scimus. Aliud, Maluæ agrestis semen tenerum adhuc colligito, mũdato ac tundito, succumq; reponito, atq; eo assidue illinito. Aliud, Portulacæ succũ assidue illinito. Aliud, Oleæ æthiopicæ lachrymam cum aqua terito, & modico adiecto styrace misceto, & imponito. Aliud, Vlmi lacrymã aqua dissolutam imponito. Quod si inueterati sint lichenes, sequentes compositiones adhibendæ sunt. Albuci radicem aceto coctã & tritam illinito. Viticis folia trita cum aceto imponito. Capparis folia trita cum aceto imponito. Rumicis hortensis radicis corticem ex aceto tritum, loco prius cum nitro præparato imponito. Chamæleonis radicem aceto coctam & tritã imponito. Cæterũ quũ ad lichenum curationẽ multa & uaria medicamina existant, particulatim de singulis transigã, initio à pastillis sumpto. Pastilli Lichenici. Glutinis fabrilis dra. iiij. alij duas habẽt, sulphuris uiui ℥. ij. chamæleonis ℥. iiij. thuris ℥. ij. aceti heminæ dimidiũ. Glutinum aceto dissoluitur, deinde aridis adijcitur, Vsus tẽpore quãtum satis est aceto dissoluo calidumq; impono. In alijs exemplaribus singulorum par pondus continetur. Alius, Chamæleonis, sulphuris uiui, utriusq; drach. iiij. lachrymæ oleæ æthiopicæ ℥. ij thuris drach. i. aceti quantum satis est. Alius, Alcyonij drach. ij. chamæleonis nigri drac. iiij. pyrethri drach. ij. sulphuris uiui drach. iiij. thuris drachmas iiij. glutini drach. iiij. aceti acerrimi heminas iiij. Alius, Lachrymæ oleæ æthiopicæ ℥. iiij. sulphuris uiui drach. iiij. alcyonij drac. viij. spumæ nitri drach. viij. alicæ aceto coctæ drach. viij. aceti quod satis est. Alius, Alcyonij usti dra. ij. chamæleonis nigri drach. iiij. radicis albuci dra. iiij. sulphuris uiui drach. ij. thuris drac. ij. pyrethri drach. ij. spumæ nitri drach. ij. glutinis drach. iiij. Aceti quod satis est. Porrò extenta iam affectione & callosa reddita sequentibus utẽdum est medicamentis. Misyos peregrini, thuris, myrrhæ, aluminis scissi, singulorum drach. viij. aloes, sulphuris uiui, utriusq; drach. iiij. Excipe passo ut strigmentitiam spissitudinem accipiat, & bis aut ter in die præfrictis illine: forinsecus autem conseruãdi pharmaci gratia, uesicæ pelliculam, aut oui testam, aut uiridia folia quantum satis est impone.

Aliud, Misyos drach.iiij.acaciæ drach.ij. squa- A
mæ æris drach.iiij.sulphuris uiui drach.vi. chalci-
tidis drach.viij.gummi drac. viij. aceti quod satis
est, In quo ubi gummi dissolueris, reliquaq; ammi
scueris, amurcam iniice, & probe conquassata re-
conde, ac utere ut dictum est. Aliud, Sulphu-
ris uiui, thuris, myrrhæ, atramenti sutorij, misyos
crudi, singulorum drach.ij.gummi drachmas iiij.
aceto & cedrino oleo quod satis est dissoluito, eo
demq; utere modo. Ex scriptis Zeuxidis, Ali-
ud, Chalcitidis crudæ, misyos crudi, myrrhæ Min
næ, sulphuris uiui, singulorum æquales partes,
gummi duplum aceto dissolutũ, Excipe oleo ce-
drino. uerum cedrinũ prius coquere oportet usq;
ad mellis crassitudinem. Aliud Diodori, La
chrymæ oleæ æthiopicæ ʒ. xx. gummi ʒ. xl. atra B
menti sutorij drachmæ xvi. sulphuris uiui drach.
x. thuris drach.x. æruginis drachmæ x. acaciæ dra.
x. myrrhæ Minnææ drach. x. aceti quod satis est.
Et ubi dissoluta fuerint singula, ac leuissima reddi
ta excipe amurca condensata, & repositis utere.
Annectantur porrò & aliæ compositiones. Illi
tio cocta ad lichenas inueteratos, quæ citra ulce-
rationem persanat. Atramenti sutorij, fœni græ
ci moliti, cardamomi, singulorum drach.ij. melan
thij sesquidrachmam. foliorũ caprifici sesquidra-
chmam, aceti acerrimi quod satis est, leuigata ad
mellis spissitudinem reducito, deinde coquito, &
postquam nigrum factum fuerit & condensatum
pharmacum tollito, illinito, insuperq; lichenas ab
luito. Heraclidæ Tarentini illitio lichenica. Sa- C
nat citra ulcerationem. Polentarum drach. viij.
glutini drach.vi. atramenti sutorij drach.iiij. chal-
citidis drach.iiij. sulphuris uiui drac.iiij. spumæ ni
tri drach.vi. alcyonij drach.iiij. myrrhæ Minnææ
drach.ij. aceti heminas iij. Dionysii condiscipu
li, Sanat citra ulcerationem. Farinæ ordeaceæ sex
tarium i. atramẽti sutorij unc.i. corticum radicum
rumicis syluestris drach. i. sulphuris uiui drach.i.
myrrhæ sesquunciam, gummi unc. i. aceti hemi-
nas vi. Rumicis radicem coquito, & ubi dissoluta
fuerit extractam terito, Ordeaceam uero farinã
in residuum liquorem cõiectam coquito, atq; ubi
recte habuerit reliqua iniicito, & ablatis utitor.
Illitio Socrationis cocta. Farinæ alicæ sextarios
vi. sulphuris uiui drach.xvi. misyos peregrini dra. D
xvi. cimoliæ drach.xvi. chalcitidis drach.xvi. spu-
mæ nitri drach.viij. alcyonij drach. viij. aluminis
scissi drach.viij. radicis albuci drach. viij. myrrhæ
drachm.viij. thuris drachmas viij. lachrymæ oleæ
drach.viij. ammoniaci thymiamatis drachm. viij.
aceti heminas tres. Alcyonium & albucum in ace
to coquito, ubi uero ad dimidias redactum fuerit
percolato, & in colamento ammoniacũ, myrrhã,
thus, oleæ lachrymam, dissoluito, deinde terito, a-
ridaq; iniicito, Alicam uero in residuo liquore co
quito, & dissolutam reliquis adiicito, simulq; teri-
to ac utitor. In aliis collectaneis sic habet. Sul
phuris uiui, misyos peregrini, chalcitidis, singulo
rum drach.xvi. nitri, aluminis isisci, alcyonij, radi-
cis albuci, thuris, lachrymæ oleæ, terræ cimoliæ,
ammoniaci thymiamatis, singulorum drach. viij.
aceti heminam unam. Alia ualde efficax. Aceti
acerrimi sextarios vi. farinæ ordei sextarios ij. mã
næ sextarium i. radicis rumicis agrestis drachm.v.
ueratri albi drach.x. alcyonij drach.xv. cardamo-
mi drach.i. terræ cimoliæ drach.viij. glutinis drac.
xvi. spumæ nitri drac.xvi. halicacabi uirgultorum
uiridium manipulum, Cõponito. Quandoqui-
dem uero multi pharmacorum quæ illinuntur cõ
positiões recusant, amãtq; magis emplastrorũ im
positiones, utpote quæ neq; sudorib. obortis dif-
fluunt, neq; resiccata cutem circumtendunt, meri
tò etiam ipsorum præparationes subiungimus.

Emplastra lichenica quæ citra exulcerationem liberant. 8

Ceræ, picis coctæ, thuris, terebinthinæ, sulphu
ris uiui, singulorũ libræ dimidium. Liquida cum
aridis committito. Aliud, Thuris drach. viij.
aluminis drach.viij. atramenti sutorij drach. viij.
sulphuris uiui drach.iiij. glutinis drach.iiij. radicis
chamæleonis drach.iiij. ceræ drach. viij. picis cru-
dæ heminas ij. Picem & glutinum coquito, atque
ubi condensata fuerint ceram iniicito, aridisq; af-
fundito, ac repositis utitor. Aliud, Facit ad li
chenas eleuatos, adeò ut reprimat ea quæ residua
putantur. Mannæ thuris, picis, utriusq; drach. viij
bituminis drach. viij. ceræ drach. viij. resinæ pinus
drach. viij. sulphuris uiui drac. viij. olei cyprini pa-
rum. Coquito ut dictum est, & sublatis utitor in
linteolum aut pelliculam tenuem infartis. Ali-
ud citra ulcerationem remouet. Picis brutiæ li-
quidæ sextar.i. mannæ lib.i. sulphuris uiui lib. i. fa
rinæ lupinorum lib.i. pro consuetudine componi
to, deinde galbani sextantem adiicito. Est hoc ex
ualde probatis. Alia exemplaria farinam non ha-
bent, neq; galbanum. Emplastrũ lichenicũ Phi
lotæ, citra ulcerationem sanat. Exhibitũ est à Phi-
lota sodali, per uersus scriptũ. Chalcitidis crudæ,
chrysocollæ, misyos assati, squamæ æris, diphry-
gis, salis ammoniaci, terræ eretriæ, singulorum ʒ.
iiij. sulphuris uiui ʒ. xij. atramẽti sutorij, floris lapi
dis assi, æris usti, singulorũ ʒ. vi. soreos ʒ. v. alumi-
nis liquidi ʒ. iiij. Hæc omnia terito, deinde aceti he
minis xij. affusis, per dies v. sub caniculæ ortũ soli
exposita itidẽ probe terito, donec pharmacũ red-
ditum fuerit æruginosum. Porrò in alio mortario
thuris uncia i. myrrhæ sextans, aloes unc. i. ladani
quadrans, opopanacis quadrans, aceto dissoluta
ad strigmentitiam crassitudinem præparentur, at
que ubi recte habuerint, ad ea quæ in sole leuiga-
ta sunt adiiciantur, rursusq; terantur, addaturq; a-
ristolochiæ rotundæ & longæ, utriusq; tusæ & te-
nui cribro excussæ drach. una. Postquam uero iã
trita emplastri formã acceperint, liquescibilia pri
us liquefacta & frigefacta iniicito. Sunt autẽ hæc.
Ceræ drach. cx. terebinthinæ drach.xx. galbani ʒ.
ix. olei hemin.i. & probe emollitis ac repositis uti
tor. Hoc pharmacum duplicem aspectum uiden-
tibus exhibet. Cæterũ si affectio pertinacius per-
seueret, & pharmacorum impositionem respuat,
excoriatorijs appellatis remedijs utendum erit:
prompte enim superficiem auellunt.

De excoriatorijs Lichenum. 9

Excoriatorium Lichenum, quo Pamphilus Romæ usus plurima designauit, quum in urbe Mentagra appellatus morbus inualesceret. Squamæ æris 3.vi. auripigmenti 3.iiij. sandarachæ 3.iiij. æris usti sesquidrac. ueratri albi sesquidrachmam, uentrium cantharidum, sesquidrach. Singula per se terito, deinde simul mixta, cedria excipito, & ad strigmenti densitudinem reducta pyxide æris cyprij reponito. Vsu autẽ expetente, nitro & aceto modico perfrictis lichenibus, pharmacũ hoc cum spathula illine, ac affrica: deinde interiecto spacio derade, rursusq́ pharmacũ impone: deinde ubi bis uel ter hoc feceris, quo facile deradi posit, rursus imponere tenta, illitis locis cũ uesicæ bubulæ aut alterius cuiusdã animalis pelliculis intectis, Hæc enĩ pharmacũ ne defluat cõseruat, & alias leuis est: post pelliculæ aũt impositionem fasciola leuiter obligatum finito. Præstiterit quidẽ per noctẽ adhærere, aut saltem ad aliquot horas, usquequo bullas excitet saniem cõplectentes crassam & glutinosam. Deinde uero lauare præcipimus, & in balneo morari: nã & hoc ad hanc curationẽ auxiliatur. Sit autẽ calidius balneũ, Quo si quid uti prohibeat, fomentũ aquæ multæ calidæ adhibendum est, quo deterso, panis ex aqua mulsa subactus cataplasmatis modo imponatur. Porrò ubi sordida iam facta fuerint ulcera, splenium ex emplastro uiridi imponito, modica parte de excoriatorio adiecta. Cæterum sanie exclusa & nulla crustula ulceri incumbente, spleniũ album imponito, atq; hac curãdi ratione donec cicatrix penitus inducatur utitor, singulis diebus fomẽtum adhibens, & nouum splenium imponens. Post cicatricem plene inductam, si qua suspitio reliqua sit, eodem curationis ductu utendum est. Anteq́ uero excoriatoria imponantur, circumsitas & uicinas licheni partes pharmaco aliquo inflammationẽ arcente in splenio excepto, integere ac tueri oportet, Nimirũ lichene sua extrema linea semper parum quiddã ex sanis corporibus affricante & inuadente. Hæc communis Mentagræ curatio est. Aliud excoriatorium Axiorij. Squamæ æris drach.vi. atramenti sutorij dr.iiij. cantharidum sesquidrach. ueratri albi sesquidrach. sandarachæ dra.i. Excipe cedria. Aliud Apij Phasci. Ad mẽtagras quod citra cicatricis uestigium sanat, facit & ad alopecias inueteratas, Cæterum alopecias in sole aut ad ignem illinito, & bulla excitata eam acu perpungito, ac humore excluso cũ ceratis curationem perficito. Post inductam enim cicatricem enascũtur pili, atq; hæc quidem in alopecijs. In lichenibus uero uelut prædictũ est utitor, pharmacum ipsum hoc modo habet. Sandarachæ 3.ij. auripigmenti drach.ij. squamæ æris drach.ij. ueratri nigri drach.i. elaterij drach.i. uentrium cantharidum 3.i. Excipe cedria. Aliud, Cantharidum drach.i. & dimidiã. ueratri albi tantundẽ. auripigmenti dra.ij. squamæ æris tantundẽ. atramẽti sutorij drach.i. scammoniæ drach.ij. Excipe cedria. Aliud, Auripigmenti usti drach.ij. Squamæ æris cyprij drach.vi. chrysocollæ drach.i. atramenti sutorij drach.i. ueratri nigri drach.i. aluminis scissi drach.i. succi thapsiæ drach.i. scammonij drach.i. cantharidũ drach.i. cedriæ quod satis est.

Emplastra uiridia lichenica. Post excoriatoriorum usum emplastra uiridia & alba imponere oportet, quare rationabile est & illorum præparationes adscribere. Emplastrum uiride Pamphili. Hoc usus est Pamphilus in mentagra post rupturam bullarũ. Ceræ lib.i. æruginis rasæ sexuncẽ. resinæ frictæ lib.ij. olei cyath.iiij. aceti acerrimi quãtum sufficit. Aeruginem cum aceto in sole terere oportet, liquescibilia autem liquantur & refrigerantur, ac frigefacta liquidis adijciuntur. Viride Demosthenis. Ceræ lib.ij. resinæ frictæ lib.i. æruginis rasæ trientem. olei æstate cyath.iiij. hyeme cyathos vi. aceti quantũ sufficit. Viride Herophili. Aeruginis drach.ij. mannæ drach.iiij. adipis uitulini drach.xij. galbani drach.iij. ceræ 3.lxxx. resinæ drach.xx. aceti quod satis est. Tryphonis antiqui emplastrum Euchrun à bono colore dictum. Aeris usti trientem, aluminis rotundi sextantem, æruginis rasæ sextãtem, salis ammoniaci sextantem, mannæ sextantem, ceræ lib.ij. resinæ frictæ lib.ij. olei dextantem, aceti quod satis est. Antonini emplastrũ, Hoc Timocrates post lichenas excoriatos imponit. Ceræ drach.c. colophoniæ drach.cc. squamæ cypriæ drach.xij. aluminis rotundi drach.xij. æruginis drach.xij. mannæ drach.xij. galbani drach.xij. olei heminam i. aceti quod satis est. Annectendæ his etiam emplastrorum alborum præparationes: nam his post uiridia utendum est, mũdis iam factis ab excoriatione ulceribus. Etenim cura habenda est ut citra callum cicatrix inducatur, atq; ea gratia eiusmodi pharmaca in usum ueniunt, quæ multã ad tactum lenitatem inducunt. Emplastrum albũ Aquosum appellatum. Hoc Magnus circulator usus est post lichenas excoriatos. Spumæ argenti lib.i. ceræ tyrrhenicæ lib.i. olei sextarium i. cerusæ lib.i. aquæ sextar.i. Spumam argenti, cerusam, & aquã terito, atq; ubi leuigata reddita fuerint, paulatim oleum adstillato, assiduéq; terito: & postquam unita fuerint, in uas fictile translata igni imponito, assiduéq; agitato, et absorpta iam aqua ceram inijcito, qua dissoluta in mortariũ transferto, & emollitis repositis utitor. Emplastrum Pancratiastarum siue athletarum Trypherũ, id est delicatum appellatum. Facit ambustis item, ut citra cicatricis uestigium sanentur. Spumæ argenti drach.xxv. cerusæ drach.xxv. plumbaginis drach.xxv. ceræ drach.xvi. terebinthinæ drach.xvi. olei heminam i. aquæ tantundem. cõponito ut dictum est.

Megetis chirurgi. Cerusæ lib.ij. ceræ lib.i. terebinthinæ unc.i. spumæ argenti lib.i. olei lib.iij. aquæ sextarios ij. cõponito. Diophanti ad ambusta & intertrigines. Conseruat faciem rosaceo dissolutum. Spumæ argenti torrefactæ drach.ij. medullæ ceruinæ drach.xvi. cerusæ torrefactæ 3.xij. ceræ drach.viij. terebinthinæ drac.viij. thuris drac.viij. olei heminas iiij. pro more componito.

Manna emplastrum, medicamentum accommodatum. Spumæ argenti drach. c. cerusæ drachm. c. ceræ drach. l. terebinthinæ drach. xxv. mannæ drach. xvi. aluminis scissi drac. xl. olei heminas ij. & dimidiam. componito & reposito utitor. Affrictis porrò & extritis lichenibus à quocunque tandem medicamento, præsertim uero ab excoriatorijs, subscriptis utendum est.

Compositio Menecratis quæ propter excoriatorium appellatur. 10

Picis brutiæ pellucidæ siccæ & electæ drach. ij. & dimidiam, resinæ pinus pellucidæ lib. i. & quadrantem, ceræ ponticæ tantundem, galbani quadrantem, aceti heminam i. liquescibilia ad splēdidum ignem donec non inquinent coquito, deinde galbanũ adijcito, atque ubi dissolutum fuerit, ab igne ablatis, acetum paulatim instillato, assiduéque moueto animaduersione habita ne ebulliat, & insumpto iã aceto, pharmacũ in magnũ mortarium transferto ac diligēter terito, donec ad melinum colorem reducatur, deinde in pelliculam albã inspissatam repositum seruato. Vsu uero exigente, in pelliculas quantũ ad integēdos affectos locos satis est infarctum imponito, & tertio quoque die soluito, nonnunquam usque in diem duodecimum imponito, ita ut quatuor fiãt solutiões. Hoc pharmacum squamas discedere facit; & corpora attenuat, ac solida facit ad couenietes excoriationes.

11 Quæ Archigenes in secũdo pharmacorum secũdum genus pharmaca scripsit, ad papularum in mento eruptiones, & ad ficosas eminentias. Papularum in mẽto eruptiones, ex myrti baccis, malicorio, argẽti spuma, æris flore, paribus partibus exceptis, cum uino obline. In ficosis uero menti papulis, mentagris appellatis, & ab aliquibus lichenibus agrestibus siue feris, faciũt quidẽ robustiora ex his quę ad lichenas relata sunt. Amplius autem & quæ ad psoras & lepras describẽtur. Mirabiliter uero hæc compositio conuenit. Atramẽti sutorij drach. i. ueratri nigri drach. i. auripigmenti drach. i. uentrium cantharidum ʒ. ij. Quidam etiam obol. iij. insuper addunt, tritis utitor cum oleo, aut cedria, aut rosaceo, præfricto prius loco: fiunt enim bullæ, quibus per specilli cuspidem ruptis, rursus affricato, quo penetrare pharmacum possit & mordere: deinde post horam fomẽto adhibito, ceratum rosaceum imponito. Hoc usquequo ad cicatricẽ perueniat facit, Quod si primum nõ exuperet, iterũ iterumque illinito. facit & ad lepras & leucas, alopeciasque & psoras excellenter.

Heraclidæ Tarentini, ex libris ad Antiochidem, ad capitis & menti ficosos tumores, atq; etiã alijs partibus eminentia ulcuscula. 12

Elaterij & salis pares partes misceto ac utitor, Superne uero lini semen crudum, ex aqua imponito, aut ficus paruas tritas, Eodem etiam ad tubercula utendum est.

De dentium affectionibus. Cap. VIII

Ex dentium affectionibus, aliquæ sanè omnibus euidenter apparent, Quemadmodũ quũ perforati sunt, aut denigrati, aut detriti, aut neque frigi

A da ferũt, neque calida, sed ex utrisque, aut altero solo dolor eis contingit. Quędam uero non manifeste apparent in ipsis affectiones, ueluti quum ipse æger se sentire dicit circa corpus dẽtis dolorem in profundo obortum. Quidam enim contradicunt asserentes, quum os sit dens, eum citra dolorem affici, ueluti quum aliquando prominẽtiores per limulam deterere cogimur, aut etiam ob aliam quampiam causam, de quibus paulo pòst mentionem faciam. Nunc enim citra rationalem & naturalem demonstrationem, testimonium his perhibere uolo, qui ipsum dentem dolere aiũt, Etenim quum ego aliquando dolerem, diligentem super meipso animaduersionem habui, utpote qui iam audieram de hac dubitatione, percepique manife-

B ste non dolentem modo, sed etiam pulsantem dẽtem, quemadmodum carnosæ partes inflãmatione uexatæ consueuerunt. Quare mirum mihi uidebatur quod & hæc affectio quam phlegmonẽ siue inflammationem appellamus, in dente oriri posset, qui lapideam & duram substãtiam habet. Atqui quum etiam alio tempore dentem dolerem, manifeste sensi non ipsius dentis, sed gingiuarum dolorem eum esse, inflammatis uidelicet ipsis ut etiam citra coartationem dolerent, quin & ob uicinitatem dẽtium natura durorum, aucto dolore ob coartationẽ. Quapropter utriusque doloris sensum expertus, alium quidem in gingiuæ, alium in ipsius dentis substantia esse clare scio, & id asserentibus testimonium præbeo, Quòd ipsi

C aliquando dentes dolent. At uero & nerui, qui ad radicem dentis enatus & substratus est, dolorem aliquando fieri, neruo imaginationẽ confusam et indiscriminatã apud plerosque exhibente, tanquam ipse dens doleat, consentaneum rationi est: nã & huius rei manifestũ periculum in meipso feci, et sane remanet adhuc parua doloris portio, exẽpto dente, in nerui inflammatione, quum dolor nerui leuior tantũ reddatur, ex eo quòd concretio nõ amplius tendat ad ossiculum tensionẽ operante, & quod liber factus respirationẽ quandã habeat, eumque remedia quæ adhibent contingere possint, Neque enim per contactũ, neque per distributionem, possibile fuerit inflãmatũ neruũ curare, utrinque à dentium locellis coarctatum, & ab anteriori parte ab

D ipso dente. Si uero liuidi per omnem suã substãtiã facti appareãt dentes, nihil mirũ est ipsos quid inflammationi simile pati, Cui rei ex eo quis amplius fidem habeat, quòd ex nutrimento ferè per omnem animantis ætatem incrementũ accipiãt. Id quod euidenter sæpenumero apparet in his dẽtibus qui exemptis oppositi sunt, utpote qui semper augescunt, Quantũ uero augescunt, tantũ in ciborum mansu deteruntur. Quum uero impossibile sit incrementum accipere citra nutrimentũ, omnino duabus affectionibus & his contrarijs obnoxij erunt, inopiæ uidelicet & redundantiæ alimenti quod eis suppeditatur. Inopia igitur aridiores & macriores alimentumque non sentientes, & ob id tenuiores eos reddit, Redundantia uero consimilem in eis affectionem excitare potest

test, qualis est circa carnosas partes inflammatio. A
Eius igit̃ curatio fiet iuxta eundẽ scopum quem
habent propositum qui inflammationes curant,
qui sane est ut redundantia euacueẽ, partim discu
tiendo, partim eam repellendo. Cæterum tenuita
tis dentium ob alimenti inopiam remedium nul-
lum est: laxari enim tunc & moueri ipsos necessa-
rium est, compage ipsorum laxiore facta, cum nõ
solum ipsi dentes, sed & locelli eos complecten-
tes sint attenuati. Hæc itaq; affectio senibus acce
dit citius aut serius, uelut etiam magis aut minus.
Quę uerò proportionem ad inflammationem ha
bet, magis iuuenes corripit. Auxiliari tamẽ etiam
senibus oportet, auxilio gingiuis exhibito: ita au-
tem appellantur carnes quæ dentes comprehen-
dunt, ubi primum è locellis emergunt. Ipsas itaq; B
adstringentibus medicamẽtis robustiores, & ma
gis citra dentem adstrictas facere oportet, tanq̃
quæ & ipsæ aliquid ad hoc faciant, ut stabiles &
ægre mobiles sint dentes, quod ipsum aliàs ob
exactam compagis ipsorum conglutinationem
contingit. At uerò foramina dentium ex humo-
rum acrium & erodentium influxu perficiuntur,
uelut ulcera in cute citra externam causam. Ve-
rum in cute id assidue & multis, in ossibus raro
contingit, quanto uidelicet minus quàm cutis no
xæ exposita sunt ob duritiam naturalem. Manife
stum igitur quod erosorum corporum medela e-
rit per resiccationem uitiati influentis humoris,
qui si paucus fuerit, localibus auxilijs ex resiccan
tibus pharmacis contingere medela potest: eo- C
rum uerò materiam paulo pòst dicemus. Si uerò
multus influens humor fuerit, uniuersi capitis ra-
tio ac prouidẽtia habenda est, atq; si ipsum quan-
doq; propter totum corpus affectum sit, etiam re
liqui corporis cura habẽda erit. Porrò erosos den
tes qui id mali præ mollicie perpessi sunt, redde-
re oportet duriores, & affectioni minus obnoxi-
os, atq; id per austera & acerba medicamenta. Cæ
terum liuidos redditos per resiccantia curare o-
portet, ut qui ex humorum uitiatorum influxu id
patiantur. Simili igitur curatione indigent cum
perforatis.

De gingiuarum curatione. Cap. IX

Gingiuis ex inflammatione dolentibus opti-
mum pharmacum est oleum lentiscinum calidita D
te temperatum ore retentum. Sit autem recens,
nam uetustius tanto recentiore peius est, quantò
ætate antecellit. Imponatur autem uasculum in
quo calefit lentiscinum, in aliud maius uas quod
aquam calidam multam complectatur. Maximo
pere itaq; inflammationi gingiuarum hoc condu
cit: nec uerò minus etiam si iuxta aliam quandam
partem, tum pelliculæ linguam ambientis cum
succingentis totum os, aliquis dolor ob inflam-
mationem oriatur; dolorem sedat lentiscinum. re
pellit enim citra molestiam & absque asperitate,
quam pleraq; austerorum habent, discutitq; citra
mordacitatem, cuius rei inflammatis præcipuus
usus existit. Quidam uerò medici communi erro
re inducti inflammata lædunt. Quare ea re semel
perpensa, de cætero uitare oportet. Existimant e-
nim, si adstringentia solum id quod influit repel-
lendo, inflammatis prosunt, atq; aliquãdo etiam
quid ex contento circa inflammatam partem, ad
uenas membrum ipsum nutrientes exprimendo:
Verisimile ob id esse id quod amplius adstringit,
amplius prodesse. Eodem modo etiã id quod ma
gis digerendo discutit, magis auxiliari opinantur
quàm ea quæ moderate idem præstant, non ani-
maduertentes quòd alterutrum ipsorũ intensum
inflãmatis dolorosum existit. A uehementer ad-
stringentibus enim partes simile quiddam contu
sioni perpetiuntur, nimirum cum substantia ipsa-
rum uiolenter condensetur. Ab acribus uerò ero
sioni quid simile cõtingit. Merito igitur modera-
tum in utraque facultate immoderatis præfertur.
Hæc igitur sufficienter mihi præfatus uideor. Cæ
terum de affectionib. circa dolores deinceps nar-
rabo. In dolore dentium citra gingiuarum inflam
mationem, aliquando in ipso proprio dentium,
ueluti dixi, corpore, aliquando uerò in neruo do-
lorem fieri contingit. Vehementissimis igitur o-
pus est medicamẽtis, siue quis repellere, siue dis-
cutere uelit doloris causam, siue humor sit, siue
flatus uẽtosus. Et propterea sane pleraq; ipsorum
ex acerrimo aceto præparantur. Adscribã autem
ex ordine quę aliorũ relatione nobis tradita sunt,
initio ab his quæ Archigenes tradidit sumpto.

Quæ Archigenes ad dentium dolores conscripsit. 2

Dolentes dentes colluãt acri aceto calido cum
galla. Aut halicacabi radice cum aceto & galla.
Aut pinguib. tedis in aceto feruefactis. Aut myr-
ti ramulis cum pice in aceto tepefactis. Aut hyo-
scyami semine & folijs cum aceto. Aut cedria, uel
propoli, uel nardo, uel solano, aut succo eius, uel
cappari, uel alijs, uel myrti ramulis siue in aceto, si
ue uini fece calida feruefactis. Aut polij folijs, uel
ipsa herba, uel agrestis cucumeris radice, uel mar
rubio, singulis cum aceto, pipere, & nitro. Aut ra
dice chamęleonis eodem modo. aut hyssopo uel
staphide siluestri, uel ruta cum uino. Aut pulegio
cum aceto mulso. Aut platani pilulas, uel rosas a-
ridas, in uino albo ad tertias coquito, & uinum in
fictili seruato, eoq; assidue dẽtes colluito. Eodem
modo utere pentaphylli siue quinquefolij, quæ
ab aliquibus eupatorium dicitur, radice cocta ex
uino, aut pulegij large cocti decocto. Aut cornu
cerui in posca coctum colluito. Aut brassicæ cau
liculos tres, & soreos drach. ij. in aceti sextario u-
no ad tertias coquito, & colluito. Egregie uerò fa
cere fertur ranæ in aqua & aceto probe coctæ de
coctum, diutius ore retentum. Mirifice facit dens
caninus ustus & tritus: deinde cum aceto coctus,
& ore retentus. Aut malicorio & galla aceto in-
coctis utitor. aut squilla ex aceto calido. aut squil
læ medullam in minutas partes dissectam, & in
feruens acetũ iniectam, in uase fictili condito, ac
inueterari sinito, uase in asinino stercore ad dies
triginta defosso, & utitor. Aut asinino lacte col-
luito. hoc & eos qui mobiles sunt corroborat. aut
halicacabi corticis, & tedę aceto feruefactæ deco

cto large incocto colluito. Aut cornu cerui in aceto & garo incoctum colluito. Aut idem ex aceto colluito. Aut tithymalli radicem in uino ad dimidias coctam colluito. Aut hyoscyami radicem aceto mulso coctam colluito. Aut tedarum ramenta, malicorium, alumen rotundum, siue scissum, in aceto ad tertias coquito, ac tepidũ colluito. Aut helxines radicem in aceto ad tertias coctã in ore detineto, atq; ubi os saliua refertum fuerit, eo aperto effluere sinito. Aut allium & harundinem Alexandrinã acerrimo aceto feruefacta colluito. Aut hyssopum, aut thymum, aut origanum, per se & simul aceto cocta colluito. Aut pyrethrum cum hyssopo, & colocynthidis medulla, similiter in aceto coquito, liquoreq; ex eis longo temporis spatio in ore contineto. B Aut colocynthidem uino calido macerato, et diutius ore teneto. multam enim pituitã ducit & dolorem leuat. Aut alliorum & erucæ seminis, ac nitri decocto collue. Aut ranunculum in uino coquito & præmundato prius dente colluito. Aut sycamini, hoc est mori arboris lac in uinum infunde, simulq; lanas succidas in ipsum exprime, tepefac, & per lanas sordidas molæ infunde. Extrahit pituitam & dolorem tollit. In his omnibus Archigenes catalogum fecit pharmacorum incidẽdi, discutiendi ac calefaciẽdi ui præditorũ, raro aliquid ex acerbis admiscens, quale est ipsa galla. Porrò cum semel tãtum solanum posuerit, miratus sum cur id admisceri uelit, cum nulla ratione iuuare possit, præterquã ea iuxta quam colica pharmaca prosunt, stupefaciendo uidelicet doloris sensum. Quid igitur amplius parabilium Apollonij relationem faciam, cum parum absit, quin omnia comprehẽderit Archigenes? Quandoquidem uerò Apollonius ipse quibusdam à se traditis testimonium præbet, tanquam eu estigiò sedãtibus dentium dolores, uisum etiam mihi est illa ipsa adscribere secundũ ipsius Apollonij uerba, quæ hoc modo habent.

Apollonij, euestigio dolores dentium sedat. 3

Alliorum nucleos v. thuris masculi obol. tres, myrti ramulos longitudinis duorum palmorum duos: ex his folia decerpta per se terito, similiter & allium & thus, deinde simul omnia in nouam ollam conijcito, & aceti heminam unam superfundito, ac coquito spathula ex teda agitando donec ad dimidias redigatur, atq; ita tepido utitor. Oportet autem liquorem hunc in dolente parte ad multum tempus tenere, donec liquor ipse consumatur. Commodum est & ante hoc balsami succum colluere, aut corticẽ imponere super dolentem dentem. Qui si non adsit, panacis succo contuso, inde defluentem liquorem instillare.

Post prædicta Archigenes remedia perforatorum dentium cum dolore & absq; dolore conscripsit, in hæc uerba. 4

Oblitionibus porrò & epithematis eiusmodi utitor. Sory Aegyptium resina terebinthina exceptum obline, idemq; cauernæ inde. Aut compositionem ex duobus piperis generibus inde, nardino aut rosaceo dissolutam, & maxime amygdali-

A no. Quin & in aurem eiusdem partis instilla. summe facit. Aut sulphur uiuum lycio exceptum in cauernam inde, aut præmundato denti obline. Aut pulegij comam tritam denti indito. Cæterum in maximis dentium doloribus summe facit hoc. Anguis senectã exurito, et cum oleo ad mellis solidi spissitudinem redigito, ac dentem repurgatum ex eo integito, omniaq; circumsita oblinito, itemq; cauernis indito. Aut senectam anguis non ustam dentibus apprimito, & excident. Aut uermes terrenos tostos cauernæ præmundatæ insperge. Aut araneorum oua unguento nardino diluta inde. Aut melanthium torrefactum cum oleo obline, atq; ubi parumper cõcluso ore tenuerit, pituitam collectam reijcere iube. Aut piper uel cãchry, hoc est rosmarini semẽ opio exceptum in cauernã inde. Porrò ubi ueluti inflammatione correpti fuerint, nitrum rubrũ & ossium persicorum nucleum unita resina excipe, & dentem ex eis intege, ac donec deciderint sine, in cauernam uerò piper, spumam nitri, & galbanum cum melle inde. Aut strigmenta cum pipere eodem modo. Aut pyrethrum cum myrrha. Aut succum cyrenaicum & piper æquali põdere cum galbano. Aut melanthium, & allij dimidium eius, ac modicũ salis simul trita obline, & dolorem tollit. Aut blattæ pistrinariæ auulso capite adipem cum rosaceo calefactum & in aurem instilla & in cauernam inde. Aut gallam tritam cum cedria adhibe. Aut in aurem dẽti uicinam oleum C sesaminum in quo uermes terreni cocti sunt, instilla: uerum ipso dolente dente hyoscyamũ conterant. Aut hederæ albæ cacumina quinq; cum rosaceo terito, & in mali punici putamine tepefacta, bis aut ter in die in aurem uicinam instillato. Quin & ipse fructus cum uino tritus, denti illitus iuuat. Cęterum his relatis Archigenes etiã hęc subdit. Summe facit cruẽtatis gingiuis alumen liquidum duplo aloes põdere addito admotum.

Aut alumen scissum & myrtum tenuissime trita affricato. Vbi uerò restrictæ fuerint melle ipsas illinito. Aut nucleorũ ossium siue macherarum persicorum partes duas, myrrhæ partem unam, præmundato denti indito. A dolore asserit. At uerò quassatis & dolentibus dentib. cauterium igni D tum admoueto. Apophlegmatismi pituitam extrahentes. Post prædicta uerò Archigenes ita scripsit. Apophlegmatismi optimi sunt in dentium dolore: Staphis agrestis per se & cum pulegio manducata. Aut quod intra gallam est nigrum dolenti dente conterat, sinatq; pituitam effluere. In oppositam autem aurem duos hederæ corymbos cum rosaceo tritos instilla. Aut myricæ fructus drachmas duas, spumæ nitri drachmam unam, aluminis parum, alliorum nucleos v. myrti folia pauca, cum aceto ad dimidias coque, spathula ex teda agitando, idq; decoctum colluendum ac ore continendum præbeto: deinde hiante ore pituitam effluere permittito, & post hoc rosaceo ore colluto, ptisanam sorbendam exhibeto: si uerò ex colluendo aliqua circa os ulcerata fuerint

fuerint, croco & rosarũ succo inungito. De fomẽtis. Fomẽta ad dentiũ dolorẽ faciũt, forinsecus ex sale torrefacto et milio in sacculos cõiectis, aut per sordidos pãniculos probe calfactos. Quin & epithemata cõducunt citra aquã apparata, uelut sunt quæ ex ordeacea farina fiũt, siue ex semine lini. Ipsius uerò dolẽtis dentis fomentũ hoc modo adhibeaẽ. Origani aridi ramulũ in feruẽs oleũ tinctũ dolẽti dẽti superne affricato. Aut ricini cauliculũ eodẽ modo. Aut staphidẽ agrestẽ stylo cuipiã acuto infixã, eodẽ modo. Aut cera dolẽti dẽti imposita, specilli extremum calidiss. assidue adhibe. Aut opopanacẽ & peucedani succũ unita linteolo illigato, & in feruẽti oleo liquefacito. Cum uerò inceperit feruere pharmacũ, dẽti imponito, & cũ specillo apprimito. utere mane & uesperi. et simul fomentũ forinsecus & intrinsecus uelut dixi, ante cibũ adhibe, similiterq; post cibũ, multo spatio tẽporis interposito utere. Cęterum species fomẽti & hæc est. Dentẽ ualde bene prępurgato, & ægro cõtecto ac hiare iusso, hyoscyami semina suffito. q si ad nullũ prædictorũ malũ ipsum cedat, & dolor uehemẽter perseueret, tenui terebello dentẽ perforato, ac dictis remedijs utitor: hoc eñ modo magis prodesse cõsueuerũt. si uerò neque sic profeceris, & uideaẽ dẽs tollẽdus esse, citra dolorẽ tollere possis ualde cõueniẽti pharmaco hoc: pyrethrũ acerrimo aceto ad dies xl. cõdito, terito et reponito: usu uerò exigẽte reliquis cera obturatis & probe munitis, ipsum dolentẽ præmundatum hoc pharmaco integito, deinde hora interposita digitis extrahito, aut scalpello exigito. Aut sori cũ acerrimo aceto ad multos dies imponito, & excidet. Aut plumbaginem tritam cerato exceptam imponito. Educunt fortiter tithymalli succus & sori cum galbano imposita.

De his quæ Apollonius scripsit in primo parabilium. 5

Primũ quidẽ eorũ caput sunt, collutiões dentiũ doloribus cõferẽtes, quæ nihil amplius habent his quæ Archigenes tradidit. secũdo loco refert quæ ad erosos dolẽtes dẽtes imponanẽ & indanẽ: tertiũ locũ obtinẽt fomẽta & ustiões. quartũ suffitiones ad dentiũ dolores. quinto habenẽ cõmanducatiões & purgatiões. sexto gargarissatiões. septimo postremũ capite ea scripsit quæ in dolore dentiũ aurib. infundunẽ, quorũ nullius mẽtionẽ facere uolui, cũ si quis ea expetat, ex libris illius pẽtere possit, qui nõ adeò difficulter parabilis existit. ego sane his quæ Archigenes ꝓdidit cõtẽtus fui. Cũ uerò Apollonius quę narib. infundũẽ cõsequẽter tradat, uisũ est mihi etiã ea ipsa apponẽda esse.

Quæ in dolore dentium naribus infundantur, ex Apollonio in primo parabilium. 6

Radicis betæ succũ per se in nasum instillato, et solues dentium dolorẽ. Cumini quantũ tribus digitis apprehendi potest, & myrrhæ magnitudinẽ fabæ, & duplum interioris cucumeris terito, & lacte muliebri mixta in collyria redigito, eaq; in utraq; narẽ indito, atq; ita attrahere iubeto, donec quis quinq; stadia percurrere possit, deinde pharmacũ emungat. Idem ad aurium dolorem facit.

A *Ne erosi dentes uacillent, neq; fœtorem faciant.* 7

Veratrum nigrum erui magnitudine melle cocto exceptum cauernis inde.

Ad dentes denigratos. 8

Testam gallainam assatam ac tritam dentibus affricato. Hoc etiã gingiuas corroborat. Aliud, Sal fossile melle subactum in testula torreto, terito ac modica myrrha admixta similiter affricato. Aliud, Pulegij partem unã, salis tantundẽ, melle subacta in eodem donec in carbonem transierint torreto, ac trita dentibus affricato. Aliud. Caricas exurito ac terito, modicaq; nardo ac melle admixto utitor. Hoc & gingiuas cõprimit. Aliud, Polentã acerrimo aceto subactam exurito, ac tritam dẽtibus affricato. Hoc & gingiuas fortificat.
B Aliud, Alabastritæ usti drachm. viij. pumicis usti ʒ.iiij. salis torrefacti ʒ.iij. tritis eodẽ utere modo. Ab horum usu collutione utendũ est, uino odorato in q̃ ad multũ tẽpus iris sicca fuit macerata.

Quæ Asclepiades in primo externorum ad dentes scripsit.

Heraclidæ Tarentini ad motos dentes. 9

Vtendum est spodio cyprio, ut per id gingiuæ cõprimanẽ, itemq; uerbasci radicibus coctis: postea ablutio fiat ex aqua myrti, aut rubi, aut lauri: deinde spodio rursus admoto, quies præcipiatur. Aliud, Veratri nigri manipulum, radicis mandragoræ ʒ.iiij. radicis hyoscyami ʒ.iiij. in uas fictile conijcito, & uini Chij aut Coi quamoptimi heminas tres superinfundito, ac ad prunas luculentas ad dimidias coquito, indeq; liquorẽ excolatũ ore
C retinendum præbeto. Aridũ ad motos dẽtes. Terebinthi fructuum torrefactorum drac. octo, aluminis scissi usti ʒ.viij. balaustij ʒ.ij. gallarũ ʒ.i. croci ʒ.i. myrrhę ʒ.i. tritis utitor. Aliud, Cornu cerui usti ʒ.viij. rhois rubri ʒ.iiij. omphacij dra.ij. balaustij drach.iiij. corticis pinus drac.i. myrrhæ Minnææ drach.i. tritis utere. Collutio ad molarium dolores. Radices smyrnij cum aceto mulso coquito, & excolatũ liquorẽ ore tenendũ exhibeto. Aliud, Rumicis agrestis radicem & platani pillulas ex aceto mulso coquito, atq; ut dictũ est, exhibeto. Commanducationes ad molariũ dolores. Canchryos drach.ij. origani drach.ij. piperis albi drachmam unam, uuæ passæ albæ aut alterius quàm pinguissimæ sextarij dimidium. V-
D uam passam diligenter tundito, reliqua uerò origanum uidelicet & canchry, & piper, probe trita adijcito, misceto, ac instar malagmatis emollito. Vsus uerò tempore nucis ponticæ magnitudinem commanducandam præbeto. Postquam uerò collecta pituita fuerit, ægrum hiare ac proruere oportebit, quo liquor facile profluat. Quo facto, uinum colluere iubeto. Aliud, Vuæ passæ pinguis exacinatæ sextarium dimidium, piperis albi acetabulum, grani cnidij drachmas duas, spicæ nardi drachmas duas, casiæ drachmam unã, pyrethri drach. duas, myrrhæ drach.ij. apparato ac utitor ut dictum est. Ad corrosos dẽtes præseruatiuũ. Per huius usum conseruaui erosos dentes absq; dolore. Zingiber cũ aceto mulso coquito, ac probe terito, indeq; in cauernã indito,

forisq; dentē ex eo integito. Aliud, Hederę lacrymā galbano misceto, aut tithymalli, siue ficus syluestris succo dissoluito, ac utitor ut dictum est. Aliud dolorem tollens ad dolentes & erosos dentes. Conducit itidē tussi. Succi papaueris drac.ij. piperis albi tusi et cribrati drach.i. myrrhę drac.ij. styracis ʒ.ij. galbani ʒ.i. passi quod satis est his excipiendis. cōtundito simul & catapotia formato, dentiq; circūponito, & cauernæ indito. Aliud, Succi hyoscyami drach.ij. myrrhę drachm.ij. opij drach.ij. galbani drach.ij. styracis drach.ij. zingiberis drac.ij. piperis drac.i. succi syriaci tantundē, passi q̃d satis est, præparato ac utitor ut dictū est.

Molare emplastrum bonū, quod in multis miraculo fuit. 10

Lacrymæ oleæ drach. unam, myrrhæ drach.ij. ueratri nigri drach.i. seminis balsami drach.i. styracis drach.i. piperis drach.i. hyoscyami drach.i. succi papaueris drach.i. castorij ob. quatuor, galbani drach.vi. succi cyrenaici drach.i. succi carpasi drach.i. panacis drach.i. sagapeni obo. quatuor, pyrethri ob. quatuor, staphidis syluestris drach.ij. cedriæ quod satis est, q̃ emplastri formā acquirat.

Aliud, Sulphuris uiui drach.iiij. bituminis drach.ij. amurcæ olei drac.iiij. picis liquidę ʒ.viij. cedriæ drach.xij. piperis drach.iiij. opij drach.iiij. staphidis syluestris drachm. unam, ueratri nigri ʒ. unam, grani cnidij drach. unam, opopanacis ʒ.i. picis aridæ lib. unam. Arida aceto excipito, deinde liquida affundito, ac ablatis utitor: ex pharmaco hoc molaris dens est integendus.

Ad tollendos dentes ut citra dolorem excutiantur. 11

Pyrethrum in acetum coniectum ad dies tres, aut quatuor sinito, deinde terito & dolenti denti imponito, uicinis dentibus optime præmunitis, & dolente diligēter præmundato, ita ut per duos aut tres dies dentem ex hoc pharmaco integas: ita enim citra dolorē excutietur. Aliud, Cucumeris syluestris radices eodem modo ut pyrethrū præparato, ac utitor identidē ut dictum est.

De mobilibus dentibus ac prominentibus 12

Relatum à me etiam ante est, quod ob senilem ætatem aliqui dentes resiccati mobiles fiunt, modicum omnino auxilium adstringētibus pharmacis quibus gingiuæ coartantur ferentes, referetur autē & nunc quod aliqui ex plaga mobiles fiunt. Quidam uerò etiam citra plagam, in quibus coniecturam facio, neruum qui ad radices ipsorum adnatus & substratus est, per multam humiditatem rigatū, laxatū esse, & ob hoc resiccantib. medicamentis ad curationem opus esse. Postquā autem motos dentium reliquis prominentiores factos uidebam, & maxime cum ex plaga id essent perpessi, uisum est mihi eos lima atterēdos esse in tantum quantum super reliquos prominēt, ne scilicet oppositos sibi offendant tum in loquendo, tum in manducando, atq; sanè reperi experimentum mihi fauēs ac testimonium præbēs. Ferream itaq; limulam quo celerius opus succederet, feci. Multę enim aggressiones dentē mobilem faciūt, cui quiete et minimo motu opus erat, si saltem stabiliri debeat. Quandoq; igitur eminentiæ inęqua-

A les apparent in dentibus, & iuxta aliquas tantum partes lima opus habent. Aliquādo uerò æquales sunt extremitates, et ęquali similiter lima indigēt. Oportet autem gingiuis linteolum molle usq; ad radices dentium circundare, deinde cum digitis sinistræ manus leniter amplecti, simulq; tutè & citra compressionem, ne concutiatur cui limam adhibemus, atq; ita chirurgiam aggredi. Quòd si dolorem percipiat in admotiōe limulę, & q̃ affecta pars digitis uehemētius contingat, quiescere quidem ab opere statim conuenit. Vbi uerò ex pharmacis quæ post referentur, interea aliquid exhibuerimus, rursus ut dictum est aggredi, iterumq; modice cessare, donec extremitates circa dentes deterantur, atq; id nō prima tantum die bis & ter,
B sed etiam sequenti faciendum est, ac imperādum ægro ut neq; loquatur, neq; durū aliquem cibum accipiat. Vtatur autem alimento succo ptisanę, et sorbitione ex alica, & pane madido, atq; alijs ad hunc modum mollibus. Cæterum materiei sylua quæ motis dentibus commoda est, talis existit.

Ab Archigene scripta quæ mobiles dentes corroborant. 13

Mobiles dentiū stabilire uolens, myrrhę, pompholygis, aluminis scissi, amyli, æquales singulorum partes tritas admoue. aut oliuarum albarum succum & rutam melle mixta affrica, deinde nardum cum alumine liquido obline. Aut alumē rotundum cum duplo sale dentibus adsperge. Aut aluminis scissi & misyos æquales partes cum cedria ad cerati liquidi spissitudinem redactas den-
C tibus obline, & pituitam defluere sine. quo facto, asininum lac colluant calidum, aut acetum, aut uinum in quo malicorium & galla sunt incocta.

Ad debilitatos dentes, tum alios, tum molares. 14

Mel, ceram, æquis portionibus ad solem calida diluito, & picis dimidium admisceto, ac ad emplastri formam deducito, atq; manducanda exhibeto. Quod si aridum sit pharmacum, parum olei addito. Summè facit & mastiche Chia commanducata. Cæterum in dētium stupore portulacam manducent, aut oleum calidum ore contineant.

De dentitione puerorum, ut Archigenes scripsit. 15

Infantibus qui dentiunt, si doluerint, canino lacte gingiuas obline. Aut si leporino cerebello in-
D fantis gingiuas illeueris, cito dentes proueniunt.

Amuleta dolori dentium reluctantia, quibus fidem deberi putant, sunt hæc. 16

Si batrachij siue ranunculi folia ei qui dentem dolet, in eiusdem partis brachium imposueris, dolore quidem liberabitur, brachium autem exulcerabitur, cuius curam prout conuenit facies. Si uerò infans cui dentes prouenire incipiunt, dolores habeat, ueteris cochleæ cornu pelliculæ illigatum pro amuleto appende.

De doloribus gingiuarum. 17

Gingiuis dolentibus collutiones ferè eædē faciunt quæ ad dolores dentiū sunt descriptæ. Magis aūt propriè facit acetum cui hyoscyami radix est incocta. Verum inflammatis gingiuis alumen cum salis quarta parte tritum admoue: post morsum uerò perceptū, uino aut foliorum oleę decocto

cto ipsas colluant. at uerò fluxione laborantibus A gingiuis & corrosis cum tumore & dolore, & per nomen depastis, praeclare conducit fomentum, quod fit per auriscalpiũ cui lana obuoluta est, in feruens oleum tinctum, & gingiuis usq; quo exaequentur admotũ, & donec circumcirca albae reddantur. Ita enim sistitur nome, & ex sana carne id quod corrosum est connutritur: postea uerò affrictionibus utere, & his quae ad dentes sunt descripta: proprie autem conuenit galla tenuissime trita acetabuli mensura, cum myrrha magnitudine fabae, tritis itaq; ac leuigatis utitor. ꝙ si enascens dẽs grauiter reprimit & cõpungit gingiuã, cyperũ cũ butyro et unguento susino iuxta exortũ illinito. Caeterũ in Epulide, hoc est supercrescẽte ex inflãmatione carne, atramentũ sutoriũ cum pari B myrteo, & modico alumine scisso admoueto. Faciunt pleraeq; etiam ex antheris, id est floridis appellatis compositionibus.

Quae dentes praeseruent. 18

Quin & doloris dentium praeseruatiua Archigenes his uerbis tradidit. In dentiũ doloribus prę seruantia à dolore conueniunt eiusmodi. Tithymalli radices in uino ad dimidias coquito, & bis in mense colluito, ac nunquam dolebis. Optime cõseruat citra dolorem, & fortes dentes, si fabam Aegyptiam, reiecto interno amarulento, triueris ac dentibus & gingiuis semel in anno affricueris. Aut alumine scisso cum modica myrrha confricato, & nunquam erodentur: si uerò adstringat hoc nimium, melle utitor. Aut granorũ iuniperi par- C uorum, & cupresi foliorum parem portionẽ, & gallae parum, melle cocto excipito, & in pastillos drachmae põdere reducito, ac utitor unum ex his cõmãducãdo, insuperq; uino odorato colluẽdo. Aut iridis illyricae nucis ponticae magnitudinem mande, similiterq; collue. Aut sali gallã omphacinen in uino odorato coctam misceto & mandito. Optime praeterea tum ad praeseruandos à dolore dentes, tum ad corroborãdos eosdem, ac pariter gingiuas, ampliusq; ad decorẽ faciunt smegmata subscripta. Lanas succidas linteolo illigatas exurito, deinde salis tertia parte addita affricato. Aliud, Aut dasypodis caput ustum tritum. Aliud, Aut salem & mel ad cerati formam terendo redigito, deinde mundo linteolo illigata D exurito, & ammixta iride illyrica modica dentes confricato.

Quae Andromachus scripsit ad omnes dentium dolores. 19

Compositio molaris eadem hora dolorem sedans. Piperis, pyrethri, succi tithymalli, galbani, singulorum drach. i. galbano excepta in cauernam inde. Molaris Antiphanis, etiãsi nõ pręmundaris indito, & dentẽ ex ea integito. Seminis hyoscyami, opij, nitri, myrrhae, pyrethri, piperis, singulorũ drach. i. galbani drach. ij. tritis ex uino utitor. Alia molaris qua utor. Aluminis scissi drach. i. piperis albi drach. ij. opopanacis aut piperis longi ob. iiij. soreos ob. iiij. gũmi aqua macerati drac. ij. cerae duplũ totius põderis omniũ, ceram in aqua calida tritam reliquis misceto, atq; ita utitor.

Alia Chereae. Myrrhae drach. i. ueratri sesquidrac. pyrethri sesquidrach. aluminis scissi ob. iij. aqua terito, & dentem oblinito, ac superne ceram imponito. Alia molaris ex libris Aphrodae. Aluminis scissi drach. iiij. myrrhę ob. iij. piperis grana v. ego ob. tres accipio, & melius facit. Resina excipe, & praemundatae cauernae inde, & splenium illitum superimpone. Alia molaris eiusdem. Etiam non praemundatae cauernae hanc inde, & superne splenium ex pharmaco item impone, & probe faciet. Seminis hyoscyami, succi papaueris, myrrhae, nitri, pyrethri, piperis albi, singulorũ partem unam, galbani partes duas. Cum aceto tritis utitor. Alia ex libris Aphrodae. Succi peucedani drach. i. succi papaueris drachm. i. tithymalli myrsinitae, succi cyrenaici, singulorum drachm. i. galbani drachmã unã & dimidiam. Galbano excipe & in cauernam inde, & ubi praepurgaris dentem in splenium illine, in una hora dolorẽ sedat. Molaris bona. Scissum alumen papaueris succo exceptum indito, & oblinito. Alia ut Aristocrates. Papaueris drachmas duas, sagapeni sesquiobolum, succi cyrenaici tantundem, piperis drachmam unam, sphondylij tantundem, myrrhae tantundem, galbani, pyrethri, croci, singulorum tantundem, mel quo strigmentitiam spissitudinem accipiat.

Ad dolores dentium, gingiuarum, aliaq;, multa Aristocratis grammatici. 20

Mellis lib. i. aceti acris sextarium unum, aluminis scissi sexuncem. alij liquidi trientem habent. Coquito donec nigrescat. Ad dentes motos. Aluminis scissi partem unam, mannae partẽ unã, tritis utere, cõspergendo motum ex eis dentem.

Ad erosionem & dolorem dentium. 21

Quinquefolij radices in uino coctas à coena colluendas praebeto: coquito autem ad tertias. Aliud, Rumicis radices cũ uino aut aceto coquito, & modicũ auripigmenti triti inspergito, ac liquorem ore retinendum exhibeto. Coquatur itidem ad tertias. Ad gingiuas madore laxas. Pyrethri drachmas tres, thymi drach. duas, aluminis scissi ob. tres, iridis illyricae drachmam unam: tritis utere, ac gingiuis impone.

Pythij, ad motos dentes, gingiuas humore grauidas, & subcorruptas. 22

Alumen scissum chartae inuolutũ urit, deinde tritũ rubrica colorat, atq; ita gingiuis admouet, similiterq; subcorruptis inditur.

Dioclis medici ad dentium dolores.

Galbani, opij, piperis, cerę, staphidis siluestris, grani cnidij, sing. 3. i. trita cera excipito et illinito. Aliud cõmodũ ad corrosos dẽtes. Succũ silphij indito, aut ipsam radicẽ. Aut galbanũ cũ pipere. Aut opium cum galbano. Facit & opopanax in cauernas infartus. Ad dentium dolores. Soreos drach. ij. aluminis scissi drach. ij. misyos drac. i. aridis utitor. Smegma quo utor gingiuas cõtrahit. Cornu cerui usti libr. ij. lanae succidae tenerae quadrantem, salis ammoniaci trientẽ, piperis albi sextantẽ, costi unc. i. aluminis scissi sextãtẽ, lẽtisci, &

perdicij

perdicij herbę ustæ cum lanis, aut per se solum, utriusque quartam libræ partem, foliorum malabathri unciam unam, contusis simul utere.

Quæ Crito scripsit ad omnes dentium affectiones, quædam ex eis etiam gingiuis conferunt, & ad fœtorem oris, & nigros in superficie dentes. 23

Ordeū & salem melle ac uino subacta in charta ligato ac urito, & ex leuigatis gingiuas confricato. Aliud, Atramentum sutorium, alumē, putamina mali punici dulcis, æqualibus partibus trita ac leuigata, gingiuis in ieiunio affrica: deinde uino adstringente collue. Aliud ad gingiuas ulceratas. Nitri usti, cyperi usti, utriusque pares partes leuigatas cum melle illine. Aliud ad gingiuas & dentes motos. Iridis trientem, corticis pinus triētem, aluminis scissi unciam unam, aridis utere. Aliud ad motos dentes. Lentiscum, myrtū, gallam, in uino cocta colluenda præbeto. Aliud, Salis partes duas, aluminis scissi usti & acri aceto extincti partem unam, tritis utitor, deinde uino colluito. Ad motos dentes stabiliendos. Atramentum sutorium cum oleo terito, & cum lana dentium radicibus admoueto. Facit & ad erosos dentes cera exceptum & inditum. Item cum myrto pari tritum ac melle exceptum. Aliud, Vlmi corticem in uino coquito, & decoctum ore tenendum exhibeto. Item cerui cornua in uino cocta. Ad corrosos uerò dentes capparis radicem cum acri aceto ad dimidias coquito, ac tepidum colluito. Cortice item eodem utitor modo. Idem ad dolores facit. Fomentum dentium corrosorum & dolentium. Sulphuris uiui partem unam, butyri partem unam, liquefacito, & cum his per auriscalpium foueto. Aliud, Dentes ex sale præfricato, & lixiuiū tepefactum mediocri tempore in ore contineto. Oportebat hic apponere, In gingiuarum dolore hoc conuenire.

Compositio molaris eadem hora siue die dolorem sedans. 24

Piperis, pyrethri, succi tithymalli, galbani, singulorum drachmam unam, terito & galbano excepta in cauernam indito. Alia, Piperis sesquiobolum, grani cnidij tantundem, galbani sesquidrachmam, spumæ nitri obo. duos, croci sesquiobolum, iridis siccę sesquiobolum, rosarum tenerarum drachmæ dimidium, trita melle excipe, & ad emplastri formam redactis molarē dentem intege. Ad corrosos molares. Melanthium torrefacito & ex acri aceto terito, indeque molariū cauernam integito, & non amplius erodetur, sed manebit ut est. Quidam etiam nitri drachma una acri aceto utuntur. Ad idem, Castorij, pyrethri torrefacti, galbani, singulorum æquales partes mixtas indito. Vt molaris citra dolorem tollatur. Farinæ cicerum puræ drachmas duas, succi tithymalli exceptas denti imponito, supraque hederæ folia addito, & ad horā sinito, tollito, & sua sponte in minutas partes frāgetur. Facit idem ad erosos. Verum usus tempore ceram emollitā circumponito. Aliud, ut dens digitis tollatur. Præmundato antea circumcirca dentē, & soreos, gallæ omphacines, staphidis syluestris, aluminis scissi, sulphuris uiui, piperis longi, æquales partes leuigatas cedria excipe & impone, ceraque liquefacta dentem circumline. Eijcit ipsos etiam pyrethrum, & tithymalli myrsinitæ succus cum farina erui ad massæ fermenti modum coactus & impositus. Aut pyrethrum ad dies quadraginta aceto maceratum & denti circumpositum. Aliud ad sauciatos. Castorij, pyrethri, opij, galbani, singulorum æquas portiones mixtas indito.

De dentifriciorum compositione, quibus utor. 25

Quędam ex dentifricijs à me compositis experimento comprobata, & generosa efficacia prædita, digna mihi uisa sunt quæ conscriberentur, et primum sanè ea quæ frigidas dētium affectiones curant, siue ob immoderatam frigidæ aquæ potionem, siue ex fructibus per niuem frigefactis, siue ex quibusdam alijs edulijs, aut potionibus sint productæ. Insuperque si propter frigidum humorem è capite in ipsos defluentem ortum habeant. Dentes igitur ob humorem refrigeratos magnifice iuuat apophlegmatismus. quomodo uerò hūc præparare oporteat, alio capite priuatim conscriptum habes. Eos uerò qui citra humorem frigefacti sunt, per solum medicamentū hoc quod nunc referetur curare decet. Præstat eo etiam post apophlegmatismum uti, ut non solum nociuum euacues humorem, sed etiam generatam ab ipso affectionē persanes. Compositio pharmaci hoc modo habet. Accipito herbas duas, quarum altera sideritis, altera perdicias appellatur, easque domi sensim citra solis admissionem siccato, ut neque humidę amplius, neque siccę adeò extent, & urito in tantum, ut ubi primum contusioni & sectioni aptæ fuerint, ab urendo cesses: uilescit enim & corrumpitur uis earum si diutius urantur. In alia porrò ollula sal fossilis uratur cum alumine scisso, Attico melle subactus. Deinde hæc alijs permixta tundantur, & per angustissimum excreta cribrū, rursus in mortario terantur. Melius enim erit pharmacum, quanto diligentius fuerit leuigatum. Vtendum autem eo est solum ad dentes confricandos, citra gingiuarum circumsitarū contactum, nisi humore fuerint prægnantes. Cum enim resiccādi uim habeat pharmacum, aptum quidem est gingiuis humentibus, inimicum uerò siccis: attamen ipsas dentium radices post gingiuas sitas, eo confricare oportet itidem ut ipsos dentes. Cæterum eorum quæ in compositionem miscentur, eiusmodi ponderum proportio esse debet. Herbarum quidem post ustionē drachmas sedecim. Salis uerò cum alumine usti drachmas undecim. Ante uerò ustionem utriusque herbæ par pondus misceatur. Sal autem quadruplici aluminis pondere ammisceatur. Aliarum autem rerum nihil uratur, sed arida inijciantur iuxta subscriptam apponderationem. Comæ origani drachmas ij. piperis drachmas nouem, in alio exemplari drac. duas. pyrethri drachmas duas, costi drachm. tres, seminis apij drachmas tres, iridis illyricæ drach. quinque, mentæ siccæ drachm. duas, cornu cerui

aut

aut capræ usti drach.ij. seseleos, hyssopi, utriusque drach.ij. Si odoratum esse uelis, cassiæ aut amomi drach.ij. ammisceto. Si uero in regis usum præparaueris, cinamomi drac.i. addito. A

Ad mobiles dentes aliud, quo utor, 26

Seminis callitrichi libram unam, aluminis scissi & rotundi utriusq; quadrantem, spicæ nardi sextantem, malabathri foliorum unc.i. piperis albi unc.i. pyrethri drac.v. cotundito & cribrato simul omnia, ac gingiuis usq; ad radices dentiũ admoueto. Timocratis dentifriciũ. Ad gingiuas madore laxatas, putrescentesq; ac cruẽtatas, mobiles molares, cõcussos dentes, ozænas, putrefactiões, parulidas, & omnia oris uitia, ac dentium dolores. Accipito herbę perdiciadis modium italicum, alij minam habent, salis albi tenuis sextariũ unũ, mellis hexagiũ. Contundito ut massa friabilior reddatur, qua in ollam nouam coniecta, ollam luto figulino obturato: operculum aũt adaptetur circa medium perforatum, quo per ipsum foramen rudicula immissa pharmacum super prunas positum agitetur, donec neq; fumosum quippiam neq; uaporosum efferatur. Deinde ab igne tollito & refrigerato. Et sumito ex hoc toto, drac. xiiij. piperis albi drachmas quinque. piperis nigri drach. vi. pyrethri drach.vi. aluminis scissi usti & uino austero extincti drachmas ij. pumicis, myrrhæ, hyssopi, seminis apij, pulegij, singulorum sextantem, mentæ, iridis illyricæ, utriusq; drachmas iij. Hæc omnia in sole præsiccata tundito & cribrato, ac reliquis ex olla leuigatis, ammisceto. Aliud. Perdicij recentis drachmas x. mellis drachmas iiij. aluminis scissi drach. iiij. iridis illyricæ drac.iiij. piperis albi drachmas viij. nigri drach. iij. pumicis drach. ij. myrrhæ drach.iij. pyrethri drach. ij. mentæ siccæ drach. iij. hyssopi drach.ij. pulegij drac.ij. seminis apij drachmas ij. herbæ sideritidis drac.iij. salis fossilis drachmas xiiij. Perdiciũ & sideritidem ac mel & salem mixta urito: alumen uero per se ustum uino extinguito, deinde simul omnibus contusis utitor. Aliud. Salis assati cum melle & perdicio drachmas xiiij. aluminis scissi, assati, & uino austero extincti, iridis illyricæ, utriusque drachmas quatuor. helxines, myrrhæ, mentæ siccæ, singulorum drac. iij. pulegij sicci, pumicis, pyrethri, hyssopi, seminis apij, singulorum drach.ij. folij malabathri drac.ij. piperis albi drac.v. nigri drach.vi. Tusis & cribratis utitor. Aliud. Salis tosti cum melle & perdicio drach.xiiij. pulegij drac.ij. aluminis scissi usti & uino austero extincti drach. iiij. iridis illyricæ drach.iiij. piperis albi drach.v. nigri drach.vi. pumicis drac.ij. myrrhæ drach.iij. mentæ drach. iij. pyrethri drach.ij. hyssopi drach. ij. seminis apij drachmas ij. Sal lotus, melle probe subigitur, tritusq; in ollam nouam mittitur. Deinde etiam perdiciũ inditur, sale undiq; conspersum: quo facto, operculum ollę imponitur, ipsaq; luto oblita in clibanum datur, indita torrentur, & exempta simul cum alijs teruntur. Oportet enim ualde leuigata in usum adsumere. Smegma dentiũm quo albi & odorati redduntur, & ab erosione adseruantur. Nitri B C D

unciam unam, testæ sepiæ unciam unam, myrrhæ unc.i. tritis utitor. Dentifricium optimũ. Aluminis scissi sexuncem, mastiches unc.i. comæ rosarum quadrantem, iridis trientẽ, tritis utere, indeq; aquam tepidam colluendam præbe.

Dentifricium Damocrati inscriptum. 27

Libellus paruus extat Pythici appellatus, quem Damocrates Pythicum inscripsit, ab eo qui ipsi pharmacorum ori destinatorũ compositiones tradidit appellatione ducta, in quo sane libello iuxta finem etiam hæc conscripta reperiuntur.

Si dentifricijs uoles uti bonis,
Quæ candidos custodiant, immobiles
Dentesq; reddant, oris & graueolentiam,
Laxasq; gingiuas sedent, & comprimant.
Album hoc parabis optimum sic pharmacum.
Cerui cape cornu sic quater usti quàm optime,
Quartam libræ partem, salis solam libram.

In alio exemplari sic reperi.

Cerui cape cornu sic quater usti quàm optime,
Libram mediam rursus salis uncias duas,
Ammoniaci sicci nec amari hinc amplius,
Alicæq;, mastiches chiæ, solam libram.
Costi quadrantem, aut paululum quid amplius,
Albiq; iunci tantum, & albi mox piperis
Vnam unciam, malabathri at uncias duas.
Contusa, cribrata omnia hæc mortario
Vtenda præbebis modo quem dixero.
Quòd si uelis parare quandò ad phlegmonas,
Et utile gingiuis cruentis, saucijs,
Carnemq; callosam simul promentibus,
Aluminis coniungito his scissi libram.

Aliud Damocratis dentifricium.

Verùm magis parabile hoc fortasse erit,
Et promptius factu, minus nec commodum,
Admixta & hoc quadam simul dulcedine.
Multum Sideritin uiridem capito herbulam,
Magnam in nouã quam tu patinam mox inditã,
Miscebis ordeo recenti sed modico.
Sic ordeo ut posito sequatur fasciculus
Herbæ, sal hinc, herba atq; iterum, mox ordeum.
Fiantq; tam diu uicissim hæc omnia
Donec patinæ omnem expleris amplitudinem,
Vt mox supernum rursus herba habeat locum.
Furnoq; mox calente, uel clibano indita:
Torrenda per noctem sines, uel sic potius
Vrenda, quo teri queant ita promptius,
Criboq; mox sed arctiore hinc excuti.
Odoris addes gratia his, parum tamen,
Albi piperis thurisq; mox item modicum,
Hinc iunci odori plus, cyperiq; optimæ.
At omnibus mixtis probe & iam sepositis
Plus mastiches aridæ chiæ coniunxeris,
Dabis sed hinc in uesperam uolentibus,
Maneq; rursus maxime puris uiris.
Sed colluant à pharmaco mox Bromium
Lymphis sociatum, & maxime hoc in uesperam,
Sed mane acetum mulsum aquosum præstiterit,
Oris leuandis turpibus fœtoribus.

28 Aliud Aurelij. Alumen in testa ærea aut figulina urito, ac uino austero extinguito, eiusq;

dodrantem accipito, & maſtiches ſexuncem, thuris unc. i. folij malabathri drachmas quatuor. cyperi drac. iiij. miſceto ac utitor. Aliud quo utor.

Cornu cerui uſti drach. ij. marmoris unc. i. origani drach. quatuor. utitor.

Compoſitio pharmaci dentes præſeruantis. 29

Tragorigani drach. ij. hyſſopi drach. iiij. herbæ perdicij ſeu perdiciadis, melle & ſale tenui ſubactæ, & in olla exuſtæ, donec in prunas redigatur,

A quadrantem. piperis drach. iiij. tundito & cribrato, & poſt uſum reponito. Neq; dolebunt dentes neq; findentur, neq; parulides producentur, neq; gingiuę ſuperflua carne redundabunt, neq; fluxione infeſtabuntur. Habebis autem os odorum, & ſplendidos dentes. Quidam ſalſamēta in olla exuſta ad pharmacum addunt, aut etiam cybium. Si quis enim eorum cinere per ſe utatur, dentis dolorem non percipiet.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI VI

Cap. I. De affectiōibus in ore, & de pharmacis ad eas cōmodis. 2. De ſtomatico medicamento ex nucibus. 3. De mediorum pharmacorū cōpoſitione. 4. De pharmaco ex malis punicis, & malis, alijsq; ſtomaticis. uide ſect. 9. 5. Pharmacū ex muſto, & parabilia diuerſa. uide ſect. 10. 6. Titulus ſiue promiſsio ſequentium ſtomaticorum. 7. 8. Pharmacum ex moris, primum ſecundum Heram, deinde Andromachū. 9. Stomaticum ex malis punicis, Andromachi: uide ſect. 4. & 11. 10. Andromachi ſtomaticum ex muſto. uide ſect. 5. & 12. 11. Critonis ſtomaticum ex malis punicis. uide ſect. 9. 12. Eiuſdem ſtomaticum ex muſto. uide ſect. 10 13. Stomatica citra ſuccos compoſita ex aceto & gallis. 14. Stomaticum ex beſaſa, id eſt ſemine rutæ ſylueſtris ſecundum Andromachum: deq; hirundinibus, & alijs ſimplicibus unde conſtituitur. 15. De eodem ſecundum Heram. 16. Aliud ex hirundinibus abſque beſaſa. 17. Aliud ex hirundinibus ſecundum Hippocratem. 18. Titulus & promiſsio ſequentium oris illitionum. 19. Andromachi, ad columellam laxatam. 20. Eiuſdem, ad omnia uitia oris. 21. Aſclepiadis illitiōes ſtomaticæ. 22. Illitiones oris aptæ eis qui medicamentarias illitiones ægre admittūt. B II. De cruſtis in ore. 2. Crito ad cruſtas. 3. Archigenes. 4. Muſa ad anginam & cruſtas. 5. Heraclides ad cruſtas in ore. III. Ad columellam ſiue gurgulionē. 2. Archigenes ad gurguliones inflammatos. 3. Apollonius. 4. Heras. 5. Heraclides Tarentinus. 6. Aſclepiades. 7. Crito. 8. Soranus. IIII. De pharmacis ad aphthas, id eſt ulcera oris. 2. Andromachus ad aphthas. 3. Crito. 4. Aſclepiades. 5. Apollonius. 6. Archigenes.

CLAVDII GALENI DE COMPOSITIONE
PHARMACORVM SECVNDVM LOCOS, LIBER VI.

De affectionibus in ore, & de pharmacis ad eas commodis. Cap. I

VERVS profecto ſermo eſt, quem pleriq; artifices in ore habent. Quod non idem ſit, neq; ſimile, à uiua uoce diſcere, & ex libro legere. At uero induſtrij & natura prudentes homines, non uulgarem ſæpe utilitatem conſequuntur, ſi in libros incidant non obſcure conſcriptos. Itaq; quum ſciam non paruam utilitatem ex hac tractatione, primum quidem amicis ac ſodalibus acceſſuram eſſe, qui uidelicet etiam per opera cognouerunt quantā uim habeat rationalis Methodus ad medicamentorum copiam parandam: deinde uero etiam alijs qui optimarū rerum ſtudio ſe fatigare non ceſſant, rem gratam facere uolens, ad huius operis explicationē progreſſus ſum, non feſtinabundo, & compendiario docendi modo in hoc inſtituto, ſed prolixo & longiore, quali etiam in ſermonibus, quos frequenter citra ſcriptum ad amicos habeo, uti ſoleo. Præſtat rationalis auxiliorum inuentio experimentatrici: quemadmodum etiam ante iam mihi in ſermone de ſauciatis neruis dictum eſt, in cognitione uniuerſali facultatis pharmacorum, quorum uſus circa ſingulas affectiones contingit. In pharmacis itaque ori deſtinatis; ob id ſtomaticis appellatis; uelut eſt quod

C ex moris conſtat omnibus notum, primus medendi ſcopus eſt communis omnium partium inflammatarum, deinde conſequenter alter ſcopus priuatim ex ea quæ curatur. Quæ igitur ſit affectio inflammatorum prius noſſe oportet, ſi ex ipſa indicationem quādam auxiliorum accipere uelimus. Prædidicimus autem & prius demonſtratum habemus, Inflammationes ex calidi ſanguinis influxu fieri. Didicimus etiam quod hunc ipſum influxum in principio quidem reprimere ac repellere oporteat, præterquam ſi ad partem aliquam principalem recurſurus ſit, atq; aliud quoddā grauius malum effecturus. Verum nunc adeò nihil opus D habemus eiuſmodi determinationibus, ſed uelut memores adhuc ſimus quomodo totum corpus præparare, ad curationem affectuum circa quancunque partem conſiſtentium oporteat, ad inſtitutum progrediar. Etenim uenæ ſectione utimur, & purgatione, & clyſteribus, & inedia, ubi totum corpus apparuerit aut multitudine humorum refertum, aut eorundem malicia uitiatū. Si uero neutrum horum adſit, ſtatim ad curationem per localia remedia peruenimus. Quomodo igitur inueniri ipſa oporteat eum qui oris inflammationes rite curare uelit, præſens ſermo ſtatim te docebit. Quomodo uero inuentis conuenienter uti oporteat ſodalibus in memoriam reuocabo, qui ſæpe uiderunt me pharmacis eorum medicorum qui me in conſilium aduocarunt, curantem eas affectiones,

qua-

quarum gratia uocatus fui. Impossibile enim est pharmaco rite uti eum qui uim ipsius non noscit, iuxta cuius efficaciã auxiliatur. Eodem igitur modo in inflammationibus in ore consistentibus, cõmunis scopus omnium ipsarum si assumpserit ex natura particulæ indicationem, reperiet primum quidem genus pharmacorum quibus uti conueniet. Deinde consequenter etiam particulares in ipsis differentias siquidem præcognouerit simplicium pharmacorũ facultatem, uelut iam sæpe est demonstratum. Genus igitur repellentium pharmacorum in principio inflammationum, in refrigerantiũ materia situm est. Hæc autem ipsa quum duplicia existant ut didicimus, Quæcunq; astringendi natura prædita sunt, efficaciorem uim habent ad influxum citius repellendum. Inest autem ipsis statim etiam uis cogendi & densandi superficiem corporis, cui adhibentur. Communis igitur scopus hic est prohibendi incipientes inflammationes, ab ipsius affectionis indicatione inuentus. Alter uero à particulæ quæ curatur natura ipsi accedit: quum sciamus rariorem esse ac molliorem superficiem tunicæ oris, nõ paulò quàm est cutis, quæ totum corpus ambit. Inest autẽ & aliud quiddam particulis oris, atq; id duplex, quod nõ adest ipsi cuti. Insuauitatem enim medicamẽtorum quæ adhibentur sentiunt, & duos meatus subiacentes habent, per quos in uentrem & pulmonem defluere quippiam ex stomaticis pharmacis potest: quale est quod per atramentum sutorium constat. Et sanè medicus neq; imprudens, neq; inexpertus facultatis pharmacorum, ubi hoc miscuerit pharmaco ori destinato, multo quidem fortius ipsum reddet, uerum uehementer lædens, si quidem ad gulam, aut asperæ arteriæ extremum quid præterlabatur, atq; hæc quidem ut statim occurrentia, per ipsa uero & uentrem, & asperam arteriam, & pulmonem. Adest autem pharmaco ipsi circa gustum insuauitas, quæ tũ usus tempore molesta est, tum per totam perseuerat diem, adeò ut etiam in cibis accipiendis iniucunda sit. Huiusmodi itaq; fortibus & quæ uenenosam habent facultatem nõ conuenit uti, ad affectionum oris curationem, nisi magna necessitas urgeat. Neq; uero de inflammationibus solum hunc sermonem intelligere oportet, quum neq; ex harum indicatione ipsum inuenerimus, sed cõmunem esse de omnibus oris affectionibus intelligendum est, ut qui indicationem ex ipsa particulæ natura habet. His igitur consideratis ab eo qui pharmacum ex succo mororum composuit primum quidem ipsum cum melle coxit, quo repositum in promptu haberet per totum annum, non illo tempore solum, quo expresso fructu, succo uti licet. Melior enim solus est incipientibus inflammationibus, ideoq; me sæpe ipso in huiusmodi inflammationibus uti uidistis. Durabilior autem est priuatim cum melle apparatus. Appellaui autem durabiliorem, non solum quod cito corrumpitur citra cocturam cum melle repositus, ita ut sequenti anni tempore eo uti non possimus: sed etiam propterea quod utilior est, ad sequentia inflammationis tempora, usque ad perfectam curationem. Quemadmodum enim in principio commoda sunt pharmaca id quod influit repellentia: Sic post principium usq; ad finem, pharmaco opus est ex utrisq; mixto, repellente uidelicet & discutiente facultate prædito: ac primo quidem tempore adstringens præcellere oportet, ad finem uero discutiens, interposito uero tempore æquales utrorumq; partes esse conuenit. Quando uero uelut induratum quiddam de inflammatione relinquitur, penitus non conuenit adstringens ad discussorium ammiscere, nisi prius totum corpus sit euacuatũ. Atqui neq; in principio bonum est discussorium adstringẽti ammiscere. Cæterum qui pharmacum ex succo mororum cõposuit, parum ex croco & myrrha ei commiscuisse uidetur, quod communem habeant facultatem concoctoriam inflammationum: priuatim uero crocus quidem adstringat, myrrha autem calfaciat, intantum ut sufficiẽter discutiat. Penetrat enim magis in altum corporum myrrha quàm crocus, utpote substantiam tenuium partium habens, atq; ex hoc duplicem utilitatem exhibet, simul introducens quidem secum uires ammixtorum, & persanans usq; in altum inflammata. Et tamen adiuuant se mutuo crocus & myrrha in penetrãdo in profundum, crocus quidem uelut impellens myrrham: myrrha uero uelut dux præcedens peditem sequentem crocum, si ita dicere liceat, deducẽs. Quemadmodum ẽm crocus ob adstringendi uim, minus habet substantiam tenuium partium quàm myrrha: Sic myrrha substantia tenuiorum partium prædita, citius quidem uim suam in altum transmittit: citius autem etiam ad cutem recurrit, simul secum efferens ea quæ in profundo sunt attenuata. Hanc igitur recursus eius uelocitatem impediunt adstringentiũ mixturę: non ẽm hoc solus facit crocus. Est itaq; in pharmaco stomatico ex moris appellato, tum mororum succus, qui non modicã habet adstringentem qualitatem & facultatem, tum alia quædam etiam ammiscẽtur ubi quis forte pharmacum reddere uelit. Hæc igitur adstringentia deducuntur quidem per myrrham, quæ uicissim ab illis compellitur, atq; ita se mutuo adiuuant, quo uis ipsorũ amplius progrediatur. Vidistis autem sæpe me ad pharmacum ex moris in principio quidem Rhois succum, aut uuæ acerbæ succum, quem priuatim omphacium appellant, ammiscere. Si uero hęc nõ adsint, florem rosarum, aut ipsas rosas siccas, balaustium, cytinos, & malicorium aridum, & gallam omphacitin appellatã. Amplius autem & pini corticem, itemq; thuris, & tum hypocysthidis, tum lentisci sucum, & ut compendio dicam, omnia adstringentia, præterea ea quæ corrumpẽtem habent facultatem, quam uenenosam uocãt, & lethalium species quædam existit. Didicistis enim quod non omne lethale statim etiam est uenenosum. Quemadmodum autem in principio inflammationis harum rerum mixtura fortius efficit medicamentũ stomaticum: Sic quum restiterit quod influit nullo eiusmodi opus habet solo. Sufficit enim

nim tunc id pharmacum quod crocũ & myrrham A
assumpsit ad inflammationem concoquendam.
Nam ubi iam fuerit concocta, addimus etiam ali-
quid ex discussorijs, uelut sæpe uidistis me inijce-
re spumam nitri, & aliquando ipsum nitrũ, quod
tenuium partium existit, & iam ab omnibus Bere
nicium appellatur. Vltra hoc etiam sulphur uiuũ
uocatum, aliquando etiam sapam, origano quan-
doq; incocto, interdũ etiam hyssopo, aut alio quo
piam simili, pulegio uidelicet, thymbra, thymo, ca
lamintha hortẽsi ac agresti. Hoc igitur modo quis
recte utetur pharmaco ex moris, si iuxta indicatio
num uniuersalium quantitatem ipsius usum per-
mutet. Quousq; enim quicquã influxerit, idipsum
repellere conuenit. Vbi uero restiterit, concocto-
ria afferre, & deinde consequenter discussoria. Ma B
nifestum enim quod per huius methodi usum, ne-
mo qui simpliciũ pharmacorũ facultatem nouit,
unquam auxiliorũ inopia laborabit, siue per mon
tes uenetur, siue quid operetur in agro, siue in pe-
regrinatione quandoq; præparatis careat medica
mentis, uelut Erasistratus scripsit, qui seipsum cu-
rauit ad rubi succum progressus, quum in illo loco
Andronius pastillus præsens non esset. Quum eñ
sciret pastillum Androniũ in adstringendo curan
di dominium habere, materiam adstringentẽ per-
quisiuit. Non uelut Serapion & Menodotus aiũt,
empirica transitione ad simile usus. Iuxta hanc eñ
uobis demonstraui plurimã dissimilitudinem suc
ci rubi ad pastillum Andronium esse, paucissimã
uero similitudinem iuxta unum solum, uim uideli C
cet adstringendi. Verum qui generalem faculta-
tem quam uniuersalem uocant, nouit: in quacũq;
materia eam repererit, confidenter ea utetur. Hu-
iusmodi autem materierũ ingens est aceruus, qui-
bus omnibus uti licet, ita ut solum fugiamus quæ
uim quandam iniucũdam aut uenenosam habẽt.
Sic igitur etiam ego pharmacum ex succo nucum
uiridium præparaui, nullo doctore usus, neq; ali-
quod præscriptum sequutus. Cuius uim expertus
sum multum aliorum stomaticorum facultatẽ ex-
cedentem, alia autem dico, id quod ex moris con-
stat, & id quod ex succo rubi mororum præpara-
tur. Ita enim rubi fructũ appellant, & tertiũ quod
ex musto, & quartũ quod ex punicorum succo, &
quintum id quod per adstringentia mala compo- D
nitur, ex quorum numero optima sunt cydonia &
struthia appellata, & post hæc ad præsentem u-
sum quæ Cestiana à Romanis appellantur. Cæte-
rum composita ex multis talibus sunt, quæ ex fru-
ctibus præparantur.

De stomatico medicamento ex nucibus. 2

Ego autem quando primum ex Alexandria in
patriam redij, agrum pertransiui & inueni quen-
dam hortulanum ab uua & tonsillis ac glandibus
ferè suffocatum: utebatur autem collutione aquæ
mulsæ in rosis in ipsa incoctis. Quum igitur uidis-
sem fructũ nucũ in uigore esse, iussi detractum ab
eis externum corticem, quo etiam tinctores uide-
ram utentes, statim in mortario contundi, & suc-
cum eius per linteum excolari nondũ sciens quo-
modo iuxta crassitiem aut tenuitatẽ haberet: quũ
uero reperissem aquosum & cõpage tenuem, gar-
garissare eum iussi ipsum hortulanum. Postquã ue
ro ualde tenuis apparebat, precoxi: & mel cõmen
surate, uelut in eo quod ex moris fit fieri sciebam,
ammiscui: atq; ubi iam ad compagem mellis reda-
ctum esset, hortulano utẽdum reliqui. Porrò quũ
uiderem celerrimam utilitatem ipsi inde oboriri,
præstabile ratus sum in multis experiri, atq; ex hoc
sufficiente experimento accepto de facultate eius
pharmaci, semper ipso utor, uelut nostis. Meritò
itaq; mirandũ nullũ ex prioribus medicis aliquid
de hoc pharmaco mente concepisse, ut tum para-
bili, tum generoso hoc succo uterentur, maxime
quum uiderint quomodo etiam manus infician-
tur eorum qui uirides nuces decorticant. Ex his e-
nim apparet qualis sit earum succus, & quod ægre
elui possit ipsarum adstringendi uis, adeo ut neq;
per fortissima extersoria elui queat. Amplius au-
tem adhuc miratus sum de medicis quod non co-
gitauerint fortem esse ipsarum uim, quũ etiam tin
ctores uideant eiusmodi nucum corticibus uti. Ni
si enim in profundum manuum descenderet, & ni
si per omnem substantiã lanarum penetraret, non
certe ægre eluibilis esset. Quum uero descẽdat, in-
dicat plane substãtiam succi tenuium partium es-
se, rationi autem consentaneũ est adstringẽdi uim
maxime proficere, ubi in eiusmodi substantia con
tineatur. Etenim quæ ex adstringentibus crassas par
tes habent, per adstrictionem cogunt & conden-
sant superficiem corporum quibus adhibentur, &
à progressu in altum ipsorum corporum sese im-
pediunt. Quibus enim etiam aliàs ob substantiæ
crassitudinẽ impossibile erat progredi in altum,
his sanè amplius impossibile fuerit densato corpo
re iuuare id quod totum est inflammatum. Opti-
mum itaq; esse nucum succum persuasus, ut quie-
tiam coctum cum melle gustarim nihil insuaue ha
bentem, eum in quatuor partes diuido, & ad pri-
mam statim aliquid ex adstringentibus inijcio,
ad secundam ex croco & myrrha, ad tertiam sul-
phuris quiddam ac nitri addo: quartã uero solam
sinceram seruo, pueris utilem futuram ob dulco-
rem. Imò etiam uiris ob delicias mente fractis, &
mulierculis. Ego quidem igitur à ratiõe inductus
inueni, quemadmodum neruorum sauciatorũ cu
rationem, ita etiam hoc pharmacum quod omni-
bus præstat. Est equidẽ id quod ex rubi moris con
stat, fortius eo quod ex moris fit, quemadmodum
hoc eo quod ex musto paratur. Omnibus autem
his præstat id quod ex nucum succo inuenimus,
in principijs quidem inflammationũ cum his quæ
fortiter adstringunt cõfectum: in uigore uero cro
co & myrrha additis, quanquam etiam solum ali-
quando moderatas inflammationes sanare queat.
quando uero humorem qui inflammationem pro
duxit impactum digerere ac discutere oportet,
cum acrium mixtura commodum existit. Verum
dixerit fortassis quispiam mihi ex medicis paupe-
rioribus, se amplecti quidem ipsum medicamen-
tum, si unam pyxidem expleri iubeam hoc phar-

maco

maco semel præparato, Me autem præcipere, aut statim à principio quatuor facere compositiones, aut unam ex melle & succo compositam reponere, atque usu expetente ei ammiscere, usquequo quidem influxerit quippiam inflammatis, ea quæ uehementer adstringūt, postquam autem quieuerit fluxus, concoquentia: ubi uero euacuationem postulauerint ea quæ influxerunt, discutiētia: operosum autem hoc esse & difficile his qui domi nō habent supellectilem omnium simplicium pharmacorum. Imò neque ad peregrinationes me commodam cōfectionē exponere, in quibus impossibile sit quatuor uniuscuiusque medicamēti differentias circūferre: Ob id igitur excogitata sunt tū mihi tùm alijs etiam prioribus medicis, pharmaca medias facultates habētia, & ad peregrinationes idonea futura, & pauperculis medicis utilia. Quæ uero hæc ipsa sint, paulo pòst referam. Nunc autem pauperum medicorum sermoni respondere uolo. Quemadmodum enim ipsi exilem apparatum laudant, sic oportet etiam diuitibus permittere, ut confectiones pharmacorum pro opulentiæ suæ dignitate comparent. Satis enim scio etiam ipse, non solū multos pauperes esse medicos, sed & qui ab ipsis curantur. quibus satis est ubi ægrotēt, alicam cum aqua mulsa accipere, & mundum panem habere, aut aliquā farinam utilem ad cataplasma. Verum eum qui curandi tractationem scribit, omnis materiæ meminisse operæpretium est, quo tum diuitibus copia sit ipsis artificiose utendi, tum pauperibus electio sit illarum tantum, quibus unusquisque pro oportunitate abundet.

De mediorum pharmacorum compositione. 3

Dicamus igitur iam aliquid de cōpositione mediorum pharmacorum, initio ab eo quod ex moris constat sumpto. Commune est autem omnibus medijs, ut congruens modus mellis ad succum ipsum decernatur. Inuenitur autem hic modus per experientiam. Vbi enim succum ipsum cum melle miscueris ac gustaueris, si quidē apparuerit moderate habere, rursus similiter ea miscebis. Si uero deficere quid uidebitur, addes. Velut exempli gratia, In mororum succo si quinta pars mellis addatur, medium fuerit temperamētum, ut hoc modo coctum pharmacū plurimis ualde placeat, & hāc mixturam pauci reprehendant, alij quidem uelut dulciorem, alij uero ut austeriorem. Quemadmodum enim aliqui aquam mulsam dilutiorem, aliqui dulciorem libētius bibunt, Sic etiam his pharmacis utrique delectātur iuxta propriam naturam. Quando igitur aliquis pharmacum sibi præparari postularit, semper utique uidistis me ei qui dulcioribus delectatur, plus mellis inijcere, qui uero contrarijs, minus. In pharmacis igitur quæ deglutiuntur maxime coniectare oportet naturam eorum qui ipsa sument. Quod enim cum molestia aut iniucunde acceptum est, stomachum subuertit. In pharmacis autem stomaticis eiusmodi sinceritatem aliquando contemnere licet. Medium itaque temperamentum, uelut dixi, succi ad mel, quintuplum habeat multitudine succum. Audito autem me diligenter animaduertens quibus utor uerbis in symmetria seu cōmensuratiōe medicamentorū quæ inuicem miscentur. Iam etenim præcepi quintuplum esse debere multitudine ipsum succum ad mel, quod nihil differt ab eo si dicam mole quintuplum esse ipsum oportere. Vtrouis enim modo dicatur, mensurare oportet pharmaca permiscenda. At uero si pondere iubeam quintuplum esse hoc pharmacū, per lancem utique facere oporteat symmetriam grauitatis ipsorum. Cæterum ad permixtionem succi ad mel, non est necessarium heminæ aut cyathi meminisse, sed sufficit dicere, quintuplū esse oportere succū, mellis respectu. Si uero quid aliud his ammiscēdum sit ex dictis paulo antè, necessarium est dicere, quota quantitatis mole ipsis existentibus, quantum addendum sit illorū in lance appensorum. Velut in ipso adeo pharmaco ex moris, in Heræ Cappadocis medicamentario libro, Mellis conijcitur libra una, succi autem mororum lib. vi. ammiscet autem ipsis croci drac. i. myrrhæ duplum, par etiā croci pondus conijcit ex succo uuæ acerbæ qui omphacium appellatur, atque eius dimidium ex alumine scisso. Mihi uero placet quintuplum succum ad mel conijcere: par autem pondus croci & myrrhæ, utriusque drach. unam & dimidiam ita ut ex utrisque tres drachmæ conflentur. Quod si quis omphacium addat, & uini austeri item heminam unam, uelut Heræ uidetur, rectè sanè drach. i. omphacij addet. Si uero citra uinum præparetur, multo plus de ipso conijcere conuenit, si quidem medium temperamento pharmacū efficere uelis unciam i. si uero austerius, ut in principijs conueniat, nihil peccaris si omnino duas aut tres ammiscueris. Quod si nō sit omphacium, pro ipso rhois succum inijce: & si uolueris par pondus utriusque indere, neque sic quicquam deliqueris. Heras tamē in symmetria huius pharmaci etiam hoc adscripsit hoc modo. Quidam autem & heminam unam dulcis uini, mustum eum uelle indicare palàm est: prædixit enim uini austeri maris expertis heminā unā. Mihi uero nō placet, sufficiente melle iam coniecto, unà cum hoc quòd & heminā austeri uini addidit, rursus aliam misceri uini heminam. Reddetur enim ualde uinosum medicamentum. Coquūt autem hoc ex moris medicamentū, aliqui quidem à principio miscentes succum mororū, aliqui uero modice præcoquentes. Heras autem uidetur uelle succum solum diutius coquendum esse. Scripsit igitur hoc modo. Succi mororū heminas sex ad strigmenticiā crassitudinē coquito, deinde trita ammisceto. croci drac. i. & reliqua uidelicet iam dicta. Quin & ego censeo succum ipsum solum per se præcoquēdum esse: deinde uero adijciēdum mel, atque ubi iam cacabum ab igne auferre uelis, reliqua ammiscenda esse. Verū Heras uidetur simul cum melle etiam alia ammisceri iubere. Et uinum quidem rationabiliter quis tunc ammiscuerit. Myrrhā uero & crocum, melius est in fine cocturæ inijcere, eo usque saltem cum alijs coquendo, aut olla in terram posita mouēdo, donec omnia probe uniantur. Amplior autem coctura

ipsorum, destruit facultatem aromaticorum medicamentorum. Spuma argenti equidem & plumbago, atque alia multa metallica per cocturam meliora fiunt. Crocus autem & myrrha multaque alia aromata in decoquendo uires amittũt. Itaque medij facultate pharmaci & symmetria, & coctura, moderatis inflammationibus congrua, ampliusque in maiorũ uigore, atque insuper in principijs & augmentis eorundem cõueniens, iam relata est. Cæterum ad induratas inflammationes, quum iam præterierit uigor, & nihil amplius influxerit, uenerit autem tempus discutiendi, ammiscere conuenit ad stomaticum pharmacum aliqua discussoriorum. Talia autem sunt, Spuma nitri, & ipsum nitrũ molle, asiæque petræ flos, & sulphur uiuum. Sufficit porrò ad prædictam medij pharmaci commensu- B rationem ammisceri. Nitri quidem unciam dimidiam, sulphuris autem uncias duas. Quod si neque sic præparatum habeas ipsum, neque præsto sit tibi nitrum, aut sulphur, aut asiæ petræ flos: origanum in sapa, quam alij siræon, nostri omnes hepsema uocant, feruefacito, stomaticoque pharmaco addito, ac gargarissare iubeto. Si uero neque sapa adsit, in aqua mulsa origanum coquito. Nihil autem refert etiam si hyssopum cõijcias pro origano, aut pulegium, aut thymũ, aut thymbram, aut calaminthen, aut mintham odorã, quam ueteres hedyosmon appellãt. At uero in uigore inflammationũ, non solum nihil ex eiusmodi pharmacis adhibere oportet, sed etiam contrarium totum: atque raro quidem stomaticis medicamẽtis uti, collutionibus au- C tem et gargarismis mitigatorijs cõcoquere inflammationem. Cuius generis est, Decoctum pinguiũ caricarum, & oleum lentiscinum in duplo uase tepefactum. Quin & ipsum stomaticum pharmacũ in uigoribus gargarissare conuenit, a qua mulsa dilutiore permixtum, aut calida sapa: quæ si non adsint, aqua calida. Præualere enim oportet tunc mitigatorium & concoctorium ductum, uelut in declinationibus discussoriũ, qui ex fortioribus constat medicamentis. Porrò meum pharmacũ ex succo nucum omnium aliorũ esse fortissimũ opere experti estis. Ad uos eñ sodales loquor, in quorum gratiam maxime ad hanc tractationem progressus sum. Quòd uero etiam omnium uilissimũ & parabilissimũ sit, nemo ignorat. proijciũt enim D hortulani uiridium nucum cortices, ubi ipsas decorticarunt, ut uel maximos corbes nobis explere liceat gratis. Mel igitur solũ ut pauperibus medicis (Nam & illis oportet nos ea quæ narramus cõmunicare) deficit, quũ eius fuerit penuria, nihil uero aliud, nisi quis ultro adeò aliud uelit. Sæpe eñ hoc modo confectum pharmacũ, nihilo deterius apparuit eo quod ex moris constat, in quod tum crocum, tum myrrham indebamus. Quin etiam si Alumẽ ipsi addere uelimus, nõ est necesse scissum inijcere. Sufficienter enim adstringit etiã liquidũ, quod aliqui phorimon appellant, quod uilis precij & maxime parabile in omnibus regionibus existit, tenuitate tamen partium à scisso deficit, & ob id etiã minus efficax est. At uero si hortulanus

A aliquis aut ruralis hoc pharmacũ sibi præparare uelit, habuerit gratis quos conijciat, cytinos aridos contusos & cribratos. Nominãtur autẽ sic primogenita punica. Quo tẽpore enim arbor florere desinit, fructus ipsius apparet figuratus in speciẽ punici mali, quem ablatũ & resiccatũ adseruare licet ad tempus fructus nucũ. In fine enim ueris cytini generantur. Desinente autem æstate ad perfectionem ueniũt nuces. Quin & in terrã decidunt multi cytini, aut à uento decussi, aut alio quopiam modo, quos collectos siccare licet, ut neque hac parte egenos medicos quicque impendere opus sit. Nostis autem acidorum & acerborũ punicorũ, (quorum fructus parum abest ut esitari nequeat) cytinos meliores esse. Quare etiam si ex arboribus eos B auellas, aut nemo penitus te prohibebit, aut certe uilissimum pretiũ sibi dari pro eis postulabit. Cæterum balaustium appellatũ penitus cibis non cõuenit, & si quis colligere id uelit, quemadmodum origanũ, & thymbrã, ac thymũ, atque alia huiusmodi, gratis licebit. Itaque si balaustiũ uelit quis crudũ tusum ac cribratũ inijcere iuxta proportionẽ quã antea dixi, pari omphacio põdere, utile pharmacũ efficiet. At uero & cortices punicorũ malorũ, ualde parabilis res sunt, adstringendi uim sufficiẽtissimam habentes, & qui ad prædicta statim in principio conijci queant. Optimũ autem pharmacũ reddetur, si iuxta id tempus quo punica nondũ perfecte matura sunt, nõ tamẽ longe à perfectione absunt, eos cortices detractos cõieceris atque id statim C in principio cocturæ succi. Oportet autẽ prius in mortario tũdere, quo ipsorũ uis uniuersa citius in medicamentum quod paras diffundatur.

De confectione pharmaci ex malis punicis, & malis, alijsque stomaticis. 4

Quum uero tres sint punicorũ malorũ differentiæ, Aliqua enim ipsorum sunt austera, aliqua uero dulcia, & quædam acida, Siquidem sola austera inijcias, magis adstringens pharmacum reddetur: si uero dulcia, suauius. Quemadmodũ sanè fortius fiet, si acida tantũ indas. Ego autem consueui par pondus uniuscuiusque generis ammiscere. Nam & aliàs ipsa sola matura punica mala integra unà cũ corticibus tũdo, deinde succum exprimo, ac cum melle coquo, & non solum stomaticum pharmacum ori cõmodum habeo, sed & ad multa alia utile, ueluti rursus dicetur: atque fit hic succus ad omĩa D prestãtior ex tribus punicorum speciebus, aut generibus, aut differentijs, aut quomodocunque quis appellare uelit. Miscemus autem & ruborum fructus quos aliqui quidem à planta denominant, batina, hoc est rubina appellantes: aliqui autem composita appellatione Mora appellant, apponentes quæ à rubis producuntur. Ex quibus sanè succus similiter succo mororum præparatus, melius illo pharmacũ reddit: sed minus ualidum eo quod ex nucum succo paratur. Quin & malorum cotoneorũ, & pirorum syluestrium, ac mespilorũ succus similiter præparatus, stomaticũ pharmacum efficitur, deuorari' que aptum, quum hoc quod ex nucibus constat deuorare non liceat: quanquam

enim nociuū non sit, uelut atramentū sutoriū, tamen stomacho non est commodum. Manifestum uero quod & ex punicis constans pharmacum aptum est fracto & cibos fastidienti stomacho: deficit tamen ab eo quod ex malis cōstat. Innocuus est etiam rubi mororū succus deuoratus, uelut etiam ipsorum mororum, sed succus rubi mororum habet quid quod stomachū corroborat, quod ipsum mororū succus nō habet. Porrò mel his omnibus succis non eadē proportione iniicitur. Plurimo enim nucū succus opus habet, & post eum rubi mororū, modico aūt malorū, & punicorū, & pirorum syluestrium. Medius aūt inter hos est mespilorū succus. At uero & ex cornis ac brabylis, & prunis apud nos appellatis præparātur apud nos stomatica pharmaca, eodem modo quem in principio de moris recensui, in quorū omniū cōfectionē rationē quandam cōmunem referam, hanc. Si quidem crassus apparuerit succus, statim mel ammiscere oportet, Si uero liquidior sit succus præcoquatur. Suscipit aūt pirorū ac malorum succus: amplius uero etiam plurimorū fructuū, parē sibiipsis mensuram mellis. Succus uero eorum quæ multū acerba sunt, uelut est corni fructus, aliquando duplum, aliquando triplū mellis adsumit. Omnia igitur hæc citra noxam deuorantur. Si uero atramentū sutorium ammixtū sit, non ualde deglutire oportet confectum pharmacū, præterq; si iuxta stomachū aut aluum ulcerosam affectionē fieri suspicemur. Quin & si in ipso ore maligna ulcera fiāt, præstāt ex atramento sutorio medicamēta. Sufficit autem drac. ad prædictam cōpositionem ammixta in qua unā mellis librā coniici est relatū. Sed & plus quandoq; recte iniicitur ad ulcera putrefacta. Sngula porrò quæ dixi iniicere licet aliquando & musto uuarum austerarū quas Aminæas appellāt. Præstat aūt ultimum mustum in hunc usum. Quod eñ in principio fluit liquidius est & aquosius. Iniicienda uero sunt ex prædictis pharmacis acerbiora, queādmodum sæpe uidistis me aut punica mala, aut balaustium, aut cytinos, aut ægyptiæ spinę fructū, aut corna, aut aliud quid ex huiuscemodi adstringentib. ammiscere. Maxime uero aptus est Rhus, siue masculino, siue muliebri genere ipsum uelis nominare. Est aūt duplex, Alter obsoniis inspergitur stomacho cōmodus, alter à tinctoribus coriorum expetitur. Vterque uero musto incoctus stomaticum efficit medicamentum, cui ammiscere licet etiam alia iuxta eandem proportionem, uelut in eo quod ex moris cōstat relatum est. At uero citra mellis mixturā, mustum solum per se in mellis cōpagem redactum, exemptis etiā quæ aliàs indunt, bonū fit pharmacū in principiis, augmētis, & uigoribus. Ad declinationes aūt si tedas addideris pingues, aut etiam in tenuia frustula contusas & fractas easdem unà cum Rhoe in mustum conieceris, deindeq; interposita una die coxeris, donec suam ipsorum qualitatem in ipsum mustum transmittāt. Tunc enim tedas quidē eximere ac proiicere oportet, Mustū uero usq; ad aptā cōpagē coquere, quo uidelicet

A illiniri cōmode possit. Quæcunq; autē prius ex adstringentib. iniici dixi in id quod ex nucibus præparatur medicamentū, ea omnia etiam accipiēda sunt recte in mustum addi. Quod si uero preciosius efficere pharmacum uelis, iniicies etiam cassiæ corticē, aut nardū indicam, aut malabathri folium. Aeque enim ut pauperibus, sic etiā diuitibus nos pharmaca scribere oportet. Eadē etiam prædictis stomaticis pharmacis miscentur. Sufficit aūt drachma una singulorū ex his tribus ad tātam medicamēti symmetriā ac cōmensurationē, iuxta quā libra mellis una coiicitur. Nihil uero læseris si ad singulas drachmas adhuc dimidiā appones, ut in totū quatuor drachmæ & dimidia fiant. Cæterū ad induratas inflāmationes coniiciuntur B quæ generosius discutere possunt, tusa uidelicet & cribrata. Tempus aūt indēdi ipsa nō est principiū, sed ubi prope perfecte coctū fuerit pharmacum, aut etiā penitus coctū, olla iam in terrā deposita. Sunt aūt hæc costus, amomū, & quod Macer appellatur, Nominatur aūt sic cortex quidam aromaticus qui ex India affertur, multū calefaciēs & adstringens. Quin & cyrenaicus succus ad discutiendas induratas inflāmationes aptus est, quemadmodum etiam Medicus, aut aliquis eorum qui postea celebres facti sunt. Pauperibus porrò pro sumptuosis discussoriis pharmacis, aut dictamnū, aut acorum, aut Meon, aut pyrethrum, aut cardamomum, aut sinapi iniiciendū censeo, pari pondere, ita ut ad triū drachmarū pondus eorū mixto- C rū moles perueniat, ad prædictā in principio stomaticorū pharmacorū symmetriā, in qua mellis libra habebaẗ. Si uero quatuor aut quinq; drachmarum pondus ex his explere uelis, magis discussorium pharmacum habebis. Semper enim pro cōstitutionis affectuū proportione, augeri ac minui pharmacorum uehementiam oportet.

De confectione pharmaci ex musto, in quo etiam parabilia diuersa. 5

In pharmaco ex musto, ad decem musti heminas, tres iniicimus heminas Rhois coriariorum, aut eius qui obsoniis inspergitur. Si uero utrūq; iniicimus, utriusq; unā & dimidiā, aut paulo plus sumimus. Iuxta proportionē uero etiā ex discussoriis quodcūq; tandem inuenerimus. Quod si u- D num tantū habeamus adstringendi uim habens, quod in principio iniciamus, aut unū saltem discussoriū quod iuxta finē indamus, ex illo totum pōdus immittimus quod ex omnibus alias cōflaretur. Quæ igitur dicta sunt in medicamētum ex nucibus coniicienda, ea omnia etiā in pharmacū ex musto indanẗ. Quin et quę isthic nō dicta sunt, amplius iniicere licet. Velut gallā omphacitin appellatā, aut extremitates mollis rubi, aut rubi canini, & corni, cuius etiā fructū diximus iniici oportere, uelut etiā pruna, & myrti baccas, & fructum myricæ ac spinæ Aegyptiæ fructū, omniaq; adstringētia præter ea quæ medicamentariā uim habēt, ne uidelicet deuorata lædāt. Omia porrò stomatica pharmaca quomodocūq; parata iuxta propria tēpora oportuna ac cōmoda fiunt. Si quidē enim

austeriora fiant, in principijs & uehementibus influxionibus conueniunt. Si uero moderatiora, in uigoribus. Si autem magis discussoria ui prædita, in declinationibus. Quare etiam si non ipsi præparauerimus quid, neque symmetriā iniectorū nouerimus, sed tantum ipsum cōpositum pharmacū gustauerimus, cognoscemus quomodo eo sit utendum. Hæc igitur si memoria conseruabitis, quando necessitate aliquando urgente eorū quæ experimento constant pharmacorū copia nō sit, ex parabili illius loci materia, uos ipsi ex tēpore aptum medicamentū cōponere poteritis. Non solum autem in hanc rem utilis fuerit prædictorum memoria, sed etiam ad iam inuentorū cōuenientē usum, Si enim in ipsis adstringentē qualitatē præualere inueneritis, in principijs eis utemini. Si uero mitigatoriam & laxatoriā ac concoctoriam, in doloribus & uigoribus inflāmationum. Si uero obduratum quippiam & ægre solubile ab inflammatione relinquat, in declinationibus. Eodem modo etiā in medijs tēporibus, media relatorū pharmacorum medicamenta offeretis, ab repulsorijs ad discussoria paulatim transeundo, atque si unū duntaxat uobis præsto sit medicamētū, idipsum per aquæ mulsæ & aquæ simplicis mixturā exoluentes, & per additionē parabilium intensius reddentes. Sunt aūt parabilia ex adstringētibus, Rosæ, & myrtus, & lentiscus, & rubus, & rubus caninus, & galla omphacitis appellata, & ægyptiæ spinæ fructus, omniaque aluminis genera. Post hæc parabilia sunt Rhus culinarius et coriarius, & succus qui ex Syria affertur, atque hic quidem per se ammiscetur, culinarius autem & coriarius Rhus aqua prius decocti, utiles mixtura fiunt. Est autem & glaucium ex parabilibus, & omphacium, & cytini, & balaustia. Ex discussorijs autē parabilia moderata sunt, caricarum & furfurum decoctum, & aqua mulsa in qua origanum, aut hyssopum, aut thymus, aut calamintha, aut pulegium, aut mintha odora, quā hediosmum uocāt, sint incocta: fortiora aūt sunt etiam hęc, si diutius coquantur, amplius autem & nitri spuma aut ipsum adeo nitrum ustum: fortius uero his est sulphur uiuum.

Stomaticorum pharmacorum compositio, in quibus etiam quæ ex moris constat, Heræ. 6

Proprie quidem stomatica appellantur quæ ad uuas, tonsillas, ac omnes quæ in ore fiunt derepente inflammationes conueniunt. Componuntur autem per prædictam materiam, ex qua sanè multæ particulares compositiones à medicis sunt confectæ. Ego uero etiam hic celebrium tantum mentionem faciam.

Compositio pharmaci ex moris iuxta Heram. 7

Pharmacum ex moris stomaticū faciens ad tonsillas, & uuas, atque alias in ore inflāmationes, tum illitum, tum gargarissatū, uelut est prædictum. Pręparat autem ipsum Heras hoc modo. Succi mororū heminas vi. ad strigmenticiā spissitudinē coquito. Deinde tritas croci ℥.i. myrrhæ ℥.ij. omphacij drac.i. aluminis scissi obol.iij. Mellis heminam unam addito. Ipse autem Heras se etiam aliter pręparare ipsum ait, hoc modo, ut croci drachma dimidia inijciatur, & passi hemina una, et uini maris expertis austeri hemina una. Coctura autem fit usque ad compagem melleam.

Andromachi descriptio, pharmaci ex moris. 8

Andromachus autem de pharmaco ex moris in hæc uerba scripsit. Succi mororū heminas vi. accipito, & in ipsum gallas v. conijcito, radicis autem dulcis drac.xx. Vini chij heminam i. & insolato aut coquito, deinde ubi coactū et spissatum fuerit pharmacum, radices tollito ac proijcito, gallas autem tritas ammisceto, & myrrhæ drach. i. croci drach.i. aluminis scissi drach. i. omphacij drac. ij. Quidam autem aluminis drach. ij. mellis attici heminam unam. Manifestum aūt est, quod hoc pharmacum magis adstrictorium est quàm præscriptum, maxime si alumen adsumat. Sufficientes enim erant gallæ, & omphacium, ut multū adstringens redderent pharmacum, uerum ubi alumen amplius additur, plurimū in ipso adstrictoria uis augetur. Recte tamen in eius confectionem ammixta est dulcis radix, quę exasperata lenit, & propterea asperitatē ex adstringentibus inductam lenire potest. Cæterum pro mororū succo conijcitur etiam mororum rubi succus, alijs quomodocunque uelis appositis, siue ut Heras, siue ut Andromachus scripsit. Relatum aūt à me antea est, quomodo liceat ipsum uariare, per eorum quæ adijciuntur ammixtionem. Dictum est etiam, quod per succum nucum componi queat hoc pharmacum, reliquis eodem modo iniectis. Quin & per punicorum malorū succū similiter pręparatur, tum succo solo cum melle præparato, tum iam dictis iniectis. Sic uero & rubi fructus cum melle confectus sufficiēter adstringens fit pharmacū, queadmodū sanè & quod ex nucū succo paratur, ueluti prius est dictum. At uero etiam uaria cōpositione pharmaca ex punicorū succo à medicis cōscripta sunt, uelut etiam ab Andromacho his uerbis.

Stomaticon ex malis punicis, Andromachi. 9

Punicorū dulciū nucleis carentiū partes ij. et acidorū partem i. Succū in uas amplū quod congium ipsius capiat exprimito, deinde excolatum ad lentū ignē ad tertias coquito. Sint autē in prōptu myrrhæ minææ drac.viij. crocomagmatis drach. viij. omphacij ℥.viij. illyridis ℥.viij. aluminis ℥.iiij. gallæ ℥.viij. His affundito liquorē teritoque ac ad melleā spissitudinē coquito: deinde in pilam translata rursus terito ac utitor, quandoque cū melle, quandoque sincero. Hic non simul coquit mel cum punicorum malorū succo, sed postea quum paratū est, dupliciter pharmaco uti iubet, aliquādo quidem sincero, ad inflammationes uidelicet adstrictionis indigas: aliquando uero cum melle, quum discussione indigent. Multitudinē autem succi cōgium esse iubet, hoc est sextarios sex Romanos. Quū enim Romæ medicatus sit, semper eius urbis mensuris utitur. Inijcit autem in ipsum myrrham, & crocomagma, & gallam, & iridem illyricam. Ipsam enim Illyrida appellare solet. Amplius autem ad hæc omphacium, omniū quin

que

que numero, singulorũ ℥. i. octo eñ drachmæ unciam efficiũt. Ex alumine uero scisso unciã dimidiam. Scripsit porrò deinceps Andromachus etiam id qđ ex musto fit stomaticũ, sic in hæc uerba.

Andromachi stomaticum ex musto, quo utor 10

Gallas xxx. Rhois coriarij sextarios ij. musti sextar. vi. Gallas confractas cum Rhoe per diem & noctem in musto macerato, deinde coquito donec ex toto quarta pars supersit, & per linteolum colato, exprimito, & in olla ad mellis crassitudinẽ spissato, deinde trita addito, aluminis scissi drac. i. croci drac. i. myrrhę drac. i. permixta reponito atque utitor. De musto nihil manifesti retulit ex quali uua ipsum sumi uelit, Num ea quæ austerum uinum fundit, aut quæ dulce, aut medium. Nos igitur nosse oportet quod pharmacum ex dulci confectum magis mitigatorium & moderatum erit, ac minus efficax. In quibus autem adstrictione opus est uti uehemẽtiore, id quod ex acerbis uuis fit uehementius quidem adstringit, leniẽdi autem uim non habet. Palam est aũt ex medio uino paratum, etiam mediam facultatem habere.

Critonis stomaticum ex malis punicis 11

Crito pharmacum ex succo punicorum his uerbis descripsit. Stomaticum ex punicis ad ulcera & aphthas oris. Succi punicorum dulcium heminas vi. in æreo uase ad tertias coquito, deinde cinamomi drach. i. cassiæ drach. i. myrrhæ drach. i. omphacij obol. iij. croci obol. iij. nardi Indicę obo. iij. terito, eisq; mellis heminam i. ammisceto, atq; ita ad infuso succo ad lentum ignem moueto, ac donec spissetur coquito ac utitor. Scribit autẽ & aliam compositionẽ pharmaci ex punicis huiusmodi. Malorum punicorum dulcium unà cum corticibus tusorum ac expressorum sextarios vi. mellis boni sextarium i. in ollam coniecta coquito ad spissitudinem mellis; deinde aluminis scissi unciam unam, myrrhæ unciam dimidiam, trita addito, ac mixtis utitor. Magis adstringens scripsit certe hoc pharmacum Crito quàm pręcedens. Ridicule igitur quidam faciunt interrogãtes utrum ipsorum altero melius sit. Alterutrũ enim in proprio tempore altero melius est. atq; hoc quidem posterius ad ea quæ uehementi adstrictione indigent, ad ea uero quæ discussione, prius. maxime quum & cinnamomum iniecerit in ipsum discussorium medicamentum. Scripsit autẽ & ex musto medicamentum Crito, hoc modo.

Critonis stomaticum ex musto. 12

Stomaticum ex musto facit & ad aurium & sedis ulcera. Musti sextarios vi. ad sextarios ij. decoquito, deinde Rhois coriarij drac. iiij. alij drac. ij. misceto, & gallarum drach. iiij. alij uero gallas xxx. croci drach. ij. alij drach. i. aluminis scissi drac. ij. Quidam etiam myrrhæ drach. i. mellis sextarium i. mixtis utitor. Multa uero alia pharmaca ex prædictis succis à multis medicis scripta sunt iuxta commensurationem uariantia. quũ aliqui quidem omnia prædicta coniiciant: quidam uero auferant, alius aliud, & alius plus, alius minus: in quibus uelut dixi inspicere oportet quid redũdet, an

A adstringens & repulsorium, aut lenitiuum & concoctoriũ, aut discussoriũ. Ita eñ rectissime ipsis utemur. Quare relinquam particulares eorũ quæ scripserunt differentias. Transibo aũt ad alia pharmaca citra hos succos præparata.

Stomatica pharmaca citra succos cõposita, ex aceto & gallis. 13

Stomaticum pharmacũ scripsit tum Andromachus, tum Crito, eandem habens symmetriã. Sufficiet itaq; descriptionẽ Andromachi referre, hoc modo habentem his uerbis. Stomaticum Aristoclis ad Synanchas, quas anginas Latini uocãt, & reliquas in ore affectiones. Hac & Antipater usus est. Gallas numero xxx. aceti albi sesquicyathum, alij cyath. ix. myrrhæ ʒ. viij. nardi Indicæ B drac. i. Rhois culinarij sesquicyathum, alij cyath. ix. aluminis scissi drac. i. piperis grana xx. mellis Attici cyathos ij. alij sesquicyathum. Coquuntur gallæ in aceto donec flaccescãt, deinde tritæ melli miscent tempore usus. Quidam etiã seminis mandragoræ unc. i. addunt. Hæc quidem Andromachus scripsit. Fortassis autẽ dubitauerit quispiam propter quid, quum pręscripsisset aceti sesquicyathum, mox adscripserit alij cyath. ix. multum eñ mensura altera alteram excedit. Quemadmodum etiam rursus quum ait, Rhois culinarij sesquicyathum, alij cyathos ix. Singulatim itaq; utrunq; expensum dubitationem affert. Si uero inter se complicentur, cõuenienter scripta sunt. Si etenim cyathos ix. iniecerimus, iniecimus etiam Rhois culi- C narij eosdẽ ix. cyath. Si uero aceti sesquicyathum, sufficiet etiã Rhois culinarij sesquicyathus. Quare in pharmaco plus aceti habente, diutior coctura facienda est, in minus habente breuior. Præstat aũt diutius fieri cocturã. Ita enim gallæ molles reddentur. Cõspicuum uero est, generosum esse hoc pharmacum ex cõtrarijs cõpositum. Gallæ enim & acetũ, & Rhus magis adstringentia sunt & maxime repellũt; ualde aũt discussoriũ est piper, sed mixtæ facultatis est nardus. Myrrha uero discussoriã habet uim, sed & lenẽ ac mitigatoriã unà cum hoc quod etiã cõcoquit. Discussoriæ facultatis est etiã mel, sed citra mordacitatẽ earũ affectionum quæ in ore fiunt, quum in oculis mordax existat. Verum de aceti uiribus iam sæpe mentionẽ feci- D mus, ꝙ & secat, & discutit & repellit. Albũ aũt in descriptione addit, ut uidelicet tenuium partium indicet. Quidã uero tũ aceti quinq; cyathos, tum Rhois eosdem iniiciũt, medium quodãmodo apprehendentes inter eos qui plurimũ, & qui minimum de utroq; cõiiciunt. Manifestũ igitur est eos mediũ quoq; pharmacũ iuxta facultatẽ pręparare quemadmodũ symmetria ipsa media existit.

Stomatica illitio ex besasa, hoc est, semine rutæ syluestris 14

Celebre est & hoc pharmacũ ab Andromacho hac uerborum serie descriptum. Stomaticum ad anginas ex besasa, faciens ad desperata, quo utor. Seminis anisi, seminis apij, seminis ammij, floris iunci odorati rotundi, aluminis scissi, iridis illyricæ, besasa quod aliqui harmala uocant

A cant, cinamomi, myrrhæ troglodyticæ, aristolochiæ longæ, singulorum unc. i. cassiæ, rosarum siccarum, utriusq; unc. i. crocomagmatis, unc. i. costi, cineris hirundinum recentis, utriusq; quadrantē, croci sesquiunciam, nardi indicæ, amomi, utriusq; unciæ dimidium, gallas octo, tritis cum melle utere. Verum usus tempore tandem mel adde. Hoc ipsum pharmacum etiam Heras scripsit, ut parum absit quo minus penitus idem sit, Solas enim rosas uariauit, & non ipsas conijcit, sed florem ipsarum, & ad finem addit, Quidam etiam cassiæ fuluæ unc. i. De hirundinibus autem ambo obscure tradiderunt, quanquam alij clare scripserint, nisi quod inter ipsos non conuenit. Alij enim nidum urere iubent ex stercoribus hirundinum maxime compositum. B Alij ipsas hirundines. Alij ipsarum pullos. Hi uero obscurius scripserunt, & Andromachus quidem, cineris hirundinum recentis, oportebat autem ipsum apponere ustarum, Tale enim quiddam cineris uox significat, nisi nidū ipsum terere ac leuigare iubet. Heras autem, hirundinum recrementi, non apponens ustarum. Forte igitur neuter uult comburi debere hirūdinum recrementum, quemadmodum alij. In quibusdam tamen exemplaribus sic scriptū est. Hirundinum tenerarum unciam i. quemadmodum in alijs hirundinum à trabibus. Palam est autem acre & discussorium hoc pharmacum esse ex hirundinum excrementis cōstans, Quemadmodum etiam alia omnia omniū animalium stercora, aliqua magis, aliqua minus. C Velut etiam ipsorum animalium ustorum cinis. Dictum est etiam nobis de besasa in simplicium pharmacorum tractatu, quod tertij sit ordinis calfacientiū, & nunc sanè ut eiusmodi am mixtum est etiam prædicto medicamento, quod plurima discussoriæ facultatis in se habet, Quemadmodum aliqua ex alijs stomaticis adstringētis & repulsoriæ. Etenim iam relata pharmaca ualdè discussoria sunt, & ad hæc amplius cinamomum super omnia uim tenuiū partium & discussoriam habēs. Quin & semina anisi, apij, & ammij discussoria sunt, & iris & aristolochia ex discussorijs sunt, uelut etiam myrrha. Mixtæ autem facultatis ex discussoria & adstringēte est cassia, & crocus, & nardus, & amomum, & costus. Præcellit autem in ipsis calfactoria & discussoria, & maxime in co- D sto. Mixtæ facultatis est & iunci rotundi odorati flos, sed utraq; imbecilli tū adstringente, tum calfaciente. Gallæ uero, clarum autem est quod de omphacitidum genere loquor, ex adstringētibus multum sunt pharmacis, uelut etiam alumen scissum. Rosæ autem rursum debilissimam habent ad stringendi uim. Ex contrarijs igitur facultatibus particularium pharmacorum, hoc medicamentum propositum iam constat, & non solum contrarijs, sed etiam utrisq; fortibus, atque uelut dixi antea, multo fortioribus discussorijs quàm adstringentibus. Quando uero confectionem eius clare conscripserit Heras, uisum est ob id etiam illius uerba in commune proponere ac adscribere, quæ hoc modo habent.

Stomaticum ex besasa, Heræ. 15

Stomaticum faciens ad anginas, & inflāmatas tonsillas, ac ulcera facta in ore. Conuenit etiā stomachicis & dysentericis summe, in frigida exhibita magnitudine fabæ. Est & Arteriaca bona, & dolorem sedat. Anisi ʒ. i. ammij ʒ. i. apij seminis ʒ. i. costi sesquiunciam, floris iunci odorati unc. i. iridis illyricæ unc. i. aluminis scissi unc. i. gallas omphacitidas mediæ magnitudinis octo, crocomagmatis ʒ. i. croci sesquiunciam, myrrhę unc. dimidium, floris rosarum unc. ij. aristolochiæ longę unc. i. seminis besasa unc. i. cinamomi unc. i. spicæ nardi sesquiunciā, amomi racemi unciæ dimidium. Quidam etiam cassiæ fuluæ unc. i. cineris hirundinum recrementi unc. i. Myrrham cum melle terito: reliqua uero omnia contusa & cribrata in mortariū conijcito, & per pistillū myrrhā cū melle moderato cōmisceto, ut pharmacū melle crassius reddat. Vsus uero tēpore melle dilutū illine, atq; ex aqua gargarissandū prębe aut ex aqua mulsa uel succo ptisanæ. Cæterum pharmacum hoc in stanneo uase reponitur ac adseruatur.

Aliud stomaticum ex hirundinibus absq; Besasa Asclepiadæ. 16

Scripsit etiam Asclepiades stomaticam illitionem his uerbis. Aliud stomaticū facit & ad Anginas. Hirundinū syluestriū ustarū cineris dra. iiij. croci drac. i. nardi indicæ drach. i. melle excipe. Mixtura fit quū iam sub manibus sunt affectiōes. Hirundines porrò uruntur hoc modo. Pullos sale cōspersos unà cum pennis in fictile conijcimus, obturatumq; prunis imponimus. Gratia habenda est Asclepiadæ ob id quod tam diligenter describit quomodo hirundinum pullos uri iubeat, & quod ipsa animalia, & non eorum recrementa, in pharmaci cōpositionem præparāda censeat, Scripsit uero etiam Andromachus stomaticum pharmacum ex hirundinibus, hoc modo.

Stomaticum ex hirundinibus ad anginas, ut Harpocras. 17

Pullorum hirundinū ustorū numero xi. mellis cyath. i. alij cyath. ij. habēt, succi myrti uiridis cyathum i. alij cyath. ij. myrrhæ obol. iij. Pullos urito omnibusq; mixtis ac tritis utitor. Clare etiam hic hoc loco pullos comburi iubet. Hæc itaque duo præscripta pharmaca ex hirundinibus sunt absq; besasa, Alia autem duo stomatica hæc præcedentia ex hirundinibus unà cum besasa constant. Est autem & tertia cōiugatio pharmacorum eiusdem generis, in qua ea quæ ex besasa citra hirundines præparantur, continentur.

Aliæ stomaticæ illitiones Andromachi. 18

Præstat autem opinor neque alias relinquere oris illitiones, quę sanè laudant ab his qui de pharmacorum experiētia sunt curiosi, maxime quum multorum ex eis etiam ipsi experimentum fecerimus, partim quidem ex nostro usu, partim uero eorum qui nobiscum sunt medicati. Incipiam autem ab his quæ Andromachus scripsit, ipsas compositurus iuxta illius uerba.

Ad columellam laxatam. 19

Mellis lib. i. aluminis liquidi lib. i. florū rosarū li-

bram dimidiam, succi hypocisthidis quadrãtem. Alumẽ in melle coquito, deinde sicca inspergito atq; ita utitor. Coquito aũt modice. Vere bonũ est hoc pharmacũ, eoq; tribus modis uti oportet, quẽ admodũ uidistis me plurimis stomaticis pharmacis uti. Vnus utendi modus est & maxime in principio, ut dissoluatur per aquam calidã aut aquam mulsam ac gargarissetur, Nam & mitigatoriũ est hoc, & quod conuenit efficit. Interea aũt dũ eo sic utimur, etiam syncero pharmaco uti cõuenit, partim quidẽ cum digitis illinendo, partim uero per cochleare admouendo, unà cũ hoc quod reprimamus et intrepide foras columellã ipsam ducamus. Confert enim q̃ maxime ad linguã ipsam uergere, & à rectitudine secedere quã habet ut plurimũ ad ipsius asperæ arteriæ extremum. A

Aliud stomaticum eiusdem Andromachi ad omnia uitia oris. 20 B

Crocomagmatis drac.ij. iridis drac.iiij. sandarachæ drac. dimidium, hoc est obol.iij. terebinthinæ dra.ij. lycij Indici drac.i. uuæ passæ drac. viij. aloes drach.i. omphacij drach.i. nucum pinearum tostarum drac.viij. succi glycyrhizæ ʒ.i. aluminis scissi drach.i. balaustij drach.i. floris rosarum drach. ij. mellis heminas duas & dimidiam. In quibusdam exẽplaribus sesquihemina habetur. Ipse quidem Andromachus sic scripsit, non ostendens quomodo mel miscere oporteat, Num crudũ, aut coctũ, aut despumatum tantum. Ego uero despumatum miscendum esse censeo. Scripsit etiam alias stomaticas illitiones Andromachus omnes bonas, quare minime relinquẽdas putaui, ideoq; subscribam omnes deinceps, quemadmodum ipse præscripsit. Stomaticum quo ipse se uti dicit. Floris rosarum drac.ij. nucum pinearum drac.i. croci drach.i. Excipe melle. Aliud quo item se uti dicit. Iridis illyricæ drac.viij. croci dra.viij. alij iiij. florum rosarum drach.iiij. Excipe melle. Aliud, Misyos cyprij drac.viij. iridis illyricæ drach. iiij. myrrhæ drach.viij. croci drach.i. Excipe melle. C

Aliud odorum tenerũ ad inflãmationes & crustas cõmodum Nucum pinearum drach. iij. amyli drac.ij. aluminis scissi drach.i. floris rosarũ. dra. i. croci obol. iij. Excipe melle. Hæc ex ferula Crati ppi esse ait. Aliud stomaticum Menecratis.

Croci drac.iiij. balaustij dra. iij. florum rosarum drach.i. alij dimidiam, fructus ericæ drach. unam, malabatri ʒ.i. nardi indicæ ʒ.i. nucum pinearũ numero xx. Excipe melle. Aliud quod ex libris Meliti esse ait. Rhois rubri ʒ.ij. florũ rosarum ʒ.i. costi, croci, utriusq; obol.iij. Excipe melle. Hanc etiã gargarissari cũ passo, aut aqua mulsa ait, neq; scio cur hoc hic adscripserit, quum omnia gargarissari possint. Aliud stomaticũ quod etiã ipse laudat. D

Floris iunci rotũdi odorati, myrrhæ, croci, cassiæ, aluminis scissi, illyridis, singulorum drach.iiij. nardi indicæ drachmam unam. Excipe melle cocto. Hic quidem igitur cocto adiecit, In prioribus uero semper simpliciter melle dixit, permittens nobis quomodocunq; præparare uelimus. Ego autem uelut dixi melle despumato utor.

Aliæ illitiones stomaticæ, quas Asclepiades scripsit. 21

Illitio ad putredines oris Asclepiadæ. Rhois rubri drac.iiij. acaciæ drac.i. medullæ drac. iiij. uino pramnio dissoluta excipe melle cocto, & utere ad illitionem. Haud scio quomodo reliquerit adscribere ad medullam, Num ceruinam, an uitulinam conijci uelit. Quando igitur non adscripsit, tutius est ceruinã adijcere. Forte ẽm esse uult medicamentũ, fortior aũt est medulla ceruina q̃ bubula. Alia, Succi hypocisthidis drach.ij. balaustij drac.i. lycij drac.i. acaciæ drach. unam. Excipe oliuæ immaturæ succo, & melle subactis utere.

Illinitiones oris aptæ eis qui medicamentarias qualitates ægre admittunt. 22

Porrò de mulierculis quid attinet dicere, & maxime diuitibus, quæ præ delicijs stomatica medicamenta ægre admittũt? Iam uero etiã uiri quidã non solum præ delicijs, sed etiã natura quodã modo malum stomachũ habentes, eiusmodi pharmaca non ferunt. Et sanè præterlabẽtia sæpenumero in stomachum, non solum iniucũda aliquo modo sunt, sed etiam nociua. Mansuetissima igitur ex ipsis crocum habent & myrrham, & alumen. Melius igitur est aliquas stomaticas compositiones absq; his factas habere. In moderatis itaq; inflammationibus aut tonsillarum, aut uuæ, aut alterius alicuius partis, sufficiũt succi soli fructuum iam dictorum, uelut rubi & mororum, punicorumq; malorum & cotoneorum. Quin & succus nucũ, ubi cum solo melle paratur, suauem gustum habet, itemq; mustum ex acerbioribus uuis, ex quibus Aminæum uinum funditur, si in ipsum Rhús addatur: hoc enim uelut adscripsit optimũ fit pharmacum coctũ ut dictum est. Ad eas uero inflãmationes quæ multa adstrictione indigent, illitiones stomaticas huiusmodi paraui. Austerorum punicorum succum, aut austerorum cotoneorum, aut etiam utrorumque simul, iuxta prædictam proportionem cum melle miscui, atq; sufficiens erat. At uero mororum succus debile pharmacum est. Sed inter hunc & prædictos medius est iuxta adstringendi uim succus rubi murorũ. Fortis autem est nullo minus ex corticibus nucũ, quanq; non sit etiam in gustu acerbus. Vnicuiq; uero ex his licet uuas acerbas expressas miscere, si quidem uehementius efficere uelis, eadem mensura: si uero non, omnino tamen dimidium succi ipsarum addes. Vehemẽtissimũ aũt reddetur pharmacum si punica integra tundas unà cum corticibus, indeq; succũ exprimas, atq; hoc magis si fuerint acerba. Amplius uero acerbissimũ ex his fiet, si ad punicorũ austerorũ ita tusorũ succũ, uuæ acerbæ succus superaddatur cũ moderato melle. Præstantius adhuc erit, si tota contusa punica mala passo cocta excoles. Licebit etiam ex solis dulcibus punicis pharmacum præparare, ut debilius, ita suauius, & magis si ex solo succo citra cortices composueris. Ego uero sępe tria punicorũ genera permiscui, austera, acida & dulcia. Ne uero ualde exasperet, ammixto glycyrhizę succo, optimũ pharmacũ efficies. Quin & ex fructib. factũ per se solũ optimũ est

medicamētum, tum his qui gargariſſando collue- A re, tum qui illinire oris inflãmationes uolunt. Eſt autem & hoc partim auſterius, partim moderatius in adſtringendo, diceturq; de cõpoſitione ipſius paulo poſt. Quando uero non ſolum repulſorium pharmacũ nos habere oportet, ſed etiã diſcuſſorium ſi quid appareat induratũ, in hũc modum ipſum parabis. His quæ medias facultates habent ex prædictis, iniĳcies aliquid dum coquuntur, ex pulegio, aut thymo, aut origano, hyſſopo, mintha, aut calamintha. deinde colabis, & habebis optimum medicamentum. Si uero calidius efficere uelis, piper addes. Præparaui quandoq; etiam ſine pulegio, aut thymo, aut aliquo huiuſmodi id quod ex ſuccis conſtat, ſolo pipere in ipſum coniecto. Omnibus aũt ſi glycyrrhizæ ſuccus addat̃, me- B lius pharmacum efficietur. Quod ſi pro opulentis componas, etiam amomi quid miſcebis. Quantitas autem huiuſmodi rerum eadem tibi ſeruetur, cum his quæ crocum & alumen ac myrrham adſumunt, uelut præſcriptum eſt: pro illis enim tibi hic amomum erit. Quin & maſtichen chiam quãdoq; inieci, poſt factam uidelicet colaturam, & poſtq̃ ea quæ incocta ſunt fuerint exempta.

De cruſtis in ore. Cap. II

In calidis & humidis corporis locis, quale eſt os, cito putredo accedit, ex quacunq; tandem cauſa fuerit exulceratum. Confert ad hãc rem etiam, id quod nihil penitus in ipſo ex pharmacis incumbere queat, uelut in aliĳs ulceribus poteſt. Eluuntur enim omnia à ſaliua. Quapropter etiam fortiſ- C ſimis pharmacis ſæpe ad ea uti cogimur. Fortiſsima autem ſunt quæ cruſtam, eſcharan Græcis dictam, efficiunt ad modum cauteriorũ. In externis igitur ulceribus, ubi parti curandæ cruſta fuerit inducta, à fortibus pharmacis deſiſtimus, ad ea quæ cruſtas tollunt tranſgredientes, quæ manifeſtum eſt exterſoriæ qualitatis ac facultatis eſſe. In his uero quæ in ore fiunt propter loci naturã, tutius mihi eſſe uidetur ammiſcere ad exterſoria pharmaca quædam fortia, quæ ſingulatim admota cruſtas infligunt. Ob hanc igitur cauſam melli uehementiſſima extergendi ui prædito, pharmaca ammiſcemus ipſas cruſtas efficientia, Quẽadmodũ ſanè in ſordidis ulcerib. in cuticula obortis, diximus ammiſceri oportere melli, quæ parũ extergent, thus, D eruum, iridem, ariſtolochiã, & quæcunq; alia huiuſmodi, eadẽ ratiocinatione cõtraria apponẽtes, uelut Hippocrates dixit: Vna enim eadẽq; ratiocinatio in utriſq; eſt, ut uidelicet exterſorium pharmacum moderate habens ad affectionẽ adhibeatur. Habebis aũt cõmoderatum pharmacũ ipſum mel, in ulcerum quidem ſorde, debilibus exterſoriĳs permixtum. In quibus autem ob loci naturam putredinis acceſsionem formidamus, ex fortioribus quippiam ad ipſum ammiſcemus. Rationabiliter igitur ad oris ulcera arida medicamenta cum melle commiſerunt, per quæ cruſtas inducimus. Quædam igitur ex huiuſmodi pharmacis prius recenſui in eo loco, quo ad nomas oris medicamenta ſcripta ſunt. Eadem enim etiã ad cruſtas cõueni-

re dixi, ſi mel ipſis addat̃. Quin etiã nunc de ipſis ſcribã, omnia tãetſi bis dici cuipiam uideant̃. Quæ igitur ab Andromacho ſcripta ſunt paulo antè, in memoriam ſaltem me reuocare oportet, ex eo loco in quo docuit quæ pharmaca ad nomas oris cõueniant: apponam aũt principia ipſorum tantum. Vnum igitur pharmacũ ſic conſcripſit. Andromachi ſtomaticũ odorum tenerũ ad inflãmatiões & cruſtas commodum. Compoſuit aũt ipſum ex nucibus pineis, amylo, & alumine ſciſſo, flore roſarum, ac croco, melle ammixto. Alterum hoc modo ſcripſit. Illitio ad affectiones in ore, cruſtas, ac nomas, qua etiã ipſe cũ melle utitur. Quin & omia alia ab ipſo ad nomas deſcripta, etiam ad cruſtas commoda ſunt cum melle.

Quæ Crito ad cruſtas conſcripſit. 2

Quæ uero Crito ad cruſtas ſcripſit illius ipſius uerbis ſic habent. Miſy crudum eueſtigio tollit. In alio exemplari cũ melle toſtum habet̃ Ad oris uero cruſtas, aqua diluto ac modico utere. Sint autẽ miſyos torrefacti ℥. iĳ. mellis boni cyathi ſex, cõmiſce ac utere. Similiter facit & chalcitis aſſata, cum melle, ut ſtrigmenticia ſit ſpiſsitudo.

Quæ Archigenes ad cruſtas ſcripſit. 3

Archigenes autẽ de his ſic tradidit. In cruſtis quæ Eſcharæ Græcis appellantur, priuatim commodum eſt ſtercus caninum cum melle illitum. Aut atramentũ ſutorium purpuræ marinæ tomẽto inuolutũ urito, neq; agitato, deinde cum melle tritum illinito. Aut pice liquida cum pari melle, modica cedria ammixta utitor. Aut Rhoen coriarium in aqua ſufficienter, donec ſtrigmentoſus reddatur, macerato ac coquito, & melle ammixto utitor. Facit & Syriacus Rhus cum melle.

Aut hirundinum uſtarum, & ſtercoris humani parem modum cum melle illine. Aut hepatis lupi aridi cochlearia duo trita bibenda præbe. Horum pharmacorum maximam partem laudo, quod uero ex rhoe conſtat damno, quum adſtringentis ſit facultatis quæ nequaquam cruſtis conueniat, Verum de lupino hepate nõ habeo quod dicam. Ad hepaticas enim affectiones ſcio hoc pharmacum tum per ſe, tum pharmaco ex eupatorio mixtum bibi. An uero etiam ad cruſtas in ore potum conueniat, iuxta aliquam totius ſubſtantiæ proprietatem, per ſolam experientiam iudicare oportet, de qua non eſt quod dicam ut qui hoc non ſim uſus in huiuſmodi affectionibus. Caninum autẽ ſtercus ubi oſſa comederint canes, per omia optimũ eſt, Nam & magnopere auxiliatur, neq; ullam inſuauitatem exhibet utenti. Humanum uero tanq̃ abominandum ſemper deteſtatus ſum. Vſus eſt itaq; ipſo quidam non prædicens, ſed latere conatus. Accepit autem non uulgare, ſed pueris dabat in cibo panem cum leguminibus quæ lupini uocantur, atq; ita reſiccatũ habebat in promptu ad quæcunque eo utique opus eſſet. Quin & Muſa plurimum uſus eſt primus adeo ſtercore canino, album ſemper adſumens. Scribit igitur in præſenti affectione ſimiliter eodem canino ſtercore ſe uſum, his adeo uerbis.

Musa ad Anginam. 4

Ad Anginam stercus caninum album accipito ac resiccato, tritumq; cribro medico cribrato, et in promptu habeto. Vsus tempore melle diluito atque tunc ut deuoretur illinito. Hæc quũ scribat Musa, merito ei adstipulamur: hoc enim pharmaco fortius nullum nouimus, neque in angina, neque in magna tonsillarum inflammatione, aut his quibus ex glandulis suffocationis periculum imminet. Ex Sorano. Experti sumus etiam Sorano scripta pharmaca probe facere, quæ his uerbis tradidit. Chalcitidis tostæ, mellis Attici, quod satis est, chalcitidem cum melle terito ad strigmẽticiam crassitudinẽ, ac utitor. Aliud ad crustas faciens & humore prægnãtes gingiuas itemq; fœtentes. Misyos usti ʒ. octo, iridis Illyricæ ʒ. quatuor, croci drachmam unam. Hæc trita ac mixta in pyxide lignea reponito, & tum per se, tum cum melle utitor. Consequenter uero etiam hæc hoc modo ꝑdidit. Aliud pharmacũ Anthera ad prædicta faciens. Iridis illyricæ, sandarachæ, cyperi, singulorum ʒ. iiij. aluminis scissi, croci, crocomagmatis, singulorum drach. ij. his tritis ac mixtis utere. Quidam uero & florum rosarum, & gallæ, utriusq; ʒ. ij. adijciunt. Vtere aũt ad putredines, & disperatas per abscessum ac cruentas gingiuas arido, Ad crustas cum melle.

B

Quæ Heraclides Tarentinus ad crustas in ore scripsit 5

Heraclides Tarentinus in scriptis suis ad Antiochidem in hunc modum scripsit, de putredinib. in ore. Facit quidem & Anthera admota. Si uero ualidior sit putrefactio, apposita est hæc compositio. Bdellij usti partes iij. auripigmenti partẽ i. tritis mixtis utitor, & superne linamentum conuulsum impone, rosaceo tinctum ac expressum. Quidam bdellij partes octo capiunt Aliud ad robustas putrefactiones oris, ac reliqui corporis. Chalcitidis partẽ unam, calcis uiuæ tantundem, auripigmenti partem dimidiam, tritis mixtis utere. Aliud ad putredines in ore & gingiuarum abscessus. Florum rosarum drachmas quatuor, aluminis scissi ʒ. ij. gallæ drac. ij. mirrhæ drachmam unam, trita melli misceto ac utitor. Verum ad ulcera leuiter crustosa, inijce aluminis drach. quatuor, myrrhæ obol. iij. gallarum dracmam unam.

C

Aliud, Aceti acerrimi heminam unam accipito, in ipsumq; tantũ salis donec nõ amplius liquetur cõijcito, deinde donec siccetur coquito, & ex illo accipito, atq; aceti cyathũ unum affundito, ac ore detinendũ exhibeto, per satis multũ tẽpus, de inde iterũ atq; iterũ idem facito ter aut quater per diem, respectu habito ad subiectas partes. In pueris uero lanas circũ specillũ apponito, intingitoq; ac locum confricato, ea corporis figura ordinata ne ipsam deuoret. Quidã uero arido sale utunĩ terentes ipsum cũ aceto & resiccantes. Faciunt & alumen rotundũ ac sori, pari pondere. Oportet aũt colluere lentiũ decoctũ modico ammixto melle, aut rosarũ cremore cũ melle. Quod si nõ exuperetur per hæc putrefactio, urere iube, munitis & cõtectis in orbem circumsitis locis, Sit autem can-

D

A dens ac pellucens cauterium, quod admoueatur donec nullus humor amplius defluat, & locus uideatur exuperatus. Postea colluenda prædicta, & Anthera compositione utendum ex melle, usque quo crustæ circũrumpanĩ, atq; tum sane melle uteris. Aliud odorũ tenerum ad inflammationes & crustas commodum. Nucum pinearum drach. tres, amyli drac. ij. aluminis scissi ʒ. i. florũ rosarũ drachmã unam, croci obol. iij. Excipe melle, hoc medicamentũ ex Ferula Cratippi sumptũ dicit.

Ad columellam siue gurgulionem Cap. III

Carnosa quædam particula in summo ore apparet dependens, si quis aperto plurimum ore toto, linguam deprimat. Hæc ipsa carũcula duobus nominibus appellatur à ueteribus Græcis, gargareon, & cion, hoc est gurgulio & columna. Ceterũ posteriores Medici fere oẽs, nõ ita, sed cionidem, id est columellam uocant. Nam qui staphylen, id est uuã, ipsam appellant, eorũ neq; meminisse præstat, Nos enim non particulam ipsam, sed unam aliquam eius affectionẽ, staphylen siue uuam nominamus. Raro autẽ hæc affectio circa columellam contingit, Verum ualde sæpe inflãmatur. Et sane quemadmodum in alijs omnibus, in quibus ex humorum influxu cõtingit morbus, Ita etiam hic prima auxilia reprimunt fluxum. Adstringentis igitur facultatis hæc esse oportet, & siquidem moderatus sit influxus, moderate adstringentis, quam austeram priuatim dicunt, Vbi uero uehementior fuerit influxus, acerbæ. Ambę enim adstringunt, sed debilius austera, uehemẽtius autem acerba, Relatæ sunt autem sæpe ambarum materiæ. Verum prestat & nunc meminisse, quo in paruis inflammationibus debiles, in magnis uehemẽtes adhibeatis. Collutiões itaq; moderatę sunt ex palmulis, aut phœnicobalanis, aut quomodocũq; appellare uelis, decoctis quãdoq; sola aqua, quandoq; modico melle iniecto. Huic cõsimilis est collutio ex decocto rosarum, pampinorũ uitis, rubi, rubi canini, aspalathi, cyperi, ac cytinorũ. Itẽ siliquarũ, & radicum mori, hipocisthidis, malorũ austerorum, & pirorũ acerborũ, ac sorborũ. His fortiora sunt myrti ac baccarũ eius decoctum, & ex acerbis cotoneis malis, & uirgultorũ tenerorum ilicis, arbuti, smilacis, ac phagi, & ipsarum glandium, mespilorum item & cornorum, & fructus memæcyli. Generosissimum autem est decoctũ gallarum, & Rhois culinarij ac coriarij, ac fructus myricæ, & spinæ Aegyptiæ. Ex his singula tum per se tum etiam mixtim, cocta ex aqua gargarissare oportet. Mirum enim q̃ mixturæ ipsorũ utiliores sæpe fiunt ipso simplici usu. Quin & aridis tritis columellam contingere oportet, sensim quodam modo ad supernam regionẽ & externam, ad linguam uidelicet, ducendo. Verum trita arida pharmaca cochleario excipiantur, & melius est ut ipsum cochlearium ad finem in obliquã sectionem desinat, quàm in rectam. Et ex his ipsis, Moderatæ quidẽ sunt rosæ, & flos ipsarũ, & uirgulta iam enumeratarum plantarũ, hypocisthis, Rheon, lapis quo sutores muliebria calciamẽta expoliunt,

uocatꝰ autē Ageratus, uelut non senescens, aloeq; & cyperus, & iunci rotundi odorati flos, radix nardi Indicæ, ac nostræ montanæ. Fortiora his sunt, & citra manifestam aspritudinem adstringūt, fructus spinæ Aegyptiæ, Rheon, & quod diphryges appellatur, Rhus obsoniorum siue culinarius, & ex acerbis, balaustium, cytini, malicorium, galla, & magis exacte quū omphacitis fuerit. Adstringūt etiam eximie omnia aluminis genera, Scissum uero inter ea tenuiorum partiū est, & ob id utilius. Atramentum uero sutorium uehementem habet adstringendi uim, sed non expers est calfaciendi, & propterea putredinosis ulceribus conuenit, & tamen exacerbat columellā, etiam si iam sit in scirrhum indurata. Succi porrò adstringentes ex omnibus dictis plantis sunt, & B fructibus ipsarum consimiliter. Dictum est de ipsis inter illitiōes stomaticas, quarū aliquæ ex musti, aliquæ ex mellis mixtura præparātur. Corrūpūtur enim succi omnino, si absq; melle reponantur, aut rursus resiccantur, si plurimum fuerint cocti. Quidam uero succi etiam si ad solem æstiuum siccentur ad moderatam spissitudinem, per tempus tamen exarescunt: & si ad plures annos durarint, in eam perueniūt ariditatem ut conteri queant in modum cytinorum & balaustiorum. Tales sunt hypocisthidis succus, & uuæ acerbæ, ac glycyrhizæ & centaurij. Et ut in summa dicam, Omnes succi etiā si absq; melle diutius fuerint cocti, nō quidem corrūpuntur, uerū tempore fiunt aridi, & quidā sanè uelut dixi conteri possunt, quidā C uero natura uidelicet tenaces & uiscosi, in laminam magis abeūt, q̄ ut conterantur. Atq; hæc quidem simplicia cōmoda existunt. Cōposita autem ex ipsis iuxta duplicem utilitatē fiunt, Vnam quidem ex his quæ eiusdem generis sunt, quando uehemēti molle ammiscemus, carētes medio, uelut florem rosarum aut ipsas rosas cum galla aut alumine permiscentes, & unumquodq; ex prædictis lenibus pharmacis ad uehemens addentes. Non pauca enim numero iuxta huiusmodi permutatio nem erūt. Imò & iuxta mixturā ipsam ex duobus factā, plura pharmaca fient, quum aliàs alia quantitate misceantur. Velut si duplus sit rosarum flos quātitate aluminis, aut uice uersa, duplum alumē ad florem rosarum: possit aūt non solum duplum, D sed & triplum, & quadruplum, alterum alteri misceri. Neque clàm est etiam par pari, atq; hoc quidem mediū fuerit inter summa siue extrema. Reliqua uero omnia partim propius molliori accedunt, quæ uidelicet plus rosarum habent, partim autem uehementissimo, quæ scilicet plus aluminis capiunt. In utrisq; uero non obscurū est magis & minus. Quū eñ duo sunt pharmaca, forte quidem est in quo alumen rosas excellit. Fortius autē est in quo triplū alumen ad rosas continetꝰ, quàm pharmacū quod duplum saltē habet. Quod igitur semper me dicere audiuistis, etiā nunc dicā. Stulti sunt qui inter duo eiusdem generis pharmaca, utrum ipsorum melius sit quærunt, aut quod tandē omnium optimum existat. Perinde enim faciunt

A ac si quis quærat, præstet ne alicā aut ptisanā ægris exhibere, aut Num uinū, an acetū mulsum, aut aliquod purgatoriū medicamentū, aut Num melius sit ueratrū albū an nigrū, aut si in uniuersum quis de omnibus auxilijs interroget, quod ipsorū optimum existat. Omnia enim respectu ad aliquid, tū emolumentū, tum detrimentū in se habent, quod ipsum etiam Hippocrates dixit primus omnium posteriorum quod equidem sciam. Ex recentioribus aūt medicis aliqui, quēadmodū alia multa nugantur, sic etiam talia. Vidistis porrò sæpe opere perfectam quā dico ueritatē. Intempestiue namq; aliqui pharmacis quæ habebant usi, deinde quod exacerbari affectionē his uiderēt, ad alia citra methodū transgressi, & neq; his quicquā efficientes, ad tertiā deinceps transitionē, aliquādo etiā quartam præter rationē delati, & affectū iam malignū esse iudicantes, me in consiliū adhibuerunt: quib. ostendere mihi iussis pharmaca quæ habebant, id quod cōmodum esset ad præsentem constitutionem indicaui: atq; quum ipsi dicerēt per pharmacum quod ego consulebam, ægrum exacerbatum esse, & ob id se eo uti formidare, uerū etiā sic persuasos à me ad ipsius usum cōpuli, et tum illis, tum uobis, utrūq; quod Herophilus dixit, uerum esse ostendi. Siue enim dixeris pharmaca nihil esse sola per se ipsa, recte dices. Nihil enim sunt, nisi utentem eis recte fuerint adepta. Siue rursus pharmaca ueluti Deorum manus esse dixeris, etiam hoc recte dices. Iuuant enim maxime, si is qui eis utitꝰ in rationali methodo fuerit exercitatus, & cū hoc natura prudens. Quidam enim non sanè præstantiores existentes, de sapientia cum prudentissimis contendunt. Mixtura itaq; medicamentorū eiusdem generis, mediorū pharmacorū usus gratia fit, & ob id semper duo contraria facultatibus pharmaca in unoquoq; affectu uos habere operæpretium duco, Permiscendo enim ipsa omnino multis medijs pharmacis abundabitis. una igitur mixturæ eiusdē generis pharmacorū causa hæc est, iam uidelicet relata. Alia porrò mixtura ex diuersi generis pharmacis, ex huiusmodi ratiocinatiōe cœpit. Raro equidē inuenerit quis affectionē aut discussorijs tantū, aut repulsorijs indigentē. Paruæ etenim, & affectiōis nomine uix à medicis dignatæ, cōfestim sedanꝰ, Vbi uero generatus affectus maiorē habuerit causā, impossibile est ipsum per repulsoria perfecte sanare, et maxime ubi ægri corpus fuerit humoribus multis refertū, aut particula affecta natura debilis. Ob id igitur cogimur sæpe quidem in principio, sæpe uero paulo post ammiscere quippiā ex discussorijs. Si uero dolor affuerit simul uehemens, etiā ex mitigatorijs. Itaq; tunc opus est unicuiq; prædictorū pharmacorū aliquid ex discussorijs addere. At uero quum & hæc omnino multa sint, à mollioribus auspicandū erit. Ab acribus eñ inflāmata exacerbanꝰ. Atq; ea gratia cōposita medicamēta in usum uenerūt, quum ad aliarū partiū inflāmationes tum gurgulionis. Veluti quum ad alumen iridem illyricam ammiscemus, aut farinam eruinam, aut thus aut myrrham.

Quum enim adstringentia sint multa, & nõ pauca citra acrimoniam discutiẽtia, uarietas pharmacorum ad columellas inflammatas merito multiiuga facta est. Cæterũ tu perspecta inflãmationis magnitudine ac caliditate, & cõsiderata influxus quantitate, ampliusq; copiã humorũ in toto corpore per cõiecturã assequutus, pharmaco in quo aut adstringentiũ aut discutientiũ uis excellit uteris. Adscribã aũt rursus etiã hic pharmaca quæ ab expertissimis tradita sunt, partim quidẽ cũ ꝓprijs discriminibus, nõ pauca uero etiã citra distinctiones, In quibus sanè ego, uelut etiã in alijs quæ supra tradidi, propria discrimina apponam. A

Quæ Archigenes scripsit ad gurguliones inflãmatos. 2

Ad propositam affectionem sic scripsit Archigenes in primo pharmacorũ. Vua laxata succum dissolutũ admoue, aut gallam tritam cum sale, aut ipsum sal dissolutum, aut lycij radicem tritam, aut omphaciũ cum melle. Si uero fortius uelis. Atramẽti sutorij, squamæ æris, aluminis scissi, misyos, myrrhæ, gallæ, æquas partes tritas ac uino exceptas illine. Si sola illa Archigenes tradidisset & sic cessasset, haud iniuria ipsum reprehenderim citra discrimen scribentẽ pharmaca facultatis penitus contrariæ. Verum quando in sequentibus hanc ipsam tradendi negligentiã corrigit, recte facit. Quod uero indiscriminatim hęc dicta sint, hinc discere licet. Vua, inquit, laxata succũ dissolutũ admoue. Oportebat equidẽ etiã hic apponere, qualem succũ dicat, Verũ quũ omnibus iam persuasum sit cyrenaicũ succũ optime facere ad columellam inflãmatam, non apposuit cyrenaicũ, & ob id sanè minime quispiã ipsi succẽsuerit. At uero ꝙ acerrimũ & maxime excalfactoriũ pharmacũ, ipsum cyrenaicũ succum cum cõtrarijs scripsit, non apponens discrimen, neq; ostendens quãdo ipso succo uti conueniat, & quando astringentib. pharmacis, In hoc perperam fecit. Atramentum sutorium enim & squamam æris, & alumen scissum, & misy, & gallam, omnia æquis partibus in uino terere iubens, ampliusq; ad hæc myrrhã pari pondere addẽs, hoc modo cõposito pharmaco uuam illinit, quod fortissima adstringendi facultate præditum est. Verum huius scripturæ indeterminatã incertitudinem mox mitigauit, præscribendo uidelicet hæc uerba pharmaci cõpositioni, Si uero fortius uelis. Hoc eñ scripsit tanꝗ scientibus nobis quando fortibus utendũ sit. Porrò mixtũ pharmacum est & hoc ubi scripsit, aut gallã tritã cum sale, Galla enim uehementer adstringit. Sal uero discutit cũ modica adstrictione. In principio uero sale non est priuatim utendũ, sicut neq; succo, sed in indurata iam & diuturna columellæ inflammatione. Ipse aũt non columella scripsit, sed uua laxata, cum uulgo existimans columellæ inflãmationem uuã appellari. Et quid mirum hoc putãdum, quando etiã ex nostratibus quidã ob Atticismum superciliosus & iactabundus, uuam ipsam particulam appellari existimauit. Maior eñ huius quàm Archigenis ignorãtia fuit, quanꝗ tum ex alijs ueteribus huius appellationis usus parabilis sit, tum B C D

ex Hippocrate constet, ex his adeo in Prænotionum libro, uerbis. Gurguliones cum periculo excinduntur, uruntur, ac resecãtur quãdiu rubri fuerint, & magni, Nã & inflãmatio ad hoc cõsequit̃, & sanguinis eruptio. Verum tales graciles reddere alijs artibus hoc tẽpore oportet. Hæc præfatus Hippocrates deinceps ait. Quum uero totũ fuerit separatũ, quod sanè uuam uocãt, & extremũ gurgulionis maius & liuidum fuerit factum, superior uero pars tenuior, in hoc sanè tẽpore tutũ est manus admoliri. Præstiterit aũt aluo prius euacuata manũ adhibere, si tẽpus hoc permittat, & nõ suffocet̃ homo. Manifestius aũt adhuc Diocles interpretatus est, qualis sit affectio uua appellata, & post eum Praxagoras & Mantias, & quicunque concomitantia affectus conscripserunt. Quidam uero etiam ob id affectionẽ uuam appellatã esse dixerunt, quod uuæ fructui extremum gurgulionis simile apparet. Quæ porrò deinceps ab Archigene scripta sunt, recte dicta sunt, discrimina nimirum usus ipsorum eo adscribente. Habent autem sic. Commune pharmacum columellæ & tonsillarum. In cõmune tum tõsillis, tum columella inflãmatis, aut exulceratis, in principio cõuenit, quies, inedia, & cõsequens diæta, gargarismi simplices leniter adstringẽtes. Posca dilutior tepida, aut aqua mulsa, aut palmularũ, aut uitis pampinorũ, aut malorum cotoneorũ, aut mespilorum, aut pirastrorũ, aut rosarum decoctũ, ita ut ad austera decocta parũ mellis ammisceat̃. Recte hoc loco adscripsit, austeris parũ mellis ammiscendũ esse. At paulò ante quũ aqua mulsa per se uti iussit in principio inflammationũ, nõ recte fecit. Nihil enim adstringẽs habet aqua mulsa, sed rectissime quis ipsam extersoriam dixerit: & si simul discussoriã dicat, nihil deliquerit. Quæ uero deinceps ab eo scripta sunt, recte habent in hunc modum. Facit & acaciæ succus aqua dilutus. Illinẽda sunt etiam cõsimilia stomatica medicamenta, uelut est quod ex moris cõstat simplex. Rhois item syriacæ ac coriarię cremore cocto ad spissitudinem, cũ melle mixto utere. Aut punicorũ dulcium atq; acidorũ succũ ad mellis crassitudinem decoquito ac utitor. Aut uuæ acerbæ succũ expressum adhibeto. Aut rubi, aut lentisci, aut terebinthi, aut myrti, aut rosarũ succo cũ melle utere. Et postea forinsecus alumẽ scissum cum dimidia aloes parte, ac modica acacia cũ succo solani, imponere cõsulens, hæc uerba infert. Quod si moretur inflãmatio, acetũ tepidum per se gargarisset, aut galla trita ammixta, aut rubi aut agrestis oleæ radice. Aut cyperi decoctũ cum melle. Aut passum cũ aqua. Aut sycites uinum calidũ. Aut maluæ decoctũ. Manifestũ est enim hæc auxilia cõmunia esse, uelut prædictum est, tum columellæ, tum tonsillarum. Verum non recte uidetur mihi passo cũ aqua confidere, utpote imbecilli ad talia medicamẽto. quemadmodũ etiam uino sycitæ, & maluæ decocto, priusquã ad suppurationẽ perueniat affectus: oportebat aũt hoc ipsum ab eo indicari. Cõnectit deinde Archigenes ad prædicta

sic scribẽs. Illinito & ea quæ supra ad ulcuscula in naribus scripta sunt. Priuatim aũt picem cũ oleo aut melle. Aut crocomagma cum modica galla & melle. Aut alumen rotundũ cum flore rosarum tritum, aut rosas aridas, aut florem ipsarũ, trita insperge, aut tum tõsillis, tũ uuæ insuffla. Aut cyperi radicẽ, uel myrtum, aut lentiscum, uel rubum, aut gallam, aut salem tenuem similiter insperge. Aut omphaciũ uel lentiscũ cũ melle illine. Aut florem rosarũ uel crocũ cum mali punici succo. Hic rursus adstringẽtia ad discussoria citra discrimẽ permiscuit. Nihil enim simile est inspergere salem tenuẽ, aut rosas siccas, uel florẽ ipsarũ. Aut pice cũ oleo uti, quod pharmacũ est calfactoriũ ac discussoriũ, aut galla & alumine, quæ pharmaca sunt maxime adstringẽtia. Cæterũ indurata iã inflãmatione, recte pix liquida adhibeatur, aut arida oleo liquefacta. Tũc uero etiã sal cõmodus fuerit, corpore uidelicet prius euacuato. Incipiente uero aut augescente & cum multa caliditate uigente, maxime contrarium auxilium est pix cum oleo, eademq; ratione etiam sal. Cõsequenter autem recte descripsit Archigenes ad uigentem affectionẽ auxilia. Indicat autẽ ex eo, augescens & nihil opus sentiens ex præscriptis malum. Habet sermo eius hoc modo. Si uero in uigorẽ peruenerit affectio, aut aluus subducat̃, aut furfurũ loturã calidã gargarisset, aut ptisanæ succum, aut passum tepidũ, aut radicis dulcis decoctũ cum passo & hyssopo, aut ficus uino incoctas, aut ptisanæ succũ in quo uuæ passę sunt incoctæ. Magnopere iuuatur si amygdalinũ oleum in aures infuderis, forinsecusq; spõgijs expresis leniter foueris. Quin et omelysis ex cruda ordeacea farina imponẽda, aut ex farina seminis lini aut fœni gręci, aut etiã mixtura ex his omnibus facta. Si ita prope suppurationẽ fuerint tonsillæ, coadunare assidue per ficuũ decoctũ oportet, & tantũ non indesinẽter id ad gargarissandum exhibere, similiterq; aquam mulsam calidam. Si uero nihil tale apparuerit, augescat tamen malũ, ita ut ægre trãsglutire possint ægri, & suffocationis principium sit nobis suspectum, aluus forti clysteri aut glande subducendus est, & uena cubiti secanda, cucurbitæq; cum scarificatione collo ac mento affigendę. Fomentis etiam ac cataplasmatis frequentius & robustius utendum & assiduis gargarismis. Quod si ad nullum horũ præsidiorũ cedat sed augeatur, uenæ sub lingua secentur, aut iuxta angulos oculorũ, atq; ea quæ in fronte est. Illinatur autem assidue fel tauri, & elateriũ cum melle, aut sal cũ oleo ueteri melleq; & aceto. Aut cẽtaurea cum melle. Aut absinthiũ cum nitro & melle. Aut hirundines integras unà cũ pennis ustas ac tritas cum melle illinito. Aiunt aliqui etiã summe facere hirundinũ pullos teneros ualde siue recentes, siue inueteratos assatos, & in cibo exhibitos. Statim enim leuãt suffocationem. Siue autem pueri sint, siue senes, sulphur & iridẽ cum melle delingenda dato. Quod hæ cõmunes medelę sint utriusq;, uelut in principio dixit, uuæ uidelicet & ton-

A sillarũ, manifestũ fecit ex his quæ cõsequenter infert, quum ait. Aliqui angina prehẽsis, quos tum synanchicos tum cynãchicos Græci appellãt, elaterij, & fellis tauri, utriusq; obolos ij. cũ aqua mulsa tepida bibẽdos præbẽt. Quidã uero asellos sub aquarijs uasis nascẽtes in potu exhibẽt, aut delingendos dant, aut dolentibus & affectis partibus illinũt, & ualde se iuuari testant̃. Quin & per uaporẽ intra os receptũ hoc modo fomentum adhibetur. Origanũ aut hyssopũ, aut satureiam, cũ sufficienti aceto diligẽter in olla feruefacito obturata, Operculũ autẽ circa medium habeat foramen. Deinde harũdinem ad foramen operculi ac os ęgri adaptato, ac fomẽtum admittito. Si uero os à feruore harundinis cõburatur, ouũ uacuũ utrinq;

B perforatum ægri in ore contineant, & per ipsum harundo inseratur. Mollius fit fomentum, si pro aceto aqua sumatur. Quidam nitrũ, & origanum, & nasturtij semen, ac oleum in posca trita miscẽt, & similiter pro fomento adhibẽt. Aut cinerẽ pullorũ hirundinũ implumiũ illine, aut solani succũ, & butyrum æquis partibus cum rosaceo cerato mento impone. Eis uero qui suffocantur, picem cum aqua & nitro in potu præbe. Hæc quidem Archigenes scripsit. Ego uero nunq; tentaui ulli alicui, ea quæ bibuntur pharmaca, in eiusmodi affectionibus exhibere, qualium sanè tum ipse, tum alij quidam meminerũt. Itaq; hoc quod ad finem sermonis præscripti habetur, his uerbis: Eis uero qui suffocantur, picem & nitrum cum aqua in po-

C tu præbe: non possum mihi persuadere qua ratione sit dictum. Imò neq; ex præceptorib. aliquem, neq; alium ullum eo utentem uidi, neq; etiam ipse in usum assumere tentaui. At uero uenam secare eis qui suffocãtur, & eluere forti atq; acri clysteri, & purgatoria exhibere, gratia euacuandi uniuersum corpus, & transferendi infra humorũ momentum qui ad affectas partes feruntur, rationabile est, & multa experientia iudicatum ac cognitum. Similiter etiam post totius corporis euacuationem, & diuersionem ad infernas partes, pharmacis acribus, multũ discussorijs uti, rationi consentaneum est, & experientiam testem habet. Picem uero cum aqua et nitro in potu prębere, abstinui, utpote quum neq; alium utentem uiderim,

D neq; rationem ad hũc usum ducem habeam.

Quæ Apollonius in primo parabilium prodidit. 3

Apollonius in primo parabiliũ sic ad uerbum scripsit. Ad inflammatã columellam illitiones. Sale trito & melle illinens reprimes columellam. Picem illinens per digitum apprimito. Succum cyrenaicum aqua diluito, & columellę adhibeto. Chalcitidem tritam similiter admoueto, omphacio trito cum melle utitor. Hæc Apollonius. Licet autem nobis uidere in his quæ absq; discrimine scripta sunt, quod si quis non uniuscuiusq; indefinite scripti facultates nouerit, quo in opportuno tempore eis utatur, maximũ omnino nocumẽtum inferet. Scriptum est itaq; hic primum omnium, Sale trito & melle utendum esse. Postremũ aũt, omphacio cum melle. Contraria aũt facultas

est

est omphacij ad salem. Quare si quis in principio sale utat, maxime si humores in corpore ex æquo abundent, aut etiam circa caput hęreant, extreme ęgrum lędet. Omphacium uero in principio com modissimũ est, non trahens neq; euellens ad se ex alto, uelut sal cum melle, sed repellẽs. Sales autem cum melle discussoriam uim habent, modica adstrictoria ui sali cõmixta, quæ sane per ammixtio nẽ mellis penitus euertit. Cæterum id quod ex pice constat, inueteratis inflammationibus, & iam in scirrhũ, ut ita dicam, induratis conuenit. Quẽadmodum etiam cyrenaicus succus non incipien tibus, sed ubi iam quod influit per adstringentia repressum est, prodest. Chalcitis uero in totum in epta est, prætereq; si ualde inueterata & ægre curabilis sit affectio. Est enim medicamentũ mordax si cruda adhibeatur, quapropter ut uim ipsius deleamus, usta frequẽtius utimur. Deinceps Apollonius hæc ad uerbum scripsit. Gargarismi ad pen dulam columellam, Origanũ tritũ, aceto & aqua affusis, feruefacito, & cum caricarum succo misce to ac utitor ad gargarissandum. Aut hyssopum terito, & caricarũ coctarum succo misceto, ac utitor uelut origano. Mentam ac rutam & coriandrum lacte asinino trita gargarissanda præbe.

Apium & lauri folia trita, et uino aut lentis deco cto diluta gargarissato. Noui quendam qui omnibus ab Apollonio scriptis indiscriminatim utitur in principio inflãmationis gurguliõis uno ex his usum esse, & ęgrum extreme læsisse: præter alia enim neque sciebat quid pendula columella esset, quum uelit Apollonius ualde laxatã absq; inflam matione, gurgulionis affectionẽ ostendere, quam etiam resecare consueuimus, atq; in hac reuera pi tuitam detrahentia & calfacientia pharmaca com moda existunt, Nam in totũ subalbida fit & exan guior. Deinde Apollonius hæc subdit. Lotium asini plurimum & calidissimum bibendum præbe. Idem etiam in angina. Miror equidem eiusmo di auxilia tradentes: certe enim scio omnes homines, paucis omnino exceptis, citius mori uelle, q̃ u rinam asini bibere. Verum hic etiam plurimã addidit, & aliàs uelut etiã antè dixi, adsurdissimum est curantẽ oris inflãmationem, pharmacum pota bile exhibere, nisi si ex purgantium numero existat. hæc enim alterius usus gratia dantur. Ex alijs sufficiunt quæ citra transglutitionẽ auxiliari possunt. Quin & quod postea scriptũ est similem habet absurditatem, quod itidem bibere iubet. Scribit itaq; sic de ipso. Lauri folia trita ex uino & aqua bibenda præbeto.

Quæ ab Hera tradita sunt. 4

Heras igitur multo melius quàm Apollonius scripsit modo. Ad columellam laxatam. Gallę om phacitis partem i. salis ammoniaci partẽ i. Vtrũq; per se ac simul terito, & expleto inde cochleario, uuam contingito. Lapidem Ageratũ appellatum quo sutores ad muliebria calciamenta expolienda utuntur, deradito, indeq; cochliarium expletum uuæ adhibeto. Ex his duobus pharmacis, alterũ posterius omni molestia caret, neq; nocere potẽs, neq; magnopere iuuare, quocũq; tandẽ tempore quis eo utatur, Fortius est prius. In principio itaq; & quum ualde rubent, minime aptum est. Si uero præeuacuato toto corpore, & post repulsoriorũ pharmacorũ usum, adhibeatur, ubi nõ ualde rubens sit gurgulio, iuuare potest. Ex contrarijs enim fortibus componitur facultatibus repulsoria & discussoria. Quare non recte fecit Heras indiscriminatim ipsa tradendo.

Quæ Heraclides Tarentinus tradiderit. 5

Tarentinus porrò Heraclides in libris ad Antiochidem, ad inflammatas columellas sic scripsit.

Omphacium siccum terito, & ammixto sufficienti melle adhibeto. Aut gallam tritam cum melle, aut alumen scissum eodẽ modo. Aut succum cyrenaicum cum melle. Aut Melanteriam qua sutores utuntur. Aut Andronium pastillum, quem in uulnerarijs medicamentis referam, cũ uino. Oportet autem post hæc lentium decoctũ gargarissare. Recte ad finem hoc adscripsit. Vehementia eñ sunt omnia præscripta ad ipso pharmaca, acerba qualitate prædita, & ob id exasperanti, Itaque aspretudinẽ ab ipsis inductam mitigare uult per lentium decoctum. In moderata inflammatione non est necesse his uti, quemadmodum neq; ubi columellæ ualde rubræ fuerint, & calidam inflam mationem habent. Imò neque in declinatione earum: tunc enim discussoriorum medicamentorum uim prædominari oportet.

Ab Asclepiade prodita. 6

Asclepiades ad easdem sic scripsit. Siccũ ad laxatas columellas. Anethum unà cum semine & radicibus quod satis est accipe, & in uas fictile coniectum, cuius os sit subobturatũ, & ipsum uas luto oblitum, in furnum donec uas ignescat mitte, deinde ex furno extractum anethum ustum tere, & sublatum repone. Vsu uero expetente anethi par tes ij. accipe, & iridis illyricæ in tenuissimum puluillum redactæ partem i. ammisce, ac per harundinem insuffla. Aliud, Rosarũ siccarum sextarium i. nardi celticæ unà cum radicibus & adhærente terra fasciculum unum, nidi hirundinũ syluestrium aridi drach. iiij. myrrhæ drach. viij. gallas omphacitidas numero xlv. contusa & trita insuffla, & cum digitis adhibe. Ex his duobus phar macis prius penitus nihil ex repulsorijs habet, sed est totum discussorium. Alterum uero ex contrarijs mixtum est facultatibus: multã enim discusso riam uim habet syluestrium hirũdinum nidus, adstringentem autem gallæ, Mediæ uero potentiæ est myrrha, & mixtę nardus celtica, Ita ut tum discussoria, tũ adstrictoria facultas, ambæ in eo sint moderatæ. Cæterum per harundinem eiusmodi pharmaca insufflari, ualde improbo. Defertur enim ex ipsis multum, tum in gulæ summum, tum in ipsam gulam. Præstat itaq; cochleario indita ap primere, quemadmodũ ego uti soleo, ut uidistis. Quin & tertiũ pharmacũ Asclepiades post prædi cta duo conscripsit his uerbis. Siccum ad laxatã columellã & tumentem Neapolitæ. Piperis albi ʒ. i. myrrhæ ʒ. i. aluminis scissi ʒ. ij. gallæ ompha citidis

citidis 3.ij. trita admoue. Hoc pharmacũ à principio usq; ad finẽ utile esse poterit, præterq; in uehementer rubentibus. In his eñ uitare oportet acrium ac mordaciũ ualde mixturã, qualẽ hoc loco piper existit. Aliud deinceps eiusdẽ facultatis scripsit ad tumentes columellas ex his cõpositũ. Lapidis agerati 3.iiij. floris lapidis Asii 3. iiij. terræ Samiæ 3.iiij. aluminis scissi 3.ij. croci torrefacti 3.ij. gallarũ omphacitidũ 3.ij. tritis utere. Hoc & nos usi sumus sæpe ut optimo, & quod omni tẽpore iuuare possit, præterq; uelut in præcedenti dixi, statim in principio, & quũ ruber & calidus fuerit inflãmationis tumor. In inueteratis aũt iã, & corpore euacuato, post unum usum statim magnam cõmoditatẽ exhibet. Sunt enim uehementer adstringentia, ac discutientia, & ea quæ mediæ materiæ sunt, in ipso temperate mixta.

Critonis pharmacum hoc modo scriptum ad columellas, 7

Hoc pharmacum ad ipsam temporis oportunitatẽ apparato. Ossium palmularũ, nucum tenerarum immaturarũ siccarũ, utrorũq; 3.iiij. urito ac in puluillum terito. Vtere arido admoto. Et in hoc pharmaco ossium palmularũ uis satis discussoria est. Nam & in alijs affectionibus, eorũ experientiam habemus, quod eiusmodi uiribus sint prędita. Nucum uero tenerarũ siccarum cinis, discussoriam uim habet unà cum adstringente.

Sorani ad columellas. 8

Quin & Soranus pharmacũ indiscriminatim scripsit, nõ apponẽs in quibus priuatim faciat. Habent aũt uerba eius hoc modo. Radicẽ dulcẽ contundito, & mel & dulcem aquam pari mẽsura affundito, deinde coquito, et succũ gargarissandum præbeto. Peccauit in hoc quod nõ adscripsit, maxime mitigatoriũ hoc pharmacũ esse, quod in uigore inflammationum magnopere auxiliari potest. Huius usus commodus etiam est, ubi ex acerbis pharmicis immoderatius quis irritarit & exasperarit columellam iuflammatam. Hanc enim lenit hoc pharmacum.

De pharmacis ad ulcera oris aphthas appellatas. Cap. IIII

Vlceratiões insuperficie oris obortas aphthas appellant, habentes quippiam igneæ caliditatis: fiunt aũt ut plurimũ pueris lactentibus, quum aut uitiosum fuerit lac nutricis, aut non probe ipsum concoxerit infans. Curatur facile utpote quæ ex moderate adstringentibus sedantur. Quandoque tamẽ diuturnę fiunt ac ægre solubiles, & progressu tẽporis putredinosum quid acquirunt, quod à Medicis Nome appellat. Scripta itaq; sunt & ad ipsas medicamenta moderata quidẽ ad eas quę nihil maligni habent. Fortia uero ad eas quę iã quid putredinosum & serpendo depascens habent. Mentionem faciã eorũ quæ recentiores coaceruarunt, Nam ex his quę ueteres conscripserunt, optima cum magna experientia ipsi elegerunt, & quędam eorum quę postea inuẽta sunt apposuerũt. Inuenias aũt post ueteres, etiã Mantiæ & Heraclidę Tarentini plurima pharmaca scripta. Similiter & Menecrates librum optimorũ pharmacorum inscripsit, ex quibus plurima ipse inuenit. Quemadmodum & cappadox Heras. Andromachus aũt duos, & tertiũ in quo oculorũ pharmaca cõtinentur. Plures aũt libros cõposuerunt Antonius Musa, & post eum Asclepiadæ duo, et post hos Crito. Verum hi quidẽ tres post Andromachũ nati sunt, Heras aũt ante Andromachũ, & ante ipsum etiã Musa ac Menecrates. Lõgo uero tempore etiam hos præcessit Heraclides, & præceptor eius Mantias. Verũ Mãtias uelut ab initio Herophili sectator fuit, ita etiam per omnia mãsit. Heraclides aũt medicorum empiricorũ sectam elegit, optimus medicus tum circa alias artis partes factus, tũ plurimorum pharmacorũ expertus. Quum itaq; aphthę, de his eñ sermo institutus est, malignæ euadunt, fortioribus medicamentis egent, qualia etiam alias in tonsillis ac ore affectiones sanant. Prædicto igitur scopo cõpositionis eorũ, nihil amplius opus habeo de his dicere, sed ad narrationẽ progrediar præcognitorũ, initio sumpto ab his quæ Andromachus scripsit, quemadmodum consueui ad uerbum ipsa transcribere.

Quæ Andromachus scripsit ad aphthas. 2

Non solũ Andromachus, sed & alij multi duo pharmacorũ genera ad aphthas conscripserunt. Ad eas quidem quæ nihil maligni habent, moderata uiribus pharmaca cõponẽtes. Ad malignas uero fortiora: adscribunt aũt in his ipsi aliquando quod ad aphthas & ulcera hoc pharmacum conuenit, aliquando quòd ad aphthas putredinosas, Quum uero simpliciter ad aphthas adscripserint, simplices indicant & nihil maligni habentes. Andromachus igit̃ ad malignas aphthas sic scripsit. Ad aphthas in ore & ulcera. Aluminis scissi usti drachmas ij. fructus ericæ drach. i. oleo excipito, & per digitum locis apprimito. Aliud, Aeruginis drach. ij. aluminis scissi partes ij. gallę in puluillum redactæ partem unam, terito & per linteolum concernito, deinde digitũ oleo madefacito, succumq; excipito, & tonsillis extergendis apprimito, item palato, & uuæ. Disparat pelliculas, & tollit asperitates circa ipsum os, callos excoriat, & ulcera ad cicatricẽ perducit. Cæterum ad aphthas in superficie hærẽtes sic scripsit. Ad aphthas lycium Indicum uino tritum circumlitum facit, & ericæ fructus tritus, aut rosæ siccę cum melle. Hęc præfatus infert. Si uero nigræ sint & malignæ, Vuæ passæ puræ partes iij. anisi tantundẽ, trita cum melle illine, deinde collue.

Quæ Crito ad aphthas scripsit 3

Crito uero sic ad aphthas scripsit. Portulacam in melle tinctam manducet, aut oleę folijs in uino coctis os colluat, aut foliorũ myrti albæ decocto ex uino, aut æruginis uermiculatæ obolos iij. in uini heminæ parte quarta tritos colluat. Quin & galla in aceto acri teratur, ac illinatur. Faciunt & amygdalæ amaræ cum melle. Nigrefactas autem aphthas, uua passa exacinata & aniso tritis cum melle illine. Tarẽtinus autem Heraclides, ubi exterseris ait farina erui cum melle, gallã cum melle adhibe. Conuenit & Rhus obsoniorum cum mentę ramulis. Sit autem Rhois copia quantum tribus

tribus digitis prehendi poteſt, mentæ uero ramuli tres, & roſarum folia ſeptem, & nuces pineæ ſeptem. His omnibus cum melle tritis utitor, aut lycio ex aqua. Conuenit & fex uini dulcis illita cum melle. Aut alumẽ, & malicorium punici dulcis, æquis portionibus terito, & adipe anſerino mixta illinito, atq; aquam calidam frequentius colluendam præbeto, ampliusq; adipem anſerinũ admoueto. Aliud Muſæ. Fructus myricæ drachmas ſex. aluminis ſciſsi drachmas duas. oleo excepta admoue. Aliud maxime in pueris. Rhoem rubrũ tritũ melle mixtũ illine, aut adipẽ ſuillum & mel liquefacta. Præbeto eis etiã gargariſſandum lac aſininum. Quod ſi multa ſaliua feratur, gallam & ſolanũ aceto diluta gargariſſare facito, aut uiolas albas ſiccas cum melle tritas illinito. Hæc quum ſcripſerit Crito, meritò quis ei ſucceſeat, uelut etiam alios ſemper reprehendo, qui ex ordine indiſcriminatim auxilia recenſent, non apponentes an incipiente affectione, aut progrediente, aut decedente, aut uigente, aut decreſcente, conueniant, & Num parua exiſtente affectione & mãſueta, aut adeò maligna ut iam putredinoſum quid habeat. Ex his enim quæ ſcripſit aliqua ſimpliciſsima ſunt in pueris maxime conueniẽtia nullam affectionem habentibus. Velut quum adipem ſuillum et mel liquefacta aſſumit, et multo magis quũ aſininum lac colluere præcipit. Simpliciſsimum pharmacum eſt & portulaca melle tincta & manducata, & collutio ex folijs oleæ, ſimiliterq; ex myrto alba. Fortiſsimum uero quod ex ærugine & uino conſtat, quemadmodũ etiam galla acri aceto trita ac illita. Valde enim forte hoc pharmacum, uelut etiam id quod ex ærugine conſtat. Verũ in illo pauciſsima eſt ærugo, (obolos enim tres dixit in uini quarta heminæ parte terendos eſſe ac colluendos) debiliſq; fit, copia mixturæ uini exoluta, Galla uero aceto acri trita ut craſſa fiat, & illitioni apta, ualde uehemens eſt pharmacum, Quemadmodum etiam quod ex alumine & malicorio punici dulcis componitur, quod niſi ad adipem anſerinum ammixtum eſſet, ad putrefactiones fortes congruens eſſet. Forte eſt & quod ex myricæ fructu ac alumine conſtat, ſed nõ adeò uelut id quod ex galla & aceto. Semel porrò tantum recte fecit apponendo in uerborum ſerie ſic. Quod ſi multa ſaliua feratur, gallam & ſolanũ aceto diluta gargariſſare facito. Multam enim ſaliuam ferri, maiorem affectionem eſſe ſignificat. Præſtabilius autẽ fuiſſet ſtatim dixiſſe. Quod ſi paſcendo proſerpat affectio, aut ulcera profunda fiant, aut eiuſmodi quippiam adſcripſiſſe.

De his quæ Aſclepiades ad aphthas ſcripſit. 4

Recte igitur fecit Aſclepiades, tametſi nõ multa pharmaca ad aphthas conſcripſit. Veruntamen in duobus quæ in principio tradidit ſic. Ad aphthas citra nomen ſerpendo depaſcentes. Deinde poſt duo rurſus adſcribens. Ad aphthas depaſcentes. Lenia enim ſunt duo pharmaca, alterum quidem prius in quo ait. Medullam bubulam melle mixtam ac tepefactam illinito. Maxime uero pueris infantibus eſt commodum. Alterum uero eſt. Adipe ſuillo melli admixto utitor. Cæterum ad depaſcentes aphthas, gallarum decocti cyath. ac mellis tantundem miſcere iubet, & ferueſacto uti. Verum ego tum hoc pharmacum, tum alia tria poſt ipſum tradita, paulo antè in pharmacis ad nomas præſcripſi: neque enim referre puto, ſiue ex aphtha, ſiue ex alio quopiam tranſitio ad nomen contingat.

Quæ ab Apollonio ad aphthas ſcripta ſunt. 5

Apollonius autẽ Herophili ſectator in primo parabilium pharmacorum ſic ſcripſit ad uerbum. Ad aphthas albas. Chalcitidem oleo tritam penna illinito. hoc eueſtigio ſedat. Poſtquam uero pura facta fuerit, Myricæ fructum tritũ, & aqua mulſa aut uino dilutum illinito, maxime infantibus. Deinceps autẽ aliud ſcribit, & maxime ad nigras aphthas. Vuam paſſam exacinatam & aniſum trita cum melle illinito. Et rurſus aliud. Atramento ſutorio trito cum melle utitor. Videtur ſanè in malignis, eiuſmodi pharmacis iubere uti.

Adſcripſit itaq; ad primũ. Ad aphthas albas. Ad ſecundum. Ad nigras. oſtendens per id colorem præter naturam, & magnitudinem affectionis. Conſequenter adſcribit & collutiões ad aphthas, hac uerborum ſerie. Vino nigro auſtero & ſubadſtringẽte colluito. Oleæ folijs in uino coctis colluito. Myrti albæ foliorum decocto cum uino ſimiliter utere. Hæ collutiones citra diſcrimen ſcriptæ nullum detrimentum inferunt. Nam & in moderatis, & in maioribus, & in maximis affectionibus conueniunt. Recte uero deinceps aliud ualde efficax ſcripſit. Aeruginis uermiculatæ obolos iij. in uini quarta heminæ parte gargariſſandos præbe. Deinde etiam uinum colluendum præbe. Hoc enim in fortioribus cõuenit, quemadmodum etiã quod cõſequenter ſic ſcriptũ eſt. Muriã oliuarũ & acetũ pari mẽſura mixta colluẽda dato, indeq; uino colluito, poſtea etiã aqua mulſa, deinde aqua. Poſt omnia uero oleum colluendum præbe. Poſt hæc duo pharmaca ſcribit diuerſis formis ac ſpeciebus aphtharum congrua. Hyſſopum enim tritum ad calidas & eroſas affectiones, itemq; puras maxime contrarium eſt: congruit autem ſordidis & inflammatis aphthis. Omphacium uero cum uino aptum eſt pueris & mordacitatem ſentientibus ac eroſis. Iubet autem omphacium cum uino tritum collui, hyſſopum uero cum uino & aqua mulſa. Validũ ualde eſt quod ab his ſequitur pharmacum, ut iam paſcendo proſerpentibus aphthis conueniat, quod ipſum componit, myricæ fructum coquens cum aceto. Validum eſt & quod deinceps ab eo ſcriptum eſt, in quo ait, Gallam tritã in acri aceto colluendã præbe. Hoc uero quod poſtea ſequitur, in quo ait, ſucco ſilphij diluto ſimiliter utitor, & poſtea oleum colluẽdum dato: etiã ipſum acre & mordax eſt ac diſcuſſorium non adſtringens. Non recte itaq; adſtringentia & acerba ac repulſoria, diſcuſſorijs ammixta ſunt ac acribus,

A atq; hoc nullo discrimine adiecto. Quod uero se-
quitur ex aceto apparatum generosum est: quòd
autem non apposuit ad acetum, acre, in hoc deli-
quit, & quod per semen lini moderatius reddi ta-
cuit. adiecit autem ipsi etiam lolium, pharmacum
multum discussorium, atq; propterea ipsum ad lin
guæ tumores conuenire ait. Verum adscribam o-
mnem ipsius dictionem. Semen lini, ac lolium, æ-
quis partibus aceto trita colluito. Hoc itidē ad lin
guæ tumores facit. Longe lenius his omnibus
pharmacum deinceps scripsit hoc modo. Folia
pruni contusa ac lacte permixta colluito. Quum
em̄ adiecerit sermoni, colluito, manifestū est quod
multo lacti pauca folia ammiscet. Nam si folia
cum lacte trita pro pharmaco inunctili esse iussis-
B set, palàm utique esset, quòd multa folia, pau-
cum uero lac esse iussisset. Deinceps porrò etiam
quæ mansa aphthas iuuent annectit. Mandendæ
sunt oliuæ muria conditæ. Manifestum est lenissi-
mum hoc pharmacum esse. Et rursus. Portulaca
melle tincta mãducetur. Et hoc similiter mite est.
Differunt hæc duo inter se in eo, quod oliuæ mu-
ria cōditę & adstringūt, & discutiūt: plurimā uero
in se adstringēdi uim habēt. Portulaca uero cū mel
le imbecillius est pharmacū. Consequenter probe
fecit quū ait: In pueris conuenire quæ dicturus est
medicamēta. Scribit uero de eis in hæc uerba. Vbi
puer aphthas habeat, Similaginem & medullā bu
bulā, ac farinā, cocta in cibo exhibeto. Si uero su-
gere nequeat, lienem bubulum in uino coctum,
ac tritum cum melle, in cibo dato. Hoc pharmacū
C superuacaneum est, & plus æquo curiosum. Dein
ceps recte scripsit. Abstinendum circa diætam, ab
acribus, & salsis, & acidis tum edulijs, tum poti-
bus. Deinde haud scio quo modo, in hanc senten-
tiam scribit. Atramentū sutoriū tritum cum melle
illinito. Hoc enim medicamētum superius scribe-
re oportuit cum alijs fortibus pharmacis.

Quæ Archigenes scripsit ad aphthas. 6

Quædam ex his quæ Archigenes ad aphthas
scripsit, eadē sunt cum præscriptis, Verum uisum
est mihi ex ordine omnem ipsius sermonem ad-
scribere, ita ut nihil ex eo relinquam. Scribit igi-
tur sic. Ad aphthas collutiones faciunt. Foliorum
oleæ decoctum, aut foliorum myrti albæ eodem
D modo. Aqua oliuæ colymbadis appellatæ, hoc est
muriæ innatantis. Facit & amurca, & marrubij
succus, aut lentis decoctū, seu rubi, aut cypri. Aut
æruginis uermiculatæ obolos tres in uini cnidij
quarta heminę parte dissolutos colluat. Illitiōes
autem faciunt pleraq; ex descriptis stomaticis me
dicamentis: priuatim autem congruunt hæc. Alu
minis scissi, florum rosarū, æquales partes, fructus
myricæ duplum, utere siccis. Aut thus & glycyrhi
zę succum æquis portionibus, gallæ, myrrhæ, ani-
si, singulorum parum quid, cum uino protropo il-
line. Aliud. Mannam & salem pari pondere
sicca, per pennam adhibeto. Aliud. Fecem ui
ni dulcis cum melle illinito. Aliud. Misy & a-
lumē & Rhoem cum melle, aut chalcitidem cum
oleo, per pennam illinito: uehemēter bonum est.

Aut oleæ folia cum oleo illinito. Postquam
uero repurgatæ fuerint, myricæ fructum cum a-
qua mulsa aut uino illine. Aut ubi cum erui fari-
na & melle exterseris, gallam cum melle adhi-
be. Aut myricæ semen & aluminis tertiam par-
tem cum oleo illine. Hoc etiam ad nomas fa-
cit. Aut adipem suillum aut anserinum man-
na inspersa illinito. Aut gallam tritā cum oleo.
Aut liquidum alumen dilutum. Aut cypri fo
lia manducent. Aut lycij radicem aridam adhi
be. Aut oleæ germina trita ex melle. Aut gal-
lam cum sale. Si uero extendatur affectio, & ser
pendo putredinose depascat, collutionibus qui-
dem & gargarismis utēdum est ad aphthas descri
ptas fortioribus: priuatim autem muria frequen-
tius colluenda est. Aut herbam sacram aqua aut
uino incoctam colluendam aut gargarissandam
dato. Illitionibus etiā ad aphthas descriptis for-
tioribus utatur: priuatim uero cornu cerui tritum
affrica. Aut atramētum sutorium tostum tritum
cum melle. Aut æruginem æris siue squamam
cum melle. Summe facit ad nomas, fœniculi ra-
dicis ustæ cinis. Hæc ad aphthas Archigenes in
primo de pharmacis scripsit, quæ parum abest ut
ōnia etiam alijs sint scripta. Quid igitur operæ-
pretium duxi eadem bis scribere, quamuis caue-
rim ne hoc facerem? Quòd sane & Archigenem,
quem scimus maiore quàm alios dignitate, etiam
communia cum proprijs discriminibus scribere
posse, uidebam nunc ipsum in pluribus eiusmodi
doctrinæ negligentē. Nunc enim omnia cōfusim
proijcit auxilia, unà cum hoc quod cōtinenter in-
ter se scribendo cōmiscuit, lenissima & acerrima.
Quid enim simile habet ærugo ad lētis & rubi ac
cypri decoctū? quid galla simile adipi anserino aut
suillo? Acre enim & erodens fortiterq; resiccans
pharmacū est ęrugo. Rubus aūt & cyprus, & lens,
paucissimam habent adstringendi facultatem. Sic
etiam galla fortissime adstringens, cōtrariam uim
habet suillo ac anserino adipi. Quin & deinceps
ab eo scripta planeq; omnia quorum mentionē fa
cit, eandem confusionē perturbati ordinis habet.
Præstabat autē uelut semel alicubi in sermone ap-
ponendo dixit, Hoc etiam ad nomas facit: eodem
modo etiam alia distinxisse, ut adscripsisset uideli
cet, hoc quidē infantibus ac pueris conuenit, hoc
uero perfectis: & hoc incipientibus aut modera-
tis aphthis, hoc aūt uigentibus & fortibus. Maxi-
me uero omnium, aut inflāmatis & calidis, aut ma
gis frigidioribus: & ex inflāmatis, hoc quidem ru-
bicūdioribus, hoc uero flauioribus. Aliæ enim ex
sanguine, alię ex flaua bile inflammationē habent.
Quemadmodum rursus non inflāmatæ pituitosæ
in totū existunt, quemadmodū aliquæ ex inuete-
ratis humoris atræ bilis malignitatem acquirunt.

Cognoscent̄ hæ ōmes facile uisu simul et tactu.
Visu quidem ex coloribus, quemadmodū etiam
nunc dictum est. Rubicundiores enim sanguineū
humorē præualere ostendunt: flauiores autem a-
maram bilem. Quemadmodū rursus albescētes pi
tuitosiorem, liuescentes & nigrescentes, atræ bilis

succum. Qui enim hæc rite discreuerit, nouerit& A amplius singulorum simplicium pharmacorum facultatem, quemadmodũ in libris de ipsis à me scriptum est, is in unaquaq; aphthæ specie, tum simplicibus, tum compositis uti sciet, uelut iam sæpe est prædictum. Considerabit autem simul & corporum naturas. Num molles sint & humidæ, uelut in pueris, eunuchis & mulierculis, an duræ & aridæ, uelut in piscatoribus ac nautis, & uenatoribus atque agricolis. Fortioribus enim corporibus fortiora adhibebis pharmaca, debilioribus molliora. Ego porrò infantibus qui adhuc à nutricibus aluntur, lentẽ cum modico pane & medulla cerui, aut situli præbeo. Ammisceo etiam cibis, ex malis cotoneis, atq; alijs quæ adstringunt, uelut Romæ cestiana appellata. Quin & ex piris addo, sorbisq; ac B mespilis, & cornis. Quandoq; etiam ex lactuca, & seride, ac solano, & portulaca in cibos permisceo, si aphtha fuerit inflammata. Quod si cibum adhuc adsumere non queant, nutricẽ eiusmodi uictu alo, eiq; simul bonam cõcoctionem prospicio. Verum tamen etiam infantes pharmacis illino, siquidem subrubras uidero aphthas, in principio quidẽ his quæ moderatissime adstringunt ac frigefaciunt: deinde uero his quæ citra mordacitatem discutiunt. Si uero subflauas uidero, ijsdem quidem utor, sed magis refrigerantibus. Si uero pituitosiores, adstringentibus. Si nigrescẽtes, discussorijs generosioribus. Cæterum in maioribus pueris, eiusdem generis facultatibus pharmacorum utor, auctis tantum uiribus ipsorum. Quemadmodum sanè etiam in perfectis & duris corporibus, singulis C relatis facultatibus fortissimis utor. Sufficit autẽ mihi in his per omnia misyos usus cum uino adstringente, quod tum intendit, tum remittit uim suam, prout magis aut minus uinum fuerit adstringens, & prout crassius aut liquidius efficitur pharmacum ex misyos ac uini mixtura. Quod si sordida appareat aphtha, Misy cum uino mulso tero. His uero qui fortioribus quàm misy est, pharmacis opus habent, Aerugo similiter cum uino & uino mulso utilis existit. Illinendæ autem sunt ex his pharmacis affectæ oris partes. Commodum est etiam pharmacum ad hãc rem, chalcitis oleo trita. Atque hæc quidem efficaciora. Moderata uero & maxime ad incipientes affectiones, omphacium cum uino & uino mulso. Similiter etiam Rhus. In pueris sufficit rosarũ flos, & ipsæ rosæ siccæ, & collutiones moderate adstringentes, pro ætatis & naturæ eiusmodi corporũ ratione. Et in summa, Moderatæ aphthæ maxime in teneris corporibus, moderatis pharmacis opus habẽt. Fortes uero & maxime in duris corporibus, à fortioribus curantur. Fortia pharmaca dico, tum quæ fortiter adstringunt, tum quæ mordent, & immoderatius discutiunt. quemadmodum moderata, ea quæ omnino non mordent, & parum adstringunt. Fiunt porrò etiam in his, uelut in alijs prius dictum est affectionibus, composita medicamenta, & sæpe etiam ex contrarijs, quale est quod ex oleo & chalcitide cõstat. Ipsum equidem oleum per se infestissimũ est aphthæ affectui, uelut etiam chalcitis. Quãdoquidem alterũ quidem humectat & sordidum facit. Mordet autem uehementer chalcitis. Verum mixtura ipsorum ubi fuerit moderata, optimũ pharmacum efficit. Quemadmodũ igitur ex cerato & ærugine, incarnans effici pharmacũ ostensum est, quum tamen ambo incarnationi cõtraria existãt, Eadem ratione ex oleo & chalcitide aptum medicamẽtum efficitur. Si uero in putredinem aphtha uertatur & exulceratiões facit, neq; aphtham amplius affectionem nominare conuenit, neq; pharmaca eiusmodi affectiones curantia, inter ea quæ aphthis commoda sunt connumerare. Quemadmodum neq; inter erysipelata sanantia, recte connumerantur ea quæ præclare discutiunt liuidas & duras partes, ex frigidorum medicamentorum adhibitione tales factas, & iam ad induratam in scirrhum affectionem, ex erysipelate delapsas. Profecto enim qui eiusmodi scripturarum indiscriminata incertitudine decepti, erysipelatis calida & discussoria medicamenta, aphthis autem ea quę putrefactis conueniunt, adhibent, non parum detrimenti inducunt.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI VII

Cap. I. De affectionibus circa partes respirationis cõtingẽtibus: & diuersis eorum remedijs, leuibus, medijs, & fortibus. II. De arteriacis 18. ab Andromacho descriptis. 2. Critonis arteriacæ. 4 3. Diacodion ex capitibus papaueris, iuxta ueteres, Andromachum, Critonem, Heram, Damocratem, & Soranum. Eiusdẽ confectio secundum Galenum. De usu cõfectionis huius. 4. Arteriacæ Asclepiadis. III. Confectiões ad tussim, Andromachi. IIII. De reiectione sanguinis, & D hæmoptoicis. 2. Andromachus. 3. Vsus prædictorum Andromachi pharmacorum. 4. Asclepiades. Vide & sequẽs caput. V. Confectiones dolorẽ sedantes, tabescẽtibus & sanguinẽ reiectantibus commodæ, itemq; alijs quibusdam accommodatæ præterquam colicis. 2. Quæ Andromachus scripsit ad prædictas affectiões. 3. Asclepiades. VI. De orthopnœa. 2. Asclepiades ad dyspnoicos. 3. Andromachus ad huiusmodi affectiones.

CLAVDII GALENI DE COMPOSITIONE
PHARMACORVM SECVNDVM LOCOS LIBER VII

De affectionibus circa partes respirationis contingentibus. Cap. I

MOS est recentioribus medicis arteriæ pharmaca, Arteriacas appellare, non apponentibus num antidotos dicant, an iuxta aliud significatũ. Quidam uero electa nominant ipsa, non apponẽtes pharmaca, & quidam penitus nullũ discrimen ipsis adscripserunt, aliqui uero raro addiderunt, alij ad uocem interceptam, alij adhuc generalius ad uocem læsam. Sunt qui & ad exasperatam arteriam, & ad exulceratam scripserunt: adeò ut rationabile sit, eos qui arteriacis appellatis pharmacis indiscriminatim utuntur, aliquãdo feliciter eis uti, aliquãdo uero nihil penitus ægros iuuare, sed maxime lædere. Palàm est autem quod asperã arteriã in huiusmodi affectionibus criminãtur. Quondam igitur quando nondum eas quæ similiter ut cor pulsant arterias, sic nominabant, in solam eam quæ ex pulmone in laryngem emergit arteriam, ipsum arteriæ nomen inferebant, Venas appellantes in totũ, uelut alias quæ nõ pulsant, sic etiã pulsantes. Postea uero consuetudine obtinente arteriæ appellationẽ in pulsantibus dici, propter æqui uocationẽ asperæ nomen apponẽtes, eam quæ ex larynge in pulmonem descendit arteriã, asperã arteriam appellauerũt, unà cum hoc quod ipsam etiam bronchũ uocãt, quandoquidẽ cartilaginosa corpuscula, quæ plurima eius pars sunt, bronchia appellant. Ambit autẽ ipsam arteriã intrinsecus crassa pellicula, quam ob crassitudinẽ aliqui tunicam uocant. Quum igitur affectio aliqua aut circa hãc, aut circa laryngis (qui summa arterię pars est) musculos contingit, arteriacas appellant curantes ipsam, nõ apponentes, uelut dixi, antidotos. Dissimiles autẽ facultatibus sunt ab ipsis descriptæ, & ob id cõtingit utentes ipsis absq; discrimine, à scopo aberrare. Quod uero multa sit differentia earũ quæ in medicamentarijs libris scriptæ sunt, ex tribus exemplis discere licet, quorũ primũ omnis acrimoniæ expers est, & exquisite meatus obturat, leuigans asperitates. alterũ huic contrariũ est, acrimoniæ mordacis non parũ habens, ut si sanæ particulæ adhibeatur, ipsam exasperet. Mediũ deinde inter ambo dicta, aliud genus arteriacorũ pharmacorũ est, lenis & citra acrimoniã extergẽtis facultatis. Id igitur quod meatus obducit, ex passo cretico, & gummi, & tragacantha, ac radice dulci apparatur. Acre uero ex pipere, et cassia, et cinamomo, & galbano, ac resina terebinthina. Mediũ autem amborum ex ptisanæ constat succo, & amygdalis, & fabis fresis elixis, & alijs huius generis. Inter medium autem & utrunq; extremum plura pharmaca sunt, partim magis, partim minus, à medio progressa. De quibus deinceps determinabo, eos quidem qui discrimen aliquod addiderũt laudaturus,
A qui uero simpliciter protulerunt, neq; admissurus. In horum medio locandi sunt, qui discrimina non tamen integra fecerũt, qualia sunt eorum qui scripserunt. Arteriace ad interceptã uocem. aut rursus. Arteriace ad raucã uocem. Etenim uox intercepta, hoc est non posse loqui, ad plures causas sequitur, partim quidem ad destillationes à capite diuturnas, partim uero suppuratis pectore ac tabidis, & his qui ex magno & multo clamore læsi sunt, & deinde non probe curati sunt, aut etiã affectionẽ quæ adhuc generatur habent. Eodem mo-
B do etiam raucosa uox fit ob easdem causas, & amplius ob frigidi aeris inspirationẽ. Affectio itaq; interceptæ ac raucosæ uocis eiusdẽ generis est. Magnitudine tamen differunt inter se hæc mala. Quũ enim uocis organa ab humiditate uehemẽtius & ut ægre solui possit, fuerint madefacta, uox intercipitur. quando uero moderatius sunt humecta, raucedo oboritur. Organa uocis quum dico, arteriã accipite, & eius summum, ac fauces. Qui igitur ex uehementi clamore uocem amplius oblæsam habent, his similis quædã affectio cõtingit ei quę manibus, & cruribus, & lumbis, & spinæ, & musculis ubi plurimũ laborẽ pertulerint, accidit. Vocãt autem aliqui exercitiorũ magistri eiusmodi affectionẽ musculorũ, in quibus consistit, lassitudinẽ inflã-
C matam. Itaq; iuxta arteriã intrinseca pellicula, aut tunica, aut quomodocunq; quis nominare uelit, à spiritu in magnis uociferationibus extra prolato perculsa, in affectionẽ inflãmatã deuenit: atq; hoc multo magis si ad magnitudinem uocis, acumen quoddã accesserit. Iuxta arteriæ uero summũ ultra hanc plagã, etiã musculorũ ipsum mouentiũ actio offensa, maiorẽ affectionẽ efficit. Porrò curationis ipsarũ genus, in omni particula secundũ materias euariat. Etenim crura, & manus, & spinã, per oleũ confricare facile licet, quum per cutẽ in adiacẽtes ipsi musculos, uis ipsius olei penetrare possit. Iuxta asperã uero arteriã cartilagines post cutẽ sitæ, prohibent in subiectã pelliculam transitũ facultatis emollientiũ ungentorũ. Quemadmodũ enim
D oleum, sic etiã alia multa cõposita pharmaca eandem utilitatem præbent. Quin & ea quæ in principio Acopa tantum appellata sunt, hoc est lassitudines emẽdantia, paulatim appellationẽ suã à seipsis extẽderunt ad similia cõpage medicamenta, etiã si gratia uehemẽter calfaciendi assumant. Cæterũ cõmunis materia auxiliorũ ad uocis organa, præter reliqua, est quę ex balneis contingit. Manifestum est autẽ quod dulcium aquarũ dico. Marina enim balnea, et sulphurulenta, & aluminosa, & atramentũ sutoriũ olentia, ac bituminosa, propterea quod fortiter resiccant, inepta sunt. Et sane ita faciunt phonasci, qui magno uocis exercitio utuntur, quũ contendendo oblęserint uocem. Sunt autem hi citharœdi, & præcones, & tragœdiã ac comœdiam personati repræsentantes: balneis enim multis utuntur, & cibos lenes ac laxantes edunt.

Si uero etiam aſpretudinem percipiant, cibos qui infarciūtur particulis quas contingunt aſſumūt. Vna enim eſt tunica ſibiipſi cohærēs & continua, quæ ſummo gulæ, ſummo aſperæ arteriæ, gulæ etiam, atq; ipſi aſperæ arteriæ, intrinſecus prætēditur. Quod ſi ex uictu ac balneis oborta affectio nō ſedetur in organis uocis, ad arteriacas tranſeunt, per totū hoc tēpus cibis utentes qui ex lacte, amylo, alica, ouis, & dulciarijs libis cōponuntur. Si uero per hæc non curent, inuēta ſunt à medicis pharmaca ſub lingua tenenda, inde etiā hypoglottides appellata. Sunt autē ea eiuſdē cū arteriacis inflammationē arcentibus facultatis, ex uino Theræo & gummi, ac tragacātha, & glycyrriza cōpoſita, quę ut dixi, leuigant ſimulq; reprimūt aſperitates, quicquid uero reliqui eſt in partibus inflammationis, hoc concoquūt & cito perſanant. Induſtriū porrò eſſe oportet qui pharmacū linguæ ſubdit, quo eo paulatim liqueſcente, aſperæ arteriæ ſummum id quod in ipſum defluit ſuſcipiat, renitēdo oborienti tuſſi. Obluctantes enim ut ne tuſſiant, permittēt quippiam ex pharmaco in arterię ſummū ipſamq; adeò arteriā demanare. At uero ſic curatos claram uocem habere impoſſibile eſt, citra uſum pharmacorū abſq; acrimonia extergentiū, quale eſt faba freſa elixa, et ptiſana, et ſemē lini torrefactū: huiuſmodi eñ mediū obtinēt, inter ea quæ mordaci facultate prædita ſunt, & ea quæ meatus obducunt pharmaca. His uero adhuc magis extergēt, reſina terebinthina, & thus, & mel deſpumatū, & amygdalæ amaræ. Quemadmodum rurſus his fortior eſt erui farina, & hormini ſemen, iridiſq; ac panacis radix. Cæterū his omnibus uina mollia, & paſſum creticū, & theræum, ac ſcybelites apta ſunt, & ad hæc haud ſcio quomodo neglectum, id quod à Græcis in noſtra Aſia hepſema appellaī, Latini ſapam dicūt. Verū Atticiſſantes ipſum Sirēū uocāt, quēadmodum alij caricarū decoctū Siræū appellandū cenſent, pugnantq; inter ſe utrū ipſorū ſirēū uocare oporteat. Eſt ſanè & hoc ipſum Siræum, quod pinguibus caricis in aqua decoctis fit, mediæ facultatis, quā lenem & citra acrimoniā extergentē appellauimus. Muſtū quidem igitur coctū, hoc eſt ſapa ipſa, leniſſimū pharmacū eſt & maxime meatus oblinens. Caricarum autē decoctū magis diſcutit & exterget. Quēadmodū igitur in præcedentibus dixi, Omniū ſimpliciū medicamentorum uires exquiſite noſſe oportet eum qui cōpoſitum quoddā ſit facturus, atq; hic ipſe etiā ab alijs cōpoſitis rectè utetur, & maxime ubi indiſcriminatim fuerint cōſcripta, quemadmodū plures arteriacæ habenī. Palàm eſt etiā quod hic ipſe his quæ cum diſcrimine prodita ſunt rectius utetur. Etenī iuxta exactā rationē, in quantū apparatus affectionum transmutatur, tantū etiam cōmodū ipſi pharmacū permutare oportet. Hoc ipſum uero ſolus is qui ſingulorū ſimpliciū pharmacorū uim nouit, exactè præſtabit, ad primū pharmacū parū quiddam ex ſequenti ordine apponēdo. Velut exempli gratia, In laſſitudinibus tenſiuis, quum in ſummis ipſius aſperæ arteriæ muſculis fiunt, in principio leniſſima edulia conueniunt, pharmaca uero meatus obducētia. Conſidēte autē inflāmatiōe parum quid extergentiū addendū eſt. Deinde conſequenter amplius. Deinde rurſus aliud illo præſtantius, quo paulatim cōpoſitio ad medium exterſorium perueniat, & rurſus ſecundū eundē modū ab hoc magis diſcuſſoriū ac exterſoriū, ita progreſſu ad uehemētiſſimum facto, ubi diutius uelut in ſcirrhū indurata affectio in uocis organis perſtiterit. Primi itaq; ordinis eſt tragacātha, et gūmi et ſami aſter, amylūq; & ex alica ac trago probe coctis ſorbitio. Quin & lac aptum eſt, & dulciarij panes, & oua ſorbilia, ac nuces pineæ, quas nunc omēs Græci ſtrobilos uocant: quondā autem apud Atticos Coni uocabātur. Seſama etiā ex hoc genere ſunt. Ab his autem deinceps eſt butyrū, quod etiam butyros maſculino genere Græcis appellatur, & decoctum radicis dulcis ad craſſitudinē Attici mellis liquidi redactū. Atqui radicē dulcem quā glycyrrhizam uocant, præſtat in primo tempore in aqua, uelut dixi, coctam, ad ſireum ſiue ſapā ex muſto paratā ammiſcere, ad paſſum itē Creticū idem decoctum miſceri poteſt: ſiue autē cum ſapa, ſiue cum paſſo Cretico fuerit permixtum, rurſus poſt mixturā decoquendum eſt. Hæc igitur in affectionibus inflāmatis iuxta arteriā eiuſq; ſummū, commoda in principio ſunt, donec inflāmatio moderata fiat, & præ omnibus à uini potu hoc tempore abſtinēdum. Quum uero moderatior facta eſt inflammatio, uinū dulce Theræū aut ſcybelites bibere licet, aut ex noſtra Aſia caryinum, & deinde Therinū appellatū, deinde etiam dulce Tmolites. eo tēpore etiā butyrū aptum eſt, & ſorbitio ex amygdalis, ſorbitio itē ex lacte & melle diutius coctis, amylo iniecto, & ſi amylum non adſit, ſiligine Romanis appellata iniecta. Manifeſtū eſt autem quod per huiuſmodi uictū, inflāmatio tū pelliculārum, tum muſculorū, circa arteriā eiuſq; ſummū ſedatur. Relinquit autē humiditas multa, ob quā impoſſibile eſt clarā uocem proferri. Quare tranſire tunc cōuenit ab his edulijs, ad omnia ex melle cocta, & ad fabam freſam elixatam, & ptiſanā, ac braſſicam, & porrū probe coctum. Pharmacorū porrò uſus idoneus eſt, quo tempore aut inflāmatio, aut aſpretudo præualeſcunt, eorū quæ ſub lingua detinentur, de quorum cōpoſitione dicā. poſt hæc magis exterſoria & reſiccantia damus, & deinde rurſus his ipſis magis exterſoria, & adhuc magis reſiccātia, uſquequo ad ea quæ aliquid acredinis habēt perueniamus, ita ut etiā in his à moderatioribus initio facto, ad uehementiora paulatim trāſeamus. Itaq; qualem formam eſſe cōueniat uictus, antea dictum eſt, quēadmodum etiā ſimpliciū pharmacorū ſpecies eſt relata. Cæterū cōpoſita ex ipſis pharmaca multiformiter alij iuxta aliā ſymmetriā & cōmenſurationem cōſcripſerunt. Et quibuſdā ſanè ex tribus aut quatuor ſimplicib. cōpoſitum pharmacum ſuffecit. Quidam uero in maiorem numerum extenderunt. Et quidam uelut dictum eſt, ex molliſſima & leniſſima materia, arteriacas confectiones compoſuerūt. Alij uice uer

sa ex acri, calida, extergente, ac multum resiccante. Sunt & qui tertium genus medium inter ambo ista fecerũt. Post hos uero, alij medij generis inter medium & mollissimum, alij medij generis inter medium & acerrimum, & iuxta eandem rursus rationem, quidam magis, quidam minus, à medijs facultate pharmacis digressi, diuersas cõpositiones fecerunt, quibus omnibus solus is recte utetur, qui singulorum simplicium pharmacorũ uires nouit. Ipse enim sciet & ordinem pharmaci, & quãta distãtia sit à medijs digressum. Porrò eiusmodi pharmaca scripserunt etiam qui ante Mantiam & Heraclidem uixerunt. Verum multo præstantiora à prædictis uiris tradita sunt, per libros quos nobis reliquerunt, & in quibus medicamentariam artis partem auxerunt, partim ipsi cõponentes, partim ab alijs composita transcribentes. Progressu uero temporis tum hæc, tum etiam priora, exacta & longa experientia cognita, à uiris electa & coaceruata sunt, quorũ iam sępe in hoc opere mẽtionem fecimus. Sunt autem hi: Asclepiades, Musa, Andromachus, Heras, Crito, & Menecrates. Quin et multa alia pharmaca et Archigenes et Philippus scripserunt, ut nullo ex ueteribus opus habeamus. Hi enim omia ab antiquioribus inuenta optime uelut dixi, tradiderunt.

De Arteriacis ab Andromacho descriptis, Cap. II

Plurimas arteriacas cõfectiones scripsit Andromachus, ut promptum sit à debilissimis ad fortissima paulatim per media transitu facto progredi, si quis ipsorum differentiã nouit. Ipse enim Andromachus indiscriminatius ipsas prodidit. Verum ego discrimina apponam, in memoriam reuocatis his quæ paulo ante dixi. Quod enim circa simplicium pharmacorum tractatum præexercitatũ esse oporteat eum qui dicenda assequi uelit, sæpe à me dictum est. Citra enim singulorũ simplicium exactam ac certam cognitionẽ, impossibile est cognoscere ex quo ordine eiusdem generis medicamentorũ compositum sit, Num ex mollissimo, an uehementissimo, aut medio, aut alio aliquo inter hunc & alios intermedio. Primam itaq; arteriacam cõfectionẽ, non lõge à principio libri, in quo affectionũ corporis internarũ curationem tradit, hoc modo in hæc uerba scripsit. Arteriaca qua utor. Thuris drach. i. alij. iiij. myrrhæ ʒ. i. alij. iiij. croci drac. i. alij. iiij. scyllæ drac. ij. passi cretici sext. iij. Scylla in passo coquitur donec passum spisset, deinde scylla abiecta, reliqua insperguntur. Hoc pharmacum si scyllam non reciperet, inter exacte mollissima numerãdum esset, utpote in tres passi cretici sextarios, paucissimo thure, ac myrrha, & croco coniectis, ut parum absit quo minus totum passum creticum existat. Manifestũ est autẽ quod pharmacũ hoc, eclecton hoc est delingibile efficitur. Vocant aũt huiusmodi etiam Attici eclectas, hoc est, delingibiles confectiones. Consequenter ad præscriptam alterã addidit Andromachus hoc modo. Arteriace diacodyon ex capitibus papaueris. Capita papaueris uiridia mille & ducẽta, mellis Attici lib. iiij. croci cilicij drachmas v.

A alij decẽ. succi hypocysthidis drac. x. acaciæ drach. x. aquam pluuiam ad capita papaueris. Aqua quidem pluuia additur, quo minus putredini obnoxium sit pharmacum, habet autem & adstringens quippiam in se hæc aqua. Scopus est prædicto pharmaco cõcoquere affectionem circa arteriam, quod sanè continget per somnum, & concoctoria, cum adstringendi ui non adeò multa. Cæterum simplex pharmacũ ex papaueris capitibus, sola capita habet in aquam cõiecta, atq; ubi flaccida reddita fuerint, ipsa quidem proijcimus, aquã uero ipsorũ ad solum mel Atticũ ammiscemus, usq; ad compagẽ delingibilis pharmaci facta coctura; quomodo sanè ego apparare consueui. Quantã autem copiã aquæ itemq; mellis miscere oportet, B in huiusmodi pharmacorũ præparatiõe in sequẽtibus dicã eo loco, quo talia uerba scripturus sum. Confectio ex capitibus papaueris. Tertiã deinceps confectionẽ Arteriacam Andromachus hãc prodidit. Arteriace qua utor, Blasti, ad tabescẽtes ualde bona. Nardi celticę ʒ. quatuor. amomi drac. octo. cinamomi drac. decem. malabathri drac. quatuor. nardi indici drach. iij. floris iunci rotũdi odorati drach. ij. casiæ drach. viij. thuris ʒ. tres. myrrhæ drach. i. costi drac. iiij. fecis ungenti malabathrini drac. vi. succi glycyrrhizę ʒ. tres. succi mandragoræ drac. v. mastiches chiæ drach. iij. croci drach. vi. Palmulas in uino mulso aut protropo coquito; deinde in ipsum decoctum nuces pineas xx. cõijcito ac terito. Postea ex pharmaco ad nucis põticæ maC gnitudinẽ, aut paulò minus accipito, & ad aliquot dies cum hoc decocto utitor, deinde etiã simplici pharmaco utaris. Postea autẽ ad duos uel tres dies hiera ex aloe uteris, cochlea rij mẽsura ex aqua in diẽ data. Vtere pharmaco etiã cũ lacte in his qui arteria affecti sunt ad gargarissandum, & rursus facto interstitio, utere pharmaco fabę Aegyptię magnitudine. Quum uero fortis fuerit fluxio, opiũ & castoriũ in antidotum miscemus, utriusq; parum quid. In his autem qui stomacho male affecti sunt ea ipsa uitamus. Manifestum igitur ex ipsis uerbis, quæ scripsit Andromachus, quod in fluxionibus partium thoracis, & pulmonis, ac arteriæ, præscripta confectio apte componitur. Dixit enim ipse, quum fortis fuerit fluxio, opium & castoriũ in anD tidotũ miscemus utriusq; modicã partẽ, resiccare nimirum fluxionẽ & sanam reddere uolentes. Varium autẽ est pharmacũ, & ex multorum mixtura cõstans, ut ad omnes cõueniat affectiones, quæ etiã diuturnæ & malignæ existũt ac ægre curabiles, etiãsi ulcus sit circa arteriã aut eius summã extremitatẽ, Laringẽ Gręcis dictã, & multo magis si iuxta pulmonẽ. Talia ẽm fortib. adeò opus habẽt pharmacis, quo ad longius tẽpus sufficere queant tabidã affectionẽ habentes. Quũ ẽm obtigerit eis regio sicca, & in cõuenietis uictus ac pharmacorũ usu perseuerauerint, q̃ diutissime renitent̃ cõsuetas actiões moderate obeũtes. Hanc igit̃ cõfectionem nõ censuerim ammiscendã esse his quæ priuatim Arteriacæ appellant̃. Quarto deinceps confectionẽ Andromachus sic scripsit. Altera eiusdẽ,

Blasti

Blasti uidelicet dicit, de quo circa præcedentem arteriacam scriptũ est, Arteriaca Blasti qua utor: compositionẽ autẽ eius talem facit. Aloës sextantẽ, croci unc.i. mastiches un.i. Palàm est hoc pharmacum ex eorum numero esse, quæ priuatim stercorũ eductiua appellant, unà cum hoc quod concoctoriũ quiddã habet crocus. At uerò cum cõcoctoriũ dico, intelligere oportet eius affectionis cuius gratia exhibetur. V. ex ordine cõpositionẽ Andromachus talem prodidit. Confectio sedans dolorem eiusdem. Opij quadrantẽ, croci unc.i. myrrhæ sextantẽ, acaciæ unciæ dimidiũ, succi radicis drach. quatuor: excipe melle. Hæc Andromachus. Verũ ego non auide recipio eiusmodi compositionem pharmacorũ, ubi nõ ostendit affectio, in qua ea sit utendum. Scimus etẽm componendi sedantia dolorum scopũ, cum somnũ uidelicet inducere uoluerimus, & uehementẽ dolorem stupefacere. Acaciæ autem mixtura uelut ad ulcus est, quemadmodum radicis dulcis succus ad linienda exasperata. Crocum aũt & myrrham in compositiones dolorem leuantes miscere plurimis placuit. Videnť enim ipsis omnes affectiones sufficiẽter cõcoquere posse. VI. consequenter confectionem Andromachus hoc modo scripsit. Arteriace eiusdem. Thuris unc. unã, succi radicis dulcis un. unã, myrrhæ ʒ. quatuor, tragacanthæ drach. sex, nardi drach. unam, amomi ʒ. iiij. croci ʒ. iiij. mellis attici q̃d satis est. Non obscurũ est etiam hanc ad respirationis organorum affectiones compositam esse, ex cõcoctorijs, mitigatorijs, adstringentibus & extergentibus. Myrrha enim & thus, & crocus, affectiones concoquunt. Radicis dulcis succus exasperata mitigat, idẽ etiã tragacãtha facit. amomũ fortiter resiccat cũ modica astringẽdi facultate. mel aũt calfactoriã & extersoriã uim habet. VII. post relatas cõpositiões Andromachus scripsit, ex multis ualde medicamẽtis cõstantẽ, quæ oẽs fermè facultates habent. nã & astringẽtia, & mordẽtia, & attenuãtia, & mitigãtia, & leuigãtia in ea cõtinenť. quin & soporifera uis et discussoria ac extersoria in ipsa habenť. In quib. omnib. multifariã mixtis facultatib. communis ratio est: quẽadmodũ etiã antea dixi, quod uidelicet quispiã ex omnib. pharmacũ quoddam cõponere uoluit, spe faciẽdi unũ medicamẽtum ad oẽs eiusdẽ generis affectiones cõmodũ. Verũ ex ipsis aliqua quidẽ per experiẽtiã cognita sunt maligna et propterea relicta: aliqua uerò feliciter pro ipsius cõponentis cõiectura efficacia euaserũt, & ob id recepta: quin & præparãdi ipsam modũ Andromachus ascripsit, quanq̃ hoc facere alias nõ soleat. Quod uerò ex pharmacis cõposita sit eas quas dixi facultates cõplectẽtibus, pręstat meminisse eos qui hos libros in manus sument: si tñ nõ prõptã habeant memoriã, eo sanè tẽpore q̃ huiusmodi pharmaca discũt, vi. & vij. ac viij. de simpliciũ pharmacorũ facultate librũ legãt: in illis eñ omnẽ pharmacorũ materiã conscripsi, qua radices & folia & flores & semina & fructus & liquores & succi omniũ ex terra nascentiũ planta-

A rũ existũt. His itaq; præmissis, iã animũ ad ea quę Andromachus de hoc medicamento scripsit aduerte. Arteriaca qua utor. Radices filicis crassissimæ lauanť donec purissimæ fiãt, & omne terreũ deponãt, deinde per diẽ unũ perfrigerãt, & in frusta magnitudinis triũ digitorũ secta cõquassanť, atq; ex eis lib. x. in ollam nouã picatã aquæ dulcis sextarios x. cõplectentẽ inijciunť, et ad dimidias, hoc est ut sextarij v. reliqui fiant, coquunť, exprimunť: & liquor quidẽ in duplũ uas diffundiť, & aromata crassa ac integris partib. addunť. Nardi indicę ʒ. iiij. cinamomi ʒ. vi. radicis dulcis ʒ. vi. casiæ ʒ. iiij. rhei põtici ʒ. iiij. balaustij ʒ. vi. rosarũ siccarum ʒ. iiij. alij vi. Hæc similiter ad dimidias coquunť ac exprimunť, & ad decoctũ mellis Attici

B sextarius unus addiť: sit aũt mel pręcoctũ et in duplici uase priuatim spissatũ usq; quo manus nõ inquinet: adijciunť & terebinthinę pellucidæ ʒ. ij. galbani ʒ. ij. croci ʒ. v. succi hyoscyami ʒ. i. succi hypocystidis ʒ. i. mãdragoræ succi ob. iij. piperis albi ʒ. viij. VIII. deinceps cõfectionem scripsit, summa facultatis ipsius indicata, q̃d ipsum in omnib. fecisse oportuit. habet aũt sic. arteriacẽ laudata mithridatis, ad thoracis collectiões, suppurgat & leuigat. Irionis torrefacti ʒ. i. in quibusdã exẽplarib. fabę fresę scriptũ est. Sũt aũt ambo extersoriæ potẽtiæ, seminis lini tosti ʒ. xx. & hoc extersoriã uim habet, nucis pineæ ʒ. viij. hæ leuigãdi uim habẽt. Vuæ passæ exacinatę ʒ. iiij. & hęc ob id q̃d modice subadstringat, simulq; cõmodus corpori

C cibus sit, meritò admixta est. habet aũt & passi facultatẽ, qualẽ in IIII. de simpliciũ pharmacorũ uirib. indicauimus. croci ob. ij. minimũ quid ex croco cõiecit qui pharmacũ cõposuit, ut prope nihil sit aliorum proportione. Diximus de croco eum concoquendi uim habere, unà cum adstrictione. Dictum est etiã quod astrictio corpora cogit, cõstringit & corroborat. Adiecit aũt etiã mellis heminas iiij. à uino dulci & sapa digressus. Vult eñ hoc modo præparatũ pharmacũ, uelut præfatus est, in pectore hærentes collectiones depurgare. Cæterũ in huiusmodi pharmacis ea quæ crassos succos habẽt, impediũt repurgationẽ. His admiscuit tragacãthæ ʒ. iiij. quod pharmacum leuigat exasperata: pręd ictũ est aũt quod uult hoc propositũ medicamentũ repurgare, & leuigare ea quæ

D iuxta thoracẽ hærẽt. Scopus eñ huiusmodi est, attenuare & abstergere, ac ad eductionem superne aptas facere collectiones in thorace. Verũ sedandi doloris gratia, & ne nimiũ extergant ac emungant partes exasperatæ, leuigãtia apponunť. Maximũ hoc est, atq; ipsius per omnia meminisse oportet, nimirũ quod sæpe unus scopus sit, in quẽ pharmacum cõponiť. Ne uerò hoc ipsum aliquo modo offendat, alia miscenť primũ utilitatis scopũ nõ habẽtia. IX. arteriacen post has Andromachus his uerbis tradidit. Arteriace Marini. croci unc. i. gũmi sextantẽ, tragacãthę unc. i. mellis attici sextariũ i. coquito donec cũ diffundiť nõ inquinet. hoc pharmacũ mediũ est facultate, essetq; exacte mitigatoriũ ac dolorẽ sedãs, si nõ crocum

haberet, neque mellis sextariũ, sed pro ipso Therẽ uinũ Creticũ, aut sapã ex musto cocto factã, quã nos Asiani, ut dixi, hepsema appellamus. Verum hoc loco importune inter relata fortia pharmaca locatũ est, utpote quæ suppuratis & tabescẽtibus cõueniunt. X. cõsequenter recenset, quæ inter exacte lenissimã ac mediã, qualem sane esse dixi præcedentẽ, intermedia est. Ex gũmi igit̃ hanc, et passo cretico, ac aqua cõponit, melle etiã admixto: & gũmi quidẽ inijcit bessem, passi sextarium i. mellis lib. i. dissoluere cũ aqua iubens ipsum gummi, copia eius non expressa. Itaque ob gũmi, & passum, & aquã penitus nihil extersorium habet, ob mel uerò, à lenissimo & leuigante est digressa. Scimus enim extersorium esse mel. Coqui aũt super prunas oportere ipsum dixit, hoc est ad mollẽ, & nõ fumantem ignẽ. Melius uerò fecisset, si etiam ad alias omnes hoc adscripsisset. Ego itaque sic ipsum præparo, & neque ad prunas adhuc ardentes cocturam facio, ne uidelicet inde quid acre & fumosum sublatũ, acrimoniã nõ necessariã medicamẽto ipsi affricet. Mellis equidẽ acredinẽ toleramus, quãquam ea nõ sit uehemẽs, propter aliã ipsius utilitatẽ. uerũ fumi nulla est utilitas. quare fugiendus est fumus in quantum possibile est, circa omniũ huiusmodi pharmacorũ præparationẽ. Præstat aũt & in his quæ meatus obducunt, lignis fumũ nõ edentib. uti. XI. confectionẽ sic prodidit. Arteriaca alia bona. Cinamomi, thuris, utriusque ℥. i. succi radicis dulcis un. i. myrrhæ ʒ. iiij. tragacanthæ ʒ. vi. nardi indicę drac. iiij. amomi ʒ. iiij. croci drach. i. melle attico excipe. Recte dixit bonam hanc arteriacẽ esse, uerum deest sermoni, ad quas affectiones bona sit. Dictum enim in principio est & per uociferationẽ, & per distillationẽ lædi arteriã, ampliusque propter ulcus & inflãmationẽ obduratam. Hæc aũt cõfectio quã nunc Andromachus descripsit, etiã ad tabidos aptum pharmacum est, & simpliciter oẽs inueteratas thoracis ac pulmonis affectiones. Cinamomi etenim natura tenuium partiũ & resiccatoria, etiã induratas affectiones sanare potest, ab eo proximũ locum amomi facultas habet, simulque adstringens quippiam habet. Verum ob horum actionem uehemẽtem rationabiliter admixta sunt, thus & radicis dulcis succus & tragacantha, pharmaca exasperata leniré à natura apta. De croco & myrrha sæpe diximus, esse uidelicet cõcoctoria & modice resiccatoria huiusmodi affectionum. XII. arteriacam Andromachus hoc modo scripsit. Alia ex libris Galli ad arteriam affectam, ulcera pulmonis, puris & sanguinis reiectiones, & fluxiones in thoracem, & ad ea quæ ægre educi possunt, uehementer efficax. Resinæ terebinthinæ drach. iiij. croci cilicij drach. iiij. thuris drach. iiij. myrrhæ troglodyticæ drach. iiij. cinamomi drach. iiij. amomi ʒ. iiij. nucis pineæ drach. iiij. radicis dulcis eiecta medulla drach. iiij. nardi syriacæ drach. ij & dimidiã, casiæ nigræ drachm. ij. tragacanthæ drachm. tres, palmularum syriacarum carnis drach. tres, asteris samij drach. iiij. galbani puri ob. iiij. costi drac. iiij. alij drach. unam: mellis attici heminas iiij. Mel & resina in duplo uase coquunt̃, atque ubi spissari cœperint galbanum miscetur, donec nõ inquinent. deinde refrigeratis reliqua trita admisce, & sic utere. Recte fecit in hoc pharmaco, tũ quod ad quas affectiones conueniat, tum quod quomodo præparare ipsum oporteat, asscripsit. Ratio autem compositionis ex superioribus constat. XIII. arteriacen Andromachus his uerbis tradidit. Arteriaca Galli, eadem etiam antidotus est ad eadem efficax. Nardi syriacæ drach. quatuor, myrrhæ ʒ. iiij. croci drach. iiij. costi drach. iiij. alij drach. unã: piperis albi grana xxx. radicis dulcis drach. unam, nuces pineas centum, styracis drach. unam, tragacanthæ drach. i. cinamomi drach. i. amomi drach. unam, thuris drach. unam, ob. quatuor, casiæ fistulæ drach. unam, balaustij drach. tres, ob. tres, mellis attici aut passi cretici heminas duas. Passum in duplo uasculo coquitur ad spissitudinem mellis, atque ita ad arida trita affunditur. Tragacantha aũt & styrax per diem antea in sufficiente protropo macerantur, & ita ad reliqua admiscentur: reponitur pyxide argentea aut uitrea. Recte fecit & hic quod tum ea quæ promittit hoc pharmacũ, tum quomodo præparatur adscripsit. Ego uerò propterea omnes ab ipso descriptas arteriacas apposui, ne quis alium scriptorem requirere cogatur. Omne enim facultatum genus in ipsis cõtinetur, mollium, fortium, ac mediorum. XIIII. arteriaca eius est de qua sic prodit. Arteriaca ex uehementibus, Moschionis. Est eius facultas non modice medias transgressa ad fortissima. Habet uim secandi & attenuãdi ac calfaciẽdi ex multis pharmacis, quibus etiam lenia quædam admixta sunt ob eam quam dixi causam. Compositio eius hæc est. Rubricæ lemniæ, thuris, myrrhæ, nardi, amomi, casiæ rufæ, croci, iridis illyricæ, floris iũci odorati, singulorum drach. ij. cinamomi drac. iiij. resinæ terebinthinæ drach. iiij. floris rosarum drach. quatuor, opobalsami drach. ij. mellis heminam i. aut passi cretici heminæ dimidiũ ampliusque quartam eius partem. Liquorem & resinam donec fulua reddantur coquito, deinde ab igne ablatis reliqua addito ac conquassato. Datur in thoracis & arteriæ affectionibus fabæ græcæ magnitudine, cum aqua quarta heminæ parte. Reliquis forma eclegmatis delingendum. XV. arteriacã sic scripsit. Arteriace ad gutturis siue arteriæ aspretudinem, uocem interceptam & sanguinem reiectantes, qua utor. Ex libris Apollonij & Alcimionis. Tragacanthæ drach. vi. gummi drachm. vi. thuris drach. i. ob. i. myrrhæ drach. i. ob. ij. croci drach. i. ob. ij. succi radicis dulcis ʒ. i. ob. iij. aut radicis sesquidrachmã, piperis albi grana xxv. palmularum pinguiũ carnis drach. tres, alij palmulas v. aut iiij. habent. Tragacantham passo maceratam ac tritam reliquis aridis tritis committe, ex eisque omnibus catapotia fabæ magnitudine effice, sub linguaque tenenda exhibe. Huiusmodi confectiones hypoglottidas medici, ab eo quod sub linguã dantur appellãt, iubentque id quod à dissoluto pharmaco

defluit

defluit, sensim in asperæ arteriæ summũ excipere, obnitendo simul ne tussis excitet. XVI. ex ordine sic scripta est. Arteriace delingibilis ad oẽs internas affectiões, maxime tabescentes, & suppuratos, ad hydropas incipiẽtes, tusses ueteres. Dat per diẽ & noctẽ cochlearij mensura. Succi scyllæ sextarios iiij. passi cretici sextarios iij. uini falerni sextar. viij. mellis attici sext. iij. myrrhæ trientem, croci sextantẽ, thuris sextantẽ, aristolochiæ dactylitidis minã unã & dimidiã, glycyrrhizæ minam unã, radicis eryngij sextantẽ, casiæ unc. i. nardi celticæ unc. i. xylobalsami bessem. Aristolochiã, eryngiũ, glycyrrhizã, xylobalsamũ, casiam, nardũ, in crassas partes cõtusa in uini sextarijs viij. macerato ad triduũ, deinde ad lentũ ignem ad tertias coquito, atq; ita exprimito, & retrimentis abiectis A passum, mel, & scyllæ succũ cõmittito, & ad mellis crassitudinẽ coquito. Crocũ uerò thus & myrrhã cũ uino terito, atq; ubi optime habuerit pharmacum addito, & ubi modice fuerint liquata ab igne tollito, & repositis utitor. Recte fecit & hic Andromachus quod quæ promittit, et quomodo præparet adscripsit. XVII. Confectio talis ab eo tradit. Arteriaca alia ut Heraclides Tarentinus. Succi scyllæ sextar. iij. passi cretici sextar. iij. mellis attici heminam i. croci trientẽ, alij sextantẽ, myrrhæ quadrantem, tragacanthæ unc. i. succi radicis dulcis sextantẽ, thuris un. i. opobalsami sexuncẽ. utere præparato. Iuxta hanc cõfectionẽ neq; quæ promittat, neq; quomodo præparet tradidit, tanquã iam ante sententiã ipsius legentes intelligere queant. Ex eo eñ quod dicit, Alia arteriaca, similia præscriptæ ipsam promittere, nos intelligere cõuenit. præparationẽ aũt ex antea relatis cõputare oportet. XVIII. Confectio sic tradita est. Arteriaca ex libris Perigenis, ad omnes arteriæ affectus. Croci ʒ. unam, uuæ passæ exacinatæ ʒ. unã, amygdalarũ ʒ. octo, myrrhæ ob. iiij. tragacanthæ drachm. iiij. piperis albi ob. iiij. mel coctum. Vua passa torret, amygdalæ excorticant. Tragacãtha in aqua macerat per diem unam, & terit, ac reliquis admiscetur. Et hic recte ab eo factũ est quod tum promissionem, tum cõpositionem eius adiecit. Cæterum mediæ facultatis pharmacũ existit, quare ad omnes affectus ipsum cõmodũ esse ait. Est eñ mediorum pharmacorum natura talis, unde etiam ipsis medijs affectionibus proprie & primario cõuenit: his uerò qui mollibus aut fortibus opus habent, neq; emolumentũ neq; detrimentũ magnũ affert. Vltimam omniũ arteriacã hoc modo descripsit. uini mulsi ueteris sextarios iij. ad unum decoquito, deinde nucũ pinearũ tostarum heminam adijcito, piperis albi sextantem, ac utitor. Esset sane hoc pharmacum ex mollissimis, si non piper accessisset. Hoc uerò addito, ad mediã facultatem peruenit: quapropter etiam eiusdẽ generis cum præscripto esse ratus subscripsit.

Arteriacæ à Critone conscriptæ quatuor numero. 2

Ex arteriacis à Critone cõscriptis quatuor produxisse suffecerit. De prima scribit in hæc uerba. Ad uocem interceptam ob cõtentionem. Ficum & eryngium probe coquito, & ad decoctũ gummi misceto, ut melle durior cõfectio fiat, dato ad noctem. Facit & ammoniacum. Ob id sane pharmaci huius mentionem feci, quòd in principio apta est hæc præscripta cõfectio si per eryngium præparetur. Ammoniacũ autem inueteratis commodum: forte enim pharmacum existit. non recte igitur Crito fecit, quod cum moderato fortissimum pharmacum indiscriminatim tradidit. Si enim duro pro moderato permutatis uicibus uteris, non solum nihil iuueris, sed etiam lædes hominem. Alteram arteriacam scripsit Crito mediam facultate, concoctoriam & lenem his uerbis. Alia faciens maxime ad phonascos, & asperam arteriam, & tussis irritationes, dolorem aurium, B ulcera in auribus, ac pudendo. Concoquit etiam destillationes. Thuris obolos quatuor, myrrhæ ʒ. duas, passi cyathos tres, passum ad mellis spissitudinem decoquito, deinde myrrham & thus trita cum passo semicocto ablato adijcito. Facit etiam ad dysentericos, cœliacos. Quidam croci etiam drachmam addunt, & fit auribus commoda atq; oculis inflammatis. Hæc Crito perspicue & probe scripsit: neq; opus est me eiusmodi pharmacorum expositionem apponere, ut qui sæpe iam de his dixerim. Porrò alias duas prædictæ quidem similes, uerum moderatiori facultate & simplicissimas sic scripsit. Eclegma Faustianum appellatum. Vini falerni sextarium unũ, mellis attici lib. unã, in duplici uase coquito, rutæ ramulo agitando. C Alterum pharmacum tale est. Eclegma ex uino scybelite quo utimur. Vini scybelitæ sextarium i. gũmi quadrantem, mellis dodrantẽ. Coquito in duplici uasculo, gũmi prius macerato ac dissoluto. Hoc solum loco apposuit, in duplici uasculo, hoc est diplomate, cocturam fieri debere. Rectissime autem fecerit, qui omnes arteriacas quæ mitigatoriam, concoctoriam, & lenitoriam uim habere prædicantur, in duplo uase coxerit, quod diploma Græcis uocat, quomodo sane unguentarij unguenta preparant: nimirum calidam aquam in magnum quendam lebetem infundentes, ac postea uasculum quod pharmacũ coquendum in se habet, imponentes, & sic præustas prunas, aut ligna fumum nõ edentia succendentes. D

Confectio diacodion ex capitib. papaueris, iuxta ueterũ traditionẽ. 3

Quin & circa huius compositionem ueteribus indiscreta discordia fuit. quidam enim ex ipsis ad capita papaueris cxx. aquæ sextarios xx. infundendos censent, ut quælibet sextarij mensura, sex papaueris capita recipiat. Quidam uerò in lxxx. sextarios, octingenta papaueris capita inijciunt, ut singuli sextarij capita x. accipiant. Quidam ita temperauerũt ut sextario uno octo capita tribuerentur. Quidam autem haud scio qua ratione, in aquæ sextarios tres capita papaueris lxxx. conijciunt, alij capita cxx. in eosdem tres sextarios addunt. Verum mihi uidetur ualde pauca aqua esse ad tantam copiam capitum.

Confectio ex capitibus papaueris, Andromachi.

Andromachus igitur, uelut suprà in arteriacis

præscriptum est, alterā ex ipsis præparans sic scripsit. Capita papaueris uiridia mille ducenta, dein de ad finem, Aquam pluuiam, non apponens aquæ quantitatem.

Confectio ex capitibus papaueris, Critonis.

Crito uerò sic, Confectio ex capitibus papaueris simplex, Capita papaueris agrestis octingēta, aquæ sextarios lxxx. coquito ad tertias, atq; expressis addito mellis lib. x. Si uerò uariam efficere uelis, adde croci, myrrhæ, succi hypocystidis, singulorum ʒ. xij. thuris ʒ. vi. acaciæ ʒ. xij. Rectè uidetur mihi ad singulos sextarios capita x. conijcere: ita em̄ contingit, cum scribat ipse, capita octingenta in aquæ sextarios lxxx. indendos esse. Et ego sanè hoc modo præparo, non apponens neq; crocum, neq; myrrham, neq; aliud quicquam. optima est enim simplicissima.

Confectio ex capitibus papaueris, Heræ.

At uerò Heras ad capita cxx. aquæ pluuię sextarios tres infundit, modicā omnino quantitatē, tāetsi in quibusdā exemplaribus, nō numerus capitū papaueris cxx. scriptus sit, sed pondus totidem drachmarum. Adscribam autem totam ipsius dictionē sic habentē. Capita papaueris uiridia cxx. in uas conijcito, & affusis aquæ pluuiæ sextarijs tribus ad triduum madescere sinito, deinde ad tertias coquito, & ablata ab igne exprimito ac colato, admixtoq; mellis sextario in duplici uase coquito, atq; ubi spissari cœperit, acaciæ rufæ drac. unam, succi hypocystidis ʒ. unam adijcito. Cæterum quum ipsa capita coxeris in aqua, croci drac. unam linteolo illigatam simul coqui permittito. Quidam etiam myrrhę ʒ. unā addunt, ipsaq; cum modico passo terunt, atq; ita indunt, ac simul coquunt, donec aliquantulum fuerit confectio inspissata. Quòd si tamen non medicamentariam confectionē facere uelis, cum capitū decocto ad tertias redacto mel coques, reliquis non adiectis.

Confectio ex capitibus papaueris, Damocratis.

Hoc pharmacum primum à Themisone præparatum est, inquit Damocrates, in libro Damocratis Philiatrus, hoc est rerum medicarum studiosus conscripto. Scimus autem ex uersibus eum constare. Aiunt Themisonem hoc pharmacum primum præparasse ad tusses humidas, dolorem arteriæ, & gulæ, species fluxionū simpliciter omnium quæ circa thoracē consistunt, & ad uigilias, quarum sanè illæ existunt causæ.

Papaueris quod nominant ipsi agricolæ
Agreste, nam spontaneum est, nec conseritur,
Capita uirentia & recentia, integra,
Semens rubens nondum nigrum gerentia,
Decem quater centumq; magnitudinis
Mediocris, in nouā ollulam atq; amplam indito,
Infunde tres pluuia de aqua sextarios,
Macerato in his totam diem noctem simul,
Dein coquito lento igne, ac diutiuscule, &
Omnem liquorem expressum in ollam excipito.
Et mellis attici libras tres addito,
Rursusq; lenem ad flammulam decoquito.
Dum mellis haud fiat liquidi bona compages,
A Mox frigefacta in uitreum uas condito.
Sic nos quidem: at Themison prius qui prodidit
Vsum, addit myrrhā, acaciam, & rubens crocū, et
Hypocystidis succum, ast ea obsoleta iam.
Simplex enim parata commodissima est,
Iucunda ualde, lenis atq; uiribus.
Ex hac datur mystri minuti quantitas,
In noctem aliquando plus, minus rursus diem.
Vt tempore pauco in ore quis hanc sic detineat,
Iussus liquentem sensim ita post ut deuoret.
Quòd si uoles aluum morandi gratia, &
Sistatur ut pulmonis & stomachi fluor,
Eruptioq; sanguinis septum supra:
Facere, Eupatoricæ aut tu potius hinc Ponticæ
Addes rhois succi simul drachmas duas,
B Tantundem & acaciæ bonæ, non ueteris, &
Auferre iam uolens ab igne pharmacum,
Diluta passo ambo hæc simul confundito
Paulatim, adhuc feruentibus in ollula,
Quo ferueant parum simul, mox uasculo
Refrigerata indantur inde uitreo.

Confectio ex capitibus papaueris, Sorani.

Soranus porrò ita præparandam censet. Capitum papaueris numero cl. aquæ sextarios xx. in lebetem nouum coniecta ad dimidias coquito, & reiectis capitibus mellis sextarium unum addito, postea uerò myrrhæ, croci, hypocystidis, & acacię succi singulorum drach. unam, obolos tres, linteolo illigato, & in ollam siue lebetem suspendito, quo simul cum melle coquatur: postquam uerò crassescere inceperit, fasciculum colligatū tollito, & in mortarium cōiectum cum passi cyathis tribus terito, indeq; in lebetem coniectum, lente simul donec spissetur coquito. Verum mitior est confectio quæ ex solo melle & capitum papaueris cremore constat. Efficacior autem redditur, si in fasciculum linteoli, pro adstringentibus, melilotum & radicem dulcem addideris.

Confectio ex papaueris capitibus, Galeni.

Cæterum uelut ego compono confectionem ex papaueris capitibus, ita ea utendū censeo. Etenim cum de prædictis cōfectionibus experimentum sumpserim, præstantior ea uisa est, in qua ad unum aquæ sextarium capita decem inijciuntur, quemadmodum Crito scripsit, aut ad duos sextarios quindecim capita, uelut Soranus. In medio autem horum amborum terminorū est, ubi octo aut nouem capita in unū sextarium conijciamus. Præmacero autem ea non ad triduum, uelut Heras, sed neq; statim ablata coquo, sed siquidē humidiora & molliora fuerint, ad unum diem. Accipienda est autē in omnib. huiusmodi sermonibus etiam nox: quemadmodū etiam annum dierum ccclxv. esse solemus dicere. Si uerò duriora & sicciora sint, etiam longiori tempore ipsa macero, præstat autem accipere nondum indurata. Manifestum uerò quod etiam ualde mollia abijcienda sint: sicciora enim modicum succum habent, humectiora uerò multum quidem, sed crudum adhuc & aquosum ac debilem: quapropter ex humidis ac palustribus locis accepta fugienda sunt.

A Atuerò numerũ quem dixi iniici oportere iuxta proportionem aquæ, de mediocribus intelligere oportet. Cum enim quædam maiora moderatis, quędã minora existant, quædam uerò inter hæc media, quẽadmodũ ut plurimũ esse solent, ex his prædictum numerum ad sextariũ conijcere oportet. Terminus aũt cocturę sit nõ ut tertia aut quarta, aut aliqua talis pars aquæ fiat reliqua, uerũ ubi primũ in totũ flaccida fuerint facta: succũ eñ ipsorũ exprimere uolumus, hoc uero sufficiẽter cõtinget, ipsis flaccidis factis. Superuacuum igitur diutius coquere. Ceterum mellis dimidiã mensuram huic succo admiscendã censeo, & coquẽdũ simul ad lentũ ignem ad cõpagem attici mellis. Verum in aqua pluuia quidam capitum cocturã fecerũt, B ne uidelicet ipsa ad aliam putredinosam qualitatem transmutetur. Tibi uerò etiam fontana sufficiet, pluuia nõ pręsente. Satis est & ipsam mundã esse, & omnis mixturæ exortẽ. ob quam rẽ ea quę per plumbeos canales deriuaᷣ fugiẽda erit: limus enim quidam ex plumbo in ea continetur. Vnde etiam qui aquæ eiusmodi fecem combibunt, dysenterici euadunt.

De usu confectionis ex papaueris capitibus.

Vsus eius est in his qui somno opus habẽt, quibus etiam ex opio constantia sæpe exhibere cogimur. Opus habent maxime huiusmodi pharmacis hi quibus tenuis fluxus à capite ad asperam arteriam destillat, non permittens dormire, ob consequentẽ tussim. In talibus ego etiã ex sapa pharmaci confectionem parare soleo. Dictum autem C à me antea est sapã hepsema à nobis appellari mustum coctũ, quod etiam siræũ quidam medici uocant. Sufficiẽs coctura eius ad huiusmodi est, ubi capita papaueris ad medietatẽ aquę fuerint decocta. Quin & per passum, aut theræum Creticum, melius est ꝙ per mel cocturã fieri, ubi fluxus ualde tenuis extiterit. Scimus enim attenuãtis facultatis mel esse: fugiendum igitur tũc, tenues enim fluxiões auget. Admiscetur etiã huiusmodi pharmaco dum coquiᷣ, radix dulcis quo simul coquatur. Vbi uerò hæc non adsit, succus qui ex Creta asportatur. Si uerò circa pulmonem consistat copia fluoris à capite delati, confectio ex melle melior est. Quemadmodũ enim somno opus habentibus, ea quæ ex sapa cõstat, sic reiectione per spu D tum indigentibus, ea quæ ex melle fit cõmodior existit. Contra urgẽti igiᷣ renitẽdo, ubi somnũ capere uult æger, aut q̃d ex melle constat, aut quod citra hoc apparatũ est, pharmacum exhibebis: aliquando etiã ambobus permixtis, scopũ habẽs ipsum urgẽs, circa mixturã, ex utro amplius conijcere oporteat. Appello aũt urgens, id quod maiori auxilio opus habet. Daᷣ cõmoderata mensura, duorũ cochleariorũ satis magnorũ copia. Augebis aũt & minues hãc copiã ad magnitudinẽ corporis cui exhibiturus es, respiciẽs, itẽ ad ætatẽ, & anni horã, ac regionẽ. In omnib. eñ his, frigidioribus minimũ dabis, calidiorib. amplius. Quod uero etiã multitudinis ac qualitatis ipsius destillationis respectu, aut plus aut minus dabis, manifestũ existit. Cõmune eñ hoc in omnibus auxilijs est. Suffecerant cquidẽ præscriptæ arteriacæ, uerum apponere amplius mihi uisum etiã eas quas Asclepiades in secundo interiorũ scripsit. Aliquæ enim ex eis penitus eædem sunt: quædã præscriptis ualde uicinę, ut et ex eo certitudo descriptionũ cõfirmetur. Quin & ultra hæc pręparandi & utẽdi modus, diligẽtius ab ipso Asclepiade traditus est.

Arteriacæ ab Asclepiade in II. internorũ conscriptæ, quæ Mnasoni inscribit. Antonij Musæ, ad uocẽ interceptam. 4

Brassicę uiridis cauliculos depuratos mãducandos præbe, & quod instar palearum exuccum est expuere iube, succum uero delingere. Alia, Brassicæ succũ cum melle coctum delingendum exhibe: auxiliatur cõfestim. Alia, Succi eryngij in aqua cocti heminas duas excipito, et succi ficuum in aqua coctarũ tantundem: his adde gummi subtilissime dissoluti drach. octo, coquito diligenter ad arteriacæ spissitudinẽ, & inde cubitum ituris ad cyathi mensuram delingendũ præbe. Alia arteriaca Charixenis. Facit ad sonũ uocis fractum, destillationes in arteriã, uocem interceptã, & raucosam, ad interceptiones uocis ex distensione. Croci drach. ij. succi cyrenaici drachm. unam, mellis attici cyathos sex: mel coquito, & ubi spissatum fuerit, reliquis admisceto, ac utitor uelut dictũ est pilulis inde formatis, quæ sub lingua detineanᷣ. Alia, Galbani ʒ. sex, piperis ʒ. unam, nitri ʒ. unam, mellis attici cyath. sex: galbanũ et mel coquito, & densata reliquis unito, utitor ut dictũ est. Alia ad exulceratã arteriã, Charixenis. Facit phonascis ante & post certamen data. Facit ad oculorum dolores, forinsecus imposita. Lana ex ea madefacta facit & ad internas affectiones delinita. Gummi, tragacanthę, utriusꝗ drach. sex. thuris, myrrhæ, utriusꝗ ʒ. unam, ob. tres, croci, hypocystidis succi, utriusꝗ ʒ. unam, passi scybelitæ aut Theræi sextarios sex: gummi, tragacanthã, myrrham, thus, unà cum hypocystidis succo macerato, affusa ipsis passi portiõe, atꝗ ubi dissoluta fuerint, diligenter terito, & ad passum misceto, assidueꝗ mouẽdo coquito. Crocum uerò laneo panniculo inditum, & in ollam suspensum, unà cum pharmaco coquito, deinde exemptum passo dilutum ac tritũ ad pharmacũ conijcito, & repositis utitor. Alia, Succi radicis dulcis, tragacanthæ, utriusꝗ ʒ. tres, croci, myrrhę, utriusꝗ drac. unam, thuris, spicæ nardi, utriusꝗ obo. tres, protropi sextarios tres: utere. Alia Lysiæ ad easdem affectiones. Croci, myrrhæ, succi radicis dulcis, thuris, casiæ, singulorum ʒ. unam, piperis grana xxiiij. passi cretici sextarios iij. mellis attici cyathos vi. utere. Alia Charixenis. Croci ʒ. tres, myrrhæ ʒ. unam & dimidiam, thuris, glycyrrhizæ, utriusꝗ ʒ. unã, passi Cretici sextarios tres. Facit ad sonum fractum, destillationes in arteriã, interceptã uocem, tonsillas inflãmatas, facit etiã ad phonascos ante & post certamẽ data. Iuuat perfrigeratos, facit ad recentem & ueterem tussim, ad spuẽtes sanguinem, eundemꝗ rursum reiectantibus prodest & cœliacis. Conducit item ad spiritus fœtorem.

Alia hypogloſsis,ſub lingua tenenda. Facit A
ad arteriam exaſperatam,& uocem interceptam,
itemq; reliquas affectiones. Tragacanthæ, gũmi
Thebaici,utriuſq; ʒ.tres,myrrhæ,thuris nõ ſecti,
utriuſq; ʒ.unam,ob.tres,croci ʒ.unam, ſucci gly-
cyrrhizæ ob.tres. Phœnicobalanorum trium car
nem,paſsi protropi aut Theræi quod ſatis eſt his
excipiẽdis, decoquat̃ ad craſsitudinẽ mellis: dat̃
fabæ Aegyptię magnitudine ſub lingua tenenda
& diſſoluta tranſglutienda. Alia hypogloſsis
Dioſcoridæ.Croci,myrrhæ,tragacanthæ, radicis
dulcis ſucci,ſing. ʒ.unã, nuces pineas cõtuſas nu
mero ſexaginta; amygdalas mũdatas totidẽ.exci
pe melle cocto.Datur nucis ponticæ magnitudi-
ne ſub lingua tenẽda. Alia Scribonij Largi hy-
pogloſsis. Facit ad uocẽ interceptã.glycyrrhizæ B
ʒ.octo,myrrhæ drach.xxiiij.terebinthinæ drach.
xxxij. tragacanthæ ʒ.xxxviij. Arida ſingula per
ſe tundito ac cribrato:reſinã autẽ in pilam conie-
ctam tundito,arida ad ipſam inſpergendo, dein-
de ex unitis omnibus paſtillos formato,fabę Ae-
gyptię magnitudinis,quos in umbra ſiccato,atq;
uſus tempore unum aut duos ſub lingua tenẽdos
dato,ac liqueſcentes deuorãdos. Oportet autem
hoc pharmacũ confeſtim in paſtillos cõformare.
quo tempore igit̃ paſtillos cogis, eodem etiã tun
des:reſiccantur enim cito,& ob id paſtillos ex eo
formantem ad manum ſimul tundere oportet.
Alia aromatica Mithridatis.Facit ad arteriæ affe-
ctiones,pulmonis ulcerationes,ſpuentes ſangui-
nem,tabeſcentes,ſuppuratos, & peripneumoni- C
cos.Croci ʒ.ij & dimidiam,myrrhæ, reſinæ tere-
binthinæ,utriuſq; ʒ.ij.thuris ſeſquidrachmã,nar-
di,cinamomi, caſiæ, tragacanthæ,ſingulorum ʒ.
unam,mellis attici heminam unã:mel & reſinam
coquito,ut tractilia fiant ac fibroſa,& non inqui-
nent in frigidã aquam inſtillata, dein cum aridis
cõmittito,ac probe cõtundito,& reponito.utere
nucis ponticæ magnitudine ſub lingua detenta.
Alia Mithridatis. Myrrhæ, croci,utriuſq; drach.
quatuor,nardi indicæ,terebinthinæ,utriuſq; ʒ.ij.
thuris,caſiæ,cinamomi, ſingulorum ʒ.unã,paſsi
cretici heminas tres: paſſum & terebinthinam ad
perfectã cõpagẽ coquito, & cũ ſiccis cõmittito,
indeq; in nucis ponticæ magnitudinẽ ſub lingua
tenendũ dato. Alia ex filice Andromachi aro- D
matica.prodeſt hęmoptoicis,pleuriticis,tabeſcẽ-
tibus,ſplenicis,hepaticis,ictericis.Facit et ad affe
ctiões circa uterũ et ueſicã.Radices filicis q; craſ-
ſiſsimæ lauant̃ diligenter donec omne terreũ ab
eis decedat, deinde perfrigerant̃ ad diem unã,&
ex ipſis libræ x.in fruſta digitalis magnitudinis ſe
cant̃ & cõquaſſant̃, ac in uas figulinũ cõijciunt̃.
Infunduntur deinde aquæ dulcis ſextarij x. & ad
ignẽ poſitæ coquunt̃. Cum uerò ad dimidias de-
uenerint per cocturã,eas tollimus, & in duplum
uas unguentariũ excolamus, & radices quidẽ ex
preſſas proijcimus:in aquã uerò craſſo modo cõ-
tuſa cõijcimus.Balauſtij ʒ.vi.nardi indicæ,roſarũ
ſiccarum,utriuſq; ʒ.iiij.cinamomi ʒ.iij.glycyrrhi
zę ʒ.vi.caſiæ ʒ.quatuor, rhei pontici ʒ. quatuor.

Deinde rurſus ad ignẽ admota cõquimus, & ubi
ad dimidias peruenerint, rurſus in aliud paruum
uas unguentarium excolamus, & arida quidẽ ex
preſſa reijcimus, ad aquam uerò mellis attici he-
minas quatuor addimus, probeq; mixta & igni
adhibita,rurſus coquimus, & cum inſtillata in fri
gidã nõ inquinarint eam,his reſinæ terebinthinæ
drach.tres,galbani nõ lignoſi tantundẽ, admiſce
mus. Hæc uerò liquefacta ad ſubſcripta deple-
mus.Sunt autẽ hæc, croci, ſucci hyoſcyami, ſucci
mandragoræ,piperis albi,ſucci hypocyſtidis,ſin-
gulorũ drac.i.omnia hæc tenuiſsime trita,& cum
primo filicis ſucco unita habeto, ut ſtrigmentitiã
craſsitudinẽ habeãt. Poſtq; igitur inuicẽ permix-
ta ac probe cõquaſſata fuerint, in uitreũ aut argẽ-
teũ uas reponimus. dat̃ ex pharmaco cochleariũ.
maxime iuuat uocem interceptam.Alia panacea
Mithridatis, ad phonaſcos ante & poſt certamẽ.
Facit & ad glandularũ inflãmationes, laxatas co-
lumellas.facit ad gingiuas humore prægnãtes,&
nomas in ore,& motos dẽtes.Prodeſt deſtillatio-
nibus,recẽti ac ueteri tuſsi,hæmoptoicis, & ſan-
guinẽ reijciẽtibus. Vtor pharmaco hoc quãdoq;
puro,quandoq; paſſo diſſoluto, aut uino ſcybeli-
te & aqua calida.Etẽm ad tonſillarũ inflãmatiões
diſſoluto pharmaco utendũ eſt:ad affectiones ue
rò in profundo, puro.Cõpoſitio ſic habet.Capita
papaueris agreſtis,numero cl.filicis lotæ lib.tres,
ſymphyti depurgati, corticis mandragoræ, rhei
põtici,roſarũ ſiccarum,iridis chalcidonię, glycyr
rhizæ ponticæ,balauſtij, ſingulorũ trientẽ, cina-
momi ſextantem,nardi celticæ ſeſquiunciã, aquę
pluuiæ ſextarios xv.Prædicta in craſſas partes cõ
tuſa in uaſe duplici unguentario ad triduũ mace-
rant̃,ſequenti deinde die ad tertias coquuntur,et
poſtea in quallum coniecta exprimimus ab ipſis
in aliud uas unguentariũ liquorẽ, & res decoctas
abijcimus quidẽ,uerũ de expreſſo liquore quan-
tum ſufficit accipiẽtes, ſubſcriptas res in ipſo diſ-
ſoluimus.Sunt autẽ hæ, gũmi, tragacanthæ albæ,
utriuſq; lib.i.myrrhæ,ſucci radicis dulcis,ſucci hy
pocyſtidis, ſingulorũ ſextantẽ, croci, maſtiches,
utriuſq; unc.i. Hæc diſſoluta diligenter terimus,
paulatim de expreſſo liquore adſtillantes.Poſtea
ad pharmaci confectionẽ uino ſcybelite,aut the-
rẹo,aut prãnio utimur.ſint aũt eius ſextarij xxiiij.
Paſſum in uas fictile diffuſum coquimus,atq; ubi
mellis ſpiſsitudinẽ acceperit,ipſi diſſoluta & trita
pharmaca adijcimus,rurſusq; coquimus ad com-
pagẽ, & ſublato in uas uitreũ aut argẽteũ utimur,
quemadmodũ dictũ eſt antea. Aliam ad deſtil-
lationes, & omnes tuſsiculoſas affectiones,Aſcle
piades in primo internorũ ſic tradidit.Ad deſtilla
tiões pharmacũ q̃ uſus eſt Comõ philoſophus,au
xiliat̃ ſtatim.Pyrethri, coſti,utriuſq; ʒ.ij.piperis al
bi ʒ.i.tuſa & cribrata reponito. Vſu uerò expetẽ-
te,naribus admouere, & pharmacũ attrahere iu-
beto. Alia, Piperis albi drach.i.ſeminis urticæ
tantundem, coſti,myrrhæ, croci, ſingulorũ ob.iij.
præparato ac utitor ut dictum eſt. Alia, dolo-
rẽ ſedans, Antonij Muſæ. Facit ad deſtillationem
&

A

&uocem interceptam. Opij, myrrhæ, seminis hyoscyami singulorũ drac. ij. singula in cicutæ decocto macerato ac diligenter terito, & ex mixtis catapotia erui magnitudine formato, & duo ex ipsis ante somnũ dato. Alia facit ad hæmoptoicos, Seminis hyoscyami albi drac. viij. nardi Indicæ drach. vi. croci drac. iiij. opij, amyli, anisi singulorum drach. ij. rubricæ lemnię drach. i. cum aqua catapotia erui magnitudine formato, ac utitor ut dictum est. Alia delingibilis, ad tusses extremas & inueteratas. Vini falerni sextariũ i. mellis Attici lib. i. coquito assidue agitando cum ramulis rutæ, Dato inde mystrum. Facit & ad stomachicos.

Alia Petini, ad ulcerationes & suppurationes in profundo. Vini mulsi ueteris sextar. i. axungiæ ueteris sextantem, alij unc. i. Axungiã probe cum

B

uino mulso terito ac dissoluito, indeq; in uas fictile transferto, & ad prunas ramulis rutæ agitando coquito, & ubi dẽsata fuerint, in uase uitreo reponito, ac mystrũ delingendum ut prædictũ est exhibeto. Alia Origeniæ. Glycyrrhizæ ponticæ drac. ij. seminis urticæ tosti, seminis lini tosti, utriusq; drac. i. myrrhæ, croci, utriusq; ob. i. mellis Attici, aquæ, utriusq; cyat. vi. Glycyrhizam aqua coquito, deinde expresso liquore, reliqua terito, & melle cocto excipito, ac delingenda præbeto.

Alia, Ari tosti drach. i. ammij torrefacti, nucum pinearum tostarum, Irionis tosti, singulorum dra. i. excipe melle cocto. Alia placentula, hoc est, Coptarium ad tussientes. Seminis lini torrefacti, contusi, et cribrati. Vuæ passæ pinguis citra a-

C

cinos, utriusq; sexta. i. nucũ pinearum tostarũ, nucũ ponticarũ depurgatarũ, utrarũq; heminã i. piperis albi sextantem. myrrhæ, croci, utriusq; unc. i. mellis Attici lib. iiij. cõtusa ut oportet tritaq; reponito. Semen lini cum melle coquito, et densata reliquis addito, misceto ac contundito. Datur nucis ponticæ magnitudine. Alia. Facit & ad Thoracis affectiones. Farinæ fabaceæ tenuissimæ tostæ heminã i. iridis Illyricæ quadrantẽ. nucum pinearũ tostarũ sextantẽ. pulegij aridi cõtusi sesquidrach. seminis urticæ drac. i. piperis unc. dimidiã. Mellis boni sextar. ij. farinam cum melle ad densitatẽ coquito. Seminis lini etiã tusi, tosti, & cribrati heminã i. in promptu habeto & adijcito. Alia ad tussim, & spiritus prolationẽ, ual de probe ex-

D

purgans. Hyssopi, pulegij, utriusq; sextantẽ. iridis, seminis sinapis, nasturtij, singulorũ unc. i. anisi, piperis, utriusq; unc. i. tusa & cribrata melle cocto excipito. Datur cochlearij boni mẽsura. Si uero hyems sit, & accepturus nõ febriat, piperis sextantẽ, & pro aniso, fœniculũ aut cuminum, & pro nasturtio, sinapi duplũ cõijcito. Catapotium ad tussim recentẽ, Panacea pharmacũ dolorẽ leuãs, inducẽs somnũ, facit ad hæmoptoicos. Styracis drac. viij. opij, myrrhę utriusq; drac. iiij. diluta passo in catapotia cogito, & erui magnitudine cubitũ euntibus dato. Alia exemplaria par põdus omnium habent. Aliud Platoni inscriptũ, e uestigio auxiliatur. Styracis, myrrhæ, opij, galbani, singulorũ par pondus, passo diluta in catapotia redige.

Aliud Basso inscriptum pharmacum accommodatum auxiliatur statim. Facit hæmoptoicis, sanguinem reijcientibus, suppuratis. Galbani, styracis, iridis illyricæ, corticis pinus, singulorum ℥. ij. enulæ, opij, utriusq; drac. i. Excipe melle cocto, & præbe ciceris magnitudine ex aquæ mulsę cyathis. iiij. Confectio ex marrubio Platonis. Myrrhę, styracis, opij, succi marrubij, galbani, croci, ęquales partes, præpara ac utere, melle exceptis cocto. Catapotium dolorẽ sedans, pharmacum accommodatum ad inueteratas affectiones. Facit ad destillationem, dolorẽ capitis, ægre spirantes, peripneumonicos, ad uesicæ & uteri affectiones. Inscribitur panacea accommodata, ab aliquibus Stichus, myrrhæ, piperis, opij, styracis, castorij, galbani, æquas partes excipe passo, fac catapotia, & utere. Aliud pharmacũ ualde bonum, Inscribitur Harmonia, Facit ad destillationes, & inexuperabilem defluxum. Styracis, castorij, piperis, cardamomi, singulorum drac. iij. opij. myrrhę, seminis hyoscyami albi, singulorum dra. iiij. Excipe passo, reduc in catapotia, Dato ciceris magnitudine ad somnum. Aliud, Croci, sulphuris uiui, myrrhæ, opij singulorũ dr. iiij. seminis hyoscyami albi, cardamomi, piperis albi singulorum dra. viij. mellis cocti quincuncem, aut quod satis est. Vsus prædictus est, Datur cubitũ euntib. Cõfectio Proxeni, ad tusses inueteratas, & ualde diu durãtes humectas affectiones, appellatᷣ Symphonos Lexopyretos, id est, optime sedãs febrẽ. Hac usus est Antonius Musa. Piperis albi, opij, cardamomi, singulorũ ℥. viij. croci, sulphuris uiui, myrrhæ, seminis hyoscyami albi, singulorũ ℥. iiij. mellis cocti sexuncem. Datur nucis ponticæ magnitudine cum aquæ mulsæ cyathis tribus.

Confectiones ad tussim ab Andromacho libro ij. de confectionibus internis conscriptæ. Cap. III

Postquã multas ad tussim Andromachus scripsit cõfectiones, deinceps omnes soporem inducẽtes, & ob id soporiferas appellatas tradidit. Cæterum hæ omnes tenues fluxiones inspissare possunt, resiccantes simulq; refrigerantes, & propterea aliquæ nõ tantum opium, sed & mandragoræ succum, aut radicis corticẽ, aut hyoscyami semẽ, aliquæ etiam duo aut tria, aut etiam omnia huiusmodi habent. Quemadmodum aliæ styracem, & crocũ. Rationabiliter autem his alij partim calfacientia ammiscuerũt, partim cum modica adstringendi ui aromatica & resiccantia, itemq; semina quædã familiaria. Velut anisi, fœniculi, apij, dauci, seselis, utpote quæ tum pharmacorum iniucunditatẽ ac uim obtundunt, tum urinã etiam prolectãt. Quædã uero etiã aspretudines leuigãt, uelut sunt tragacãtha, glycyrrhiza, & uina dulcia. At uero ex his, quæ minus de soporẽ inducentib. cõplectuntur, eas etiã tabescentibus præbent. Confectio ad tussim ex duobus piperis generibus. Cinamomi drach. i. succi papaueris drach. i. myrrhæ obol. iij. piperis nigri obol. iij. castorij obo. iij. piperis albi obol. iij. galbani obol. iij. croci dimidium, Redigito in pastillos, Dato cum melle aut passo.

Alia ad tussim excellenter efficax. Eadē febres sedat. Seminis hyoscyami unc. dimidiā. Vnum exemplar unc. i. habet. cardamomi drac. i. succi papaueris unc. unam, myrrhæ, sulphuris uiui, croci, singulorum unc. dimidiam. piperis albi iuxta Heram sesquunciam. Mellis Attici quod satis est. Alia ad tussim siccam. Styracis partem i. succi papaueris tantundem, croci partem dimidiā. cōtundito simul & catapotia inde exhibeto. Cōfectio ad tussim qua utor, Sacrificuli bona. Succi papaueris drachmas x. seminis lactucæ drach. xx. castorij drach. xviij. alij xvi. rutæ hortensis aridæ ʒ. xiiij. croci drach. vij. alij unciam unā. Excipe melle. Datur pro uiribus ægyptiæ fabę magnitudine, febrientibus ex aqua, febre carentibus ex uino, ad noctem. Catapotium ad tussim quo utor. Styracis, myrrhæ, opij, singulorum drach. iiij. opobalsami, croci, utriusq; drach. ij. simul trita excipe, ac utere. Ad tussim siccam. Succi radicis dulcis drach. ij. styracis drach. i. opij, croci, myrrhę singulorum obolos iij. excipe passo aut aqua, & ad fabæ græcæ magnitudinem redigito ac utitor. Potio qua utor ad phthisicos, Rhipali multis cōmoda appellatur Menodorios, & Ambrosia. Facit ad febres per circuitum repetentes. Nardi, croci, myrrhæ, costi, casiæ, cinamomi, iunci rotundi odorati, piperis nigri & albi, castorij, galbani, terebinthinæ, styracis, succi papaueris, seminis hyoscyami, singulorum drach. i. tragacanthę drach. vi. mellis quod satis est. Vini falerni heminam i. Tragacantham uino sufficienti macerato, & reliqua simul cum melle committito. Datur febrientibus sesquidrachma, ex aqua mulsa. Febre carentibus uncia dimidia, cum melle, & aceti cochleario i. & uini Falerni cyath. ij. Apollonij confectio, facit ad multa præsertim ad tusses egregie. Cardamomi drach. xviij. myrrhæ, drach. xij. hyoscyami dra. xij. opij drac. x. alij xij. seminis petroselini drach. xij. croci drach. xv. malorum mandragoræ drach. x. zingiberis drach. viij. sulphuris uiui drachm. vi. ari drach. vi. thuris drach. vi. costi drac. vi. piperis albi drach. vi. mellis Attici. Alia ad internos abscessus, probe repurgans. Sagapeni dra. ij. myrrhæ drach. ij. cardamomi drach. iiij. alij drach. i. castorij drach. i. piperis albi obol. iij. opij dra. ij. cum aqua in pastillos formato duorum obolorum pōderis. Dantur cum aqua. Isotheos ad tussim, ad tabem, ad omnes internas & per circuitum repetentes affectiones. Nardi drach. ij. myrrhæ dra. i. croci drach. i. & dimidiam, costi drach. i. piperis albi drach. i. fecis opobalsami drach. ij. cinamomi drach. ij. succi mandragoræ drach. ij. castorij drac. ij. seminis dauci drach. i. & dimidiam. opij drach. ij. amomi sesquidrachmam, casiæ nigræ sesquidrachmam. mel coctum. Facit ad dolores stomachi, hepatis, pulmonis, oculorum, sanguinis reiectionem, abscessus. Prodest dysentericis, uolulosis, nephriticis, ischiadicis, ægre spirantibus. Vrinæ suppressæ, doloribus laterum, præcordiorum, ad fluxum muliebrem, & uteri strangulationem. Admirāda est Antidotus ad lethalia uenena, ante

A & post cibum sumpta, ad omnem sanguinis eruptionem cū frigida, & ad morsos à uipera, & percussos à phalangijs, in uini cyathis tribus. Quartanarijs prælotis dantur ante horam accessionis oboli ij. ex uini cyathis tribus. Potio ad tussim, Dyspnœam, & alia multa Antipatri, qua utor. Styracis drachmæ vi. terebinthinæ drachmæ iiij. opopanacis drach. ij. galbani drach. ij. iridis Illyricæ drachm. ij. myrrhæ drach. ij. seminis hyoscyami albi obolos iiij. spumæ nitri obol. iiij. piperis albi obolos iiij. opij obol. v. Datur quantitate fabæ Aegyptiæ ad somnum. Quidam opij obolos iij. alij drachmam unam conijciunt. Eclegma ad tussim. Nucleorum nucum pinearum drach. xij. seminis lini tosti drachmas viij. tragacanthæ

B drachmas xij. carnis palmularum drachmas xviij. iridis Illyricæ drachm. xij. amygdalarum dulcium drachmas xvi. Mel coctum. Dato delingendum bis per diem, mane & uesperi. In quibusdam tragacantham aqua pluuia dissolutam primum cum melle coquito. Catapotion ad tussim, Crispi Liberti. Myrrhæ, piperis albi, galbani, castorij, styracis, croci, opij, singulorum par pondus, styracis dimidium. Dato inde catapotia ij. ad noctem. Scribonij, ad tussim. Seminis apij drachmas duas. floris iunci odorati, nardi celticæ, styracis, croci singulorum drachmam unam. balaustij obolos iij. succi papaueris drachmas iiij. mellis quod satis est. Datur magnitudo fabæ non febrientibus ex aceto mulso. febricitantibus cum a-

C qua. Asclepiadæ ad tussim. Rhei pontici, croci Cilicij, succi papaueris, spicæ nardi, thuris, myrrhæ, singulorum drachmā unam. radicis nardi Celticæ sextantem. styracis sexuncem. Datur drachma una cum uino mulso. Thespiana Apollonij ad internos abscessus. Seminis apij drachmas iij. succi papaueris drachmas iij. melanlanthij drachmas iij. iridis Illyricæ drachmas vij. castorij drachmas ij. seminis dauci drachmas vij. sinopidis rubricæ drachm. vij. excipe melle cocto, & dato nucis ponticæ magnitudine ex aqua. Catapotium resiccatorium. ad fluxiones Thoracis, ad molæ dolorem, affectiones per circuitum repetentes, & percussos à scorpio. Succi papaueris, seminis hyoscyami, utriusque par pondus cum passo aut melle ad fabæ græcæ magnitudi-

D nem formato, Dato ad noctem. somnum inducendo prodest. Confectio finiens febrem Pamphili pharmacopolæ bona. Seminis hyoscyami unc. i. cardamomi exenterati unciam unā. succi papaueris unciam i. sulphuris uiui unc. dimidiam, croci unc. dimidiam, myrrhæ unc. dimidiam, euphorbij drac. ij. costi drach. iij. iridis Illyricæ ʒ. iij. piperis albi drac. iiij. & dimidiam. Mellis quod satis est. Vtere. Catapotiū ad tussim & alia multa commodum, & pręsertim ad tussim humidam. Iunci odorati drach. vi. opij drachmæ iiij. galbani drach. vi. styracis drach. iiij. fiant Catapotia araci magnitudine, dentur ad somnum. Alia sedans febrem, Darij. Hac antidoto usus est ad omnia, ad tonsillas, tusses, & anginas. Croci unciam i.

piperis

piperis quincuncem, myrrhæ unc.i. ſucci papaueris unc.i.thuris tantundem.ſeminis hyoſcyami tãtundem, cardamomi tantundem. coſti drac.iiij.iridis Illyricæ drach.iij. ariſtolochiæ drach.ij. melle Attico excipito. Aliud ad omnẽ tuſsim expertũ.Aniſi dra.ij.coſti ob.iij.myrrhæ drac.i.caſtorij, galbani,piperis albi,ſeminis hyoſcyami, opij, ſucci radicis dulcis,ſingulorum ʒ.i.excipe paſſo,redige in catapotia ciceris magnitudine. Dato in nocte. Catapotium concoctorium ex libris Perigenis,ad tuſsim & deſtillationem. Styracis ob.ij. piperis grana xx.myrrhæ drach.ij.& dimidiam.ſeminis hyoſcyami ob.iiij.euphorbij drach.ij.iridis Illyricæ drach.ij.opopanacis drach.ij. croci obol. iij.opij obol.iij.terebinthinæ drach. i. piperis albi obol. iij. galbani drach.ij.trita excipe galbano ac reſina,opioq́ & ſtyrace.Datur prout ſunt uires. Apollonij confectio ad tuſsim commoda. Foliorum malabathri drach.viij.croci drach.vi. opobalſami dra.i.ſpicæ nardi drach.i.roſarum ſiccarũ, floris iunci odorati,ſingulorum drach.i.coſti,caſsiæ,ſtyracis,myrrhæ,mei,ſingulorum dra.iij. uuæ paſſæ mundæ drach.xvi.ſucci mandragoræ ʒ. vi. mellis quod ſatis eſt. Vuam paſſam in Cretico paſſo per noctem & diẽ macerato, deinde ammixtis aridis terito, & mel miſceto, ac repoſito utitor. Potio ad tuſsim ex libris Apollonij,itẽ ad muliebrem fluxum. Seminis hyoſcyami drac. iij.myrrhæ drach.iij.croci,ſucci mandragoræ,thuris,ſingulorum ʒ.iij.piperis albi & nigri utriuſq; drach.iiij.uiticis drach.iij.opij drach.iij. mellis & uini chij quod ſatis eſt.Datur magnitudo fabæ. Ad tuſsim,incipientem phthiſim, hæmoptoicos, ad fluxiones. Seminis hyoſcyami dra. iiij. radicis nigræ mandragoræ drac.iiij.Rhei drac. iij. corallij drach.iij.opij drach.iij.lycij drac. ij. balauſtij drach.iij.thuris drach.v.tragacanthæ drac.ij. croci drac.iij.Cum aqua paſtillos triobolares formato. Datur hæmoptoicis ex poſca, Reliquis in aqua. Potio prodita à Cletio Abaſcanto, ad tabeſcentes,quo utor abunde, Verum ineptum eſt ad ſanguinis reiectationem. Ariſtolochiæ dactylitidis drac.xx.ſulphuris uiui drachm. xx. corticis mandragoræ drachm.xx.thuris drac. xl. gentianæ dra.xxx.ſeſelis drac.xxx.opij drac.xl.ſeminis hyoſcyami albi drac.xl.myrrhæ drac.xl. croci drach.viij. piperis albi grana c. euphorbij drach. x.baccarum lauri drachmæ vij.& dimidiam.coſti dra.vij.& dimidiam,Cardamomi dra.vij.Euphorbium,& myrrham in uino tũdito, opium uero & hyoſcyamum in uino mulſo.Reliqua priuatim tũdito,ac ſimul miſceto ad mel coctum. Vtere pharmaco non recenti. Recte appoſuit Andromachus ad hoc pharmacũ,quod ſit ad ſanguinis reiectationẽ ineptũ,ob ſulphur uidelicet uiuũ, & euphorbiũ,partim etiam ob lauri baccas. Catapotium ad tuſsim ſtatim auxilians. Iridis ob.iiij.croci Cilicij ſeſquiobolum,myrrhæ ob. ij.cinamomi ob.iiij.caſsiæ obol. iiij. ſeminis hyoſcyami albi obolos ij.ſeminis papaueris nigri obolos ij.ſeminis cicutæ obolos ij. redige in paſtillos obolares

A aut ſemiobolares cũ paſſo, & præbe in paſsi quarta heminæ parte. Aliud, Ad omnem tuſsim, & fluxionem,& abſceſſus internos,ut Apollonius. Sagapeni,gentianæ, myrrhæ, opopanacis, piperis albi,ſingulorum drach.ij. baccarum lauri mundarum drac.iiij.trita cum aqua reduc ad magnitudinem fabæ græcæ, Dato autem iſchiadicis paulò plus ex uini diluti cyathis tribus. Ad Phthiſicos aliud, Cuius utilitatem expertus ſum, Fabiani Cretenſis. Succi hypocyſthidis dra.viij. myrrhæ drach.viij.caſtorij drachm.vi.thuris drachmas viij.ſucci Rhois drach.ix. ſagapeni drach. vi.ſucci papaueris drach.viij.aniſi drach. ix.ſeminis apij drach.viij.marrubij drach. i. corticis mandragoræ drach.x.piperis longi drach. viij. & albi

B drach.v. & dimidiam. uerbenacæ ſupinæ drach. unam.mel coctum. Catapotium album, ut Prytanis & Apollo. Myrrhæ,ſeminis hyoſcyami albi,opij,ſtyracis,ſingulorum æquale pondus, formato catapotia quanta deuorari poſſunt,his ipſis uua paſſa,aut paſſo, aut palmularum carne exceptis. Catapotium ex libris Perigenis. Ad tuſsim Seminis hyoſcyami, caſtorij,myrrhę,ſtyracis, ſingulorum par pondus.Dato magnitudinẽ fabę cum paſſo,aut aqua mulſa. Catapotia ad tuſsim humidã ex libris Perigenis.Styracis,galbani,ammoniaci thymiamatis, caſtorij,opij.ſingulorũ æquales partes in catapotia erui magnitudinis redigito, ex eisq́ duo exhibeto.

De reiectatione ſanguinis. Cap. IIII

C In reiectatione ſanguinis primum periculũ eſt, ne immoderata eius euacuatio fiat. Alterum poſt ſuppreſſum ſanguinẽ. Curatio uero eius quidem quæ ex apertione oſculi alicuius uaſis cõtigit, per obturationẽ fit oris dilatati. Eius uero quæ ex uaſis ruptura,per eiuſdem cõglutinationem. Quemadmodum eius quæ ex eroſione, per renutritionẽ eroſorum. Obturatur igitur oſculum dilatatũ, per adſtringentia: cõglutinatur autẽ ruptum, per eadem,& quæcunq; ipſis in cõpoſitione miſcentur citra mordacitatem reſiccantia,et glutinoſum quiddã habentia. Velut eſt lemnia terra ſphragis appellata,& Samius aſter. Renutriunt autem corroſa,per cibos boni ſucci,& pharmaca carnẽ gignentia,ſarcotica Gręcis appellata,de quorũ facul

D tate dictum eſt in ſecũdo opere huiuſmodi tractationis. Iuxta primã quidem igitur rationem, ex talibus pharmaca cõponuntur ad reiectationẽ ſanguinis curandã conuenientia. Iuxta ſecundam uero,in his qui ex pulmone,aut thorace,aut arteria, aut ſumma arterię parte ſanguinem reiectant. Miſcentur enim prædictis congruenti menſura tum calida,tum tenuium partium exiſtentia, quæ infeſtiſsima ſunt prædictis trib. affectionibus, apertioni uidelicet orarũ,rupturæ,& corroſiõi. Cuius rei gratia itaq; miſcẽtur? Diſtributionis nimirũ ipſorum in corpus. Etenim adſtringentia et uiſcoſa ac tenacia ſibijpſis uias præcludunt, quare opus habent facultate ipſis uiam ſtruente ac præparante.

Porrò quum ex locis circa ſtomachum, aut aluum, aut aliquod inteſtinum, ſanguis educitur, huiuſmodi

huiusmodi pharmacorum mixtura nõ est opus. Verũ rursus infestissimũ his est hoc genus pharmacorum, quod in tantum refrigerat, ut affectio stupefiat: & tamen etiam hæc ammiscentur medicamentis ad hęmoptoicos conuenienter paratis, ut quæ altiorem somnum ac soporem inducant, & commodissima sunt his qui à tussi lancinãtur, sistentia nimirum sanguinem qui ad affectũ uas defertur, atq; hoc per suam frigiditatem. Atq; hi quidem sunt componendi scopi. Copia autẽ materiæ pharmacorũ, quæ sufficientẽ experientiam priorib. medicis, qui circa curatiuã artis partẽ diligenter uersati sunt, exhibuerũt, deinceps referes.

Quæ Andromacho ad sanguinis reiectationem scripta sunt. 2

Primum ex his quæ sanguinem reijcientibus conueniunt pharmacis, Andromachus sic tradidit. Ad sanguinis reiectationẽ, quo ego utor. Acaciæ drach. iiij. rosarum siccarum drach. viij. balaustij drach. viij. gummi drach. ij. tragacanthæ drac. i. cum aqua pastillos facito drachmæ unius. Dato ex aqua pluuia. Aliud Apollonij. Seminis hyoscyami drach. viij. opij drach. iiij. thuris drach. viij. terræ Samiæ drac. iiij. amyli drachmæ ij. rubricæ lemniæ drachmæ ij. aut si hæc non sit, sinopicæ drach. iij. coralli drach. iiij. costi drac. iiij. floris balaustij obol. iij. alij drach. ij. excipe succo polygoni, ac redige in pastillos triobolares, quos ex frigida præbeto. Quidam cicutæ seminis drac. iij. adijciunt. Aliud quo utor: Cytinorum drach. vi spinæ Aegyptiæ drach. vi. succi papaueris drach. iiij. hypocysthidis drach. vi. balaustij drach. vi. acaciæ drach. vi. lycij Indici drach. iiij. myrrhæ drach. ij. excipe myrti baccarũ decocto, & fac pastillos drachmæ unius. Ex eodem decocto præbe bibendos. Aliud sistẽs sanguinẽ. Croci Cilicij, myrrhæ, iridis, nardi Indicæ, thuris, acaciæ, singulorũ unc. i. succi papaueris, costi, piperis, singulorũ unciam dimidiam. rosarum siccarum trientem. melle excipito. Datur fabæ Aegyptiæ magnitudo. Aliud fluxiones sistens. Prodest fluxionib. internis, tonsillarũ, & uuæ, & ad exulceratã arteriã gargarissatum, & ad sanguinis fluxũ ex aqua frigida. Pluribus ex posca magnitudine ponticæ nucis. Congruit etiam mingentibus sanguinem, & fluxui muliebri, potum & appositum. Myrrhæ unc. i. nardi Indicæ unc. i. cinamomi unciam i. thuris unc. i. croci unciam dimidiam. piperis dra. iiij. succi acaciæ drach. iiij. costi dra. iiij. styracis dra. iiij. iridis Illyricæ sextantem. rosarum siccarum sextantem. Excipe melle cocto. Aliud sistens fluxiones, ex libris Galli. Facit probe & ad sanguinis reiectationem. Croci, myrrhæ, iridis, nardi Syriacæ, casiæ nigræ, Rhei pontici, singulorum dra. i. styracis, piperis albi utriusq; unc. dimidiam. rosarum siccarum quincuncẽ. tritis mellis Attici quod satis est affunde. Daẽ nucis põticæ magnitudine ex aquæ cyathis tribus. Aliud ad hæmoptoicos, ex libris Apollonij. Succi hypocysthidis dra. xij. balaustij, acaciæ, cytinorũ singulorum drach. xij. gallæ drach. xij. succi papaueris drach. vi. croci drac. vi. Redigito in pastillos triobolares. Aliud ad hæmoptoicos. Succi papaueris obol. ij. amyli obol. iij. Dato ex aqua. Aliud ad sanguinis eductionem, & omnem sanguinis eruptionem, ex aqua potum. Succi papaueris drach. i. cinamomi drac. i. castorij dra. i. costi, piperis longi & rotundi, myrrhæ, singulorum, obol. iij. croci sesquiobolum. corallij obolos ij. balaustij drach. unam. anisi drac. ij. gummi drach. i. Ex tritis pastillos formato ac utitor. Aliud ad sanguinis reiectationem. Rubricæ sinopicæ drach. iiij. thuris drac. viij. anisi ʒ. i. seminis cicutæ drachmas iiij. succi papaueris ʒ. iiij. lapidis hæmatitæ drach. iiij. seminis hyoscyami drach. viij. terræ samiæ drach. iij. dato pharmacum ieiunis ex aqua. Aliud, Succi hypocysthidis drach. unam. opij obol. iij. balaustij drac. i. acaciæ drach. i. Ex aqua. Aliud ad sanguinis eductionem, ut Herophilus. Radicis symphyti quadrantem, terræ asteris unc. i. thuris sextantẽ. balaustij unc. i. hypocysthidis unc. i. croci obol. iij. myrrhæ drach. ij. opij drach. i. rubricæ lemniæ quadrãtem, & obol. iij. gummi drach. i. Excipe succo polygoni aut plãtaginis. Aliud ad hæmoptoicos, Boni præceptoris. Balaustij drach. ij. acaciæ ʒ. ij. tragacanthæ drach. iiij. succi hypocysthidis dra. iiij. florum rosarum drach. iiij. opij drach. ij. thuris drach. iij. myrrhæ drachmas ij. seminis hyoscyami obol. iiij. Excipe succo sanguinariæ quæ Græcis est polygonum. Aliud sanguinem reijciẽtibus ut Acacios. Terræ Samiæ drachm. iiij. corallij. drach. iiij. rubricæ sinopicæ drach. ij. balaustij ob. iij. opij. drachm. iiij. amyli drach. xij. thuris drach. viij. seminis hyoscyami, drach. viij. Cum polygoni succo pastillos triobolares formato. Dato in posca, si fluxio sit multa cum uitello oui assato & aqua plantaginis. Aliud ad hæmoptoicos & dysentericos. Floris rosarũ, opij, acaciæ, gummi, balaustij, hypocysthidis singulorum quadrantẽ. gallæ unc. i. seminis plantaginis eiusdemq; succi utriusq; sextantem. lycij Indici unc. i. succi rosarũ unc. i. Redigito in pastillos drachmales. Quidam etiã omphacij unciæ dimidium addunt. Dysentericis etiam infunditur. Aliud ad hæmoptoicos, Carteri robustius. Seminis cicutæ drachm. ij. seminis hyoscyami drachmã i. amyli drachmã i. nardi obolos iij. rubricæ lemniæ obolos iij. alij iiij. anisi obolos iiij. alij ij. croci obolos ij. Dato cum uitello oui assati, ex aquæ lactosæ cyathis tribus. Facit & ad destillationes. Aliud ad Hæmoptoicos, Magni Philadelphi. Corallij ob. ij. asteris Samij obol. iiij. succi sanguinariæ cyathos vi. Dato hoc totum pro duabus uicibus in potu.

Vsus prædictorum Andromachi pharmacorum. 3

Iam ante quidem palàm est, ex his quæ in principio sermonis de reiectatiõe sanguinis dixi, quis sit usus præscriptorum pharmacorũ. Verum maioris lucis gratia, repetam etiam nũc id quod primum omniũ ex acacia, rosis siccis, balaustio, gummi, tragacanthaq; est compositum. Manifestum autem est acaciam quidem, & rosam, & balaustium, adstringentia habere, gummi uero & tragacantham uiscosa & glutinatoria. Igitur impossibile

bile est ipsum usque ad thoracem & pulmonē per se deferri, si non habeat quæ adstringentia & uiscosa ac tenacia deducant. Et quod his amplius accedit, neque mellis quicquam eius compositor addidit. Sed per aquam pluuiam, quæ & ipsa adstringentem uim habet, tum compositio ipsius, tum exhibitio tradita est, ut ad sanguinis ex stomacho & uentre eductiones conuenire posit. Quin & si posibile sit ex intestino ieiuno aliquid per nauseam efferri, ad hoc etiam commodum pharmacum fiet. Contrariam autem uicissim ad præscriptum pharmacum compositionem habet quintum ex ordine scriptum, itemque nonum. Nimirum quum cinnamomum, & piper, & costus, & myrrha eis sint ammixta. Reliqua uero omnia media quodammodo inter hæc sunt, neque exacte adstringētia per totam sui compositionem, neque fortiter calfacientibus permixta. Cæterum opium, & hyoscyamus, & cicutæ semen, maxime quidem his qui à tussi, aut etiam aliàs lancinātur, apta sunt: quanquam omnibus quomodocunque sanguinem reijcientibus conueniant. Quare ipsa miscere licet, tum in his qui ex nutritiuis organis sanguinem sursum educunt, tum quibus ex spiritalibus organis idem contingit.

Quæ Asclepiades ad Hæmoptoicos scripsit. 4

Ad sanguinis reiectationem. Radicis symphyti sexuncem. balaustij drach. ij. aut i. aquæ sextarium i. Coquito ad tertias, & expresso liquori hæc addito. amyli drach. i. gummi Thebaici tantundē. Dato in potu. Aliud, Cucumerum satiuorum lib. i. in tenuia frusta dissecato, & aquæ potabilis sextariū i. affundito, ac ad tertias coquito. Expresso deinde liquori terræ samiæ sesquidrachmam inspergito, ac bibendum exhibeto. Charixenis pharmacum accommodatum. Radicis polygoni manipulum, radicis symphyti tantūdem, Rhois rubri acetabulum, aquę sextarios iij. coquito ad tertias, & expresi liquoris cyathum unum dato, cum gummi tenuissime triti ac dissoluti drachma una. Pharmacum Arrhabiani quod ponticum dicitur. Vuæ ursi libras xvi. aquæ pluuiæ sextarios xvi. Coquito ad tertias, & expressum liquorem reponito. Aliud, Mororum rubrorum nondum maturorum libras xvi. aquæ pluuiæ sextarios xvi. Coquito ad tertias, & expressum liquorem reponito. Aliud, Fructus corni libras xvi. aquæ pluuialis sextarios xvi. fac eodem modo. Aliud, Palmularum Thebaicarum libras xvi. aquæ pluuię sextarios xvi. coquito ad tertias, & postquam expresseris liquorem, ad prius expressos liquores infundito, omnesque probe mixtos ad tertias coquito, & in fictili uase reponito. Et inde cyathum unum ante cibum dato. Pharmacum hoc est ualde bonum, & regenerationē prohibens. Oportet autem singula suo proprio tempore præparare, & ad pharmaci confectionem reponere. De ursi uua. Quæ ursi uua appellatur in ponto nascitur. Planta est humilis & fruticosa, folio memæcyli, fructum ferens rubrum & rotundum, gustu austerum, quem ursi uuam ap-

A pellant. Catapotium ad hæmoptoicos. Corticis thuris, terræ samiæ, amyli, singulorum drac. iiij. tusa et cribrata reponito. Vsu uero expetente, cochlearium unum in aquæ frigidæ cyatho dato. Aliud, Balaustij, terræ samiæ, corticis thuris, gummi, singulorum æquale pondus tusa & cribrata exhibe ut prædictum est. Ad sanguinis reiectationem eclegma Amaranti, pharmacum accommodatum. Vini falerni sextarium i. mellis Attici lib. i. in uas fictile coniecta & conquassata super prunas ponito, & ubi arteriacæ acceperint spissitudinem, ab igne ablata refrigerari sinito, eisque contusa & cribrata addito, gummi cochlearia iiij. balaustij, thuris, terræ samiæ, singulorum drach. ij. & rursus ad ignem admota & calfacta re-

B ponito. Dato ut prædictum est. Aliud Origeniæ. Succi gentianæ, succi symphyti, balaustij, singulorum drach. viij. croci, myrrhę, succi radicis dulcis, singulorum drach. iiij. protropi, aut Theræi, aut Scybelitæ sextarios vi. præpara ac exhibe, ut dictum est. Catapotia ad sanguinis reiectionem dolorem sedantia. Vsus est Charixenes. Succi hypocysthidis, balaustiorum, opij, singulorum drachm. iiij. excipe uino Myrtite, & fac catapotia. Dato ex his trioboli pondus. In alijs exemplaribus opij drachmæ duæ habentur. Aliud, Succi hypocysthidis, succi acaciæ, succi Rhois Syriacæ, singulorum drach. iiij. balaustij, opij, gummi, singulorum drach. iiij. uini Myrtitę quod satis est. Vsus ostensus est. Pastillus hæmoptoicus,

C pharmacum accommodatum, Inscribitur Trypherum, hoc est, Delicatum. Amyli, balaustij, terræ Samiæ, succi hypocysthidis, gummi, croci, opij, singulorum drach. ij. Excipe succo plantaginis, & exhibe drach. unam. Verum liquor ipse affectioni sit conueniens. Alius, Amyli, terræ Samiæ, hypocysthidis singulorum drachmas ij. opij, croci, balaustij, tragacanthæ, singulorū drachmam unam, excipe succo plantaginis. Pastillus ex succino. Facit hæmoptoicis, diuturnæ & recenti tussi, Phthisicis sanguinem reijcientibus, suppuratis, cœliacis, dysentericis, et inflatis. Est etiam Auricularis bona. Psyllij mundi drachm. xlv. iridis Illyricæ, mastiches, ramentorum succini, croci, singulorum drachm. xxx. opij drach. xv.

D Psyllium in aquam calidam coniectum macerari sinito, atque ubi uiscosum ac glutinosum de se in aquam deposuerit, liquorem exprimito, et cum eo pharmacum præparato, in pastillos ipsum cogendo, ex quibus obol. iij. ad somnum dato. Sint autē aquę sextarij iij. In alijs exemplaribus psyllium ad triduū madescit, deinde ter donec ebulliat coquitur, & ab igne ademptum rursus ad triduum sinitur, atque tunc liquor ad pharmaci cōfectionem segregatur. Pastillus Neapolitæ. Facit hæmoptoicis, suppuratis, phthisicis, affectionibus fluidis. Seminis hyoscyami albi, succi mandragoræ, utriusque drachmæ v. thuris masculi, opij hispani, styracis, coaguli hinuli, singulorum drachm. x. mastiches drac. xx. ramentorum succini, iridis Illyricæ, croci, singulorum drach. xxx. psyllij drach.

quadra-

xlv. aquæ ſextarios iij. præpara ac utere ut prædictum eſt. Paſtillus ex corallio, ut Niceratus, Corallij, terræ Samiæ, utriuſq; drachmas viij. balauſtiorum, amyli, terræ lemniæ, ſingulorum drach. iiij. ſeminis hyoſcyami albi, opij, hypocyſthidis, ſingulorum drach. ij. Excipe ſucco arnogloſſę, coge paſtillos ac exhibe. Aliter Dioclis Chalcedonij. Corallij drach. viij. ſucci hypocyſthidis, balauſtij, ſucci acaciæ, Rhei pontici, terræ Samię, opij, thuris, ſucci ſymphyti, ſingulorum drach. ij. excipe ſucco plantaginis. Aphrodiſiacum Clidion, pharmacum accommodatum. Facit hæmoptoicis, cœliacis, dyſentericis, & qui ſtomachi fluxionibus laborant. Cytinorum, ſpinæ Aegyptiæ, balauſtiorum, ſucci hypocyſthidis, ſucci acaciæ, ſingulorum drach. vi. lycij, Rhei pontici, opij, ſingulorum drach. iiij. myrrhæ drac. ij. contuſa & cribrata diligẽter baccarum myrti decocto excipe, & paſtillos coge. Exhibe pro uiribus cũ roſarum decocto, aut baccarum myrti, aut aqua frigida. Forinſecus ſpongiam aceto imbutã imponito. Poſtquam uero fluxus conſtiterit, pectus & fluxione infeſtatos locos omphacio cum aceto diſſoluto illinito. Tepefiat autem ad cinerẽ calidam, donec aliquantulum ſpiſſetur. Philippi pharmacum accommodatum dyſentericis, & hæmoptoicis. Balauſtij, acacię, hypocyſthidis ſucci, opij, thuris, myrrhæ, croci, galliæ, lycij, aloes, Rei pontici, baccarum myrti nigrarum, malicorij, ſingulorum dr. iiij. excipe uino Italico, & redige in paſtillos triobolares. Dato febrientibus ex aqua, non febrientibus cum uino.

Confectiones dolorem ſedantes, tabeſcentibus, & ſanguinem reiectantibus commodæ, itemq; alijs quibuſdam accommodatæ, præterquam colicis. Cap. V

In his equidem qui ſanguinem reiectant, nondum tamen exacte tabe apprehenſi ſunt, hoc genus pharmacorum dolorem ſedantium priores medici compoſuerunt, ipſumq; anodynon appellauerunt, conueniens & his qui ſanguinem reijciunt, & qui tum hoc perpetiuntur, tum etiam iam tabeſcunt. itemq; ad alios dolores & affectus, qui circa pulmones, & arteriam, & Thoracem, atq; alias quaſdam partes conſiſtunt, colicis tantum exceptis. Differunt enĩ hæc pharmaca ab his quæ priuatim colica appellantur, aromatum, & odoratorum ac urinam cientium ſeminum miſtura. Colicæ enim confectiones his uehementiores ſunt, ſtupefactoriam uim prædominantem habentes ex multitudine refrigerãtium pharmacorũ. Quale eſt, hyoſcyami ſemẽ, & cicuta, & papaueris ſuccus, & cortex radicis mandragoræ, His namq; in colicis uti cogimur ob magnitudinem doloris.

Quæ Andromachus ſcripſit ad prædictas affectiones. 2

Confectio ſedans dolorem. ad omnes internos affectus et pleuritidas, qua utor. Radicis panacis, ſeminis dauci, utriuſq; drach. iiij. caſtorij drac. iiij. alij drach. ij. ſeminis hyoſcyami, opij, utriuſq; dra. iiij. alij drach. ij. Mellis quod ſufficit. Dantur obo. iiij. cum aquæ cyathis tribus. Alia ſedans dolorem, Marcellini. Aniſi drac. ij. ſeminis hyoſcyami drachm. ij. ſucci papaueris drach. i. ſeminis apij drach. ij. croci obol. iiij. roſarum ſiccarum drach. i. myrrhæ drach. i. amomi drach. i. Trita cum aqua in paſtillos triginta duos redige. Dato in ſomni tempus cum aquæ cyathis duobus aut tribus. Alia ſedans dolorem, Ex ſeminibus. Seminis apij drach. viij. opij drach. ij. ammij drach. viij. aniſi drachm. iiij. fœniculi drachmæ iiij. caſsiæ nigræ drach. ij. Cum aqua fac paſtillos triobolares. Dato ex paſſo, ſexta & decima heminæ parte, aut ex aqua. Alia Achillæ Aurigæ. Aniſi drachm. viij. ammij drachmas viij. ſeminis apij drach. iiij. opij drach. ij. nardi Indicæ drach. ij. myrrhæ drac. ij. piperis drach. i. caſsiæ nigræ drach. ij. Fac paſtillos triobolares qui reſiccati ponderent obol. ij.

B Dato ut reliquos. Alia dolorẽ ſedans ut Xenocrates, qua utor maxime ad tormina & dyſentericos. Seminis apij drach. ij. aniſi drachmam unam, piperis albi drach. i. myrrhæ obolos iiij. caſtorij obol. iiij. opij obolos ij. gentianæ drachm. ij. Fac paſtillos triobolares, & uarie exhibe. Alia Sphragis dicta ſedans dolorem, reſiccans fluxiones, & tormina ac tuſſes, qua utor. Myrrhæ obol. v. alij vi. corticis mandragoræ drach. iiij. ſucci papaueris drach. v. ſeminis hyoſcyami drach. iiij. alij drach. ij. thuris drach. v. croci drach. v. Excipe uino, exhibe pro uiribus, aliquibus fabæ Aegyptiæ magnitudine, aliquibus obol. ij. Alia, Aſter appellata, ſiſtens dolorem, Qua utor ad omnem fluxum, dolorem, & omnes internos affectus &

C deſtillationes, ad ueſicã, ad ſuffocationes, fluxum muliebrem, ſtomachi fluxionem, dyſentericos, ſanguinem reijcientes. Facit & ad paralyſi reſolutos. Croci obol. iij. ſeminis hyoſcyami drachm. vi. ſeminis apij drachm. vi. aniſi drach. iiij. ſtyracis drach. iiij. ſeminis dauci drach. iiij. caſtorij drach. ij. opij drach. iij. myrrhæ drach. ij. Quidam etiam mandragoræ ſucci drac. iiij. ut uero Xenocrates, etiam piperis albi drach. vi. cum aqua fac paſtillos triobolares. Dato ex aqua. Alia ſedans dolorem Lycomedis. Reſiccat deſtillationes arteriæ, & fluxiones oculorum. Seminis hyoſcyami drach. ij. ſeminis apij drach. ij. opij drachm. ij. aniſi drach. i. croci obol. iiij. roſarum ſiccarum drach. ij. myrrhæ drach. i. alij drach. ij. Cum aqua redigito

D in paſtillos triobolares. Vtere quemadmodum Trigono appellato. Alia ſedans dolorem, reſiccatoria. Facit & ad hæmoptoicos, cœliacos, dyſentericos, rupta & conuulſa. Aniſi drach. iiij. ſeminis apij drach. iiij. opij drach. iiij. croci drachm. i. ſeminis hyoſcyami drachm. iiij. ſtyracis drach. i. iunci odorati drach. i. balauſtij obol. iiij. cum aqua formato paſtillos diobolares. Dato ex uino, aut aqua, aut protropo. Alia dolorem ſedans potio, Rufi, qua utor. Corticis mandragoræ drach. iiij. thuris drach. v. piperis albi drach. ij. & dimidiam. croci drach. v. ſeminis hyoſcyami dra. iiij. ſucci papaueris drach. v. myrrhæ dra. v. nardi ob. iij. caſsiæ nigræ drach. ij. Trita cum paſſo in paſtillos drachmales cogito, ac reponito ne humecti fiãt. Danť ex aquæ calidę cyathis duobus, cho

lericis

lericis,hoc est,biliosa superne & inferne redden-
tibus,ex frigida. Alia sedans dolorē ad omnes
internas affectiones, qua utor. Cassiæ nigræ,
myrrhæ,opij,styracis,croci,singulorum dra.i.qui
dam dra.i.& obol.iij. Cogito in pastillos trium
aut duorū obulorum.Præbe febrientibus ex aqua,
non febricitantib.in uino.Hepaticis in aqua mul
sa,itidem & pleuriticis.Efficax est & ad tussim.
Alia Trigonos uocata, resiccatoria & sedans do-
lorem. Seminis hyoscyami drac. iiij. anisi drac.
ij.opij drach.ij.cum aqua pastillos formato.Dan-
tur cum frigida,mane & uesperi, unus pro uice.
Alia sedans dolorem,Asclepiadæ ad omnes inter
nos affectus. Seselis, chamæpityos, herbæ sal-
uiæ,seminis rutæ syluestris,seminis dauci.singulo
rum drac.vi.seminis hyoscyami,opij,utriusq; dra.
viij.castorij drach. xxv. Rhei pontici drach. xiiij.
Excipe melle. Alia ut Charicles. Tordilij dra.
viij.chamæpityos drach.viij.Rhei pontici drach.
vi.castorij drach.xij.& dimidiam.herbæ saluiæ ℥.
viij.seminis rutæ syluestris drach. viij. seminis dau
ci drach.viij.opij drachm. iiij. seminis hyoscyami
drach.iiij.croci drach.v.Quidam addunt mel At-
ticum, reliqua ipso excipientes. Alia dolorem
sedans,iucunda appellata. Facit & ad tabescētes,
& inflatos.Iridis Illyricæ drach.xxx. succini, cro-
ci,mastiches chiæ singulorum drach. xxx. psyllij
drach.xlv.aut xxx.succi papaueris drac. xv. cum
aqua pluuia pastillos drach. i. & obol. iij. ponde-
rantes formato,ac exhibeto. Psyllium per diem
& noctem aqua pluuiali macerato, deinde coqui
to & exprimito,atq; sic cum reliquis committito.

Alia potio sedans dolorem, ex libris Aphrodæ.
Ad omnem dolorem,in neruis,utero,coxendici-
bus. Succi papaueris ℥.i.opobalsami drach.i.aut
carpobalsami drach.i.obolos ij. myrrhæ, seminis
hyoscyami,castorij,styracis,singulorum dra.i.Ex
cipe passo,& fac pastillos oboli unius & dimidij,
Dato ex aquæ calidæ cyathis duobus aut tribus.

Aliud sedans dolorem Catapotium. Ex libris
Aphrodæ,ad omnes internos affectus,et ad quar
tanarios, qui interualli tempore inediam ferunt,
& deinde accipiunt.Facit & ad calculosos, dysen
tericos,stomachicos,& iā desperatos atq; anxios.
Est & oculis ualde cōmoda.Seminis hyoscyami,
anisi,styracis,singulorum drach.iiij.croci, opij u-
triusque drach. iij. castorij drach. ij. fac catapo-
tia Aegyptiæ fabæ magnitudine. Præbe ex aquæ
cyathis duobus. Aliud dolorē sedans,ad omnes
internos affectus,& sanguinis reiectationē unde
cunq; feratur, etiā si ex uulnere prodeat quibusdā
prodest,facit & ad nephriticos & hepaticos.Hāc
ne prius dederis q̄ mercedem acceperis. Cina-
momi,cassiæ utriusq; drach.ij.myrrhæ drach. i. pi
peris albi ℥.i.& longi dra.i.galbani drac. i.opij ℥.
ij.Trita cum melle pauco in catapotia redige, par
tim magnitudine fabę,partim quātitate araci.Da
to pro uiribus cum aqua,aut pro iudicio tuo.

Alia dolorem sedans ad omnia interna. Semi-
nis apij drac.ij.anisi drach. ij. piperis longi drach.
ij.& nigri drach.i.castorij obol. iiij. myrrhæ,opij,

A utriusq; obol.iiij.panacis,gentianæ utriusq; obol.
iiij.succi radicis dulcis obol. iij. fac pastillos trio-
bolares. dysentericis drachmæ unius. Alia se-
dans dolorem,Crateri.ad tabescentes, & sangui-
nem reijcientes.Myrrhæ drach. vi. mandragoræ
drach.iiij.seminis hyoscyami drach.iiij.opij drac.
v.croci,thuris,utriusq; drach.v.Rhei drac.v. semi
nis cicutæ,styracis,utriusq; drach. v. Excipe uino
mulso. Alia sedatiua doloris,Mysterium appel
lata,ut Niceratus.Ad phthisicos,tussiētes,cœlia-
cos,dysentericos,destillationes. confestim auxi-
liatur. Croci,costi,castorij,asari,seminis hyoscya
mi,opij,styracis,singulorum drac.i.quidam hyo-
scyami seminis drach.dimidiam. Excipe melle ac
utere. Alia doloris sedatiua ad destillationē cō-
B ueniens. Seminis hyoscyami, succi papaueris,
amyli,singulorum drac.ij.anisi drach.i.spicæ nar-
di drach.i.croci drach.i.rubricæ sinopicæ obo.iij.
aut lemniæ drac.i.formato pastillos xxx. Dato in
noctem cum aqua.

Quæ ab Asclepiade scripta sunt ad easdem affectiones.

Eclegma. Farris Clusini appellati sextarij di-
midium, decocti marrhubij uiridis sexta.i.hæc in
uas uitreum cōiecta per diem & noctē macerari
sinito.Sequenti die pharmacū mollito, quemad-
modū alicā maceramus, atq; ubi penitus dissolu-
tū fuerit,exprimito liquorem, eiq; pinguedinem
aliquam addito,& igni admota assidue coquito,
donec spissata mellis crassitudinē acceperint. Ex
hoc mystrū datur ante cibum, & post cibum tan-
C tundem. Aliud, Foliorū marrubij tenerrimo-
rum manipulum cū sufficienti aqua in fictili co-
quito,& ubi exoluta fuerint eximito ac terito, &
decocto diluta rursus coquito,pollinis acetabulū
inspergens,& pinguedinis arietinæ probe suba-
ctæ quadrantē addēs.Et ubi coctura recte habue
rit,ueluti reliquæ sorbitiones præparātur, ablata
ab igne,& modico sale conspersa,sorbenda exhi-
be.Amplius absorptū amplius iuuat. Aliud Ni
cerati.Facit suppuratis,dyspnoicis,ueteri tussi, ui
scosum ac glutinosum reiectantibus, & his quæ à
partu purgantur,secūdas deducit. Prodest etiā in
fantibus alimentū nō sentientibus, si nutricibus
præbeatur. Succi marrubij sexta.vi. Verū probe
hūc succū colligere oportet à recēti marrubio tu-
D so expressum. Vini falerni sexta.i. mellis Attici tā
tundem.piperis albi,myrrhæ,thuris,singulorū ℥.
viij. Vinum & succum ad tertias coquito, deinde
mel addito,quib. inspissatis arida inspergito & di
ligenter mixta in uitreum uasculū transferto. Da
to mystrū ante cibum. Aliud, Scribonij Largi.
Succi marrubij sextarios vi.succi semperuiui tan-
tundem.mellis Attici sextar.iiij.alij sextar.i. Vini
Italici sextar.i.picis liquidæ brutiæ tātundem.nar
di Indicę,croci,myrrhæ,thuris,piperis albi, singu
lorum drach.viij.præpara ac utere ut prædictum
est. Aliud phthisicis & ad fluxiones Thoracis.

Seminis cucumeris hortensis decorticati drac.
viij.amyli drach.iiij.seminis lini,seminis papaue-
ris albi, utriusq; drach. ij. tusa & cribrata excipe
tragacanthæ cremore, & in drachmales pastillos

redige, dantur obol. iij. non febrientibus ex uino & myrti cremore, febrientibus cum rhois succo. Aliud, Amyli drach. iiij. seminis cucumeris satiui tosti, seminis papaueris albi tosti, amygdalarū depurgatarū, singulorū drach. ij. tragacanthæ ʒ. i. obol. iij. croci drachm. i. excipe tragacanthæ cremore, & postea etiam uino scybelite cocto. utere eodem modo. Aliud Scribonij Largi catapotium, phthisicis, sanguinem reiectantibus suppuratis, educit pelliculas, repurgat sufficienter. Verum immorari pharmaco oportet. Sagapeni, myrrhæ, utriusq; drach. ij. opij, cardamomi, utriusq; ʒ. iiij. castorij ʒ. iiij. piperis albi ob. iij. excipe passo, fac catapotia, da ex aquæ calidæ cyathis tribus. Alia confectio Thespesiana. Facit suppuratis, & ad abscessus occultos. Seminis apij, opij, melanthij, singulorum drac. iij. castorij drach. ij. seminis dauci, sinonis, iridis, singulorum drach. vi. excipe melle cocto, præbe nucis ponticæ magnitudine ex calidæ cyath. iij. Alia Cosi. ad humores ægre eductiles, suppuratos, peripneumonicos. Maxime autem his qui crassa & glutinosa educunt utilis est. Mellis Attici cocti ad glutinis compagē libram i. piperis contusi & cribrati, myrrhæ, utriusq; unc. i. Myrrham & piper trita melle cocto excipe, & nucis ponticæ magnitudine deuoranda præbe. In alijs exemplaribus habetur. Mellis lib. i. piperis unc. i. myrrhæ, opopanacis, utriusq; dra. vi. præpara ac exhibe similiter ut prædictum est.

Pastillus ex mandragora, inscribitur Sphragis. Facit ad hæmoptoicos. Resiccat omnem fluxionem. Radicis mandragoræ corticis drach. iiij. seminis hyoscyami drach. iiij. thuris masculi, succi papaueris, croci, myrrhæ, singulorum dra. v. Trita redige in pastillos obolares, & præbe conuenienter iuxta affectiones. Aliud Ptolemæi familiaris. Styracis, opij, thuris, croci, singulorum ʒ. v. corticis mandragoræ, seminis hyoscyami albi, dauci cretici, singulorum drach. iiij. casiæ drach. ij. excipe uino Aminæo, ac præbe obulum cum aquæ calidæ cyathis duobus. Aliud, ad easdem affectiones. Styracis drac. vi. myrrhæ, opij, seminis hyoscyami, irionis torrefacti, singulorum dra. iiij. corticis mandragoræ, opopanacis, utriusq; ʒ. ij. piperis albi, spumæ nitri, utriusq; drach. unam. excipe melle cocto. Dato magnitudine ciceris. Alia confectio Panchrestus ab omnimoda commoditate dicta. Facit ad tussim antiquam, suppuratos, orthopnoicos, tabescentes. Prodest hypochondriorum, hoc est, præcordiorum distentionibus & ad omnem inflationem. Mulieribus menses, & quæ à fœtu corrupto, aut à partu relinquuntur secundas deducit. Liberat etiam ab affectionibus circa uesicam. Terebinthinæ drach. viij. styracis drach. vi. myrrhæ drach. v. croci, iridis, galbani, singulorum drach. iiij. seminis hyoscyami, corticis mandragoræ, irionis torrefacti, opopanacis, singulorum drach. ij. piperis, spumæ nitri, utriusque drachmam unam. excipe passo. Charixeni. Facit peripneumonicis, ac ueteri tussi. Myrrhæ, corticis thuris. In alio exemplari opij, man-

A dragoræ, sagapeni, seminis hyoscyami albi, opopanacis, dictamni cretici, pilularū marubij, singulorum drachm. iiij. Subigito cum aqua & in pastillos cogito, Dato ex his obol. iij. ex aquæ mulsæ cyathis tribus. Alia Asclepiadæ qui Philophysicus, à naturalium rerum studio, appellatus est, pharmacum accommodatum. Corticis mādragoræ, seminis apij, utriusq; drach. iiij. myrrhæ, croci, anisi, seminis dauci, succi rhois rubri, seminis hyoscyami, piperis albi, castorij, sagapeni, opopanacis, singulorum drac. ij. excipe melle cocto. Dato pro uiribus. Liquor uero ex quo exhibetur sit conueniens affectioni. Antidotus Thespesiana. phthisicis, sanguinem reiectantibus, suppuratis. Facit & ad alias internas affectiones, & præ omnibus cibi appetentiam excitat. Semi-
B nis apij drach. xij. myrrhæ, anisi, opij, singulorum drac. vi. piperis albi drach. v. petroselini, nardi, piperis longi, singulorum drach. iiij. castorij, floris iunci odorati, croci, singulorum drach. iij. cinamomi drach. ij. casiæ aromaticæ dra. iiij. excipe melle cocto. Dato nucis ponticæ magnitudine ad noctem, cum aquæ cyathis tribus. Antidotus Aristarchi. Compositio admiranda, hanc Paulinam appellamus. Facit hæmoptoicis, tussientibus, phthisicis, suppuratis, peripneumonicis. ad cōuulsa rupta, ad stomachi subuersionem, & bilem uomentes ac secernētes, cœliacos, dysentericos. Facit ad affectiones circa uesicā, suffocationes uteri, febres per circuitum repetentes, una hora ante
C exacerbationem exhibita: facit in malū habitum delapsis, cibum non sentientibus, & ad lethalia pharmaca, ac plagas uenenum iaculantiū bestiarū. Cinamomi, costi, galbani, castorij, succi papaueris, piperis nigri & longi, styracis, singulorum unc. i. mellis sextarium i. Arida tunduntur & cribrantur per angustissimū cribrum. Galbanū coquitur cum melle, & ubi dissolutum fuerit, mel excolatur, ipsiq; reliqua adduntur & tunduntur. Deinde in pyxidem uitreā aut argenteam reponuntur. Vsus est ad prædictas affectiones. Datur fabę Aegyptiacæ magnitudine, cum aquæ mulsæ cyathis duobus, irroratis de digito guttis aceti nouē.

Alia Antonij Musæ Panacea. Vsus est ea Diotas Iatraliptes. Facit ad eos qui per circuitum à ri-
D gore infestant̄, delet febres antiquas, ac reliquos morbos. Facit ad tussim ueterem, phthisicos, sanguinem reiectantes, suppuratos, dyspnoicos, conuulsa, rupta, inueteratas inflammationes, splenicos, hydropicos inueteratos, cœliacos. Extrahit lapides à renibus. Probe cit urinam. Prodest omnium reptiliū plagæ, & ad lethalia uenena, & ad omnem materiā uenenosam ac corruptoriā uim habentem. Piperis albi aut longi drach. viij. seminis hyoscyami albi, cardamomi, myrrhæ, thuris, singulorum ʒ. xij. opij, croci, utriusq; drach. x. sulphuris uiui drac. vi. costi, aristolochiæ longæ, corticis mādragoræ aut ipsorum malorum, euphorbij, singulorum drac. iij. Mellis Attici cocti quod satis est. Datur his qui per circuitū infestantur magnitudine nucis ponticæ, reliquis pro uiribus.

Alia Cerusiana. Data est à Philippo Trallianis. A Huius usu phthisicos & suppuratos liberabat. Piperis albi. succi cyrenaici, syriaci, succi papaueris, singulorum quadrantem. myrrhæ, croci, sulphuris uiui, seminis hyoscyami albi, singulorum unciam dimidiam. malorum mandragoræ drac. ij. cardamomi unc. i. mellis Attici lib. i. Datur pro uiribus ut dictum est. Porrò alterũ exemplar sic scriptum habebat. Piperis quadrantem. succi cyrenaici unc. i. succi papaueris unc. dimidiam. succi Syriaci unc. dimidiam. seminis hyoscyami albi, malorum mandragoræ utriusq; drach. ij. cardamomi unciam unam. Mellis Attici lib. i. Datur pro uiribus, ut dictum est.

De Orthopnœa. Cap. VI

Qui citra febrem dense respirant, qualiter faciunt qui ueluciter cucurrerunt, ab accessione hac B Medicis Græcis asthmatici, Latinis anhelosi appellantur. Eosdẽ etiam ab alia accessione orthopnoïcos uocãt, propterea quod thoracis corpus penitus rectum habere coguntur, ob timorẽ suffocationis. Quin & stratum circa supernas partes ad quas thorax reclinatur, sibijpsis erectius faciunt, ne dormientes strangulentur. Minus est em̃ quod inspirãt, quàm pro usu respirationis, quamuis thorax plurimũ ipsis dilatetur. Ex quo manifestum fit, intrinsecus ipsis coarctationẽ locorũ factam esse præter naturam, quam etiam ægri ipsi non obscuro sensu perceptant. Fit equidẽ & suppuratis locorũ coartatio, ob coaceruatũ inter thoracẽ & pulmonem humorẽ. Fit etiam peripneumonicis, ob pulmonis inflãmationem. Restãt au- C tem adhuc duæ affectiones, quæ locorũ coarctationem efficiunt in uijs, per quas aer inspiratur. Quũ sane aut humorum crassorũ ac uiscosorum multitudo pulmonis brõchijs fuerit infarcta, aut tumor abscessui similis in ipso constiterit. Cæterũ curatio ambarum affectionum aliquid cõmune habet, aliquid priuatum et alteri tantũ proprium. Cõmune quidem utriusq; est, ut redundantia humoris affectiones generantis expendatur & consumatur. Proprium autem affectioni uiscosorum ac crassorum humorum, ut per attenuantia & extergentia pharmaca consumant. ei uero quæ propter tumorem abscessui similem contingit, ut per attenuantia & resiccantia eadẽ consumptio fiat. D quæ curatio rursus omnibus in profundo corporis abscessibus cõmunis existit. Vini itaq; potus ambabus conuenit tenuis substantia. Omnis aũt potus modicus sit in his qui alicubi abscessum habent. Multus cõtra, in his quibus bronchia uiscosis ac crassis humorib. sunt obturata. Etenim pharmaca quæ eiusmodi humores repurgant, necessario quidem tusses mouent, nõ uero facile per sputum reijcitur quod expurgatum est, ob crassitudinem uidelicet. Quapropter humectatione multa opus habent, quo facile efferatur. Porrò quemadmodum in alijs pharmacis plurimi medici, sic etiam in his quæ ad ambas has affectiones commoda sunt, delinquunt, indiscriminatim ipsa tradentes, quum tamen cõposita sint quædam pharmaca alteri affectioni commoda, quædam rursus alteri, quædam uero sic ut ad ambas quidem moderate conueniant, uerum nihil operæpretium efficiant. Quare recensendo pharmaca alicuius pretij à prioribus medicis prodita, indicabo iuxta singula quali facultate prędita sunt, Initio ab his quę Asclepiades scripsit in secũdo internorum, facto.

Asclepiadæ pharmaca ad dyspnoicos conscripta. 2

Eclegma ad dyspnoicos, Antonij Musę. Asellorum sub hydrijs nascẽtium sextarium i. in uas fictile conijcito, & ad prunas torreto, inalbatos autẽ terito, ac melle cocto excipito, & ante cibum mystrum delingendum dato. Aliud, Scillæ crudæ succum exprimito, eiq; parẽ mellis Attici mẽsuram addito, & ad prunas admota coquito. Dato inde ante & post cibum mystri mensuram. Aliud Charixenis. Origani drach. viij. comæ thymi, iridis Illyricæ, calaminthæ siccæ, piperis albi, anisi torrefacti, singulorum tantundem. tundito & per angustissimum cribrum concernito, ac melle cocto excipito. Dato nucis ponticæ magnitudinẽ. Aliud. Piperis albi lib. i. rutæ trientem. calaminthæ siccæ, anisi tosti, pulegij semen non gerentis, singulorum quadrantem. seminis apij, comæ thymi, utriusq; unciã i. excipe melle, & pręparato utere ut prædictũ est. Potio ad dyspnoicos, Chariclis. pharmacũ accommodatum, auxiliatur confestim. Vuæ passæ Rhodiæ exacinatæ acetabulũ. fœni græci loti tantundẽ. aquæ pluuiæ sextariũ i. Coquito donec dissoluantur, & liquorem excolatũ reponito. Ex hoc præbeto assidue & iuxta singulas irritationes, cyathi mensuram calefactam.

Alia potio. Abrotoni partes ij. uuæ passæ pinguis tantundem, summitatum rutæ partẽ i. aquæ pluuialis sextarios iij. Coquito ad tertias, & exprimito liquorem, eiq; mellis unc. i. addito; rursusq; coquito ac dato ut prædictum est. Catapotium dyspnoicis, asthmaticis. Abrotoni, uirgultorum rutæ, comæ absinthij, singulorum drach. iiij. tusa & cribrata aceto subigito, & catapotia xij. formato. Dato ex aceto mulso. Aliud Nicerati. Castorij, ammoniaci thymiamatis, abrotoni, singulorum sextantem. absinthij, cumini Aethiopici, utriusq; drach. i. aceto subigito, ac catapotia formato, ac dato ad ciceris magnitudinem. Pharmacum ex sulphure uiuo dyspnoicis. Anisi, sulphuris uiui, utriusq; quadrãtem. ammoniaci thymiamatis, castorij, melanthij singulorum drach. iiij. Aqua diluta in catapotia cogito, unũq; in aceti mulsi cyathis iij. dato. Aliud, Seminis rutæ syluestris ʒ. iiij. aristolochiæ, abrotoni, absinthij, ammoniaci thymiamatis, sulphuris uiui, singulorum tantundem. Aceto subigito & catapotia cicernæ magnitudinis formato, ex quibus duo cum aceti mulsi calidi cyathis tribus exhibeto. Hæc omnia pharmaca ab Asclepiade cõscripta, his qui proprie dyspnoici, hoc est, ægre spirantes appellantur, conueniunt. Vocant autem sic eos quibus bronchia pulmonis crassis & uiscosis humoribus sunt obfarcta, in quibus uelut dixi, ultra hoc quod crassitudinem & uiscositatem humorum necessariò se-

camus atque attenuamus, humiditatem quandam A cum pharmacis, tum uictui adesse oportet. At uero abscessus qui attenuātibus & resiccantibus opus habent, maxime gaudent aromatum facultatibus, quas omnes ostēdimus tenuium partium esse, & resiccatorias, unà cum hoc quod calfaciāt. quare his qui proprie orthopnoici & asthmatici appellantur, pharmaca conuenient secantia citra calfactionem. & ob id maxime eos iuuat acetum scilliticum appellatum, atque ipsa adeò scilla, & acetum mulsum ex eiusmodi aceto confectum. Caeterum asellorum sub hydrijs nascentium meminit inter ea, ut qui attenuatoriā & discussoriam uim habeant. Verum quo consilio ad usum ipsorum peruenerit, non habeo quod dicam. Quemadmodum autem in hac affectione uehemēter cauendum est ne calfaciamus, propterea quod uiscosi B & crassi humores non solum nihil ab his auxilij sentiunt, sed etiam offenduntur. Eodem modo etiam quae ualde refrigerant uitanda sunt. Omnia enim crassefaciunt, & cogunt, ac coagmentāt humores, eosque aegre eluibiles reddunt: & ob hanc rem sane recte fecerunt, qui eiusmodi pharmaca composuerunt, quod neque papaueris succum, neque mandragorae succum, aut radicis corticē, aut hyoscyami semen, aut cicutae, aut psyllij, aut semē lini ammiscuerunt. Et multo magis quod neque ex adstringentibus quippiam pharmacis addiderūt. Maxime enim contraria sunt eiusmodi affectionibus, ut palàm uidetis.

Quae pharmaca Andromachus ad huiuscemodi affectiones conscripsit. 3 C

Ad dyspnoeam. Sulphuris uiui drac. i. seminis rutae syluestris drach. i. aristolochiae, absinthij, ammoniaci thymiamatis, abrotoni, singulorum dra. iiij. Trita cum aceto ad catapotia magnitudine fabae redige. Dato mane tria & uesperi totidem. Aliud ad dyspnoeam, ut Alcimius. Colocynthidis carnis obolos iij. panacis obo. iij. anisi obolum i. fac cum aqua catapotia iiij. & resiccatorum ob. i. praebeto. Praecedente autem die aeger simplici euacuatorio euacuetur. Aliud, Colocynthidis sesquidrachmam. iridis Illyricae drach. ij. radicis opopanacis drach. ij. abrotoni drach. i. nitri ʒ. i. alij ob. iij. excipe aqua & redige ad fabae magnitudinem. Dantur catapotia iiij. & post semihorae spatium, datur aquae mulsae hemina dimidia. Ali- D ud, Sinapis drach. i. salis communis obol. iij. elaterij obol. iij. alij obol. i. & dimidium. Terito cum aqua, fac pastillos viij. Dato alternis diebus cum hydromelite. Aliud, Ammoniaci thymiamatis drach. i. abrotoni drach. ij. sulphuris uiui dra. i. formato cum aqua pastillos, & cum aquae mulsae cyathis tribus praebeto. Aliud ad orthopnoicos. Elaterij obol. dimidium, asellos ex sterquilinijs iij. terito simul, & dimidium ex aquae cyatho uno dato. Aliud ut Philinus ad anhelos & dyspnoeā.

Cardamomi drach. iij. iridis sesquidrach. panacis sesquidrach. casiae sesquidrach. struthij sesquidrach. styracis drach. ij. thymi drach. viij. seminis rutae syluestris drach. viij. abrotoni drach. viij. aristolochiae clematitidis, sulphuris uiui, ammoniaci thymiamatis singulorum drac. viij. cum acri aceto ad cerati crassitudinē redige, praebe fabae Aegyptiae magnitudine ex aquae cyathis iij. Ad orthopnoeas, ut Apollonius. Scyllae partem unā, sulphuris uiui, bituminis, singulorum partem unam. Dantur oboli tres in aceto mulso. Ad orthopnoeam, Soscratis. Opopanacis drach. i. myrrhae drach. i. piperis grana xl. rutae fasciculum quātus duobus digitis apprehendi potest, ex tritis catapotia xx. formato. dato mane itemque uesperi unum, febricitantibus in aquae cyathis duobus, alijs ex uino. Ad orthopnoeam, Andronici. sulphuris uiui obol. iij. ammoniaci thymiamatis dra. i. anisi, myrrhae, castorij, singulorum drach. i. cumini Aethiopici drach. i. cum aqua pastillos cogito, scrupulorum triū aut quatuor. Dato ad noctem ex aquae cyathis duob. Ad orthopnoicos, tussientes, peripneumonicos, tabescentes, aegre spirantes, hepaticos, Vt Eugenius. Croci, drach. viij. misios drach. iiij. baccarum lauri drach. ij. piperis albi & longi utriusque drach. i. opij dra. iij. costi ob. iij. terebinthinae obol. v. galbani obol. iij. succi radicis dulcis obol. ij. gummi ob. i. mellis lib. dimidiam. Dato cochlearium i. cum aquae cyathis duob. aut tribus. Si res urgeat ante & post cibum. Ad orthopnoicos, Valentis. Opopanacis drac. ij. carnis colocynthidis drach. i. Tantū datur ad summum. Aliud Onetri. Castorij drach. i. ammoniaci thymiamatis drach. ij. Detur dimidium ex aqua mulsa. Ad dyspnoeā, Podanithae. Sinapis ʒ. i. salis ʒ. i. nitri ob. iij. Redigito in catapotia viij. Dato ex his duo ad noctem alternis diebus.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI OCTAVI

Cap. I. De pharmacis stomacho congruis. II. Cōfectiones stomachicae Andromachi. 2. Hierae ex aloe praeparatio & usus. 3. Aliter secūdum Andromachū. 4. Aliud Andromachi pharmacum. III. Subuersiones stomachi quae dicantur, qui stomachici, quae supinitas stomachi: & curandi methodus. 2. Asclepiadis ad stomachi subuersiones, ardorem, singultum, stomachi debilitatem, & cibi reiectionem, remedia 11. quorum duo postrema stomacho & humanae naturae aduersari ait, quod atramentum sutorium & mandragoram capiant. 3. Aliud Asclepiadis ad uoluulosas, id est uiolentas stomachi subuersiones. praemittit autē Galenus quaedam tum de huius pharmaci, tum aliorum compositione in genere. Vsus odoratorum. 4. Aliud Asclepiadis remedium ad easdem, & intēsos singultus, & stomachicos qui ardorem percipiunt: Praemittit autē Galenus suum super eo iudiciū & distinctiones affectuum istorum secundum causas & curationes: & singula huius remedij simplicia examinat. De singultu uide etiam ca. 4. sect. 3. 5. Hiera Themisonis, ex Asclepiade. 6. Alia Attalica, ex eodē. Asteres ij. opiati ad uarios affectus utiles. IIII. Archigenes de affectionib. circa stomachū.

CLAVDII GALENI DE COMPOSITIONE PHARMACORVM SECVNDVM LOCOS LIBER VIII

De pharmacis stomacho congruis. Cap. I

QVOD semper dico, etiam nūc proloquar, Nimirum persuasum me habere, quod difficilimum sit ad ueritatem reuocare eos qui sectę alicuius seruituti se addixerūt. Verū qui prudentes sunt, simulq; ueritatem sincere amāt, eos spero custodituros esse ea quæ ueluti iudicandi instrumenta nobis à natura data sunt, ad actionum uitæ cognitionem, Experientiam dico, & rationem, quæ quidem utraq; ex æquo quibusdā conferunt B ad artem, quibusdam uero alterum altero amplius: & tamen tanquam semper ad perfectionem alterum altero opus habeat, Sic sanè ad residuū sermonis & doctrinæ huius absoluendum progrediar. Falsæ etenim opiniones animas hominū præoccupantes, non solum surdos, sed & cæcos faciunt, ita ut uidere nequeant quæ alijs cōspicue apparēt. Quod ipsum uel maxime circa affectiones oris uentris uidere contingit, præsertim quū fuerit inflammatum. Eius enim itemq; iocineris inflāmationes, adstringentium cōplexu opus habent. Si namq; per laxatorium medicationis ductū, citra ammixtionem facultatis robur addentis, curētur, periculum incurrunt de ipsa uita. atq; hoc ipsum quum omnes Empirici medici per experien C tiam edocti sint, & omnes dogmatici in artis operibus obseruent, Non pauci tamen huius temporis Methodici: neq; enim de omnibus dico, innumeros quidem stomachicos ipsi in animi deliquium inducunt, omnes uero hepaticos occidūt: nullum enim ego uidi seruatum ex his qui in eiusmodi medicum inciderunt. Quidam tamen ex ipsis quanquam pauci, oleo eos fouent in quo absinthij coma est feruefacta, & lanam nardino ungento imbutam obligant. Quidam uero etiam mastichen chiam, aut aloen ammiscent. aut etiam pro nardino melinum adhibent. In diuitibus uero mulierculis foliatum & spicatum ab eisdem appellata ungenta admouent, atq; quum hæc faciunt, laxatorium ductum se seruare putant, Tantum scilicet habent experimēti facultatis pharmacorum. D Malim autem ego omnes sic indoctos esse, quàm quod adstringentia quæ sint sciant, usum tamē ipsorum uitent. Quæcunq; igitur adstringētia in fomenta & cataplasmata misceantur, in hepatis aut oris uentris, quod sanè & stomachum uocāt, affectionibus, non est præsentis sermonis explicare. Quæcunq; uero in emplastra & ceratiformia medicamenta, quæ forinsecus imponuntur, commoda sunt, & quæcunq; utiliter deuorantur, hæc ipsa indicabo, ea quæ inflammatis prosunt primum tradendo quando quidem etiam in ipsis ægri maxime periclitantur. Ceratum igitur quo assidue utor, ex aloe, & mastiche, & cera pontica amara, atq; ungento nardino constat. Componitur autē hyeme, ad viij. drachmas ceræ, uncia una mēsurali Romana ungenti nardini coniecta: Aestate autem ad vij. ea dē ungenti proportione. Optimum autem ungentum esse oportet, quale antea quidē in sola Laodicea Asiæ præparabatur. Nunc uero etiam in alijs multis Asianis urbibus cōponitur. Cera si non pontica amara tibi in promptu sit, aliam ponticam conijce, & neq; illa præsente, eam quæ Tyrrhenica appellatur. Si uero neq; hæc adsit, aliam aliquā odoratā & pinguē. si neq; talem habeas, eam quam habere potes lotam adde. Liquefiat autē in duplici uase, atq; ita refrigeratum & erasum ceratum, cum tritis reliquis probe permisce, cum aloe uidelicet & mastiche. Sit autē utriusq; drach. i. & quandoq; plus, non tamē ut sesquidrachmam trāsgrediaris. Quod si ampliori opus sit adstrictione, nimirum debilitate tanta existente, ut cibum retinere nō possint, omphacium pari pondere addatur, ut trium singulorum drachma sit una, aloes una, mastiches una, & tertia omphacij. Cæterum in cerati præparatione primum omphacium misceatur, deinde etiā alia his uniātur. At uero quemadmodū omphaciū, sic etiam absinthij succum ammisceo, quandoq; etiam ambo, & tertium insuper hypocysthidis, & quartum œnanthes. Sic autem appello uitium syluestrium germen unà cum floribus, ex quo succedētibus diebus uua fit. Quin & Rhois succū non raro ammiscui. Sed & cerati nardini copiam augere oportet, iuxta proportionem numeri reliquorum pharmacorum, ita ut si quatuor drachmæ aliarū rerū accumulentur, triens sit nardini cerati, sextans quidem ceræ, sextans item nardini ungēti, hoc est utriusq; drachmæ xvi. Porrò si inueterata fuerit inflammatio & iam obdurata, magis uaria pharmaca adhibere oportet, & quæ ex aromaticis quippiā habeant, ac mollientibus, & discussorijs. Quale est quod fit ex meliloto. Est aūt compositio ipsius multiformis, propterea quod omnibus iuxta præcordia inflammatis conuenit, non magnis adeò differentijs euarians, Ita ut aliqua ipsius præparatio inflammato hepati sit cōmodior, alia stomacho, aut aluo, aut spleni, aut quibusdam istius loci musculis, quæ omnes communi descriptione comprehensæ sunt in malagmatum compositionibus. Verū in præsenti loco ea quæ prioribus medicis ad omes stomachi affectiones scripta sunt, & non solum forinsecus imposita, sed etiam in potu accepta auxiliantur, omnia conscribētur. Quædam uero ex ipsis cōmunia sunt etiā affectionibus uentris. Sæpenumero iam dictū est, quod medici in more habent os uētris, ueluti cardian, hoc est, cor: sic etiam stomachum appellare. Verum quondam frequentior cardiæ appellatio erat, Nunc autem ab ea adhuc restant, cardiossin, & cardialgia, quibus uocibus non cordis, sed oris uentris dolores significantur. Particulam autem ipsam stomachum uocant æquiuoce cum illa par

ticula quæ cibum ex ore in ipsam defert. Scripserunt igitur priores medici pharmaca ad affectiones in ipso, cum alias, tũ subuersiones ab ipsis appellatas. Videntur autem sic uocare tum appetitus perditionem, tum nauseosas dispositiones, in quibus aliquando quidem uomitus contingunt. Fiunt autem & morsus quidam in ipso, quemadmodum etiam magnæ famis & anxiosæ affectiones. In quibus omnibus communis quidam adstringentium pharmacorũ usus inuentus est. Am mixta autem sunt plerisq; ipsorum calfacientia & resiccantia. Fiunt & aliæ affectiones rariores, humectantibus, aut refrigerãtibus aut utrisq; simul opus habentes. Cęterum qui ab experientia citra rationalem methodum, auxilia inueniunt, meritò ea quæ sæpe iuuerunt in memoriam reuocant, & in usum conuertunt. Eorum enim quæ sæpe eo dem modo facere uisa sunt, obseruationẽ & memoriam, suam ipsorum experientiam esse aiunt. Quemadmodum autem in ore uentris, sic etiam circa ipsum totum, singulaq; intestina, & ut comprehensim dicam, circa omnem corporis particulam, eædem intemperaturæ obortæ, actiones similarium partium offendunt, quas si quis non esse morbos ipsarum credet, nihil circa cognitionẽ efficiet, qua ignorata neq; curationem inueniet.

Habent autem non modicam coniecturam cognitiones ipsæ affectuum in profundo corporis consistentiũ, & ob id utilissima medicæ artis pars est quæ cognitionem docet eiusmodi affectionũ, quas neq; quod primæ & maximæ sunt, plerique ex uulgo medici sciunt. Quare meritò neq; cognitionem ipsarum, neq; curationem inuestigarunt. Coguntur igitur etiã si dogmatici sint in rationalibus methodis, ad solam experientiam peruenire: ut iuste miremur quod quum absq; febre & inflãmatione, abscessuq; et ulceratione, quispiam debiliter concoquat, aut penitus non concoquat, promissione facta se inuenturos curationem, quærãt an contritione ciborum concoctio fiat: et deinde ubi hoc ut maximũ inuenerint, edulia quæ facile conterantur exhibent, neq; quod promptissimũ est intelligentes, quod etiam quispiam rei medicæ rudis, alias autem prudẽs uir me interrogauit, Quomodo prodest scire per cõtritionẽ ciborum fieri concoctionem, ad hoc ut quis affectionem uentris sanet, in qua debilitatur ad concoctionẽ ciborum, quũ non per exhibitionẽ alimentorum quæ facile conterãtur curatio fiat, sed læsio tãtum euitetur, uelut etiam per paucum alimentũ ac inediam. Quemadmodũ enim qui inediam perfert, in concoctionis quidem debilitatẽ non incurrit, non tamen ab affectione hoc modo curatur: Sic neq; qui in cibo accipit ea quæ in totum nulla cõtritione opus habent, Quale est lac, ptisanæ succus, & sorbitiones ex alica. Hæc quidem igitur in libris de curandi methodo sufficiẽter tradita sunt, & non obscurum est præsentẽ doctrinã utilẽ esse his qui se in illis præexercuerunt. Quẽadmodum autem in alijs quæ prius tradidi, reuocatis in memoriã singulis de illis mihi præmonstratis capiti-

A bus, ad pharmacorũ compositionem progressus sum, Sic etiam nunc faciã. Quũ octo sint in singulis partibus corporis intemperaturæ, atque hæ omnes aut circa solas nudas qualitates, aut cũ alicuius humoris complexu fiant, Intemperiem quidẽ siccã humectare oportet, Humidam autẽ siccare: sic & calidam refrigerare, frigidam calfacere. Similiter uero etiam cõpositas intemperaturas, aut calfacere & siccare, aut humectare & calfacere, aut refrigerare & humectare, aut siccare & refrigerare oportet. Quando uero ueluti dixi, plurimæ intẽperaturæ hominibus ex redundantia humorũ, magis quàm ex inopia fiunt, pharmaca resiccantia plerosq; magis iuuant. At uero quũm resiccantia partim quidem adstringant, cogẽdo ac B adstringendo substantiam eorũ quæ contingunt, partim uero discutiant & in hoc substantiam ipsorum dissoluãt, ob hoc ipsum sanè plures sunt qui adstringentibus indigent. Verũ si humida intemperies cum frigiditate fiat, læduntur qui per sola adstringentia curantur quæ frigidæ facultatis existunt. Quapropter meritò plurima pharmaca per experientiã inuenta, ex mixta materia cõponuntur, adstringente uidelicet & calfaciente. Verum ipsorũ differentiã cognosces, si simplicium pharmacorũ facultatem memoria tenueris. Dictũ eñ mihi iam sæpe est, Neminem posse rationabiliter & secundũ methodum uti his quæ in hoc opere conscripta sunt, si nõ memoria teneat quæ in duobus operib. ante hoc opus editis prodita sunt, de C simpliciũ pharmacorum facultate, & curandi methodo dico, Quidam enim absq; discrimine pharmaca ad eiusmodi affectiones stomachi & uẽtris conscripserunt. Quidã uero aliqua discrimina attigerunt ab accessionibus omnibus apparentib. Quo igit̃ & uos cognoscere sciatis facultates uniuscuiusq; pharmaci per experientiam approbati, etiam si non inueneritis differentias affectionum in quibus conueniunt adscriptas, primũ quidem ea quæ Andromachus prodidit adscribam. Deinde quæ Asclepiades, & post hæc si ita uidebitur etiam alia quædam.

Confectiones Stomachicæ Andromachi. Cap. II

Andromachus postquam præscripsit, Stomachicæ, post hanc præscriptionem, sic auspicatur. D Ad Stomachicos hiera qua utor, & deinceps totam eius compositionem adscribit in hunc modum. Floris iunci odorati, xylobalsami, mastiches, croci, nardi Indicæ, asari, cinamomi, singulorum drachmæ vi. aloes lotæ drachmæ c. simul trita repone, præbe ieiunis cochlearia duo, alij unum præbent cum aquæ frigidæ cyathis iiij. Hæc quidem Andromachus scripsit, neque quos stomachicos nominet ostendens ac declarans, neq; an omnibus ipsis hoc pharmacum conueniat, an pluribus. Itaq; mihi necessarium est dicere, quũm ex his qui stomachici dicuntur aliqui quidem statim magnopere ex prædictæ hieræ usu iuuentur, aliqui uero lędantur. Pleriq; equidem uulgo homines eos qui appetentiam perdiderũt ita uocant, & quibus post acceptũ cibum uentris os

grauatur, & quandam ægre tolerabilem anxietatem habet. Appellãt eodẽ modo etiã illos quibus nausea contingit, & maxime si ad uomitũ impellat, & adhuc magis si simul cibi corrũpanť, quandoq; acidi, quãdoq; nidorosi facti, quandoq; etiã aliã uitiatã qualitatẽ adepti. Et præ his omnib. adhuc magis illos stomachicos nominant, quib. ructus eiusmodi, cũ molestia quadã, & anxietate ac subuersione contingunt, sæpe cũ nondũ cibũ acceperunt. Quin etiã si per plurimũ tempus cibi in ore uentris morenť, grauantes, & uix descendentes, hos itidem stomachicos appellãt. Alios item appetitũ caninũ appellatũ habẽtes, ut & plurima edant, & maxime grauati paulo pòst reuomãt, similiter uocant. Alios rursus qui fortiter exoluuntur, ubi diutius inediã pertulerint, & si non citius cibũ accipiant, in ore uentris morsus percipiunt, eodẽ modo stomachicos uocant. Horũ ipsorũ uerò aliqui facile nauseosi fiũt, si citius potũ ac cibũ acceptẽt. Itaq; qui secundũ rationalẽ methodum auxilia inuestigat, ad affectionis inquisitionẽ procedit, qua inuenta, abundaturũ se sperat proprijs ipsi auxilijs. qui uerò per solã experientiã auxilia accumulat, ipse suam fortuitam occasionẽ expectat, & à prioribus tradita relegit. Cum uerò plurima ab ipsis indiscriminatim ꝓdita sint, & in plerisq; etiam inter se differant ac dissentiant, meritò etiã ipse alias aliud sentit, maxime ubi ab ipsis auxilijs aliquando quidẽ iuuari stomachicos uidet, aliquando uerò lædi: quemadmodum in proposita hiera contingere solet. Quam equidem omnes qui nunc Romę medicanť, picrã, hoc est amaram nominant, quando quidẽ hieræ appellatio, pharmaco ex colocynthide rite ab ipsis indita esse uideť. Verũ qui ante nos Romæ medicinã exercuerunt, ambo ea pharmaca hieras appellarunt, & distinctionis gratia alteri ex colocynthide, alteri ex aloe, appositione addiderunt: sic scribentes. Hiera ex colocynthide. Hiera ex aloe.

2 Hiera itaque ex aloe dupliciter præparatur, ab aliquibus, uelut Andromachus describit, ad centum aloes drachmas, singulorum aliorum drachmis sex admixtis, ab aliquibus uerò nõ sex, sed octo. Quidam uerò in lxxx. aloes drachmas, sex aliorũ addunt. Plurimi aũt ad pharmaca quæ aloe miscenť, & sex numero sunt, etiã florẽ iunci odorati apponũt. At uerò ipsam aloen Andromachus quidem lotam, alij uerò ex alijs etiam sic, aliqui uerò illotam adijciunt. Verũ nosse operęprętium est, ad uentris subductionem illotam aloen aptiorem esse. Multum uerò de medicamentaria ui deponere lotam, quam etiã febricitantibus dare aliquis audeat, si non uehemens, sed ualde debilis sit febris. Quidam uerò etiã ex illota aloe pharmacũ multis sic febricitantibus exhibuerũt, deindeq; quum nihil manifeste læsissent, in alijs rursus magnã experti sunt cladem. Infestissima est enim aloe, etiam lota, his qui citra uitiatos humores ex intemperie calida & sicca affliguntur. Proximam ab his cladem percipiunt, qui siccã intemperiem habent frigiditate implicatam. Et in uniuersum,

A qui ex sola qualitate particulã aliquam affectam ac lęsam habent. Etenim in humoribus intemperaturæ, pharmacis ipsas euacuantibus egent. quæ uerò absque his consistunt, penitus in tabem deueniunt ex pharmaci huius ex aloe constantis usu. Itaque ubi humiditas uitiata tunicas uentris perrigat, Hiera ex aloe utilis est, expurgans humiditatem. Omnino autem sic affectis accessio nauseæ plus aut minus adest. Euacuatio igitur affligentis humoris per solam aloen contingit, quę purgatoriam uim nõ fortem habet, sed ut ea quæ circa aluum sunt, quæ etiam contingit, purgare possit. Et si aliquando ampliori pondere exhibeatur, usque ad locos circa hepar conscendit. Non tamen totius corporis purgatoria aloe existit. B Cæterum ex his quę ei admiscentur, mastiche ut stomacho commoda & odora, & quæ medicamentariam aloes uim frangere queat, admiscetur. Cinamomum uerò eadem gratia, & præterea quod tenuissimarũ partium est, ut aperire uentris meatus possit, extergereq; ac attenuare si quid uiscosum aut crassum in humoribus feratur. Crassos enim humores ob purgatoriæ facultatis imbecillitatem, aloe trahere non potest. Quapropter biliosarum uentris affectionum optimum pharmacum est, adeò ut in uno die sæpe multos stomachicos creditos persanet. Iuuat autem & hos & alios omnes affectus ex uitiatis humoribus ortos cinamomum admixtum, utpote quod alterantem habet facultatem uitiosarum qualitatum in id quod C secundum naturam habet. Quare scire oportet affectiones in humoribus uitiatis circa uentrem & stomachũ, maxime per medicamenta ex aloe iuuari, in maximum uerò detrimentũ peruenire ex adstringentium eduliorũ, potuum, ac pharmacorum usu. Quemadmodũ uice uersa, in quibus humiditas multa, et uelut mador quispiã est circa affectã partem, citra uitiatos humores, qui ipse sola quantitate & copia affligat, & uelut irriguũ uentris os reddat, utilissimus adstringentiũ eduliorũ, potuũ, ac pharmacorũ usus existit, languida nimirũ & exoluta tũc reddita affecta particula ad modum laxatorũ articulorũ. In quibus ipsis etiam adstringentiũ usus corrigit affectionẽ. Cæterũ picra confectio (de hac enim nobis sermo est) uelut D cinamomũ, sic etiã alia partim ut stomacho cõmoda, partim ut tenuiũ partium & extergentia assumit, quæ robore quidẽ multũ à cinamomo deficiunt, idem uerò facultatis genus habent.

3 Secundã à præscripta cõpositione Andromachus sic ad uerbum reddidit, ut Lampon Pelusiota. Cinamomi, calami aromatici, casiæ nigrę, xylobalsami, floris iunci odorati, palmę elates, singul. quadrantẽ, alij unciã unã. om̃ia in crassas partes tusa in ollã nouã cõijce, & aquæ pluuiæ sextarijs tribus infusis, donec dimidiũ supersit coque, & excola, & accepta aloes indicæ libra una, aquã pluuiam sufficientem superfundito, & sub caniculæ æstus donec resiccetur terito. atq; ubi primũ per hanc aquã aloen ipsam edulcaris, postea eam quæ ab aromatis excolata est, aquam affundito,

& in sole donec resiccetur terito, indeq; trita hæc quæ sequuntur admisceto. Croci, myrrhæ, mastiches, singulorum quadrantem, alij unciam unã. Conterito simul omnia, & sicca reponito, atq; in potionibus ad cõuulsa, rupta, plagas internarum partium, incipiẽtes laterũ dolores utitor. Item ad inflatos, dolentes stomachum, tarde concoquentes, reiectantes sanguinem, & ischiadicos. Datur ad summũ obolus unus, aut duo, ex aquæ cyatho uno. Reliquis pro uiribus præbeto. In uulneribus & inflãmationibus dilutũ aceto mulso imponit. In oculorum inflammationibus succo mentę, aut calaminthæ, aut solani, aut alicuius consimilis. In podicis inflammationibus cum rosaceo, aut uino Aminæo. Vtere etiam in unguium abscessibus, paronychias Græci uocant, sicco, superne linamẽto cum rosaceo imposito. Et ad sanguinis eruptiones siccum cum aceto, & ad crustas in ore ex passo, gargarissandum dato. Hoc pharmacum quod Pelusiotæ Lamponis esse ait, ad multas affectiones cõmodum est, polychresta ob id talia gręci appellant, de quibus etiã ante aliquid dictũ est, quod uidelicet deficiant ab his quæ unũ quoddã optime faciunt, ob multitudinem eorũ quæ promittunt. Apparantur autem quum unum habere uiginti affectionibus cõgruum malumus, quàm tot numero alia, quum tamen ad singulas affectiones unum aliquod destinatum, eo quòd ad plures paratum est, melius existat. Facultas autem ipsius per quã in prædictis efficax est, tenuium partium existit & calfactoria, secans, extergẽs & aperiens, & ob id discussoria redundantiũ in quibusdam partibus serosorum succorũ ac humorum. et propterea etiam prædictis in sermone affectibus cõuenit, discutiens ut dixi, uitiosos & serosos succos ac humores affectarũ partiũ. Quare etiã prædictas alui affectiones, in quibus picra confectio moderatã purgationẽ operat, curauerit per modicam resiccationem, non per coaceruatam euacuationẽ. Pręstantior igitur est ad huiusmodi affectus picra compositio prima descripta.

4 Tertiũ post pręedicta pharmacũ Andromachus sic descripsit. Ad stomachicos & cœliacos pastillus amarus, mollit aluũ. Facit ad somnũ. Est aũt ex libris Aphrodæ. Facit & ad uesicã, & coli affectus. Seminis apij drach. vi. anisi drach. vi. piperis albi sesquidrachmã, castorij drac. ij. myrrhæ sesquidrachmam, nardi celticæ floris sesquidrachmã, opij sesquidrach. cinamomi sesquidrac. comę absinthij ℨ. iij. aloes ob. iij. mastiches drach. i. cum aqua pastillos formato triobolares aut drachmales & dato cum aquæ cyath. iij. Neq; in hoc pharmaco adscripsit Andromachus, quos nam stomachicos dicat, & quid patiant. Verum ex eo quod cõpositioni additũ est opiũ, manifestũ fit cõpositorẽ huius pharmaci intentionẽ suã eò direxisse, ut resiccatoriũ simul & doloris sedatoriũ pharmacũ efficeret, somnũq; aliquẽ induceret, nõ tamen cõtentiose cõtra unã aliquã ex prædictis affectionibus instando, quo uidelicet breui ipsam excinderet. Quartũ deinde pharmacum Andromachus scripsit, neq; ad unam aliquã affectionẽ contentiose cõpositum, neq; ad multas moderate. habet descriptio hoc modo. Ad stomachicos hiera Antipatri. Aloes bonæ drach. iiij. mastiches drach. ij. asari drach. iiij. rosarũ siccarũ, iunci odorati, mei, phu, casiæ, singulorum semiunciam. utere arido trito, quemadmodũ alijs. Quintũ post hæc pharmacũ, quod ex plantaginis succo præparatur, & ipsum Apollonij esse ait, tale est. Succi plantaginis aridi drach. iij. mastiches drac. ij. myrrhæ drach. i. mentæ ℨ. i. zingiberis drach. unam. Videtur mihi Apollonius hanc cõpositionẽ experimento cognouisse, in stomacho calidiorẽ affectionem habẽte, atq; ita ipsam indiscriminatim extulisse nõ potentem frigidis affectionib. cõuenire. Refrigeratorius ẽm est plantaginis succus. Porrò quæ sequit̃, uidetur mihi cõposita esse ab eodẽ autore, in prioris usu successum nõ sentiẽte, & recognoscẽte pharmacũ refrigeratiuũ se effecisse, & ob id castorij modicũ, & aloes quippiam apponente quæ euacuare potest, & mastichen ut stomacho cõmodã, ac crocũ & myrrham, ut quæ concoquere queant. Quapropter neq; hoc, neq; præcedens pharmacũ adhibuerim in stomachica affectiõe, cũ nullã probe curare possint, præterq; satis multũ calidã. Scripsit de ea hoc modo. Succi plantaginis sicci ℨ. x. aloes indicę ℨ. i. mastiches ℨ. i. croci ob. ij. opij ob. iij. castorij ob. iij. myrrhæ ℨ. i. formato ad magnitudinem ciceris. Similiter autem neque consequenter scriptum citra discrimen, recte quis adhibuerit in alia affectiõe quàm quæ moderata siccatione & adstrictione opus habeat, in humorib. quidem modicis, qualitate uerò uitiatis. Componitur enim ex succino & mastiche, sic ipso Andromacho prodente. Succini, mastiches Chiæ. Succini plus conijce. Dato cochlearium unum ex aqua tritum. Cæterum quod sequitur pharmacum, hac descriptione, Stomachica Galli, affectioni quæ calfieri & secari postulat, utilis existit, ex fœniculo, aceto, & melle constans, quod ipsum Andromachus his uerbis tradidit. Stomachica Galli. Corticis radicis fœniculi, libræ dimidium, aceti acris sextarium unum, eiusq; dimidium, aloes quadrantem, mellis attici lib. unã. Radices lotas ad triduum aceto macerato, deinde coquito, atq; ubi coctæ fuerint expressas proijcito, & affuso ad acetũ melle simul coquito, deinde aloẽ inspergito, & cochlearia tria cum aqua dato. Alcetius sophista ad hãc descriptionem addit rutæ, & apij, semina gerentiũ, utriusq; manipulum, iubens cum radicibus macerari ac coqui. Verum aceti sextarios sex, & mellis libras duas conijcit, atq; hanc laudat. Post præscripta pharmaca, Andromachus sic ait. Stomachica, ut Nicostratus. Succini, mastiches Chiæ puræ, iridis illyricæ, singulorum trientem, floris rosarum sextantẽ. dato aridi triti cochlearia ij. cum aqua lactosa. statim ẽm dolorẽ leuat. Reponatur in corneo uase. Et hoc pharmacum palàm est adstringentius quodãmodo esse, optatq; affectionẽ humidiorem in humoribus non multis, neq; ualde morda

mordacibus. In quibus sanè experimentum pharmaci fecisse eius autorem opinor, aut certe assiduo eius usu ægrum à dolore leuasse, atque inde uniuersalem pronũciationẽ ipsi apposuisse, quod uidelicet statim ægrum dolore leuet, quum non possit id in multis præstare. Postremum deinceps pharmacum ab Andromacho scriptum hoc modo est. Ad stomachicos. Corticis radicis fœniculi drach. duas, uini cyath. tres, coquito ad tertias, ut unus cyathus supersit, ac totum præbeto. Et hoc ex calfacientibus est, opusq; habet affectione quæ calfieri exoptat.

Stomachica pharmaca ab Asclepiade in primo internorum conscripta. Cap. III

Asclepiades porrò de stomachicis scripturus, de ipsis sic ordit. Ad stomachi subuersiões. Quas uerò subuersiones dicat non manifeste indicauit. Potest enim & appetitus perditionem ita appellare, potest etiam nauseosas affectiones ab accepto cibo fientes. Aliquando enim hoc unum solum symptoma accedit accepto cibo, ut si paulo fortiori motu moueantur, statim uomant. Appellant igitur aliqui etiam tales stomachicos, & stomachum ipsis supinũ reddi aiunt. Sequit autem hæc accessio quãdoq; ad solam oris uentris debilitatẽ, quod cibos amplecti eisq; obuolui non potest, uelut tota uentris amplitudo solet. Quãdoq; uerò & cũ uitiatæ alicuius, modicæ tamẽ humiditatis complexu. Etenim multa quemadmodum etiam ualde uitiata, etiã citra cibũ, nauseã efficit. Cæterũ quæ à multis uulgo Supinitas stomachi appellat, cõtingit quidem iuxta intemperiẽ quãcunq; tandem citra uitiatos humores. Fit etiã per humiditatẽ, multam quidem, nõ tamen malignæ qualitatis. Irriguus enim stomachus per largã humectationẽ, similiter ut ligamẽta neruorũ laxat. Facilime itaq; curabilis est hæc affectio ex omnibus fere alijs, pharmacis indigẽs, quæ siccare humiditatem, & coagmentare, & constringere laxatum corpus ualent. Vbi igitur per profundũ fuerit extenta humiditas, crassaq; sit & uiscosa, opus est mixtura pharmaci attenuatorij, & si ita dicere libeat, perrosiui quale est acetũ, & acetũ mulsum. Si uerò neq; talis sit humiditas, neq; in altum extensa, adstringentia sola suffecerint ad curationẽ. Propositũ igit in sermone pharmacũ, nõ moderatarũ supinitatũ, sed fortiorũ est curatiuũ: esset aũt & moderatarũ sanatiuũ, si astringẽtia sola quis misceret, aut etiã ex calfacientib. quippiã, si frigidã esse affectionẽ sentiret. Sufficiẽs aũt signũ est frigidæ affectionis, si æger se nõ sitire percipiat. ubi ẽm neq; siticulosus fuerit, neq; ardorẽ senserit in ore uẽtris, palã est affectionẽ nõ calidã esse. Idonea itaq; sũt ad huiusmodi uẽtris affect⁹, quatuor pharmaca ab Asclepiade cõscripta, quæ etiã ego scribã, ipsius Asclepiadę uerbis et ordine seruatis. Ad stomachi subuersiões. Nucleorũ mali punici tusorũ succi sextar. iij. succi mẽtę sext. i. mellis attici sext. i. in uas fictile cõijcito, ac coquito assidue agitãdo, & ubi dẽsata fuerint, ab igne ablata reponito. tẽpore usus dato mystrũ i. aut ij. ante cibũ. Aliud, facit ad dysentericos, & uomẽtes cibũ. Radicis mali cotoneæ lib. i. uini myrtei sext. iij. coquito ad tertias, deinde exprimito liquorẽ, et mellis attici sesquilibrã addito, rursusq; coquito, assidue mouẽdo. dato ex reposito uelut dictũ est. Cõfectio ex fructibus. Facit ad stomachi subuersionẽ, cœliacos & dysentericos. Mala cotonea num. x. sorba num. l. mespila l. rhois rubri sextar. i. aquæ cõgios vij. Fructus tusos & in aquã cõiectos diligẽter coquito, & ubi dissoluti fuerint, liquorẽ exprimito ac rursus coquito, eiecto eo q̃d ex fructibus instar palearũ exuccũ reliquũ est. cũ uerò tertia pars liq̃ris superfuerit, mellis attici lib. iiij. addito, & ad prunas assidue agitãdo coquito, ac spissata reponito. usus ostensus est. Aliud pharmacũ, Sorborũ maturorũ sexta. i. baccarũ myrti nigrarũ sext. i. rhois syriaci sext. i. prunorũ syluestriũ sex. i. mespilorũ sext. i. phœnicobalanorũ Thebaicorũ lib. ij. mala cotonea x. mala punica integra unà cũ nucleis x. musti aminæi sextar. xlviij. præpara pro cõsuetudine, & expressum liquorẽ rursus diligenter coque donec spisset. utere ut dictũ est. Porrò post prescriptas cõfectiões, quintã scripsit Asclepiades hoc modo. Catapotia ad stomachi subuersiones, Origeniæ, bona & ualde probata. Florum rosarũ ʒ. viij. baccarũ myrti nigrę exacinatarũ acetabulũ, seminis hyoscyami acetabuli dimidiũ. terito simul diligẽter, sufficiente protropo paulatim instillato, deinde his palmularũ passarũ, patetos Græci uocãt, x. numero, carnẽ addito, & ex cõtritis catapotia ciceris magnitudine formato, & iij. aut iiij. cũ aquæ mulsæ ueteris dilutæ cyath. ij. exhibeto. Et hoc pharmacũ in ijsdẽ affectionib. cõmodũ est, in quib. quatuor præscripta. Voluit aũt autor huius pharmaci per seminis hyoscyami mixturã, doloris sedationẽ & somnũ inducere, unà cũ resiccatiõe. Manifestũ est aũt refrigeratoriũ quippiã hyoscyami semẽ habere, uelut etiã papaueris semẽ habet, quare ad calidos affectus facit. simile prescripto pharmacũ deinceps proditum ab ipso est his uerbis. Rosarũ recentiũ desectis unguibus ʒ. viij. seminis papaueris albi ʒ. iiij. seminis hyoscyami ʒ. ij. aloes ob. iij. asari ob. iij. cũ aqua diluta in pilulas redigito, & ciceris magnitudinẽ præbeto. Septimũ post prædicta pharmacũ Asclepiad. scripsit apposito discrimine ab accessiõe palã apparente. Ait ẽm ardori stomachi ipsum cõuenire, & propterea sitim extinguere testat, unde etiã adipson Greci appellãt, cõpositionẽ ipsius sic tradẽs. Ad ardorẽ stomachi adipson catapotiũ sitim extinguẽs. Seminis cucumeris satiui ʒ. viij. seminis portulacę ʒ. viij. tragacãthæ ʒ. iiij. tragacantham ouorum crudorum recentium candido dissolue, & probe tritis alijs adde, & ex mixtis catapotia forma, eaq; in umbra resicca, atq; unũ sub lingua tenendum præbe, ac liquorẽ inde solutũ deuorare iube. Quin & quod postea sequitur refrigerat ac corroborat stomachum madore pregnantem, & qui humidam ac calidã affectionẽ habet. Scribit autem de ipso Asclepiades hæc uerba. Aliud facit ad stomachi subuersionem, maxime cõmodum

dum est ardorem multũ perferentibus, & qui stomacho exuruntur. Foliorũ rosarum uiridiũ drac. vi. glycyrrhizæ drach. quatuor, nardi indicę drac. quatuor. excipe uino dulci aut protropo, & redige in catapotia, ex quibus unũ sub lingua tenendũ prębe, aut ciceris magnitudinẽ cũ frigida aqua dissolue, & in potu exhibe. Nonũ deinceps pharmacũ Asclepiades scripsit, hoc modo. Ad singultũ & stomachi debilitatẽ & cibi reiectionẽ. Reiectio itaq; hoc est uomitus, ex genere est Supinitatũ. Quando eñ os uentris fortiter afficit, hoc aũt uelut dixi, ob uitiosos humores, quos uenter abrumpere conatus, propter debilitatem nauseæ accessionẽ perpetitur, atq; hanc etiã tum ante acceptionem cibi, tum post ingestũ cibum, ob extremam debilitatẽ perfert. Supinitates igit ex uitiatis humoribus obortas, picra confectio q celerrime curat, nempe uitiatos humores expurgãs. Vomitus uerò ob imbecillitatẽ grauati stomachi obortí, curantur per intemperaturæ correctionem. Non parũ sæpe cõtingit etiã, non solũ stomachũ, sed & uentrẽ ob debilitatẽ ferre nõ posse ciborũ onus, atq; ideo reĳcere aliquando quidẽ ad infernã partẽ, ubi illis robustior sit stomachus, aliquando uerò sursum, ob stomachi imbecillitatẽ, quando sanè hic debilior fuerit infernis partibus. Hoc itaq; uomitus symptoma unũ quidẽ est, sequit autẽ sępe ad affectiones diuersam medelã exigẽtes. Similiter & singultus, stomacho interdũ ob frigiditatẽ aut repletionẽ accedit, interdũ ob mordacitatem humorũ acriũ & medicamentaria qualitate præditorũ. Impossibile itaq; est pharmacũ inuenire omnibus dictis affectionibus aptũ. Cæterum quæ deinceps scripsit Asclepiades duo pharmaca, ostensa sunt substantiã habere multũ ab humana natura diuersam, quæ ipsa maxime omniũ inter reliquas corporis partes stomachus nõ fert, ob excellentiam sensus qua præditus existit. Magnopere igitur affligit stomachus etiã ubi ex stomaticis pharmacis quippiam in ipsum fuerit pręterlapsum, maxime quæ atramentũ sutoriũ, aut tale quid in se habent. Quod eñ ex fructibus constat, ex comestili materia cõpositum est. uerũ atramentũ sutorium cõtrariæ penitus homini naturæ est. Quemadmodũ etiã mandragoras. Fugienda itaq; sunt hæc duo pharmaca ex chrysobalano & radicis mandragoræ cortice cõposita. Apponam tamen etiam ipsorũ compositionẽ. Et prioris quidem descriptio hæc est. Chrysobalani lib. i. mastiches chiæ libræ dimidiũ, corticis radicis mandragoræ quadrantem. Tusa & cribrata excipe mentæ succo, & redige in catapotia. da inde obol. tres cum aquæ frigidæ cyathis tribus. Posterioris aũt descriptio hæc est. Mastiches chię lib. i. corticis radicis mandragoræ sextantem. Tusa & cribrata reponito. Vsu exigente dato cochlearium inspersum aquæ frigidæ cyatho uni.

3 Post præscriptas confectiones, Asclepiades sic scripsit. Ad uoluulosas stomachi subuersiões. Coniectarit quispiam ipsum uoluulosas appellare fortes. quemadmodum enim in uoluulis subuersiones fiunt cũ magna cõtentione & uiolẽtia, adeò ut stercus etiã reuomãt: sic etiã alios uomitus concitatos, quis appellare uoluulosos possit. Sequunt aũt huiusmodi uomitus, ubi affectę partes à medicatis serosis humorib. magnopere fuerint afflictæ: si uerò etiã imbecilliores fuerint, duplicat malũ. Erit itaq; ob id curatiõis scopus, ut simul ad affectas partes odoratas qualitates imponamus, quales aromatũ sunt, & quorundã seminũ in ciborũ usum uenientiũ, uelut est anisum, apiũ, daucus, cuminũ & seseli. Iuxta hanc itaq; rationẽ Hippocrates in pleuriticis purgatiuũ exhibẽs medicamentũ, misceri aliquid ex his iussit, sic scribẽs. Si uerò sub septo trãsuerso sit dolor, & ad clauiculã nõ se extẽdat, mollire uentrem oportet ueratro nigro, aut peplio, ad ueratrũ quidem dauco, aut seseli, aut cumino, aut aniso, aut alio quopiã odorato addito. Apparet eñ quod in his miscẽdis maxime odorẽ ipsorũ respiciat, quo medicamẽtariã uim, quæ hominis naturæ cõtraria est, mitiget & obtũdat. quẽadmodũ eñ graueolẽtia omia stomachũ subuertere solent, sic odorata corroborare. si uerò ultra hoc etiã in ciborũ usum ueniant, multipliciter auxiliant stomacho ob uitiatos serosos humores subuerso. Atq; iuxta hãc ratiocinationẽ autor propositi pharmaci anisum et apiũ admiscuit. absinthiũ uerò propterea q à natura uim habet extergendi, ac repurgãdi, & subducendi uitiatos stomachi humores, ampliusq; densat & cõstringit ac robur addit parti affectæ. Cinamomũ aũt addidit, ut quod omnib. fœtidis & putredinosis serosis humorib. se opponat, iuxta utramq; facultatẽ suam, alteratiuã & discussoriam. Non paruã eñ ex odore suo exhibet utilitatem omnibus malis affectionibus. Opĳ uerò parũ pharmaco immiscuit, sensum stomachi hebetare uolẽs, qua ratiõe etiã cœliacis ipsum damus, ut quod profundũ quendã soporẽ inducere possit. Quo uerò uehementẽ opĳ frigiditatẽ cõpositor ipse corrigeret, castoriũ ipsi adiecit oppositũ ferme ipsi in facultate. Eadẽ ratione etiam piper admixtum est. De myrrha uerò operæpretiũ est scire, quod in quantum facultas ipsius est concoctoria humorum præter naturã & uitiosorum, in tantum conuenienter admiscet. In quantum autem medicamentaria est, nõ cõuenienter. Verum paucitas eius ad concoctionem quippiam confert, qualitatis autem peregrinitas nõ apparet, utpote uicta ab odoratis. Ego itaq; hoc pharmacũ etiam sine myrrha præparare consueui, ad securitatem perducere semper tentans usum omnium pharmacorum, præsertim ubi in acuta febri tale quid exhibetur. Cum igitur cinamomum habeat hoc pharmacum, & semina calida urinam cientia, ac piper, & præterea castorium ac apiũ, meritò multis affectionibus commodum est, quandoq; cum uino stomacho grato datum, quale protropũ est, quandoq; cum myrti baccarum decocto, uelut in dysentericis, aut cum aceto mulso, uelut in splenicis. In cholera uerò & bilis uomitu ac effluxu, cum frigida, uelut Asclepiades scripsit, sed addito

discrimine, si siticulosior est nũc quàm antea, aut nauseę calidę sensus circa os uentris ipsi cõtingat, aut frigidam bibere sanus cõsueuit. Ego sanè hoc medicamentum ad securiorem usum perduxi, myrrhamque dimisi, & piperis quantitatem auxi. Cum uero plurimũ cinamomũ accipiat, necessariũ nobis est ubi cinamomo caremus, casiam optimam conijciamus, aut plus quàm duplo cinamomi pondere, aut omnino non minus. Cæterum cõmensuratio ac apponderatio pharmacorũ quæ ipsum constituunt, ab Asclepiade his uerbis prodit. Ad uolulosas stomachi subuersiones pastillus Amazonũ. Facit ad inflatos, ardorẽ stomachi, et uomẽtes cibũ. facit & ad internas affectiones. Seminis apij ℥.vi. anisi ℥.vi. absinthij ℥.iiij. piperis ℥.ij. myrrhæ ℥.ij. cinamomi ℥.vi. opij ℥.ij. castorij ℥.ij. cũ aqua pastillos formato, & summũ drach.i. dato, stomachicis cũ protropi diluti cyathis tribus: cholericis & uomentibus cibũ cũ frigida: cœliacis & dysentericis cum baccarum myrti decocto: spleniticis cum aceti mulsi cyathis tribus.

4 Aliud pharmacum deinceps scripsit Asclepiades, nõ solũ ad uolulosas stomachi subuersiones ipsum cõuenire promittẽs, sed & ad intensos singultus, & stomachicos qui ardorẽ, hoc est multam caliditatẽ percipiunt. Dictum aũt iam sæpe à me est, Impossibile esse inuenire pharmacum ad multas affectiones optimũ. Inuenit enim in unaquaque ipsarũ id quod proprie ipsis destinatum est præstantius esse, uerũ his qui unũ pharmacum ad multos affectus habere uolunt, etiã horũ pręparatio ac cõpositio utilis existit. Continet tamẽ ambiguitas quædã in huiusmodi pharmacorũ promissionibus, qualem Asclepiades nũc de proposito pharmaco fecit. Putabant eñ fortassis aliqui ex ignaris, tũ singulorũ trium symptomatũ curationem promitti, tum duorũ simul coincidentiũ, aut omniũ simul. Velut cũ lancinat uehemẽter nauseans æger, & singultit, & multæ anxiosæ caliditatis sensum circa stomachũ percipit. Et de tali sanè affectione primo dicã in qua tria hæc mala simul hominẽ infestant, nimirũ ardoris sensus, & singultus, & affectio uolulosa. Hippocrates quidẽ igitur conuulsionẽ fieri dixit ex repletiõe & euacuatione, & additũ est ad aphorismũ fermè in omnibus exẽplaribus, sic aũt & singultus. Ego uerò in conuulsione tertiã aliquã causam supra euacuationem & repletionem nõdum reperi. Singultum etiam sine his fieri uideo, acribus humoribus, aut serosis & medicatis stomachũ mordẽtibus, quos ubi uomitu reiecerint statim singultu liberantur. quin et multi deuorato pharmaco ex trib. piperis generib. cõstante, si statim uinũ insuper bibat, omnino singultiunt, ex quorũ numero etiã ego sum. Amplius aũt & cibo in mordacẽ qualitatẽ corrupto, aliqui singultiũt, & quod uomitu statim liberant, omnibus notũ est. Quidã etiã ex rigore oris uẽtris singultiũt. Verũ pueros maxime frequẽter singultire cõtingit, tum ob corruptionẽ alimenti in uẽtre, tum ob partis frigiditatẽ. An uerò & ob nimiã euacuationẽ fiat singultus, ueluti etiã con-

A uulsio, dignũ consideratione est. Verum si in præsens hac consideratione relicta, eos qui ob frigiditatẽ, aut ciborũ copiã, aut mordacẽ acredinẽ grauant, intueamur, uomitũ reperiemus sufficiẽtem medelam eorũ qui ob copiã aut morsum singultiunt, caliditatẽ uerò eorũ qui ob frigiditatẽ. Alio autem modo reperiemus etiã sensus stupefactionem per refrigerantia, et per mutationẽ ac discussionem mordaciũ per attenuantia & resiccantia. Componit autẽ ex huiusmodi ipsum pharmacũ. Opium enim & rosæ, & psyllij succus, ex refrigerantibus sunt, Spica nardi uero & chrysobalanos ex discutientibus & corroborãtibus. Asarum autem per urinam deducit uitiosos humores. Aloe uerò uitiatos humores expurgat, & inferne per

B uentrẽ euacuat. Crocus aũt cõcoquit & roborat partes, per temperamentũ quidẽ caliditatis cõcoctiõne efficiens, per adstringendi uerò uim, quæ ipsi adest, robur addens. Costus aũt sufficiẽter calfacit, moderate uerò adstringit, quod & ex gustu eius percipit. Ex his porrò cõpositũ pharmacum aptũ est singultientibus, aptũ est & qui ad uomendum lancinant, & qui circa præcedens pharmacum dicti sunt, uerũ non similiter ut illud, aliquid ex odoratis habet, aut cinamomũ. Refrigerantiũ aũt in ipso mixtura stupefacere sensum potẽs, mitigando molestiam ex mordacitate serosorum & aliorum etiam humorũ obortam, uere aptũ pharmacum efficit, ad nauseosæ affectiõis imminutionem. Quandoquidem uerò etiam ad stomachi ar

C dorem conuenire pharmacũ dixit, repugnat aũt huic sermoni costus, operæpretiũ fuerit & de eo dicere. Quemadmodum in antidotis colicis appellatis, & à quibusdam, dolorum sedatorijs, qualis est Philonis antidotus, Scopus componendi pharmacũ est stupefacere sensum dolentiũ. Quo uerò nõ cum magno detrimento id fiat, & ut per altum dolentium corporum frigiditas penetret, calfacientia miscentur, quæ refrigerantium stupefactionem deducere possunt, cum illa ipsa per se tardi transitus existant. Hæc igitur ubi quis inaudiuerit, quantitatem consideret simplicium pharmacorum quę in compositiones miscent. Ex hac eñ sciet num magis, an minus efficere possit cõpositum pharmacum ea quæ promittit. Si namque

D refrigerantia plura apparuerint, sensum affectorum magis obtundit, & quantum caloris in ipsa particula fuerit etiã hunc extinguit. Vbi uerò calfacientia fuerint aucta, minus quidẽ hæc efficiet ipsum pharmacum, innocentius autem reddetur. Nosse enim oportet, corpora uiuentium mortificationi simile quippiã perpeti, ab omniũ ex opio & hyoscyamo, & mandragora compositorum pharmacorum usu, nimirum causis dolorem infligentibus insensibilibus factis. & multi sanè qui assidue talia accipiunt, ad immedicabilem frigiditatem particulas perducunt. Quemadmodum autem in refrigerantium & calfacientium oppositione, utrorumque quantitas ostendit prædominantem pharmaci actionẽ: Eodem modo etiam in alijs cõsiderationem facere oportet: uelut den-

ſantibus & rarefacientibus, coagmentantibus & diffundentibus, odoratis & graueolentibus, humectantibus & ſiccantibus, diſcutientibus & cohibentibus. Itaq; ubi ſubſcripſero his mixtorũ in compoſitione quantitatem, ad cohærentia tranſibo. Scripſit autem ipſam Aſclepiades in hæc uerba. Stomachicis, ardorem ſentientibus, & ad intenſos ſingultus, & uoluuloſas ſtomachi affectiones. Coſti drach.iiij. ſpicæ nardi drac.iiij. chryſobalanorum drach.iiij. roſarum uiridium drach. iiij. maſtiches ʒ.iiij. aloes drach.ij. aſari drachm.ij. opij drach.i. excipe ſucco pſyllij, & reduc ad paſtillorum formam, exhibe obolos tres. Liquor ſit affectioni conueniens. Poſt præſcripta pharmaca, Antidotum Hieram iam antea in Andromachi pharmacis conſcriptam, ex aloe & cinnamomo compoſitam, etiam ipſe tradidit nõ iuxta eandem commenſurationem & ſymmetriã. Habent autem uerba eius in hunc modum.

5 Antidotus Hiera, id eſt ſacra, Themiſonis. Ad ſtomachi ſubuerſiones. Facit & ad ſentientes ardorem, & omnem inflationem, tardam concoctionem & affectiones uteri. Probe cit urinam, et omnino admiranda confectio eſt hydropicis, hepaticis & nephreticis. Deducit & fœminis menſes. Aloes drac.c. maſtiches unc.unam, croci unc. unam, nardi indicæ unc. unã, cinamomi unciam unam, carpobalſami unc.unam, aſari unc.unam: tundito & anguſtiſsimo cribro excernito, atq; aridum ut ne tranſpiret ſeruato. Vſus eius eſt ad tarde concoquentes, atq; ita ſanos drach.i. cum frigidæ cyath.iiij. Vomentibus bilem, aut aliàs fluxione laborantib. drachmæ dimidiũ. Ad inflãmationes internas conuenit cum aqua mulſa. Verũ quibus urinam ciere uolumus, aut menſes deducere, pharmacũ cum uino damus. Eſt aũt medicamentum inſperſile in pulueris ac farinæ formam redactum. Hæc quidem ſcripſit Aſclepiades de prędicto pharmaco. Videamus aũt primũ in his de quantitate pharmacorum ipſum conſtituentium quatenus conſenſit & diſſenſit cũ Andromacho. Deinde conſequenter de promiſsione & uſu. Equidem in mixtura pharmacorũ conſenſerunt inter ſe Andromachus & Aſclepiades, in hoc quod aloes drachmas centum conijciunt. Diſſentiunt autem in eo quod Aſclepiades ſimpliciter aloes ſcripſit, Andromachus autem lotæ appoſuit, & quod Aſclepiades reliquorum ſingulorum ſingulas uncias admiſcuit, hoc eſt drachmas argenteas viij. aut vij & dimidiam. Andromachus uerò ſex. Amplius etiã in eo quod Aſclepiades carpobalſamũ, Andromachus xylobalſamũ inijcit. & præterea quod Aſclepiades florẽ iũci odorati penitus relinquit. Cæterũ circa promiſsionẽ operũ Andromachus nihil amplius ſcripſit, ꝙ quibuſdã unum cochleariũ, quibuſdam duo, cum aquæ frigidæ aut calidæ cyath.iij. exhibere. Verum Aſclepiades plura de uſu propoſitę Antidoti prodidit. ad tardas enim concoctiones ſanorũ drachmam unam dari iubet, cum aquæ frigidæ cyath.iiij. Opinor aũt ipſum dicere drachmã argẽteã, etenim

A ſic ferè omnes recẽtiores medici appellare in more habent: neq; ipſa rei natura aliud nos intelligere cogit. Manifeſtum eſt autem quod drachmam dicimus nunc in huiuſmodi omnes, quod Romani denarium appellant. Verum non omnibus tarde concoquentibus expedit præbere hoc pharmacum, ſed his ſolum quibus ob uitioſos humores tarda concoctio contingit, & maxime quum tenues fuerint & bilioſi. Fecerit & quietem in his quibus citra uitiatos humores, humida intemperies intantum affectam partẽ perrigauit, ut exoluatur & laxetur ad modum ligamentorũ neruorum circa laxatos articulos. At uerò qui bilem in uentre habent, quæ præſertim ipſis in tunicis in alto continetur, præſtantius pharmacum non re- **B** pererint. Verum haud ſcio qua ratione parum de ipſo exhibeat Aſclepiades, cum moderata exhibitio ipſius ad drachmas ſex progrediatur. Porrò ad inflammationem habentes non ſimpliciter in omni inflammationis tẽpore dandum eſt, ſed ubi concocta fuerit & declinarit. Concocta eñ medicanda recte cenſet Hippocrates, nõ cruda, neq; in principijs, niſi ſua ſponte concitata id expetãt, hoc eſt, niſi motus ad excretionem nos adducat, qui nondũ firmã aliquã inclinationẽ ac ſtationẽ ad unã partẽ habeat. Recte aũt hoc pharmacum tarde concoquentibus, aut bilẽ uomentibus, aut alias ſtomachi fluxione laborãtibus, aquæ cyath. iiij. inſpergens præbet, nimirũ ſubuerſionẽ ſtomacho ex melle oborientẽ formidãs. Ad declinatio- **C** nem aũt internarũ inflammationũ cum aqua mulſa tempeſtiue quis exhibuerit. Quemadmodum etiã urinã ciere uolẽs aut mẽſes euacuare, Aſclepiades quidẽ ex uino dandũ ait: præſtiterit aũt, ut ego ſentio, cũ uino mulſo pharmacũ præberi. Ita eñ ſimul & quæ circa diſtributionẽ & delationẽ ex uẽtre in urinã, & quæ circa uterũ inſtant, ſecat ac diſſoluit, & robur partib. addit per quas trãſitũ facit. Ampliusq; & locorũ per quos fert̃ caliditatem auget, quæ & ipſa nõ parum cõfert ad inſtantes humores fundendos ac euacuandos.

6 Poſt præſcriptã ſacrã Themiſonis antidotũ, Aſclepiades ſic ſcripſit. Alia ex Mãtię cõpoſitionibus Attalica. facit ad ſtomachicos & reijciẽtes cibũ, cholericos, cœliacos, dyſentericos. Cõpoſi- **D** tio ſic habet. Croci ʒ.ij. nardi ʒ.ij. ſeminis hyoſcyami ʒ.i. aloes ℥.i. balauſtij ũc.i. tragacãthæ unc.i. piperis albi unc.i. acacię ũc.i. rhei põtici unc.i. rhois ſyriaci culinarij unc.i. excipe ſucco roſarũ in uino auſtero coctarũ, & redige in paſtillos drachmę unius. tragacantham uerò ſucco maceratam unito. Hoc pharmacum nihil priori ſimile habet. Illud enim purgatoriũ eſt, hoc adſtringens, his qui ſtomachum aut totum uentrem ob multam humiditatẽ exolutũ ac laxum habent conueniens: quemadmodũ etiam in articulis eiuſmodi laxitates cõtingunt, ligamẽtis ipſorũ multa humiditate perrigatis, quæ plurimi medici neruos ligatorios appellare ſolẽt. Multæ eñ eiuſmodi affectiões tum in uẽtre, tum in ſtomacho, fiunt his qui multo potu ſe explẽt, aut fructus humectãtes, aut etiã edulia

sia talis temperamēti ingerunt. Quum itaq; multi sint qui tali uictu utantur, rationabiliter etiā prędictæ facultatis pharmaca sæpe successu clara euadunt, ut quæ prædominantē adstringendi uim habeat. Vbi uero aut uitiatos humores euacuare, aut affectā particulā calfacere oportet, non solū nihil iuuat ita adstringentiū pharmacorū usus, sed etiā nocet. Post prędscriptū medicamentū, aliorū duorum Asclepiades meminit, quę et ipsa ambo bona sunt, & ex multis cōposita, ac ꝓptera multi ad uarios affectus usus, et pręsertim posterius. Quod uero tale sit quale ipsum esse dicit, etiā nobis ipsis facile erit iudicare, ubi in memoriā reuocarimus simplicia in ipso pharmaca, qualia singula sint, ampliusq; methodum cōpositionis eius audiuerimus.

B Aster stomachicus. Facit ad eos quibus cibus in uētre acescit, ad tormina, destillationes, dolorē capitis, spuentes sanguinē, tabescētes, affectiones circa uesicā & uterū. Præparat̃ sic. Succi mādragoræ drach. iiij. myrrhæ drach. iiij. balaustij drach. iiij. castorij drach. iiij. croci drac. iiij. opij drac. vi. anisi drach. viij. seminis apij drac. viij. styracis drac. viij. hyssopi cretici drach. xij. seminis hyoscyami albi drac. xij. Cōponito pro more & digerito in pastillos, Dato pro uiribus. Liquor sit affectioni cōueniens. Aster inexuperabilis. pharmacū accommodatū, sedans dolorē, inducens somnū, multi usus ad uarios affectus. Nā & stomachi morbos mirabiliter sanat, à ructibus acidis, ægris concoctionibus, torminibus, uoluulis, inflationibus. Facit et ad capitis dolores potatū, & foris illitū fronti aceto dilutū. Facit et ad oculorū dolorē pastillus perdicij succo dilutus. Facit & ad dentiū dolorem cauernæ inditus, tritus ac galbano exceptus, aut fici succo. Prodest ad influxus oculorū, & tonsillarum inflāmationes, uino dulci dilutus, Ita ut ad oculos lanā eo imbutā imponamus, In tonsillis uero affectis tepefactū colluamus. Facit ad omnē sanguinis fluxū uino myrtite dissolutus. & ad ueteres ac recentes tusses & destillationes dilutus uino Theræo, aut protropo, aut scybelite. Facit phthisicis, suppuratis, marrubij succo dissolutus. Hæmoptoicis, dysentericis, cholericis, sanguinariæ succo dilutus, & ad omnis reptilis plagā cū rutæ decocto potatus. Soluit irritationes per circuitū repetētes. duabus ante eius inuasionem horis, ex uini diluti cyathis iij. acceptus. Menses etiā fœminarū ducit artemisiæ decocto dilutus. Facit & ad uesicæ affectiones uino mulso dissolutus. Similiter etiam his quæ ab utero suffocant̃, auxiliat̃. Facit arthriticis, podagricis, gētianę decocto dilutus. Et de his quidem quę efficit hactenus. Compositio uero hoc modo habet. Myrrhæ drach. iiij. styracis drach. iiij. nardi Indicæ drach. iiij. casiæ fistulæ drach. iiij. terræ lemniæ quæ sphragis, hoc est, sigillū appellatur drach. iiij. corticis mandragoræ drach. iiij. In alio exēplari etiā piperis drach. iiij. croci drach. vi. succi papaueris drac. vi. seminis dauci cretici drac. viij. anisi drach. viij. seselis massiliensis drach. viij. seminis apij drac. viij. Myrrha & styrax, atq; opiū uino dissoluunt̃ odorato & teruntur. Arida uero

A tunduntur & cribrantur, ac deinde simul miscentur, subiguntur, ac in pastillos coguntur ponderis drachmæ dimidiæ, & in umbra resiccantur. Vsus ostensus est. In alijs exemplaribus pastillorū pondus drachmale proditur.

Quæ Archigenes in primo pharmacorū secundum genus prodidit, De affectionibus circa stomachum. Cap. IIII.

Quum multæ & uariæ sint circa stomachū affectiones, atq; hæ omnes ferè in totum ex cruditate oboriantur, omne ipsius robur cōsiderandum est, & si quidē per aquarū aut aeris malignitatē lędantur, quoad maxime possibile est fieri, ea uariando ac permutando hominē liberabimus. Si uero per insuetos cibos læsio fiat, eis interdicemus. Si uero ob copiam, cibos contrahemus. Et in uniuersum ex quacunq; causa suspicati fuerimus fieri læsionē, eam prohibebimus. Quod si quis sibi ab omnibus his bono ordine caueat, & iuxta ipsum stomachum tamen concoctio impediatur, unctionibus & exercitijs, uociferationibusq; et alijs huiusmodi ꝑ expertū artificē adhibitis stomachus corroboretur. Verū ructu acido affectis coriandrum cochlearij mensura ante reliquū cibū edendū dato, & merū insuper bibendū. Quod si quādoq; moderata cruditas & quæ cōtemni possit oboriatur, longiore tempore in lecto decumbendū est, & si negotia id non permittant, quanto possibile est, omni distentione, ac labore, ampliusq; æstu ac ira uitatis: Serius etiā ꝙ pro consueto tempore ex feruida aqua lauandum est, & in priore balnei domo

C aqua tepida hausta, omnia in stomachum coaceruata pituitosa reuomenda, & modico cibo itemq; potu prima die utendū. Si uero fortis ciborū corruptio fiat, stomachiq; morsum sentiant, ac ipsos eructent, ampliusq; nausea afficiantur, aqua tepida exhibita uomere cogito, donec omne corruptum expurget, deinde caput pinguibus linteolis ad ignem calfactis irrigato, aut huiusmodi aliquo non inani ductu locos circa stomachū foueto, & præcordia mitigato, summas item partes pingui frictione aut etiā cōstrictione lenito, atq; ita in lectulo quiescere sinito, ac inediā per totā sequentē diem perferre. At si non absurdū quid inde consequatur, & satis firmi sint, lauando eos, ut prædictū est, curato. Infirmiores uero moderate ad diem u-

D num refectos, in sequentē lauato, moderatis cibis ac potibus ad triduū uti iussos. Et cruditatis quidē talis quædā (ut rudi quadā forma expressi) curatio existit. Verū de his quæ ex ipsa proueniunt, uelut profluuio uētris, aut bilis per uomitū ac secessum reiectione, aut alijs eiusmodi, in proprio loco dicetur. Cæterū in alijs stomachi molestijs, his quidem qui stomacho exurūtur, cum exolutione aut animi deliquio, aut appetentia perdita, ex qualicunq; tandē causa, pręter febrē, cyathos iij. aut iiij. aquæ frigidę absorbendos dato, bis aut ter per interualla: & si quidē inde mitius habeant, ipsos reuocatos tum cibo, tum etiā alijs refocillare tentabis: si uero permaneat malū, ligatis & constrictis extremitatibus, eiusmodi quendam cremorē assidue absorbendū dato, uelut palmularū, malorum

A cotoneorũ, pirorũ, mespilorum, baccarũ iuniperi, pampinorũ uitis, rosarũ, Mali itẽ punici nucleum non habẽtis succũ, aut nuces pineas xx. & seminis cucumeris grana xxv. baccas myrti xx. croci obolum dimidiũ. & rosarũ duarũ folia, ex aqua bibenda exhibeto. Aut aquã frigidã cum omphacij succo præbeto. Aut florẽ rosarũ cũ nardo & aqua frigida, aut etiã portulacæ semen ammisceto, aut atriplicis semen, aut malorũ cotoneorũ decoctũ. Aut cucumerũ satiuorũ semina quinquaginta trita, ex frigida præbe. Aut oryzã coctã cum butyro edendam exhibe. Aut tragoriganũ tritã & exsuccatam cum aqua edendã præbe. Aut fabas Aegyptias x. & nardi celticæ obol. ij. utraq; tosta & trita bibẽda exhibe, cum mali punici acidi ac dulcis succo & aqua, pari utriusq; mensura. Aut mentæ ramulum B contritũ bibendum dato. Aut œnanthen similiter tritã cum nardo Indica bibendã dato. Aut lentes coctos tritos ex aqua præbeto. Aut phœnicobalanos cum rosis. Aut marrubij succũ cum melle, & ubi paululum quieuerint uinũ cum polenta exhibeto. Aut cardamomi drach. i. cum aceti mulsi cyathis tribus potandã dato ac quiescere sinito. Porrò his qui saliuã multã in stomacho aggregarunt aridã conyzã manducandã dato. Forinsecus uero stomacho imponantur uitis folia uiridia trita, aut mala cotonea, aut palmulę, aut mespila cum cerato, aut myrti folia tenera uel rubi, uel lentisci, trita cum polentæ flore frigida subacto, aut portulaca uiridis similiter præparata, aut caseus recens mollis cum polenta & apij folijs, aut seridis folia cum C aceto & polenta ac apij folijs. Si uero multũ sint æstuosi, uesicã aqua expletã imponito. Aut niuem superdato, aut cucurbitarũ ramenta imponito, & omnino omnia quibus in cardiacis utimur. Dolores aũt stomachi lenit, & maxime his quibus tristitia aut desperatio accedunt, lac asininũ, aut muliebre, aut bubulũ, silicibus incoctis potatũ. Aut unguentũ nardinũ uel aliquod pretiosum dato ex aqua. Aut decoctũ floris iunci odorati, rosarũ flore simul insperso. Aut portulacæ succũ quandoq; per se, quandoq; cum nardo. Aut oui uitellum tostum & in farinã cõminutũ, cũ polenta bibendum dato. Aut amaras nuces cum cucumeris semine et nuce pinea. Aut rumicis syluestris seminis obolos D iij. bibẽdos præbeto. Omnes uero circa stomachũ dolores & displicẽtias ac molestias sedari aiũt, cochlea aphricana cruda integra uorata. Exoluto autẽ solũ & nauseabundo facto stomacho, lactucæ albæ semen modicũ, ex aquæ cyathis quatuor aut uno bibẽdũ dato. Aut passerũ stercus aridum uelut polentã, siue aquã biberint, siue uinũ, inspergito. Aut mastiches chiæ cochlearium ex aqua frigida dato. Aut glaciẽ ieiunis quotidie exhibeto, ut ea assidue manducata saliuã expuãt. Aut conyzã aridã manducẽt. Si uero una cũ humectatione etiã inflãmatio aliqua adsit, œnanthen cum meliloto, aut rosam siccã cum cerato rosaceo parũ resinæ ustæ habẽte impone. Aut acaciæ & aluminis melij pares partes dupla cerati ꝓportione excipe, & ut malagma impone. Cęterũ quibus bilẽ atrã generantibus stomachus inflatur, spongias aceto acerrimo calido imbutas ad stomachũ imponito, atq; hoc maxime tẽpore distentionũ, & si postea etiamnũ perseuerarint, alumen liquidũ cum atramento sutorio trito melle exceptũ imponito. Aut hęc & aloen pari portione mista & cerato myrteo excepta imponito. Aut hederæ folijs uino coctis pro cataplasmate utitor. Aut plantaginis cum sale tritis. Aut armentariæ bouis stercus aridum uino coctum, aut marrubiũ cum pane & rosaceo subactum, aut bulbos rufos & alumẽ pari portione imponito. Post hæc antidotus apyretos appellata, aut hiera, aut alia quæpiã, quæ cuiq; per experientiã cognita est, in potu exhibẽda est. In cibo stomachicis conueniunt, beta, lens, tragus, oryza, alica, malis cotoneis, aut palmulis, aut mespilis, aut mali punici nucleo carentis granis, aut melapijs simul incoctis, aut teneris lentisci, aut myrti, aut rubi ramulis ammistis. Panis sit summe tantũ fermentatus, aut penitus absq; fermẽto, præparatus. Ex oleribus conueniunt cruda, cichoriũ, meconides lactucæ, eryngium, intubus, gingidiũ, seris, lactucæ. Cocta maxime cõmoda est brassica & sisarum. Ex reliquis autẽ coctis conueniunt cochleæ & bulbi. Ex carnibus uenter, rostra, pedes, turdi, perdices, attagenæ, turtures, palumbes, anates, lepores, dorcades. Ex piscibus squillæ, gammari, natatrices siue colymbænæ, locustæ, loligines, sepię. ex his qui duras carnes habent nulli. Ex testaceis maxime buccina, purpuræ, pectines, glauci, cerri, glandes, siue balani. Verũ Sisarũ à reliquis omnibus acceptũ, ut stomacho gratũ, & refectioni cõmodum, ad plerasq; omnes stomachi accessiones cõueniens est. In potu prodest uinum quod unusquisq; libenter bibit. At uero his qui inflantur & stomacho distenduntur, polij fasciculum coquito & bibendũ dato. aut calaminthæ decoctũ per noctem sub dio expositum, modico melle, & piperis drach. i. ammixtis, bibendum præbeto. aut spongiam acerrimo aceto imbutã pedibus ac brachijs imponito usq; quo bullæ excitentur, maxime si cibos reiectẽt. Aut fœni græci farinã aceto subactã, aut sinapi tritũ cum aceto, usq; quo rubefiat locus. Aut psyllium aceto & aqua maceratũ & in mortario tusum, pari portione carniũ cochlearũ ammixta, in malagmatis forma imponito. Quæ stomachicis dolorẽ eximant. Cuminũ tostũ & apium, utrunq; modica portione cum aqua bibendũ præbe. Aut aloes obol. ij. cũ uino mulso, aut uino, aut aqua bibendos dato. Aut abrotoni & thymi utriusq; obol. ij. ex uino prębe bibendos. Ligaturas insuper extremarũ partiũ fortiter adhibe, & circa ipsum stomachum cucurbitulis et fomentis uarijs utere. Quod si uehemẽter ualida sit distentio, etiã uenæ sectio efficax auxiliũ erit, & alui solutio per supposititiam glandem.

2 Deinceps post præscripta Archigenes de fame ingenti, bulimo Græcis appellata, itẽq; de singultu prodit quæ sequuntur. Porrò eos qui ex ingenti fame in uijs animo linquuntur, reuocabimus odoramentis aceti, aut pulegij, aut quæ forte

obtingit terra aceto macerata, aut malis, aut piris, aut alijs similibus fructibus, qui ad manũ sunt. Panem insuper odorandũ dabimus, & ingerere cogemus. Ad hæc enim singula confestim excitanť, & præterea ad suillã carnẽ assatam ac coctã, & in uniuersum ad omne quod multũ alit, & pręsertim ea quę odorẽ nidorosum ac probe conditũ habẽt. Per huiusmodi enim odores ut plurimũ tales reuocantur. Nihilominus tamen etiã extremæ partes ipsorum constringendæ sunt, ipsiq; excitandi tum maxillarũ punctura, tum capillorũ ac aurium distentione. Refocillabis porro ab exolutione & deliquio animi, panẽ in uino diluto, aut etiã aliud quippiam ex his quę aceruatim reficere uires possunt, exhibendo: uelut sunt oua sorbilia, bulbi, cochleę. Etenim singula hęc stomachi humiditatem eximunt, & in modica mole multã uim complexa cumulatim corroborant. Singultientibus autem rutã cum uino dato, aut nitrum in aqua mulsa, aut opium, aut castorium, aut abrotonum, aut aristolochiam, aut daucum creticum, aut cuminum, aut anisum, aut zingiberis radicem, aut scyllam cum aceto & oleo, aut tordilion, aut dictamnũ, aut calaminthen, aut acorũ, asarum item & nardum celticũ, & pulegiũ, singula tum per se, tũ simul mixta.

Pharmacum nostrum ex succo malorum cotoneorũ constans. 3

Magnæ equidem oris uentris affectiones à prædictis pharmacis curãtur. Moderatas uero omnes ferme, præter eas quæ ex uehementi ardore fiunt, subscriptũ medicamentũ iuuat. Succi malorũ cotoneorũ sextarios ij. mellis Attici sextarios ij. aceti sesquisextariũ. Si uero multũ acre fuerit sextarium unũ. Zingiberis quadrantẽ. piperis albi unc. i. Arida insperges, ubi malorũ succus cũ melle & aceto coctus ad lentũ ignẽ, Attici mellis crassitudinem acceperit. Aliud ex malorũ cotoneorũ carne cõstans. Malorũ cotoneorũ carnis lib. iij. mellis lib. iij. aceti albi lib. iij. piperis quadrantẽ. zingiberis quadrantẽ. petroselini Macedonici unciã unam.

De pharmacis quæ forinsecus ori uentris imponuntur. Cap. V

Vocãt quidem plurimi medici haud scio quare uelut Asclepiades & Andromachus, omnia pharmaca quę forinsecus imponuntur, siue adstringendo cõdensent, siue indurẽt, Malagmata, quæ uox emollitionis significationẽ habet. Verũ nos permittemus ipsis etiã si non proprie appellent. Quę autẽ conscripserunt ad stomachi affectiones commoda pharmaca, per experientiam non illorũ solum, sed etiã nostram approbata, ea nunc adscribemus, ab his quę Asclepiades prodidit initio facto.

Quæ pharmaca Asclepiades ad stomachi affectiones in quarto externorum tradidit, quæ Marcellæ inscribit. 2

Euoni ad stomachi subuersiones, doloresq; facit partim etiã ad inflãmationes. Oenãthes drac. viij. croci drach. ij. rosarum siccarum drac. iiij. meliloti drach. iiij. mastiches drach. iiij. ramentorum succini drach. iiij. carnis phœnicobalanorum quadrantẽ. Vini myrtei quod satis est. Arida tundito & per angustissimũ cribrũ concernito, & cum uino myrteo diluito, ut cerati spissioris crassitudinẽ accipiant, his carnem phœnicobalanorũ addito,

A & conquassata cerato ex rosaceo apparato excipito, & linteolo infarta ori uentris imponito. Facit & ad oculos inflãmatos. Aliud Oenãthes drac. vi. croci drach. iiij. myrrhæ drac. iiij. floris rosarum drach. iiij. meliloti, mastiches, utriusq; drach. iiij. aloes drach. iiij. corticis mandragoræ drach. iiij. Carnis palmularum quadrantẽ. Excipe cerato ex rosaceo apparato. Asclepiadæ qui philophysicus dictus est, hoc est naturæ studiosus, ad stomachi subuersiones. facit & cœliacis & dysentericis. Seminis hyoscyami drach iiij. seminis apij drach. iiij. floris rosarum drach. ij. seminis anisi drach. ij. succi hypocysthidis drach. ij. myrrhæ drach. ij. croci sesquidrachmam. opij sesquidrachmam. Arida tundito & per angustissimum cribrum excernito. Hypocystidem uero et myrrhã, & papaueris succũ, uino
B myrteo dissoluta aridis adijcito, & pastillos formato, eosq; in umbra resiccato. Vsus tempore quantum opus est tusum, melle cocto excipito, & dein de linteolo infarta locis affectis imponito. Si fortis fuerit fluxio, succi hypocysthidis aliam adhuc drachmam addito, & floris rosarum tantundem.

Aliud Galli Marci Asclepiadei, ad easdem affectiones. Seminis hyoscyami drach. iij. florũ rosarum drach. ij. anisi drach. ij. seminis apij drach. iiij. opij drach. i. succi hypocysthidis drach. ij. myrrhæ troglitidis drach. ij. croci sesquidrachmã. uini myrtei quod satis est. mellis cocti quod sufficit, præpara ac utere ut dictũ est. Eiusmodi pharmaca etiam bibuntur, & ualde auxiliantur. Cohibito autẽ fluxu & sequẽte dolore, tantũ pondus cerati rosacei
C ad pharmaci confectionẽ addere oportet. Si uero multa fluxio cõtingit, ad pharmacum succi hypocysthidis drach. iij. conijcio, & flores rosarũ aliam drachmam. Vigilijs infestantibus, etiã succi papaueris aliam drachmã addo. Aliud Nicerati, cœliacis, dysentericis ualde generosum. Oenanthes drac. ij. rosarum siccarũ unc. i. mastiches unc. i. aloes unc. i. gallarum omphacitidũ unc. i. aluminis rotundi unc. i. acaciæ unc. i. ceræ lib. i. picis brutiæ quadrantẽ, olei myrtei lib. i. arida cum liquidis cõmittito. Aliud ualde præclarũ. Oenanthes unc. i. omphacij unc. i. gallæ omphacitidis unc. i. aluminis scissi unc. i. acaciæ unc. i. cytinorum mali punici, balaustij, mastiches, singulorum unc. i. uini
D myrtitæ quantũ satis est his subigẽdis, carnis phœnicobalanorum sexuncem, excipe cerato lentiscino, præpara ac utere ut dictũ est. Hæc quidem igitur præscripta pharmaca facultatis sunt adstringentioris. Quæ uero deinceps ab Asclepiade prodita sunt, mixtam facultatẽ habent, adeo ut etiam induratas inflammationes curent, & propterea etiã hepaticis utilia sunt. Opus enim habent etiam illi adstringentiũ ad laxantia mixtura, non tamen æque ut stomachici. In stomachicis enim medicamentis qualitas adstrictoria prædominatur. Malagma Nilo inscriptum, Facit ad precordiorũ dolores, dissoluit omnẽ duritiẽ. facit & ad exarticulata & luxata post declinationẽ inflãmationum impositum. facit spleneticis & hepaticis. Ceræ libram unam, ammoniaci thymiamatis lib. i. olei cyprini

prini lib.i.croci ſemunciã,aceti quod ſatis eſt. Ammoniacũ diſſoluito,deinde ſic arida adijcito. Aliud ex libris Arij Aſclepiadei. Ammoniaci thymiamatis lib.ij. diligenter tritas in uas fictile conijce,eiq; floris ſalis lib.i.adde, & olei cyprini ſeſquilibrã. Coque ad lentũ ignẽ aſsidue agitando, atq; ubi emplaſtri formã acceperint, adijce ceræ lib.ij. qua eliquata & pharmaco amplius non inquinante, eximito ipſum & in mortariũ transferto, conquaſſatũq; diligenter reponito ac utitor. Malagma Nilei crocerũ, pharmacũ accõmodatũ ad predictas affectiones,facit et ad eryſipelata.Hoc uſus eſt Licinius Atticus. Ammoniaci thymiamatis lib.i.ceræ lib.i.roſacei lib.i.croci unc.i. aceti quantum ſufficit, præparato pro more. Aliud Melinum inſcriptũ aromaticũ, hepaticis, ſtomachicis, & ad precordia diſtenta,& omnẽ neruorũ per cõſenſum affectionem. Ammoniaci thymiamatis drach.c.ceræ ponticæ drac. c. melilotorũ drac.xij. croci,myrrhæ,bdellij,ſingulorũ drach.viij.olei cyprini lib.i. Aliud facit ſtomachicis,hepaticis,ad præcordia inflãmata,& omnẽ neruorũ per cõſenſum affectionẽ.Ceræ drac.c.croci drac.xij.ammoniaci thymiamatis drach.c.myrrhæ drac.xij.bdellij drach.viij. confectionis hedychroi quadrantẽ, uini dulcis quantũ ſufficit,olei cyprini lib.i.præpara pro more. Aliud Neapolitæ Aromaticũ inſcriptũ, pharmacũ accõmodatũ ad internas affectiones.Ammoniaci thymiamatis lib.iij. ceræ lib. iij.roſacei lib.iij. confectionis hedychroi libræ dimidiũ,mellis libræ dimidiũ,nardi celticę libræ dimidiũ,floris iunci odorati libræ dimidiũ. Vini dulcis quod ſatis eſt.Arida cum liquidis ſubacta committito. Malagmata bona inflammationũ citra debilitatẽ inueteratarũ,quę ad hepatis inflãmationes ſimiliter cõueniunt. Malagma Aſclepiadæ ex meliloto, Hieraticon, hoc eſt pontificiũ inſcriptum.Stomachicis, hepaticis, & ad uiſcerũ dolores.Nardi celticæ ʒ.x.cyperi ʒ.x.myrrhæ ʒ.x. cardamomi ʒ.viij.meliloti ʒ.xl,croci ʒ.viij.amomi ʒ viij.cypheos hieratici,hoc eſt ſacrificulorũ, ʒ.xvi. ammoniaci thymiamatis ʒ. xl. reſinæ terebinthinæ ʒ.lxxx.ceræ minam unam,olei cyprini ʒ. cxx. Vini odorati Italici heminã unam. Præpara ut dictum eſt ac utere. Aliud Baſilicum, hoc eſt,Regium inſcriptum,faciẽs ad prædictas affectiones, omnemq; per cõſenſum neruorum affectionẽ. ceræ minas iij.ammoniaci thymiamatis minas ij. reſinæ frictæ minam unam, meliloti minæ dimidiũ, propolis ʒ.xxv. myrrhæ ʒ.xxv. nardi celticæ ʒ xxv.ſtyracis ʒ.xxv. cyperi ʒ. xxv. iridis illyricæ ʒ xxv. cardamomi, panacis, utriuſq; ʒ.xxv. croci, caſsiæ,maſtiches,opobalſami,amomi,floris iunci odorati ſingulorum drac. xvi. Vini Italici odorati quantũ ſufficit.Arida cum nardini Aſiani aromatici libris quatuor ſubacta pro more præparato.

Malagma polyarchion.Facit peripneumonicis, ſtomachicis,ſplenicis,hydropicis,facit ad affectiones circa ueſicam aut uterum,ad omnẽ neruorum per conſenſum affectionẽ. Ceræ minam i.terebinthinæ minam i.bdellij minã i.ammoniaci thymia- **A** matis,cardamomi, cyperi, ſingulorum minam unam,meliloti,amomi,nardi Indicę,croci,myrrhę, thuris,xylocinamomi,ſingulorum ʒ.xxv.olei cyprini heminam i. Vini Italici quod ſatis eſt, præpara pro more ac utere quandoq; immixto,quãdoq; diſſoluto cum cerato cyprino. Polyarchi pharmacum accõmodatum.facit ad predictas affectiones,& omnẽ neruorum per conſenſum affectionem.Facit etiã ad aſsiduas cruditates, & corrumpentes cibum,& uomentes bilem, ac omnes inueteratas affectiones. Vſus eſt eo Iulius Agrippa,cõpoſitio hoc modo habet. Caſtorij,amomi,utriuſq; ſeſcunciam, piperis albi ſeſcunciam & longi ſeſcunciam, myrrhæ quadrantem, cõfectionis hedychroi quadrantem.carpobalſami quadrantem, **B** croci quadrantem,foliorũ malobathri, caſsiæ roſas referentis,panacis, opobalſami, nardi Indicæ, ſingulorũ quadrantẽ.floris iunci odorati, cinamomi,utriuſq; trientem.pyrethri,croci, cardamomi, ſingulorum trientẽ, cyperi ſemiſſem, iridis illyricæ, ariſtolochiæ longæ & rotundæ, ſingulorũ ſemiſſem, ceræ lib.iiij.terebinthinæ lib.ij. reſinæ laricis quadrantem. In alio exemplari; etiam bdellij trientem.ammoniaci thymiamatis trientem.Vngenti nardini Aſiani lib.iij. Vini falerni quod ſatis eſt, præpara pro more. Ego autem adijcio maſtiches, cinamomi, ammoniaci thymiamatis, ſtyracis, aloes, opobalſami ſingulorum quadrantem.

Malagma Andromachi ex meliloto. Nardi celticæ ʒ. viij. cyperi ʒ. viij. iridis illyricæ ʒ.viij. **C** myrrhæ ʒ.viij.croci ʒ.iiij. meliloti ʒ. xxv. ammoniaci thymiamatis ʒ.l. terebinthinæ ʒ.l. ceræ ʒ.c. cyprini heminæ dimidium, aceti quod ſatis eſt. Quidam ammoniaci ʒ.c.cõijciunt. facit ad omnia interna. Malagma polyarchi ex epiſtola ad omnia interna.cyperi minam unam, cardamomi minam unam.mannæ tantundem, ceræ tantundem, terebinthinę frictę ſeſquiminam, aut liquidę minas iij.cyprini quantum ſufficit.Ego etiam bdellij appono minam unam. Aliud,altera deſcriptio.

Cyperi,cardamomi,amomi,bdellij,thuris, balſami,ſingulorum minam i.cerę ſeſquiminam,reſinę frictę minas iiij. cyprini heminæ dimidium. Vini odorati ſeſquiheminã.Prepara ut moris eſt,ac utere uelut preſcriptis. Vt ego componere ſoleo.

D Cyperi,cardamomi,amomi,bdellij,thuris,ſingulorum minam unam,cerę minę dimidium, reſinæ frictę aut terebinthinę minas iiij. cyprini heminam i.caſsię minę quartã partem, ammoniaci thymiamatis minę quartam partem,nardi indicę,croci,myrrhę, ſingulorum minę quartam partem. Vinum odoratum.

De hepate & eius affectionibus. Cap. VI

Quũ hęc tractatio poſtrema omnium à me conſcribatur, omnibus ſanè manifeſtum eſſe opinor, quod ex duobus his alterum uerum ſit. Aut alias omnes inutiles eſſe & ſuperuacaneas, ſi quis ex hac ſola ſufficiens ſit omnes affectiones curare, quæ medelam per pharmaca requirant. Aut ſi quidẽ illæ utiles exiſtant, primũ ipſas legẽdas eſſe, & in memoriã reuocandas ab his qui hinc aliquid commodi

cōmodi auferre uelint. Ipsas etenim methodos curandi prędictas affectiones, in xiiij. libris de curandi methodo inscriptis prodidi: nūc uero tanquam his ipsis cognitis, citra prædictas demōstrationes in memoriam reuoco, ostendens omnino quomodo nos pharmaca componamus, & quæ à prioribus scripta sunt iudicemus, indeq; in usum agere ac assumere confidamus, & sanè utilis hæc speculatio existit. Nam empirici qui suam artem rationis expertem esse uolunt, omnia quidem legenda esse censent, quæ à probatis medicis sunt conscripta, non autem statim in usum assumenda esse, sed prius iudicanda, an singula ex ipsis ea quę promittunt opere etiam demōstrare possint. Nos autem experientiā in omni arte magnum quid posse persuasi, speculationes tum per rationalē methodū, B tum per rationalem indicationem inuentas, ad ea quæ ab ipsis de iudicationis historia tradita sunt, apponimus, demōstrantes qualem facultatem ad ambulandum utrunq; crus exhibet, talem in medicina experientiam & rationem habere. Itaq; in tractatione de simplicibus pharmacis per undecim libros conscripta, singulorum sponte naturæ productorum pharmacorum facultatem qua methodo quis inueniat recensuimus, atq; etiā ad particularem ipsorum materiā progressi, utilissimam ad artis opera facultatem omnem secundum species prodidimus. Consequenter autem ab illo opere, etiam curatiuam tractationem, quomodo quis optime non solum simplicibus, sed etiam compositis utatur, exposuimus: simulq; uias compositionis ipsorum omnes indicauimus. C Cæterum in proposito iam opere, quomodo uarietas compositorum medicamentorum inducta sit ostēdimus, ad certos iuxta speciem scopos tum compositionem tum usum ipsorum deducentes, ampliusq; iudicationem eorū quæ iam ante scripta sunt docentes. Quum igitur consequenter post prædicta, ad affectionum hepatis doctrinā progredi uelimus, affectus circa ipsum consistentes non nuda doctrina, sed ratione exquisitos referemus, & ab uniuersalibus scopis curationis ipsorū: quos in curandi methodo tradidimus: ad compositorum doctrinam perueniemus. Primum igitur omnium discernendum est. Num debilitas quędā uisceris adsit, quēadmodum etiam de uentre diximus, aut etiā alia D quædam affectio ipsum apprehenderit, aut citra debilitatem affectum sit, inflammatione aut induratione, aut abscessu laborans, aut obturatione. Quemadmodū etiā an erysipelatosam habeat affectionem, aut ulcus, aut aliquam putrefactionem. Nam & in hoc hepaticā affectionē dicunt, quemadmodum etiam ore uentris affecto pleriq; medici acidiotę stomachicā affectionē uocant, in multis symptomatibus, non tamen omnibus circa unam affectionem accedentibus cōtingentem, sed circa multas, una quadam generali communitate comprehensas, & tamen inter se in tantū differentes, ut aliquæ ipsarum maxime contrarię existant. Quomodo enim non maxime cōtrariam quis dixerit frigidam intemperaturam calidæ, humidam

A siccæ: quanq; secundum genus eędem sint: fermè autem omnia contraria eadem genere si quis dixerit, non peccabit. Contrariorū enim notio contingit, ubi plurimum inter se distarint. Plurimum autem distant à medijs in quocunq; genere, ea quæ extrema sunt, adeo ut cōtraria sæpe quidē eadem uideantur iuxta cōmunis generis fines, sæpe uero generalioribus cōtrarijs supra ipsa ascēdentibus, ab illis comprehendantur. Illa ipsa uero ob id omnino cōtraria sunt, quod quum unius generis sint, plurimū inter se distent, adeo ut quę his subiacent primū & supremū genus cōmune habeant. Atq; hoc quidem hoc loco semel à nobis obiter & accessionis loco dictum, semper in memoria teneatur, ne uidelicet cuipiam uideri posit à seipso dissentire, qui aliquando unam affectionē in duobus hominibus eandem esse dixerit, aliquando non unam, neq; eandem, sed duas contrarias. Intemperiem enim unam quandam affectionē generaliter appellant, sed quæ in contrarias differentias secetur. Licet enim secundum hoc quod diximus, duo & tria & plura, iuxta particulares differētias inter se contrarijssima esse, & secundum hoc debilitatis hepatis affectionē unā esse: quam intemperiē nocant: præfatus, non male rursus dixero, non unam sed octo affectiones esse, propterea quod tot differentiæ intemperierum existant. Etenim rursus iuxta aliā sectionem, duæ intemperierū differentiæ fiunt, & rursus iuxta aliā tres, hæ quidem in qualitatibus solis, affectis partibus alteratis, hæ uero cū humoribus quibusdā, aut in spacijs affectarū partium contentis, aut in ipsis corporibus irriguis ab illis factis. Circa uentrē igitur & intestina, una in singulis est cauitas, quæ uitiatā humiditatē suscipere potest. Verum circa hepar tot numero sunt, quot sunt arteriæ & uenę. Quū uero hæ omnes angusta oscula habeant, qua parte sima huius uisceris cum gibbis coeunt ac cōmittuntur, obturatio & oppilatio uitiosorū humorū aliquando contingunt, ad quas putrefactio consequitur, breui in frigidis intemperaturis, in calidis uero non cito, sed temporis progressu accedens. Fit autē intemperatura iuxta propriam hepatis substantiā, quam Erasistratus putat præterfusionem quandam: parenchyma Græce appellat, & non principalissimā uisceris partem esse. Fit etiā intemperatura circa cōtentas in ipso uenas & arterias, & iuxta materias in spacijs ipsarum cōtentas. Quum autem habeat hoc uiscus non unā sed plures facultates actionū, quas uitæ tempore operatur, easq; tot numero, quot sunt actionum species, Cōtingit sæpe unam ipsarum præcipue lædi, sæpe duas & tres, atq; omnes quatuor simul. Actio nāq; ipsius una quidem attrahere cibum & alimentum in sese. Altera uero obuoluere & continere, donec permutans ipsum suū ipsius faciat partem. Est igitur hæc ipsius facultas principalissima & ferè prima, concoquere uidelicet & permutare ac alterare atq; assimilare sibijpsi alimentū, quam alteratiuam uocamus. quæ uero iuxta hanc alterationem remanēt recrementa, ea per aliam facultatem, quam excretiuā & ex-

pulsoriã nominamus, expelluntur. Ostensum autẽ est quod hæ facultates omnes in omnibus sunt partibus per omne uitæ tempus. Omnes enim familiare sibi attrahunt, & alienum excernunt, attractumq; temporis progressu alterant, quo tempore etiam retinent & constringunt. Vocatur autem alteratio ipsa usq; quo in similitudinẽ partis quæ nutritur transmutatur, concoctio. Vbi uero iam parti apponitur, nutritio. Quum igitur hepar præ imbecillitate ex uentre & intestinis alimentum trahere non potest, liquida & nondum iusto modo exsuccata, per sedem excernuntur, & si quidem uenter simul cum hoc uiscere fuerit imbecillis ac non probe concoquens, cruda. Si uero ualidus fuerit, concocta quidem, sed liquida, propterea quod nulla, aut omnino modica digestio ac distributio ad hepar est facta. Si uero traxerit quidem hepar in seipsum ex uentre & intestinis alimentum, sanguificare autem ipsum præ debilitate nequit, quemadmodum in uentre multiformis corruptio contingit eorum quæ cruda remanent, sic etiam circa hepar. Dico autem nunc cruditatem solam, non comprehendens hoc sermone tardam cõcoctionem. quod si uelis alimentum crudum permanens, & alterationem quæ fit à particula iuxta naturã non assumens, itidem crudum appellare, neq; ego fugio appellationem, si mihi saltem differentia rerum conseruetur. Peior enim est transmutatio in peregrinam qualitatem iuxta cruditatem facta, moderatior uero ea est in qua alimentum suam naturam quàm diutissime seruat, nulla alteratione ex particula quæ ad ipsum cõcoquendũ à natura destinata est, suscepta. Atqui & tertia præter has, species est frustratæ concoctionis, quum semicoctũ fit alimentũ. Et circa ipsam sanè exactam concoctionẽ frustratã, hepaticis sanguinolentus humor per aluũ excernitur, talis consistentiæ ueluti si quis sanguinem cum aqua confudisset, & pleriq; sanè medici imaginem eius depingentes scripserunt talem eius compagem esse, uelut si quis uictimæ recens mactatæ carnes aqua lauasset. Et plurimæ hepaticæ affectiones ab eiusmodi excretionibus initium capiunt, nondũ magnam debilitatem hepate habente, sed adhuc concoquere, & alimentũ alterare uelut in formam sanguinis potente: aucta autem affectione, nihil amplius tale excernitur, sed multiformes aliæ qualitates & compages, uelut à uentre ex cruditate laborante. Verum in uentre ciborum ipsorum corruptiones manifeste apparent, circa hepar uero distributum alimentum ad sanguinem prius in uiscere existentem ammiscetur, corrumpiturq; temporis progressu etiã hic, unà cum alimento circa ipsum non concocto. Calida igitur intemperie circa uiscus existente colliquationes fiunt, primũ humorum, deinde etiam carnis ipsius hepatis, & euacuatur per uentrem bilis crassa, graueolens, & abunde colorata, quemadmodũ in pestilentibus febribus contingit. Frigida uero intemperie existente, neq; assiduæ excretiones, neq; multę fiunt, Durat tamẽ affectus diutius, & per aliquos dies profluet

A ipsis uenter maiori copia, cuius neq; fœtor similis est his quæ ex calore sunt liquefacta, neq; color similis, aut compages, uerũ minus graueolentia ab his excernũtur speciem putrefacti sanguinis, non colliquatę carnis habẽtia. aliquando uero id quod excernitur uelut sanguis niger apparebit, Verum diligenter cõsideranti neq; sanguis niger est, neq; grumus, sed uelut limus quidam sanguinis crassi, qui prope ad atram bilem accedat, & plures ac ægre iudicabiles colores circa eiusmodi affectionẽ in egestionibus apparent. In utraq; autem intemperie tum calida, tum frigida, quando intemperatura humida & sicca fuerint ammixtæ, liquidiora in humiditatis complexu, sicciora uero ex siccitatis copula, fient recremẽta. Scopus igitur curationis in eiusmodi affectionibus fit cõmunis quidem

B iuxta intemperiei contrarietatẽ, peculiaris autem unicuiq; per cuiusq; contrarietatem. Affectio igitur Hepatica peculiariter appellata, ueluti etiam cœliaca & stomachica, citra tumores præter naturam circa ipsas partes contingit. Inflammatum enim esse hepar, aut abscessu laborare, aut induratũ esse, medici dicunt, aut aliud quippiam tale, Non tamen hepaticum uocant hominem ipsum cui tale quippiam accidit: Verum quando citra manifestum aliquod in uiscere malum, in proprijs actionibus debilitatur, tunc ægrum hepaticum appellant. Videamus igitur primum ea quæ scripserunt hi qui ante nos de pharmacis optime & studiosissime tradere sategerunt, initio ab his quæ Andro-

C machus prodidit facto. Hic enim uir in libro internarum affectionũ curationes continente multas hepaticas confectiones conscripsit, quarũ omniũ faciã mentionẽ hoc loco, ipsius uerbis in medium adductis, & primum sanè Antidotos adscribam.

Quæ pharmaca ad Hepaticos ab Andromacho sunt conscripta. Cap. VII

Andromachi antidotus Cyphoides ad hepaticos, & om̃ia thoracis uitia. Vuæ passæ carnis drac. xxv. alij drach. c. croci drach. i. alij obol. iij. calami drach. ij. & dimidiam. bdellij drac. ij. & dimidiam. casiæ sesquidrachmam, cinamomi obol. iij. spicæ nardi drach. iij. floris iunci odorati drac. ij. & dimidiam. myrrhæ drach. iiij. terebinthinæ drac. iiij. alij drac. xvi. ramentorũ aspalathi drac. ij. mellis drac.

D xvi. uini quod satis est. Hæc quidem est Antidoti descriptio: Appellauit autem hanc cyphoide, hoc est, cypheoformem, ob similitudinem. Nam & odore & gustu similis est cyphi ab Aegyptijs appellato, qui sanè primi hoc pharmacum composuerunt, & utuntur eo quotidie ad uaporem edendum accenso in deorum honorem. Plurima autem eorum quæ in illo thymiamate & suffumigio scripta sunt, eadem sunt cum his quæ in hoc pharmaco habentur, quin & suffumigari hoc ipsum similiter ut cyphi potest. Compositum est autem ex moderate adstringentibus, & resiccantibus ac discutientibus uiciosos serosos humores, & corrigentibus humorum maliciam, & contrariam uim habentibus aduersum putrefactiones, quorum plurima ex aromatũ sylua existunt. Habet

bet itaque pharmacum hoc cinamomum omnes putredinosas & uenenosas facultates corrigens, non solum serosorum & aliorum humorum, sed etiam lethalium pharmacorum. Quemadmodum & feris uirus eiaculantibus contrarium existit. Consequenter autem post cinamonum, cassia eandem uim habet, optima uidelicet & cognata ipsi cinamomo, & post hanc omne aromatum genus uelut hic est nardus, & iuncus odoratus, calamusq; & myrrha. Hæc enim ad propositum pharmacum iniecta sunt, iuxta iam dictam ratiocinationem & modum. Quemadmodum etiam ex his quæ apud nos gignuntur, aspalathus & crocus, adstringens & concoctorium pharmacum, & quod corrigit putrefactiones.

Cæterum uua passa contemptilis uideri possit, ob familiarem eius usum, at uero hoc ipsum eam facit utiliorem. nam quum familiaris nobis sit, in tantum adstringens est, quantum opus habet uiscus affectum. Habet autem & uim concoctoriam crudorum humorum, & uim coercendi maligna, fitq; ipsa haud facile putredini obnoxia, & ultra hæc secundum totam substantiam uisceri ipsi familiaris est & propria. Didicimus enim quod alimenta secundum totam suam substantiam proprietatem ac familiaritatem habent ad ea quæ aluntur, quod maximum est in huiusmodi affectionibus curãdis quæ iuxta intemperiem fiunt. Optime enim in ipsis faciunt quæ una cum hoc quod intemperiem curant, etiam alere possunt, & ob id etiam uinum conuenientissimum est, citra inflammationem, aut erysipelas, aut abscessum, aut calidam intemperaturam, ægrotantibus. Nam & nutrit, & concoquit, & roborat, & putrefactioni resistit, & si intemperies ex humiditate facta sit & frigiditate, eam citra omnem molestiam ac secure persanat. Eadem est & mellis facultas præterquam quod non condensat substantiam corporum quæ contingit, sed pro hoc uim extergendi, & aperiendi, ac puros reddendi meatus, & urinam ciendi, non parua sanè auxilia possidet. Porrò ammixtum est à compositore pharmaci bdellium, sufficienter emolliens & concoquens, uelut didicimus, ampliusq; moderate discutiens. Consimilem fermè uim terebinthina resina habet, supra hoc quod angustos meatus extergit & expurgat, quibus auxilijs uiscus curandum opus habet, quo osculorum uenarum in ipso commissuræ laxæ & ab obturatione liberæ permaneant. Didicimus nanque quomodo obturatio efficiat putrefactiones. Aliqui tamen huiusmodi confectionum compositores, quemadmodum etiam prius in stomachicis dictum est, opium aut hyoscyamum, aut quippiam aliud ex refrigerantibus miscendo, ad calidas intemperies utile pharmacum effecerunt. Et ob id etiam Philonis Antidotus mirifice semel tantum exhibita, hepaticam intemperiem sanauit, id quod & compositor eius testatum reliquit. Verum ex pharmacis hepaticis ab Andromaho conscriptis nullum est huiusmodi. Et sanè uehementer refrigerans nullum

A esse debet, sed qualia tum ab alijs, tum ab Asclepiade sunt scripta. Nunc igitur hepaticas antidotos consequenter ab Andromacho proditas subscribam, modo memoria nos teneamus, nullam ipsarum calidis intemperaturis conuenire, sed aut humidis aut frigidis, aut ex utrisque compositis, aut certe humidis quidem fortiter, calidis uero moderate. Conscribentur autem omnes iuxta ipsius Andromachi dictionem. Alia Cyphoides ad hepaticos, ex libris Galli, ad tusses item & reiectationes. Croci drachmam unam. myrrhæ drachmam unam. bdellij drachmas quatuor. aspalathi obol. quatuor. iunci odorati drachmas tres. calami drachmas duas. cassiæ drachmam unam. nardi indicæ drachmam unam. terebinthinæ drachmas sex. carnis passarum uuarum drachmas centum & sexaginta. mellis heminam dimidiam. Vini chij quod satis est ad macerandam uuam passam, bdelliumq; ac myrrham. Resinam uero melle liquefacito, & deinde omnia mixta ac trita reponito. Alia ad Hepaticos & Ictericos. Amygdalarum amararum drachmas duas. anisi drachmam unam. absinthij, cumini, seminis apij, singulorum drachmam unam. cornu cerui obol. tres. trita cum aqua in pastillos triobolares redigito, ex eisq; unum mane ac uesperi, cum uino mulso dato. Nectarea Antidotus ad hepaticos & arquato laborantes. helenij sesquilibram. crocomagmatis libras duas. aristolochiæ unciam unam. petroselini unc. i. piperis nigri unciam dimidiam, myrrhæ unciam unam. mel quod satis est. Antidotus hepatica Athanasia appellata. Facit & ad nephriticos & ictericos. multum mouet sudorem. Croci drachmas duas. cinamomi drachmã unam. nardi drachmas duas. cassiæ, myrrhæ, iunci odorati, singulorum drachmam unam. melle Attico excipe. Datur fabæ græcæ magnitudine, febricitantibus ex aqua mulsa. Hepatica admiranda, qua Pharnaces herbarius ægrotus usus est. Croci drach. ij. mei, asari, phupontici, dauci, petroselini, myrrhæ, singulorum drach. iiij. nardi Indicæ & celticæ, utriusq; drach. vi. costi, cassiæ, iunci odorati, singulorum obol. iij. carpobalsami drach. iij. & dimidiam, rubiæ drach. viij. succi radicis dulcis drach. tres. hemionitidis herbæ drach. tres. polij drach. iij. succi balsami drach. vi. confectionis hedychroi drach. v. mellis quod satis est. Vtere, ad omnia uitia efficax est, nucis ponticæ magnitudine, cum uino mulso. Antidotus Hepatica à Nearcho laudata. Radicis panacis, rubiæ, eryngij, eupatorij, helenij radicis, polij, costi, aristolochiæ, piperis, scolopendrij herbæ, seminis cucumeris, chamæpityos, radicis gentianæ, milti siue rubricæ sinopidis, fellis ursini, spicænardi, baccarum iuniperi, seminis brassicæ, seminis erucę, singulorum par pondus, melle Attico cocto excipe ac utere.

Antidotus Hepatica, Dioscori. Cinamomi, cassiæ, utriusq; drach. iiij. croci, nardi, costi, seminis balsami, hyperici, glycyrrhizæ, singulorum drachmas viij. Excipe melle Attico, ac exhibe nucis ponticæ magnitudine.

Alia ad Hepaticos, et reliquos internos affectus, ut Aristocles. Piperis grana xl. myrrhę drach. viij. croci, costi, mei, acori, nardi, dauci seminis, petroselini, scordij, singulorum drach. iiij. cinamomi drach. xij. casiæ drach. xij. Mellis quod sufficit. Dat̃ nucis ponticæ magnitudine. Potio ad spleniticos, nephriticos, hydropicos, auxiliatur & stomachicis, & molestijs ex partu, & conuulsis. Prodest conualescentibus & se reficientibus ex infirmitate, facit ad uitiosos humores, ictericos & tusses, ac pleuriticos. Est etiam antidotus ad letalia pharmaca, & ad ferarum plagas. Nardi indicæ drach. ij. costi drach. ij. casiæ drac. i. croci drac. i. piperis albi obol. v. alij drach. ij. seminis apij drac. i. obol. iij. iridis illyricæ tantundem. acori drach. i. obol. i. opobalsami drach. i. succi ari masculi drach. iij. Vuæ passæ exacinatæ drac. vi. Terito cum passo, aut melle excipito & drach. i. cum uino dulci diluto dato, aut cum aquæ mulsæ cyathis iiij. aut ut conueniens fuerit. Hę quidem sunt Hepaticę confectiones ab Andromacho proditæ. Transibo autem iam inde ad eas quas Asclepiades tradidit in tertio internorum, Quæ Mnasoni inscribit.

Confectiones Hepaticæ ab Asclepiade conscriptæ. Cap. VIII

Primam equidem confectionem Asclepiades Antonij Musæ esse dicit, hoc modo compositam. Succi cichorij cyathum unum cum aquæ calidæ cyathis iij. dato, mellis Attici cochleario addito. Aut filicis uel anethi succi cyath. i. cũ aquæ mulsæ cyath. iij. dato. Aut picridis recẽtis, aut seridis recẽtis succi cyath. i. cum aquæ mulsę calidę cyath. iij. Hæc prima est descriptio trium pharmacorum in Asclepiadæ libro. Cichoria itaq; & seris cibarij generis existunt, Apud nos nanq; rurales ambo hęc edunt & cruda & cocta. Vtitur eis etiam Erasistratus abunde in affectionum circa aluum cura. Facultas horum olerum subfrigida est & subamara ac moderate adstringẽs, & propter has qualitates, optima pharmaca calidis intemperaturis ipsius hepatis existunt. Vltra hoc enim quod moderate refrigerant, amplius & robur uisceri addũt per astrictoriam facultatem. Insuperq; cõmissuras osculorum uenarum in sima uisceris parte ad eas quæ in gibba sunt, extergent. Neq; uero frigidas intemperies magnoperè lędunt, quemadmodum quæ frigidam humiditatem absq; adstrictione aut amaritudine possident, facere solent. Iuuare etiã uiscus talium olerum substantia potest, etiam si citra serosorum aut aliorum humorũ uitiationẽ intemperies fiat per se, & cũ humiditatis cuiuscunq; complexu. ex mixtura enim mellis, humiditatem per urinam educunt. Quapropter etiam si siccata tusa quis potioni inspergat, itidem iuuãt. Quin & decoctorum decoctum potatum multum commodi affert. Si uero non calida aliqua intemperies infestet, aut si obturatio quædam sit circa uiscus, magnopere auxiliantur ex uino albo tenui potata, cum his quæ urinam ciunt. Vtilis autem non solum succus ipsorum est tum recens, tum exsiccatus, sed & ipsa olera exsiccata tusaq; ac trita potui inspersa, & eorum decoctum in potu acceptum,

A auxiliantur. Cęterũ ad uisceris expurgationem & meatuum apertionem, citra manifestam calfactionem aut refrigerationem, optimum pharmacum filix est, prædominantem habens amaram qualitatem. Anethum uero nihil forte habet ad huiusmodi affectiones, sed modice refrigerati ac condensati uisceris curatiuum existit. At uero catapotium ex chamepity, cuius itidem meminit, eiusdẽ cum prædictis facultatis est. Amarũ enim & hoc pharmacum est. Nihil igitur mirum est, ipsam chamæpityn tum per se, tum cum cichorio potatam, hepaticas intemperaturas iuuare. Quemadmodum Asclepiades scripsit in hæc uerba.

Catapotion hepaticis. Radicis chamæpityos drach. viij. radicis cichorij drach. iiij. contunde & B excipe melle cocto, ac præbe nucis ponticæ magnitudinem, & aquæ calidæ cyathos tres insuper bibendos. Hęc Asclepiades scripsit. Iuuant autem prædictę hepaticos, non solum radicibus ipsarum acceptis & præparatis uelut Asclepiades prodidit, sed & succo, & decocto, & arida coma una cũ semine tusa ac trita, assumptis. Quin & Sphendamni, id est, aceris radix tusa trita, nam & huius meminit, eiusdem est cum prædictis facultatis. Exhibet autem ex ea drach. i. cum uini mulsi diluti cyathis tribus. Insuper & ex nardo celtica pharmacum: cuius item meminit: his cõsimile est. Scripsit autem ipsum sic. Nardi celticę partes tres, absinthij partẽ unã, tusa & cribrata melle cocto excipito, & mystrum delingendum dato, Et quod C post hoc scriptum est consimile ipsi existens in reliquis, plus habet de ui expurgandi ipsum uiscus per urinas. Scripsit autem sic Asclepiades de ipso.

Pastillus hepaticus. Anisi, seminis apij, asari, amygdalarum amararum mundatarum, absinthij, singulorum drach. iiij. prepara cum aqua & reduc in pastillos, ac exhibe drach. i. cum uini diluti cyathis. iij. febrientibus cum aqua mulsa. Hoc pharmacum leniter quodammodo est calidum, propter urinam cientium mixturã. Reliqua uero omnia superiora, aut prædominantem habent frigiditatem, aut omnino neq; hanc, neq; caliditatem. Verum uim extergendi, & uias digestionis ab obturatione uindicandi, omnia habent. Alia insuper medicamenta Asclepiadæ scripta sunt, partim D extergendi ac aperiendi & secandi uim habentia, partim uero calidiora paululũ quàm sunt media. media autem dico quæ neque calfaciunt, neque refrigerant manifeste. Vnum uero inter ipsa calfactorium est, ubi ait, costi triti cochlearium prębe cum aquæ mulsę calidæ cyath. iij. Reliqua uero quæ prope ad medium temperamentum accedunt, ad caliditatem uergunt, hæc sunt. Helenij drachmas xij. crocomagmatis drachmas viij. excipe cichorij succo & fac catapotia, eaq; pro uiribus exhibe. datur ad summum drachma ex uini mulsi diluti calidi cyathis tribus.

Hoc pharmacum poterat absq; helenio etiã calidis intemperaturis conuenire. Quando uero helenium extergentibus ammixtum est, ad caliditatem uergit, nisi quis omnino modicum de eo

cum

cum multa frigida permisceat. Quin & id quod ex fœniculo constat calfactorium est, sic habens, fœniculi drach.i. petroselini drach.ij. anisi, amygdalarum amararum, absinthij, singulorū drach.i. croci, myrrhæ, utriusq; obol.iij. excipe aqua ac redige in pastillos, & dato drach.i. ut supra prædictum est. Etenim hoc loco fœniculum quidem & petroselinum, multum calfaciunt. reliqua uero moderate, amygdalę uero attenuatorię sunt facultatis, & pręsertim si fuerint amaræ. Medium aūt quodā modo inter calfacientia & refrigerantia est hoc pharmacū, quod Asclepiades scripsit hoc modo. Eclegma hepaticum Paulini, auxiliatur confestim. chamæpityos siccæ lib.i. myrrhæ unc.i. passi protropi sextarios iij. Chamæpityn & uinum dulce coquito, & ubi superfuerit tertia pars, liquorē exprimito, eiq; mellis Attici libram dimidiam adijcito ac rursus coquito. Postea uero myrrham addito assidue agitando, atq; ubi dissoluta fuerit, ab igne ablata reponito, & ante cibum mystrum exhibeto. Scripsit & ex cochleis pharmacum hepaticum Asclepiades huiusmodi. Cochlearum trium carnem ualde probe terito, & affusis uini nigri cyathis tribus calfacito, ac bibendū dato. Videtur autem hęc iuxta totam substantiam efficacia esse, non secundum unam aut alteram qualitatē. Quale est & Lupinum hepar, cuius abunde experimentum habemus. Vsus autem ipsius consimilis cochleis est, teritur enim exacte hepar lupinū, & daṫ drac.i. cū uino aliquo dulci, qualia sunt theræum creticum, & scybelites, ac dulce protropum. Benigna enim hæc sunt uisceri, ipsum nutrire potentia, & media iuxta calidi & frigidi oppositionem, & ob id talia pharmaca omnibus intemperaturis conuenire uidenṫ, ut quæ ex substātiæ proprietate cōmoditatē de se exhibent, & neq; calidas neq; frigidas intēperies lædant. Atqui in febricitantibus manifesta febri, aut non obscure, uelut solet aliquibus hepaticis accedere, melius est ex aqua calida pharmacū præbere, aūt ex aliquo prædictorum succorum, uelut est seridis succus. Ad induratas hepatis affectiones. Et ad has Asclepiades quatuor pharmaca his uerbis scripsit. Confectio ciēs urinam, facit ad induratas hepatis affectiones, ad splenicos, & ægre se à morbo recolligentes, ac hydropicos, & in uniuersum bonum colorem inducit. Croci, nardi, casiæ, singulorū drach.ij. costi, floris iunci odorati, cinamomi, myrrhæ stactæ, singulorum drach.i. mellis cocti drach.xxv. Datur fabæ Aegyptiæ magnitudine cū uini mulsi cyath.iiij. Alia qua usus est Pasicrates: Vrinam multam ducit. Seminis dauci sesquidrachmam, radicis rhei ponticæ, floris iunci odorati, seminis balsami, cedridū, anisi, nardi indicæ, croci, cinamomi, casiæ, phu, asari, petroselini, chamæpityos, singulorum drac.i. mentæ siccæ obol.iij. nucleorū pinearum nucum repurgatarū numero l. Excipe melle cocto & dato nucis pōticæ magnitudinem, cum uini mulsi diluti cyathis iij. Alia antidotus ex felle ursino, pharmacum accōmodatum ad induratas hepatis affectiōes. Chamæpityos, marrubij, seminis pe-

A troselini, gentianæ, seminis uiticis, fellis ursi, sinapis, seminis cucumeris, scolopēdrij, panacis, rubricæ lemniæ, rubiæ, seminis brassicæ, aristolochiæ, piperis, nardi indicæ, costi, seminis apij, seminis erucæ, eryngij, polij, echij, eupatorij, baccarū iuniperi, singulorū drac.i. tusa, cribrata, melle excipe. Daṫ nucis auellanæ magnitudo in uini mulsi cyathis duobus. Alia accōmodata. facit & ad alias internas affectiones citra tussim. Radicis gentianę, chamępityos, marrubij, seminis petroselini, fellis ursi, sinapis, seminis cucumeris, scolopēdrij, panacis, rubricę sinopicę, rubię, seminis brassicæ, aristolochię longę, piperis albi, spicę nardi, costi, seminis erucæ, eryngij, baccarū iuniperi, seminis fraxini, chamędryos, dictamni cretici, seminis cestri,
B seminis dauci, singulorū unc.i. mellis Attici q̄d satis est. Datur nucis ponticę magnitudo, liquor sit passi cretici cyathi ij. Hoc pharmacū usu & experimento approbatū est. In alio exemplari etiā peleci ni tantundem habetur. Circa prędicta quatuor pharmaca recte fecit Asclepiades quod non simpliciter adscripsit, uelut in alijs, quod ad hepaticos ipsis sit utendum, sed cum appositione, ad induratas uidelicet affectiones. Humidę etenim uisceris affectiones, exolutum & imbecille ipsum facere solet, ueluti sunt articuli laxati: siue autem cum frigiditate, siue cum caliditate, siue sine his, laxitas ipsius sola cōstiterit, penitus adstringētibus pharmacis opus habent: uerum hoc aut cum calfacientiū mixtura, si frigida qualitas prædominetur, aut
C cum refrigerantium, si calida. Quæ uero ob frigidos & crassos ac uiscosos humores in solidis corporibus imbibitos indurantur: ex necessitate frigidam habēt affectionem. Quare & calfacientibus simulq; tenuium partium pharmacis opus habēt. Hæc enim sufficientia sunt, & ad uiscositatem humorū induratis partibus infarctorū extergendā, & ad secandam crassitudinem, & discutiendos ita extenuatos. Verum in quinto de simpliciū pharmacorū facultate, ubi de eiusmodi affectionibus sermo mihi habitus est, emollientiū medicamentorum mixturam laudaui, nimirum ut præparantem indurata corpora, & prædictis pharmacis idonea facientem: citra uero præmollitionem, diffunduntur quodāmodo ea ipsa corpora, & euestigio
D manifestam imminutionē habent, sed in immedicabiles reliquias terminatur res ubi fuerint superresiccata. Hæc eadem & in xiiij. methodi curatorij nobis sunt dicta. Igitur & circa hepar cōiectare oportet emollientiū mixturam. nam quū cōpagis humectę sit hepatis corpus, ualde moderatis opus habet emollientibus: prædominatur itaq; in ipso, præter aliarum partium induratarū morem, calfacientium & ad attenuantium mixtura. Merito itaque ex præscriptis quatuor pharmacis Asclepiades postremum maxime laudat, ut quod multam de se experientiā præbuit: ex aromatis enim componiṫ attenuare ac discutere ualētibus: aliaq; pharmaca adsumpsit, acria secantiaq; ac discussoria: mitigatoria aūt his ammista sunt, cucumeris semen ac iuniperi baccæ. Deinde uero mel & eryngium,

uelut

uelut urinam cientia his addita sunt, quo extersæ uisceris affectionis per urinas deductio fiat.

Quæ Archigenes ad Hepaticos in secundo pharmacorum secundum genus scripsit. Cap. 9

In hepaticis conueniente prægresso ductu per alimenta, unctiones, cõmunia cataplasmata, uenæ sectionem, cucurbitas, sinapismos, dropaces, & consimilẽ diætam, amplius conscribendis compositis potionibus & malagmatis optime ipsis cõuenientibus utaris. Et potionibus quidem his. Senecionis decoctum ut ualde commodum exhibeto. Nascitur autẽ huius caulis maxime in tegulis. Aut ungenti nardi cochlearia iiij. quotidie bibenda dato, & maxime in induratis. Aut aristolochiæ obolos iij. propinato febrientibus ex aqua, febre carentibus ex uino, ualde benefacit. Aut trifoliũ acidum in aqua coquito ad tertias, & per triduum bibendũ dato pro uice cyathum unum.

Aut fel ursinum in uase leniter feruefacito, & in sole resiccato, atq; ex eo hepaticis cochlearium unum dato. Aut radicis rubi corticis minã unam cum aquæ congio uno, in nouo uasculo ad residuum quartæ partis coquito, & ad succum per noctem sub dio expositum mellis cyathos vi. ammisceto, & ieiunis ad triduum bibendum dato. Aut pseudobunij obulum unum dato cum melle ieiunis. Aut dauci & fœniculi radicis utriusq; minã dimidiam cum aceto mulso ad tertias coquito, & ieiunis cyathum unum exhibeto. Aut glycyrrhizæ succi obolum unum aut duos ieiunis dato, & aluum subducit, & urinam mouet. In magna duricia abrotoni succum quàm crassissimũ præbe bibendum. Aut acori obolum i. panacis tantundem, cum aqua propinato. Aut spicæ nardi decoctum assidue exhibeto.

2 De Cataplasmatis. Cataplasma porrò Hepaticũ fit, malis cotoneis cum farina ordeacea & fœno græco coctis. Aut semine lini trito cũ polenta in uino cocta. Aut semine lini trito cũ melle subacto. Aut capparis radice in aceto mulso cocta. Aut farina ordeacea cũ ficubus. Aut oleę radice in uino cocta. Aut myrobalano tusa cum uino. Aut cerato ex phœnicobalanis facto. Summe enim ad hepatis inflammationes facit, maxime in quibus etiam stomachus affectus est, & costæ distentæ sunt. Aut palmulam reiecto interno nucleo diligenter tundito, & cum æquali parte cerati rosacei in mortario probe unito, rosaceũ adstillando atq; ita imponito. Aut myrrham amineo uino macerato, & palmulis ammisceto, & linteolo infarta imponito. Cæterum malagmata quibus quis uti possit in inflãmatione hepatis citra manifestam caussam, post irrigationes & cataplasmata, iam ante scripta sunt in sermone de oris uentris inflammatione, nimirum cõmunia illi & hepati existentia, in quibus sunt etiam quæ ex meliloto præparantur, & polyarchium. Verumetiam nunc apponentur quædam ex ipso Andromacho. Malagma Andromachi ad hepaticos.

Ammoniaci Thymiamatis, drach. cxliiij. alij 3 centum habẽt. bdellij drach. xxiiij. alij centum. aceti heminas iiij. cyprini heminã unam, ego uero heminæ dimidium. Malagma Apollophanis.

A Ceræ drac. lxxx. ammoniaci thymiamatis drac. lxxx. terebinthinæ drach. xl. mannæ thuris drach. xl. cum irino contundito.

Malagmata à Democrate conscripta ad hepar & præcordia. Quædã ex eis etiã ad totum uentrẽ, & splenem. Cap. 10

Affecta si quis per stomachum præcordia,
Et per iecur, intestina per, dein per colum,
Per uentriculum, aut uiscus aliud sic proprie
Dictum, uolet inquam læsa quis præcordia
Malagmate integere bono & percommodo.
Primum paratum habebit hoc longe antea,
Infirmum enim atq; inualidum est factum recens.
Ceræ capit quod ponticæ libras duas,
B Ammoniaci Thymiamatis solam libram,
Terebinthinæ frictæ pariter solam libram,
Vstæq; resinæ piceæ simul libram,
Et post trientem cardamomi seminis,
Aridæ cyperi tantundem, item myrrhæ bonæ,
Pondusq; par uni horum iridis mox candidæ,
Sextantem & inde celticæ spicæ integræ,
His unciam unam & dimidiam croci boni
Et sex meliloti, item duas, bessem puto.
Verum melilotum præstiterit hic Atticum,
Recentis & cyprini libras olei duas.
Oleum cyprinum tu cum reliquis liquoribus
Et decoque lenta flammula, & deradito.
Dein tusa cribrata & reliqua, uino bono
Rigata, per noctem integram & totam diem,
C Vinum omne donec combibant seponito.
Vnctisq; post cyprino manibus, hæc pharmaca
Mortario amplo uni, & simul committito,
Molliq; pelle tecta sic reponito.

Aliud Malagma eiusdem.

Aliud ualens ætas itidem si accesserit,
Verum hoc mage affectus uitiãtes mox habitum,
Quicunq; non cum flatibus, feruentibus
Et phlegmonis lædunt diutioribus,
Et uiscera irritant grauibus doloribus,
Iuuat: solubiles male & iam duritias
Dissoluit, exoluta earum compage.
Paratur hoc modo, ut bonæ terebinthinæ
Libram mediam, tantumq; ceræ ponticæ,
Fœniq; græci unam capias puri libram,
D Et de nitro, & de panace unicam libram,
Rursus anisi seminis unicam libram,
Pinguedinis puræ uituli simul libram,
Pondusq; par contusæ & albidæ iridis,
Parum de aceto, tres cyathos sine dimidio,
Mellis duas libras recentis Attici,
Ammoniaci thymiamatis solam libram
Quidam addidere, uerum alij libras duas.
Sic tusa, cribrata, & cataplasmatis modo
Cum melle mixta, & pauca aceti stillula,
Donec fuerint mollita tactui coquito.
Atq; hinc liquatam ad cerulam, & pinguedinem,
Terebinthinam & calentem adhuc adijcito.
Et uasculo maiore derasa excipito,
Manibus subacta dein simul committito.
Nec utere mox, inualidum est factum recens.

Aliud

Aliud Damocratis malagma.
Odorum & hoc, tollensq; mox uitia hepatis,
Affectiones renibus, colo & graues.
Stomacho simul et uuluæ diutiusculas.
Idemq; iam corrupto habitu super datur,
Morboq; longo pallidis, hydropicis,
Et qui male concoquunt cibum, & fastidiunt.
Habet hoc amomi Scythici, xylobalsami,
Et cardamomi, bdellijq; lucidi,
Aridæ Cyperi, thuris boni, omnium parem
Modum, libram. post casiæ daphnitidis,
Myrrhæ bonæ, pariter croci, de singulis
Libræ trientem, aut amplius quid paululum.
Nardi bonæ post Syriacæ uncias duas,
Terebinthinæ puræ bonæ libras duas,
Albæq; ceræ perpolitæ unam libram,
Recentis unguenti cyprini libram unicam,
Vini falerni hinc optimi sextarium.
Contusa alia cribro tenui concernito.
Thus, bdellium, in mortarium conijcito.
Myrrham bonam, simul crocumq; his addito,
Fractisq; uinum cum cyprino confundito,
Dein tundito, mellisq; crassitudinem
Formato, & his aromata mox trita addito.
Et quod superest uinum addito, committito,
Totam diem noctem simul quo combibant.
Terebinthinam uero, cyprinum, ceram & simul
Igni liquata lentulo, his affundito.
Vnctisq; post manibus per unguen quodpiam,
Subacta sic committito, & reponito.
Nec mox parato uti uelis tu pharmaco,
Sed tempore interiecto, & hoc ceratulo
Partim polito, ut mollius sit, addito,
Quanquam potes solo uti etiam, raro tamen.

Aliud Damocratis malagma.

Aliud malagma ad iam relatas commodum
A Affectiones, si fuerint diutinæ.
Confert lienosis uel omnium optime,
Si palluerint, & si febricitauerint,
Aquamq; habeant præcordia his si pauculam,
Multam nequeunt curare enim malagmata.
Ficus cape pingues ficciores, sed nouas.
Et semine eiecto, simul umbiliculo,
Appende drachmas quinq; denas insuper,
Albæq; ceræ ponticæ parem modum,
Myrobalani pinguis libram post integram,
Nitri marini sed libram modo dimidiam,
Aluminis scissi duas supra & decem
Drachmas, superq; dimidiam, triobolon.
Et mox onychis, quod sic uocatur, bdellij
Addes parem tu aluminis dictum modum,
B Nitro parem florem lapidis sed Asii,
Ammoniaci tantumq; thymiamatis.
Et seminis post siliculæ, & nasturtij,
Et cardamomi, quàm optimiq; origani,
De singulis sextarij quartam modo.
Viniq; post, irini unguinis, quod sufficit.
Paratur at tandem malagma in hunc modum,
Vino rigatum suaueolenti bdellium
Mortario emollito, & hinc adijcito
Ficus, simul rursusq; rite tundito,
Quo trita uini stillulis fiant prope,
Mixtura mox addatur inde inspersilis.
At post rigatam feruida ceram ex aqua
Mollem manibus factamq; latam adijcito,
Et tusa mox ligni radio compingito,
C Guttis & unguinis frequens madefacito.
Vsus malagmatum omnium, quæ uentriculo
Induntur, & stomacho, simul interaneis,
Est tempus, in quo qui cibus congestus est,
Non amplius residet, sed aluum iam subijt.

Finis octaui libri.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI IX.

Cap. 1. De ictericis. 2. Pharmaca icterica Andromachi. 3. Asclepiadis. 4. Archigenis. II. De splenis affectionibus. 2. Potabilia Andromachi ad splenicos. 3. Asclepiadis potabilia. 4. Eiusdem epithemata & emplastra ad recentes splenis inflammationes. 5. Eiusdem ad induratas etiã affectiones. 6. & 7. Ad splenicos & hydropicos, eiusdem. 8. Archigenis. III. De hydrope siue aqua inter cutem. 2. Andromachi ad hydropicos & inflationes. 3. Archigenes. D IIII. De pharmacis dolorem sedantibus anodynis & colicis appellatis. 2. Philonis antidoti descriptio carmine, eiusq; explicatio. 3. Colica pharmaca Andromachi. 4. Asclepiades ad coli affectus. V. De dysentericis: & primũ remedia Andromachi. 2. Alia eiusdẽ. 3. Infusa pro dysentericis. VI. De affectionibus & uitijs sedis. 2. Andromachus. 3. Ad prolabentẽ podicẽ. VII. De hæmorrhoidib. VIII. Ad pudẽdorũ affectiões. IX. De priapismo. X. Ad uteri affectus.

CL. GALENI PERGAMENI DE COMPOSITIONE PHARMACORVM SECVNdum locos Liber nonus.

De Ictericis. Cap. I

FIVNT quidem Icterici ratiõe bonæ iudicatiõis in febribus, proruente nimirũ ad cutẽ bilioso humore, & facile sanè hi curantur balneis aquarũ potabilium, & olei discussorij affrictu, omniũq; rarefaciẽtiũ cutem, Quale est anethinũ oleũ, & chamæmelinũ ac cicinũ. Post hæc etiã ungenta faciũt, gleucinũ, crocinũ, deinde irinũ & amaracinum. Verum alias cõfectiones priuatim ictericas appellatas suis autorib. ne putes ad huiusmodi ictericos conuenire, neq; enim hoc illi ipsi de his prodiderunt, sed ad eos ictericos qui uasorũ circa hepar obturationem habẽt. Imò etiam eos qui ex inflãmatione icterici fiunt. Itaq; qui icterum seu Regium morbum ex obturatione incurrunt, sine febre permanẽt, Qui uero ex inflammatione, omnino febricitant. Quicũq; igitur in pharmacis ictericis adscripserunt, in quibus ea ipsa conuenire dicant, hi rectè fecerunt. Qui indiscriminatim & simpliciter protulerunt, non parum peccauerunt. Etenim quæ multum medicamentaria sunt, itidemq; facultate calida, magnopere febricitantes lædunt. Talia sunt gentiana, struthion, hebenum, costus,

aristolochia, polium, centaurea. Conueniunt autem ictericis ex inflammato hepate, quæcunque inflammationes sanant. Quemadmodum etiam his qui ex obturatione, omnia quæcunque strennue extergent, etiamsi medicamētariam substantiam habeant, & calidæ sint facultatis. Si uero coincidant simul obturatio & inflāmatio, laxantibus simulque extergētibus opus erit. Fugienda autem quæcunque medicamentariæ substantiæ, & calidæ facultatis existunt. Quum igitur & pleriquè ante me Icterica pharmaca indiscriminatim cōscripserint, ego propria discrimina singulis ipsorū adijciam, quo sciatis quibus nam in febribus citra periculum uti queatis, & quibus maius ex exacerbatione febris et inflāmationis detrimentum subsequatur, quàm ex extersione emolumentum resultet.

De pharmacis Ictericis ab Andromacho scriptis. 2

Andromachus quatuor pharmaca ad ictericos indiscriminatim tradidit, minime quidem periculosi usus in his qui non febricitant, uerum non securi in febricitantibus, & maxime si cum uino aut uino mulso ea exhibeat, quemadmodum aliquando damus in febribus moderatis, & uisceris obturatione. Quare ex aceto mulso non ualde acido securius tunc ea quatuor pharmaca propinant, quæ iuxta illius dictionem sic habent. Ad Ictericos.

In colocynthidis calicem uinum fundito, calfacito, ac bibendum dato. subducit aluum. Idem & thus facit. Aliud ad Ictericos. Adianti obol. iij. nardi obol. ij. absinthij drach. i. myrrhæ obol. iij. Excipe passo, ac dato nucis auellanæ magnitudine, ex aquæ cyathis. ij. Aliud ad Ictericos quo utor.

Struthion cum croco coloratum, nucis ponticæ magnitudine ex aqua aut aqua mulsa dato. Datur & Anchusa cochlearij mensura. Aliud ad Ictericos, ut Apollonius. Erui drach. xxiiij. cornu cerui usti drach. viij. thuris drach. iij. nardi Celticæ drach. ij. nardi Syriacę drach. i. piperis sesquidrachmam. floris iunci odorati drach. i. myrrhæ obol. ij. cassię obol. i. cinamomi obol. i. Vtere sicco cum uini mulsi cyathis tribus.

De pharmacis Ictericis ab Asclepiade scriptis, in tertio internorum. 3

Ex his quæ antea dixi cognobile fit, etiam si citra discrimen pharmaca prodantur, quæ fugienda sint febricitātibus. Consueuit autem Asclepiades aliquando distinguere apponendo, febrientibus hoc modo exhibere oportere medicamentū, Nō febrientibus hoc modo: ubi uero omnino nihil apponit, his in nō febrientibus magis est utendum, quemadmodum sanè etiam, quādo ex uino solo, aut uino mulso usum fieri debere censemus. Talia enim non febrientibus conueniunt. Verum scripta ab ipso pharmaca hæc sunt. Potio ad Ictericos. Cichorij succi cyath. vi. febrientibus per se dato. Non febrientibus autem cum uini cyath. iij.

Aliud, Solani succi cyath. i. Vini mulsi diluti dimidium. Aliud insperside. Anchusæ tenuissime tritæ cochlearia ij. cum aqua potabili exhibe.

Aliud, Struthij cochlearium i. dato cum uini mulsi diluti cyathis iij. Aliud Nicerati ciens urinam. Cicerum siccorum sextarium i. rosmarini manipulum, aquæ sextar. vi. fœniculi manipulū. asparagorum palustrium radicum manipulū, præparato ac dato, ut dictum est, coctum ac excolatū liquorem, febrientibus simpliciter & assidue bibendum. Non febrientibus cum uino diluto.

Aliud, Cicerum sextar. i. adianti manipulum, aquæ sextar. vi. asparagorum palustrium radicum manipulum. præparato & exhibeto uelut dictum est. Pastillus ad Ictericos, facit & Hepaticis.

Amygdalarum amararum mundatarum drach. iiij. anisi, absinthij, utriusque drach. i. nardi Indicæ, asari utriusque drach. unam. tusa & cribrata aqua subigito, ac formatis pastillis drachmam unam cum uini mulsi cyathis tribus non febrientibus dato.

Aliud quo usus est Charixenes. Asari, absinthij, utriusque drac. viij. seminis anisi, fœniculi, apij, amygdalarum amararum repurgatarum, singulorum drach. iiij. Aqua subige ac forma pastillos, & exhibe ut dictum est.

Nicerati errhinum Medicamentum quod naribus attractū, morbum regium expurgat, Quando reliquum corpus iuxta naturam habuerit, oculi uero pallidi permanserint. aceti acerrimi cochlearium unum in balneo naribus attrahendum exhibe, detrahit multæ bilis fluxionem. Eiusdem aliud. Nasturtij uiridis folia tenera, aut rosmarini uiridis folia tenerrima terito, & expresso inde liquore ut prædictum est utitor. Aliud eiusdem.

Elaterium cum lacte muliebri tritum naribus infundito, & attrahere iubeto.

Quæ pharmaca Archigenes ad Ictericos conscripsit, in secundo pharmacorum secundum genus. 4

Ad Ictericos cōuenienti diæta & ductu per frequentes deambulationes, & multam unguentorum frictionem utaris, ampliusque fomentis siccis & subscriptis medicamentis. Aiunt eos qui in febribus morbum regium incidunt, rubi canini fuluo fructu comesto, statim probe iuuari. Auxiliatur & chelidomiæ herbæ succus cū uino aut aqua mulsa potatus. Aut adiāti uel rubiæ radicis obol. iij. cum aqua mulsa exhibe. Aut struthion cum melle delingant. aut fellis ursini cyathum bibendum dato. Aut hyperici drachmam unam ex uino mulso propinato, uel aquæ cyatho uno. Aut helxinæ decoctum ad dies quinque uel sex cum uino mulso. Aut stercoris canini albi sextantē, cū mellis quadrante ad triduum bibendū dato. Aut lichenas in petris nascentes cum aqua mulsa propina. Aut lichenis in tegulis uel lapidibus nascentis drach. i. ex meraco propina. Aut nasturtium cum olei cyatho uno bibendū præbeto. radicem uero eius in nares indito. Aut absinthij cochlearia. iiij. anisi cochlearia. iij. exhibeto ex aceto mulso. Aut oxylapathi siue lapathi radicis tritæ acetabulum, dato ex aqua mulsa: si non febriat cum uino aut uino mulso. Aut adianti & mentæ & rubiæ parem mensurā in aqua feruefacito, & heminam inde bibendam exhibeto diutius ad solem insolato, ac sitienti & anheloso, quo post acceptum potum exudet. Statim transmutat colorem. Aut adianti

adianti & myrrhę eius dimidium, ieiuno à balneo exhibeto in uini hemina dimidia. Aut leporis coagulum cum meraco ad dies. v. uel vi. præbeto. Aut Scolopēdrij drac. iiij. ieiunis ex uino ad dies. v. uel vi. dato. Aut mentę & rubiæ ac adiāti æquas portiones cum aquæ cyathis duobus propinato. Aut betæ foliorum crudorum drach. vi. myrrhæ obol. ij. cum aqua mulsa ieiunis exhibeto, aut prælotis ac ieiunis cum uini hemina dimidia dato. Aut adianti drach. vi. myrrhæ drach. ij. mentæ drach. i. in aquæ heminis duabus coquito donec medietas supersit, deinde ubi plurimum deambulauerit probe fricato, & spiritu adhuc sublimiore existente bibendam dato. Hoc ad biduum facito. Aut cicer eruinum in aqua sub dio per noctem exponito, aquamq; bibendam dato, & cicer insuper comedendum mane ac uesperi. Inde uero per triduum absinthium ex aqua mulsa bibant. Aut cum cyclamini succo purgatis naribus lauato. Aut herbam Orontium appellatam coquito, & cum decocto lauato, & decoctum confestim uiride reddas. Aut uenam sub lingua secato. Quod si ad nullum horum auxiliorum malum cedat, expurgatione per scammoniam & exquisita diæta utantur, atq; ita ad exercitia progrediantur.

De splenis affectionibus. Cap. II.

Quod omnes corporis particulæ familiarem sibi ipsis ex uenis trahant humorem, in cōmentarijs de naturalibus facultatibus edocti, in ijsdēq; etiā quòd uelut fecem sanguinis, ex qua atra gignitur bilis, hoc uiscus alimentum habet instituti, & ultra hæc memoria tenentes ea quæ in curandi methodo de Splene sunt dicta, facile assequemini ea quæ nunc referentur. Quorum primum & principalissimum hoc est, Quod hoc uiscus à natura celerrime indurari soleat, sanguine nimirum in uenis ipsius obturato, & ob crassitudinem neq; excerni neq; discuti facile potente. Attenuantibus igitur opus habet pharmacis citra manifestam caliditatem, ut ne uehementius incrassescat succus crassus in ipso obturatus. Quo uero actiōes ipsius conseruentur, ex austeris aliquid his ammiscetur, quale est etiam adstringentium genus. Didicistis enim in naturaliū facultatum cōmentarijs, Quòd quum omnes particulæ suæ conseruationis gratia habeāt facultates, tum familiarium attractoriam, tum alienorum expulsoriā, itemq; assimilatricem sibi ipsis eorum quæ attraxerint. Aliquibus ipsarum insuper inest, per accidens magnopere iuuare totum corpus. Ex horum genere est & lien, qui ex hepate in seipsum uelut fecē sanguinis trahit, quemadmodum uesica in hepate bilem, & renes urinam. Si igitur præ imbecillitate eiusmodi sanguinem ad sese trahere nō potest, uitiosus humor uniuerso corpori affricatur. Ob id itaq; naturalem ipsius firmitatem custodire oportet, quo conueniens ipsi alimentum attrahat, per quam actionem uniuerso corpori ad humorum bonitatem cōfert, & generata in ipso recrementa in uentrem demittere potest, una cum ciborum recrementis excernenda. Ea gratia igitur ualde amara medicamenta ipsi offerimus, quædamq; ipsis ex austeris misce mus. Quędam uero ad materiam commoda, ad ceratorum uidelicet & malagmatum præparationē, apponimus, quale pharmacum est cera, & resina, & pix, & bitumen, & quęcunq; alia huiuscemodi. Iuxta primam autem rationem acetū, & acetum mulsum, uisceri cōmoda sunt, utpote secare & attenuare crassos humores potentia, citra calfactionem. Quemadmodum igitur in alijs particulis ea quæ per cataplasmata, aut liquida pharmaca imposita, aut affusa fotu auxiliantur, in alio opere relata sunt: Ita & nunc relictis his quæ inflammato spleni cōmodant, eorum solum mentionem faciam quæ indurato uisceri opitulant, quod ipsum etiam in medicamentarijs libris fecerunt, qui ante me scripserūt, proprie eos splenicos appellantes, qui induratam splenis affectionem habent.

Pharmaca potabilia ab Andromacho ad splenicos conscripta. 2

Potio ad splenicos Antipatri, ut Nilus. Carnis myrobalani drach. iij. hemionitidis herbæ, quam quidam asplenum, quidam scolopendram dicunt drach. vi. corticis radicis capparis ʒ. iiij. costi ʒ. iiij. chamędrios drach. vi. polij drach. iij. radicis cotyledonis drach. ij. corymborum hederæ nigræ grana xxv. ammoniaci thymiamatis drach. iiij. seminis hyperici drach. ij. galbani drach. ij. seminis periclymeni drach. i. aut radicis drach. iij. nasturtij nigri sesquidrachmam. succi fructus scillæ drac. xvi. Dantur oboli duo in aceto mulso. Aliud splenicis potabile. Glandis ungētariæ drach. iiij. hederæ albæ grana xxiiij. costi drach. ij. seminis periclymeni drach. ij. hyperici drach. unam. alij drach. iiij. galbani drach. i. obol. ij. nasturtij drach. iiij. Excipe succo scillæ cocto. Dato fabam græcam in aceto mulso. Aliud, Carnis myrobalani drach. iij. hyperici drach. vi. seminis periclymeni drach. vi. radicis dauci drach. vi. rubiæ, acori, phu pontici, croci, singulorum drac. vi. iunci odorati drac. iij. Mei drach. vi. nasturtij, chamæpityos, radicis capparis, singulorum drach. vi. polij drach. vi. alij drach. iij. ammoniaci thymiamatis drach. iij. cum aceto mulso pastillos duorum obolorū ponderis formato, & unū in aceto mulso dato. Facit & ad hepaticos, & hydropicos. Aliud facit ad splenicos. Trixaginis drach. iiij. polij drach. v. chamæpityos drachmas iij. rubię drach. v. ammoniaci thymiamatis drach. iij. artemisię drachmas iij. myrobalani drac. iiij. corticis radicis capparis drachmas iij. aristolochiæ drachmas vi. tragacanthæ drach. ij. cum aqua in pastillos triobolares redigito, ac dato ex aceto mulso. Aliud Stomacho cōmodū. Vtere etiam ad omnem affectionem splenis. facit & ad conuulsa, inflata, & uitia muliebria. Myrrhæ drach. iiij. nardi Indicæ drach. iiij. corticis radicis capparis drachmas iiij. costi drach. v. radicis panacis drach. iiij. radicis peucedani drach. iiij. dictamni drach. iiij. polij drac. ij. corticis radicis periclymeni drac. iiij. rubiæ drach. iij. & dimidiam. ammoniaci thymiamatis drach. iiij. & dimidiam. aliqui etiam iridis drach. iiij. & dimidiā. Excipe aceto mulso. præbe obolos ij. in aceto mulso. Aliud Splenicis, or tho

thopnoicis. Struthij, scillę assatæ, panacis, radicis capparis, singulorum drach. v. crocomagmatis drach. ij. & dimidiam. excipe aceto & præbe in aceto scillitico. Aliud, Struthij, corticis radicis capparis, trixaginis, panacis, singulorum drac. x. fructus myricæ drachmas iij. Excipe aceto scillitico, & drachmam unam ex aceto scillitico exhibeto.

Pharmaca potabilia ab Asclepiade ad Splenem conscripta. 3

Cynoglossi manipulum cum uini cyathis. iij. terito, & expressum liquorem ante cibum bibendum dato. facit & succus per se. Colligere autem oportet herbam sinistra manu ante solis exortum.

Aliud. Trixaginis manipulum cum uini sextario uno coquito, & expressum liquorem reponito, ex eo cyathos. ij. ante cibum dato. Pharmacum inspersile Splenicis. Myricæ fructum tusum & cribratum reponito. Vsus uero tempore cochlearia ij. cum aceti mulsi diluti cyathis. iij. dato. Aut herbam pelargitin appellatam tusam ac cribratam dato ut prædictum est. Aliud,

Asini aut equi syluestrium lienem siccatum tundito ac reponito, & cochlearia. ij. cum uini diluti cyathis iij. exhibeto. Catapotium Splenicis.

Corymborum hederæ albæ grana iij. deuoranda præbe, & aceti mulsi cyathos iij. insuper bibendos. Catapotium Andreæ pæonium dictum.

Myricæ fructum tusum & cribratum galbano excipe, & in catapotia redige, eaq; pro uiribus exhibe. Pastillus splenicus tumorem eliquat.

Fructus ericæ drach. iiij. piperis albi, nardi Syriacæ, ammoniaci thymiamatis, singulorum drac. ij. Arida tunduntur & cribrantur, ammoniacum aceto scillitico dissoluitur; & aridis additum in pastillos cogitur, fiunt autem pastilli drachmæ pondere, daturq; drach. i. ex aceti mulsi cyathis iij. Qui pharmacum hoc tradidit, dixit porcellum ad triduum hoc bibisse, & postea resectum, sine liene inuentum esse. Alius splenem tumentem eliquans & consumens. Ammoniaci thymiamatis, foliorum rubi tenerrimorum, utrorumq; drac. viij. corticis capparis drach. iiij. myricæ fructus, herbæ aspleni quæ & scolopendrium & hemionitis dicitur, utriusq; drach. ij. nuclei scillæ assatæ & purgatæ, piperis albi, utriusq; drach. ij. Excipe aqua & redige in pastillos, atq; exhibe drach. i. cum aceti mulsi cyathis iij. Chrysermi pastillus, splenicis, hydropicis, Ciet urinam, mollit aluum. Scillam magnam luto oblitam assato, & corticem detrahito ac quod ad fundum est durum, ex nucleo uero libras ij. accipito, seminis dauci drach. viij. hoc est unciā unam, anisi, seselis, radicis panacis, iridis, singulorum tantundem, seminis urticæ, baccarum cedri, utrorumq; drach. xij. myrrhæ drach. iiij. erui moliti chœnicem. Vini odorati quod satis est. Subacta in pastillos redigito. Datur drach. i. cum aceti mulsi cyathis iij. Alius Eugerasiæ.

Scillæ assatæ depuratæ minas ij. radicis bryoniæ minas viij. piperis albi tantundem, petroselini tantundem, seminis dauci cretici tātundem, erui moliti tātundem, cedridum, hoc est, cedri baccarum sextarios vi. aceti bessem, iridis, radicis panacis, myrrhæ, singulorū quadrantē. Vini falerni quantum satis est his in pastillos cogendis, formatos autem pastillos in umbra resicca, & unciam i. cum uini diluti cyathis tribus exhibe.

A

Epithemata & emplastra eiusdem Asclepiadæ ad recentes splenis inflammationes. 4

Foliorū tenerrimorū arboris sambuci lib. iij. Aloes li. i. cū aceto subigito, & linteolo infarcta imponito. Aliud, Ericæ fructus semissem, galbani lib. i. alij semissem. fructum tundito ac cribrato, atque ita galbanum addito, ac diligenter misceto, atque in linteolum impacta imponito. Pharmacum Idiotæ accommodatum. Visci quercini lib. i. calcis uiuæ lib. unam. uiscum in uas fictile coniectum ac prunis appositum dissoluito, & dissoluto calcem uiuam inspergito, misceto, & calidum albę pelli infarctum imponito. Oportet autem cum adhærente adhuc pharmaco lauari, atq; ita sinere donec sua sponte cadat. Curam item habere oportet ut disparatæ splenij partes resecentur. Aliud.

B

Visci quercini lib. i. calcis unc. i. floris lapidis Asii trientem. cedriæ unc. i. præparato pro more, ac utere quotidie auferens pharmacum, & spongijs calidis fouēs locos, rursusq; imponēs. Hoc pharmacum urinam mouet. Malagma auri colorem referens, ualde commodum. Ceræ, resinæ pinus & frictæ singulorū libras ij. arsenici, aluminis scissi, calcis uiuæ, singulorum sextantem. aceti, olei, utriusq; cyathos viij. Apparato pro more. Aliud ualde generosum, quo usus est Andromachus.

C

Ceræ, resinæ pinus, picis Brutiæ aridæ, singulorum lib. ij. arsenici, aluminis scissi, calcis uiuæ, singulorum sextantē. acethi cyath. viij. præparā pro consuetudine. Facit ad splenicos, hydropicos, & ad præcordia distenta. Facit & ad Ischiadicos, arthriticos. Nos ad pharmacū hoc apposuimus myrrhæ sextantem & unciam dimidiam, uisci trientē.

Ad induratas splenis affectiones, Vsus est Tryphon Gortyniates. 5

Fœni græci moliti, sinapis, mannę thuris, singulorum sextarium unum, retrimentorum à myrobalano expressa reliquorum sextariū dimidium, spumæ nitri quadrantem, tenuissime trita ac mixta, cedria cocta excipe, ut emplastri liquidi habeant spissitudinē. Vsus eius est per interualla, pharmacum autem impositum fasciolis complecte & obliga. Tempus imponendi est ante balneū, quantum possibile est ægrum ferre, postea uero obligatum adhuc in balneū inducito, & pro reliqui corporis curatione in soliū demittito. atq; ita in aqua fasciam resoluito. Aliud ad splenicos per unam diem sanans. Verum supra pharmaci impositionem per tres dies certo uiuēdi modo utimur. Myrrhæ, mannæ thuris, utriusq; quadrantem. sinapis Alexādrini, nasturtij, utriusq; sextantem. aceti scillitici quod satis est. Sinapi & nasturtium tundito ac cribrato. mannam uero & myrrham dissoluito, eisq; arida addito, & simul aceto subacta ad malagmatis formam reducito, & à secunda hora usque

D

ad

adnonam imponito. Postea uero duabus fascijs obligatum in balneum inducimus, atque ubi laxatæ fuerint in calidæ solium demittimus. In solio uero longiori temporis spacio moretur, cruribus extra aquam emotis. Ne uero in animi deliquium delabatur, acetum & pulegiũ odoret, & fascias paulatim resoluat. Egresso porrò è balneo salsamentũ citra panem exhibendum est, & uinum mari mixtum. Sequenti die eadem offerenda sunt. Tertia uero gymnasiis utendũ quæ spiritum acutum reddere ualent. Aliud Arij Tarsensis. Vsus est per interualla. Ficuum pinguissimarum, sinapis, radicis capparis corticis, singulorũ lib. i. aceti quantum satis est. Aliud Diodori. Sinapis, nasturtij, fœnigræci, seminis lini, retrimentorũ ab expressa myrobalano reliquorum, singulorum drach. viij. Excipe cedria cocta aceto scillitico ammixto. Vsus est ante balneum. pharmacum bonum est, & post usum sanguinem mingunt.

Pharmaca ab Asclepiade in quarto externorum conscripta, ad splenicos, & hydropicos. Quæ iuxta dictionem eius sic habent. 6

Epithema splenicis, tumorem eliquat. Foliorum tenerorum sambuci lib. iij. aloes pinguis lib. unam. terito cum aceto, & linteolo excepta imponito. Aliud, Fructus ericæ lib. unam. galbani lib. i. fructum tundito & cribrato ac galbano excipito, rursusque tundito ungenti Irini fece admota, quo ad malagmatis formam redigatur, deinde linteolo infarcta imponito. Malagma ad splenicos. Myrobalani corticum tusorũ cribratorum minam dimidiam, & retrimentorum ab expresso succo eiusdem residuorum tantundem. ceræ drac. vi. resinæ terebinthinæ drach. xxxij. galbani drach. x. irini parum. Arida cum liquidis committito. Aliud ualde præclarum. Farinæ myrobalani quadrantem, nitri unc. unam. alij uncias iiij. ceræ semissem. terebinthinæ bessem, aceti quod sufficit, splenẽ eliquat. Malagma ex Cedria splenicis, hydropicis, medicamentum accommodatum. Vrinam cit multam, & splenem eliquat. Oportet autem unà cum pharmaco lauari, & quod ab eo disparatum est, à splenio uidelicet de corporis cuticula, desecare. Sinendum enim est adhærescens pharmacum, donec sua sponte dilabatur.

Compositio hæc est. Visci quercini lib. i. calcis uiuæ semissem. floris lapidis Asii trientem. cedriæ quadrantẽ. Viscum ærea patina coquito, & postquam fuluum factum fuerit, cedriam adijcito, assidueque moueto ac arida trita inspergito. Deinde ab igne ablata aliqualiter frigefieri sinito, atque in pellem albam à spina appellatam infarcta affectis locis imponito, & unà cũ pharmaco lauare iubeto, donec spleniũ sua sponte dilabat. Oportet tamen ut prædictũ est disparatas splenij partes desecare. Aliud ualde præclarũ. Floris lapidis asii sextantẽ. lapidis gagatæ unc. i. calcis uiuæ bessem. uisci quercini lib. i. Præpara ac utere ut dictũ est. Malagma Antiochidis, ad splenicos, hydropicos, Ischiadicos, arthriticos, præparatũ est Fabullæ. Ceræ lib. iij. resinæ terebinthinæ libras iij. retrimẽtorum ab expressa myrobalano reliquorũ lib. unam, spumæ nitri lib. i. floris lapidis Asii lib. unam. ammoniaci thymiamatis lib. unam. olei cyprini lib. iij. Acetum ad ammoniacum dissoluendum. Aliud Fabullæ compositum ualde præclarũ, ad easdem affectiones. Myrrhæ stactæ lib. ij. opopanacis lib. unam. galbani lib. unam. mastiches lib. unam. floris lapidis Asii lib. unam. styracis lib. i. succi sycomororũ lib. unam. canchryos lib. unam. piperis albi semissem. ceræ lib. v. terebinthinæ lib. v. pharmacum est tusile, id est, quod contunditur. Oportet autem tundẽtes ungenti Irini fecem admouere, donec quàm mollissimum pharmacum reddatur. Repositum enim mollissimum euadit. Malagma quod aurei coloris appellamus. Auripigmenti unc. i. aluminis scissi sextantem, calcis uiuæ sextantem. Arida tundimus ac cribramus, et in mortarium conijcimus, hisque aceti cyathos viij. superfundimus, & probe trita liquidis excipimus.

Sunt autem liquida hæc. Ceræ lib. unam. resinæ frictæ lib. ij. pinus lib. ij. hæc frigefieri post eliquationem sinimus, & sic erasa tritis adijcimus. Nos ad pharmaci præparationem etiam myrrhæ sextantem apposuimus. Aliud, hoc est usus Andromachus. Facit splenicis, hydropicis, & ad prę cordia distenta. Facit item Ischiadicis, Arthriticis, & ad inueteratas affectiones. Ceræ lib. unam. picis brutiæ lib. unam. pro resina fricta, picem addimus. olei cyath. viij. auripigmenti auricoloris sextantem. aluminis scissi sextantem. calcis uiuæ sextantem. præpara ut dictum est. Nos ad pharmacum etiam myrrhæ sextantem, & uisci quercini trientem apposuimus. Ad inueteratas induratas splenis affectiones, Authemeron ab eo quod per unam diem curat appellatum. Oportet autem cum pharmaci impositione ægrum ad triduum conuenienti diæta uti. Myrrhæ, mannæ thuris, utriusque quadrantem. sinapis Alexandrini sextantem. nasturtij sextantem. aceti scillitici quod satis est. Arida tundito & cribrato, & cum aceto ad malagmatis formam subigito, & linteolo excepta ab hora secunda usque ad nonam imponito, ita ut complectaris & contineas incumbens malagma fasciola obligata. Deinde uero ita obligatũ in balneum mittito, & ubi probe laxata fuerit, in solium desidere facito, & pedes extra solium extendere iubeto, ac longiori tempore in ipso immorari. Cęterum ad reuocandos in animi deliquium collapsos acetũ cum pulegio naribus admouemus, et paulatim resoluere fascias tentamus. Sint autem duę fascię malagmati incumbentes. quum enim fascię tolluntur, auferimus etiam incumbens malagma, & post affectos locos sufficiẽter fouemus. Egresso de balneo salsamentum citra panem exhibemus, & uinum mari mixtum. Idem etiam sequenti die facimus. Et tertia similiter, insuperque gymnasiis utimur quę spiritum acutum reddere possunt.

Aliud Tryphonis Gortyniatæ Cretensis pharmacum accommodatum. 7

Fœni græci moliti sextarium unum, retrimentorum

torum ab expressa myrobalano reliquorum sextarium dimidium. spumæ nitri quadrantem. Omnia trita cedria excipe. Verum hāc prius coctam condensare oportet ad cerati spissitudinem. Vsus est ante balneum, quantum æger ferre potest. A balneo cerotarium imponimus. Aliud Authemeron inscriptum, liberat ab affectione eadem die.

Pyrethri drach. xx. myrobalani bessem, nasturtij bessem, seminis urticæ bessem, sinapis sextariū dimidium. omnia trita & aceto subacta per interualla imponito ad horas tres si æger tolerare possit. Deinde ablato pharmaco lauari iube. In balneo uero cerato utendum est ex rosaceo apparato. Aliud tumorem liquefacit. Floris lapidis Asii, nitri rubri, retrimentorum expressæ myrobalani, ammoniaci thymiamatis, singulorum drach. xxiiij. corticis radicis capparis drach. viij. seminis raphani drach. x. aut succi cyathum unum, aceti acerrimi quod satis est, uisci quercini drach. xl. ammoniacum sambuci succo, aut myricæ, aut trifolij dissolue, Arida uero tunde & angustissimo cribro excute, ac aceto subige, indeq; ammixto uisco omnia simul contunde, & utere.

Pharmaca ad splenicos ab Archigene in primo medicamentorum secundum genus conscripta. 8

In splenicis porrò præcedente similiter tota digta, ex describendis compositionibus his utitor. Potus quidem sit aqua in qua ignitum ferrum sæpe sit extinctum, non febrientibus cum uino. Febricitantibus uero aqua sola. Aut anagallidis cœruleum florem habentis obulum unum exhibeto cum aceto mulso. Aut serpillum cum aceto Aut panacis radicem uiridem cum aqua mulsa. Aut semē similiter. Aquam mulsam uero per noctem sub dio exponito. Aut corticis radicis periclymeni & seminis eius quantum tribus digitis apprehendi potest, in uino albo meraco calido ieiunis bibendum ad dies xl. exhibeto. Aut uulpis hepar siccum cum aceto mulso exhibe bibēdum. Aut cuminum Aethiopicum similiter ut hepar ex aceto mulso. Aut radicis ari corticis drachmam dimidiam cum aceti mulsi cyathis iij. Aut polium similiter cum aceto mulso. Aut hederæ albæ grana tria cum aceti mulsi cyathis iij. Aut arida trita capparis folia propinato. Cataplasmata autem eadem impones splenicis quę hepaticis, Ampliusq; cinerem ex ferraria officina cum aceto. Aut capparim maceratam aceto ac tritam cerato cyprino exceptam. Aut nasturtium & fœnum græcum, ac calcem uiuam, & nitrū, cum melle mollita imponito. Aut fœnū græcum, & calcem, ac nitrum, item cum melle imponito. Aut lepidij folia imponito. Quū uero iam morsum perceperint in balneum inducito, & ablato pharmaco in feruidæ solium demittito ac detineto, Aegre enim ferunt nimiam mordacitatem, uerum sani exeunt. Idem etiam in Ischiadicis facit. Aut myrobalani expressæ retrimentum aceto maceratum, rosaceo cerato excipe ac impone. Aut fœni græci & nasturtij par pondus, mannæ duplum, calcis uiuæ parum, cum melle splenia uelut emplastra facito ac imponito. Aut fecem acris aceti imponito. Aut capparis radicem cum aceto.

Aut spongiam acerrimo aceto imbutam. Egregie faciunt myrobalani cortices, & nitri tertia ipsorum pars, trita aceto subigito, & resinam ac ceram cum modico oleo liquefacta affundito, & mollitis utitor. Perseuerante malo cucurbitas cum scarificatione affigito. Amuleta autem, & per contrarietatem quandam naturalem ad hepar & splenem facere credita, hæc sunt. Venam retro sinistram aurem secato, & detracto sanguine affectum splenem confricato.

De hydrope siue aqua inter cutem. Cap. III

Hydropicorum medicamenta, & alia communia ad splenicos ipsos, itemq; quædam multiplicis usus, ad uarias affectiones, tum iam prædictas, tum duricias & ubi quid discutere oportet, etiam si iam purulenta sit compages, dicere aggrediar, initio ab his quę Asclepiades tradidit sumpto.

Pharmaca ab Asclepiade conscripta ad prædictas affectiones in quarto externorum, quæ Marcellæ inscribit.

Epithema hydropicis ualde cōmodum, quod adiacentem humorem absorbet. Farris, quod zeam uocant, moliti sextar. ij. floris lapidis Asii sextarium i. mannæ lib. i. Probe trita adipe suillo ueteri probe subacto, & uino per integram noctem macerato, excipito. Sit autem tanta adipis copia quanta ad molle faciendum pharmacum satis est.

Aliud, Besasa: est autem semen rutę syluestris quod in Syria nascitur, & uernacula lingua Harmala ab illis appellatur: huius tusi sextariū i. mannæ sextarium dimidium, adipis suilli ueteris quantum sufficit, prẹparato ut dictum est. Aliud, Ficuum pinguissimarum lib. iij. origani lib. i. Quidam cumini lib. i. sulphuris uiui quadrantem. cochlearum Affricanarum lib. i. Arida tundito & cribrato, & tusis ficubus unà cum carne cochlearum excepta, ac in linteolum infarcta imponito, melle cocto sufficienti addito. Aliud ex Critone.

Fœni gręci moliti ac cribrati sextarios ij. sulphuris uiui lib. ij. & dimidiam. Arida tenuissime trita melle cocto excipito, Indeq; linteolo infarcta per noctem imponito. In die utere & gestatione, & confectione subscripta. Malagma Ipoterium inscriptum. Resorbet humiditates ex alto, & duricias dissoluit. Ceræ, picis aridæ, utriusq; lib. ij. aluminis liquidi, sulphuris uiui, mānæ, nitri rubri, singulorum lib. i. resinæ frictæ lib. iiij. olei ueteris heminam i. aceti quantum satis est ad arida dissoluenda. Præpara ac utere ut probato. Aliud præclarum Ipoterium pharmacum accommodatum. Facit hydropicis, splenicis, & ad inueteratas affectiones. Resinæ frictæ lib. iiij. ceræ lib. ij. sulphuris uiui lib. i. picis liquidæ lib. ij. aluminis liquidi lib. unam. nitri rubri lib. unam. Aristolochiæ quadrantem, bdellij quadrantem, amomi racemi quadrantem, radicis cucumeris syluestris quadrantē, aloes semissem, pyrethri quadrantem, ammoniaci thymiamatis quadrantem, uisci quercini quadrantem, succi sycomororum quadrantem, aceti sequi sextarium. Aut pro aceto uini Italici tantūdem, olei

olei heminas iij. preparato pro more. Malagma ex baccis lauri, ad splenicos, hydropicos. Dissoluit omnem duritiam, absorbet abscessus in profundo. Ceræ lib. i. resinæ pinus lib. i. picis Brutiæ lib. i. baccarũ lauri siccarũ lib. i. nitri rubri lib. i. ammoniaci thymiamatis lib. i. adipis uitulini subacti lib. i. arida tundito & cribrato per angustissimum cribrum. Liquescibilia liquantur & frigefacta aridis adijciuntur, atq; ita contusis simul ac repositis utimur. Aliud, Baccarum lauri libram unam. picis lib. i. mannæ lib. i. adipis taurini lib. i. ammoniaci thymiamatis lib. i. ceræ lib. i. præparato ut prædictum est. Emplastrum tonsoris appellatione, ad splenicos, & hydropicos. Hoc tonsor quidam uir Bithyniensis usus, ischiadicos à coxendicum morbo penitus liberauit. Picis aridæ lib. iiij. ceræ lib. duæ. resinæ pinus lib. ij. ammoniaci thymiamatis libræ duæ. nitri rubri lib. ij. adipis taurini lib. una. In alio exemplari etiam iridis libras ij. habentur. canchryos unciæ xviij. farinæ fœni græci sextarius i. pollinis sextarius i. radicis chamæleonis nigræ tenuissime tusæ sextarius i. cumini tenuissime triti sesquisextarius, passi sextar. i. In alio exemplari anisi triti sextarius dimidius habetur, & pollen deest. Aliud Bithynum appellatum, pharmacum accommodatum ad prędictas affectiones. Picis Brutiæ lib. iiij. resinæ pinus, ceræ, ammoniaci thymiamatis, singulorum lib. ij. medullæ ceruinæ lib. i. adipis taurini subacti lib. i. succi sycomororũ libram unam. floris lapidis Asii semissem, radicis chamęleonis contusæ semissem, baccarum lauri siccarum libram dimidiam, farinæ loliaceæ libram dimidiam, seminis dauci Cretici contusi trientem. petroselini trientem. cumini Aethiopici trientem, anisi trientem, salis hispani sexuncem, aphronitri sexuncem, cyprini sexuncem. Vini falerni quod satis est. Arida cum liquidis pro more apparato. Malagma ex seminibus, pharmacum accõmodatum ad prædictas affectiones, hoc usus est Olympius. Ceræ drach. c. terebinthinæ drach. c. ammoniaci thymiamatis drach. c. adipis taurini drach. c. anisi drach. c. fœni græci drach. c. petroselini drach. c. ammij, iridis Illyricæ, utriusq; drach. l. panacis drach. c. nitri drach. l. glycyrrhizæ drach. l. cyperi drach. xxv. sabinæ drach. xxv. samsuchi drach. xxv. meliloti drach. xxv. cardamomi drach. xij. & dimidiã. cassię fistulæ drach. xij. & dimidiam, nardi Celticæ, radicis dauci Cretici, utriusq; drach. xij. & dimidiam. Mellis heminam & dimidiam. Vini odorati quod sufficit. Præpara pro consueto more. Aliud, Ceræ minam i. ammoniaci thymiamatis minam i. terebinthinæ minam i. samsuchi minam dimidiam. iridis Illyricæ minæ quartam partem, hoc est drachmas xxv. seminis lini tosti minę quartam partem, adipis taurini minæ quartam partem, radicis cucumeris syluestris, anisi, seminis apij, ammij, cumini, fœniculi, nitri, singulorum minæ quartam partem, piperis drach. xij. & dimidiam, mellis heminam, uini sesquiheminã, cyprini sesquiheminam, aceti sesquiheminam. Componito ac utitor.

A Ex Andromacho ad hydropicos & inflationes. 2

Picis liquidæ lib. ij. ceræ lib. i. nitri drach. vi. sulphuris uiui sexuncem. aluminis sexuncem. Ad hydropicos Cleophanti. Ceræ, resinæ, spumæ nitri, singulorum drach. c. galbani drach. xij. & dimidiam, propolis drac. xij. & dimidiam, ammoniaci thymiamatis drach. xij. & dimidiam, cyprini cyathos ij. aceti cyathos duos.

Ex Archigenis secundo libro pharmacorum secundum genus. 3

Hydropicis diætam ac uiuendi modum conuenientem constitue. Pro cataplasmate autem stercus bouis armentariæ impone. Resicca autem ipsum stercus diligenter, et tritum in posca uelut crudam ordeaceam farinã coque, inspersa sulphuris B uiui quarta parte. Cataplasma uero per omnẽ uentris amplitudinem impone. Musa uero cataplasma ad ipsos præparauit ex elaterio, staphide syluestri, hyssopo, felle tauri, æqualibus partibus ipsorum ficubus contusis exceptis. Aut radicis cucumeris syluestris minam unam in uino coquito, & ficuum minam dimidiã similiter coquito, atq; hæc simul terito affuso eorum decocto, donec malagmatis forma euadat, Indeq; altheæ radicis tritæ tantundem ammisceto, simulq; coquito ac terito, atq; ita imponito. Aut caprinum stercus in urina pueri impubis ueneris expertis, uel ipsius capræ urina coctum, ad strigmenticiã spissitudinem redigito, ac imponito. Egregie ipsum per aluum purgat. Aut ueratrum nigrum, fel taurinũ, nitrum, C piper, æquis partibus cum melle aluo per dimidię horæ spacium imponito. Porrò per omne curationis tempus unam aliquam ex his potionibus ipsis propinato. Cotyledonis drachmam unam. scyllæ aridæ mundæ drach. i. in uino mulso diluto quotidie exhibe. Aut corticis radicis Ari drach. i. Aut cneori, quam aliqui chamelæan adpellant, teneras eminentias ad calamorum radices nascentes exuccato, ac succi cyathos iij. prædictis ammixtis quotidie exhibeto. Optime facit & hoc.

Cancri fluuialis sicci triti, pedibus ac eminentijs omnibus amputatis, drachmam unam. asari drac. i. misceto aqua ex ipso flumine unde cancri extracti sunt accepta, & propinato. Aliquando uero pro asaro, opobalsami par pondus additur. Aut D coralli drach. i. aluminis scissi drach. i. obol. ij. cum calaminthæ cremore terito, & in pastillos duorũ obolorum ponderis redigito, & obolum inde ex calaminthę aqua bibendum dato. Summe facit & ad nephriticos. Aut radicẽ calaminthæ coctam propina. Aut sion quod lauer Latini dicunt itidem coctum propina, idemq; etiam edendum exhibe. Aut tribuli folia siue radicem cum uino dato. Aut in balneo cum sale & oleo diligẽter, usq; quo exudent, illitos educito, & solis testibus exudantibus ablutis, primum linteis, deinde etiam reliquis amiculis contectos curato, ac panem furnaceum cum sufficientibus caricis edendum dato: uinum uero nigrum Italicum aut Spicatũ recens, in quo ficuum triens in uini sextarijs vi. incoctus est, donec tertia pars superfuit, bibendum exhibeto

beto. purgat per urinam. Aut urinę capræ cochlearium unum cum nardi drach. una calfactum bibendum dato. Aut cucumim syluestrem uino nardino uel amineo macerato, & ex cremore ter cyathum unum bibendum præbeto, & paulatim usq; ad cyathos tres progreditor. Aut seseli in potu uel cibo exhibe. Aut daphnoides tritum lupini magnitudine inspergẽs bibendum dato, Ducit urinam multam. Aut corticem radicis Ari ex uino. Aut squamæ æris drachmam unam panis medulla excipito, & catapotia facito ac exhibeto. Fortiter aquam ducunt. Aut æris usti drac. i. rutæ ramulos tres, stercoris columbę drachmam unam. salis communis parum, cum uino Ephesio & aqua, ita ut tota mixtura heminæ dimidiæ sit, præbeto. Summe faciunt & Theriacæ omnes urinam cientes. Insuperq; potiones aquam ducentes, quæ unicuiq; per experientiam cognitæ sunt minime periculosæ. Similiter & catapotia.

Cæterum hydropicos diutius ad solem, contecto capite, inũgito ex oleo multo sale admixto, & multa salsugine calida perfundito. Inflatos uero maxime locos, uesicis magnis probe inflatis quotidie continenter pulsato, Inde enim arctantur ac contrahuntur. Scarificatis item ipsorum talis & uulnusculis impactis, ipsos in ferculo aut lectica gestato ac circũuehito, Multus enim humor hoc modo ipsis profluere solet.

Ad easdem affectiones Confectio Biennij. Croci, opij, opopanacis, myrrhæ, iridis, acori, mandragoræ, asari, costi, nardi indicæ, dauci cretici, mei, singulorum drach. viij. piperis albi & longi, gentianæ, stœchadis, casiæ, phu ponticæ, singulorum drach. viij. excipe melle.

De pharmacis dolorem sedantibus, anodynis & colicis appellatis. Cap. IIII

Huiusmodi pharmacis magni doloris, aut uigiliarum gratia, aut ne per uiolentam tusſim lancinemur, uelut in sanguinis reiectatiõe & grauibus distillationibus aliquando contingit, uti solemus. In moderatioribus tamẽ prædictis affectionibus, confectiones ex seminibus priuatim tusſiculares appellatæ sufficiunt, quæ & ipsæ omnino aliquid ex soporiferis seminibus habẽt: uerum modicum inter multa adeo semina, quę odorata & tenuium partium ac urinam cientia existũt. Appellant aũt hęc Medici sępe citra appellationis seminis appositionẽ, Cuminum dicẽtes & daucũ, & seseli, apiumq; & anisum. Eiusmodi igiẽ pharmacorũ compositiones inter tusſiculares appellatas confectiones sunt relatæ, Verum dolorem sedantes anodynæq; & colicæ dictæ, quæ eiusdem quidem generis cum illis sunt: multo autẽ facultatibus illas exuperãt, in hoc sermone ostendentur. Prima itaq; ex ipsis priscis tẽporibus, ut apparet, celebris fuit quã Philo prodidit, & de qua ipse hanc Elegiam fecit.

Philonis Antidotus. 2

En me Tarsensis Medici prægrande Philonis
Inuentum, mala quod multa dolore leuo.
Siue colum doleas, seu tu iecur, auxiliabor.
Seu lapis infestet, difficile aut lotium.
A Et medeor spleni hinc, orthopnœæq; molestæ.
Conuulsa atq; tabem protinus exupero,
Pleuritimq; malã, & sputum uomitumq; cruoris
Euinco, mortis terror & hostis ego.
Viscera tentantes omnes ego sedo dolores,
Interna & quicquid membra dolore quatit,
Tusſim, Singultum, destillantesq; fluores
Sisto, etiamsi quid strangulet excipio.
Me dedit ille autor sapienti munera magna
Discipulo, stupidos nil ego curo uiros.
Odorum fuluumq; pilum pueri cape, cuius
Fulget adhuc campis Mercurij ille cruor.
Pondus ad humanos sensus perpendito prudens,
Dein drachmæ pondo Nauplion Euboicum.
Inde Menœtiadæ occisoris ponito drachmam,
B Qui pecoris densis uentribus excipitur.
Viginti & drachmas candentis conijce flammæ,
Et totidem fabæ post suis Arcadicæ.
Et drachmam dictæ falso radicis, ab ipsa
Terra, pissæo quæ Ioue clara manet.
Quumq; pion scribes, uoci caput amplius addes,
Masculum Achiuorum nominis articulum.
Indeq; post drachmas expensæ sumito lancis
Quinq; bis, atq; isthæc prouidus excipito
Natarum tauri textura Cecropidarum.
Sic mecum Triccæ progeniesq; facit.

In his uersibus Philo iubet croci drach. v. conijci, pyrethri unam, Euphorbij unam, spicæ nardi unã, piperis autem albi & hyoscyami par pondus, utriusque drach. xx. opij uero drach. x. Primi quidem C igitur duo uersus crocum indicant, ut qui fuluus colore sit, & tenuis ad formam pilorum. Cruorem autem croci fulgere ad huc in campis Mercurij dicit. Adolescens enim crocus appellatus cum Mercurio disco ludens, & incuriosius cõsistens, illapso in caput ipsius disco, statim mortuus est: ex sanguine autem ipsius in terram acto, crocus natus est: fulgere uero cruorem dixit, hoc est sanguinẽ iam occisi, propter coloris croci splendorem. Scribitur autem non solum campis, sed & herbis in uersu, hoc modo, fulget adhuc herbis Mercurij ille cruor. Cæterum pondus croci drach. v. esse uult, quum ad humanos sensus perpendere iusſit, qui quinq; numero existunt. Quod uero drachmas quinq; esse uelit, & neq; obolos, neq; libras neq; D aliud quicq; tale, per sequẽtia cõmonstrat, primũ quidem quum ait, Dein drachmæ pondo Naupli on Euboicũ. Deinde uero & consequenter quum alijs idem drachmæ nomen apponit. Nauplion itaque Euboicum, pyrethrum uocat. Propterea quod Nauplius magnis pyris incensis, ut aiunt, circa Euboiæ portum, multos Græcorum decepit, ut perirent tanquam ad regionem portus bonos habentem applicantes. Id ipsum uero ob Palamedis necem ipsum fecisse tradunt. At uero & Euphorbium similiter his ænigmatice uocauit, quum ait, Inde Menœtiadæ occisoris ponito drachmam, Quandoquidem poeta Patroclum sicloquentem facit.

Sed me parca ferox, Latonæ & filius aufert,
Atq; uir Euphorbus.

Pecoris autem hoc est ouium uentribus excipi & adseruari Euphorbiũ ait, propterea quod hos solos non corrumpit, & ob hoc in his reponi pharmacum potest. Est porrò Euphorbium plantæ cuiusdam spinosæ in Maurusiorum terra nascentis succus, facultate calidissimus, & de ipso libellus paruus scriptus est Iubæ regi Maurusiorũ. Consequẽter uero Philo ait, Viginti & drachmas candentis coniјce flammæ, piper album per hoc significans, Est autem stomacho cõmodius acrius quàm nigrum. Viginti insuper drachmas seminis hyoscyami inijcere iubet, quod fabam suis Arcadicæ appellat, Quandoquidem aprum Erymanthium Hercules occidisse fertur, qui in Arcadum terra fuit connutritus. Quin & nardi ipsius drac. i. coniјciendam censet, quam radicem falso dictã appellat, quandoquidem spicanardi uere nominatur, Vult autem eam Creticam esse, quum ait, ab ipsa Terra pissæo quæ Ioue clara manet. Quandoquidem fabularum scriptores Iouem in dictæo Cretæ monte educatum aiunt, occultatũ ibidem à matre a Rhea, ne & ipse à patre Saturno deuoraretur. Apposuit autẽ Ioui epitheton pissæi, quemadmodum multi etiam extra poeticã, in cõmuni sermone dicere solent, per Aesculapium Pergamæum, per Dianam Ephesiã, per Delphicũ Apollinẽ, per Vestam Eleusiniã. Quidã uero non Creticã terram, sed Indicam indicatã esse aiunt, ex qua ebur affertur, ex hoc enim statuã Iouis in Pissa factã ac formatam esse. His omnibus & papaueris succum ammisceri iubet, qui recepto à medicis more priuatim opiũ appellat, quũ nullus aliorũ succorum quantumuis multi sint in neutro genere: opiũ uidelicet nominet, Quãdo igit ipsum nomẽ opion, ex uoce. ó. & píon. componitur, ob id sane inquit,

Quumq; pion scribes, uoci caput amplius addes,

Masculum Achiuorum nominis articulum.

Indeq; post drachmas expensæ sumito lancis

Quinq; bis, &c. Hoc est inijce & opij drach. x. Superest postremum quo omnia hæc trita excipiuntur, ipsum Mel, itidem coniecturaliter ab ipso appellatum, Natarũ tauri textura, quandoquidem ex putrescentibus tauris apes generari tradunt. Quod autem Atticum ipsum Mel esse uelit, ea gratia addidit, Cecropidarum, hoc est, Atheniensium. Cæterum per extremum uersum ostendit etiam Asclepiadas hoc pharmacum sic præparare, Ex Tricca enim generis sui originem ducunt, ex quorum ordine & poeta est. Hæc fermè prima antidotorum dolores sedantiũ celebris facta est. Iuxta hanc autem alijs partim ad ipsam appositis, partim detractis, aut apponderationibus permutatis, posteri magnum antidotorũ dolores sedantium numerũ fecerũt, quas etiam colicas uocant, denominatione ab affectione quæ maximos dolores habet deducta. Ego uero primum quidem generales componendi ipsas modos referam, deinde uelut consueui, etiam particulariũ materierum seriem quantũ latissime se expandit subscribam. Opium itaq; fortissimũ est ex his quæ sensum stupefaciunt ac somnum soporiferũ inducunt. Operatur autem hæc etiam solum sapa dilutum, deinde tomento exceptũ ac sedi inditum, itemq; fronti ac naribus illitũ. Si uero cum alio quopiam uim ipsius moderatè misceatur, moderatius hæc facit. Verũ quæ ammiscentur ipsi, aut concoquere, aut mitigare dolorosam affectionem oportet, aut humores affectionem efficientes discutere, aut secare, aut attenuare, aut iuxta totam substantiam alterare. At uero neq; ignorare nos puto optimũ esse compositionis scopũ, qui trium coniectationi sit intentus, Nimirũ ut & sensus stupefiat, & nullum in posterum inde circa particulam detrimentum permaneat, ampliusq; ut affectio ipsa maxime inde iuuetur. Ad hæc igitur respiciens Philo mihi uidetur hoc pharmacum de quo iam proposuimus dicere, cõposuisse, Ex opij quidem & hyoscyami mixtura somnum soporiferum, & sensitiuæ facultatis stuporem inducere uolens. Quo uero citius distribuerentur, & totorũ affectorũ corporũ profundum penetrarent, calfacientia ammiscuit, pyrethrum, & euphorbium, & piper, quæ nocentes humores discutere possunt, & extergere uiscosos, ac secare crassos, & uentosos flatus attenuare ac euacuare. Est autem non modica concoctoria uis omniũ frigidarũ affectionũ in nardo sita, Verum Creticã nardũ inijcere non oportet, neq; omnino eam quæ apud nos nascitur, quam montanam & herbã Narditen magis quàm nardũ appellant. Est igitur Celtica nardus optimum pharmacũ, efficiens quæcunq; etiã Indica nardus solet, Verum ab ipsa uiribus deficit, uelut etiam à Celtica, Montana. Quemadmodũ autẽ ex aromaticis appellatis medicamentis Philo solam nardum iniecit, Sic posteri alius aliud apposuit, aliqui autẽ plura. Quæ uero apponuntur sunt, flos iunci odorati, & casia, cinamomũ, amomũ, & costus. Quemadmodũ aũt rursus crocũ addidit, crudorũ humorũ concoctoriũ, itemq; affectionũ medicatarũ, Sic alij myrrhã & castoriũ ammiscuerunt. Plurimi autẽ ex ipsis, neq; male in hoc faciẽtes, & hæc familiaria semina, de quibus etiã antea in confectionibus ex seminibus constantibus dictũ est, addiderunt: quo uidelicet amarorũ medicamentorũ iniucunditatẽ mitigẽt, & totũ pharmacũ ad distributionẽ & urinæ propulsionẽ instigent. Si uero & humorũ crassitudo attenuari expetat, etiã hoc ipsum faciunt, Dico autem apij semen, cumini, dauci, petroselini, anisi, & quæcũq; eiusmodi existunt. Apponam igitur iam & copiam ac seriem particularum materierum à prioribus medicis usu ac experiẽtia cognitarum.

De colicis pharmacis ab Andromacho conscriptis. 3

Prima itaq; ipsarũ in hæc uerba scripta est. Colica Cassij. Anisi drach. vi. seminis apij drach. xij. nardi drach. iiij. alij drach. vi. castorij drach. iij. petroselini drach. iiij. alij drach. iij. piperis albi drach. v. & longi drach. v. myrrhæ drach. vi. iunci odorati drach. iij. succi papaueris drach. vi. croci drac. iij. Excipe melle cocto. Quidam etiã cinamomi drachmam unam. aut casiæ drach. ij. Datur ad summum nucis regiæ paruæ magnitudo ex aquæ calidæ cyath. iij. minimũ nucis ponticæ magnitudo.

Colica secunda ab Andromacho scripta hæc est. Colica Cassij, ut Crispus. Facit & foris imposita. Anisi drach.xij.seminis apij drach.xxiiij.nardi Indicæ tantundem,castorij drach. vi. seminis petroselini drach.xvi.myrrhę drac.xij.piperis albi drac. xij.& longi drach. x. iunci odorati drach. vi. opij, croci,cassiæ,singulorum drach.xij.costi, acori, utriusq; drach.vi.Excipe melle cocto. Præbe nucis ponticæ magnitudine ex aquæ calidæ cyathis iij. Hæ igitur præscriptæ duæ confectiones ex medicamentis de quibus paulò ante dixi compositæ sunt. Quæ uero deinceps sequit̃, qua se usum esse ipse ait,habet etiam alia quædam præter priora, eiusdem generis cum opio & hyoscyami semine existentia.uelut malorũ mandragoræ succum, aut qui ex radice ipsius expressus est, & succum cicutæ, Habet item phu ponticum, quod partim nardo celticæ, partim petroselino & urinã cientibus seminibus simile existit. At uero syluestris brassicæ semẽ ex maxime attenuatorijs est,& quæ multum siccare ac discutere possunt. Ex urinam cientibus est & Meon, & asarum. Illyris uero quam neq; nominauit iridem Illyricam, concoctoriũ est & attenuatorium pharmacum. Stœchas autem à putrefactione uindicat & attenuat. Ipsum pharmacum autem sic describitur. Colica Tullij qua utor. Succi malorum mandragoræ drac.viij. aut succi radicis eiusdem drach. x. phu pontici drach. viij.seminis brassicæ syluestris drach. viij. succi cicutæ drac.xvi.costi,piperis albi,& longi,myrrhæ, opij,singulorum drach.viij.opopanacis drach.vi. stœchadis, seminis dauci, Mei, asari, singulorum drach. xij. cinamomi, illyridis, acori, singulorum drach.viij.Sequitur post præscriptas Colica Abascanti,quam apud me consonã reperi. Anisi drac. x.seminis seselis,drach.xx.petroselini, nardi Indicæ, piperis albi & longi, singulorũ drach. iij. & obol.iiij.opij drac.x.myrrhæ drac.x.cumini Aethiopici, castorij,utriusq; ʒ.v.iunci odorati,croci,utriusq; drach.v.Excipe ac præpara cum melle cocto.

Colica admirabilis qua utor. & ad uoluulosos & qui stercus sursum euomunt in magnis doloribus, datur magnitudine fabæ in aquæ frigidæ cyathis iij. aut iiij. Piperis albi, seminis hyoscyami, utriusq; drach.xl. opij drach.xx.croci drach.x.spicę nardi, euphorbij, pyrethri, singulorum drach. ij. excipe melle cocto. Alia non inefficax adiaptos ob id dicta, ad omnem etiam inflationem. Sisonis,seminis hyoscyami,piperis albi,singulorum drach.xl.succi papaueris drach.xx.croci drach.vi. opobalsami drach.iij. excipe melle. Colica Terentij Valentis. Sisonis,piperis albi,seminis hyoscyami,singulorum drac. xl. succi papaueris drac. xx. croci drach. viij. alij drach. vi. corticis radicis mãdragoræ drac.iij.mellis quod satis est.Quidam etiam opobalsami drach. iij. Colica Apollonij.

Nardi drach.ij.castorij,fœniculi, succi mandragoræ,costi, singulorum drach. i. asari, spicæ, utriusq; drach. iij. opopanacis drach. i. dauci Cretici drach.iij.cinamomi drach.v. piperis albi & longi, iridis,myrrhæ,singulorum drach.ij.lemnię sphra-

A gidis drach.x. absinthij drac. ij. excipe melle. Datur drachma una ex aqua. Colica ut Nicostratus, Isotheos appellata, empta talentis duobus. Facit ad stomachicos, oculorum dolores,& uexationes, uuluæ labores, ex aqua mulsa incocta ruta. Croci sesquidrachmam. nardi drach. ij. myrrhæ drach.xiij.costi,piperis albi & longi,galbani, singulorum drachmam unam.opobalsami drach. iiij.cinamomi, succi mandragoræ, castorij, singulorum drach. ij. seminis dauci drach. iiij. & dimidiam.sagapeni drach. iij. cassiæ drach. iiij. excipe melle Attico. Colica ut Scribonius. Cineris cornu cerui teneri usti heminã, piperis albi, myrrhæ,utriusq; drach.ij.ex tritis cochlearium unum exhibeto. Et cochleam unam crudam tritam cum B uini cyathis duobus & aqua calida. Colica qua assidue utebatur, perfecte liberans & malum extirpans. Zingiberis drac.iij. salicis corticis drac. iij.rutæ ramulos tres aut quatuor, phœnicobalanorum drach.iij.aquæ cyathos vi. conijcito in uasculum nouũ,& coquito donec tertia pars supersit.& bibendum dato ad triduũ post irritationem, & facto interstitio idẽ facito, ad plures dies pharmacum in potu exhibendo. Colica Tullij bona qua & ipsa utor. Seminis brassicæ syluestris,phu pontici,utriusq; semissem,piperis albi & longi,seminis dauci, singulorum drach. ix. castorij, costi, opij,corticis mandragoræ,nardi Indicæ, asari, illyridis,singulorum drach.vi. stœchadis drach.ix.cinamomi drachmã unam.cassiæ daphnitidis drac. C xviij.excipe melle cocto.Da fabæ Aegyptiæ magnitudine. Colica quam admiratus est Ariston, ut Diophantus Lycius. Succi centaureæ, castorij,scillæ assatæ,piperis albi & longi,myrrhæ,rutæ hortensis,hyssopi,abrotoni, iridis Illyricæ, singulorum drach.ij.croci, ammoniaci thymiamatis, radicis acori, phu pontici, zingiberis, ueratri albi, singulorum drachmam unam. excipe aceto mulso.Datur etiam drachma una ex aceto mulso. Colica ut Publius in Putiolio & Apollonio. Polij drach.vi.scordij drach.xij.gentianæ drach.v. seminis rutæ syluestris drach.iiij.succi cyrenaici drach. iij. rubricæ lemniæ drach.v. myrrhæ drach. vij. opobalsami drach.viij.piperis albi drach.ij. & dimidiam. cachryos drach. iiij. uerbenacæ herbæ drachmas duas.pentaphylli drac.v. excipe melle D Attico.Da magnitudinem nucis ponticæ.

Quæ Asclepiades ad coli affectus prodidit. 4

Pharmacum inspersile ad coli inflationẽs, Antonij pharmacopolæ, huius usus sanus erat. Chrysobalani drach.ij.seselis, astragali, utriusq; sextantem.illyricæ,tragacãthi, utriusq; unc.i. Hæc simul tusa & cribrata, cochlearij unius plus minus mensura,ex aquæ calidæ cyathis quatuor ante cibum exhibeto. Aliud, Gallinarum interanea omnia exempta & in uas fictile coniecta assato, ac trita reponito. usus uero tempore cochleariũ unum & dimidiũ, & seminis dauci cretici tusi & cribrati tãtundẽ,ex aquę mulsæ calidę cyath.iij.exhibeto.

Ad coli inflationes Chariclis. Cumini Aethiopici drach. vi. seminis apij drach. v. seminis dauci

Cretici

Cretici drach. ij. piperis albi drach. i. tusa & cribrata reponito. Dantur ex eo cochlearia duo, cum aquæ mulsæ cyathis tribus. Aliud, Seminis rutæ syluestris aridi, seselis massilici, utriusq; drach. viij. petroselini drac. iiij. sinonis Syriaci drachmas iiij. piperis albi drach. ij. tusa & cribrata exhibe ut dictum est. Eclegma colicis Nectareum. Facit & pleuriticis, & dyspnoicis. Deducit mulieribus menses. Est & concoctorium. Cumini hispani unc. i. piperis albi, zingiberis, utriusq; tantundem, uini dulcis aut Scybelitæ, aut protropi sextarios iij. uini falerni sextarium unum. Mellis Attici libram unam. Arida tunduntur & cribrantur crassiore cribro, Deinde cum uino coquuntur donec tertia pars supersit, deinde affunditur uinum dulce ac rursus coquitur. Mouere autem oportet ramulis rutæ uirga salicis exceptis, & salicis cortice obligatis. Habenda est ad manum etiam altera uirga similiter rutæ ramulos recentiores cōplectens, quo prioribus exsiccatis recentioribus moueas. Postquam autem liquor semel atq; iterum ebullierit, iniice mel ac rursus coque, & excolatum per saccum liquorem repone. Vsu expetente mystra tria ante & post cibum præbe. Alia Scribonij Largi ex salice. Liberat à tota affectione. Corticis salicis drach. iiij. zingiberis aridæ drach. iij. phœnicobalanos vi. numero, aquæ sextarium unum & dimidium. Coquito omnia rutæ ramulis mouens, & ubi tertia pars liquoris restiterit, tum excolato, & cyathos duos quotidie bibendos dato. Hoc uero per triduum facere oportet, & post triginta dierum interstitium rursus repetere, quo per annum potiones xxxvi. fiant. Bibitur enim hoc pharmacum per annū totum. In alijs exemplaribus hoc modo habetur. Corticis salicis uiridis drach. v. zingiberis sicci drach. iiij. piperis albi drach. iiij. palmularū passarum maximarum, quas Græci patetos appellant, numero duas aut tres, rutæ uiridis ramulos v. aquæ pluuiæ sextarios iij. coquito ad tertias, & dato ut prædictū est. Alia Paccij Antiochi, à tota affectione liberans. Cornu cerui recens enati mollissimi usti ad albedinem cochlearia iij. maioris magnitudinis. piperis albi grana x. aut ix. myrrhæ parum odoris gratia, omnia teruntur, & cochlea Africana uarij coloris unà cum testa itidem teritur, uino falerno per saccum non excolato affuso. Sit autem uini mensura cyathorum trium, Hæc omnia in fictili uase permixta ad prunas calfacimus, diligenter mouentes, ne quid ex pharmaco subsidat. Calfactum uero in ipsis irritationibus bibendum dato, itemq; sequētibus duobus diebus. Oportet autē diem unam ante, cibum differre, et reliquis diebus prandio solo uti, in eoq; assumere cibum qui facile confici potest. Alia confectio. Succi fœniculi sextar. iiij. mellis Attici sextar. ij. croci drac. iiij. crocum in linteolum purum ligato, Succum uero & mel mixta in uase fictili coquito, & fasciculo croci moueto. Vbi uero densata fuerit ad arteriacæ spissitudinem, Crocum quidem expressum reijcito, pharmacum uero reponito. Vsus tempore mystrum unum aut duo an-

A te cibum dato. Colica Sigonis, qua usus est Valens. Facit in summis doloribus data nucis ponticæ magnitudine, ex aquæ calidæ cyathis tribus, & confestim minuit dolores, & maxime si pruritus per totum corpus fiat. Facit & ad inueteratos spleniticos, et ad uoluulosas affectiones. Facit hepaticis & ad febres per circuitum repetentes, ac uuluæ strangulatus, & uesicæ affectus. Est & arteriaca bona. Sinonis syriaci aut hispani drach. lx. piperis albi drach. xl. seminis hyoscyami albi drach. xl. opij, corticis mandragoræ, utriusq; drachmas decē, croci drach. vi. mellis cocti quod satis est his excipiendis. Quantitas exhibitionis ostensa est.

Alia exemplaria sic habent. Sinonis hispani drach. lx. piperis albi, seminis hyoscyami, utriusq; B drach. xl. cornu cerui usti, opij, utriusq; drach. xx. corticis mandragoræ drachmas decem, croci drachmas vi. mellis quod sufficit. Confectio Lingonis colica, data ex frigida statim soluit dolores. Seminis hyoscyami albi drach. xx. opij, seminis dauci cretici, utriusq; drachmas decē, petroselini drachmas vi. croci, spicæ nardi, pyrethri, singulorum drach. iiij. euphorbij, opobalsami, cinamomi, singulorum drach. ij. Excipe melle cocto, & exhibe fabæ Aegyptiacæ magnitudine cum aquæ tepidæ aut frigidæ cyath. iij. in irritationibus. Colica sedans dolorem, qua usus est Cassius. Facit & ad internorum affectiones, pharmacum est ualde bonum. Anisi, nardi Syriacæ, myrrhæ, singulorum drach. viij. piperis albi & longi, utriusq; drach. xij. C seminis seselis drach. vi. opij tantundem, croci, castorij, petroselini, iunci odorati, singulorum drac. iiij. mellis Attici cocti quod satis est, Datur ponticæ nucis magnitudine. Colica sedans dolorē Lucij, confestim eximit dolores, inscribitur Sicula.

Myrrhæ, succi hyoscyami, opij, singulorū drac. viij. radicis mandragoræ, piperis albi, croci, thuris, singulorū drachmas decem. Excipe melle & præbe fabæ Aegyptiacæ magnitudinem ex aquæ calidæ cyathis tribus ad noctem. Colica sedans dolorē Euschemo Spadoni inscripta. Bibitur in dies triginta. Seminis brassicæ syluestris, phu, cinamomi, iridis Illyricæ, acori, asari, opopanacis, myrrhæ, nardi Indicæ, opij, costi, succi mandragoræ, castorij, singulorū drach. vi. trium piperis generum, D mei, seminis dauci cretici decorticati, singulorum drach. xij. excipe melle cocto ac præbe fabæ Aegyptiacæ magnitudinē, febre carentibus cum uini mulsi diluti cyath. iiij. febrientibus cum aqua mulsa. Hac etiam in infusis utebatur nucis ponticæ magnitudine, cum fœni græci decocto cyathorum iiij. & oleo cui ruta incocta est item cyath. iiij.

Ad easdem affectiones confectio Breniti. Croci, opij, opopanacis, myrrhæ, iridis, acori, mandragoræ, asari, costi, nardi Indicæ, dauci Cretici, Mei, singulorum drac. vi. piperis albi & longi, gentianæ, stœchadis, cassiæ, phu pontici, singulorū drac. viij. excipe melle.

De dysentericis. Cap. V

De dysentericis equidē quæ in uniuersum nosse oportet, iam ante dictū est, tum in curandi methodi

A thodi libris, tum etiam nunc in sermone de hepaticis habito, Reliquum est igitur de uere dysentericis agere, in quibus neque hepar affectũ est, neque alia aliqua affectio est, preter intestinorum ulcerationem, aut nudam, aut cum putrefactione aliqua obortam, quam Medici Graece consueto uocabulo Nomen appellant. Quecunque igitur ad tales affectiones cõmoda sunt, & iam frequenti experimento cognita, ea in principio subscribentur.

Quæ ab Andromacho ad dysenteriam scripta sunt.

Potio ad dysentericos & hæmoptoicos. Floris rosarum, opij, acaciæ, gummi, singulorũ drach. iij. balaustij tantundẽ. succi hypocisthidis tantundem. gallarum drac. ij. seminis plantaginis tantundem, & succi eius tantundem. lycij Indici drach. i. succi rosarũ drach. i. Fac pastillos drachmæ unius. B Vtere uarie. Ad dysentericos & cœliacos, confectio ex fructibus. Mala punica integra xx. mala cotonea xx. erui sextar. i. prunorum syluestrium sextar. ij. Sorborum Ephesinorum sextar. ij. Rhois Syriaci sextar. iij. pira Terentiana xx. mala Cestiana xxx. siliquas xl. baccarum myrti nigrarum sextarios iij. musti aminei ad tertias decocti sextarios xlviij. Coquito simul ad mellis spissitudinem & in figulino reponito. Alia ex fructibus ad eadem. Stomachũ subuersum restituit, Imponitur etiã forinsecus. Mala punica x. cotonea xx. mala orbiculata xv. sorborum sextar. ij. mespilorum sextarium unum. glandium sextarium unum. Rhois Syriaci sextarium unum. rubi fasciculum manipularem, baccarum myrti nigrarũ sextarium unum. C palmas passas, patetos Græci dicunt xxx. acinorum aridorũ sextarium dimidium, prunorum syluestrium sextar. i. siliquas magnas x. œnanthes sex uncem, cornorum sextarium unum, mala citria v. passi Cretici sextarios xvi. Coquito simul & reponito in uitro, utere ut priore. Ad dysentericos qua utor. Gallæ, fructus ericæ, opij, singulorum drach. iiij. cum aqua redigito in pastillos duorum obolorum. Dato ex aqua aut uino. Ad dysentericos Clidion. Nardi, croci, utriusque drach. viij. aloes drach. iiij. ego drach. ij. thuris drach. ij. acaciæ drach. iiij. myrrhę drac. iiij. succi hypocistidis drac. iiij. alij drach. vi. rosarum siccarum drach. iiij. lycij Indici drach. iiij. tragacanthæ drach. iiij. opij drac. iiij. alij drach. i. obolos ij. piperis drach. ij. alij etiam D iridis drach. ij. Excipe aqua. Quidam etiã cinamomi drach. ij. & dimidiam. gallæ drach. ij. fac pastillos obolorum duorum ponderis. Exhibe cum uino myrteo. Ad dysentericos & cœliacos pastillus Beritij. Nardi, croci, utriusque drach. ij. myrrhæ, succi hypocisthidis, aloes, opij, tragacanthæ, lycij Indici, gallæ, anisi, acaciæ, piperis, rhei pontici, singulorum drach. i. tragacantham in uino macerato, & reliqua trita cõmisceto, pastillosque drachmę unius formato, atque ipsos ex uino dato. Clidion ad dysentericos. Acaciæ drach. xxv. seminis hyoscyami drach. lvi. baccarum myrti tusarum drac. clx. rhois Syriaci drac. lxx. & succi eius drac. ij. & dimidiam. thuris drach. lxxv. Omnia torrefacta terito & uino nigro excipito. Datur summum drach. i. Ad dysentericos & cœliacos. Vini falerni sextar. vi. mellis Attici lib. vi. coquito simul ad multam spissitudinem, utere pleno cochleario ad delingendum dato.

Ad dysentericos & omnia interna uitia, pastillus ab Eudemo seniore. 2

Croci, casiæ fistulæ, utriusque drac. ij. nardi drac. i. myrrhæ, aluminis, succi papaueris, singulorum drach. ij. cum aqua pastillos formato, & dysentericis ex uini cyathis duobus dato, febrientibus ex aqua, hepaticis & peripneumonicis ex aqua mulsa. Ita etiam pleureticis & tussientibus. Aliud, ad dysentericos. Seminis fœniculi, anisi, apij, malicorij, singulorum drach. iiij. opij drach. ij. cum aqua redige in pastillos duorum obolorum. Dato unum ex aqua. Ad dysentericos & cœliacos ex libris Antipatri. Piperis nigri drach. iiij. gallæ drac. iiij. myrrhæ drac. ij. croci drac. ij. nardi drac. i. lycij drach. i. succi hypocisthidis, acaciæ, ramentorum loti, gummi, singulorum drach. ij. opij, aloes, anisi, singulorum drach. i. Rhois obsoniorũ, drac. ij. Excipe succo rubi & utere. Ad dysentericos, cœliacos, & hæmoptoicos, è Cornelio medico. Myrrhæ, thuris, aloes, croci, opij, rhois Syriacæ & coriariæ, lycij indici, acaciæ, malicorij, succi hypocisthidis, gallæ, balaustiorum, singulorũ par pondus in pastillis cogito, et ad noctem febre carentibus ex uino, febricitantibus ex frigida dato. Aliud ad dysentericos Valentis. Myricæ fructus, rhois Syriaci, opij, petroselini, singulorũ par pondus torreto ac terito, & cum aqua in pastillos reducito magnitudine fabæ. Da in noctem febricitantibus ex aqua calida, non febriẽtibus ex uino. Ad dysentericos ex scriptis Lucij. Styracis drach. ij. opij, croci, acaciæ, gallæ, fructus myricæ singulorum drach. i. cum aqua pastillos facito ac dato fabæ Aegyptiæ magnitudinem cum uino.

Ad dysentericos & hæmoptoicos, statim à prima potione cohibet fluxum. Cochlearũ ustarum drach. xij. cornu cerui usti drach. xx. obol. ij. baccarum myrti nigrarum drac. xv. opij torrefacti drac. v. obol. ij. gallæ tostæ drach. v. obolos ij. œnanthes drach. vi. succi hypocisthidis drach. v. obolos ij. radicis mandragoræ drach. xij. succi rhois, terrę asteris, utriusque drach. xij. rhois culinarij drach. iiij. malicorij tosti drach. vij. thuris drach. viij. corticis pinus torrefacti drac. vi. seminis apij drach. xiiij. hyoscyami tosti drach. x. rhois coriarij sextar. ij. acaciæ tostæ drach. v. obol. ij. Vini nigri, quo rhus coquatur ut crassissimus succus fiat. Coquito itaque cum uino, atque colato, & cum succo reliqua subacta in pastillos drachmales, & triobalares, ac diobolares cogito, & pro habitu exhibeto. febricitãtibus cũ aquæ calidæ cyathis iij. Non febrientibus cum uini cyathis ij. In alijs exemplaribus cornu ceruini drach. vi. oboli ij. habentur, & gallæ drach. vij. & acaciæ tantundem. Ad dysentericos Flauij Pyctæ, id est, pugilis. Baccarum myrti aridarũ tusarum sextariũ unũ. rosarum siccarũ tusarũ, sextariũ dimidium. fecis malabathrini drach. ij. baccarum iuniperi drach. xxx. pirorum aridorum tusorum sextar.

sextar.i.corticis pinus drac.xij.myrrhæ drac.i.gallas v.siliquarũ tusarũ sextarium unum. Dantur ad summum drach.viij. Dato aridũ cum uino diluto. Quę uero crassiora sunt palmulis pinguibus excepta exhibeto. Ad cœliacos. Sistit fluorem confestim. Fructus myricæ drach. iiij. rhois cibarij drach.iiij. baccarum myrti nigrarum drach.iiij. acaciæ drach.ij. succi papaueris drach. i. excipe malorum spissamento & fac pastillos drachmæ ponderis, ac utere cum oui assati uitello. Vbi uero bibendum dare uolueris, radicem rubi, aut myrtum, aut mala cotonea coquito, atq; decoctum horum frigidum cyathorum iij. mensura cum pharmaco dato. Facit & ii ietericis. Potio ad internos fluores, forinsecus etiam cum melle cocto impositum facit. Anisi drach.ij. succi hypocisthidis sesquidrachmam, seminis rosarum sesquidrachmam. succi papaueris drach. unam. myrrhæ drach. unam. crocomagmatis drach. i. Dantur cum aqua oboli. iij. & duo, & unus item. Potio ad omnem fluxionem & inflationem, Lucij Tarsensis. Anisi, seminis apij, utriusq; drach.ij. seminis anethi, dauci, tordylij singulorum drach.iiij. opij, seminis hyoscyami, utriusq; sesquidrac. Excipe aqua atq; ita utere. Potio ad fluxum muliebrẽ sistendum, ut Apollonius. Coralli obol.iij. balaustij obolos iij. gummi obolũ unum. excipe oui crudi candido, & dimidium totius cum aquæ cyath. iiij. præbe.

Infusa Dysentericis commoda. 3

Infusum ad dysentericos, Isidori, ad exulcerationes factas in intestino recto. Cineris chartę drach. x. aluminis scissi drach. iiij. auripigmenti drac. iiij. sandarachæ drach.ij. squamæ æris, omphacij, utriusq; drach.iij. croci, succi papaueris, utriusq; drac. ij. calcis uiuæ drach. v. Trita misce & excipe uino dulci, ac forma pastillos drachmarũ trium, & duarum ac unius ponderis. Vsus tempore uino austero diluuntur ad strigmentitiam crassitudinem, miscenturq; succi ptisanæ cyathi duo. Infundito hæc simul ægroto ita ut tum de ptisanæ succo, tum de pharmaco pro uiribus ipsius sumas. Infusum Faustianũ. Auripigmenti drach.xij. chartæ ustæ drach.xxx. sandarachæ drach.vi. calcis uiuæ drac. x. alij xij. cogito in pastillos, quatuor drachmarũ, & cum plantaginis succo, in quo spissamenta incocta sunt, infundito. aut uini diluti cyathos iij. Infusum quo utor Athenæi. Concordat Harpocræ, Magno Philadelpho, Aristolao. Omphacij drac. vi. aluminis scissi drach. vi. calcis uiuæ, squamæ æris, utriusq; drach.vi. auripigmenti drach. viij. sandarachæ drach.iij. chartæ ustæ drach. xv. Cum uino myrteo pastillos drachmarum iiij. aut iij. formato. Infunde cum uini diluti cyathis iiij. & aquæ tepidæ cyathis duobus. Quandoq; etiam cum aqua pluuiali. Infusum quo utor. Chartæ ustæ drac. xxx. auripigmenti drach.xij. gallæ drach.ix. calcis uiuæ drach.xvi. bituminis drach.xvi. sulphuris uiui drach. xvi. sandarachæ drach. xvi. Infusum aliud ut Idius. Aeris usti drac.xxiiij. calcis uiuæ, aluminis scissi, utriusq; tantundem. chartæ ustæ drac.xxx. auripigmenti drac.xij. sandarachæ drac.

A xij. Excipe uino myrteo, aut rosarũ decocto, quæ cũ uino austero ad dimidias coctæ sunt & expressæ, forma pastillos, eosq; infunde cum aqua. Infusum ab Eubulo. Squamæ æris drach.xx. chartæ ustæ drach.xvi. calcis uiuæ drac. vi. auripigmenti drach. viij. sandaracæ drach. xv. omphacij drac. iij. fecis uini ustæ drach. i. excipe uino myrteo, & infunde cũ uino diluto calido. Infusum Heræ. Chartæ ustæ unc. i. calcis uiuæ unciam dimidiam, cadmiæ unc.i. auripigmenti unc. unam. Ex hoc arido cochlearia duo cum decocto baccarum myrti, aut uino myrteo cyathorum iiij. mensura infunde. Calcẽ uero cum succo plantaginis extingue. Infusum aliud eiusdem. Sandarachæ, auripigmenti, utriusq; drac.viij. acaciæ drac.iiij. calcis uiuæ drac.
B iiij. excipe uino austero, & coge pastillos drachmarum trium. In debilibus uero minus cum uino diluto infunde. Aliud, Sandarachæ drac.viij. calcis uiuæ recentis drach.x. chartæ ustæ drac. viij. alij drach.xxx. malicorij, gallarum, acaciæ, singulorum drac. v. mænarum aceto conditarũ ad dies uiginti unum, ac ustarum drach. iij. auripigmenti drach.xvi. Vruntur mænæ in olla cruda, Et aliqui arido medicamento utuntur, aliqui in pastillos cũ myrti baccarum decocto cogunt. Si uero non moretur pharmacum retentum, ante eius usum polygoni succũ aut muriam infundito. Infusum quo utor Aphtha appellatũ, Rois Syriaci, gallarum ustarum, utriusq; drach.xv. chartæ ustæ tantundẽ. suberis usti drach.xv. panis Alexandrini sicci usti
C drac.xv. auripigmenti drac. viij. sandarachæ drac. x. acaciæ drac.v. cerusæ drac.viij. calcis uiuæ drac. x. spumæ argenti drach. iij. Excipe uino ueteri & forma pastillos, alios duarũ, alios trium, alios quatuor drachmarum pondere. In principio quidem per plantaginis aut sanguinariæ, aut helxines succum infundito. qui si non adsint, aquã, Si uero uigor sit, & morbus fortis cũ dolore, cum fœni græci aut seminis lini decocto infunde. In declinatione autem cum decocto myrti & rubi uino coctorum. In pueris cyathorum duorum copia, In fœminis triũ, in uiris quatuor. Infusum quo utor Gemelli. Auripigmenti drac.viij. sandarachæ drac. iiij. calcis uiuæ drach.viij. squamæ æris drac.vi. aluminis scissi tantundem, omphacij drach. viij. licij
D Indici tantundem. succi papaueris drach. iiij. succi hypocysthidis tantundem. croci drach. ij. ego autem drach. iiij. chartæ ustæ drach. viij. Infunde cũ uino diluto. Infusum Agathij. Auripigmenti drach.ij. sandarachæ drach. v. calcis uiuæ drach. iij. chartę ustæ drach.iiij. Ex hoc pharmaco drach. iij. cum sale trito infundito in aquæ frigidæ cyathis vi. Infusum Nicostrati ad dysentericos, quo Menander usus est. Calcis uiuæ drach. i. gypsi drachmas viij. acaciæ drachmas ij. omphacij drac. i. stybij drachmas iij. thuris drach. i. gallæ drach. iiij. tragacanthæ drachmas duas. cum uino myrteo cogito in pastillos. Reponuntur reliquijs ab expresso uuarũ succo restantibus stipati, ne transpirent. Infusum ad dysentericos Thamyræ. Auripigmenti drachmas duas, aluminis scissi drach.

drach.ij.cadmiæ tantundẽ.calcis uiuæ nouæ drac. i.chartæ ustæ drach.ij.suberis ex dolio uini falerni usti drach.vij.& dimidiam. Cum sapa aut passo hispano apud te recocto, pastillos cogito. Cæterum pastillis rursus tritis cochlearia ij. infundito. Reliquis pro uiribus cum lenticulæ decocto, Si lenticula non adsit, rubum cum rosis aridis decoquito, & seorsim myrti baccas cum uino austero coquito, & utriusq; cyathum unum misceto. Quandoq; uero uini cyathos iiij. & rubi decocti cyathos ij. Facit item in potu acceptũ pro uiribus ad cochlearij plus minus mensuram ex frigida aqua. Infusum ut Deletius Epagathus. Auripigmẽti drac. xij. succi hypocisthidis drach.iij. sandarachæ.drac. iij.chartæ ustæ drach.xxx. calcis uiuæ drac. xxiiij. balaustij drac. xlviij. Balaustium in uino ueteri austero coquitur. Deinde cum decocto reliqua teruntur, formanturq; pastilli drachmarũ quatuor, quidam unciæ ponderis faciunt. Infunduntur autem in myrti baccarum & lenticulæ decocto.

Quæ ab Asclepiade ad dysentericos scripta sunt, Quorum aliqua etiam cœliacis conueniunt. 2

Vini myrtitæ sextarios iij. Rhois rubri heminã i.mellis Attici cocti lib.i. Rhoem & uinum coquito rubi ramulis mouendo, & ubi tertia pars restiterit, liquorem exprimito, eiq; mel adijcito ac rursus coquito donec spissetur. Datur mystrum ante cibum. Aliud, Rhois Syriaci, farinæ polentæ, uuæ passæ non exacinatæ, singulorũ drach. ij. malicorij tusi & cribrati drach. i. excipe melle cocto, dato mistum ante cibum. Pastillus cœliacis & dysentericis. Ouum crudum recens perforato, & in uasculum euacuato, & cum testa subscripta mensurato. olei omphacini testam oui unam, piperis albi tenuissime triti tantundem. gallarum omphacitidum tantundem. farinæ tritici tantundem. Omnia subacta & mollita in pastillos redigito, & in sartagine fricta ante cibum dato. Aliud. hoc scimus multos usos à morbo liberatos esse. Gallarum subtilissime tritarum cochlearium. piperis albi, rhois rubri, malicorij tenuissime triti, singulorum tantundem. Omnia mixta oui luteo excipe, & in uacuam mali punici testam conijce, atq; obturato cum farina osculo ipsius, ad prunas torre, deinde depurgata mali punici testa, cochlearium unum comedendum exhibe. Catapotia, cœliacis, dysentericis. Gallarum omphacitidum non perforatarũ drach.iiij. opij hispani drach.ij. petroselini drac.i. excipe aqua, fac catapotia, & da magnitudine ciceris: uirium tamen ratione circa mensuram habita. Aliud Aspasii, pharmacum generosum. Petroselini, fructus ericæ, rhois Syriaci, opij, singulorũ drach.ij. cum myrti decocto in catapotia redigito, ac dato ut dictum est. Pastillus sedans dolorem, cœliacis & dysentericis. Et bibitur & infunditur. Quandoq; etiam ipso pro cataplasmate utimur excipientes melle cocto. Seminis hyoscyami drach. iiij. seminis apij tantundem, anisi, florum rosarum, utriusq; drach.ij. hypocisthidis, opij, utriusq; drach. i. Cum aqua trita in pastillos reducito, & obol.iiij. exhibeto. Febrẽ non ha-

A bentibus cum uini diluti cyathis tribus, febricitantibus cum aqua. Aliud cœliacis, dysentericis pharmacum accõmodatum, & bibitur & infunditur, & forinsecus impositum auxiliatur. Seminis apij, seminis hyoscyami, anisi, fœniculi, singulorum drach.iiij. opij, Rhois Syriaci, utriusq; drac. ij. succi hypocisthidis, balaustij, singulorũ drach.i. excipe aqua & coge pastillos, dato ut prædictum est. Pastillus aromaticus, cœliacis, dysentericis, Berytij appellatus. pharmacum accõmodatum. Sistit confestim. Croci drac.iiij. nardi Indicæ, anisi, utriusq; tantundẽ. myrrhæ drach. ij. aloes Indicæ, succi hypocisthidis, succi papaueris, gallarum omphacitidum, tragacãthæ, piperis albi, singulorum tantundem. Excipe uino & forma pastillos, dato B obolos. iij. Pastillus Philippi, ad dysentericos inueteratos, sedans dolorem, Bibitur & infundit.

Balaustij, acaciæ, succi hypocistidis, Rhois, opij, thuris, myrrhæ, baccarum myrti nigrarum, croci, gallarum, lycij, aloes, Rhei pontici, malicorij, singulorũ drach.iiij. Excipe uino Italico, & coge pastillos pondere obolorum iij. da non febrientibus cum uino. Febrientibus cum aqua mulsa. Pastillus sedans dolorem, præclare inducens somnum, Ad inueteratos dysentericos. Chartæ ustæ drac. x. sandarachæ, auripigmenti, squamæ æris, aluminis scissi, omphacij, calcis uiuæ, singulorũ drac.v. croci, opij, utriusq; drac. ij. Singula diligenter trita in pastillos drachmales cum uino myrtite coagmentato, ac utitor. Infunduntur ad summũ ex eo C drach.iij. Medium duæ, minimũ una. In conficiendo autẽ omphacium cum opio tibi sit in uino myrtite maceratũ. Crocus seorsum teratur. deinde simul mixta probe terito, & additis aridis unito, animaduersione habita ne pharmacum à calce uiua exuratur. Si tamen tale quid consequatur, de myrtite sufficienter affunde ut omnia dissoluantur. Oportet autẽ calente adhuc pharmaco pastillos formare. Vsus iuxta apponderationis uariationẽ, fit secundũ quod ægri subtili aut hebete sensu prędito, id tolerare possunt, & secundum magnitudinem affectionis. Infundito autẽ diligenter in non febricitantibus cum uini austeri diluti cyathis vi. in febrientibus cum aqua, aut decocto palmularum, aut rosarum, aut myrti. Ante infusionem de- D tur panis non febrientibus cũ uino diluto. febrientibus ex aqua. Alius dysentericis non febrientibus, facit confestim. Chartę ustæ drach.x. sandarachæ, auripigmenti, squamæ æris, aluminis scissi, omphacij, lycij Indici, acaciæ, succi hypocisthidis, calcis uiuæ, singulorũ drach.v. croci, opij, utriusq; drac.ij. excipe uino myrteo, & forma pastillos magnitudine differentes. Infunduntur ad summum drach.iiij. Infundere autẽ oportet quantitate pharmaci ad magnitudinem affectionis apponderata. Sitq; liquor passum creticum dilutum, & ex eo ad summũ cyathi vi. infundantur. Epithemata cœliacis, dysentericis. Seminis hyoscyami albi, apij, utriusq; trientẽ, anisi, floris rosarum, succi hypocisthidis, balaustij, Rhois Syriaci, singulorũ sextantem. succi papaueris unc.i. Hæc singula cum uino

myrteo

myrteo terito, deinde mista in pastillos cogito, eosq; in umbra siccato. Inde uero quantũ sufficit tundens & cribrãs palmis passis excipito, deinde linteolo infarcta uetri imponito. Aliud. Succi acacię, malicorij, seminis hyoscyami, opij, gallarũ, omphacij, Rhois Syriaci culinarij, singulorũ quadrantem. baccarum myrti nigrarum heminam unam, tundito, cribrato, & uino austero subacta in pastillos coagmentato, eosq; in umbra siccato. Visus iam ostensus est.

De affectionibus & uitijs sedis. Cap. VI

Sedis uitia & affectus ob multas causas difficilem curam accipiunt. Multo enim sensu particula hæc prædita est, dictum autem sæpe est eiusmodi particulas facile per acriora & austera pharmaca irritari. At uero & ipse retrimentorũ alimenti transitus per se mordax est, & hoc magis ubi eruperit ipsa bilis, & serosi quidam aliquando humores. Quibus accedit & hoc, quod neq; statum tempus habeant medici ad imponenda pharmaca, sed plerũq; tempore minime conuenienti ægri ad excernendum concitatur. Quin & humiditas ac caliditas ipsius loci, siccantibus simulq; frigefacientibus opus habens, non parum confert ad hoc ut ægre curabilis ani affectio existat; si quidem mordent adstringentia. Verum locus subtili sensu præditus, acrimoniam ferre nõ potest. Ob id igitur aptissima ipsis pharmaca sunt, quæ citra aspretudinẽ adstringũt. Qualia maxime sunt ex metallicis, quæ neq; acria, neq; acerba penitus existunt. Hæc enĩ lota citra mordacitatẽ id quod oportet operantur. Horum itaq; in summa dictorum memores, deinceps materiæ syluam experimento cognitam subscriptam habebitis.

Medicamenta Sedis seu ani ab Andromacho conscripta. 2

Medicamentum sedis quo utor. Cerussæ, spumæ argenti, utriusq; ʒ. quinq;. thuris, aluminis scissi, utriusque ʒ. tres. croci obolos iij. Vini & rosacei quod satis est. Aliud ad sedem, ut Apollonius, quo utor. Lycij Indici, sextantem. œsypi unc. i. ceræ Tyrrhenicæ triẽtem. alij sextantem. Rosacei quod satis est. Aliud. Butyri sescunciam. ceræ sescunciam. medullæ ceruinæ unc. unam. œsypi, unc. i. thuris unc. i. aluminis scissi quadrãtem, lycij sextantem. Vini & rosacei quod satis est. Aliud ut Nicostratus. Ceræ Tyrrhenicæ unc. i. lycij Indici sextantem. balaustij unciam dimidiam. œsypi unc. i. acaciæ unc. dimidiam. rosacei triẽtem. Aliud ut Herophilus. Rosarum siccarum aut uiridium ʒ. duas. cerussæ drac. ij. pompholygis ʒ duas. croci ʒ. duas. spumæ argenti lotæ ʒ. duas. meliloti drac. duas. iunci odorati ʒ. unam. succi papaueris drach. unam. œsypi ʒ. unam. oui assati uitellum unum. Rosacei quod sufficit, succi plantaginis cyathos duos. Aliud faciens ad pruritus. Spumæ argenti libram dimidiam. thuris, terræ samiæ, utriusq; unc. unam. œsypi sextantem, rosacei sextantem. melini librã dimidiam. Arida in umbra cum uino falerno terito, œsypumq; infarcito, & affusis duobus ungentis terito ac commisceto. Aliud ad sedem quo utor, ad condylomata, inflammationes ani ac rimas. Ammoniaci thymiamatis, lapidis hæmatitæ, thuris, aluminis rotundi, singulorum ʒ. duas. gallæ, croci, utriusque ʒ. unam. terebinthinæ ʒ. unam. cerę tyrrhenicę ʒ. duodecim. rosacei heminas quatuor. excipe pesso cum Syriaco, in reliquis cum rosaceo. Medicamenrum sedis ex cerebellis. Adipis anserini curati, ceræ, thuris, medullæ cerui, florum rosarum, pompholygis, cadmiæ, plumbi loti, singulorum ʒ. quatuor. cerussæ drac. octo. cerebri gruis ʒ. duas. succi papaueris sesquidrachmam. œsypi ʒ. quinq;. succi seridis heminam unam. rosacei heminam dimidiam.

Medicamentũ sedis à Rustico, quo utor. Rosarium uiridium ʒ. octo. lactis muliebris heminã unam. spumæ argenti ʒ. quadraginta. succi papaueris ʒ. xl. oua cruda integra duo. butyri ʒ. sexdecim. œsypi ʒ. sexdecim. malicorij drach. sexdecim. mellis ʒ. centum. in alio exemplari heminam dimidiam. cerę ʒ. quadraginta. rosacei aut myrtei heminam dimidiam. Verum Heras pro œsypo adipem anserinum pari pondere coniecit, & spumę argenti drach. decem. lactis heminas quatuor. & oui uitellum assatum. Aliud à Tyranno. Spumæ argenti sextantem. cerussæ sextantem & unc. dimidiam. thuris ℥. unam. myrrhæ ℥. unam. cadmiæ sescunciam. aluminis scissi trientem. ceræ trientem. Vinum & rosaceum. Aliud Samithræ ad multa commodum. Spumæ argenti ʒ. duodecim. cerussæ ʒ. duas. chalcitidis ʒ. duas. misyos assati ʒ. unam. terebinthinæ drach. sex. olei & aquæ heminas quatuor. Pinguis compositio ad Achoras & psoras. Spumæ argenti, cerussæ, utriusq; drac. xxxij. atramenti sutorij ʒ. sexdecim. sulphuris uiui ʒ. octo. olei myrtei & aceti quod sufficit. Alia pinguis Galli. Spumæ argẽti ʒ. uigintiquatuor. cerussę ʒ. uigintiquatuor, myrrhę ʒ. octo. thuris ʒ. decem. olei myrtei drach. quatuordecim. Vini austeri tantundem. Alia pinguis qua utor, Cleophanti. Olei myrtei, lentiscini, rosacei, singulorum ʒ. sexdecim. cerussæ libram unam. spumæ argenti lotæ sexuncem. Vini ueteris Italici sextar. dimidium. ceræ trientem. Alia ex nouem medicamentis constans, Enneapharmacos dicta. Mellis partem unam. ceræ albæ partem unam. medullæ ceruinæ, myrrhę, utriusq; partem unam. butyri partem unam. adipis anserini, adipis uitulini, utriusq; partem unam. terebinthinæ partem unam. olei partem unam. aliqui & ricinini partem unam.

Alia Xanitæ multi usus. Cerę ʒ. sexdecim. butyri ʒ. decem. œsypi ʒ. decem. adipis anserini ʒ. octo. terebinthinæ ʒ. octo. medullæ ceruinæ drachmas quatuor. Rosacei parum. Alia ex ruta.

Spumæ argenti minam unam. rutæ minam dimidiam, alij minã unã. aceti ʒ. quatuor. olei quod satis est. Alia ad obturationes & alia sedis uitia.

Plumbi usti & loti drachmas x. cerusæ drachmas quatuor. cerę drachmas xij. adipis porcini uel anserini drachmas quatuor. olei quantum sufficit.

Ad obturationes & uitia sedis cõpositio Icodoti, qua Astainus curatus est. Oesypi ʒ. unam. obolos iij. adipis anserini per hyemem curati ʒ. sex. per

æstatem drac.iiij.medullæ cerui aut cameli drac.ij. cerae Tyrrhenicæ drach. viij. plumbi usti & loti 3. quatuor.ladani drac.ij.adipis uitulini drach. quatuor.terebinthinæ drach.iiij.cerussæ drach.ij. spumæ argenti drach.unam.rosacei heminæ quartam partem,hoc est sesquicyathum,hoc est sextantem & unciam dimidiam.Arida cum liquidis committito.Quando uero temporis progressu fuerit induratum,dissoluitur rosaceo,& adipe anserino, facit & ad contractos articulos. Ad condylomata quo melius nullum reperitur. Aluminis scisi 3. tres. ceræ drac. octo. croci drach. iiij. opobalsami drach. unam. œsypi drachmas octo. thuris drach. quatuor.aloes drach. iiij. liquescibilia liquefacito ac cum aridis tritis committito.

Ad prolabentem podicem. Asclepiadæ pharmaca ex quinto externorum. 3

Ad prolabentes podices ut Archelaus. Recrementi plumbi drach viij.Rhois Syriaci drach. viij.floris rosarũ drachmas quatuor.myrrhæ Minnææ drac.ij.admoue siccum, ubi prælaueris uino austero aut lentisci decocto. Aliud. Gallæ omphacinæ, malicorij sicci, rhois coriarij, singulorũ drac.ij.plumbi usti drac.iiij.Spumæ argenti drachmas viij.trita inspergito. Aliud. Balaustij drac. unam.malicorij drach.ij.seminis hyoscyami drachmas duas.cerussæ drach.viij.myrrhæ drac.ij. plumbi loti drach.ij.tritis utitor. Aliud. Corticis pinus,spumæ argenti,mannæ, singulorum drach.ij. pilularum cupresi aridarum drach. ij. plumbaginis drach. ij. trita insperge, ubi prælaueris uino acerbo. Pharmacum nostrum ad procidentem sedem.Fructus ericæ,gallarũ,acaciæ,cerussæ,succi hypocysthidis, corticis pinus, thuris, myrrhæ Minnææ, singulorum drach. quatuor. arida trita insperge,uino austero prælotis locis.

De hæmorrhoidibus. Cap. VII

Quæ Asclepiades in quinto externorum de hęmorrhoidibus scripsit,in subscripto sermone continentur. Quandoquidem uero plurimæ hæmorrhoides opus habent extractione ad facilem pharmacorum impositionem, necesse est etiam huiusmodi compositiones subscribere. Extractorium hæmorrhoidum Magni Tarsensis, pharmacum accommodatum. Piperis,nitri.utriusq; drach.unam.terito & admoueto ante reliquorum pharmacorum impositionẽ. Aliud. Spumæ nitri, fellis tauri, staphidis syluestris, singulorum drachmam unã.trita adhibe, modico addito melle. Aliud. Succi absinthij drach.unã. fellis tauri,staphidis syluestris, utriusq; drachmã unã. Aliud ut Diogenes. Succi cyclamini,mellis,utriusq; parem mensuram coquito in uase æreo,ad cerati liquidi spissitudinem. Aliud ex scriptis Largi,quod uix pronuentes extrahit hæmorrhoidas.

Succi centaureæ drach.ij.aluminis liquidi drac. duas.misyos drac. unam. staphidis syluestris drac. unam.excipe melle & anum obline, aut lanam ex eo madefactam in sedem inde. Postquã uero hoc pharmacum promptitudinem induxerit ad egerendum, & tumor hæmorrhoidarum prociderit, pharmaca ad hæmorrhoidas conscripta adhibeto. Quãdo uero aliquod huiusmodi pharmacũ illitũ sedem ac anũ ipsam extrahit, necessario tales cõfectiões adhibemus,qualis est & Nicodemi Romæ medicantis,quæ Euaphion à lenitudine appellatur. Cerussæ unc.i.spumæ argenti quincuncem, cadmiæ bessem.aut pompholygis unc.i.olei myrtei bessem. Vini boni bessem.butyri unc.unam.

Ad sedẽ inflammatã ac prolapsam. Gallam flauã coctã ac tritam imponito, cum uino si fortiore uti uelis,aut cũ aqua si mitiore.Succus itẽ Echini facit ad inflammationes & prolapsam sedem.

Aliud. Corticis pinus drac.octo. pilularũ cupresi aridarũ drac.ij. prælotis uino austero inspergito. Cęterũ ad ardẽtes sedis dolores,oui assati uitellũ uino albo terito,et cerato myrteo exceptũ illinito.Verũ ad pruritus cimoliã tritã cerato myrteo excipito.Ad rimas uero tum sedis,tum pudendi,rasuram linteolorum urito, eiusq; cinerem cum pari amylo tritum succo foliorũ oleæ ammixto,illinito. Pastillus ad eminentias. Aloes, croci,utriusq; drachmas duas.& dimidiam, aluminis scissi unc.i.terito cum uino Aminæo ac utitor.

Ad pudendorum affectiones. Cap. VIII

Exulcerati pudendi cognitio ex manifesto circa ipsum dolore contingit, unà cum hoc quòd & circa mictiones excernitur quid ex corpusculis ulceri ipsi insidentibus.Discernuntur autem hæc ab eis quæ ex uesica feruntur, quod statim circa primum exitum illa appareant, uerum ex uesica delata ipsis urinis ammixta sunt. Cæterum ulcera pudendorum & circa sedem citra inflammationẽ cõsistentia,resiccantibus ualde indigent pharmacis, qualia sunt,quod ex charta usta constat,& anethũ ustum siccũ,& cucurbita usta. Verum siccis & recentibus ulceribus,etiam aloe bonum est pharmacum,si eius aridæ puluillus inspergatur.Omniũ autem maxime dolorẽ sedat,neq; ullo minus efficax est pompholyx, Si uero humectiora sint ulcera,pinus cortex per se,& lapis hæmatites,uerum si profunda etiam sint ulcera, manna prædictis addatur. Porrò quæ circa uterum aut uesicã sunt ulcerationes,ijsdem pharmacis indigent,sed instrumentis insuper opus habent, quę ipsa intromittãt, quæ metrenchytæ & Catheteres Græcis appellantur. Aptiora itaque sunt arida qualis est crocus,& pompholyx,& aloe, quæ facile plantaginis aut alteri tali succo miscentur. Ad Scroti & pudendi dolores. Butyro & resina pari mensura utere.

Aut semen lini cum aqua coquito, & ammixta myrrhæ fermè decima parte,& resinæ tantundem imponito. Ad pudendũ intumescens. Foliorum uitis tenerorum drac.i.cerussæ drac.v. trita cataplasmatis uice impone. Vtere etiã marinæ aquę frigidæ perfusione,& quiete, & colis religatione.

Aliud. Lenticulam in aqua coquito,& cũ mali punici cortice tritam imponito. Si uero à sudoribus ulcera in scroto fiant,gallam tritam cum alumine inspergito. Ad tubercula uero in pudendis nascentia piri semen inspergito,& fel hircinũ oblinito. Cæterum fissuras ac rimas pudendorum iuuat ress

uatresina fricta cum rosaceo trita ad strigmentitiam crassitudinem, ammixto etiam oui assati uitello. Aut rosacei, & amyli, ac thuris, singulorũ uncia una. Aut foliorum hederæ aridorum usto rum cinis cum oleo in mortario plumbeo tritus.

Ad inflammationes autem pudẽdorum, uuam passam exacinatam, & cuminum, trita imponito. Aut farinã ordeaceam aqua mulsa coquito, & uitis folia tenera cũ polenta terito, omniaq; simul imponito. Aut cuminum tritum, cum butyri & resinæ æqualibus partibus eliquatis committito.

Testiculos porrò ulcere aphthæ nõ absimili apprehensos, ex terra cimolia cum aqua oblinito, & exsiccari sinito. Indeq; aqua calida ablutos myrto arida trita & modico smyrnio item trito conspergito. Excrescentem uero testium carnem cinis sarmentitius cum nitro & aqua subactus sanat cataplasmatis uice impositus.

De priapismo. Cap. IX

Priapismus est auctio pudendi stabilis in longitudinẽ ac orbem tumefacti, citra rei Venereæ appetẽtiam. Est autem flatus uentosus uidelicet qui membrum ipsum tumefacit, ex humoribus uiscosis ac crassis generatus per moderatam caliditatẽ. Palàm est igitur non oportere membra ipsa calfacere, sed refrigerare leniter per ceratum rosaceum in aqua cõquassatum, itemq; per chamæmelinum ceratum tum pudendo, tum lumbis impositũ. Victus & pharmaca exhibeãtur attenuatoriæ facultatis citra manifestam calfactionem. Adhibenda sunt etiam naturali efficacia prædita per experientiam inuenta, nymphæaq; in potu danda ac uiticis semen, Ruta etiam uiridis obsonijs ammisceatur. Verum hoc à principio ne fiat, multum enim calfacit, sed posterius post aliorũ extenuantiũ usum.

A Quod si euacuatione uti libeat, per uomitũ id fiat. Quæ enim per inferiorem uentrem fiunt euacuationes, sæpenumero uicinas partes fluxione infestant. Ad eos qui se in somno permingũt. Vesicam caprinam aut ouillam ustam ex posca bibendam prębeto. Et ad uesperam siticulosos somnum petere iubeto. facit & leporis testiculus in uino odorato feruefactus, atq; ita potatus. Aliud. Calamintham & myrrham in uino ante cœnã bibenda dato. Oblinat autem & pudendum cimolia terra cum perdicij succo.

Ad uteri affectus. Cap. X

In uteri suffocatione contingit sensus ac motus priuatio, & pulsus obscurus ac paruus, & penitus interceptus. In aliquibus uero tum sensus, tum mo-B tus adest, itemq; ratio, uerum uix respirant. Aliquibus etiam uox intercipitur. Alijs contrahuntur artus. Fiunt igitur & sensus & motus & spirationis interceptiões ob frigiditatem, quum ipse sola per spiratione totius corporis per arterias cõtingente contentæ sint, & respirationem per os non expetant, atq; hoc ut dictum est ob frigiditatem. Quando sanè in priori tempore probe purgatæ, & concipientes, ac uiris coeuntes, his ipsis priuatæ fuerint, ut palam sit humidum & frigidum in ipsis semen totum corpus perfrigerare. Ad uuluæ igitur strangulatus conuenit agarici drach. i. in potu accepta ex uino, Plantaginis semen & succus cum uino. Onyx detractus ex conchylio potatus. Acetum scilliticum absorptum. Cæterum olfactu C excitant strangulatas, bitumen, castorium, galbanum, pix liquida, cedria, pili usti, ruta, alliũ, cepa. Eandẽ in rem & cornu cerui suffitur. Et ruta cum melle lana excepta, in anum inditur.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI X

Cap. I De nephriticis. 2. Andromachi nephriticæ confectiones, ad renum & uesicæ affectiones. 3. Asclepiadis. 4. Archigenis. II. De ischiade, podagra, & arthritide. 2. Andromachus ad Ischiadicos. 3. Asclepiades ad ischiadicos, arthriticos, et alios affectus malagmata uaria. 4. Ischiadicorũ cura ex iberide, à Damocrate iambis conscripta. 5. Aliud ex Iberide ad ischiades & perfrigerationes, ex Archigene. III. De podagricis & arthricis affectionibus. 2. Asclepiades ad easdem affectiones.

CLAVDII GALENI DE COMPOSITIONE

PHARMACORVM SECVNDVM LOCOS LIBER X

De Nephriticis. Cap. I

QVOD Nephriticas antidotos & compositiones appellent quæ renibus affectis cõmodant, ex ipsa appellatione manifestum est, Nephriticæ enim nihil aliud quàm renales sonant. Est autẽ differentia ipsarum generalissima duplex, Quædam enim calculosos renes iuuant, Quędam uero inflammatos & ulceratos, quæ etiam ad uesicam similiter affectam conueniunt. Maxime uero contrariæ inter se sunt prædictorum pharmacorũ facultates. Quæ enim ad inflammatas & ulceratas affectiones cõponuntur, mitigatorijs medicamen-D tis opus habent. Quũ uero impossibile sit hæc cito ad regiones renũ peruenire, ob id ipsis pharmaca urinam cientia miscemus. Quæ uero calculosis auxilianť, unica facultate indigẽt, quę secare & extergere cũ manifesta caliditate potest. Sunt aũt talia ferè oĩa amara. Queadmodũ igiť in alijs, etiã in his materiã experimẽto cognitã deinceps subscribã, initium ab his quæ ad ulceratas & inflãmatas affectiones conueniunt facturus, à quibus etiã Andromachus & Asclepiades orsi, inde ad cõpositiones calculos frangentes transierunt.

Confectiones renales ab Andromacho ad renum et uesicæ affectiones conscriptæ. 2

Potio. Seminis lini, seminis papaueris albi, seminis cucumeris, tragacanthæ, singulorum drach. ij. amy

amyli drac.iiij. cũ aqua in pastillos redigito, & ad A
uesicam ulceratã ac urinæ emittendæ difficultatẽ
exhibeto. Alia. Nuces pineas.xxx.amygdalas
xx.palmas quindecim, tragacanthæ drac.iiij. succi
radicis dulcis drac.ij.croci ob.i. myrrhæ ob.i.uino
protropo diluito ac utitor ut accõmodato. Alia.

Ad uesicæ affectus & ulceratiões pastillus quo
utor. Seminis cucumeris drac.xij. seminis hyo-
scyami ʒ.vi. seminis cicutæ, opij, fœniculi, croci,
sing.drac.iij.casiæ drac.iiij. amygdala x.nuces põ
ticas.x.seminis apij. drac. vi. seminis maluæ sylue-
stris drac.iij. Excipe passo cretico & præbe ob.iij.
non febrientibus ex passo. Quidã cicutæ drac.vi.
habent. Alia, ad eadem & uesicæ dolores. Cro
ci, seminis besasæ, hoc est, rutæ syluestris, seminis
maluæ syluestris, sing. drac.vi. seminis hyoscyami B
drac.xij.opij.drac.vi.seminis apij drach. xij. nuces
auellanas. viij. amygdalas xx. seminis cucumeris
drac.xij.Mellis Attici quod satis est. Datur magni
tudo nucis ponticæ cum uini mulsi cyathis tribus.

Alia, ad profluuia sanguinis ex uesica. Alumi
nis drach.i.tragacanthæ drac.ij.gummi ob.i. Dato
ex passo quandoq; obolũ unum, quandoq; duos.

Alia, ad uesicæ affectiones urinam ciens à Ma-
cedone profecta, facit & ad hepaticos, hydropi-
cos, ictericos, nephriticos, ac omia uesicæ sympto
mata, frangit etiã lapides. Acori drach.l.phu ʒ.
xxv.nardi celticæ drach.xxiiij.seminis dauci drac.
xxij. cinamomi drach. xxxij.mei drach. xvi.asari
drac.xxiiij.petroselini drac.xvi. opobalsami drac.
xvi.& carpobalsami tantundẽ. croci drach. xxiiij. C
myrrhæ drac.xx.radicis dulcis drach.xvi.nardi In
dicæ drach.xvi. casiæ drach. xij. amomi drac.xvi.
uuæ passæ drach.viij.tragacanthæ drach.ix. Arida
melle excipito, & tragacanthum uino amineo ma
cerato.Dato nucis ponticæ magnitudinẽ cum ui-
ni cyath.iiij.febricitãtibus cum aqua mulsa. Alia
ad uesicæ ulcera & inflammationes. Nuces pi-
neas xx. seminis cucumeris satiui grana xl. amyli
ob.iij.nardi drac.i.seminis apij cyath.ij. Nardus &
apium in aquæ sextario uno coquũtur, deinde ex
decocto duo cyathi præscriptis ammiscẽtur. A-
lia ad calculosos, qua Bassa uxor Marij curata est.
Frangit ita ut neq; rursus gignãtur. Casiæ drac.
ij.seminis apij ʒ.iij.myrrhæ minnææ drac. iiij.pipe
ris albi ʒ.ij.thuris ʒ. iij. lapidis syriaci masculi ʒ.i. D
aut fœminæ ʒ.i. seminis pastinacæ, anisi, utriusq;
drac.ij.styracis drach. iij.iridis Illyricæ drach. iij.se
minis papaueris albi drach. ij. spicæ nardi tantun-
dem. amygdalarũ amararum mundarum, asari, u-
triusq; ʒ.iij.seminis smyrnij, cyperi, utriusq; drach.
ij.mellis Attici quod satis est.Dato quotidie. A-
lia ad calculosos frangẽs & paulatim expellẽs, do
nec mũdam uesicã reddat, deinde æger pellucida
lotia reddet, & quod maximũ est, curat ut nõ am
plius renascantur. Seminis dauci, anisi, seminis
cucumeris, petroselini, myrrhæ, sing. drach.vi.ca-
siæ daphnitidis, cinomami, nardi celticæ singul.ʒ.
iiij.Terito & cum aqua ad parui lupini quantita-
tẽ coagmentato, & ieiunis quotidie per dies xxx.
ex aquę cyathis tribus prębeto.Hoc uero pharma
cum quemadmodum accepimus, cum quadam re
ligione præparatur.Ligneo enim mortario ac pi-
stillo tundit, oportetq; eum qui tundit neq; anulũ
habere ferreũ, neq; calciamenta clauis ferreis trãs-
fixa. Hoc à rustico ut mysteriũ accepimus. Alia
ad nephriticos & omnem fluxionem, ut Apollo-
nius. Corticis mandragoræ tosti sesquidrachmã.
anisi tosti sesquidrachmã. tragacanthi, carnis pal-
marũ, utriusq; drach.iij.dato cum melle.

Nephriticæ compositiones ab Asclepiade conscriptæ. 3

Antonij Musæ.Fructuum pini, qui pityides uo
cantur, tusorum & cribratorum drach. xx.seminis
papaueris albi, tragacanthæ, utriusq; drach.ij.Nar
di celticæ, croci, anisi decorticati, radicis dauci cre
tici, singulorum drach.i. costi obol. iij. prępara cũ
protropo, & repone in pyxide, da nucis ponticæ
magnitudinem cum protropi cyatho i.& aquæ ca
lidæ cyathis duobus. Alia. Seminis cucume-
ris satiui tosti drach.iij. seminis maluæ drac. v.nu-
cum pinearum drach.vi.seminis apij, drach.vij, se-
minis lini ʒ.i. amygdalarum amararũ mundatarũ
drac.ix.excipe passo, & exhibe ut prædictum est.

Alia ad Nephriticos Onesidemi. Amygda-
larũ amararũ ʒ. xvi. seminis dauci cretici, seminis
maluæ, utriusq; drach.vi. radicis iridis syluestris ʒ.
viij.cornu ceruini usti, tragacanthæ, nardi celticæ,
seminis cucumeris satiui, singulorũ drach.vi. passi
quantum sufficit.præpara ut dictum est. Aliud
pharmacum accommodatum.hoc scimus multos
Nephriticos usos esse, & à tota affectione penitus
liberatos. Oportet per multos dies in pharmaci
huius usu perseuerare.Datur & calculosis, & coli
cis medetur, ac uesicæ affectibus. Cõponitur hoc
modo. Nucum ponticarum purgatarum, amy-
gdalarum amararum mundatarum, seminis cucu-
meris repurgati, singulorũ drach.iij.seminis cicu-
tæ, croci, seminis maluæ, opij, singulorum drac.vi.
seminis hyoscyami albi, seminis apij, utriusq; ʒ.xij.
Cogito in pastillos cũ melle, ac dato obol.iij. cum
aquæ mulsæ cyathis iij. In alio exẽplari & besasa,
hoc est seminis rutæ syluestris drach.vi. Ad cal-
losas in renibus concretiones, Onesidemi. Sym
phytum, & sion, & Artemonium cum uino coqui
to, & expresi liquoris cyathos ij. cum pari aqua
dato. Aliud. Maluæ syluestris radicem, & ru-
tæ syluestris radicem, & apij montani radicem co-
quito, & eo qui dictus est modo exhibeto. A-
liud ad calculosos inspersile. Seminis balsami
partem unam, lapidis qui in spongijs reperit tan-
tundem, pulegij aridi, seminis maluæ syluestris, o-
cymi aridi, singulorum tantũdem, Tusa & cribra
ta reponito, & dato cochlearium cum uini diluti
cyathis duobus. Aliud. Struthij radicis par-
tem unam.iridis syluestris siccæ tantundem.oxalli
dis siccæ tantundem.fremij luteum florem haben
tis sicci tantundem. Tusis cribratis ut dictum est
utere. Catapotia Heraclidæ Tarẽtini.Dissoluũt
uesicæ tofos, commodant & ad uesicæ stillicidiũ.

Piperis, galbani, utriusq; drac.i. succi libyci ʒ.ij.
myrrhæ drach. iiij. protropi quod satis est.Forma
catapotia ciceris magnitudine, & iij.deuorãda da
to.&

to. & pafsi cyathos ij. insuper bibendos. Aliud. Ammoniaci Thymiamatis, piperis, spumæ nitri, singulorum drach. unam. carpobalsami drachmas ij. myrrhæ drach. quatuor. excipe protropo, & forma catapotia ciceris magnitudine ac tria deuoranda dato, ita ut uini dulcis quadrantem insuper propines. Hoc ad dies quadraginta octo, ægro præloto facies. Pastillus ciens urinam. Detrahit lapillos & tofosas concretiones. Asari, petroselini, phu, Mei, singulorum drac. quatuor. aconiti, seminis anisi, seminis dauci, apij montani, carpobalsami, tragacanthæ singulorum drach ij. Tragacantham passo dissolutam aridis adijcito, & pastillos formato, Indeq; obol. iij. cum pafsi diluti cyathis ij. exhibeto. Alius pastillus Chariclis. Educit arenosas subsidentias. Facit ad affectiones ulceratas. Seminis apij, petroselini, anisi, singulorum drac. xvi. floris iunci odorati, croci, tragacanthæ, singulorum drach. vi. seminis dauci cretici, piperis albi, utriusq; drac. iiij. præpara ut dictum est, & da drach. i. cum protropi diluti cyathis tribus. Antidotus ex lapidibus, ut Mithridates. Facit Nephriticis, & ad uesicæ affectus, atterit calculos, & tofos dissoluit. Seminis smyrnij, cyperi, spicæ nardi, seminis papaueris albi, cinamomi, casiæ fistulæ, piperis albi, seminis pastinacæ, singulorū unc. i. Thuris nō secti, seminis apij, croci, styracis, iridis, amygdalarum amararum, acori, singulorum sesquiunciam. lapidis Syriaci fœminæ aut masculi, utriusq; semiunciam. myrrhæ Minneæ sextantem. Excipe melle. Datur nucis ponticæ magnitudine. Alia Antidotus Biennitę, pharmacū accommodatum, sedans dolorem, utile & Nephriticis, hoc est, renalibus affectionibus, & ad uesicæ ulceratiōes. Frangit lapides, & tofos per urinam expellit. Iridis 3. quatuor. mei, seselis, chamædryos, hyperici, cneori, canchryos, singulorū tantundem. amomi drac. octo. cinamomi drach. xij. rosmarini montani, nardi Indicæ, croci cilicij, petroselini, polij, seminis rutæ syluestris, dictamni cretici, singulorum tantundem. glycyrrhizæ, lapidis Syriaci masculi. utriusq; drac. xvi. thlaspeos drac. xxiiij. seminis uiticis, myrrhæ, spondylij, singulorum tantundem. Cardamomi drachmas xlviij. excipe melle cocto, & præbe nucis ponticæ magnitudinem cum uini mulsi diluti cyathis quatuor.

Quæ Archigenes ad Renum affectiones scripsit in secundo pharmacorum secundum genus. 4

Ex renibus laborātes Nephriticos appellatos, conuenienti diæta adseruo. Et Ceratum quidē Rosaceum cum styrace ad malagmatis formam redactum impono. Cæterū Antiochus apud phricen Linophobum, ualde iuxta naturalem contrarietatem auxilio fuisse ait, ad mali euersionē, Prototomi caulis decocti cyathos ij. ieiuno ad dies nouem exhibitos. Inspergito autem salem modicū & magis proficies. Alia potio. Foliorum rosarum, amygdalarū decorticatarum, thuris, æquales partes. capitū papaueris duplum. Excipe protropo, & in uas fictile repone in loco nō humecto, & ob. ij. cum protropo exhibe. Quidā pro amygdalis, amylum cōijciunt, & pro protropo aqua excipiūt, uerum cum protropo bibendum exhibent.

A

De Ischiade coxendicum morbo, podagra, & morbo articulari siue arthritide. Cap. II

Ex genere Arthritidis est tum Ischias, tum podagra, Quod enim in omnibus articulis Arthritis est, hoc in uno iuxta coxendicem quidem Ischiada, hoc est, coxendicum morbum appellant, Iuxta pedem autem podagram. Incipit igitur plerunque podagrę generatio ex uno articulo, et progreditur in omnes, temporis diuturnitate accedente. Cōmunem habēt hi tres affectus humoris redundantiam, quæ affectam occupat coarticulationē, qua expleta in omnem partem circumsitæ neruosæ particulæ tenduntur, & ex his dolor oritur. Aliquādo quidem igitur irruens humor sanguineus est, ut plurimum uero pituitosus, aut ex pituitoso & bilioso mixtus, aut etiā sanguine cum ipsis permixto. Quod si quis exactius interpretari rem uelit, non pituitosum humorem, sed qui proprie crudus appellatur, ut plurimum circa arthritidas prędominari dixerit. Est autem hic crassus ad similitudinem puris crasioris. Vbi uero in ipsis articulis diutius moram traxerit, non solum crasior sed & uiscosior reddit. Qui igitur tofi seu calli appellantur, horum generatio ex his est, & postquam fuerint producti, ne speraueris ad pristinam constitutionem exacte redire articulum posse. Cæterum differentiæ affligentium humorum facile deprehendi possunt, tum coloribus, tum symptomatis coincidentibus, Itemq; per experientiam pharmacorū quę adhibentur. Cognitio igitur ipsorum ex colore omnibus exposita est, ex symptomatis uero & accesionibus coincidētibus, tametsi non omnibus, neq; ex procinctu manifesta sit, tamen nō adeò difficilis cognitu existit. Biliosus eīn sanguis multæ caliditatis sensum ægroto exhibet, & calfaciētibus impositis exacerbatur, quemadmodum rursus à frigidis relaxatur. Verū ad humoris noxij cognitionē conferet tibi etiā prægressa diæta, siue per exercitia, siue per otium transmissa, & per balnea post, aut ante acceptū cibum. Quēadmodum conferet etiā horū gymnasiorum & eduliorum tum quantitas, tum qualitas, Item anni hora, & Regionis ac aeris cōstitutio, Insuperq; & ætas, & habitus corporis. quorū omniū facultates sæpe in plerisq; locis enarraui. Porrò principiū curationis sit tibi euacuatio humoris affligere reperti. Si quidē humoribus ex æquo redūdarit corpus, Venæ sectione primū omniū assumpta, dein de purgatiōe. quibus accedat pharmacorū dicendorum cōueniens, & tempore, & ordine usus, Ita ut in manibus & pedibus pharmacis fluxionē repellentibus utamur, circa coxendicū uero iuncturam id facere uitemus. Quū enim in profundo ea sita sit, sanguis ex uicinis & ambientibus uasis ac musculis ad illam cōcipitur. Mitigatorijs igitur in principio medicamentis opus est in dolore circa coxendicem hærente, quæ neq; refrigerēt multū, neq; fortiter calfaciāt, qualibus sanè postea opus habet. Exacerbātur enim per ipsa fluxiones, cali-

B C D

ditate nimirũ plus attrahẽte ipsas ꝙ impediente.
Quandoquidem uero præsentis operis institutũ
est neqꝫ de cataplasmatis, neque de irrigationibus
quicꝙ dicere, sed de methodo cõpositorum phar
macorũ, ad hanc solã progrediar, initio ab Ischia-
de sumpto. Raro equidem fit Ischias siue coxendi
cum dolor ex sanguinis multitudine, & citissime
curatur, uenis circa poplitẽ aut talos sectis. Quem
admodũ autẽ sæpe sola sanguinis euacuatio suffi-
ciens auxilium existit, Sic contra in omni coxen-
dicum dolore, & præsertim eo qui ex humorũ co
pia exortus est, si quis ante euacuationem totius
corporis, acribus pharmacis circa partem affectã
utatur, ęgre curabilem reddet affectionẽ, copia ni
mirum indissolubiliter ibidem cõdensata. Præter
alia enim, & crassa & uiscosa fit, ob calorem & sic-
citatem acrium pharmacorum nõ dissimile quip-
piam assationi perpetiẽs. Tanquã igitur maximã
uim ad affectionis curationẽ habeat totius corpo
ris euacuatio, ab ipsa incipiendũ est, non solum à
cruribus, sed & à cubito primum sanguinis detra-
ctione facta. Auxiliantᷣ etiam uomitus ipsis Ischia
dicis, magis uticꝙ ꝙ euacuationes infernè per uen
trem, ut qui reuellant deorsum repẽtem humorẽ.
faciendi itacꝙ sunt uomitus in principio ab acce-
pto cibo, postea uero etiam per uomitoria medi-
camenta, initio à mediocribus facto. In quibus au
tem uehemens humorũ densatio, quæ ægre dissol
ui potest, à medicis intẽpestiue acribus pharma-
cis utẽtibus facta est, his cucurbita affixa maxime
auxiliatur, & purgatio per efficaciora infusa, qua-
le est & quod ex colocynthide cõstat. Si igitur ea
quæ nũc dicta sunt præ oculis habueritis, medica
mẽtis sanè à prioribus medicis traditis iuxta Me
thodũ utemini. Uerũ in ipsis recẽsendis auspica-
bor ab his quæ ab Andromacho scripta sunt, in il-
la parte libri de externis pharmacis conscripti, in
qua præscriptis malagmatis proprie appellatis,
inde etiã alia omnia prodit, iuxta quẽcunꝙ tandẽ
modũ inueteratas affectiões iuuãtia, in quibus est
etiã Ischiadicorũ appellatorum cura.

Compositiones ab Andromacho conscriptæ ad Ischiadicos. 2

Seminis rutæ syluestris drach. iiij. silphij drach.
iiij. spumæ nitri drach. iiij. baccarum lauri drac. iiij.
abrotoni, colocynthidis medullæ, cardamomi,
ammij singulorum drach. iiij. rutæ uiridis minꝰ o-
ctauam partẽ. Quidam horum singulorũ drac. xx.
accipiunt, & picis, terebinthinæ, myrtei, cerę, sin
gulorum tantundem. adipis taurini, tantundem.
galbani drachmas vi. ammoniaci thymiamatis
drach. vi. opopanacis drach. quatuor. sulphuris ui-
ui drac. quatuor. Quòd hoc pharmacum fortiter
calfactorium sit, si memoria tenuerimus ea quę in
libris de simplicium pharmacorũ facultate scripta
sunt, nihil opus recentiore assertione. Est enim ue
hementissimũ & calidissimũ medicamentũ sylue
stris rutæ semen, & cum oleo silphiũ, & baccæ lau
ri, deinde spuma nitri. Post hæc abrotonũ, indeꝙ
colocynthis, et cardamomũ, et Ammiũ. Ruta etiã
uiridis minus quidẽ his, non tamen contemnen-

A dam habet caliditatẽ, quemadmodũ neqꝫ sulphur
uiuum. Ex profundo itaque attrahere omnia hæc
possunt humores articulum & iuncturam coxen
dicis uexantes. Quo uero Emplastrum ex ipsis fie
ret, picẽ & terebinthinã, ac myrteũ, & cerã, ac adi-
pem ammiscuit is qui pharmacũ composuit. Ve-
rum Ammoniacum thymiama, & galbanum, ul-
tra hoc quod cõferunt ad emplastri cõpositionẽ,
etiam emolliendi ac mitigandi uim quandam ha-
bent. Opopanax uero eiusdem cum ipsis est ge-
neris, sed fortiori facultate pręditus. Alteram por
rò cõpositionem ad eandem affectionem Andro
machus sic scripsit. Aliud malagma ad Ischiadi
cos, & alia multa. Ceræ drach. lxxij. terebinthi-
næ ʒ. xlviij. ammoniaci thymiamatis ʒ. xxxiij. pro
B polis ʒ. xlij. galbani ʒ. xxxvi. bdellij ʒ. xxv. croci
drach. v. opopanacis drac. xij. spumæ nitri drach.
xxx. ungento irino admoto tundito. Aliud Pro
tæ Pelusiotæ. ad Coxẽdicum & capitis dolorem,
& ad omnes diuturnos dolores. Ceræ drac. xxiiij.
ammoniaci thymiamatis drach. vij. terebinthinæ
drac. vij. succi thapsiæ drach. viij. olei cyathum u-
num. Quin & aliã compositionẽ inter malagma
ta Andromachus retulit hoc modo. Ad Ischiadi
cos ab Hera Cappadoce. Picis liquidæ heminas
iij. aut ij. & dimidiã. ceræ lib. i. resinæ pini lib. i. nitri
sesquilib. sulphuris uiui lib. i. staphidis syluestris se-
xtar. i. pyrethri lib. dimidiã. fecis uini ustę lib. ij. car
damomi sextar. i. galbani lib. dimidiã. arida cum li
quidis cõmittito. Hoc pharmacũ etiã ipse Heras
C in proprio libro prope finẽ scripsit, sed non appo-
situm est ad picem, aut duas aut dimidiam, sed sim
pliciter scriptum est heminas tres. Præscripsit au-
tem hæc uerba. Ceratũ ad Ischiadicos, quod eruit
etiã ualde inueteratas affectiones, hoc usus sum in
Frontino. Scripsit autem & alias duas Ischiadicas
cõpositiones Heras, quarum altera hoc modo ha
bet. Ad Ischiadicos ualde mitigatoria. Picis
partes duas, sulphuris uiui partẽ i. utraqꝫ trita mix-
ta dolenti loco imponito, uerũ prælauare ægrum
oportet, & superne chartã superponere, ac sinere
donec sua sponte dilabatur. Licet etiã lauare char
ta suprapposita adhuc incũbente. In quibusdã exẽ-
plaribus, picis pars una habetᷣ, & licet etiã sic præ-
parare, modo sciamus nos efficacius esse ambo
D pari mensura misceri, debilius uero pharmacum,
in quo duplum picis ad simplum sulphuris conij-
citur. Porrò quę restat adhuc tertia compositionũ
Ischiadicarũ, hoc modo ab Hera prodita est. A-
lia Ischiadica, hac usus sum in Frontino, statim in
exacerbationibus. Ceræ drach. c. uisci quercini
drach. xvi. myrrhæ drach. vi. terebinthinæ drach.
xxv. galbani drach. vi. iridis Illyricæ drach. vi. ce-
driæ heminam dimidiam. cyprini heminam dimi
diam. Ceram & cedriã cum cyprino liquefacito,
deinde resinam & galbanum, atqꝫ ubi iam ab igne
auferre uoles iridem inspergito, itemꝙ uiscũ indi
to. Ablata autem iam olla, in promptu sit tibi myr
rha trita, ad quam liquefacta diffundes, & mixtis
simul omnibus uteris. Quidam supra hæc omnia
etiam nitri drach. v. addiderunt.

Quae pharmaca Asclepiades in quarto externorum prodidit, Quae Marcellae inscribit. 3

Nominat equidem et hic omnia huiusmodi malagmata, apponit autem alijs quod ad Ischiada, alijs quod ad splenem, alijs ad latus, aut aliam aliquam partem conducant. Quędam etiã uarij usus esse ait. Quemadmodũ etiã hoc scriptum ab ipso in hæc uerba. Malagma Antiochidis, splenicis, hydropicis, Ischiadicis, arthriticis. Præparatũ est Fabullæ Libycæ. Ceræ lib. iij. uisci quercini lib. iij. resinæ terebinthinæ lib. iij. retrimenti ab expressa myrobalano reliqui lib. i. spumæ nitri lib. i. floris lapidis Asij lib. i. ammoniaci thymiamatis lib. i. olei cyprini lib. iij. Acetũ ad ammoniacũ dissoluendũ. Post hoc scribit rursus aliud sic. Aliud Fabullę cõpositũ ualde præclarũ, ad easdẽ affectiones. myrrhæ stactæ lib. ij. bdellij onychis lib. ij. medullę ceruinæ lib. ij. ammoniaci thymiamatis lib. ij. iridis illyricæ lib. ij. opopanacis lib. i. galbani, styracis, utriusq; lib. i. mastiches lib. i. floris lapidis Asij lib. i. succi sycomororũ lib. i. cãchryos lib. i. piperis albi lib. i. ceræ, terebinthinæ, utriusq; lib. v. tundẽdũ est pharmacũ, ita ut qui tundit fecẽ ungenti irini adhibeat, quo mollius pharmacũ fiat. Aliud deinceps Asclepiades scripsit hoc modo. Malagma quod & aurei coloris appellamus. Auri pigmenti auricoloris, calcis uiuæ utriusq; sextantem. aluminis liquidi & scissi utriusq; sextantem. Arida tundimus & cribramus, & in pilam coniectis, aceti cyathos viij. affundimus, & probe trita liquefactis excipimus. Sunt aũt hæc. Ceræ, resinæ frictæ, & pinus, singul. lib. ij. olei cõmunis cyath. viij. hæc liquefacta frigefieri sinimus, & erasa tritis ammiscemus. Nos ad pharmaci præparationem etiam myrrhæ sextãtem addimus. Alij etiam sandarachæ sextantem apponunt, aluminis liquidi sextante sublato. Nos autem coniectis omnibus præscriptis conficimus, & fit efficacius. Post præscriptũ aliud subdidit hoc modo. Hoc usus est Andromachus. facit splenicis, hydropicis, & ad præcordia distenta. facit Isciadicis, arthriticis, & ad inueteratos affectus. Ceræ, picis brutiæ, utriusq; libram i. Nos pro pice resinam frictã indimus, resinę pinus lib. i. olei cyath. viij. auripigmẽti auricoloris, aluminis scissi, calcis uiuæ, singulorũ sextãtẽ. Præpara ut dictũ est. Nos apposuimus ad pharmacũ myrrhæ sextantem, uisci quercini trientẽ. Post relata alia quædam ad hydropicos & spleniticos recenset, & inde rursus multi usus compositionem tradit, quam etiam Ischiadicis conuenire ait, hoc modo. Andreæ Malagma. Compositio admirãda ad ea quæ uelis perforare, dissoluere, expurgare, & uelut excolare. educit ossa corrupta, aculeos, & infixa. Descriptũ est etiam à Serapione Empirico. Facit & ad Ischiadicos, cõmodũ est suppuratis, facit & ad induratas uiscerũ affectiones. Est & acopon bonum diutinis resolutionibus, & distortis corporis particulis. Facit etiam ad corrosa ac corrupta, educit enim aliena, & ulcus ad cicatricem perducit. Grani Cnidij purgati, nitri rubri, salis ammoniaci, aristolochiæ creticæ, radicis cucumeris syluestris,

A terebinthinæ, singul. drachmas xx. piperis rotũdi & longi, ammoniaci Thymiamatis, & ut quidam uolunt, amomi & xylobalsami, singulorum drachmas decem. thuris masculi, myrrhæ, resinæ siccæ, uisci subacti, singulorum drach. x. succi mororũ ℥. x. ceræ ℥. xxx. adipis caprini ℥. xv. fecis ungenti Irini quantũ satis excipiẽdis erit. Arida tundunt & angustissimo cribro excernunt, Liquescibilia uero singulatim diligẽter tundunt, deinde omnia simul miscent, ac rursus tundunt admota Irini fece. Deinde ubi probe fuerint unita emollita reponimus. Quod si uelis acopo uti, accipe pharmaci quadrantẽ, adipis anserini quadrãtẽ, olei cyprini quadrantẽ, ac mixtis utitor. Postea uero consequenter sic scripsit. Aliud ad easdẽ affectiones.

B Pyrethri ℥. xx. grani cnidij, spumę nitri, utriusque ℥. xx. salis ammoniaci, aristolochiæ creticæ tenuis corticis, radicis cucumeris syluestris, terebinthinæ, singulorũ ℥. xx. piperis rotundi & longi, ammoniaci thymiamatis, bdellij, xylobalsami, thuris myrrhę, cardamomi, amomi, adipis caprini, resinę siccæ singulorũ ℥. x. ceræ ℥. xxx. Visci probe subacti. ℥. viij. succi mororum drach. viij. fecis ungenti Irini quod sufficit his excipiẽdis. Vini Italici qđ satis est. Maceratis his quę dissoluere oportet, pro more apparato. In alio exẽplari neq; xylobalsamũ neq; Cardamomũ, neq; Amomũ reperi. Post hæc alia pharmaca prodidit, & deinde rursus Ischiadicorũ meminit sic scribens. Aliud eiusdem Epithema. Ischiadicis & arthriticis auxiliatur cõfestim.

C Foenũ græcum in uas fictile cõijcito, & ad ipsum poscam sufficientẽ affundito, & prunis impositũ donec dissoluatur coquito. Ad dissolutũ uero mellis quod satis est inijce, ac rursus coque, deinde exempta diligẽter tere, & in lintheolum infarcta locis affectis impone, fasciaq; obligatos sine. Hoc autem ad biduũ & triduũ facimus. Cæterum si interendo pharmacum induretur, ex liquore quantum sufficit addimus; liquor autem tantus sit, ut tractile cataplasma reddatur. Aliud quod cõtinenter ad prædicta sequitur, hoc modo. Symphyti sesquilibram rasam, & minutim concisam, ac in mortarium testacium coniectam, diligenter terito, & ad tritam mannæ quadrãtem addito, atq; ouorum crudorũ recentiũ trium numero candidũ

D unà cũ luteo, & rursus terito, & ubi unita fuerint, his adipis suilli ueteris lib. i. adijcito, & cõquassata diligenter atq; in linteolũ infarcta imponito. Mitigat confestim. post præscriptũ, aliud deinceps scripsit hoc modo. Aliud eiusdem Malagma, Ischiadicis statim in irritationibus imponitur, appellatur Didymea, facit ad attrita, & omnẽ neruorum per consensum affectum. Dissoluit omnem duritiem. facit etiam ad alias inflãmationes. Delet malignas cicatrices, facit ad luxata & collisa. facit & ad mamillarum affectiones malignas. Ceræ, uisci quercini, terebinthinæ, iridis siccæ, myrrhæ, galbani, singulorum drachmas xlviij. olei cyprini aut ungenti Aegyptiaci quod satis est. Galbanum in oleum cyprinũ, aut ungentũ Aegyptium coniectum, ad ignẽ dissoluimus, & cerã mollimus, ac re-

liquis mixtā probe tundimus, atq; his galbanū liquefactū cū cyprino inijcimus, ac rursus tūdimus malagma lenißimū tactui reddendo, quo utimur. Consequēter etiā hoc Asclepiades subdidit. Aliud eiusdem ex Ario. Facit ad colicos supra q̃ dici potest, in ipsis uexationib. impositū, & psoras curat citra exulcerationem. Ceræ, picis liquidæ utriusq; lib. i. sulphuris uiui, aluminis scissi, nitri rubri, singulorū lib. dimid. liquescibilia liquefacito, arida uero tundito & per angustißimū cribrū cōcernito, & ad liquefacta adijcito paulatim ea inspergendo ac assidue mouendo, indeq; in pilā translata ac tusa reponito, & utitor. Deinceps rursum aliud prodidit hoc modo. Aliud eiusdē Malagma ex Silphio, Ischiadicis ualde cōmodum. Ammij ʒ. xij. silphij, seminis rutæ syluestris, baccarū lauri purgatarū, singulorū ʒ. xiiij. medullæ colocynthidis ʒ. ij. nitri ʒ. iiij. abrotoni thebaici ʒ. iiij. cardamomi ʒ. iiij. ceræ ponticæ minæ octauam partem, picis, resinæ, ammoniaci thymiamatis, singulorum minæ octauam partem. Liquida cum aridis committito. Cōsequenter & hoc ab Asclepiade scriptum est ita. Aliud eiusdem, quo usus est Antipater. Silphij, rutæ syluestris siccæ, baccarum lauri siccarū, spumæ nitri, medullæ colocynthidis, abrotoni thebaici, ammij, cardamomi, singulorum drach. iiij. rutæ satiuę uiridis, picis siccæ, resinæ terebinthinæ, ammoniaci thymiamatis, adipis uitulini, singulorum minę octauam partem, galbani drach. xvi. opopanacis drachmas iiij. sulphuris uiui drachmas quatuor, olei cyprini heminas. iiij. Vsus tēpore oportet prius coriandrum aridū ustum cyprino excipere, & ex eo coxendicem illinire, atq; post huius usum malagma ipsum imponere. Post hoc rursus aliud scripsit hoc modo. Aliud eiusdē Malagma in Ischiadicis humores ex alto euocat ac trāsfert, liberatq; à tota affectione. Facit & dissolutis, & trementibus, & affectiōibus inueteratis. Picis liquidæ Brutiæ lib. iij. fecis aridæ ustæ lib. ij. nitri rubri sesquilibrā. resinę pini lib. i. ceræ lib. i. staphidis syluestris lib. i. sulfuris uiui lib. i. pyrethri lib. dimid. cardamomi sexta. i. picem, ceram, resinam coquito, arida tūdito & cribrato, ac cum liquefactis cōmittito, & utitor. Post præscriptum adhuc aliud pharmacum subdidit ita habens. Aliud eiusdem quo usus est Philocalus. Sinapis, fœnigræci moliti, utriusque sextarium dimidium, pyrethri, staphidis syluestris, nitri rubri, singulorum drach. iiij. opopanacis drach. ij. galbani drachmas duas, resinæ terebinthinæ lib. unam, ceræ lib. unā, olei cyprini lib. i. arida cum liquidis committito & utitor.

Ischiadicorū cura à Democrate cōscripta, ex Iberide. 4

Damocratis extat libellus Clinicus inscriptus, in quo uersibus Iambicis: quemadmodū solet: de tribus differit medicamentis. Ac primo quidem eo quod ex herba, quam ipse Iberidem appellat, constat. Secūdo ex semine dolores sedante cōposito. Tertio uero purgatorio, & ab ipso Hiera appellato. De primo igitur in Ischiadicorū curatiōe in eo libello hæc scripsit. In Iberide inquit medi-

A cum quendā amicum suū per hanc herbam curatum esse quā herbā ut dixi, ipse Damocrates Iberidem appellat, ut qui ipse uisu herbā cognorit, nomen autē eius nullū audierit, quum etiā id ipsum ignorarit is qui eū usū eius docuit. Verū ex signis quæ scribit uidet Iberidem appellare, quæ à Græcis lepidiū nominat, à regione in qua amicus eius curatus est appellatione ducta. Describit autem ipsius signa per hos Iambos.

Herba hæc ubiq; multaq; frequens nascitur,
Monumenta iuxta antiqua, muros & ueteres,
Tritasq; quondam publice pedibus uias,
Quas iuxta aratrum duxit haud quis agricola,
Semper uirescens, folijs nasturtij
Florentibus uere, attamen maioribus.
B Caulem cubitalis longitudinis gerit
Paulò minorem aut rursus ampliorem, ab hoc
Aestate pendent folia, donec multa hyems
Sarmentitiam deducat hæc ad imaginem, &
Deiecta & exiccata depereant gelu,
Adnata radici tamen cernes alia.
Aestate florem fert colore lacteo
Multum tenuem uariumq; ualde cauliculus.
Ad quem sequitur semen penitus sic exiguum,
Visum ferè ut fallens, oculos quoq; effugiat.
Odorem habet radix at inde acerrimum,
Vero similem q̃ maxime nasturtio.

Per hos quidē uersus figurā herbæ indicauit. cōsequenter autem usum ipsius per huiusmodi.

Hanc erutam larga satis cape copia
C Aestate, nam tunc optima & fortißima est
Adhuc recens, siccata fit sed debilior.
Tusam hinc probe, (Nam difficulter tunditur)
Paucam subactamq; excipies axungia,
Cruriq; toti & maxime coxendici
Adhibebis, & ligabis, & sines duas
Horas mulieribus, uiris sed quatuor.
Hinc balneo inductos, nec ullo ex unguine,
Nec smegmate ullo pinguiore collines,
Sudore sed modico exiliente, in solium
Merges, iubens perferre, nam mordacitas
Ingens, caloris sensus atq; exoritur.
Verum hinc rigatos leniter producito.
Illati enim quamuis manibus sint plurium,
Exibit attamen suis pedibus ualens
D Quicunq; consilium hoc bonum susceperit.
Ad multū oleum miscebis hinc uinū modicum,
Et concuties, & illines lotos eo.
Ac mox madore terso & pinguitudine,
Totum teges crus mollibus tu uelleribus,
Iubens obire assueta uitæ munia,
Quæcunq; uult, & non grauatim suscipit.
Hoc auxilium certum atq; constans integre est,
Et nullo alio adijciendo ei simul indigum.
Quare dolore ablato adora radiculam,
Cuius beneficio tibi sanitas data est.
Quod si tamen inde affectionis uestigium
Quoddam supersit, post repetes hoc presidium,
Diebus ut multum decem bis præteritis.

Hoc sanè utendi modo & inueteratos capitis dolores, & alias omnes quacunq; corporis parte inue

inueteratas & ægre solubiles affectiones ac resolutiones se curasse ait, & omnino uitia in quibus alij sinapismo appellato, & auxilio ex thapsia conflato utuntur, se per hanc herbam persanasse dicit.

5 Porrò de hac iberide etiam Archigenes scribit in secundo pharmacorum secundum genus, lepidium ipsam appellans. Dicit autem & splenicis & Ischiadicis ipsam conuenire. Ad Ischiadas & perfrigerationes, Hygieni Hipparchi. Herbam Iberidem quam aliqui lepidium uocant, aut agriocardamum, id est, nasturtium syluestre colligito, & radicem eius tusam ac adipe porcino commollitam emplastri uice imponito ad dolentẽ locum ad horas tres, indeq́ in balneum mittito. Idem prę sidium & ueteres capitis dolores depellit, in consimili usu adhibitum, quem Damocrates medicus per uersus prodidit.

De podagricis & arthriticis affectionibus. Cap. III

Dictum antea est in sermone de Ischiade ex fluxionibus generari eiusmodi affectiones, irruentibus in locos iuncturarum, quare etiam curatio ipsarum iuxta eundem fit modum, nimirum ut irruentes fluxiones euacuent̃. Influentibus igitur adhuc ipsis, scopum afferendorum auxiliorum communi rationi influentium humorum subijcere oportet, ita ut repellamus ac restringamus. Vbi uero amplius non influant, ut discutiamus iam illapsos. Cæterum materia pharmacorum per quæ hęc fiunt multiformis est, quemadmodum etiam in alijs affectionibus, excogitantibus uidelicet à principio prudentioribus uiris iuxta quandam artificialem coniecturam modo hoc, modo aliud, eorũ quæ optima per experientiã sunt iudicata. Quapropter uelut in alijs affectionibus, sic etiã in his, optima ex eis quæ priores medici experientia cognouerunt adscribam.

Pharmaca ab Asclepiade ad prædictas affectiones in quarto externorum prodita. Quæ Marcellæ inscribit 2

Epithema podagricis, Arthriticis, sedans dolorem. Vsus est in ipsis uexationibus. Succi papaueris ʒ. iiij croci ʒ. i. cum lacte bubulo aut caprino terito, & adiecto pane interno diligenter leuigato, ut molle cataplasma fiat, & rosaceo admoto mollito, ac utitor leni cataplasmate, forinsecus betæ aut lactucæ folijs, custodiẽdi eius gratia, impositis. Quandoq́ opium & crocum cum lacte trita cerato rosaceo excipimus, & linteolo infarcta imponimus. Aliud. Styracis ʒ. ij. opij ʒ. i. conficeac utere ut dictũ est. Aliud. Confestim à dolore liberat, uerum ante pharmaci impositionem ægrum lauare oportet, et tunc detersis locis imponere. Succi absinthij pontici, croci, opij, singulorum ʒ. i. ceræ ponticæ ʒ. iiij. unguenti Irini ʒ. vi. uini cretici quantum sufficit. Opium, absinthium, crocum dissolue, & dissoluta liquidis excipe, & linteolo infarta impone. Aliud. Seminis cicutæ expressi, drach. vi. croci drach. i. opij drach. i. passi cretici quod satis est. Trita excipe rosaceo cerato. Epithema podagricorum arthriticorum. facit ad maximas affectiões. Vsus est eo Erasistratus sicyonius. Radicis caparis tusę et cribratę choe-

A nicem unã. seminis hyoscyami chœnicẽ dimidiã. radicis chamæleonis nigri chœnicis quartã partẽ. seminis cicutæ chœnicis quartã partẽ: radicis mãdragoræ chœnicẽ i. radicis solani aut ut alij dorycnij chœnicis quartam partẽ. Omnia tusa & cribrata mixta in uasculũ figulinũ reponito, & probe obturata seruato. Vsus uero tẽpore chœnicis quartã partẽ inde accipito, & passo tritã in uas fictile nõ picatũ cõijcito, & addita fecis uini aridæ quarta heminæ parte, ad prunas posita diligenter mouẽdo coquito, donec bis aut ter efferueat, deinde ab igne ablata quàm calidissima imponito, aut quomodo perferre ægri possunt. Verum ante huius cataplasmatis usum, pedes multa aqua frigida perfundere oportet, & spongijs detergere, atq́ ita

B pharmacũ imponere. Supra uero cataplasma linteola tenuissima aceto imbuta imponãt̃, & fascia circũdata ad horas ij. pharmacũ incũbere sinatur. Postea uero eo ablato excitatas bullas acubus perforare oportet. Ab his eñ humor mucosus multus ac glutinosus profluet, post cuius excretionẽ multa aqua frigida pedes proluant̃, & rursus pharmacũ ut dictũ est imponat̃, ita tamen ut pro aceto aqua potabili utamur, & ex ea rigatum linteolum pharmaco superindemus. Aliud eiusdem. Hoc pro cucurbitis & hirudinibus utimur. Nam serosos sanguinis humores exugit. facit & ad tosos ac duritias, ut inde dissoluantur. Farinæ fœni græci sextarium unum. floris lapidis Asii sextarium unum, lomenti fabæ nigræ molitæ, farinæ lu-

C pinorũ, utriusq́ sextariũ unũ. Omnia mixta & aquã calida subacta, calida imponito, & fascia constringito. Oportet autem prius affectos locos perfundere, aut etiam in solio lauare. Quum uerò fasciæ circundatæ madidæ ac cruentæ factæ fuerint, pharmacũ tollimus, & fotis locis pastillo ex amygdalis amaris utimur, & malagmate q̃d crocum, iridem & aristolochiam habet. Hoc ipsum uerò inter malagmata ad podagram descripta habetur. Pastillus podagricis, arthriticis. Vsus eius est in ipsis irritationibus. Aloes lib. unã, succi cẽtaurij sexuncem, thuris nõ secti trientẽ, myrrhæ trientem, floris lapidis asii sextãtem, opij sextantem, succi mandragoræ sextantem, aluminis scissi sextantem. Excipe passo, & fac pastillos. usu

D expetente lacte dissolutos cum pẽnis illine, & supra illitionem linteolum passo imbutum impone. Alius pastillus Iupiter appellatus. Aloes drach. xij. opij drachm. viij. succi papaueris drac. vi. succi hyoscyami drach. vi. aconiti drach. iiij. hypocystidis drach. vi. glaucij drach. viij. croci drac. xij. gummi drachm. xxiiij. malorum mandragorę drachm. xx. aceti heminas duas. Mala cum aceto coquito, & expressa prædictis admisceto, & ex dilutis ac probe leuigatis pastillos formato, eosq́ in umbra siccato. Vsus ostensus est. Malagma arthriticis, podagricis, ex cicuta & agarico accommodatum. Seminis cicutæ sextariũ unum, agarici sextariũ unũ, fœni græci sextariũ unũ, nitri ℥. i. ceræ lib. i. resinæ frictę lib. i. olei ueteris lib. i. medullę ceruinę trientẽ, illyricę triẽtẽ. Arida tusa per

per angustissimū cribrum concernito, liquescibilia uero eliquato, & frigefieri sinito, & sic erasa aridis cōmittito, & contusis ac repositis utitor. Aliud eiusdem. Ceræ lib. i, olei ueteris aut sabini sext. i. fœnigræci sexta. i. cicutæ sextar. dimid. resinæ frictæ lib. i. nitri rubri dodrantem. floris lapidis Asii semissem. medullæ ceruinæ trientē. Illyricæ trientem. Præpara ut dictū est. Aliud malagma eiusdē ex tedis, Titi Cæsaris. facit podagricis & arthriticis. Emollit omnē duritiā. Visci quercini sesquilibram. thuris lib. i. ceræ li. i. tedarū pinguium lib. i. resinę pinus li. i. Liquescibilia coquito ac pinguib. tedis moueto, Postquam uero omnis pinguitudo ab ipsis effluxerit, ab igne ablatū liquorem excolato, atq; huic thus tenuissime tritū inspergito, assidueq; moueto donec ad compagem manus non inquinantem redigatur, & in mortarium translata reponito ac utitor. Aliud. Tedarum pinguissimarum li. i. thuris masculi lib. i. resinæ pinus lib. i. uisci quercini lib. dimid. præpara ut prædictū est.

Malagma ex lapide Asio. podagricis, Arthriticis ualde præclarū. Liberat à tota affectione. Visus

A est in cessationibus. Visci quercini, terebinthinæ, utriusq; li. i. spumæ nitri, floris lapidis Asii, thuris, singulorū lib. dimidiā, olei cyprini lib. unam. adipis quantum satis est. Arida tunduntur & cribrantur, ac cum aqua teruntur, ad cerati spissitudinem. Liquescibilia uero eliquantur, & tritis adijciūtur, quibus simul conquassatis ac repositis utimur. Aliud. Visci libram unam terebinthinæ lib. i. lapidis Asii, nitri, utriusq; trientem, mannę quadrantem, cyprini sextantē. aquæ lixiuij pileatorij quod satis est. Aliud, ad Arthriticos ualde preclarum, auxiliatur confestim, humores in alto absorbens. uisci libram unam, terebinthinæ lib. i. adipis taurini, floris lapidis Asii, utriusq; quadrantem. calcis uiuæ quadrantem. mannæ quadrantem. cyprini B lib. i. præpara ut dictū est. Aliud Diodori. Adipis taurini drachmas octo, spumæ nitri drachmas quatuor, floris lapidis Asii drac. ij. In alio exemplari drachmas quatuor, olei cyathos ij. arida cum liquidis committito. Hoc pharmacum ualde commodum est. Resorbet etiam collectiones circa articulos consistentes, & à doloribus liberat.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI PRIMI

Præfatio. in qua prius eosdem sibi libros scriptos testatur, qui Romæ in cendio perierint.

De compositione medicament. in genere.

Cap. 1. Aduersus eos qui negant medicaméta, siue simplicia, siue cōposita, ad certā aliquā partē peculiariter magis q̄ alias spectare. 2. Contra negantes in cōpositionibus singula simpliciū uires retinere suas: & unam quampiā ex omnibus nouā resultare uim dicētes: Quodq; isti nō distinguāt inter proprias & aquisititias facultates. 3. Contra empiricos, qui nulla medicamina ratione cōponūt, sed casu. 4. Quæ præscire cōuenit eum qui medicaméta probe cōpositurus sit: Nempe uires & gradus simpliciū, itē morborū aliorūq; præter naturam causas differentiasq;, deniq; indicationes medendi. 5. De usu & necessitate cōpositorū medicaminū.

De emplastris.

6. De emplastro ex chalcitide quod phœnicinū quoque. i. palmeū uocat. 7. De emplastris quæ ex argēti spuma præparanī. 8. De emplastro quod ex argēti spuma & hydrelæo cōficiī. 9. De emplastro, quod ex argēti spuma & oxelæo cōponiī. (Recētiores argētū nutritū & triapharmacū uocāt.) 10. De emplastro & argēti spuma & anelæo. 11. De crudæ spumæ argenti usu. 12. Quō lauare oporteat argēti spumā, & reliqua metallica. 13. De pharmacis quæ ex molybdæna cōficiūī.

De albis emplastris,

14. De emplastris albis quæ ex argēti spuma & cerussa fiūt. Et primū de coctiōe ipsarū. De resinis. De ceræ & C resinæ mixtiōe. De cera alba. De oleo quod admiscet.

15. Cōpositio & pōdera ad utilissimū iā dictū albū emplastrum. De thure, alumine, pipere 16. Albū emplastrū ex pipere, ut Attalus Herasq; cōposuerūt. 17. Attalici albi secundū Andromachū cōpositio, quæ minus nocet morsis à rabido cane, & neruis uulneratis: Vide Cap. 24. 18. De alijs emplastris albis. 19. Albū aliud. 20. Aliud albū. 21. Albū Heræ. 22. Alia duo alba emplastra Heræ. Itē de libris ipsius, & Asclepiadis pharmacionis & Andromachi. 23. Quæ Asclepiades alba scripserit. 24. De Attalico sine pipere secundum Asclepiadē, etc. Vide cap. 17. 25. Quō candida emplastra cōponenda sint aduersus ulcera cacoethe. i. maligna, & ea quæ cicatricē difficulter admittunt.

26. Damocritis senarij de albo emplastro.

CL. GALENI DE COMPOSITIONE MEDICAMENTORVM PER GENERA LIBRI SEPTEM, A IOANNE ANDERNACO Latinitate donati: Liber primus.

PROOEMIVM.

SCRIPSIMVS & iam antea commentarium, cuius priores duo libri in publicum sanè prodierant: sed cum alijs in apotheca quæ ad Viam sacram est relicti intercidere: quando pacis delubrum totum, & ingentes palatij bibliothecæ incendio conflagrarunt. Tunc enim & aliorum complurium & mei libri qui in apotheca illa erant sepositi, interierunt, idq; cum amicorum nullus qui Romæ degebant, priorum duorum exemplaria habere se fateretur. Efflagitantibus itaque familiaribus, ut idem opus denuo cuderem, operæprecium mihi uisum est prius editorum mentionem facere, ne si quis antea in illos inciderit, causam quæritet cur bis de eisdem rebus tractauerim.

1 In illis igitur à primi libri exordio disputationem in eos direximus, qui sophistarū modo compositorum medicaminum pollicita, seu professionem quantum licuit, abrogare, nonnullaq; simplicitum

cium calumnijs deprimere conabantur: dicterijs eos pariter incessentes, qui scriptum de illis reliquerunt: alia iecur, alia lienem, alia renes, uel uesicam, uel caput, uel pulmones iuuare. Vtrum enim (aiunt) præses quidam eis imperat, quemadmodum in Tragœdia:

Abi quidem tu flumina ipsa ad Inachi
Thebas at age tu pergito Cadmeias.

Sic in his tu ad hepatis portas, tu ad uesicam, uel renes duos proficiscere? An quod in uentriculum ingestum est, iecur quidem excipit, inde uero per uniuersas corporis partes defertur? At hoc scomma eos qui hæc cauillantur, tam esse medicamētorum facultatis imperitos arguit, ut à marino lepore pulmonē exulcerari solum ex omnibus corporis particulis ignorent: uesicam solam à cantharidibus, ab alijs renum lapides conteri, ab alijs rursus ex pulmone atque thorace faciles fieri excreationes: quemadmodum ab alijs alia in una quadam particula peculiariter perfici.

2 Atqui uarie hunc sermonem in primo commentariorum iam antea nobis (ut dixi) conscriptorum uolumine, sicut rursus in altero sumus executi, quod quidam putarent in cōpositione simplicium medicamentorum contrarias inter se potestates omnino corrumpi. Etenim si aquam (inquiunt) feruentissimam cum frigidissima temperaueris, neutra illarum, qualis prius extitit, permanet, sed tertia quædam ab utraque diuersa generabitur. At hic quoque uanam ipsorum nugacitatem ostendimus, qui ignorent ex ijs quæ corpori admouentur, nonnulla pro innata qualitate, alia pro acquisita functionē obire. Quis eñ cicutam aut papauer refrigerādi uim habere dubitat? Et tamē tu si recalefacta ea uehemēter animalis corpori offeras, nō secus ac cauteriū ulcus concitabunt. Queādmodū rursus ubi sinapi in frigido aere cū aqua tritū, frigidissimo hyemis tempore, repente corpori raro ac imbecilli applices, horrebit nihilo minus, ꝙ si niue aut glacie ipsū cōtigisses. Porrò si longiore tēporis spatio corpori nostro admotum fuerit, primū sanè exigui caloris sensum præbebit: dein maioris, postea tam euidentis ut igne uri uideamur. Rursus cicuta & papauer, non calefacta adhibita, tantā parient refrigerationē, ut stuporē corporibus qualibet acuto sensu antea prędítis inferant. Cum igitur id genus omnia in cōmentarijs qui undecim numero sunt, de Simpliciū medicamentorū facultate definiuerimus, iam ad ipsam disciplinam utilem descēdemus, in qua exercitatus etiam si multiplicis medelæ facultatū siue cōpositionū, quas Græci polypharmacus nomināt, scriptiones minus proferant, nō desiderabis commoda cuiusꝗ morbi auxilia: modo simpliciū pharmacorū, uti diximus, materiæ nō sis imperitus.

3 Cæterum hic liber obiter ostendit & Empiricorum medicorum contentionem, qui ad insomnia, fortunam, & casum medicamenta composita propè uniuersa referunt, si paucissima quædam excipias, quæ communi omnium hominum ratione, (epilogismum ipsi uocant) inuenisse se

A dicunt, quemadmodum ubi eiusdem facultatis pharmaca inuicem miscuerimus, quæ alia in alio corpore melius aut peius functionem suam obijsse usu ac experimentis didicimus, ratio certe nobis esse uidetur Empiricorum aliqui dicunt (non enim omnes) componere plura huiusmodi, ut uel unum ex eis corporis curandi naturæ idoneum inueniatur: quod in hoc utique recentissimo pharmaco, cui nomen inditum est cephalicum, quasi capitale dixeris, accidisse ferunt, mistis in eo omnibus ijs, quæ uel per se ulcera carne implere cognoscuntur. Sed qua ratione ærugo cerato simplici mista medicamen sarcoticum, id est carne implens faciat, cum neutrum ex illis nutriendæ carnis uim habeat, non item exponūt: B si quidem ęrugo ulceratam carnem erodit, utpote acre, & calidum medicamentum: ceratum mite quidem est, nec mordax, uerum nouæ carnis loco sordes parit ulceribus. Nos uero diximus in tertio Methodi medendi libro, quomodo uidelicet tum hoc, tum alia quæ ex cōtrarijs eodem pacto constant, inuicem commisceantur: dicetur nunc quoꝗ particularis exercitatio, morbi cuiusque apposito exemplo.

Quæ præscire conueniat eum qui medicamēta probe compositurus sit. 4

Expositum est alibi simplicium medicamentorum uires non solum cuiusꝗ generatim noscēdas esse, ut quidam scripserunt, dicentes ea uel calefacere, uel refrigerare, uel siccare, uel humectare, ue- C rum distincte, membratimꝗ, & ex quo sint ordine singula, uti nos docuimus. Nam nōnulla quidē medicamina obscure prorsus unumquodꝗ prędictorum efficiunt, quædam manifesto, aliqua ualide, sicut alia absolute. Non satis est ergo nouisse pharmacum hoc calefaciendi, aut refrigerandi uirtutem habere: sed quantam habeat, definire oportet. Calefaciunt enim resinæ omnes, idꝗ sibi commune habent, attamen maioris minorisꝗ rationē non exiguam in calore sortitæ sunt. Item succi plures non mediocriter ratione ad maius minusꝗ facta differentes, excalfaciunt. Nam si panacis succum cyrenæo & medico conferas, uidebitur tibi hic nihil ceu ad illos esse. At quorsum attinet sermonem longius abducere, quum ea ipsa quę quo- D tidie in cibo sumimus, eius differentiæ nos cōmonefacere possint. Anethū igitur & ruta, cepaꝗ, omnia calefaciētia magno inter se uariant discrimine. Quapropter in curationib. quoꝗ particulæ ad modū refrigeratæ, medicamē quod impense calefaciat, admouebimus: illi uero qd' paululū à naturali habitu recessit, modico calore præditū: sicut & insigniter refrigeratæ uehemētissime calefaciens adhibebitur. Merito igitur quatuor nos excalfacientiū ordines statuimus: separantes à modice calidis ea quæ euidēti eiusmodi qualitate præcellunt: tum quæ magna, tum quæ uehementi adeo, ut urere uideantur. In singulis autem illis quatuor ordinibus diuersis quædam esse uelut incipientis differentiæ, nonnulla desinētis & ei quæ post hãc existit, propinquæ, alia in medio constituta. Itaꝗ

sunt ex his præ propter caloris uim exulcerant: quemadmodū etiam ex illis quæ exedētia seu putrifica latine, septica Græce nominātur, alia simul atq; corpora contigerint, potestatem suam ostendunt: quædam duabus tribusúe, aut quatuor horis opus habent: nonnulla diem totum, uel etiam post eum noctem, uel maius dein spatiū requirūt. Hæc iam ut in calefacientibus, ita quoq; in refrigerātibus intelligere eum oportet, qui medicamen aliquod confecturus est. Parimodo & in ijs quæ humectant exiccantq;. Cæterum materiæ medicaminum quædam à plantis, quædam à metallis, nō nullæ ab animantibus proueniunt, quas omnes in commentario De simplicibus medicamentis definite expressas didicistis. Nam cum familiaribus hic mihi sermo potissimum est, qui precibus me adegerunt, hæc nunc propter librorum interitum denuò perscribere. Iam uero ut simpliciū medicaminum uniuersorum facultates adamussim uobis cognoscendæ sunt, quo ubiuis corporibus curationem desiderantibus idonea ex ijs quæ adsunt, facile possitis remedia componere, ita etiam omnium præter naturam affectuum differentias tenere expedit, quas primū quidem lib. De morborum, altero De symptomatū differentijs, tertio post illos in quo De causis morbos efficientibus dissero, comprehensas habetis: ad hæc alijs tribus De symptomatum causis, uno insuper meo De plenitudine, necnon De febrium differentia commentario: postremo Medendi methodo, in quibus affectiones actionem lædētes didicistis: item curationem harum primam esse, quemadmodum etiam præseruationem causarum eas parientium. Docti pariter estis, primæ curationis consilium à morbosis affectionibus sumi, cumq; his simul indicationem facit partis affectæ natura. Præterea aeris nos ambientis temperamenta, constitutionem, ætatem, tempus, locum, uitæ propositum & mores, plures egregij medici inspiciunt: de quib. ubi eorum usus fuerit, aliqua simul & hic nobis dicenē. Hæc itaq; in memoria uos om̄ia sic exprompta habere expedit, si quouis loco medicamentorum, tum simplicium, tum compositorū copiam habere desideratis. insuper ab uno interim aliquo sponte nato medicamine ac simplici, morbum curari posse, interim uero cōpositi usum requiri, ac quãobrē id agam⁹, rationē deinceps explicabim⁹

Quis compositorum medicaminum usus 5

Si solis simplicib. medicamentis uniuersos præter naturā affectus curare liceret, nullus utiq; compositi unquam usus foret. At hoc nunc ita comparatum non est: nam sæpe cum corpus aliquatenus calfacere uolumus, simplex nullū, quod præstare id queat, habemus. medicamentum enim curans, affectioni cui adhibetur, proportione nimirum respondere oportet: Ergo si affectio sit frigida, quatuor numeris à naturali recedens, curaturum ipsum pharmacum totidem gradibus mediocri symmetróue calidius esse oportere quis ignorat? Porrò cum interim tale simplex nullum adsit, si duo habeamus, quorū hoc numeris duobus, illud tri-

A bus calidius sit, ea si miscuerimus, medium efficiemus quatuor numeris symmetron exuperās. Iam quædam simplicia citra alterius misturā ne in usu quidem esse possunt: ueluti cum emplastū pharmacon apponere cuipiam uolumus: quippe simplex nullum ad talem usum idoneum est. Ergo neque bitumen, neq; cera, neque resina, sicut neque pix, neq; propolis, ac ladanum: multo minus ærugo, & cerussa, uel spuma argenti, uel molybdæna, uel aliud quodpiam metallicum medicamen, simili modo nec herbæ solæ emplaston pharmacum efficere possunt. Quare primi emplastrorum autores non temere ex oleo quoque metallica coquere excogitarunt, quæ liquefieri possint, liquefacere, ac siccas herbas contusas cribra-
B tasq; eis adijcere. Rursus in alijs affectibus unum medicamentum solum ex ijs quæ suapte natura proueniunt usurpamus. Cui tamen nonnulla adijcimus, aliquando uirium ipsius uehementiæ obtundendæ, interim insuauitatis mitigandæ gratia: quemadmodum Hippocrates in libro De uictus ratione in morbis acutis hisce uerbis inquit. Si sub transuerso septo dolor sit, ad clauiculam uero non ascendat, emolliendus est uenter uel nigro ueratro, uel peplio: nigro quidem daucū, uel seseli, uel cuminū, uel anisum, uel aliud quid odoriferū miscendo: peplio aūt silphij succum. Hac dictione manifesto Hippocrates usum quidē pharmaci purgantis esse ostendit, sed insuauitatē eius in potu, morámque in uentriculo condimentum
C requirere. multa siquidem quæ bibuntur pharmaca tam sunt assumentibus insuauia, ut stomachum subuertant, uomitumq; protinus cieant: quædam licet paululum in uentriculo manere possint, postea tamen euomātur, cū prauas eructationes mouerint. Quemadmodum uero purgantiū ceu condimenta sunt eiusmodi medicamina, quorū Hippocrates meminit: ita dolorem leuantium quæ anodyna appellantur Græcis, alia uehementiam mitigant, ut cum papaueris succum, uel hyoscyami semen præbemus, uel mādragoræ radicis corticem. Quare & hic pharmacorum compositionis usus est, maximus autem in morbis qui contrarias simul facultates desiderant, uerbi gratia repellendi & digerendi, uel detergendi ac leui-
D gandi, uel incrassandi simul & attenuandi humores, quemadmodum plurimi usus medicamenta, Græci Polychrestotata uocant, & optima, contrarias in se potestates, ut indicabimus, continēt. Verum is quoq; medicamētorum compositionis usus est, cum unum aliquod illorū ad multas uenenatas feras, uel exitialia pharmaca efficax habere uolumus: qui usus etiam theriacam, ut uocant, antidoton comparauit: item mithridation, aliasq; multas. Sunt porrò & aliæ quædam utilitates minores quidem prædictis, attamē quæ crebrò nos ad medicaminum compositionem descendere cogunt, quas uniuersas hoc in opere docebimini. Nunc enim ubi primum emplasti medicaminis & ad plura utilissimi à me confecti mentionem fecero, iam institutum aggrediar.

De emplaſto pharmaco ex chalcitide confecto, quod phœnicinum quoq;, id eſt palmeum uocatur. Cap. VI

Qua ratione ſeu induſtria cōpoſuerim emplaſtrū ex chalcitide, q̄d à palma quā phœnica Græci uocant, phœnicinum appello, medicamen glutinandis ulceribus, cicatrice obducēdis, & phlegmonis curandis accōmodum, (quia liquefactum liquidi cerati craſsitudinem obtinet) animū exercete, tum permiſsis empiricis ſuam ipſorum fateri inſcitiā, tū relictis quoq; Theſſali ſectatoribus, qui optima pharmaca à medicis inuēta cōtrarijs conſtare facultatibus ignorant: exercete inquam ingenium, ut eiſdem mecū utentes methodis, medicamēta poſsitis cōficere: ac ſitis re ipſa perſuaſi, uel ea quæ à maioribus inuenta ſunt, omnia ex ratione cōponi: nimirū cum empiricorum fortuita occaſio (Græci uocant periptoſin) nugatoria ſit. Dicenda itaq; iam eſt propoſiti medicamēti compoſitionis ratio. Oleum uetus, & adeps digerēdi uim obtinent, chalcitis & palmæ ſuccus repellendi, adſtringendiq;. Ex his igitur pharmacum compoſui, quo iam complures uti nouiſtis, ideo quòd omnibus ſui generis melius eſſe, uſu & experientia probatum iudicarūt. etenim ratio compoſitionem inuenit: experiētia de inuentorū uirtute decernit: ut etiam rationalium methodorum imperitis artificioſe confecta fidem faciant. Porrò cum modo dictis medicamētis argenti ſpumā miſcui, quę nihil magni adeo momēti adferre poteſt: neque repellentibus quod influit, neq; digerētibus quod iam particulis phlegmone laborantibus infixum eſt: quippe ſiccandi uirtutē habet, ſed non ualidam. Quare ipſam ceu aptum medicamen in emplaſtri compoſitionem adiunxi: nam cum prædictis incoquitur, uſq; ad conſiſtentiam non polluentem. Adipē uerò inſulſum, & q̄ maxime fieri licet uetuſtiſsimum eſſe conuenit, tum oleum uetus ſimiliter, quod cum ſuillo adipe propinquam uirtutē habere quodāmodo didiciſtis: licet adeps paulo maiorem emolliendi calfaciendiq; uim obtineat. Intellexiſtis quoq; uetuſtate ipſa tenuiorū partiū fieri, & digerere promptius: eoq; phlegmonis quæ magnum dolorem inferūt, magis blanda ac mitia eſſe ipſa recentia. ijs uerò quæ tales non ſunt, cōmodiora uetuſta. Et quo phlegmone diuturnior & cōtumacior, hoc magis uetera proſūt, ac ſola curare ualent, modo prętereà nihil afflictę parti influat. Quòd ſi quicquā influxerit, miſtam eſſe medicamenti quoq; uirtutem oportet, cuiuſmodi habet à me compoſitum pharmacum. Itaq; propterea chalcitidē & palmam digerētibus admiſcui, nō ignarus paucas omnino phlegmonas diuturnas exiſtere quibus nihil influat. Nam ob humores in eas confluentes diutinæ eſſe ſolent.

Porrò dum hæ incipiunt & accreſcunt, aſtringentium refrigerantiumq; medicaminum uirtus recte prępollet: ideoq; hoc emplaſton pharmacum aduſq; liquidi cerati ſpiſsitudinem liquefactum multis admodum utile redditur: interim uino adiecto, uel aceto, uel aqua illiqueſcens: nonnunquam ex oleo immaturo, uel alio quopiam aſtrin-

A gente, quale eſt Hiſpanū & Hiſtricum: uel ex dulci aliquo adſtrictionis experte, aut etiam uetuſto. Ego quoq; ſæpe myrteo & melino, ubi ualidius adſtringere res poſtulabat, medicamentū liquefeci. Hæc igitur cōpoſitio medicaminis tali ſymmetria cōficit̃. Vetuſti adipis, quem inſtitores axungiā appellant, ſint pōdo libræ ij. olei ueteris pōdo libræ iij. argenti ſpumæ tantundē, chalcitidis pondo unciæ quatuor. Hæc aūt ita coquere oportet. Adipis mēbranulę omnes eximunt̃: deinde contunditur, ut liquari facile poſsit: mox ad ignem liquefit, deinde per colum deſtillat̃ ut purū fiat, nihilq; membranæ habeat, pōdo libras duas prædictas pendens. poſtea chalcitidis leuigatæ pondo triens cū olei trib. libris adipi admiſcet̃: his & argenti ſpumę pondo libræ iij. adijciunt̃. B Ac omnia ubi ſimul in mortario coierint, cōijciunt̃ in cacabū, ac rudicula palmæ mouent̃. Sufficiet aūt tibi ramus unus maiuſculus, ut ſolida ligni parte mouēdo utaris in modū ſpathæ dictæ. uocant eñ ſic id quo confecturas mouent, & nos perſpicuitatis gratia ſimiliter nominabimus. Quod autē ſolidæ rami parti continuū eſt, in orbē purgatum, ac tenellis ramuſculis utrinque procedentibus abiectis putatum decidit, ſed cortice prius exuto, ut ſegmenta iniecta pharmacum ſucco ſuo imbuāt inficiantq;. Igitur ſtatim ab initio ſpatha utēdum eſt, ſed tenuia palmæ ſegmenta inijcere oportet ubi medicamentū cerato ſimilē conſiſtentiam habuerit. nam ſi à principio ea immittas, ſuccus in- C iectorū, quē manere uolumus, ex decoctiōe conſumetur. Inſuper ſpathę qua medicamentum initio mouet̃, pars in cacabo intincta poſtquam inaruerit, ut proprium ſuccum non amplius ſeruet, amputatam reijce, reliqua utere. hanc rurſus cum medicamento intincta ſiccata fuerit, ſimili modo abſecato. Conſtare aūt uobis arbitror, quòd palmæ ramum non multis diebus ante abſciſſum arbore eſſe oportet: quippe tēporis interuallo areſcit, & ſuccum amittit. Pridie igitur per hyemem auferatur: æſtate, uel eodē ipſo die quo cocturus es pharmacum. Vbi autem ſic coctum ſpiſsitudinem, ut nō inquinet, acquiſierit medicamen, ipſo uteris emplaſtro ad ulcera, quæ cicatricem ægre ducunt, dyſepulota græce uocant̃: ad cruenta ualet oleo liquefactū: benefacit phlegmonis, poda- D gris, articulorum morbis, inguinum inflammationibus, phymatis, ambuſtis, pernionibus, fracturis oſsium, cōtuſionibus, omnibus deniq; affectibus quos appellant rheumaticos. Iā uero & multi qui hernias abſecant, poſt manus operā, ſtatim ipſum cum irrigationibus & cataplaſmatis preparatum imponunt: ſi uerò chalcitidis uncię ſex immittantur, quæ eſt ſelibra, medicamen ad magna uulnera glutinanda prōptius, atq; ad ea quę cicatricem ægre ducunt, efficacius fiet. Sunt quidem in hoc etiam alia eiuſdem potentiæ medicamenta: ipſi tamē cum oleo liquefacto magis quàm alijs omnibus in rheumaticis affectionibus fidendum eſt. Cum igitur plurima eiuſmodi Romæ exiſterent, nullum tam celebre probatumq; fuit. Conducit,

ut dixi, & podagricis, & articulorum uitio laborantibus quolibet tempore, cum dolores intensi non sunt, qui perfusiones & cataplasmata lenientia postulent. Incipientibus igitur atque augescentibus etiamnũ id genus uitijs, liquefactum pharmacum refrigerari sinito, idque spathomela deradens pilæ inijcito, cui uinum superfundito, quod ut recipiat, manib. ad pilam subigito. Erit autem uinum austerius, ætate quidem medium, substantia non crassum, sed quammaxime fieri potest dilucidius. Nam huiusmodi, utpote substantiæ tenuioris in altum corpus penetrat: tãtisper autem liquefacto medicamini ipsum infundito, manib9 conterens, dum excipiat misceaturque: nec humidum adnatet, quod nõ contrito ac emollito pharmaco mistum sit. Ad hæc etiam si non prius refrigeratum medicamentum deraseris, liquefacto & adhuc calido uinũ superfusum permiscere licet. Itaque in phlegmonon principijs uim repulsoriam ualidiorem esse oportet. In incrementis uerò hæc nonnihil imminuenda, quæ digerit uirtus augenda est. Cum autem in statum proprium seu uigorẽ phlegmones tumor peruenerit, pares inuicem esse potestates conuenit repellendi & digerendi, nisi quis uehemens dolor pharmacum leniens requirat. Cæterum inclinante phlegmone digerendi uim augebitis, ut prorsus nihil uini eo tẽpore misceatis. Præterea dũ id liquescit, si quando astrictoriam qualitatẽ satis excellere uolumus, Hispanum oleum, uel Histricũ, uel quod omphacinum seu omotribes, latine immaturum seu crudum appellant, inijciendum est. Vbi æquales utrasque facultates habere cupias, oleo dulci nec recenti nec uetusto liquandum est. Si ut digerat expetis, uetus oleum uel cicinum cõmode sumitur. Emplasti autem medicaminis in liquescendo huiusmodi fiat symmetria. Oleum paulo copiosius quàm medicamentum estò, magisque æstate uidelicet, ut libram unam absoluat: medicamenti uerò decem uncias iniecisse abunde suffecerit. Clarum est cuilibet hoc efficacius reddi emplastrũ quo plus medicamẽti habuerit: tanto magis mitigare ac dolorem tollere, quanto liquidius fuerit ex rosaceo liquefactũ. At cerati quod inungi possit coagmentum recipit, dum medicaminis pondo in olei selibra liquata fuerit. Tale uerò phlegmonon inclinationibus ex usu est. Item sedis, rectique intestini tumores phlegmonodas spõte obortos omnibus melius iuuat. Ipsum autẽ tunc liquefactum oportet cum oleo copiosiore, ut per cornu recti foraminis, cui uesica suis alligata sit, immittatur, uelut in eiusmodi usurpare consueuimus. Ad hæc frequenter ipsum in his ex rosaceo liquefecimus, cacabo uasi in quo liquescit prius subiecto, qui calidam contineat: prunis uerò ardẽtibus incumbat, aut flammæ fumo carenti. Iam uero pro superioris symmetriæ modo liquatũ, ut liquidi cerati spissitudinẽ habeat, & naturalium & podicis ulcera persanat, imò & alia omnia usque ad ulceratos pernio es, & ambusta. etenim uniuersa statim inflammatione liberat, pluraque reddit, & solida implet

A carne, præsertim ubi plus chalcitidis adiectũ fuerit. Insuper nemo ignorat uinũ quoque medicamẽto id effecturo admiscendũ esse. Quòd si acetum acceperit, ambustis optime facit & statim, & postea quolibet tempore impositum: siue illa iam pustulas, siue non habeant. Constat autem, si quis in aqua feruenti ustus fuerit, hunc etiam affectum ambustum igne nominari. Porrò si pharmacum ante imposueris quàm phlegmone sit orta, nihil adeò ipsius generationẽ impedit prohibetque. quapropter, ut dictũ est, nonnulli qui hernias secant, statim eo utuntur, nec prius uulnere madefacto. Ad hęc cõtusionibus, fracturis, & qualibuscunque plagis, si liquidum imponitur, accommodatissimum est remedium. Ligamentis autem circum-

B datum fasciarum instar quibus rupturæ deligantur, Catagmaticas Græci uocãt, œdemata omnia & inflationes mirifice iuuat. Cum malo succo corpus abundat, uel admodum sentiẽs est, quamprimum contusis & percussis partibus illud impones, hyoscyamos recens adijcietur, qui si nõ est recens propter anni tempus aut locum, nihilo magis ipsum desiderabis, si adiungas eũ qui per æstatem repositus est, qualis etiam singulis annis ex Creta uobis Romam apportatur. Hoc magis adhuc dolori sedando opportunum medicamẽ succus mandragoræ mistus efficiet. Non autem uos latet et hunc à Creta optimũ fictilibus poculis afferri, cuius unciã unam libræ olei emplastri lique facti miscere sufficit. Atque interim amplius, inte-

C rim minus impones, prout affectio postulat. Conducit autem in eiusmodi corporibus & pharmacum ex rosaceo liquefactũ esse. Cæterum ex casu cõtusis partibus, uel ligno ac lapide percussis, etsi ecchymosis quędam cõtigerit, protinus ab initio medicamẽ liquefactũ opus est imponat, uino, ut docui misto. quod uinũ die tertio, aut certe quarto, si particula inflãmatione careat, auferri oportet: oleo aũt ueteri emplastrũ liquare. nam si plus adstringant ecchymomata, uix queant per halitum digeri. Hoc medicamento etiam utor aduersus erysipelata, præsertim phlegmonode, & adhuc lõge magis ad phlegmonas erysipelatodes. Principio igit impono ipsum liquatũ ex rosaceo quod oleo omotribe, id est crudo & salis experte

D constet: tale enim erysipelatis est accommodatissimũ. Ita iam liquefacto solani succus in mortario misceat, qui totus per totum accurate subigatur excipiaturque: qui si non adest, psyllij, si æstas fuerit, etiam uuæ acerbæ cum portulacæ, uel semper uiui succo. Etenim uuæ acerbæ liquor per se plus quàm oportet adstringit: tanta autem adstrictio erysipelata lædit, ut quæ calorem ipsorũ cutem densando includat. Rursus portulacæ succus ne exprimi quidẽ solus præ lẽtore potest. Optimum igit est eũ qui ex uua acerba prius tũsa expressus est portulacæ in pila cõmittere, & sic iterũ cõtundere, deinde ubi ex ambobus mistũ exacte unitum fuerit, liquorem elicere. Simili modo etiam semperuiui succum exprimes. nam seorsum neque ex hoc, quemadmodum neque ex cotyledone suc-

cum copiosum exprimere quisquam potest. At mandragoræ pomorum maturitate uigentium succus recens adiectus magis aptum medicamen efficiet, quem si tempus neget, illius qui à Creta, uel alio quopiam loco aduehatur, miscere non dubitabitis. Quin & hyoscyami succum miscere ei consueuimus: interim Meconium, qui papaueris succus Latinis dicitur. Satius est autem unà cum hoc & glaucij quippiam adijcere. At his multo imbecillior, sed acquisitu facilis lactucæ succus est, tum agrestis, tum hortensis, quam uniuersi Græci huius tempestatis non thridacinem, sed thridaca nominant: agrestem solam thridacinem appellantes. His rursus sereos, polygoni, trifolij, & auriculæ muris succi minus ad refrigerandum efficaces sunt, quanquam & ipsi refrigerent: sed euidentius lenticula palustribus locis proueniens. Horum omnium penuria, miscebis acetum & aquam. Porrò medicamenta hæc uniuersa ascititias qualitates frigidas habeant: uasis uidelicet aquæ admodum frigidæ, aut niui insistentibus, atque ipsum quoque Phœnicinum medicamentum similimodo refrigeratum erysipelatis ammoueatur, donec uehemens ipsorum ardor subsidat. Liquet autem subinde ea, quæ adscititia qualitate frigida erysipelatosis affectibus succurrunt immutanda esse, maxime ubi exactum erysipelas citra phlegmonem fuerit. Posteaquam uerò acris illa inflammatio quieuerit, aut nec perfectum plane erysipelas affixerit, sed uel erysipelatodes phlegmone, uel phlegmonodes erysipelas, non adhuc adscititium frigus admoliemur, uerum à succis etiam impense frigidis abstinebimus: eos medicamini liquefacto miscentes, qui mediocriter refrigerant. Atque ab his iam & lini seminis, & chamæmeli succum misceamus, ex eoque solo postea medicamine liquato utemur, nihil aliud præterea immittentes. At si quando liuidum ex frigefacientium ui erysipelas euaserit, non tale amplius erysipelas appellandum est: sed tunc abstinere non à uini mistura modo, sed rosacei quoque & adstringentium oleorum oportet.

Nam solum Phœnicinum ueteri oleo liquefactum, quod liuorem contraxit per halitum discutere potest: & tunc affectæ partes aqua calida fouentur, & scarificantur. Vobis si fuerit uisum hoc interdum facere, protinus Phœnicini liquefacti humidum medicamen, cui uinum adiectum sit, imponere conuenit: altero die uinum auferendum. Quòd si iam plus impendio erysipelas refrigeratum ab immodice refrigerantibus medicis acceperimus, ut iam quoque nigricet, perfusione & scarificatione magis utemur: atque citra hæc calcis uiuæ quippiam liquido pharmaco immittemus. Si uerò laborantes teneri sunt, lotam ipsam usurpabimus: tunc prodest etiam succus coriandri pharmaco inditus, qui sanè & cum cerato rosaceo iuuat non mediocriter. Ad hæc quæ iam similes affectus alia pleraque medicamenta

A curant, sequenti sermone dicentur quædam pari uirtute Phœnicino, nonnulla etiam efficaciore prædita. Porrò aduersus fluxionum uitia omnium optimum hoc medicamentum est, ac spe maiora frequenter præstitit. Quum itaque femur aliquando prope inguen cruda phlegmone totum id affligente suppurasset, crus ita nobis figurabatur, ut sanies ad inguen conflueret. Facto autem ulcere, dum hoc longiore interuallo contingeret, fluctio quæ in femur decubuerat, euacuata est: sed fistulosa quædam dispositio sub femoris totius cute orta est, ut ipsam iuxta patellam, quæ genu pars Epigonatis Græcis dicitur, diuidere cogitaremus, quò saniei utrinque liber esset exitus: medicamentis autem liquidis inditis, largius pertranseundi uia promptior. Vbi au-

B tem femur soluissem, postero die incidere ipsum decreueram. Inuenta sunt omnia coacta, arida, madorisq; expertia. Nemo igitur nō nouit, quòd rationi consentaneum erat, & illo ipso, & postero die, & sequentibus, similiter uti pharmaco: quandoquidem particula quotidie coloratior ac omnino sanior quàm esset, reddebatur. Curato itaque hoc modo fœmore, postea multas rheumaticas affectiones hoc medicamine sanaui, quæ quidem osculum simplex haberent, sed ut glutinari non posset, & fistulosum intus esset. Non uerò ab ipsius usu desistendum est, etiam si multis diebus euidens nullum præsidium adferre uideatur, ut quòd postea uno interim die simul

C uniuersam utilitatem maximam ostendat. Quare confidenter hoc semper in rheumaticis affectionibus utamini: in teneræ quidem carnis homine, uel puero aliquo, uel muliere, post prædictam symmetriam, quatuor uncias chalcitidis immittentes: in ualido ac duro corpore, ex proportione, uel unciam unam, uel duas apponentes, ut quinque, uel sex chalcitidis unciæ sint, tres libræ utriusque, nempe olei ueteris, & argenti spumæ. duæ uetusti adipis, quem institores axungiam appellare diximus. Diluatur autem in rheumatum uicijs oleo dulci, nec nouo, nec ueteri, assumatq; uinum austerum ætatis mediæ. Hoc pharmacum coarguit Thessali nugacitatem, efficacissimum auxilium ex contrarijs potentijs compo-

D situm ostendens, quarum si alteram adimas, nihil faciet prædictorum. Nam neque ex adstringentibus solum, sine laxantibus ad rheumaticos affectus præclarum quidquam perficiet, uel certe ad phlegmonas incipientes, & augescentes. (neque enim leniendi uim obtinebit) neque ex solis relaxantibus discussorium sine adstrictione confectum, quæ indurata habent emollire. Porrò laxabit perfecte, & mediocriter emolliet, si non admodum uetus oleum & adipem receperit. Quòd itaque Mnaseus pharmacum condidit, æqualia inuicem continet tum oleum, tum argenti spumam, tum adipem: sed maxime phlegmonis incipientibus increscentibúsque est contrarium. Habet & nostrum uidelicet hoc phar-

macum eadem omnia, quæ Mnasei, & argenti spumam, & adipem, & oleum. Verum si nihil ex ijs quæ adstringunt acceperit, particulas effœminat, & robur earum dissoluit: ob quod etiam fluxioni fiunt obnoxiæ. Didicistis enim, non semper ob calorem immodicum, ut quidam arbitrantur, corporis particulas fluxionibus laborare, sed hoc quidem ipsis raro accidere: ab imbecillitate uero illarum id genus uitij progigni, quæ ut plurimum ex intemperie frigida proficiscitur. Itaque si humectet eas quispiam, calefaciatq; medicamẽtis laxantibus, dissolutæ prorsus & infirmæ fiunt. Rursus si tumores in rheumaticis morbis fortiter adstringat, initio quidem proficere uidebitur: cęterum qui restat, contumacem & scirrhosum faciet. Nam magna ex parte tales affectus ne quidem ferunt nimis adstringentium impositionem: ut à quibus dolore & tensione molestentur. Atqui omnis dolor inflammata exacuit irritatq; & fluxionibus occasionem præbet: quamuis rheumatica intemperie æger non afficiatur. Sed miri nihil est, Thessalum medicæ artis operum inexpertũ, & qui morbos ratione inuenire nequeat, omnem phlegmonarum curationem ignorare. Vobis autem qui crebro tum Phœnicini huius, tum aliorum medicamentorum, quæ contrarijs constant uirtutibus, euidentissima in multis morbis auxilia uideritis, conandum est ipsis quoque, ubi iam composita interim desiderantur, eadem methodo ex illis quæcunque regio præbet conficere, quum phlegmonem suspicamini futuram, uel incepisse modo, quæ magis adstringunt, in augmento ipso, quæ minus: in statu & inclinatione, quæ magis relaxant & digerunt. Semper tamen utraque misceatur & repellendi, & discutiendi facultas: nisi quando fluxio prorsus constiterit, & corpus uacuum fuerit, tunc ad digerentem, sicut in primis incursibus ad repulsoriã uirtutem tuta est accessio.

De emplastris quæ ex argenti spuma præparantur. Caput VII

Quoniam in emplastri mei Phœnicini confectura adipem uetustum, & oleum, digerendi potestatem habere dixi, chalcitidem uero & palmam constringendi, repellendique: hæc autem medicamen emplastum sine argenti spuma procreare non possunt, ob id uisum mihi est, de ipsius spumæ usu deinceps uerba facere. Siquidem Phœnicini uiribus nec eam obesse quidquam, nec conducere, sed materiæ ad emplasti pharmaci compositionem tantum idoneæ rationem obtinere putandum est. Non absurdum itaque mihi apparet, si de eiusmodi medicamentis, exempli gratia de spuma argenti disputationem instituero. Sunt non pauca quæ potestatem aut nullam, aut exiguam admodum pharmaco quod præparatur simul afferunt: commoditatem uero materiæ præbent, ut uel emplastri, uel cerati speciem referat. Neque enim argen-

A ti spuma manifesto calida est: sicut nec frigida, nec humida, sed exiguam siccandi habet uirtutem in primo abscessu ab his quæ adamussim media sunt inter humida & sicca. Non tamen uis eius est obstruere, sicut nec aperire: item nec abstergere, quemadmodum nec inquinare euidenter, sed paululum à medijs ad crassius quodammodo recessit. Verum hoc quoque ex diuturna concoctione deponit fusa per ignis potentiam, & alterata. Porrò sola per se cruda fœmorum attritus ex itinere iuuat, quo etiam parum exsiccare cognoscitur. At neque acrem, uel suauem, neque acidam, uel amaram, uel austeram, uel acerbam, uel omnino adstringentem facultatem ipsam habere, gustus abunde testis est.

B Quemadmodum etiam ulcera nec ab ea derodi, nec calefieri, nec refrigerari, nec purgari, nec carne impleri, nec quum caro supercreuerit tolli percipimus. Licet itaque nobis in uarium usum administrare argenti spumam: interim ex oleo & aqua coctionem eius ad usque emplastri spissitudinem molientibus, interdum ex oleo & aceto: aliquando ex oleo & uino. Porrò in quibuscunque istorum coquatur, melius id medicamenti redditur, quod magis coctum fuerit, quod liquidorum quæ miscentur copia continget. Est enim ex ijs pharmacis, quæ liquefieri possunt etiam spuma argenti, dum tota funditur: sicut resina & cera: sed non statim ubi ignem contigerit. Vnde multis imponit, qui nullo modo ipsam fundi existimant. Igitur si cum oxelæo

C coquatur, liquescit citius, perinde ac cum ærugine, quæ & ipsa fundi natura solet: uti chalcitis quoque & misy. Ipsorum itaque celerrime chalcitis funditur: tardissime argenti spuma. At in horum medio sunt ærugo & misy, funditur & sori, sed longiore temporis interuallo, ut quod terrestre magis & saxeum sit, quàm chalcitis & misy: sed de his iterum dicetur. Argenti autem spumam per oxelæum coquens ocyus liquefacies: per hydrelæum tardius. Tamen funditur sic quoque, si duplum eius sit uterque humor. Ego certè plus etiam quàm duplum miscui frequenter, ut paulo pòst exponam. Atqui melius est statim ab initio hæc tria in mortario miscere,

D argenti spumam, aquam, & oleum. Quòd si candidum medicamen esse cures, oleum purius, lucidiúsque inijcito, atque aquam similiter puram ac candidam, coquatúrque in loco sub dio soli exposito: quia nubilus aer pharmacum denigrat: syncerus magnum ad albedinem adiumentum adfert, sicut aqua etiam in huiusmodi aere aspersa. Cæterum obseruato ne coctionem lignis, aut carbonibus peruri incipientibus moliaris. Nam fumus ei facile nigredinem conciliat. Perustis igitur antea carbonibus, quum exacte ardent, tunc coctionem auspicare. Quòd si illam per hos absolui non licuerit, in alio foco simili modo carbonibus præparatis, cacabum superponito. Quæ ergo medicaminis candidi faciendi

faciendi gratia obseruanda sunt, abunde satis indicatum est. Iam uerò hoc fit glutinantius, quo plus, ut demonstratum est, liquoris adfuerit. Quemadmodum si singulorum trium pondo libram unam inijcias, firmius adhærebit. At si argenti spuma non illiquescat, causa est potissimum, quur id facile decidat, sicut diutius adhæret cum argenti spuma cocta funditur, alteraturque. Candidius sanè erit, citiúsque coquetur, libris duabus aquæ in tres utriusque puta spumæ argenti & olei iniectis. Atque hoc in paruis ulceribus uti consueuimus. Medicamenti quod aqua coquitur, potestas nota est, si meminerimus eorum quæ in commentario De simplicibus medicamentis dicta sunt.

De emplastro quod ex argenti spuma & hydrelæo conficitur. Cap. VIII

B Aqua peculiari substantia semper humectat & refrigerat. Adscititio autem calore assumpto, donec ipsum perseruat, excalefacit: frigida facta refrigerat. Oleum uerò si recens sit, pharmaco non renititur, permanet enim humidum, & modice frigidum, quali maxime tenera corpora & uitiosis humoribus obnoxia indigent. Mulieres itaque & pueri, atque ex grandioribus mollem corporis habitum sortiti, (sunt autem hi & candidi cute) eius generis medicamenta requirunt. Porrò coctum ostendimus ex oleo copiosiore, & aqua reddi tam glutinans, ut ne quidem à lotis decidat. Et uerò etiam ulceribus quæ ad cicatricem ueniunt, multis diebus subsequentibus pharmacum immanere expedit, quò melius & citius ita cicatrix ducatur. Notum est huiusmodi pharmacum pruritus, desquammata, & ut uno uerbo expediam, parua ulcera persanare, in quibus & subliquidum parygrum appellatum Græce ceratum, aliaque id genus quædam utiliora sunt ijs, quæ ualidam potestatem obtinēt: qualia magnis uulneribus imponimus. De quorum omnium simul uniuersali uirtute in tertio libro De morbis curandis dictum est: in quo generales communesque sermones (uniuersales nuncupant) de quaque ulceris differentia tradidi, ostendens quales medicamentorum, quibus illa curabuntur, uires esse conueniat. Hic uerò particulares materias recenseo, symmetrias miscendorum definiens & modos, quibus si præparentur reddantur optima demonstrans. Ex hydrelæo itaque argenti spuma sicuti comprehensum est præparata, emplastrum tactu blandissimum simul & adhærendo pertinax efficit: præterea aspectu album, refrigeratoriam uim habens mediocrem, cuius auxilio exulceratis partibus ne quid influat impedit, & quod iam influxit denuo ad partes circumiacentes retrudit, ut res fiat huiusmodi, qualis cum spongiam aqua frigida humentem particulæ cuiquam corporis imponimus. Nam illa rugosum contractúmque totum locum facit, non tantum repellens quod influit, sed etiam quod in eo continetur ad uicina

A elidens. Atque emplastrum modo commemoratum nō ex prima facultate, sed per accidens exiccare dicetur. Nam proprie quidem & primario ea quæ digerunt, & temperamenta ad sicciorem statum perducunt, nominantur siccantia: ex accidenti uerò etiam ea quæ frigoris causa id quod influit repellunt: quod continetur expellunt. In summa nullum humectans, uel primario, uel ex accidenti ulceribus commodum est, ut in tertio Methodi medendi libro demonstrauimus.

De emplastro quod ex argenti spuma & oxelæo conficitur. Cap. IX

De argenti spuma quæ ex hydrelæo preparatur, etiam hæc sufficiunt. Digrediendum modo est ad eam quæ oxelæo constat. Itaque mediocriter exiccās medicamentum fit, si utriusque, nempe olei & aceti duplo maior portio quàm argenti spumæ misceatur. At si uetus quoque oleum sit, adhuc etiā magis exsiccat, copiosior uerò quàm duplum sit utriusque mensura ualentius facit pharmacum. Quapropter fistulas quæ nondum callum durum habent, curat. Cæterum spumæ argenti una pars inijcitur: illorum singulorum duę & semis. Quinetiam tripla utriusque parte nonnunquam mista, toto die coxi medicamentum. Vnde quidem reddebatur nigrum, sed perinde ac bitumen probum splendescebat. Porrò maxima siccandi potentia hoc pollet, curatque ulcera difficilia, & fistulas, quales dixi, iungit, uulnera cruenta glutinat, uno uerbo, exsiccat sine morsu. Huius rei gratia etiam alia uniuersa ulcera sanat, C maiora minoraque, donec ad cicatricē perueniant. Aequū est & alia quædam eius opera commemorare, quæ forsan ne quidem speraueris, quantum ad materiæ humilitatem attinet. Nam quum febris solutio ex parotide suppurata cuidam accidisset, parua relicta est fistula, quā post sex menses à principio in agro mihi ostenderunt. Erat enim puer filius agricolæ, annos natus circiter quindecim: huic quum ex emplastro illo, quanta tunc mihi copia aderat, imponendum dedissem, ipse in urbem reuersus sum, ac plurib. negocijs medicis occupatus, oblitus sum eius qui pharmacum acceperat: sed post duos certe menses, præter animi mei expectationem D uenit incolumis: immittentibus enim nobis subillum pilum per fistulam, ad articuli commissuram usque procedere uidebatur. Non multos post dies, cum alius puer forte fortuna eiusdem cum priore ætatis, eodemque morbo laborans mihi esset ostensus, emplastrum hoc imposui, quo ille pariter integræ sanitati restitutus est. Ab eo tempore plurimos eodem uitio huius medicamenti uirtute liberaui, tum pueros, tum adulescentes, tum mulieres. Igitur si uos quoque uti eo ad huiusmodi affectus uolueritis, uetustissimum oleum & acetum quàm acerrimum ex uino uidelicet solo confectum inijcitote, non ut quidam aqua mista ipsum preparant, sed purum sit quammaxime licet, ac pellucidum, tale siquidem

dem tenuius commodiusq́ ijs erit ad quæ ipsum A requirimus. Hoc pharmaco etiam musculos induratos subinde curaui.

De emplastro quod ex argenti spuma & œnelæo præparatur. Cap. X

Reliquum est ut de argenti spuma dicam quæ ex œnelæo componitur, & eandem prædictis symmetriam ac uirtutis excessus pro humorum copia respondentes habet. Etenim æquali portione tria missa præparaui, & duplo maiore utriusque liquidi mensuræ, quàm argenti spumæ, dimidium insuper, ac interdum triplum addidi. Confeci autem nonnunquam ipsum & hoc modo. Per æstatem sole calido argenti spumam ex uino falerno conterebam singulis diebus quindecim continuis, uinum rursus, si forte primum B euaporarat, infundens: post dictos dies coctum medicamen, exiccans abunde factum est, quo in rheumaticis quoque dispositionibus perinde ac Palmeo, quod Phœnicinum appellaui, usus sum: ex oleo liquefaciens, ut in illo prædictum est. Ac fœmur iam diu induratum, cruentaq́ uulnera eo sanauimus: atque ad omnia fuit optimũ. Itaque si Falernum ad manum non habeas, aliud sumito colore fuluum, sed tenue substãtia ut pelluceat, cuiusmodi est Ariusium, quod in Chio nascitur, & odorum uehementer Lesbium, in Mitylene paucum, in Eresso & Methymna copiosius meliusq́ proueniens. Item quod Falerno simile est Tmolite. Est & hoc tenuissimũ, perlucidum, fuluum colore, dulce mediocriter, nimis q́ C odoratum: potes inueteratum hoc usurpare ad quæcũq́ & Falerno uteris. Est porrò & aliud uinum Tmolite, huic tum colore, tum substantia simile, uerum neq́ dulce, neq́ odoratum. Habet autem uim quandam adstringendi, sed dulcedine multo inferius est. Hæc itaq́ ex cocta spuma argenti fiunt medicamenta.

De crudæ spumæ argenti usu. Cap. XI

Incocta quidem per se, ut annotauimus, attritus emendat. Ex aceto autem seu uino trita sicca taq́, ulceribus medetur, quæ ob humiditatẽ uix cicatricem recipiunt. Quòd si rosionis expertem esse cupis, elota utitor.

Quomodo lauare oporteat argenti spumam, & reliqua metallica. Cap. XII D

Facile eluitur, ut quæ statim propter innatam grauitatem liquoribus in quibus leuigatur subsidat: unde totam rosionem in aqua lota exuit: acuti uerò sensus corpora, parum adeò mordacem percipiunt, si ex aceto uel uino eluatur. Porrò conuenit, diligenter tota die tritam, cum liquore per noctem relinquere: postero die mane illum auferre, alium mox superfundere, postea rursus terere similiter, iterumq́ sequenti aurora liquorem emittere. Quod faciundum est, donec simul cum humore argenti spumæ uelut tenuissima quædam lanugo (Achnen hanc Græci uocant) appareat, cúmque nihil amplius innatat, nihil etiam magis effundendum est. Attamen conterere diebus pluribus, etsi nihil ei insistat, idq́ sole feruẽti, satius est: ita enim accidit, ut medicamentum exiccet ualentius. Porrò nouerunt omnes id æstate non solum in argenti spuma, uerum in alijs etiam quæ hoc modo præparantur, fieri cõmodius. Siquidem cadmia, æris squama, æs ustum: ad hæc item quod uocatur diphryges, cerussa, misy, sori, stymmi, & omnes lapides: præterea calx perinde ut argẽti spuma ex liquore aliquo prædicto eluuntur, leiganturq́. Interdũ ex marina preparationem ipsorũ molior, de quibus in sermonis processu rursus agitabitur. Nunc eñ propositum mihi est emplastra percensere, quæ Græci iuniores medici cum rho Græca litera in ultima syllaba & scribunt & enunciant: quemadmodum in Centrio, & Melotride facere omnes consueuerunt. Siquidem in his prima nominum positio uidetur sine rho facta fuisse, à uerbo quidem centεn, quod est pungere, Centrio nominato, ultima syllaba rho non habente: Melotride uerò composita ex mela & ote, id est specillo, & aure. At quum hoc tempore propè omnes ea cum rho efferant, non peccaueris si simili modo illis pronuncies, præsertim in Centrio. Quippe ostendimus in opere quod contra illos qui soloecissantes corripiunt, prodidimus, & ipsos Atticos uiros ualescentem usum & consuetudinem sequutos fuisse. Nam alij quoque ante me indicarunt, Atticorum linguam permultum à proprietate sua decidisse: ac omnes quorum eloquentiæ laus & gloria maxima apud Græcos extat, suæ quenq́ tempestatis morẽ imitatos fuisse. Et nos itaq́ cum omnes inueniamus iam medicamentarios libros emplastri nomen cum rho scriptũ habere, usum præualentem sequemur.

De medicamentis quæ ex molybdæna conficiuntur. Cap. XIII

Relatum à me est superius quoque molybdęnam & argenti spumam in eundem ferè usum adhiberi. Omnia eñ quæ ex argenti spuma componuntur, etiam ex molybdęna fieri possunt: sed facultate inuicem differunt tantum, ut molybdęna substantiæ crassioris frigidiorisq́ sit: argenti spuma tenuioris, et inter calidam ac frigidam mediæ. Cæterum colores medicamentorum quæ inde præparantur, molybdæna nonnihil euariat, quatenus fusciores ipsos efficit. Quare & alborum emplastrorum, quę non modo cerussam, sed argenti spumam quoque habent, nullum ex molybdæna constat. Quippe huius mistura color albus cinereus redditur. potestas autem in albo emplastro, quod ex hydrelęo cõponitur, melior etiã euadit, præcipue in teneris corporibus, tantum abest ut pereat. Cum discutere quid uolumus, argenti spuma q́ molybdæna potior est. Pari modo & in reliquis medicaminibus cũctis, quæ ex argenti spuma cõpositionis titulum sortita sunt, cum molybdænam adijcimus, color & uirtus tantũ immutatur medicaminis, quantum paulo ante indicauimus.

De emplastris albis quæ ex argenti spuma & cerussa fiunt. Cap. XIIII.

Vel coloris causa medici cerussam argēti spumæ ad emplastra alba cōficienda miscent: uelut quandā adstringendi, ac refrigerādi uim medicamento cōcilient. Videntes autem & huiusmodi nigrescere, cū largius coctum fuerit: præsertim lignis, & ijs quoq; fortasse fumidis, nec in aere puro, mox ab igne tollere cogunt: ob quod ipsum nec aquā copiosam, nec oleū miscere. Merito igitur resinā ei adiungere excogitarūt, quò sequax ac sibi cōtinuum fiat, uiscosum quid assumēs, maxime cū liquida resina immittit. at ex tali mistura deterius efficitur pharmacū: cū mordax quiddā resina repræsentet: quod siccet, nihil adeo generosum, cuius usum maxime ulceribus esse necessariū didicistis. Quædā itaq; uel insigniter derodūt resinæ: de quibus uniuersis iterū sermo futurus est. Mitissimæ uero duæ inter eas sunt, prima terebinthina, larix altera nuncupat. Has igit miscere satius est, ubi id genus emplastri conficere cogitas. At multo leniora tactu omia fiūt, tum quæ resina constant, si ceræ quid adiectū sit: tum quæ ex cera, si resinæ nonnihil admistū habeant. Quamobrem cera quoq; resinæ immittenda est: ut autem color emplastri albus seruet, albā cerā esse cōgruit. Est sane alba, quæ suapte natura prouenit, Pontica, sic em nominari iā consueuit, licet aliunde ueniat: q plurima in Ponto alba nascatur: alijs in regionib. paucissima. At cādida quæ Tyrrhenica nominata est, nō sponte nascit, quare nullam euidētem habet acrimoniam. Quæ uero suo instinctu proueniūt, nonnullæ acres sunt, quas prius eluere oportet in hunc modū. Liquātur primum ad ignē, deinde in aqua fontis pura demerguntur, ubi permouentur, expurgāturq;. Simili ratiōe & pix & resina, et quod physema dicitur, lauandum est: de quibus iterum exactius commentabimur. In præsentia, quoniam albi emplastri cōpositionem tradimus, reliquum eorum quæ præcepta sunt deinceps percēsebimus. Post eaquam ergo cerussæ spumęq; argenti coctis prius, usq; dum medicamen adamussim non inficiat, cera simul cum resina fuerit adiecta, cādidum iam emplastrū si placet, habebitis: interim aquā inijciētes, interim oleum duntaxat, idq; nunc recens, nūc uetus. Prius enim iam audiuistis, quam uirtutem aqua, & oleum uetus habeat. Nouistis item quod Omphacinum oleum, & id quod colitur in Iberia, quæ nunc Hispania dicitur, astringens quippiam pharmaco adijcit. Histricum nō modo exiguam astrictionem, sed amaritudinem quoq; refert. Proinde different tantum ex astringentibus confecturæ ab ijs quæ dulci oleo constant, quanto initio ulceris & fini potiora sunt omnia quę nōnihil astringens cōtinent: in medijs, dulcia. Nam in principio medicamenta repellentia prosunt ulceribus, ne phlegmone corripi incipiant. Inde quæ magis relaxent, si non phlegmone adsit, trāspiratus gratia: quòd si affuerit, etiam

A ob illam, ut citius dissoluatur. Enimuero clarū est de parua phlegmone uerba fieri, siquidē exigua ulcera in quib. albis hisce emplastris utimur, magna comitari phlegmone non potest, si error nullus accesserit. Cæterū & ulceribus quæ iā ad cicatricem ueniūnt, astringendi qualitatem utilē esse cui obscurum est? Tempus igitur iā postulat, medicaminū quæ emplastrum album utilissimum constituunt, symmetriam exponere.

Pondus emplastri. Cap. XV

Aequa sit portio utriusq; metallici, cerussæ & argēti spumæ: & hæc si uideat, esto singulorum pōdo libra. olei uero mensura, amborū simul pōdus absoluat, uel ut Romani dicunt, sint pōdo libræ duæ. ceræ pondo selibra. terebinthinæ, illius
B dimidium, hoc est pondo uncias tres. Quod si & thus admisceas, primū dolori mitigando magis erit, tum parua ulcera quæ phlegmone infestat, ocius cōcoquet: sed ad cicatricem ducendam erit imbecillius. Nam carnem supercrescentē promouet, quoniam thus carnem generat, ut in tertio quoq; libro De morbis curandis legistis. Satius itaq; est inijcere et aluminis paululum, tum ad cicatricem ducendam, tum alterius causa, quandoquidē laxantia medicamenta plethoricis & uitioso succo obnoxijs corporib. adhibita, affectis partibus fluxum concitant. Ex his autē omnibus compositum medicamen, tumores præter naturā in molli corpore, qui nec magni adeo, nec dolorifici sunt discutere poterit, præsertim cū thus
C abunde assumpserit. Erit itaq; in prædictis copiosum thus, si æquale ipsi terebinthinæ pondus accipiat: sin eius dimidium, minorē digerendi uim medicamentum habebit: magis autē cicatrici ducendæ erit idoneum, quàm quòd duplo copiosius id receperit. Iam si plenius adhuc digerere cupiatis, etiā piperis albi panxillū adijcitote, quod ulcerum cicatrici obducēdæ nihil obesse potest. Sit igitur aluminis pondus unum, piperis uero dimidium. Rationi enim consentaneū est, ut huius ℥.iij. aluminis autē ℥.vi. inijciantur. Quoniā uero & aliàs præstat alumē quod scissile nominatur, & colore candidū est, id immittere expedit.

Album emplastrum ex pipere, ut Attalus Herasq; composuerunt. Cap. XVI

D Iuuat senum ulcera, & eorū, qui mollē habent cuticulā: deniq; omne ulcus curat quod & humidius est, & nō facile cicatricē admittit: ad hæc abrasa, quæ aposyrmata Græci uocāt, ut cutis suspēsa sit interim nigrescens in cubito, tibia, & genu, quib. neq; caro, sed mēbrana sola os ambiēs subiecta est. Hisce igitur, ut omia ordine recenseam, medicamenti cōpositio constat. Argenti spumę, cerussæ, utriusq; pondo libra. olei duarū librarū mensura. nūcupatur enim à Romanis æquiuoce ponderalis, ut ita dicā, libra solidorum corporū, & mensuralis libra liquidorū, quæ copiosissima in tota urbe ex materia cornea cōstat. Præter hęc ceræ pondo selibra. terebinthinæ resinæ pondo unciarum trium. thuris uel dimidio ipsius resinę,

uel æquali pondere, aluminis pondo denarium sex. piperis pondo denarium trium. Coctio manifesta est. Initio quidem metallica in sole coquũtur, dum plane non inficiat, uel etiam paulo durius fiat: immittuntur autem tunc cera & resina. Dein cum omnia in unum coierint, thus primũ, mox alumen & piper addentur. Iniicere autem conuenit cerussam, quam uocant rhodiacam, si emplastrum cãdidum eximie fieri cupias. Quin etiam in ciuitate Dicæarchia olim, nunc Puteoli uocata, nonnulli qui cerussam præparant, similem rhodiacæ albam facere consueuerunt. Porrò quod in sole conficiendum sit emplastrum, & aqua admiscenda, ut albius simul & magis refrigerans fiat, antea discussum est. At si mauis ad cicatricem ducendam commodius ipsum reddere, ab aqua in totum abstineto: olei autem ueteris pondo uncias duas, ac dimidiam, immo etiam tres immittito. Hoc medicamentum non ex eorum numero est, quæ à me primo autore composita sunt, sed iam annis multis ante à rege nostro Pergamenorum Attalo, uiro omnigenorum medicaminum studioso. Constat ratione prædicta. Et admiraremur sanè, si quis aliud præstantius ipso, eiusdem speciei existens, componere posit. Meminit eiusdem Heras quoq; in Medicamentorum libro, quem nonnulli Nartheca, id est ferulam inscribunt, alij Tonon dynameon, id est robur compositionum, censens oleum uetus attribuendum, eiq; parem aquæ mensuram, uel dimidiam esse miscendam. Cæterum alia quæ ad symmetriam spectant, ita habent ut à me scripta sunt. nisi quòd ille heminas, nõ libras tum aquæ, tum olei posuerit: non indicans, quot unciarum heminam siue ponderis, siue mensuræ constituat. Etenim ponderales unciæ grauitatem corporum, mensurales molem decernunt. Cum igitur pharmacum hoc senum ulcera & tenerorum curare dicit, uerus est: cum uero omne ulcus sanare scribit, amplius quàm par est ei condonat & tribuit. Si quidem humidiora, eoq; minus ad cicatricem uenientia curat, cacoethes nullum, sicut nec ullum uulnus cruentum. Ille autem & hęc omnia promittit: attamen derasis ipsum mederi scribens non falsus est. Subinde enim tam derasum os, ut cutis inde cum subiecta quadam carne dependeret medicamento imposito cum ipsa coaluisse uidi, & quod hoc maius est, interdum iam nigricante. Rursus aliud quàm hoc etiam ad mirabilius, in cubiti gibbero, tibia, & genu, quibus nulla caro, sed os cõuestiens membrana, uel latus tendo solus subiectus est. Quare ad abrasa optimum hoc medicamentum habueritis: ad sinus & abscessus, nec omnium optimum, nec bonitate optimorum secundum. Verum ad medíocres hos affectus in teneris, mulieribus, pueris & senibus commendatur. Quare & hic plus quàm oportebat Heras medicamento detulit: multo autem magis cum laudaret ipsum, scribens ad morsus uniuersos esse remedio. Cur enim sermoni appositum esse uult uniuersos? utrum si etiam ferarum morsus fuerit, an hominum uniuersorum tantum dicit? Atqui falsum est utrunque: in feris quidem clarum est. quę enim ab efficacibus pharmacis uix curantur, hæc nemo ab illo sanari posse dixerit. Quòd de hominibus dicat, & sic oratio incerta indistinctaq; est, adeo ut auditores magis offendat quàm iuuet. Itaque persuasit aliquis cuidam medico, ut emplastrum hoc adolescenti in pancratio digitum indicem morso imponeret, qui inde tam male habuit, ut in periculo esset, ne pars tota morsa computresceret oborta iam putredine. Vix autem diuturna curatione glutinatus est. At cum non in neruum, sed carnẽ læsionem acceperit, nihil mirum est huiusmodi medicamẽto saluum euasisse. Etenim hominum morsus aliјs ulceribus admodum similes sunt, nisi qui morsum intulerit, uitiosis humoribus abundet, aut diutius à cibo abstinuerit, aut ira correptus sit, ut uniuersum corpus, etiam dentes bile madeant. neq; in his tamen eiusmodi quicquam mentione dignum medicamen facere uidebitur: atqui ei qui subito fuerit usus satis erit, si nihil incommodi acceperit prius, quàm pharmacum aliquod talibus curandis peculiariter dedicatum morsæ particulæ imposuerit, de quibus mox disputabitur. Nunc uero tantum dixisse sufficiet, de iјs quos siue homo qualem diximus, siue simia, siue canis, siue id genus animantium aliud momorderit.

Attalici secundum Andromachum albi narratio & compositio, quod minus lædit à rabiosis morsos, & neruos uulneratos. Cap. XVII

Alba quæ oleo recenti & aqua citra piperis atque thuris misturam conficiuntur, commorsas partes uehementer offendunt: licet animantis saliua quod momorderit, uel pauxillũ adeo uirus contineat. At minus illis omnibus Attalicum lædendi naturam obtinet, quod terebinthina, oleum uetus, thus, & piper adiecta sint. Pari etiam modo in neruorum uulneribus reliqua alba magis nocent, sed multo minor offensa est ex hoc, quod quidem oleum uetus habet, aquam nonitem. Insuper hoc magis eueniet, si tres uncias thuris integras, & non eius dimidium recipiat. Dictum siquidem mihi est & antea, quod si & hoc pacto præparemus, in huiusmodi albis alumen pharmaco male cõgruere. Nam opus est hic nõ adstringentibus, sed abunde extrahentibus quæ in alto neruos punctos affligunt, & uenenatam animalium saliuã. Heras hoc emplastrum ex rhodino, uel myrteo, uel myrrhino dilutum, mederi & ambustis igne tradit: & si longe inferius sit etiam his pharmacis quæ ambusta cõmode sanant, de quibus ipsis quoq; rursus sermonem instituemus. Præstantiora enim in his sunt alia candida, quæ neq; thus, neq; resinam habẽt. Quin & hæc non parum ab iјs superantur, quæ ambustis igne proprie auxiliantur, quemadmodum à me compositum eadem sanare dixi, si acetum adiungas.

Illud

Illud siquidem nullo non tempore commodum est. Quod autem ex pipere album constat, excoriatis adustionibus cum ad cicatricem peruenient, utile est: ante per se nihil conducit: dilutum uero ex oleo myrteo prodest, non tamen æquali cum iis medicamentis uirtute quæ ad ambusta igne proprie faciunt. Heras morsis etiam ipsum conuenire scribit. Sed hic quoq; distinctione utamur oportet: siquidem in duris & coctu difficilibus imbecillius est medicamentum: in mediocribus, maxime in senibus, pueris, mulieribus, & ut breuiter dicam, molli carne præditis abunde sufficit. Insuper uaris aptum est, quemadmodum & hoc uere prodidit Heras. At de pustulis quæ Exanthemata Græcis dicuntur, indistincte pronunciauit. Etenim ex harũ numero mediocriter subduras persanat. quæ uero plus caloris, aut phlegmonodes quippiam referunt, irritat, præsertim initio. Post commemorata, deinceps in hęc uerba Heras disseruit. Fecit etiã ad duritiam trimestrẽ, quæ ex partu profecta erat, ac perspiratu discussit, non impossibilia dicens. At conueniebat ipsum præscripsisse, cuiusnam durities esset, totius ne uuluæ, an ceruicis solius, uel orificij, uel cornuum, uel extranei cuiusdam corporis ei incumbentis. Iam uero id ipsum emplastrum impensius q̃ natura comparatum sit laudat aduersus fistulas cum alias omnes, tum maxime quæ in ano oriuntur, sic enim appellauit ipse, cum illud curare affirmaret. Simili modo ad podagram, carbunculos, epinyctidas, condylomata, lepras, uitiligines, sugillata propositum emplastrum Heras extollit. Si itaq; tanquam meliorum penuria eo usus quispiam mediocre præsidium attulerit, uere prædicat: sin autem ut medicamen ad hæc optimum adducit, manifesti mendacij arguitur, cum multa alia præstantiora inueniantur. Cæterum post ipsius laudes his uerbis pręcipit. Vtere hoc maxime, cum ulcus ab acribus pharmacis, & iis quæ cruentis imponuntur uulneribus (Græci uocant Enæma) soluitur & phlegmonem recipit: tum in abscessibus qui circa genu fiunt. Hic quoq; fidei illius erat apponere pro abscessuum quidem ratione, tenera carne præditos, pueros, mulieres, & senes: in ulceribus autem, species eorũ adscribere, uti nos faciemus in sermone De malignis ulceribus. nam istud de quo nũc loquimur emplastrum nulli tam cacoethi seu maligno cicatricem obducit. Verum distinguenda sunt ea quæ cicatricem ægre ducunt à cacoethibus. neq; enim omnia cacoethe difficulter cicatricem admittunt. At dicetur sermone procedenti De ipsorum differentia, & medicaminum, quæ utrisque sanandis dicata sunt. Quin ex solis metallicis album emplastrum præparare licet, ut paulo ante in sola argenti spuma cocta admonuimus. Si enim spuma argenti cerussæ committatur: deinde olei, & aquæ utriusque duplum misceatur, & coctionẽ, ut nuper est præceptum, carbonibus antea perustis in aere lucido peragas, tum glutinãs, ac tenax, tum album colore medicamentum erit, maiore autem refrigerandi uirtute præditum quàm quod est ex sola argenti spuma cõfectum. Quemadmodum enim molybdæna frigidioris crassiorisq; naturæ est, etsi argenteæ spumæ eam admisceas, sic etiam cerussa, uel magis adhuc quàm molybdæna. Quod si uetus oleum indatur, nõ parum lentoris & hoc medicamen habiturum est, ne uidelicet à corpore facile decidat, cuicunq; fuerit impositum. Atque si emplastrum candidum fieri postulatis, oleum quàm fieri potest purissimum simul & lucidissimum iniicitote. multa enim eius generis non sunt: mitigans uero ac dolorem sedans erit pharmacum, si et adipis aliquid inieceris ueluti egò facere cõsueui. Adeps uero anserinus sit, uel huius inopia gallinaceus. si neq; hũc habemus, suillum iniiciamus: non ignari quidem magnam esse anserini ad reliquos eminentiam: utentes autem peioribus etiam, siquando optimi copia non conceditur: nam & cum cinnamomum desideratur, ad casiam optimam descendimus. Verum in prædicta symmetria adipis pondus dimidio minus quàm utriusq; metallici miscere sufficit: ut argenti spumæ & cerussæ singulorum pars una adsit, olei dupla, & aquæ dupla, uel etiam paulo amplior, adipis pars dimidia. Cæterum quomodo dicam iis qui lance metiuntur, ea quæ aliàs mensurantur, dupla dimidia & æqualia, ante paulum ostensum est, dum Romanæ libræ ponderalis cum mensurali cognominationem quam uocant homonymiam seu æquiuocationem interpretarer. Pharmacum hoc uariis modis præparaui: siquidem quatuor pari portione mistis, dimidiam adipis, interim quoq; liquidorum utriusq; partem unam et dimidiam adiũximus. Porrò fiet ueluti exemplo symmetria talis, argenti spumæ põdo libra. cerussæ pondo libra. olei, aquæ utriusq; pondo libra una & dimidia. postremo adipis pondo selibra. est cum & pondo trientem adiecerim, sicut & aquæ pondo libram unam. Quod autem idiotæ frequẽter dicere solent, & medici ipsis similes, obseruate ne interdum dicatis, nempe medicamentum quodlibet generosius fieri, si adiectum hoc fuerit, quodcunq; nominauerint. Nonnulli ignorare se fatentur, rogantq; nos, qualisnam compositio præparatioq; sit optima: ignorantes aliam in alio affectu esse commodiorem. simpliciter uero & indefinite, ne unam quidem optimam. Huius itaq; rei gratia ego simplicium pharmacorum uirtutes accurate pernoscere operæpretiũ esse uobis puto: nam cõposito probe uti non possitis illorum ignari. Nimirum igitur in proposito hic albo emplastro recens adeps admistus, medicamentũ efficit quod dolorem magis adeo leuat, ut si & inflãmatiõe laboret ulcus iuuet ipsum, at cicatrice obducenda minus reddet accõmodatum. Quod citra adipem conficitur, facilius quidẽ cicatricẽ inducit, uerũ non ex æquo sedat dolorem. Dictum quoq; est prius, q̃ aqua admista euidentius refrigeret, sed oleo ueteri magis discutiat. Itaq; qui eã facul-

facultatem adsecutus est, ut quo potissimum ulcus indigeat, scire possit, is optime & ipse componit medicamenta, & iam compositis utetur. Atq; uidistis me subinde medicorum qui me in consilium aduocarunt pharmacis multa curasse, à quibus illi sanitatis spem abiecerāt. Optimum igitur medicamen dictum est non sermone simplici, sed inter ea quæ hoc aliquid facere pollicentur: quemadmodum ego Phœnicinum optimum esse retuli aduersus rheumatica, si eo iuxta prædictas distinctiones utamur.

De alijs emplastris albis. 18

Alba igitur ante cōmemorata, qua dixi ratione iam olim confecta sunt: post quæ alia diuersa medici posteri excogitarunt, quædam adimentes, addentes, & immutantes, de quibus & ipsis præstat dicere, ut in uaria medicamentorum compositione uos exerceamini. Scripsit itaq; Andromachus in libro cui titulum fecit, Virtutes ad exteriora, hisce quodam modo uerbis, Albū quo utor. Argenti spumæ pondo mina. cerussæ tantundem. ceræ pars quarta. resinæ pars quarta. olei heminæ tres. aquæ heminæ ij. hactenus Andromachus. Nec quibus conueniat adscripsit, nec coctionis eius mentionem fecit. Nōnulli uiginti uncias minam continere tradunt: quidam sedecim: atq; medicamentum utroq; modo pręparari possit, non tamē recte mihi parem modum resinæ & ceræ inijcere uidetur: nam Attalici compositio melior est, quæ cerā resinæ duplo copiosiorem accipit. Cōstat autē si resinæ & ceræ æqualis portio adiecta sit, emplastrum fore glutinantius, non tamen ex æquo suaue gratumq; ulceribus, sed acrimoniā habiturum. Quinetiam eo quòd indicare noluit, qualis immitti debeat resina, parum recte fecit. Nos autem haud ignari esse meliorē per omnia terebinthinam tum colophonia, tum ea quæ phrycte nominatur, illam inijciemus. At si & laricem habeamus, quid uti prohibet, cum sibi inuicem propemodum sint adsimiles? Olei heminas tres, atticas puto ipsum scribere, aut certe scripsisset libras. At qui miretur quispiam, quomodo Romæ degens pro libris heminas nominauerit: eius nēpe regionis illa sunt nomina, libra, sextarius, uncia. Ex multis pharmacis quondam conscriptis, priusquā Romanorū res eò potentię accreuissent, conieci quā illi uocarent heminā, esse æqualem uncijs nouem libre Romanæ hodiernæ. Nunquid igitur & Andromachus tres heminas censet adijciendas, tanquam singulæ uncijs nouem ualeant? eademq; ratione & aquæ duas? Vos ergo si simplicis cuiusq; potestatem cognitā ante habeatis, quomodocunque præparato uti potueritis ad ea quæ cōpositionis modus promittit, alijs permittētes inquirere, qualisnam confectio sit optima. Omnes enim optimæ sunt & non optimæ: quemadmodum nobis prius ostensum est. Postea Andromachus aliud subiungit huiusmodi.

Album aliud. 19

Argenti spumæ pondo denarium cētum sexaginta. cerussæ pondo denarium ducentorum. ceræ pondo denarium quinquaginta. terebinthinæ pondo denarium uigintiquatuor. olei heminæ dimidiū. aquæ cyathos sex. Hoc igitur emplastrum priori plus cerussæ, quàm argenti spumæ habens, candidius euadet, magisq; refrigerans quod ad hoc attinet, sed facile decidit, minusq; adhęrescit, licet sedecim uncias, & duas unciæ partes heminam habere statuamus, quemadmodum nonnulli aiunt. Iuuat sanè ipsum ad hæc terebinthinæ mistura, ne rigidum fiat pharmacum, quoniam omnino alipes, ut Græci dicūt, id est pinguis expers & aridum esset, pauco oleo, & aqua addita, neq; in hoc uero adscripsit Andromachus, uel coctionem, uel quid promittat.

Aliud album. 20

Aliud posthoc ponit tertium, quod eadem alia omnia, cum Attalico ex pipere albo confecto cōtinet. Adiecta autē sunt ei hæc duo, orchis herbæ pondo denarium octo. struthij pōdo unciæ duæ. aquam uero nequaquā huic pharmaco adiungit, sed thuris pondo denarium uigintiquinq; inijciēdas censet, non adscribens ut Heras consueuit. Nonnulli autem uigintisex immittunt: olei tamē & hic ille heminas duas imponit, eandem nobis obscuritatem relinquēs, cuius supra memini. Accusauerit quis eum uehementer, quod pharmacorum pollicita seu titulum non præfixerit: quippe secundum cum primo & tertio eandem potentiā non obtinet: Herasq; sanè laudandus est, qui medicamentorum uirtutes adscripserit, utendiq; modos, quos Andromachus in emplastris albis prorsus omisit, raro ad quid ualeāt apponēs, quin nec quo pacto coquēdū medicamentū sit, indicauit. Attamen nemo forsan eum accusare possit, quòd iā exercitatis in re medica, non idiotis scribat. Verum q titulum præterijt, uel uniuersales potētias, nō mediocre peccatum est. Quid enim dicet, qui defensionē eius susceperit? forsan q peritis simplicium medicaminū uirtutum hęc tradiderit. At qui illorū nullus Andromachum desiderat, cum & ipse simili modo possit componere.

Candidum Heræ. 21

Rursus ad Herā reuertamur, aliud candidū emplastrū post Attalicū ijsdē hisce uerbis scribētem: cādidum aduersus rabiosorū morsus, facit exacte etiam ad aquā expauescētes ex rabidi canis morsu, pręseruat enim statim à periculo uulneri impositum: item deuictis ualde catapotiū nucis auellanæ magnitudine ex eo dandū est, idq; diebus quadraginta. Mutat tamen colorem in splenijs, redditq; nigrum, ualet & cōtra morsus hominum canumq;, abrasa, & ulcera quæ cicatricem difficulter admittunt, tollit etiā sugillata, & crueta uulnera cōglutinat, aufert phymata & rhagadas. Est & pessus emolliens, oportet tamen post diē soluere, & nigredinem ulceribus obortam spongia detergere. Idq; tantisper faciēdum est, donec nigricies amplius nulla appareat. Iam quoq; idē cicatricē ducit, & ad omīa bonū est. Hæc præfatus Heras, dein

dein symmetriam emplastri his uerbis enarrauit.
Album.
Ceræ albæ ponticæ pōdo lib. ij. argenti spumæ
chrysitidis pondo librã. cerussæ tantundem. myr
rhæ pondo uncias ij. medullæ ceruinę tãtundem.
thuris atomi, id est insecti pōdo unciam. olei uete
ris sextariũ. hæc sane symmetria eorũ est, quæ em
plastrum constituunt. coquendi uero modum de
inceps ita scripsit. Argenti spuma ex oleo coqui-
tur: ubi sordium crassitudinem habere uidetur, ce
ra, mox cerussa aspergitur, moueturꝗ. Vnita iam
nec polluentia ab igne tolluntur, & medulla inij-
citur. postquam refrixerit medicamentũ, myrrha
& thus miscet, deinde emollitum, subactũꝗ ma-
nibus usui est. In hoc igitur Heras commẽdandus
est, qui nõ reliquerit nobis quomodocũꝗ lubet
emplastrum coquẽdum, sed ipse apposuerit. Pro-
cliue enim erat cerussam cum argẽti spuma, ut in
albis alijs statim ab initio coquere, & nos id plerũ
que factitare cõsueuimus, immo & ille ipse in a-
lijs cõscripsit. Verũ in hoc ipsam secũdò inijcere
præcipit, nõ apponẽs causam cur id agere præsti-
terit, etsi ostendat nõ unum coquendi modum in
omnibus esse similiter utilẽ, sed in quibusdam &
duos & tres efficere licere: nõ modo colorem, ue
rum & facultatẽ immutantes medicaminũ: quem
admodum in hoc nunc proposito, cerussam cũ ar
genti spuma coquere noluit, sciens ipsam, & exa-
ctum cãdorem ex coctione perdere, & adstrictio
nem quam habet cum refrigerandi uirtute depo-
nere. Forsan igitur inquiret aliquis, ecquid cũ em
plastri autor primus, quicunꝗ fuerit, digerens id
esse uellet, conatus tamen est cerussam crudam in
eo perseruare? Mihi sane uidetur huius gratia ad
talem uenisse confecturam, ut medicamentum re
pulsoriæ quoꝗ uirtutis quippiam habeat. etenim
eiusmodi nullam habẽtia, plethoricis corporibus
nequaquam tuta sunt. Vt ergo conueniat & his,
cerussam crudam mistam esse ratio postulat. Cęte
rum neminem latet magna de se propositum me-
dicamen promittere, inde ꝙ myrrhã & ceruinam
medullam assumpserit, sicut & alia quoꝗ eadem
cum cõmunib. his emplastris cõtinet. Didicimus
autem myrrham ualide siccans, tenuiumꝗ admo
dum partium esse medicamentum: medullam rur
sus nullo inter ea quæ molliẽtia uocantur, inferio
rem. De hac facultate, quemadmodum & de alijs
omnibus secũdis in libro quinto Simpliciũ phar-
macorum dictum est. Videtur tamen non ijs tan-
tum medicamenti compositor, sed etiam albæ ce
ræ ponticæ, quæ uim habet medicamentosam fi-
dere: atꝗ ideo plurimũ eius immittere. Cæterum
sextarij Romani Heram meminisse puto: nam a-
pud Athenienses neque mensura, neque nomen
hoc erat. Nũc ex quo Romani imperare orbi cœ-
perunt, nomen sextarij apud omnes, quæ græca
lingua utuntur, nationes existit: ipsa uero mensu-
ra Romanæ æqualis nõ est. Quippe alij aliam sex
tarij mensuram usurpant: apud Romanos sexta-
rius libram unam semissem, & sextam illius par-
tem pendet: ut omnes simul iunctæ unciæ sint ui-
A ginti, quas plurimum cornibus metiuntur, inci-
sis extrinsecus lineis quibusdam orbicularibus.
Nõnulli falsò Romanum sextarium opinati sunt
octodecim mensurales uncias capere. Videt̃ igi-
tur & Heras cum heminam scribit, sextarij dimi-
dium indicare. num uero nouem uncias ex libra-
li cornu, an decem innuat, etiamnum ignoratur.
Itẽ ad rabiosos morsusne aptum sit pharmacum
siue bibitum, siue extrinsecus impositum, ratio-
ne cognoscere nemini licet. Indicauimus enim to
ta substantiæ proprietate eiusmodi medicamen-
ta efficaciam habere, & ob id experientia iudica-
ri. At experiri nunquam ausus sum hoc pharma-
cum, quam uim in rabidorum morsibus ostende-
ret: ꝙ certo sanans haberem medicamentum ex
B cancris confectum. Cum autẽ hoc non adest, alia
quoꝗ nõnulla, quæ nunquam prospero successu
nos frustrantur. Quare in tam periculoso affectu
certis medicaminibus relictis curiosæ experiẽtiæ
causa, morsi salutem prodere graue, & iniquũ mi-
hi uidebatur. Iam quidem de rabiosis morsibus
hæc quoꝗ dicta sufficiunt. Reliqua uero quæ He
ras de hoc emplastro retulit, ut in Attalico, par-
tim sane uera prædicari, partim impendio magis
ab eo extolli dixerim. Optimũ eñ est pharmacũ,
ut inter emplastra, quæ sugillatis dictis admouen
tur: inter ea uero quæ crueta uulnera glutinãt, nõ
in primis & optimis est. Summatim permultos in
uenio non modo huius tempestatis medicos, sed
etiam ueteres qui libros posteritati reliquerunt,
C hoc genus emplastra supra ueri fidem extulisse:
de quibus sequenti uolumine agetur. In præsen-
tiarum ad institutum reuersi, iterum Heræ dicta
examinemus. ait enim phymatis medicamentum
illud mederi, nulla distinctione eorum apposita,
quæ ego de Phœnicino protuli. Quædam siqui-
dem tam calida sunt phymata, ut cum uehemẽtia
quadam exiliãt, quædam frigida siccaꝗ sunt: per-
multa alia inter hęc cõsistunt: alia quidem exacte
media illorum quę diximus: alia à medio in utran
que partem paulum inclinãt: aliqua plus idem fa
ciunt: nonnulla summis uicina, uel à medijs quo-
dammodo & summis pari spatio absunt. Quibus
uniuersis emplastrum hoc conuenire non potest,
nisi humidis quibusdã id uelit liquefacere, ut fiat
D usus multiplicis, quẽ explicasse ipsum, sicut in a-
lijs factitauit, oportebat. Proinde par esse puto, ut
hunc laudemus ob ea quę tradidit, Andromachũ
accusemus. Cæterũ de eo quod emplastrũ istud,
hominum canumꝗ morsibus conferat, easdẽ pu-
ta à me rationes audire, quas & de Attalico pro-
nũciaui. Similiter de alijs, quæ pharmacũ cõmen
dãt, ut illud, ita hoc quoꝗ bonũ esse medicamen
dicens: sed multum ab ijs, quæ optime ad unum-
quodꝗ illorum faciũt inferius esse, ut quis eo cõfi
denter utatur, ubi optima desint omnia. Hoc au-
tẽ non paruum est in medicamentis, quemadmo
dum nec in uictus ratione, & omnibus quæ circa
artẽ uersantur. ego cõtempsi quidem id primum,
ut neꝗ dignum esse iudicarẽ Hippocrate, qui ad-
hortatur nos ita omnia artis opera perficere, ut iu

A uent, uel non offendant: postea uero cognoui magnam uim habere, cum scilicet uiderem nõnullos medicos in pharmacis se primũ recte gessisse, ut in admirationẽ sui alios perducerẽt, eosdẽ postea in aliis prospero euẽtu frustratos, ut risui essent. ideoq; semper conatus sum eiusmodi uti presidijs, quæ an profutura essent, nonnunquam sane dubitabam, quòd autem nihil afferrent incõmodi, certo sciebam. Quę igitur in Attalico emplastro atq; hoc laudauit Heras, non quidem ut dixi, magna sunt: sed ubi desiderantur, quæ id magnifice efficiant, nemo his utens manifestam læsionem inferet, etsi nihil iuuerit. Atqui si quis hoc pharmaco uti uolet in phymatis, ab illis quæ in Phœnicino docui, ipse intelliget, aliàs aliter ipsum liquefaciens. B Tractabitur autẽ uberius deinceps & phymatum tota curatio, unde spero uos methodum exactam perfectamq; medicaminũ, quæ illos iuuare possunt, habituros. Vocetur autẽ uobis emplastrũ hoc, albũ ad rabiosos morsus, sicut illud quod ex albo constat pipere, Attalicum.

22 Subiũgit mox & aliud emplastrum Heras in hanc sententiam. Album ariabarzanion, quo Xenocrates abscessum iam inalteratum circa tarsum (ea pars est in pede, quæ carpo seu brachiali proportione respõdet) discussit. Deinde eorum quæ ipsi immittuntur symmetriam, & postea coquendi modum præfatus, ad calcem hæc uerba apponit. Maxime facit ad cacoethe, pascentia, cõtumacia. uniuersaliter ad omne ulcus. Porrò cur eorum, quibus constat pharmacum, symmetriæ C tertiam partem recitauerit, compertum non habeo, cum alij integram hoc modo tradiderint. Argenti spumæ denarium pondo ducentorum. ceræ denarium põdo quinquaginta. olei ueteris heminas iij. cerussæ denarium pondo octoginta. terebinthinæ denarium pondo triginta duum. cineris buccinorũ denariũ põdo decẽ. thuris denariũ põdo decẽ & nouẽ. aquę cyath. xij. Hæc omnia à me prolata pharmaca Heras ad tertiã partẽ imminuit. Argẽti spumæ denariũ põdo sexaginta sex. obolos quatuor. cerę denariũ põdo sedecim, obolos quatuor. olei ueteris heminã. cerussæ denariũ põdo uigintisex, obolos quatuor. terebinthinę resinæ denarium pondo decem, obolos quatuor. D cineris buccinorum denarium pondo tria, obolos duos. thuris denarium pondo sex, obolos duos. aquæ cyathos quatuor. postea coctionem ita subdit. Argenti spumam, & cerussam cum aqua & oleo terito: deinde recenti olla igne non acri coquito, ferrea spatha sedulo mouens, ne adurantur.

Vbi semicocta fuerint, ceram immittito, hac liquefacta, resinam & thus, ac tãdiu coquito, dum aliquatenus non inquinet. Posteaquam bene habere propemodum uidetur, buccinos iniectos reliquo tempore concoquito. Cum perfecte coierint, in mortarium demittito, aqua exigua prius subiecta, & subacto utitor. Hoc medicamentum, ut sine morsu discutiat præparatũ est: quòd & cerussæ parum ad argenti spumæ portionẽ habeat, & cum hac ab initio cocta sit: ualideq; exiccet ob buccinorum cinerem additũ. Non dissimilis quodammodo facultas est & purpuris & ostreis concrematis. notum est autem sine carnibus horũ animaliũ testas cõcremari. Ac Heras quidẽ unum de compositionibus librum conscripsit: Asclepiades cognomento Pharmacion, decẽ, præter Theriacos & gynecæos, feris bestijs ac fœminis destinatos: apponens & ipse cuiusq; pharmaci titulũ: in multis etiam coctionis, in quibusdam utendi modum. Porrò Andromachus multas uires collegit, & ferè non pauciores ijs quæ in decem libris Pharmacionis Asclepiadis habẽtur, tribus ipsas libris cõprehendens. Primo pharmaca docet, quæ extrinsecus imponuntur: altero quæ intro assumuntur, & tertio quæ oculis adhibentur. Reprehẽdere autẽ ipsum iure possis, ut admonui, quod nec confecturas, nec usus rationẽ, nec uires, nec quid promittant adiecerit.

Quæ Asclepiades alba scripserit. Cap. 23

Ad Asclepiadem igitur iam transgressus, producam in medium quæ ipse alba emplastra ad finem tertij libri Exteriorum tradidit. Nam inscribit eos primam Marcellam, secũdam, tertiã, quartam, quintã. ueluti alios interiorũ quinq;, primũ Masonem, secundum, tertium, quartum, & quintum. Verum in tertia Marcella ad calcẽ alba emplastra adscripsit, prioris titulum esse ait, ad ambusta igne, abrasa, cutem tenerã, quod emplastrum Acesin, id est medelam nominari dicit. Omnia uero simul quatuor, argenti spumam, cerussam, oleum, aquam pari pondere incoqui oportere commemorat. Constatq; hoc pharmacũ fragile & alipes effici, hoc est pinguis expers, ut cuti sine deligatura adhærere non possit. Nisi ẽm ut præfatus sum ante, metallica plenius cocta fuerint, tale emplastrum fieri necesse est. Coquuntur largius, dum maiorem liquidorum mensuram in mistura continent. Huic aliud emplastrum Asclepiades subdit, eiusdẽ quidẽ tituli, sed non eiusdẽ cõfecturę. neq; ẽm æquale metallicorũ pondus imminet: uerum cerussam, argenti spumæ sesquiplam. Quin & seuum uitulinum adijcit, totam symmetriam sic faciens. Cerussæ denarium pondo centum uiginti, argenti spumæ denarium põdo octoginta, adipis uitulini denarium põdo triginta, ceræ denarium põdo uigintiquinq;, olei heminas duas. hoc pharmacum olei parũ habet, ceu ad metallicorũ proportionẽ, si quis heminã statuat ualere uncijs nouem Romanis, quæ in cornibus consuetis libralibus descriptæ sunt. Quoniã uerò cerussa in ipso superat, eoq; magis adstringens q̃ superius reddebat, adipem autor admiscuit. Sciens autem bubulum adipem calidiorẽ esse suillo, & uehementius digerere, cauit perfecti bouis seuum indere. Quippe in omni animantiũ genere iuuenilia perfectis humidiorẽ minusq; calidum adipẽ habent. Erit igitur & hæc compositio difficilior quidem, ac simplicis albi emplastri quod ante scripsit, sed nihilo utilior. Ab his tertiũ aliud profert cicatricẽ ducens, albũ: ex pari cum argenti spuma pondere, ceræ quarta illorum parte, & terebinthinę rursus

ſus dimidio minore ꝙ in cera. Oleū et aqua ferè æqua portione metallicis menſuris utriſq; ſimul indita ſunt. Voluit eñ medicamenti autor ceruſſæ, & argenti ſpumæ ſingulorū pondo denarium centum miſcere. cerę denariū pondo uigintiquinque. terebinthinæ denariū pondo duodecim. olei & aquæ cuiuſq; heminas duas. Itaq; Attalici memores emplaſtri, quod metallica perinde ac iſtud continet, ſicut etiā oleum ſimul cum aqua, ceram dupla portione ad eam, quæ in hoc medicamēto auditur, terebinthinā ſimiliter: ſcietis manifeſto, quonam diſcrimine medicamēta inter ſe uariant. Adiectum nanq; eſt illis & thus, alumē, ac piper.

24 Quinetiam Aſclepiades Attalici illius emplaſtri commeminit, non uocās id Attalicum, immo nec piper admiſcens: Alia uero omnia pariter ita ſcripſit ad uerbum.

Album quod ad Mnaſæum refertur. Facit & ad diuturna ac difficilia.

Argenti ſpumæ, ceruſſæ, cuiuſq; denarium pondo centum. cerę denarium pondo quinquaginta. terebinthinæ, thuris, ſingulorum denariū pondo uigintiquinq;. aluminis ſiſſi denarium pōdo duodecim. olei heminas duas. Porrò nę putetis differre, ſi drachmas cētū alicubi inueniatis loco unius libræ ſcriptas, ſed illud potius conſiderate: utrum qui ſcripſit cētum denarios, dimidiū ceræ ipſis miſceat, ſiue huius dimidiū terebinthinę, ut ſint cerę quidē denarij quinquaginta, terebinthinæ uigintiquinq;: an aliam quādam ſymmetriam faciat. Si nãq; prædictam, nihil referet dicere libram & ſelibram, & tres uncias. Siquidem libra denarios ſex habet ad nonaginta. ſelibra octo & quadraginta. Sic & huius rurſus dimidium quatuor & uiginti. Quapropter eadem proportio ſeruatur nulla inſigni differentia, ſiue centū drachmis metallicorū, ſiue nonaginta ſex heminæ duæ olei miſceantur. In hoc itaq; nō uariabunt pharmaca, ſiue libra nominetur, ſiue denarij cētum. Illa uero Aſclepiadis ſcriptum pharmacū ab Attalico emplaſtro dijunxit, quòd Attalicum ſex quidem drachmas aluminis ſciſſi, piperis uero albi tres habeat. Aſclepiadis albū piper non habeat, ſed duplū pondus ſciſſi aluminis. Porrò ualidius adſtringere quodãmodo, ideoq; promptius cicatricem ducere Aſclepiadis pharmacum, Attali magis digerere omnes norunt. Vnde quod dixi & prius, qui rogant, utrum ipſorū præſtet, medicamētis uti neſciunt. Etenim ad cicatricem ducendam Aſclepiadis, ad digerendum Attalicum eſt melius. In uniuerſum meminiſſe oportet, quod apud Hippocratem ſcriptum eſt in libro De alimēto, prauum uidelicet, & non prauum, noxiū & utile relatione ad aliquid dici. Alia enim ratione pronūciaueris Attalicum hoc emplaſtro eſſe præſtatius, eo ꝗd, ad multa utilius illud extat. Deniq; & Aſclepiades ipſe poſt hoc modo recitatū, ſcribens illud ipſum quod ex pipere ſit, nō uocat Attalicū, ſed Pāphilion, ignorās opinor primū ipſius inuentorē. Apponit autē nomen utentis, ac unde acceperit, tū quid ualeat his uerbis præfixit. Aliud Pamphilion dictū pharmacū accōmodatum. facit ad uetera, uix ſanabilia, carbūculos, epinyctidas, achoras, pſoricos affectus. ſinus glutinat, facit ad abſceſſus, condylomata, & fere omībus utilius eſt. Cōſtare ipſum tradit ex ceruſſa, argenti ſpuma, cera, terebinthina, duabus heminis olei, eodē modo ſicut & Heras. ad hæc itē fiſſo alumine, et albo pipere. aquę uero non meminit in confectura, ſed neq; thuris, quidam non quinq; & uiginti, ſed dimidium immittūt: quinetiam de aqua, cum enim olei ueteris heminas duas infundi ſcripſiſſet, poſtea aquæ duas uel unā adiecit: ego & ſine aqua medicamentum ſæpius præparaui: & ad omnia alia melius fieri apparet, præterꝗ in teneris corporibus: nam in his aquam præſtat adhibere, præſertim cū phlegmone tentanē ulcera. Inde aliud Aſclepiades cum ſuperioribus albis emplaſtris profert, ꝗd rabioſos morſus ſanare promittit: quemadmodū & quod apud Heram ſcriptū eſt pollicebatur. Aſſumit & hoc pręter ſimplex album quod ex argēti ſpuma, ceruſſa, thure, cera conſtat, inſuper medullam ceruinā & myrrham. Porrò miſcet ei argenti ſpumæ denarium pondo quadraginta. ceruſſæ denarium pondo triginta. thuris denarium pōdo decē. myrrhæ tantundem. medullæ ceruinę duobus pauciores quàm decem. ceræ albæ denarium pōdo quinquaginta. olei ueteris ſextarium. Primum horum omniū quę recitauit, prodidit Aſclepiades quem uocat Rhodiacū, ceu digerens & curans in mammis duritias ex his cōponitur: argenti ſpumæ, ceræ pōticæ, ſingulorum pondo. ceruſſæ, adipis ſuilli elaborati, cuiuſq; ſelibra. hoc eſt uncijs ſex. myrrhæ pondo uncijs quatuor. ouorum toſtorum uitellis duobus. olei hemina una & ſemis. Iſtud etiā ſedi benefacere confirmat, non apponens quonā liquefieri uelit, ſed nobis coniectandum forſan relinquēs, interim ex roſaceo unguēto, interim myrteo, aliàs ex oleo quopiam liquandum eſſe.

Quomodo candida emplaſtra componenda ſint aduerſus ulcera cacoethe, id eſt maligna, & ea quæ cicatricem difficulter admittunt.

Quæ dyſepulota, id eſt uix ad cicatricem ueniētia: quæ item cacoethe, id eſt maligna uocem, diſtinguendum modo eſt, quia nō ſolum in præſentem diſputationem, ſed etiā in futuram commoda præfinitio eſt futura. Quæ itaq; ex humorū cōfluxu, uel multorum, uel acrium oriuntur, ſine eo quod locus affectus huiuſmodi iā diſpoſitionem habuerit, ut licet bonum ſit quod influit, tamē ipſum corrumpat, dyſepulota nomino: quæ uero dictam diſpoſitionē iam obtinēt, præcipuo uocabulo cacoethe appello. Nunc igitur quoniam priores me emplaſtra quædā alba, ut quæ dyſepulotis cicatricē probe obducant, cōſcripſerunt, propterea ego quoq; alba ſcribo emplaſtra, quæ aduerſus dyſepulota omīa, & cacoethe nōnulla, quę nō prauum admodum habent ſtatū, compoſui. Nam in illis denuo medicamenta accōmoda dicentur. Primum & hic methodum dicturus ſum, qua id genus emplaſtra complura conficere diſcetis. Duplex porrò eius ſcopus eſt: alter omnium quæ ra-

tione componuntur medicamentorum communis: alter peculiaris, colore ab his differēs. Quę igitur in commentario De simplicibus medicamentis cognouistis sine rosione quidē ac morsu, ualide tamē adeo exiccantia, hæc in memoriā reducite. Omnino autem referebat ea, præterquā quòd nō erodunt uel astringunt manifesto, etiam detergere posse. Siquidē caua plurima eius generis ulcera tanquam ab exesione humorum malignorum facta apparent, eiusque rei gratia carne impleri desiderant. Ostendimus in tertio Therapeutices methodi libro, omnia quæ carnem generant medicamenta, detergendi facultatē habere. Multa etiam alia siccam obtinent uirtutem, huiusmodi ulceribus curandis accommodam. Sed age nūc repetamus ea quæ aut compositi emplastri candorē tueri possint, aut non adeo lędere. Hoc ex genere est cadmia, pompholyx, calx, ostrea cōcremata, purpuræ, buccina, et sepiæ pars ossea, parum officiet colori & æris squama, & ustæ chalcitidis non fuluum, sed cineritiū, uel subalbidum. Quomodo autem huiusmodi res præparanda sit, rursus in Theriacę antidoti sermone dicemus. Porrò dictorum quodque si lauetur, totam rosionem amittet: quemadmodū cera quę medicamini conficiendo admiscenda est, tū resina. cæterum quòd cera Tyrrhenica uel Pōtica dicta ad cādidi emplastri pręparationē sit idonea, prius explicatū est. Resinę uero & quę larix uocat, et terebinthina, aduersus ulcera maligniora magis ualēt. Thuris quoque partem aliquā indere nō abs re fuerit, ut ulcerum maleficorum dispositio coquatur, & ad suppurationem ueniat. At non solum ex prædictis medicamentis unumquodque lauādum uenit, sed etiam metallica quàm maxime in loco soli exposito, cū aqua, uel aceto, uel marina, uel uino leuigare oportet. pura autē, & cādida, & perspicua singula hæc erunt, candoris cuiusdam medicamento cōciliandi gratia. De cerussa, oleo, coctionis modo, aere circūfluo, & igne, quomodo quodque eorū albedinis quidquā adferat, ante exposuimus. At quemadmodum in alijs, ita in his quoque facultatis aquæ, aceti, marinę, uinique albissimi peritū, id in cōpositura miscere cōuenit, quod maxime curādo morbo profuturū est. Etem in ulcerib. prætumidis ac duris, ochthode Græci appellāt, quæ oras crassas, callosas, multāque attenuationē requirentes habent, ex aceto, & marina leuigata, magis quàm quæ per aquā idonea sunt. In quibus autē acre & mordax est humidū quod in ulcera fert, ex aqua terere potius singula metallica necesse est. Quemadmodū rursus ex uino magis, ubi copiosus humor ulcerib. influens apparet. Hęc igit singula quę dixi in unoquoque iā nominato humore leuigata dieb. pluribus, inieci frequēter pharmacis, quæ ex argēti spuma & cerussa cōfiunt, eaque expertus sum oīa cicatricem optime ducere. Verum scriptiones quasdā amicis quoque dedimus, qui huiusmodi pharmaca desiderarēt: à quibus ipsis quoque in usum ad experientiā producta, quod titulo promittūt rueri uidebant. Itaque argēti spuma cū cerussa prius cocta,

A & medicamento propè ad non inficientem consistentiam perueniente, inijcienda est larix, uel terebinthina resina cum cera candida. His pulcre unitis adde metallica, quæ huiusmodi symmetriā habent. Argenti spumæ, cerussæ, pro consuetudine singulorum pondo, coquatur cum olei libris duabus, frequenter etiam aquæ selibra addita. Liquescit enim sic argēti spuma citius, & coctio aquam consumit, ut nihil ad humiditatē pharmaco aperte prosit resinæ pondo tres unciæ, ceræ duplū sufficit. Quanquā si duas resinæ indideritis interim, quatuor ceræ, sic quoque compositiones non adeo differre inuenientur. thuris etiam pondo uncia semis satisfacit post cerā & resinam iniectæ: deinde tres aliorū unciæ quæ drachmæ quatuor sunt ad

B uiginti. impones autē duorū, trium, pluriū, ac omnium quæ numeraui, quorum singulorum tibi copia contingat, ut si omnia habeas, æquam portionē cuiusque inijcias, cadmię dico, & pompholygis, buccinorum cineris, uel ostreorū, & æris squamę, singulorum denarij sex erunt, qui tres uncias absoluunt. Quòd si & calcem lotā misceas, singulorū drachmæ quinque ponentur, Si ustæ chalcitidis singulorum drac. iiij. ut ex omnibus sex counitis tres unciæ fiant. Verū chalcitis usta sit, elota, & colore cinereo, nō qualem multi ex ijs qui urunt eā, faciūt, ueluti si dicas ex pallido flauam. si duo quædam ex his habeas solū, tres uncias ex ambobus ponito: hoc est utriusque unā ac semissem. Hæc in præsentia ad alborū emplastrorum constitutionē

C ulceribus dysepulotis curādis cognoscere uobis sufficit. Atque subhumida cerata candida etiā ex ijs ipsis præparantur, differunt tamen ab emplastris quòd neque argenti spuma, nec cerussa coquatur: adeps uero uel anserinus, uel gallinaceus, uel suillus, uel uitulinus indatur. Quòd si uinum interim habeas uel acetum quæ albissima lucidissimaque sint, aquæ loco ipsa admiscebis.

Damocrates de albo emplastro. Cap. XXVI.

Quoniam pharmacorum uirtutes metris trāscriptæ facilius memoria tenētur, et exactam ipsorum symmetriam perseruāt, satius mihi uisum est & harū meminisse. Cum itaque Damocrates præter alia alba emplastra, etiam candidum scripserit quod commendat, apponam scripturam ijsdē il-

D lius uersibus, Iambico trimetro expreßsis.

At cum his habere emplastrum medicis cōuenit
Album, efficax aduersus abuulsam cutem,
Ambusta, ad ulcera & per summa corporis
Occasionem citra manifestam edita.
Ita confit: cerussæ libra sumitur,
Lithargyri tantundem mollis additur,
Et portio præterea libræ tertia,
Ceræque puræ ponticæ quinque unciæ,
Terebinthinæ pondo uncia purissimæ,
Thurisque mannæ, uel thuris quinæ unciæ,
Olei boni recentis quinque selibras
Albi, infundetur his aquæ sextarius.
Oleum, cerussa, argenti spuma, aqua coquitur
Leni igne, agitatur sedulo rudicula.
Cum tota pulchre desiccata sic aqua,

Et

Et leue medicamentum apparet, candidum,
Et molle. inficiens nec terebinthina inditur,
Deinde cera succedet, thus postea.
Ab igne cum depones ollulam moue.
Cum mediocriter est refrigeratum pharmacum,
Mortario superfundas, atq; excipe
In mulieribus, uel delicatis puerulis,
In senibus, habitu aut prauo iuuenibus simul.

A Huic tertiam partem immisceto aluminis
Quod prodidimus emplastrum nõ multo antea:
Ac utitor ad omnia recentia uulnera.
Ipsi uero rhodinon liquefacto immisceas,
Paulum ac ceræ, liparon habebis ac bonum,
Album uinum, parum austerum si affuderis.

Aluminis cuius meminit compositio, est quinta ex ordine in hoc libro.

ARGVMENTA CAPITVM LIB. II

Prooemium, cuius pars prima docet, Institutum esse totius operis huius, artem & methodum aliquam cõponendi medicamenta constituere, qua cognita & alia composita quis iudicare, & ipse noua componere possit. Argumentum præcedentis libri, & præsentis, & sequentium aliquot secundum genera emplastrorum. De coloribus emplastrorum. Quod melior sit ordo tradere medicamina secundum facultates, quàm secundum colores consimiles: B Quod autem quidam colorum similitudinem secuti sunt, factum est propter diuites, qui certorum aliquando colorum emplastra postulant. Et quod ipse medium quendam modum seruaturus sit. Procemij pars 2. Qui ante Galenum de cõpositis medicamentis scripserint: Et quod nullus illorum generalem aliquam componendi rationem docuerit, ut nihil mirum sit Empiricorum sectam apud multos inualuisse. 3. Contra Empiricos, quod medicandi ratio non fortuito & à sola experientia inuenta sit, exemplo caui ulceris curandi copiose ostendit: & quoniã ad id curandum ex cera & ærugine aptum medicamen fieri possit: Quæ sit proportio mixtionis eorum. Pro corporum duritie aut mollitie debilius aut fortius esto pharmacum. Non licet unum pharmacum omnibus aptum parare: sed mediocre quoddam parandum est, cuius deinde uires in ipso usu uel augeas, uel minuas, si opus fuerit. C Quarta pars. De apparatu artificioso eiusdem uiridis emplastri, & proportione mixtionum ceræ ac terebinthinæ ad emplastri formam, quod æqualis esse debeat, præsertim si ambæ recentes sint: sin alterutra uetustior & siccior, resina semper præualeat ad duplam usq; proportionem. Vide sequens caput. Caput I. Confectura simplicis Emplastri uiridis Andromachi, & uirtutis ipsius explicatio: Nominat & alia Andromachi uiridia, quorum descriptiones hic non ponit: Vide cap. 2. 2. Consideratio simplicium ex quibus Emplastrum uiride primum Andromachi constat, de resinis earumq; differentijs, de thure & proportione ceræ ad resinam, & apparandi modus cũ aceto. 3. De frictione metallorum cum aceto ad solem. 4. De olei alicuius mixtione ad prædictum emplastrum: & oleorum differentiæ. Item de alijs simplicibus quæ diuersi medici prædicto emplastro admiscẽt. 5. De usu uiridium emplastrorũ. 6. De uiridium emplastrorum commixtione, eorumq; quibus constãt proportione. II. Alia post primum Andromachi uiridia describit, non omnia, sed quæ ab ipso commendantur duntaxat. 2. Aliud uiride eiusdem: & quædam lita dicta. Communis sermo de emplastris colore similibus. III. Quomodo uiridia fiant. IIII. De pharmacis ualde abstergentibus. V. De melinis emplastris. VI. De melinis Andromachi. 2. Alia quædam ab eodem prodita melina. 3. Heræ emplastra melina. 4. Critonis melina. VII. De giluis siue fuluis emplastris, quæ dichroma, id est duplicis coloris dicuntur. 2. Rufum Galeni. VIII. De emplastris quæ cicatricem obducunt. 2. Epulotica ab Asclepiade prodita. 3. Epulotica Andromachi. 4. Alia eiusdem, quibus quid præstent non adscripsit. IX. De catagmaticis & cephalicis, id est ad fracturas & caput accommodatis emplastris. 2. De catagmaticis Asclepiadis. 3. Alia eiusdem. 4. De emplastris quæ proprie Cephalica nominantur. 5. Heras de quibus catagmaticis & cephalicis scripserit. 6. Catagmatica Andromachi. X. De emplastris glutinantibus. 2. Barbara, sic uocant emplastra confecta cum bitumine. 3. Barbarum siue nigrum emplastrum Heræ. 4. Aliud Barbarum Heræ: & duo quibus utebatur Galenus.

CLAVDII GALENI DE COMPOSITIONE MEDICAMENTORVM PER GENERA LIBER II.

PROOEMII PARS I

CVM propositum opus hunc quoque cum alijs scopum teneat, ut si quãdo librum, quo medicaminum quibus utimur compositiones, scriptas habemus perdiderimus, ipsi nos perditis similia possimus cõficere, necessarium est primũ nos in uniuersum formulã quandam uiæ didicisse, qua propositũ inueniamus, deinde per hanc uiam in multis particularibus exerceamur oportet, sciẽtes citra talis studij exercitationẽ, nullum recte opus perfici. Et uero graue est, quod iã quibusdã accidit medicis duobus mihi cognitis, quorũ hic dolore ex talium scriptionum interitu contabefactus perijt: alter ab operibus medicis destitit. D Verum exercitatis, iudicio meo, præterquam pharmaca utilia cõponere, etiam à superioribus nobis medicis scriptorum arbitris esse licet, commodeq; omnia ea quæ ab illis prodita sunt usurpare, atq; illa quæ ipsi methodo inferius posita inuenerint. Melius igitur est experimentis iam cõprobata sumere eum qui usus ipsorum rationem didicerit: licet quod dixi, necessitas frequenter nos cogat, ut uel experientia incompertis ex tempore utamur. Itaq; superiore libro quomodo ex argenti spuma sola emplastrum præpares docuimus, interim oleo tãtum, interim aceto admisto, uel uino, uel huiusmodi alio: item ex quali ipsorum symmetria emplastrum fieri candidum possit, si probe coctum fuerit. Cæterum ex his emplastris, quædam ducendæ cicatrici accommodata

fieri diximus, quædam uulneribus cruentis gluti A
nandis, quædam phlegmonis exiguis curandis, quædam ulceribus quæ cicatricem ægre admittunt, sanandis, si non cacoethe sint. quædam ad tumores præter naturam, sed non magnos, neq; duros, discutiendos. Scriptū simul in eo est non multo post initium, & emplastrum à me cōpositum, quod Phœnicinum nomino: præsenti autem hoc libro De uiridibus, & melinis, & giluis, & fuscis, & rufis agetur emplastris, quibus etiam adnumerantur quæ dichroma, id est coloris ambigui dicuntur. Inter hæc alia quædam sunt medio inter hæc nomine, ut ex candido melina, & ex nigro uiridia, & à similitudine sordium rhypode grece appellata, quasi strigmentosa, adde quæ aerem imitantur, & cœrulea, quędam uero nomine prorsus B
carentia. Itaq; similia inuicem uiribus deinceps scribere commodum est, ut qui in plura incidit, uel librum legit, id quod optimum corpori, eiusque curando affectui sit, eligat. At colore similia tradere, eorum est qui similitudinem nō artificialem attendunt: uerum quoniam potentes quidā uiri interdum nos iubent emplastrū sibi melinum cōficere, quod ulcera glutinet, uel cicatricem ducat, uel indurata emolliat, uel aliud huiusmodi facere posit, coacti sunt nonnulli recentiorum medicorū, ubi similia colore seriatim conscriberent, proprias cuiq; professiones apponere. Quamobrem ego mistam quandam disciplinam conabor effingere, à magis artificiosa auspicatus. Scribo enim prius, quæ caua ulcera carne implent, quorū C
plurima colore uiridia sunt: adnotās, quot ex his glutinantia sint, quotq; in maligna euadentibus medeantur, atq; huiusmodi aliud quidquam possint perficere: Deinde glutinantia non modo recentium ulcerum, sed etiam sinuum, ex his & plura sunt, quæ ad usq; cicatricem ulcera perducant. atque horum omnium unam seriē facturus sum, melinorum aliam, barbarorum (ut uocāt) aliam, & fuscorum aliam: necnon in reliquis coloribus similiter. Producam in alio quoque uno libro similitudines absq; coloribus, quæ ulcera cicatricē uix admittentia (dicuntur & chironia) persanāt. In alio rursus post istū quæ tum hæc, tum alia quædā curant quæ usus dicuntur, suntq; multiplicis, ac post hæc omnia quicquid emplastrorū faculta D
tum reliquum fuit uia ac ratione cognoscendum percensere conabor.

2 Hæc igitur uice procemij cuiusdā omnium emplastrorum quæ commemorabuntur communis, præfati, ad ea quæ hoc libro scripta sunt, digrediemur oratione quadam generali eis præposita, tanquam nihil etiā mihi iam prædictum sit. Compositiones medicamentorū complurium laudabilium primus omnium, quos nouerim Mantias Herophileus scripsit, cuius discipulus factus Heraclides Tarentinus, nō solum in pharmacorum usu uidetur imitatus illum, sed etiam in ea artis parte, quæ uictus rationem docet. Post quos alij sanè quidā non paucis uoluminibus, sicut Mantias & Heraclides. Sunt etiam qui uno aut altero tantum ea conscripserint, quemadmodū Cappadox Heras, qui nec improbatum aliquod medicamen tradidit, nec confecturas ipsorum omisit, & uniuersos particulatim usus recensuit. Permulta pharmaca pluribus libris studiose scripserūt, Musa, & Asclepiades, & Crito: uerū Andromachus unico libro medicinalia medicamēta ad exteriora corporis uitia, altero quæ interna curāt memoriæ prodidit. Itē tertio his minore, oculorū remedia, paucissimis autē ipsorū nec præparandi modus, nec utendi appositus est: neque uero horum quispiā, nec alius cuiusq; pharmaci componendi rationē docuit. Ob quod Empirici cōfidentius, licet absurda, pronunciant, ut qui pharmacorum compositionis inuentionem ad casum referūt: inde nimirum cōfidentiæ occasionem sumentes, q̧ nemo ex dogmaticis medicis cōfectionis eorum regulam absolute scripserit. Nam cum dogmatici interrogati rationem, qua pharmaca singula composita sint quibus utuntur, nihil quod dicant habent: perditisq; illorum scriptionibus, ipsi alia cōponere ex tēpore non possunt, & ipsi merito contemnuntur, & Empiricis cōtradicendi maiorem præbent audaciam.

3 Quòd si affectus cuiuslibet eorum quos curandos suscipiunt naturam scirent, methodumq; cognoscerent qua & simplicium singulorum medicaminum uires, et scopū curationis inuenirent, non utiq; compositionis rationem ignorarēt. Vt exempli gratia, cauū ulcus, minime periculosum, græce aperistaton (nihil eñ mali est, ut quidā uocant breuioris disciplinæ gratia, sic nos quoq; nominare) quomodo quis sanare queat, consideremus: tanq̃ si nondū aliquod ei curando aptū medicamen inuentū sit. Nā cum docti à ratione fuerimus cauorum ulcerum curationē subministrari, nascēte alia carne loco perditæ, ex ea uidelicet quæ subiecta est, cogitauimus fieri nō posse hoc, si in ulcere sordes, aut copiosa humiditas insit. Verū sordes medicamina detergentia auferunt, humorem exiccantia discutiunt. Cōuenit igitur huiusmodi pharmacorum materias cognoscere nō simpliciter secūdum genus, ut Dioscorides alius scripsit, sed uti nos in cōmētarijs De simplicibus medicamētis fecimus, nō tantū apponētes uel calefacere, uel refrigerare, uel huiusmodi aliquid aliud quoduis medicamentū facere: uerū etiā quod prima distātia, uel secunda, uel tertia, uel quarta à medio tale existat, frequēter etiā quòd in horum media unaquaq; uel incipiēte, uel desinēte sit, ut duodecim pharmacorū quæ per excellentiā quācunq; proferuntur, ordines subsistant. Interdum enim uel mediocriter calefaciens, uel exiccans: interdum quod uehemētissime quoduis horum facere posit, requirimus. Qui autē simpliciter particulā calefieri uelle intelligit, non magis piper & sinapi q̃ thus accipiet. Hæc sanè & prius ostendimus, diximus uero & in tertio methodi Therapeutices commētario: quasi uero præscientes ea ex demonstratione conuenienti, ad reliqua deducam, hinc præsentis sermonis sumpto initio. Quoniam

niam ulcera carne implenda, pharmaco exiccãte A & detergẽte mediocriter sine morsu indigere demonstrauimus, cõuenit eiusmodi pharmacorum materiam quænam sit in memoriam reducere. Indicata est autem in libro De simplicium medicamentorũ facultatibus, insuper & conueniens singulorum ordo expositus est. Hoc etenim, sicut dixi, admodum utile est, ut si quando fortiore quis pharmaco opus habeat, ad quod digrediatur cognoscat. Verum cum simplex nullum habemus, composito utimur: atque primum fingamus nos habere cerã & æruginem: aliud nihil quod cauo ulceri manifeste cõducat: thus dico, irim, aristolochiã, farinam eruorum, radicem panacis, & quæcunque ex hoc sunt genere. Cum igitur sciamus, cera sola imposita sordidũ ulcus euasurũ, ut quod B neque detergere, neque exiccare possit: æruginẽ autẽ adiecta morsum & rosionem illatum iri atq; phlegmonem excitandam, horum sane utrunq; deuitabimus: medium autem ex ambobus aliud conficiemus: imbecillius quidem æruginе, ualentius autẽ cera. Sed quoniam hæc paululo inferior est eo quod commode queat adijci, ærugo autem multum præcellit, multæ ceræ parum ęruginis admiscebimus. Quãtam ergo quantæ? hoc enim deinceps uenit dicendum: exacte quidem quantitatem cuiusque ante experientiam inuenire nemo potest: conijcere tamen & iudicare, & componere pharmacum prima potest experientia nullum insigniter improsperum successum habiturum: quemadmodum ego aliquando feci in quodã ui- C co, ubi cum neque ipse medicamẽtum quod me sequeretur haberem, neq; alius ex ijs qui ibidem agebant copiã mihi facere posset, reperi solũ ad compositionem idonea æruginem & ceram, quibus acceptis, & ad ignẽ cera liquefacta cum oleo rosaceo, ut liquidum ceratum fieret, miscui cerati libræ unciam unã æruginis, hoc est duodecimam partẽ. statui enim decimam, uel duodecimam miscere: suspicatus quidem maiorem, ut acriorẽ cerã futuram, minorem tanquam imbecilliorem. expertis autẽ nobis compositionem, uisæ sunt partes & decima & duodecima recte pro corporum differentia cõmistę. Ostendimus enim, quod etiã usus attestatur, ualida corpora ualidiora sustinere medicamina, imbecilliora huiusmodi non ferre. D Validiora dico corpora, quæ temperamento sicciora sunt, ueluti agricolarũ, nautarũ, & uenatorũ: imbecilliora, molliora uel natura, uel uictus cõsuetudine, cuiusmodi sunt mulierũ, eunuchorũ, puerorum, et qui naturali temperamento sunt humidi, candido mollicq; corpore præditi. Dura igitur corpora ex copiosiore ærugine cerato admista carnem recipiunt, mollia ex pauciore. Vnde, ut frequenter dictum est, unum pharmacum omnibus nequaquã cõuenire potest corporibus, sed oportet medium esse, ceu ad mediam temperaturam aptatum: duci uero ad utranq; eius medij partem, dum quotidiano usu & experientia probat: si enim quod res postulat effecisse uideatur, in eo manere cõuenit: si paulum deficiat, augere ipsius uires: quemadmodum etiam adimere, cum præter modum efficax fuerit, uelut in ipso hoc proposito pharmaco quod cerato & ærugine constat, cõsiderare prius oportet, ulcúsne carne obductũ sit an nondũ, sed sordibus humoreq; sit refertum, uel præterquam q carne impletum non est, erosionis sensus aliquis laborãti ortus sit, & calidior, uel rubicunda magis pars ulcerata apparuerit. Si igitur imbecillius uideatur, melle uel ærugine ad mistis potentiã eius adaugebis: si ualidius, oleum uel rosaceum miscebis, molliẽs pharmacũ, quod linamentis excipiendum est. Pro occasione quidem ceratum & ęrugo sic miscentur, quemadmodum à me nonnunquam esse mista retuli.

4 Confectura autẽ medicantibus hæc esto ẽm plastri cõpositi (Viride à colore uocant) sanantis quidem & recentia uulnera, quæcunq; non magna sunt, sed q̃d ex rhodino simul ad linamẽtis excipiendi pharmaci cõsistentiam potest liquefieri. Quin & resinæ, uel colophoniæ, & frictę nominatæ, uel terebinthinæ nonnihil ipsum habere oportebit. Ostendimus autem laricem uocatã terebinthinæ quodammodo esse similem. Porrò quantitas earum misturæ & hic cõiectura potest deprehẽdi: si ẽm plus resinæ q̃ ex usu sit admisceamus, donec manibus subigit, molle apparet: in linteolũ uero illitũ, paulo post instar pellis durũ erit, facile à corpore decidens. Sin minus iusto resinę cũ cera mistum sit, non habebit hoc q̃d echecollon, id est glutinans Græcis appellatur, ut distrahẽdo eo, plurimum extendatur. Liquet autem si alicui particulę imposueris, fore ut difficulter agglutinetur, & protinus ab ipsa delabatur. Quæ igitur mediocris mistura, ceu emplastri cõsistentiæ conueniens? Siquidem mihi fidem adhibes, par utriusq; portio. Nec uero cera, nec resina sicca uetusq; esto: optimum siquidẽ ita amborum mistionis coagmentum est, si ambo pinguia, & mollia assumãtur: si alterum excedat, semper resinam præpollere satius est: quare nõnulli uel duplum huius pondus ceræ admiscent.

Confectura simplicis emplastri Viridis Andromachi, & uirtutis ipsius explicatio. Cap. I

Ac sane Viride nonnulli, sic ẽm ipsi nominãt, ex dupla resinæ portione cõfecerunt: duas quidẽ eiusdem libras, unam uero cerę, & binos olei cyathos immiscentes. æruginis autẽ alij duas, alij tres uncias huiusmodi ceræ & resinæ mistioni immittunt. Sed etiã in præparatione, liquefactis quæ liquari possunt æruginem inspergunt: quidam ubi refrigerauerint, mox raserint, in mortario misturã moliuntur. Porrò qui medicamentũ cruentorum ulcerum glutinantius facere statuunt, æruginẽ in pila prius cum aceto leuigatã inijciunt, ceratum radentes. Proinde si quis uos roget, quale horum uiridium emplastrorũ sit præstãtissimum, succurrat, id quod identidem à me prædicatur responde re, omia esse optima ei, qui affectus, quibus singula offeruntur, cognoscat: sicut & eos ignoranti omnia pessima. Mei etẽm officij est dicere, id exiccare ualentius quod acetum assumit. Constat autem

tem quod plus æruginis cõtinet, id tum ualidum esse, tum magis exiccãs, tum sordida ulcera rectius purgare. Finis ipsius est, ut hæc citra erosionẽ ac morsum efficiat. Nam adeo ualẽs, ut iam puris ulceribus impositum erosionem pariat, nec ea unquam carne replebit: sed alio modo humida sordidaq́; reddet, similiter ijs, quæ parũ integre siccant detergetq́;. Iam uero ex acrioribus cauum magis ulcus euadit, & rubicũdius, calidiusq́; est, cum æger etiã ipse morsum eius percipit. Ne igiť quod uis medicamentũ simpliciter laudate citra dispositionis in qua commẽdatur appositionem: nec in alio quoquam pharmaco, nec in ijs quę modo nobis proponuntur id agẽdum est. Quos igitur uiribus ordine suo descriptis, affectus quibus ea cõueniunt, distinguere nõ piguit, minus peccãt q̃ ij qui ne hoc quidẽ fecerunt. Qui uero sine distinctionib. ac indefinite scripserunt, cũ ad alia transeunt apponentes, Aliud uiride, disciplinã reddunt prauissimã, si modo oportet omnino disciplinam uocare huiusmodi scriptiões. Igiť Andromachus in libro quẽ Externorũ inscribit, paulo post principiũ, prima fusca posuit, mox rufa, deinde nigra, postremo ad uiridia cõuersus disciplinę huiusmodi initium fecit: præfixo nomine, uiridia, ac quod principem locum habet, scripsit his uerbis.

Viride Galli.

Resinæ strobilinæ denarium pondo trecentorum. ceræ denarium põdo centum. æruginis rasæ denarium põdo quinquaginta. thuris denarium pondo uigintiquinq́;. aceti quantum satis est. Cõueniebat igitur ipsum nonnihil forsitan & de cõfectura dixisse, num etiam thus simul cum ærugine in leuorem redigi aceto affuso uelit, an solã æruginem. utrunq́; enim licet, atq́; in multis compositionibus nõnulli hoc, quidam illo modo scripserunt. Verum in hoc mentem eius conijcere possumus: nempe ambo cum aceto uelle cõteri, thus puta & æruginem. Attamen in quibúsnam affectibus medicamento sit utendum, significatum prorsus oportebat. Nũquid igitur, quoniam ante hoc duo quædam emplastra scripserat, quorum priori præposuit, Ad gãgrænas, putredines, nomas uetustas & malignas: secundo, Ad nomas quo utor, & alia pleraq́;, ideo Viride istud sine appositione deinceps protulit, ostendens ijsdem ipsum affectibus conuenire? Cæterum aliud rursus huic subiungens simpliciter dixit.

Viride Potamonis.

Deinde aliud tertium Viride, & quartum quo utor. Ad hæc quintum aliud, sextum, septimum, octauũ, nonũ, decimũ, undecimũ, duodecimum, decimumtertium, decimumquartũ, decimũquintum, decimumsextũ recensuit uno duntaxat hoc nomine, Aliud, singulis præposito, differẽtia quidem inter se omnia uiribus cõmemorans: non tamen uniuersa ad putredines, nomas, & gangrænas idonea, quemadmodum ex ipsorum materia est cognoscere, unde etiã constat pro coloris, nõ uiriũ similitudine simul inuicem hæc ipsum conscripsisse. Itaq́; nos cuiusq́; eorum potestatem exponemus, à simpliciũ medicamẽtorũ natura sumpto principio. Nã hoc longe utilissimũ fuerit ijs, qui non solũ in uniuersali cõpositionis methodũ, ac usum talium medicamentorũ cupiãt intelligere, sed etiã suomet ipsorum Marte cõficere posse, & quę à ueteribus citra distinctionẽ tradita sunt, qualémnam potestatem habeant dignoscere.

A

2 Quod igitur primum Andromachus prodidit inspiciamus, proponentes consideratesq́; simplicia singula quibus confectum est. Primum igitur resinæ strobilinæ in eo meminit, quæ ut in cõmentarijs De simplicium medicamentorũ facultatibus asserui, resinarum longe calidissima est: sicut terebinthina ambabus qualitatib. omniũ moderatissima. Omnes siquidem resinæ calefaciunt & exiccant: sed hæ magis, ille minus. Validissima igiť est strobilina: moderatissima, ut dixi, terebinthina. quinetiã siccat celerrime strobilina, & q̃d peculiari appellatione pityinõ physema dicitur: resina quidem & ipsum genere, cæterum siccans, & calefaciens: siccando autem à strobilina non superatur, calfaciendo plurimum. Hæ ergo exiccatæ pinguis expertes sunt, ideoq́; emplastra bene adhærẽtia cõficere nõ habent, ut uiscosæ & liquidæ. Inter pityinon physema, id est piceam, & strobilinam resinã media calore abietina est: liquida tamẽ diutius perdurat: sicut etiã colophonia thuris redolens, quæ nonnullis sola uocatur colophonia, odoratu suauitatem quãdam referens sicut abietina & calore mediocri prędita ut illa. nascitur admodum modica, atq́; ob id pretiosa est. Humidissima tamẽ omnium est altera laricis appellatæ differentia: nam hæc quoq́; duplex quodammodo est: una quidem similis in omnibus terebinthinæ: altera hac acrior, calidior, magis liquida, et odoratu grauior, et gustu amarior calidiorq́;. Porrò humida resina quæ in continentib. pineã resinam subsidet uasis fictilibus, consistẽtia & colore terebinthinę adamussim similis, odore & gustu diuersa: ingratior quidem olfactu, sicut etiam acrior & gustu mordacior. Quare satius est terebinthinam omnib. medicamentis, quæ ulcera recte curabũt, admiscere: quoniã primus præcipuusq́; in eis scopus est, ut id quod offertur, nõ mordeat. Igitur ad compositum emplastrum reuertamur, in quo Andromachus strobilinæ resinæ denarium põdo trecentorum, ceræ denarijs centum mistis iubet inijcere: neq́; cõsistentiam, neq́; uirtutem exacte assecutus uel ipse, uel qui id composuit, neq́; enim glutinans erit, & acre fiet. Auxilium uero ei ad utrunq́; contulit, thus admiscens, uerũ pro illorum copia paucum adeo, præsertim cum æruginis denarios quinquaginta immittat, octauam partem quadringentorũ ex cera resinaq́; collectorum explẽtes. Atqui nemo hoc illi uitio uerterit, utpote cui consilium fuerit medicamen conficere uehementer exiccans, cum & alioquin ipsum carni gẽnerãdæ, ac mediocribus glutinandis uulnerib. aptum reddere uolẽti drachmæ quinquaginta misceri recte possint. itaq́; lenius, ad carnem producendam commodius, adhærendo pertinacius, & multo

B

C

D

multo utilius fieri. commendanda uerò est thuris cōmistio, quòd emplastri coagmentum iuuet: dolorem enim leuat, & cōcoquit. Quare si æqua ipsius portio ærugini fuisset cōiuncta, hoc est denarium pōdo quinquaginta, glutinātius ut dixi red ditum fuisset, & mitius medicamentum. Quoniam uerò uigintiquinq; adiecit, siccantem æruginis uim seruare curās, emplastrum ad glutinandum maiora uulnera, et ulceribus uix sanabilibus curandis idoneum, factum est, quodq; tale ipsum fore in animo habuerit, aceti quoque mistura innuit. Penes nos itaque est & uehementius & lenius ipsum facere, uel plus aceti, uel minus miscē tes: sicut acrius, uel minus mordax. Etenim ex acrioris mistione, quemadmodum etiam copiosioris, medicamen exiccabit fortius, & cruentorum erit glutinantius si uinosum acetum sit adiectum. Porrò præstat in cōpositione plusculis diebus æruginē ex aceto acri, in sole calido leuigare: quod enim in eo mordax est, mitescet, uirtus nihilo fiet minor: thus autem initio admiscere necessariū nō est, uerum huic dies unus satis est.

3 Siquidē meminisse uos puto & huius quod toties repeto, fortiū medicamentorū, cuiusmodi est ærugo, misy, chalcitis, sori, æris squama, uel chalcanthū, ex aceto diebus pluribus contritorū, morsum seu erosionē obtundi, bonitatē augeri. Quoniā enim metallica ut quæ crassioribus naturà cōstant partibus potestatē suam in altum usq; corporis, quod curatur, nō extendunt, ideo ut tenuiora fiant, ijs per triturā & acetum adhibendus est cultus, hoc em̄ curiose ita attenuata ad intima usq; penetrant. Accedit aūt & aliud quoddā commodum in huiusmodi medicamentorū præparationibus, q; diligēter elaborata corporis meatus, nusquā inter eundū retenta, pertranseunt, eiusq; rei gratia & si calidioris naturæ sint, sine morsu munere suo fungūtur. Quin & inter humores ipsos in corpore generatos, tenues facile citra erosionē perspirant: crassiores retēti, obstructiq; mo lestāt, ubi mordaces fuerint. Eadē ratio est in metallicis medicamentis combustis, sed illa ex ignis cōmercio nōnihil mordax, seu erodens perseruāt quod per lauationes deponunt, ac lenia prorsus redduntur. Quibus autem simile quippiā ustioni ex tritura cum aceto in sole facta ignis loco accidit, ea neq; ex igne genitū calorē consequuntur: si tamen & quæ combusta sunt ex aceto leuigentur, multo præstantiora fiunt. Igitur tum hæc multorum medicamentorum cōmunia, sunt cognitu necessaria: tum usus ipsorū similiter: alius quidem in alijs affectibus: in cauis uerò ulceribus, cum linamentis excepta imponuntur.

4 Propositum itaq; emplastrum si ex rosaceo liquefaciēs eo utaris, prodest sordidis & humidis ulceribus, aperta uerò erodit: cuius rei causa miscendū ei est ceratū liquidū ex cera & resina confectū, uel ex rosaceo, uel oleo liquefactū. Poteris interim & myrteo uti: atq; horū mistionis metho dum quandam intelligas oportet. Olei sanè nomen unum est, qualitas & facultas diuersa. Nam

A omphacinum frigidius: ex maturis oleis pressum calidius est, temporis autem processu calefaciendi uim auget: sic etiam quod salē habet, quantum ex illo sumpserit, tanto calidius est, magisq; siccat, quàm quod ipsius expers est. quod surculos oleę, thallus Græci nominant, continet, ualentius adstringit. Indicat autē tibi id quod est utilius & ulceris forma, & corporis ægri natura: ulceris quidem sanandi contrarijs, corporis autem ulcerati similibus. Quapropter medicamentū quod linamento exceptū immittendum est, myrteo liquefacies, cum generata caro flaccidior quàm par est apparet, præsertim ulcere ad cicatricem perueniente propemodum. Nam cum pauxillum quiddam phlegmones in ambiētibus particulis relin-

B quitur, optimum est, pharmacum ex rosaceo liquare. Rosaceum uerò præstantissimum esse nouisti, quod solis rosis pluribus in oleo citra salem præparato diutius maceratis confectum est. Si ergo hæc quispiam in memoria prōpta semper habeat, nec oblitus sit, ut præcepimus, omnium simplicium medicamentorum potentiæ, & uaria ipse emplastra uiridia cōponet, & singulis iam confectis optime utetur. Emplastrum igitur hactenus in sermone propositum, quod primum uiridium scripsit Andromachus, multifariam licet adaptare, partim pro strobilina resina aliquā aliam adijciendo: partim thus augendo, uel cum eo siccum aliquod carne explens, uelut irim, aristolochiam, erui farinam, atque huius generis alia ad-

C miscendo. Quin etiam quod oras ulceris induratas emolliat miscendo, compositionem uariare licet. Vnde nonnulli guttam ammoniaci, & chalbanum: nonnulli medullam ceruinam, aut uitulinam, aut seuum admiscuerunt: sicut rursus alij repellens aliquod, dum influxus conantur reprime re. Hac ratione igitur alij fissum alumē, alij rotundum, alij gallam omphacinam, id est immaturam adiecerunt: quidam ladanum utraque uirtute prę ditum, molliendi uidelicet & repellendi, ut oras emolliat, & nihil ex superioribus influat. Insuper qui uix sanabilia curare studuerunt: ut multiplicis usus medicamentum esset, adiunxerunt enumeratis chrysocollam, uel diphryges, uel æs com bustū, uel squamā, aliqui ęris, aliqui stomomatis

D ferri. Et propè omnia modo enarrata, uiridiū emplastrorum colorem seruant: alia uerò ijsdem facultatibus prædita mista, corrumpūt. Quare nec ego omnium memini pro qualibet facultate, sed illorum duntaxat quæ emplastri compositi colorem tuebuntur. Non enim de glutinantibus, uel ijs quæ carni alendæ sunt emplastris simpliciter, uerum ijsdem uiridibus quoq; dicere statuimus. Quamobrem hæc modo narrata, atramentum sutorium, & chalcitis cruda, si breui mensura admisceantur, colorem pharmacorum in sermone præcedentium reseruant. Itaq; de talium compositione abunde satis dictum est.

5 Vsum uerò ipsorū quoniā Andromachus omisit, à quo traditum esse conueniebat, nos apponemus, communem unum de talibus medi-

camentis usurpandis sermonem planè necessarium præfati. Deinde uniuersalem Methodum interpretati: particulares, eorum causa qui illam didicerunt, conuenit effingamus. At huiusmodi opus ad dialecticos pertinet, in omnibus particulares ipsis perscribere: sicut Heras, Crito, Asclepiades, aliiq; complures factitarunt. Atqui etiam tertia disciplinæ species est, quam nos tractamus, neque in omnibus particularibus medicamentis usum scribentes, imò nec uniuersim communi Methodi disciplinæ soli totum concedentes, sed hanc quidem primam docentes, inde uerò unum uel alterum, uel etiã tertium exemplum claritatis & exercitij discentium gratia accõmodantes. Quemadmodum sanè ea & nunc re ipsa ostendimus, ut iam in prioribus quoque fecimus. B Nam quatenus medicamentum exiccet detergatq;, quum ex simplicium facultate quæ id constituunt inuenerimus, inde simul dispositionem cui conueniet indipiscemur. Vbi enim humiditas multa, & copiosa sordes est, desiccans euidenter purgãsq; medicamentum applicare oportet. Vbi uerò minime periculosum (Græci Aperistaton uocant) ulcus est, carnis indigum, moderatissimum inter exiccantia detergentiaq; competit. Verum minoris maiorisq; in eo rationem ab ægri natura sumere cõducit. Siquidem durioribus uel ex temperamẽto naturali, uel ætate, uel loco, uel studijs corporibus, magis exiccantia exhibenda sunt: humidioribus minus. Quapropter primus cuiusque medicaminis linteolis excepti (emmoton Græcis appellatur) usus ex prædictis nuper scopis cõiecturali artificio sumitur: secundus C ut etiã antea monuimus, ex signis in corpore curando apparentibus. Si nanque cauum ulcus citra phlegmonem & purum inueniatur, nihil nouum tentare oportet: si humidius uel sordidius, intendere desiccans detergensq; pharmacum ratio postulat: si cauũ magis quàm prius existit, soluere. Intenditur itaq; mellis mistione: mitigatur ex oleo & cerato, uel oleoso quopiam, cuiusmodi est rosaceũ, myrteum, & cyprinum, simpliciter præparata sine spissamentis, (stymmata Greci uocãt) quæ addunt odoris gratia, uel ut cõfecta diutius ab iniurijs immunia permaneant. Iam uerò si contentiosus quispiã nos increpet, tanquam præter id quod ab initio instituimus, ad medicamentorũ usus orationẽ deducamus, polliciti nos de eorum cõpositione uerba facturos: ille considerato, quòd in usu etiam cõfectura quædam fit, silentium sibi imponat. Prima enim pharmacorũ quæ D cerato miscẽtur in eo cõfectio est: altera rosaceo, uel myrteo, uel cyprino, uel lentiscino oleo, uel melle apposito constat. Atq; de his satis.

6 Verum ad emplastra quę iam per experientiam abunde probata sunt trãseamus. Hæc igitur Andromachus memoratu digna medicamenta usurpare ipsa sciẽtibus præscripsit. Vnde cum talia sint, ea deligẽda quę ex paucioribus, paratiue facillimis simplicibus cõponuntur, tum quæ ad plura ualent, & proposito maxime scopo seruiũt.

A Res fiet exẽplo ita lucidior. Finge cauũ ulcus minime periculosum in sano corpore: tale uerò ab emplastro uiridi, quod lite uocatur, liquefacto ex rosaceo curabit. Appellant aũt liten quod ex ęrugine, cera, & resina cõficitur. Ego sanè ut ostendi, ęquam utriusq; portionem misceo, æruginis decimã uel duodecimã uel octauã. Est uidelicet duodecima, si ceræ põdo, & resinæ tantundem, æruginis uncias duas miscuerimus: decima, si duabus æruginis uncijs, uiginti ambarum resinæ & ceræ, hoc est utriusq; decẽ adijciantur. Quinetiã si octauam æruginis partẽ cerato ex cera & resina confecto apponamus, etiam sic bene habebit nam acrius quidẽ magisq; detergens huiusmodi medicamentũ erit, non tamen inutile. Duris enim corporibus percõmode adhibebitur. Melior euadet compositio, ubi octauam portionẽ æruginis confecturæ ex cera resinaq; immiscuerimus, ærugine ex aceto quamacerrimo diebus plusculis ante in leuorem redacta. Præstantior erit, si etiam thuris partem, dimidio maiorem quàm fuit in ærugine indiderimus. olei pares numero cyathos æruginis uncijs adiunges, cum sine aceto & thure medicamen conficis. Quando autẽ thus, acetumq; adijcis, siquidem fricta resina pinguior quodãmodo molliorq; sit, ac æstate pharmacum præparas, miscebis nihil: si uerò dura, idq; per hyemẽ conficis, cyathum unũ infundes. Quòd si liquidarũ quampiam resinarum cerę misceas, oleo prorsus carere licet. Liquidissimæ quidem tertiam ceræ portionem addes, minus liquidæ dimidiam. Fiet autem uidelicet huiusmodi quædam cõpositio. Ceram resinamq; liquatam ubi refrigeraueris, æruginis parti nunc octauæ, nũc decimæ, aliàs duodecimæ cõmisceto: cognoscẽs duris corporibus primam symmetriam cõuenire: mollibus tertiam: medijs mediam. Aeruginem ex aceto leuigabis: si lenius medicamentũ uoles efficere, thuris põdus dimidium eius quod ærugo cõtinet adiunges: sin hoc mitius, thus & æruginem æquali modo committes. Atqui & resinam cum cera ubi sine rasura refrigerauerimus, liquefactas eas ærugini thuriq; in pila ex aceto tritis superfundimus. Hæ igitur primæ cõpositiones sunt uiridis emplastri, quòd cruenta quidem uulnera non adeò magna glutinat, & reliqua adusque cicatricem sanare potest, & carnem in eis producere, ex humido quodam oleoso liquatũ. Voco autem oleoso, rosaceũ, quo maxime ad illum quem retuli modum confecto utendũ est: & post hoc myrteo, cyprino, & lentiscino. Sed ipsum oleum, ubi medicamento liquescenti caloris quippiam adijcere cordi est, commune hoc miscebis: in quibus refrigerare studes, id quod omotribes, hoc est immaturum appellatur: ubi adstringere, myrteum: ubi mistæ facultatis aliquid, concoquens puta & repellens, rosaceum: in quibus modicam adstringendi uim cum maiore caliditate desideras, cyprinum & lentiscinum. Porrò & pleræque aliæ, ut dixi, compositiones erunt, dũ medicamentis simplicibus modo commemoratis, uel carne explentia, uel emollientia, uel

uel adstringentia, uel quæ difficilia ulcera curant, A cōmiscentur. Nonnulli uerò digerentia miscuerunt, sicut etiam cicatricem ducentia: alijs autem quibusdam omnia commiscentibus, uel cōfecturam inutilem, uel medicamentum uarijs accōmodum præparare contingit, quorum materias cognoscentes, tum iam inuentis uti, tum similia cōponere ipsi poteritis.

CAP. II Adscribam tamen & ego nonnulla celebria, ab ijs denuo, quæ Andromachus tradidit auspicatus. Sunt itaq; à præcedētī triginta ordine, quæ uerò ab ipso cōmendant duntaxat adijciā. quartū ergo post primū ita expressum est.

Viride quo utor.

Aeruginis rasæ denarium pondo nouem. chrysocollæ denariū pondo nouē. terebinthinæ pon- B do minam unciarum sedecim. ceræ minæ dimidium. aceti parū. Quid singula emplastra pollicean tur, non (ut prius dixi) proposuit Andromachus, sed ex simplicium medicamentorum materie, ex quibus propositum componit, nulli obscurū est, uel ipsum per se, prius quàm liquefiat, ulceribus mederi posse, ac liquatum linamento exceptum immitti. Minam uerò sedecim unciarum inijcit, nam quæ uiginti continet, ceu ad chrysocollæ & æruginis æquam mensuram magna est. Post hanc uero alijs tribus seriatim productis, rursus aliā sic ad uerbum subiungit.

Aliud quo utor.

Aeruginis rasæ pondo. mannæ uncias decem. ego libram inijcio ceræ. resinæ frictæ, resinæ liqui C dæ, singularum pondo quinque. olei cyathū. aceti quantum satis est: ego etiam guttæ ammoniaci pondo uncias decem pono. Post hæc Andromachus cessat. Liquet autem si prædictorum meminimus, etiam hoc ipsum emplastrum persimilē superiori facultatē obtinere. Deinde aliud scribens Andromachus, sic exorsus est.

Aliud Molochinum.

Ac postea simpliciū pharmacorū symmetriā, unde ipsum cōficit, his uerbis subscribit. Aeruginis rasę pondo. picis pondo duo. mannæ pondo. ceræ pōdo duo. resinæ pondo duo. olei pōdo. aceti quantum sufficiat. hoc itaq; superioribus simile est. Manifestū uerò est utriusq; & æruginis, & mānæ parem portionē ex aceto leuigandā esse. Du- D plam horū, ceræ, picis, & resinæ, hoc est cuiusque pondo duo cum olei libra liquāda, & sic in leuorem ex aceto redactis admiscere oportet, uti frequenter nobis dictū est, refrigerantes magis & radentes ꝙ infundentes, ne aere iam frigido, enceri des appellatas, hoc est cerę grumos fieri cōtingat. Aliud ab hoc celebre emplastrum subnectit.

Viride hecatondrachmon.

Guttæ ammoniaci denariū pondo octo. squamæ denariū pondo duodecim. mannæ denarium pondo octo. resinæ siccæ denarium pōdo duodecim. æruginis denarium pondo octo. seui uitulini denarium pondo quatuordecim. resinæ terebinthinę denariū pondo viij. ceræ denarium pondo triginta. olei quartam cyathi partē. aceti quātum satis est. Hoc & magna uulnera glutinare potest, & sordida ulcera purgare, ubi ceratū inter liquescendum assumpserit, carni producendæ est. Priusquam uerò liquefactum sit, crassas ulcerū oras sanare, & sinus iungere, in totū digerere & repellere potest: nam ex cōtrarijs facultatibus mistum est. Quod succedit uiride nunc commemorato similis & potentiæ & usus, huiusmodi symmetriā obtinet. Terebinthinæ pondo minam. serapiadis herbæ denarium pondo uigintiquinq;. æruginis rasæ denarium pondo decem. seui uitulini denarium pondo uigintiquinq;. ceræ denarium pondo uigintiquinq;. thuris denarium pondo duodecim. cyprinū aridis adijcitur. Ac emplastrū quod ab alijs Isis nuncupatur, ipse citra hanc appellationem in hunc modum conscripsit.

Viride Epigoni.

Quanquam omnes eius meminerint, nihilominus & nunc simplicium in ipso medicamētorum symmetriā adducturus sum, quoniam nōnulli in eis dissentiunt. Iubet enim immittere æris usti, salis ammoniaci, æris squamæ, æruginis, guttæ ammoniaci, aristolochię, & thuris, singulorum denarium pondo viij. hoc est unciam. aloes autē, myrrhæ, galbani, singulorum sesquiplum, hoc est unciā unā & dimidiam. quod perinde est, ac si dicas, drachmas duodecim. seminis aluminis rotūdi denarium pondo sex. miscet etiam resinæ colophoniæ denarium pondo ducentorum. ceræ dimidium, hoc est centum. olei heminæ dimidiū. Quosdam ait quartam partem miscere. aceti quantum satis est. dracontij radicis unciæ dimidium, quod est denariū pondo quatuor. in fine autem hoc adiecit, quod in Isidis scriptura nō continetur: nam Epigonus id apposuit, atq; hac ratione Isis ab Epigoni uiridi differt. Iam uerò post nuper relata addidit Andromachus uiride Pasionis hac symmetria. Resinę colophonię denariū pōdo trecentorum. ceræ denariū pondo centum quinquaginta. æruginis denarium pondo octo. aluminis rotundi tantundē. æris squamæ denariū pōdo duodecim. thuris denariū pōdo sedecim. ęris combusti denariū pōdo octo. salis ammoniaci denariū pondo octo. olei dimidiū cyathi. aceti quantum sufficit. Hoc medicamentū, quia salem ammoniacum prius assumpsit, magis ꝙ superiora extrahit, digeritq;: in alijs omnibus cum illis conuenit. Fortius autem magisq; utile præscripto post medium unum recenset Andromachus, quod uiride Alcimionis nominauit in hac symmetria. Terebinthinę denariū pōdo ducentorū. ceræ denarium pondo centum quinquaginta. ęris squamę denarium pōdo decem & octo. æruginis rasæ denariū pondo sedecim. aluminis rotundi denarium pōdo sedecim. galbani denarium pondo sedecim. thuris denarium pondo decem. salis ammoniaci denarium pondo duodecim. æris combusti denarium pondo sedecim. aristolochiæ denarium pōdo decem. aloes indicæ denarium pondo duodecim. myrrhæ denarium pondo sedecim. guttæ ammoniaci denariū pōdo decem & octo. galbani denarium

rium pōdo duodecim. alij viij. olei heminæ dimidium. aceti tantundem. Aliud inde scribit, cui titulus Athena, id est Minerua, sicut ipse ad calcē refert. Porrò simplicium eius medicaminū symmetria unde cōponitur, in hunc modum habet. Ceræ denarium pondo ducentorum quinquaginta. terebinthinæ denarium pondo ducentorum. frictæ denariū pōdo centum. seui uitulini denarium pōdo quinquaginta. galbani denarium pondo uigintiquatuor. mãnæ denarium pōdo uigintiquatuor. salis ammoniaci denarium pondo xij. æris usti denarium pondo duodecim. aloes denarium pondo duodecim. æris squamæ denarium pōdo uigintiquatuor. aluminis rotundi denarium pondo duodecim, & fissi denarium pondo viij. chalcanthi denarium pōdo viij. misyos denariū pondo viij. opopanacis denarium pondo viij. æruginis rasæ denariū pōdo sex. guttæ ammoniaci denarium pōdo sex. minij sinopici denarium pōdo trium. aceti heminas tres. olei heminas ij. minium initio indit. Athena, hoc est Minerua, uocat hoc emplastrū, utilissimū multis, ut indicauimus. quo modo autem usui erūt emplastra multis utilia, in sermone de ijs futuro significabitur. Ab hoc deinceps aliud uiride his uerbis conscripsit.

Viride ex cyprino, Aphrodæ. 2

Ceræ denarium pondo uigintiquatuor. resinæ aridæ denariū pōdo duodecim. æruginis rasæ denarium pondo octo. Aphrodas denarium pōdo duodecim. mãnæ denarium pondo octo. cyprini dimidium acetabuli. Contunditur aūt cum eo, & difficilibus curatu ulceribus potest cōducere. At quæ hæc causa est, cur ipsum scripserit, tum quòd paucis constet, tum quòd utilissimum esse posit. Cum autem multa deinceps uiridia alia multiplicis misturæ & utilitatis adducat Andromachus, uisum mihi est ea relinquere, et ut ipsi uocāt litas, dūtaxat percēsere. Is igitur sic ad uerbum scribit.

Aliud uiride lite, quo utor.

Resinæ pōdo libras duodecim. ceræ pondo libras viij. æruginis rasæ pondo libras viij. seui uitulini pōdo libras ij. aceti pōdo libram. Ego autem mannæ libram inijcio. Liquet igitur acetum cum duabus ęruginis libris, & libra thuris esse leuigandum, sicut antea pręcepi, deinde liquabilia his miscenda: dico autem seui libras viij. cum cerę octo. & resinæ xij. Emplastrū hoc lite, hoc est simplex adamussim foret, nisi adipē assumpsisset, & mannā. Ita namq; ęrugo decima amborū simul portio esset, resinæ uidelicet & ceræ. Quòd si resina dura fuerit, omnino etiam olei quid addendū putabis, uti prius expositum est. Quoniam uerò seuum uitulinum recepit, nec amplius exacte est lite, ut q̃d molliens & cōcoquens medicamentū acceperit. Multo autem magis, si etiam mannam assumpserit, quæ cōcoquit, puriq; mouēdo est, et carnis gignendæ quandam uim obtinet.

Communis sermo de emplastris colore similibus.

Quòd sanè medicamenta non secundum coloris, sed facultatis similitudinē unà scribi cōueniat manifestum planè est. Vt ergo Andromachus, sic

A alij quoq; nōnulli ordine tradunt emplastra, non solū uiridia, sed etiā melina, fusca, & cādida. Quo igitur modo fiat cādida, priori uolumine dictum est. Viridium uerò compositionis licet antea expositæ, nunc quoq; mentionem faciemus.

Quomodo uiridia fiant. Cap. III

Aerugo nō pauca ijs immittitur, ut & aliorum colorem uincat, & omnia in suum permutet. Porrò cōijcere oportet eum qui tale emplastrū conficit, præter æruginis quantitatem, etiam colorem illorum quæ ipsi commiscentur, ad hęc coctionis rationem: in ijs qui miscētur quidem, colores pertinaces uitare, cuiusmodi flaua & rufa, & nigra medicamēta obtinēt. Dico aūt flaua & rufa, qualia sunt melitites, chalcitis combusta, auripigmentū, sandaracha. Nigra uerò, quod genus sunt, pix, B bitumē, terra ampelitis, lapis gagates. At inter coquendum nō oportet æruginem super ignem coeuntibus committere, uerum ubi in mortario unitas facta est, admiscere, si colore uiride medicamētum permanere desideras: sin autem melinum uoles emplastrum conficere, intelligito in cōcoctione æruginem primum in hunc colorem perduci: postea in giluum, ut emplastrū quod à duplici colore Græce dichromō appellant, euadat. Etenim à coctiōis tempore paucis diebus pòst in summo quidē fuscū magis redditur, in imo giluū simul apparet. Quoniā uerò de ipsorum colore quæ conueniebāt diximus, rursus ad facultatis sermonem reuertemur, memoria repetētes, unde primū hoc C in libro exordium sumpserimus. Agere autē cœpimus, si quid meminimus, de medicamētis carnē generātibus, quorum potestatis scopus est, ut mediocriter & sine morsu detergeāt exiccētq;. at speciales cōfecturæ pro diuersa simplicium pharmacorū materie differūt. Cęterum nemo ignorat ea, quæ proprie & primario sarcotica, id est carnē progignētia nominātur, minime periculosa ulcera carne implere, hoc est quæ caua quidē sunt, nō tamē sordes, aut inflammationē coniunctam habent, magis uerò etiam nec prauorum humorum influxionem, neq; carnē in cauo ulcere intemperatam. Nam prædictorū aliquo cauitati immisto, prius illud curandum est. Consilia uerò curatiōis ipsorum sunt, sordidis detergētia pharmaca adhi D bere, profluentibus exiccātia, atq; id quod influit repellentia. At si multitudine laboret, & contumax existat, fluoris causa prius amputanda est. Constat autem & inflammatorum phlegmonem sanandam esse: carnē intemperatam hanc ad temperiem reducendam. Porrò intemperatæ iam factæ, quatuor sanè modis simplicibus, quatuor itē compositis, per cōtrarias qualitates succurretur. Sed de his & postea: nunc autem de medicamentis uehementer detergentibus agemus.

De pharmacis ualde abstergentibus. Cap. IIII

Quòd hæc ex prædictorum genere sint quę ob moderatā detersionē cauis ulceribus puris apertis sine omni morsu admouebant, antea diximus. Intensam uerò detergēdi uirtutem obtinent, quæ copiosas sordes auferūt. Quare nōnulla ex prædictis

dictis uiridibus medicamētis una re solum, nempe æruginis copia, ab ijs quæ simpliciter carnem producunt, euariant. Quædam & aliorum uehementer detergētium mistura, sicuti uocatum Isis & Machærionis emplastrum, quod nos pro more usurpamus, oleosum ex usu nuncupant. Vbi enim sinum carne implere proponimus, copiosio re oleo liquefacientes, per cornu recti foraminis modo clysteris porcinæ uesicæ coniuncti ipsum infundimus. Quin & uocatis pyulcis, hoc est pus trahentibus, in eo utimur. Etenim horum etiam ij quibus latius foramen est, ad huiusmodi administrationem commodi sunt. Cui uerò non est perspicuum, sinus oppletos sordibus, ex meraciore hoc medicamēto purgari, id est oleo pauciore ad hibito: rursus puriores ex humectato magis olei B uberioris mistura? Itaque si paruę adhuc phlegmones sinum infestantis suspicio quępiā existat, medicamentum ex rosaceo prorsus liquefiat. Sin à phlegmone fuerit liber: ex oleo, etsi citra erosionem ueteris misturā sustinuerit, illo pharmacum liquetur. Cęterum in huiusmodi usum non solum hoc, sed Machærionis quoque emplastrum, & Isis, atque alia faciunt, quæ maiores nostri perscripsere, cerato mista, cauis ulceribus carnē inducere. Omnia namque hæc sine cerati mistura ex oleo & rosaceo liquefacta, sinibus immittūtur, eo quòd consistentia quæ linamento excipitur (Emmoton systasin Græci uocant) sinibus illini non potest. Parimodo & medicamentum siccum, quod combusta charta constat, rosaceo copiosiore diluētes, ip C sis infundimus. Quemadmodum uerò sinus liquidioribus pharmacis indigent, dum crassiora imponi nequeunt, ita quæ in summo caua ulcera affligūt, crassius medicamentū desiderāt, hac uidelicet occasione, quòd liquida statim ab eis decidunt, & linamenta sicca relinquuntur. Meritò igitur in id genus uitijs ceratum ualde abstergentibus admiscemus: in sinibus oleū, uel rosacei plurimum. Atqui hæc in eum modum abstergentia pharmaca omnino etiā digerunt, ideoque uehemēter exiccant, ac cōmune quoddam ipsorum genus efficitur, quod Græci polychrestum, id est multiplicis usus appellāt. Accedūt huic generi emplastra admodū acria, qualia sunt ea quę Dialō, id est ex salibus nominantur, quæ nō offerenda sunt ubi car D ne quicquam explere cogitamus. nam pręter alia hoc quoque sal eximium habet, ut astringat magis, quàm purget: siccare uerò nihilominus quàm aphronitrū ac nitrū potest. sed illa astringendi facultatem nō agnoscūt: sicut nec Asiæ petrę flos. Atque huius rei gratia discutere, & ceratis admista ulcerū sordes tollere nata sunt. Sal propter astringendi potestatem hoc efficere non potest. Proinde cū hæc in memoria habeatis, & methodum cōpositionis usus que omniū eiusmodi medicamentorū audiueritis, deinceps illa quæ à clarissimis medicis propter optimorum medicaminum cognitionē, usū atque experimentis probata sunt, enumerabo. Primū sane Mantiæ, atque eius discipuli Tarētini Heraclidis sectatorū permulta pharmaca, quæ subsequentibus annis per experientiam probantes distinxerunt, & præstantissima eorum ipsi denuo literis mandarunt: quæ uerò minus efficacię habere uidebanť, omiserūt. Iure igitur et ego maiorem facio mentionē eorū, qui illis successerunt. Sunt autem inter eos, qui in medicaminum experiētia rectissime se gessisse uidēť, Petronius, Musa, Heras, Andromachus, Asclepiades, & Crito. Iam uerò Archigenis et Philippi studiosi nō pauca medicamenta prodidere. Quinetiā liber unus est Menecratis, cui nomen inditum est, Insignium pharmacorū autocrator hologrāmatos, quasi dicas imperator integris literis descriptus. Quæ ergo pulcherrima ipsis tradita sunt medicamina, & commendantur, quorumque nos inter omnia relata experientiam habemus, & quibus præceptores nostri usi sunt: ad hæc si quod & nobis inuentum sit, deinceps adducam, quo singula genere cōtineantur exponens. Nunc autem uiridibus relatis, melina protinus subiungam.

Melina emplastra. Cap. V

Quemadmodum uiridium emplastrorum plurima propter æruginem præpollentē talia fiunt, pręsertim quæ sunt ex ipsis coloratiora, ita quoque melina. Sed uiridia æruginem incoctam habent: melina uerò coctam quidē, sed mediocriter. nam si amplius coquas, ambigui coloris emplastra quibusdam appellata, quibusdam gilua, efficies. Solent medici uiridia simpliciter melina & rufa nominare, quæ non adeò magna uulnera glutinant, & ulceribus cicatricē obducunt: quę mos est medicis appellare aperistata, quasi dicas minime periculosa, & nulla grauiore incōmoditate affligentia. Itē ex rosaceo liquefacta cauis carnē gignunt. Multiplicis usus sunt inter ea quę plura pollicentur. Quædā multa nō promittūt, sed unum mentiōe dignū, uidelicet uel ulcera cacoethe bene curare, uel pus digerere, uel meliceridas, uel duritias emollire, uel huiusmodi quid nō cōtemnendū, nec curatu facile. Andromachus itaque quatuordecim melina cōscripsit, ex quorum numero quinque æruginem habent: reliqua sine hac confecta sunt. Porrò ex his quæ ærugine constant, unū quidem primū inter quatuordecim positum est: alterum uerò quartum, post hoc aliud sextū, inde septimum & decimum. Quibus ergo nihil eximij apposuit, omnia simul & conglutinant ulcera, & cicatricem inducunt. Quæ si ex rosaceo liquefiant, carnem procreant. Quin & mediocribus phlegmonis medentur, sicut mediocres etiam duritias emolliunt, atque hoc faciunt euidentius, quæ guttam ammoniaci cōtinent. His adhuc ipsis magis, quæ copiosiorem reliquorum proportione eam assumpserunt: in quibusdam uerò apposuit ipse, tenerum, hoc est tenerę cuti cōueniens uidelicet: & cui præfixit epispasticon & exipoticō, id est attrahens & eruēs, innuit membrorum doloribus, synanchæ, & lateris cruciatui benefacere, uel interiores abscessus discutere: magis quoddam testimonium his afferēs, quàm simplici sermone scriptis. Igitur omnia ipsa deinceps subijciam.

Melina

Melina Andromachi. Cap. VI

A

Melinum quo utor. Spumæ argenti denarium pondo centum quatuor, olei heminã, hyeme tres cyathos, ceræ denarium põdo quadragintaocto, colophoniæ denarium pondo quadragintaocto, guttæ ammoniaci denariũ põdo uigintiquatuor, æruginis rasæ, chalbani, myrrhæ, ſingulorũ denarium pondo octo. Aliud, Spumæ argenti denariũ põdo centum, olei tres cyathos, reſinæ colophoniæ denarium põdo ſexagintaquatuor, guttę ammoniaci denarium pondo quadraginta, ceruſſæ denarium põdo uigintiquatuor. Aliud, Spumæ argenti denariũ põdo xl. ceruſſæ denariũ põdo vi. ceræ tyrrhenicæ denariũ põdo ſedecim, reſinæ pityinę ſiccæ denariũ põdo ſedecim, guttę ammoniaci denariũ põdo ij. aliĳ heminã. Aliud,

B

Spumæ argenti denariũ põdo centum, colophoniæ denariũ põdo ſexagintaquatuor, aliĳ quadragintaocto. cerę denariũ põdo octogintaquatuor. chalbani, myrrhæ, æruginis, ſingulorũ denarium põdo viij. opopanacis denariũ põdo vi. olei heminam æſtate, per hyemem uerò tres cyath. Aliud, Spumæ argenti denarium põdo centum. reſinę pityinę denarium pondo centum. cerę denarium põdo duodecim. olei tres cyathos. uini falerni heminæ dimidium. ſpuma argenti ex uino leuis fit, donec ſiccata fuerit, deinde coquitur. Aliud, Spumæ argenti denariũ põdo centũ. olei ueteris heminas duas. ceræ denariũ põdo centũ. æruginis ſcoleciæ denarium pondo uigintiquinq;, chamæleontis nigri denarium pondo duodecim, ac ſemiſſem. chryſocollæ denarium pondo quadraginta. Aliud, Spumæ argenti denariũ põdo ducentorum. olei ueteris heminas tres. ceræ denarium põdo centum ſexagintaocto. guttæ ammoniaci denarium põdo centum. myrrhę denarium pondo quatuor. æruginis denarium põdo. reſinę colophoniæ denariũ põdo centum uigintiocto. galbani denarium pondo uiginti. chamæleontis atri denariũ põdo octo. aliĳ propoleos denarium pondo octo. pro chamæleonte. Aliud, Olei ueteris in quo chamæleõ feruefactus ſit q̃ copioſiſſimus ſextariũ. ſpumæ argenti põdo. ubi ebullierit, argenti ſpumam inſpergito, & coquito.

C

Aliud ad nomas, id eſt ulcera depaſcentia.

Sandarachæ denarium pondo trium. aluminis ſiſsi denarium põdo quatuor. thuris denariũ pondo quatuor. myrrhæ denariũ põdo quatuor. guttæ ammoniaci denarium pondo octodecim. cerę denarium pondo octodecim. terebinthinæ denarium põdo ſex. adipis ſuilli denariũ põdo duum. mellis decimamſextam heminæ portionem.

D

Aliud, Spumæ argenti denarium pondo centumocto. ceræ pondo denarium pondo centum octo. alibi centum inuenio. guttæ ammoniaci denarium pondo quinquaginta. terebinthinæ denarium pondo quadraginta. ariſtolochię denarium pondo uigintiquinq;. xyridis radicis denariũ põdo octo. æruginis ſcoleciæ denarium põdo ſedecim. aluminis ſciſsilis denarium põdo ſedecim. olei ueteris binas heminas.

Aliud ſimplex.

Spumæ argenti denarium põdo centum. axungiæ denarium põdo ſeptuagintaquinque. olei ueteris põdo denariũ ſeptuagintaquinq;. Ad molli carne præditos facit, & digerit.

Aliud melinum emolliens. Diaphantis aphra nominatur, attrahens & eruens, quo articuli curantur.

Viſci elaborati põdo. cerę põdo. reſinę terebinthinę põdo. chalbani unc. iij. liquefactis utitor.

Aliud, Salome, ad omnem dolorem, & anginam, ſynanchen poſt cucurbitulas, & ad lateris affectum.

Spumæ argenti pondo libras duas. olei ueteris uncias viij. ſimul coquito.

Aliud melinum Heraclidis, interiores abſceſſus ſine dolore diſcutiens. 2

Spumæ argenti denarium pondo centum. ceruſſæ denarium põdo centum. ceræ denariũ pondo octoginta. reſinæ aridæ denarium põdo ſexaginta. guttæ ammoniaci denarium pondo quinquaginta. galbani denarium pondo ſedecim. olei ueteris heminas duas. Vt autem ruſticus ille familiaris Iſidori, ſpumę argenti denarium põdo quinquaginta. ceruſſę denarium põdo quinquaginta. guttæ ammoniaci denariũ põdo octo. ceræ denarium põdo uigintiquinq;. reſinæ aridæ denarium pondo triginta. ulmi in ſacculis ex corio reconditę denarium põdo quindecim. galbani denarium põdo octo. olei tres cyathos. Inter hæc emplaſtra nullius coctionem ſcripſit Andromachus, ego uerò ad colorẽ ipſorum pertinere dixi, ſcilicet neq; æruginem crudam eſſe oportere, ut in uiridibus, neq; nimis coctam, ſicut in ĳs quæ duplicis coloris & gilua nominant. Verũ ubi iam cacabus ab igne auferendus propemodum eſt, inĳci ærugo debet. Deinde cum mutat colorem, & melinum redditur, medicamẽtum tollere ab igne tempus eſt, ſi iam nõ inquinet. Sin minus paululum ſuper ignem lentiſsimum remorati ſic tollemus. nam in admodum uehemẽti facile in giluum degenerat. cuius rei gratia alia quoq; duo inſignia emplaſtra melina, alterum Menoeti, alterum Serapiõis ſubiungam, quorum coquẽdi rationem pleriq; tradidere, et uos cõfecturę eorum quę Andromachus ſcripſit, exemplum habebitis.

Menœti melinum.

Spumæ argenti põdo quatuor. olei põdo tria. terebinthinæ pellucidæ põdo duo. ceræ pondo. æruginis, thuris, galbani, ſingulorum pondo uncias quatuor. guttæ ammoniaci põdo uncias ſex. Argenti ſpuma ex oleo ad multam ſpiſsitudinem uſq; incoquitur, deinde reſina, ceraq; inĳcitur. cum pulchre ſoluta hæc fuerint, cacabus deponitur, & refrigerari bene ſinitur, poſt illa ærugo immittitur, & ubi infra motum fuerit, denuo ſuper ignem lenem coquitur, donec melinum colorẽ repræſentet. poſtremo galbanum, & thus, leuia facta, ac in mortariũ demiſſa, ubi ammoniacũ ex aceto in leuorem redactum eſt, ut ſordiũ imaginem habeat, ſtatimq; manibus ſubacta excipiunt, & aceto modico affuſo in ſequentem diem uſq; relinquũtur, ac tunc rurſus emollita reponuntur.

Melinum

Melinum Serapionis ad uulnera, & ad resoluendum pugilibus utilissimum. A

Spumæ argenti denarium pondo centum, guttæ ammoniaci denarium pondo uigintiocto. ceræ denarium pondo quinquagintasex. æruginis cypriæ denariū pondo nouem. myrrhæ denarij pondo unius. colophoniæ denarium pondo quinquagintasex. chalbani denarium pondo nouem. olei tres cyathos: æstate cyathum & dimidium. Argenti spumam ac oleum coquito, cum inalterata sunt, ammoniacum, deinde ceram, & postquam deposueris cacabum, chalbanum, æruginem, & reliqua addito, atq; molliter incoquito. Huiuscemodi coquendi modos melinorum quæ scripsimus emplastrorū, multi me priores tradidere, iuxta quorum similitudinem etiam alia melina coquere poteris. B Argenti spumam sanè primum inijcere conuenit, mox resinas & ammoniacum, deinde chalbanum & æruginē, postea si uel thus, uel myrrham, uel aloem capiat, hæc immittenda sunt, cum medicamentum ab igne tollitur, quippe coctionē non ferentia. Prædiximus autem lente coquenda esse, præsertim cum ærugo indita fuerit: quin & ipsam miscendam, ubi cacabū in terrā deposueris, ac parum refrigeraueris, idq; magis, si uas paruum sit, in quo coquitur. Nam efferuescenti immissa ærugo, frequenter ex ipso uase diffundi medicamentum cogit. Porrò in Menœti primo melino, quod ideo pugillatoriū (ut ita dixerim) uocat, quoniam pugiles potissimum medicamēto eo utantur, ammoniacum quoq; ex aceto leue in mortario fieri posse, alijs omnibus in cacabo mistis, deinde ex ipso defusis, prius instituti sumus. C

Heræ emplastra, ad strumas. 3

Quæ ab Hera conscripta sunt, hunc in modum habent. Melinū ad ueteres sinus, & si in uacua perforati sint. Idem etiam discutit strumas quæ in pueris nuper ortæ sunt. Facit etiam ad artus è loco motos. Argenti spumæ chrysitidis denariū pondo centum. resinæ pityinæ siccæ tantundem. ceræ ponticæ denarium pondo duodecim, & scrupula duo. olei tres cyathos. uini falerni tantundē. argenti spuma ex uino leuigatur, donec rursus siccescat. Post unà cum oleo sic coquitur, quousq; mutata fuerit, & tunc resina leuis additur, ac cera, & coquitur, donec non inquinet. D

Menœti, coloris aurei. Ad teneros, maxime eunuchos facit: aptum est abrasis, & omni inueterato & recenti ulceri, itidem combustis. Est etiam malagma: discutit phymata, parotidas, strumas, & omnes duricias. Valet etiam ad rhagadas, & ad condylomata, ualde generosum est.

Argenti spumæ denarium pondo centum. olei ueteris denarium pondo centū. resinæ pityinæ aridæ denarium pondo quinquaginta. uel centum. ceræ denarium pondo quinquaginta. argenti spumam cum oleo coquito, donec unitas fieri incepe rit: mox resinam leuem indito: hac liquata, ceram: ubi bene habuerit medicamē, in mortarium oleo prius inunctum demittito, & denuo tritum excipito: est autem glutinans, nec polluit.

Hygini emplastrum ad multa boni coloris, curat ulcera uix cicatricem ducentia, & paronychia: hoc melius emplastrum non extat.

Argenti spumæ chrysitidis minam. ceræ tantundem. chamæleontis nigri radicis denarium pondo trigintasex. æruginis rasæ denarium pondo octodecim. chrysocollæ denarium pondo quadraginta. olei ueteris heminas tres. Argenti spuma cum oleo igne non acri coquitur, usq; dum efferuescere ceperit: deinde ærugo inspergitur, cacabo deposito, atq; iterum reposito, emplastrum permouet, quousq; proprium colorem receperit, postea cera, quæ ubi bene se habuerint, chrysocollā & chamæleonem assumunt. Demissis iam in mortarium acetū superfunditur. Itaq; prædictis affectibus bene facit etiā chrysocolla admista, attamen sine hac mitigantissimum est, & præcipue ad neruorū puncturas ualet, itidem ubi à musculis uel neruis abluere quid oportet. Horum trium emplastrorum quæ Heras conscripsit, primum ex uino & confectionem & titulum habet. multiq; nostri tam præceptores quàm amici eo sine ærugine uidelicet præparato, utuntur. scripto autem ab Andromacho & ferè omnibus qui uaria emplastra composuerunt. Proinde non pauci illorum incuriose ipsum conficientes, contemptū emplastro pariunt. Optimum uero est, si uti tradidimus, ex uino falerno conficiatur, cuius penuria giluum uetus, tenue substantia, & quàm giluum inueniri potest, immiscebimus. Nam candida hoc peculiariter habent, ut pelluceant. Porrò præstantissima apud nos sunt in Asia tria, Tmolite uocatum, Lesbium, ac celebratissimum apud ueteres Ariusium, in Chio proueniēs, quo omnes ad optima medicamenta, præsertim antidotos, sicut nunc falerno utebātur. Huiusmodi igitur uinum, si in argenti spumam sub caniculæ æstu, uel sole alioqui calido mittamus, deinde teramus, uel sine sole etiā diu teramus, ut humor siccescat, ipsaq; argenti spuma relinquatur, uel omnino madoris expers & sicca, uel propè fiat, medicamentum optimum euadit: unus sanè ex præceptoribus meis postq; in uino falerno tritam exiccasset, hoc modo ipsam præparabat. Oleum alio, uinum item alio uase calefaciens, paulatim argenti spumæ superfundebat interim uino, in quo leuigatæ probeq; permistæ, oleū adijciebat: interdum ab oleo auspicatus ad uinū transibat. Alternis autem uicibus hoc sæpius agendo utrunq; consumebat, & sic ex mortario in cacabum demittens, pityinam resinam, quam proprie physema Græci uocant, leuem adamussim factam addebat, mox ceram, & sensim quoad non inficeret, decoquebat. Vtebatur eo & ad sinus, illinēs prius sanguine columbæ non domesticæ, sed ex eis (boscadas quidam nominant) quæ in turribus nidum collocant, quas apud nos in agris extruunt: nōnulli has agrestes uocant. Pari modo magnis uulneribus, recentibus, huiusmodi sanguine columbino illinens, medicamentum imponebat, non mediocri eius cōfidentia. Vini autem heminam & semissem indebat, non ut Heras & Andromachus semissem

A tantum. Atq; huius occasione medicamen longe melius factum est. Cæterum ubi ipsum uoles boni odoris efficere, opopanacis semunciam, quod est denarios quatuor, miscebis. Coloris gratia, ceram candidam ponticã adijcies. Hoc medicamentum ulcera uel ad usq; cicatricem probe perducit.

Critonis medicamenta. 4

Quæ Crito melina scripsit, buxea nominat. Buxeum ad recentia uulnera: idem cicatricem obducit & extrahit. Spumæ argenti pondo quatuor. ceræ pondo totidem. terebinthinæ pondo uncias octo. æruginis tantundem. olei ueteris sextarios ij. aceti sextarij dimidiũ. Spumã argenteam, oleum, æruginem, acetum, unà super ignem lentum incoquito. Vbi uero coitura sunt, resina ceraq; adiungatur, & in unum redactis ad recentia uulnera po B tissimum utitor. Scripsit & aliud ante hoc Crito, quod buxeum uocat: simplex quidem quantũ ad mistorum numerum pertinet, magnum uero pollicitis: scribit igitur de ipso ad uerbum hoc modo.

Emplastrum ex chamæleonte, eadem faciens quæ Tyria: cicatricẽ ulceribus difficillimis, callosis, & inueteratis maxime inducit. Medetur etiam rhagadijs digitorum, condylomatis, & duricijs.

Spumæ argenteæ pondo minam. ceræ pondo minas sex. æruginis pondo minas quatuor. chamæleontis pondo minas octo. olei pondo minam. oleo spumam argenteã coquito, rudicula mouens, donec consistat, & fiat melinum. post hoc æruginem inspergito, inde ceram adijcito. Porrò ubi diligẽter liquata ab igne tuleris, chamæleontem indito: quum unitas facta est, in mortarium demittito, ubi subacta, excipito. Iam uero & alia quædam C emplastra Crito tradidit in quarto Medicamentorum uolumine, buxea quidem, ut ipse nuncupat, melina uero ut alij. Attamen nonnulla ex ijs citra æruginem componuntur, nonnulla æruginẽ quidem assumunt: sed in alio pharmacorum genere pro facultatis seu uirium similitudine dicentur, in Epuloticis Epulotica: in ijs quæ succis cõstant, ex succis composita, in mollientibus, illa quę mollire nata sunt, quemadmodũ & Mnasæi emplastrum multifariam ab eo in hoc opere conficitur. Nunc igitur ad glutinantia ire iam tempus est: colore inuicem, & à melinis differentia.

De giluis siue fuluis emplastris quæ Dichroma, *id est duplicis coloris dicuntur.* Cap. VII

D Quædam ex eadem materia constant, qua æruginem habẽtia melina: sicut prius quoq; diximus, hoc solo differentia, quod diutius coquantur. Omnia siquidem propter crudam æruginem uiridia, fiunt melina, ubi mediocriter ipsa cocta fuerit: gilua, ubi liberalius. Manifestũ igitur melina giluaq; oleum copiosius quàm uiridia necessario habere: etsi reliqua omnia eadẽ recipiant. Atq; huius gratia, primum spuma argenti cacabo inijcienda est, in quo tantisper coquetur, dum sordium crassitudinem consequatur, mox ærugo: deinde si metallicum aliquod, ceu æs combustum, eiusq; squama immittatur: ac quando spissitudinem acceperint, tunc ceram & resinam, si hæc etiam medicamentũ recipiat, indere conueniet: postremo, thus, myrrham, aloen, aliaq; id genus, sicut celeberrimũ giluum, quod ex dictamno uocatur, sacrum et ipsum appellatum, uelut Isis: quoniam aiunt ea ex sacris Aegypti locis esse allata. Vsum igitur hoc præstat multiplicem: proinde in sequenti sermone simul cum ijs quæ ad plura ualent, paulo post describetur. impræsentiarũ de alijs giluis, tum omnino simplicibus, tum ijs quæ inter hæc & polychresta, id est multipliciter utilia consistunt, uerba facturi sumus. Vt igitur uiridia emplastra simplicia ex cera, resina, oleo, & ęrugine conficiebantur iuxta dictã illic symmetriam, sic gilua ex argenti spuma & oleo copiosiore quàm in uiridibus sumpto componuntur. Itaq; si emplastrum largius uoles coquere, augeasq; oleum, medicamẽ habiturus es, quod magis siccet, ideoq; uulnerum cruentorum glutinantius: sin autem mediocriter, tantam olei mensuram quantum argenti spumæ pondus esse sufficit: libram enim olei mensuralem Romanorum in argenti spumæ librã ponderalem inijciemus. Iam si pharmacũ plenius incoquere placet, non solum unam librã semissem, sed etiam duas & plures immittemus. Porrò inter hæc gilua emplastra sic præparata, plus siccant, quæ nec resinã, nec ceram omnino habent, sed ex solis, ut uocant, metallicis cõficiuntur: quemadmodum alij quoq; nonnulli ex prioribus talia scripserunt.

2 Cæterum quo ego semper mea industria cõposito utor, in hunc modum coquitur. Argenti spumæ cum oleo prius coctæ, metallica ex aceto leuigata immitto, & sic coquo, donec non inficiat. Addo his olei lib. quatuor: hoc autem quanto uetustius, tanto erit melius: magisq; si id fuerit Sabinum: argenteæ spumæ libras tres. aceti quàm acerrimi libras duas. Horum trium metallicorum, squamæ æris nigri, æruginis, chalcitidis, singulorum æquale pondus, nimirũ uncias duas, hoc est denariũ pondo sedecim. At cum uetus oleum existit, crassumq; ex uetustate, quatuor libras semissem immittito: nos & quinq; interim, idq; per hyemẽ indidimus, non ignari hyeme plus olei, quàm per æstatem immiscendum. At argenti spumam prius uidelicet coques, donec sordium crassitudinem recipiat. Quod si & oleum cicinum habeas, id pro uetere usurpato: medicamentũ hoc cruenta uulnera facile glutinat, magisq; in duris corporibus quàm mollibus: cuiusmodi sunt mulierum, puerorum, & eunuchorũ. dilutum quoq; ex oleo cicino uel ueteri, ac linteo exceptũ impositumq;, mirum est quàm ulcera curatu difficillima concoquat, quæ pus nequaq; faciunt. Ad hæc sinus conglutinat, & fistulas astringit, exiccat, & prorsus claudit. Atq; ubi iam ipsum hæc pulchre uelis efficere, metallica pluribus diebus aceto longe acerrimo conterito, ac potius in sole: pari modo argenti spumã tritã exiccatamq;, & oleo postea mistam, eo quo dixi modo incoquito. Attamen ad ulcera quibus cicatrix difficulter induci potest, metallica sic elaborari, & argenti spumã ita cõterere non est necessum. Etenim sine his quoq; Epuloticoteron, quasi dicas cicatrici ducẽdæ promptius illud euadit

euadit. Adijciatur autẽ tunc ei diphrygis & chrysocollæ singulorum uncia: at hæc non simul cum squama & ærugine cõmittuntur, uti nec ubi iam coctũ medicamentũ fuerit omnino, sed eo quod intercedit tempore. Tantã enim huiusmodi pharmaca coctionem requirunt, ut exacte cum priori bus in unũ coeant: quod mediocri interuallo accidit, neq; multo ante, nec paulo minus quàm cacabus ab igne tollatur. Solum itaq; hoc emplastrum fistulas, sinus, & magna uulnera glutinare potest. Iuuat ipsum spongia recens, non dura, ueteri uino respersa. Deligatura in sinibus ab imo fiat, ligamẽto ad orificium perueniente, sicut in sermone De fistulis clarius ostendetur.

De ijs quæ cicatricem obducunt. Cap. VIII

Emplastra cicatricem inducentia, siue synulotica, siue epulotica nominare uelis, sicut etiam alia medicamẽta epipasta, id est quæ insperguntur, & quæ linamentorũ usu apponuntur, nihil ut ad curationes eorum differẽtiæ adfert, si qualis quodq; facultatis medicamentum huiusmodi esse debeat memineris, quã simul cũ reliquis omnibus in Therapeutices methodi libris explicauimus. Quanto enim glutinantia sarcoticis, id est carnem generantibus, siccare magis ostensa sunt, tanto glutinantibus epulotica. Nam ipsorum beneficio carnem ca uis ulceribus generatam, cutẽ reddere statuimus, ob quod etiam tale pharmacorum genus, siue illinendum, siue inspergendum sit, astringere oportet. Hic autem illorũ duntaxat emplastrorũ mentionẽ facere cogitamus: siquidẽ ea quæ linamentis excepta imponuntur pharmaca, ex his rosaceo uel myrteo liquatis fiunt. Atq; myrteum rosaceo hoc magis conducit, quo uehementius astringit: at si neutrũ habeas, ex cyprino, lentiscino, & melino liquanda sunt: si his quoq; careas, ex omphacino, uel eo quod ab Hispania portatur, Hispanũ nominant: ubi nec huius copia adsit, teneros oliuarum surculos cõtusos alij cuipiam uulgari oleo admiscebis: quod si hos etiam desideres, præstat oleo uetere liquefacere: hinc enim medicamentũ siccandi uirtute augebis. Proinde pleriq; medicorum, à pharmacis quæ optimi quiq; medici longi temporis experientia satis probarũt, eoq; nobilia reddiderunt, hac ratione solum abstinent, ut ipsi melius quippiam præter maiores habere uideantur. Attamẽ ex medicamentis celebribus, quę cõmendantur omnibus, sciendũ est, id quod ex cadmia, quodq; ex ladano inscribitur, ad cicatricem ducendam utrunq; esse præstantissimum. Quanquam apud omnes misturæ simplicium pharmacorum symmetriã eandem non sit inuenire. Quapropter uisum mihi est eas quæ cuiq; scriptori placent describere, auspicati à proditis Asclepiadi in tertio de Exterioribus cõmentario, quæ Marcellas inscribit.

De Epuloticis emplastris Asclepiades sic memoriæ prodidit. 2

Posteaquam ulcera particularia sine alia dispositione ad cicatricem iam tendunt, utẽdum est ijs compositionibus quæ infrà scribuntur.

A *Emplastrum ex cadmia, ad cicatricem ducendam: hoc Lucius Cathegetes, id est præceptor usus est.*

Cadmiæ ustæ & uino extinctæ, chalcitidis tostæ, singulorum denarium pondo sexdecim. ceræ denarium pondo octoginta. picis colophoniacæ pondo uncias octo. uini Italici quod satis est. chalcitis & cadmia ex uino terantur, ut humidi cerati spissitudinem habeant: ceram & resinam perfractam in uas fictile immittito, atq; his olei myrtei pondo libram adijcito: deinde carbonibus superponito, mouẽs sine requie: cum soluta fuerint, ab igne tollito: ubi refrixerint, radito, leuigatisq; indito, ac mista excipito, in usu oleo myrteo subigito, temperatura dispositioni respondeat.

Aliud ex cadmia.

B Cadmiæ tostæ, chalcitidis tostæ, diphrygis, singulorum denarium pondo sexdecim. ceræ, resinæ frictæ, olei myrtei, singulorum pondo selibram. uini Italici quantum satis est. præpara quomodo dictum est, ac utitor nunc diluto, nunc mero pharmaco. Aliud, Argenti spumæ, cerussæ, cadmiæ, diphrygis, resinæ, singulorum denarium pondo octo. chalcitidis denarium pondo duum. ceræ denarium pondo octo. myrtei olei quod sufficit. uini aminæi quod satis est.

Aliud Euphranoris.

Diphrygis, misyos tosti, singulorum denarium pondo octo. chalcitidis tostæ, molybdenæ, singulorum denariũ pondo duum. cadmiæ denarij pondo unius. ceræ denarium pondo sex. colophoniæ C pondo uncias tres. myrtei libras tres. uini Italici quod satis est.

Aliud ex ladano accommodatum medicamentum, non solum cicatricem ducens, sed etiam callos excindens, & male curata instaurans.

Chalcitidis, argenti spumæ, ladani, singulorum denarium pondo uigintiquatuor. bituminis denarium pondo octo. ceræ denarium pondo septuaginta duum. myrtei heminã, alij drachmas decem & octo. uini heminam. præparato in modum prædictũ: cum res exigit, & splenio, & diluto utitor.

Aliud, Argenti spumæ denarium pondo centum. picis denarium pondo quinquaginta. ladani denarium pondo uigintiquinq;. æruginis rasæ, æris combusti, singulorum denarium pondo octo. D olei myrtei libras duas. æris squamæ denariũ pondo quatuor. conficito ac utitor.

Aliud quod Pyricauton dicitur, ex attalicis uirtutibus medicamentum accommodatum.

Olei heminam. aluminis fissi, mannæ, thuris, argenti spumæ, chalbani, singulorum denarij pondo unius. ceræ denarium pondo uigintiquatuor. anchusæ denariũ pondo octo. medullæ ceruinæ, adipis suillæ, æruginis, cerussæ, singulorum denarium pondo duum. ouorũ trium lutea. quæ liquari possunt, siccis immiscẽtur. Hoc pharmaco aliàs diluto, aliàs mero utitor.

Aliud medicamentum accommodatum: facit ad ulcera uetera, ac sanatu difficilia.

Cerussæ, argenti spumæ, aluminis fissi, mannæ, chalbani, thuris, medullæ ceruinę & uitulinæ, sin-

gulorum denarium pondo quatuor. ceræ, anchusæ, ouorum luteorum, singulorum denarium pondo octo. olei heminas quatuor. medullas diligenter tundito, & liquato cum his quæ liquefieri possunt, mouens anchusa, ex qua possint ea colorari, deinde ab igne sublata, & in aliud uas coniecta refrigerari sinito, derasa siccis immisceto, deinde in usum excipito.

Candidum quod magnum dicitur, medicamentum accommodatum: ualet & ad diuturna uulnera, & quæ uix cicatricem recipiunt: item scabiosos affectus: benefacit & sedis uitijs rosaceo dilutum.

Argenti spumę denarium pondo centum. ceræ denariū pondo quinquaginta. cerussæ denarium pondo centum. terebinthinę denarium pondo uigintiquinq;. thuris denariū pondo uigintiquinq;. aluminis fissi denarium pondo duodecim. olei heminas duas. Componito simili modo, & utitor interim emplastro, interim diluto medicamine.

Aliud cui nomen est Pamphilion, ad idem: insuper sinus conglutinat, & fistulis callum exterit. Valet ad ulcerum fluxiones, tum ad diuturna, & dysepulota, scabiemq; sanat, tollit sugillata, benefacit caput dolentibus; & oculorum epiphoris fronti impositum, nec minus sedi conuenit, dilutum rosaceo uel myrteo: cæterum in hunc modum componitur.

Argenti spumæ denarium pondo centum. ceræ denarium pondo quinquaginta. terebinthinę denarium pondo uigintiquinq;. thuris denariū pondo uigintiquinq;. cerussæ denarium pondo centum. aluminis fissi denarium pondo sedecim. piperis albi denarium pondo trium. olei ueteris heminas duas. Liquato ut dictum est, nunc diluto medicamine, nunc emplastri modo utens: nam in capitis manantibus ulceribus, quæ achores Græcis dicuntur, & oculorū asperitatibus, uel in ijs quas epinyctidas uocant, uel ani uitijs dilutū pharmacum myrteo, uel lentiscino illinitur.

Aliud Telamonis, pharmacum accommodatum. Facit & ad carbunculos: sinus exiccat immissum uel instillatum: ad hæc cicatricem probe inducit.

Pityinæ, ceræ, calcis uiuæ, argenti spumæ, singulorū denarium pondo quinquaginta. cerussæ denariū pondo uigintiquinq;. olei tres cyathos. Argenti spumam oleumq;, dum in unum coeant, incoquito, mox ceram, inde resinam. Porrò calci & cerussæ in leuore redactis liquabilia indito. Dum uteris, oleo cineri calido superposito, medicamen confringendo inijcito. Vbi incaluerit, mortario superfundito, & diligenter subigito, donec sordium spissitudo fiat. Ab igne deposito utitor tanquam maximo pharmaco, aliàs pennis illinens, aliàs instillans. Cæterum carbunculis uocatis, linteolo illitum adhibeto.

Aliud Moschionis, celebre ad quælibet à callo uindicanda, & cicatrice obducenda. Idem & sedi prodest insigniter.

Argenti spumæ, cerussæ, calcis uiuæ, singulorū denarium pondo octo. medullæ ceruinæ, ceræ, utriusq; denariū pondo sedecim. olei myrtei quantum satis est. Quę liquari possunt, aridis immiscentur, et mollita curiose in pastillos digeruntur: cum uti uoles, prius aqua uel lacte diluetur quantum lubet, ut sordium crassitudinē habeat. Deinde rosacei quod sufficit, immittitur, uel myrtei. Contu-

A sum diligenter in plumbeam pyxidem reponitur: usui est, quemadmodum prædiximus.

Epulotica Andromachi. 3

Cadmiæ pondo librā. chalcitidis ustæ pondo librā. ceræ pondo librā. resinæ aridæ pondo lib. iij. myrtei pondo libras tres. uinū siccis immiscetur.

Aliud ex ladano.

Argenti spumæ denarium pondo quadraginta. ladani denarium pondo trigintaduum. chalcāthi denarium pōdo octo. aluminis scissilis denarium pondo duodecim. cerę denarium pondo centum. squamæ denarium pondo octo. bituminis denarium pondo trigintaduum. myrtei quartam heminæ partem. Vinum falernum siccis adijcitur.

Aliter ut Alcimion, quod præparaui.

B Ladani denarium pondo octo. œsypi denarium pondo quatuor. propoleos denarium pōdo octo. bituminis denarium pondo octo. argenti spumæ denarium pondo quatuor. æris squamę denarium pondo quatuor. misyos crudi denariū pondo quatuor. ceræ denarium pondo uigintiquatuor. myrtei octauam minæ portionem.

Aliud ex hordeis.

Cerussæ denarium pondo quinquaginta. argenti spumæ denarium pondo quinquaginta. hordei combusti non triti sextarium. ceræ denarium pondo quinquaginta. olei sextarium. postremum hordeum adijcitur.

Aliud ad ducendam cicatricem.

Cadmiæ pondo uncias duas, chalcitidis, ceræ, C terebinthinę, singulorum pondo uncias quatuor. œsypi pondo unciam. myrti pondo uncias quatuor. chalcāthi pondo uncias quatuor. uinum siccis affunditur.

Aliud ad idem.

Resinæ aridæ denarium pondo xviij. diphrygis denariū pondo iiij. argenti spumæ denarium pondo sedecim. ceræ denarium pondo decem. olei heminas quatuor. Post hæc Andromachus alia emplastra sex percensuit cicatricem ægre ducētibus accommoda, quæ sane hic nunc adscribere uisum non est. Dicentur enim simul cum illis quæ ulcera curatu difficilia sanant, in quarto huius operis uolumine. Cum autem Andromachus ibidem ante prædicta modo epulotica alia quędam tradiderit, D non prępones, quod apertis ulceribus cicatricem inducerent, præsertim in pueris, mulieribus, & eunuchis, summatim in omnibus qui tenerā habent carnem, statui hæc quoq; huc adijcere: titulum ipsis à colore Andromachus indidit, ut qui de ijs in hunc modum ad uerbum scripserit.

Candida Andromachi epulotica. Album quo utor.

Argenti spumæ pondo minam. cerussæ tantundem. ceræ, resinæ, singulorum quatuor. olei heminas tres. aquæ heminam. Aliud, Argenti spumæ denarium pondo centū sexaginta. cerussæ denarium pondo ducentorum. ceræ drachmas quinquaginta. terebinthinæ denarium pondo uigintiquatuor. olei ueteris heminæ dimidium. aquæ cyathos sex. Aliud, Argenti spumæ denariū pondo centum. cerussæ, ceræ, singulorum denarium

pondo

pondo quinquaginta.terebinthinæ denariũ pondo uigintiquinque. aluminis fissi denarium põdo sex.piperis albi denarium pondo trium. orcheos herbę denarium pondo octo.olei ueteris cyathos duos.aliter denariũ pondo duum. aquæ heminas duas. Aliud, Argenti spumæ denarium pondo uigintiquinq;.ceræ denarium pondo quinquagintaseptem. adipis suilli denarium pondo trigintaseptem.myrrhæ denarium pondo duum.ouorũ coctorum uitellos quatuor.alij crudorum.

Medicamen Virtus appellatum.

Strigmenti puri heminas duodecim.argẽti spumæ pondo minas tres. squamæ denarium pondo sex.alij denarium pondo sedecim.resinæ colophoniæ pondo minas sex. alij denarium pondo quinquaginta.ceræ pondo minam.quidam minas quadragintaquinq;.marinæ aquæ heminas tres.

Andromachi panacea,id est uniuersale remedium.

Argenti spumæ denarium pondo centum quinquaginta.ceræ denarium pondo quadraginta. terebinthinæ denarium põdo quinquagintatrium. aquæ marinæ ueteris heminas duas.strigmenti heminas sex.squamæ denarium pondo sedecim. ricini heminas duas. cerussæ denariũ pondo octoginta.guttę ammoniaci denarium pondo uigintiquatuor.seui uitulini denarium pondo octoginta. calcis uiuæ denarium pondo xxiiij. aristolochiæ denariũ pondo uigintiquinq;.Coquito ut didicisti.

Candidum Telephanis.

Argenti spumæ denarium pondo octoginta.cerussæ denarium pondo centũ uiginti. myrrhæ denarium pondo trium.obolos duos.sagapeni denarium pondo quinq;.thuris denarium pondo sex. obolos quatuor.olei heminas duas s.omnia simul incoquito. Aliud, Ceræ candidæ pondo librã. myrrhę pondo unciam.thuris tantundẽ.medullæ ceruinæ pondo uncias duas.adipis hyænæ pondo uncias duas.coaguli cerui uel hœdi pondo uncias duas.nitri pondo uncias duas.chalbani pondo unciam.guttæ ammoniaci pondo uncias quatuor.argenti spumæ librã s.cerussæ denarium pondo sex. olei ueteris heminã s. marinæ aquæ tres cyathos. Cauniace dicitur. Aliud, Argenti spumę denarium pondo ducentorũ.cerę denariũ pondo quinquagintaduum. olei heminas tres. cerussæ denarium pondo octoginta.terebinthinę denariũ pondo trigintaduum.buccinorũ cineris denariũ pondo decem.thuris denarium pondo nouemdecim. aquæ sextarium. Aliud, Adipis suilli recentis pondo octogintaocto.ceræ candidę denariũ pondo quadragintaocto.cerussę denariũ pondo duodecim.argenti spumæ denariũ pondo duodecim. facit ad herpetas,carbunculos,condylomata,rhagadas:phlegmonem prorsus arcet,ut Heras Cappadox meminit.In hoc igitur recte fecit, q̃ nõ simpliciter ceræ scripserit,sed candidæ adiecerit:nam sic fieri possit,uti uult colore candidũ.Post hęc autem aliud cõmemorans, neq; ceræ, neq; uini candorẽ apposuit,sed nos adiũgere oportet, si emplastrũ candidũ reddere statuimus. Porrò cõpositio eius his uerbis ab ipso Andromacho tradita est.

Aliud ex uino, Publij.

A Cadmiæ pondo libram uncias nouem. argenti spumæ pondo libras duas.cerussæ tantundem.uini græci sextarios duos.rosacei pondo libras quinque.ceræ põdo libras tres.oua cruda numero duodecim. thuris pondo uncias tres. hæc incoquito. Candidorum emplastrorũ coquendi rationes, in priori cõmentario percensui, simulq; methodum non coquendi modo,sed etiam eorum cõpositionis ostendi.Et fortasse nihil amplius eiusmodi emplastrorum doctrinæ adijciendum restat:sed quia hic liber non solum de carnẽ generantibus emplastris, quæ quidẽ ut plurimũ uiridia sunt, uerũ etiã de glutinantiũ,& epuloticorũ omnium ratione egit,quæ ulcera malignitate carẽtia cicatrice obdu-
B cunt,quoniãq; melina ac gilua percurri, ideo candida quoq; emplastra, quorũ in illo libro mentionem nullam fecimus, in hoc producere uisum est. Cæterum ut nihil præsenti cõmentario desit,non pigebit adijcere emplastra,quæ ab ipsis cephalica & catagmatica, id est capiti fracturisq; medentia nominantur,& magna uulnera,sinusq; glutinant: cum uero diluta fuerint, linamentis excipiuntur, & fiunt sarcotica,id est carnem progignentia.

De catagmaticis & cephalicis, id est ad fracturas & caput accommodatis emplastris. Cap. IX

Qui plurima ac optima pharmaca prodiderunt (antea omes nominatim citauimus)genus quoddam emplastrorum cephalicum et catagmaticum uocant,à caluarię fracturis potissimũ nomen eius
C imponentes. Sunt autem talia abstergendi, digerendi, & siccandi potestate prædita. Pleriq; paululum ex astringẽtibus pharmacis eis admiscuerũt, idq; duplicis usus gratia, sicut diximus, nempe ut id quod affectis partibus influit, repelleretur, & abstergentium facultatem in profundum usq; deduceret.Porrò docuimus nos antea,nisi astringentia elaborentur, tritura quoadusq; in puluerẽ redigantur,noxam magis quàm præsidium esse allatura ijs,quæ trahẽdi uim obtinent. At optime elaborari ostendimus ea,si ex aceto acri leuia fiant.Itaq; huiusmodi pharmacorum seriem ab ijs quę Asclepiades tradidit,iam auspicabimur.

De emplastris ad fracturas idoneis ab Asclepiade traditis. 2

Primum in tertio Extrariorum medicamento-
D rum his uerbis perscripsit.

Nigrum ἄριστον,id est optimum catagmaticum.

Hoc pharmaco in fracturis cum multa innatent ossa,omnesq; innatantia tollere adhortentur,simile quid incredibili ἄριστον perfecit: nam fluitantia & ab alijs ossib. separata ita copulauit,ut alijs conferruminauerit.Hæc recepit. Argenti spumæ,bituminis,singulorũ denarium pondo ducẽtorum. picis aridæ,ceræ, singulorũ denarium pondo centum.resinæ terebinthinæ,denariorũ pondo quinquaginta. aluminis scissilis, propoleos, singulorũ denarium pondo triginta.guttæ ammoniaci denarium pondo uigintiquatuor. æruginis denarium pondo decem. olei sextarios quatuor. præparato ut prædictum est. Alia præposito generi similia in eodẽ libro Asclepiades conscripsit in hæc uerba.

Aliud Pithionis ad fracturas, quo Helenus usus est.

Valet etiam ad uulnera ex ictu, cum auferre uoles, spōgia calida madefacta splenium relaxare oportet: nam medicamentum ualde glutinat: bene facit idem ad strumas & fistulas: in sinibus autē & fistulis splenium excindere conuenit, hoc est in orificio, ut humor, qui excernit, locū habeat. Item simul cum medicamento lauandum est: præparatur hoc pacto. Bituminis iudaici pōdo libras quinque, uncias quatuor. picis brutiæ siccæ pares portiones. resinæ frictæ pondo libras octo. ceræ pondo libras quatuor. thuris libras quatuor. squamæ rubrę pondo libram, unc. iiij. olei per æstatem pondo libram. hyeme pondo libras s. aceti heminam. Quæ liquari possunt, liquefacito: thus & squamā ex aceto trita reliquis admisceto, attendens ne ebulliant, mouensq́ in mortarium demittito, contusa & subacta excipito, ac utitor. In alio exemplari squamæ rubræ pondo libram s. offendi. Liquet aũt efficacius esse, ꝙ copiosiorē squamā receperit.

3 Moschionis pharmacum ad fracturas, recentia uulnera, & neruos præcisos accōmodatū: item ad diuisa cum contusione: benefacit etiam fracturis cum uulnere: etenim uulneribus succurrit, & ossa cum deligatura conuenienti impositū ad callum perducit, nec minus incipiētibus hydropicis, & testium contusionibus prodest: eminentias circa anum reprimit, & rhagadas butyro dilutum sanat, Facit et ad gutturis tumores, quos Greci brōchocelas appellāt, dissoluit omnē duriciā: insuper ualet ad luxatū & peruersum articulamentū, itidē ad callosos excessus in manibus pedibusq́, quos clauos appellamus, ita ualet, ut sine exulceratione auferat. In summa pharmacum est longe utilissimū. Hoc modo cōficitur. Argenti spumæ pondo minā. Mina uero in hoc pharmaco habet denarios centū sexaginta. picis denariū pondo centum sexaginta. seui uitulini denariū pondo centū sexaginta. resinæ terebinthinæ denariū pōdo octoginta. mannæ thuris denariū pondo octoginta. ceræ denariū pondo quadraginta. æruginis denarium pondo octo. opopanacis denariū pōdo octo. chalbani denariū pondo octo. olei cicini heminā. aceti tantundē. liquoris sycamini heminā. picis liquidæ heminæ dimidiū. Argenti spuma leuissima & cicinum oleum in uas fictile aut ęneum iniecta, & super ignē posita incoquunt. Posteaꝗ ebullierint, seuū & manna thuris adduntur, mouenturq́ continue, cum coiuerint, pix, cera, resina admiscētur, & coctis quoadusq́ nō polluant, chalbanū aspergitur: deinde ærugo & opopanax ex aceto resoluta: liquor uero sycomori, & pix liquida in alterum uas transfusa coquunt: ubi coiuerint, priori pharmaco admiscētur. rursusq́ supra ignem posita, usquedum non inquinent, coquunt, & in uinū demersa relinquuntur triduū, inde subactis utimur, in linteolū illinentes. Oportet autē, dum medicamentū imponitur, uittā respersam uino exprimere, & tunc pharmaco circūdare. Quemadmodum uero Lucius præceptor noster præparauit, ita habet. Adeps & oleū prius liquant, ubi dissoluta fue-

A rint, manna thuris leuissima, & argenti spuma inspergitur, his in unum coactis, sequentia facimus. Atq́ tum in hoc pharmaco, tum in eo quod proxime subscribitur, minā denarijs centū sexaginta ualere ait. Vnde clarū est Alexandrię minā ipsum intelligere, quæ uncias uiginti pendet, & singulæ unciæ denarios octo habent. Sic enim accidet minam centum sexaginta denarios continere.

Aliud Claudij Philoxeni Apelum id est ulcerarium inscriptum, ad cruenta & fracturas: facit etiam ad prædicta uitia.

Argenti spumæ mina, quæ ualet drachmas centumsexaginta. seui uitulini drach. centūsexaginta. thuris drac. lxxx. opopanacis drac. xl. resinæ terebinthinæ drac. lxxx. ceræ drac. xl. æruginis, aluminis scissilis, chrysocollæ, chalbani, singulorū drac.
B xij. olei cicini heminam. aceti quantū sit satis. postremū thus, & æruginem, & opopanacem, & alumen, & chrysocollam, & id genus reliqua prius aceto dissoluta, & curiose leuigata inijcito. In alia scriptura sic habet, Argenti spumæ drac. clx. picis drach. centumsexaginta. seui uitulini drac. clx. resinæ terebinthinę drachmas octoginta. mannæ thuris drach. octoginta. ceræ drach. quadraginta. opopanacis, æruginis rasæ, utriusque drach. sedecim. chrysocollæ, aluminis scissilis utriusq́ drach. duodecim. guttæ ammoniaci drach. sex. ciceos heminam. aceti tantundē. ut catagmatica componito.

Oenanthe catagmaticum accōmodatum pharmacum ad idem.

Argenti spumæ denariū pondo centumsexaginta. picis uinariæ denariū pondo centumsexaginta.
C hanc ex Italicis dolijs defluentē capimus: resinæ terebinthinæ denarium pondo octoginta. thuris denarium pondo octoginta. seui uitulini elaborati denarium pondo octoginta. medullæ ceruinę elaboratæ denarium pondo octoginta. œnanthæ siccæ, symphyti radicis, centaurij comæ, singulorum pondo libram. æruginis rasæ, opopanacis singulorum denarium pondo octo. papaueris succi, myrrhæ, aloes, chalbani, singulorum denariū pondo octo. aceti heminas iij. olei cicini heminā. symphyton, œnanthen, centaurion, non minutim contusa, ac in acetum iniecta ad tertias coquimus, & humore expresso ad pharmaci confecturam utimur. Prodest medicamentū etiā podagricis. Alibi sic scriptum est. Argenti spumæ, picis uinariæ, sin-
D gulorū denariorū pondo centūsexaginta. medullæ ceruinæ, resinæ terebinthinæ, seui uitulini, thuris, symphyti radicis, succi sycamini, singulorū denarium pondo octoginta. œnanthæ aridæ, centaurij, singulorum pondo. cerę denarium pondo quadraginta. æruginis, opopanacis, styracis, papaueris succi, mandragorę succi, myrrhæ, aloes, chalbani, chrysocollę, aluminis fissi, singulorū denarium pondo duodecim. aceti sextarios tres. olei cicini libram. Præparato quemadmodum prędiximus, & in uinum Italicum demergito ut in catagmatico Moschionis fecimus.

De emplastris quæ proprie Cephalica nominantur. 4

Capitis fracturarum, quę ad crassę membranę duplicaturam usque peruenere, emplastra cephalica dici cōsueuerunt. Eorum uirtus est, ut ossium

squamas

squamas sursum attrahant & ramenta disparata educant, tum circa caput, tum circa reliqua corporis ossa. Nonnulli cōmuni genere hæc etiam uocant catagmatica, proprie uero nuncupatis fortiora sunt: Siquidē catagmatica ab eis dicta, purgandi, siccandiq; facultatem habent: hæc autem acrimoniam etiam quandam sortita sunt, ut ex alto in superficiem extimam non ossa modo, sed his multo magis quoq; humorem crassum aliquem, & uiscosum, uel omnino deprauatum attrahāt. Meminit huiusmodi emplastrorum Asclepiades in tertio libro De exteriorum medicamentis, quæ sanè in quarto huius operis libro tractamus. Quoniam uero ad cacoethe ulcera, & chironia quędam ipsorum cōuenire dixit, tum quòd ad Deileontem autorem refert cephalicum: tum hoc sequens ex nigro uiride cephalicum, tum post hæc Philotæ cephalicum, tum deinde Isin, quod & ipsum cephalicum appellat: aliaq; nōnulla huiusmodi, huius generis esse putandum est, ideo nunc quoq; ipsa non apposui, sed ad catagmatica & cephalica ab alijs medicis memorię mandata transgrediar, ubi generalem utriusq; potentiam exposuerim. Quæ uero & antea, & in hoc libro protulimus, & in opere De simplicium medicamentorum facultate in memoriam reducentes cognoscere uos expedit, cephalica catagmaticis esse ualentiora, eoq; cum cerato carnem producere natura sunt apta. Quapropter & sarcoticis alio quodammodo genere similia sunt. Nam ubi ex cerato uim remiserint, sarcotica fiunt, quæ linamentis excipiunt: adiecto uidelicet interim oleo, aliàs rosaceo, nōnunquam alio quodam huiusmodi.

De quibus Heras catagmaticis & cephalicis scripserit.

Primum id genus emplastrorum Isin uocatum, Heras scripsit, medicamentum ad satis multa idoneum: deinde quod ex herbis appellant, quod & ipsum multiplicis esse usus, attestatur id nempe quòd cephalicum existat. Quin & quod confectum ex scylla scriptum deinceps est, cum multi satis usus pharmacum existat, idem pollicetur. Insuper post hæc omnia, aliud emplastrum manifesto his uerbis exposuit.

Aliud Cephalicum.

Ad capitis fracturas facit, ossa facile reducit, & squamas separat, reliquaq; omnia facit, quæ & ante ipsum pastillus. Squamę æris rubri denarium pondo uigintiquinque. aluminis denarium pondo uiginti. aristolochiæ dactylitidis denarium pō do uiginti. guttæ ammoniaci denarium pondo uigintiquinq;. thuris denarium pondo uigintiquinque. myrrhæ denarium pondo duodecim. seui taurini pondo libras quatuor. ceræ libras quatuor. terebinthinæ pondo libras quatuor. pityinæ siccæ pondo libras quatuor. olei heminam. aceti quantum satis est. Sicca ad leuorem terito. quot sufficiat diebus, sub æstu caniculæ, ammoniacum madefactum prius aceto infundito: demum quæ liquari possunt rasa. ac in unum coactis utitor. In quibusdam exemplaribus ascriptum est, olei ueteris. At cum hoc ipsum emplastrum dixerit efficere, quæ

A & ante ipsum pastillus: uisum mihi est illius quoq; compositionem subscribere, quæ secundum Heræ ipsius uerba ita habet.

Pastillus Cephalicus triplici mistura constans.

Facit ad capitis fracturas, item ad phymata, fistulas, podagras, callos, coxendices. Terræ eretriadis pondo minas duodecim. squamę æris rubri pō do minas quatuor. ichthyocollę ponticę pōdo minas quatuor. eretria & squama seorsum teruntur, deinde simul acetū acre affunditur, ut mellis crassitudinem habeant, & leuigantur: resiccatis acetum rursus admouetur. hoc fit diebus uiginti sub caniculæ æstibus: post ichthyocolla ex aceti hemina confringitur, & lento igne liquatur, mox terra squamaq; additur, quæ in uas æris rubri coniecta,
B soli octo diebus exponuntur, bis quotidie mouentur, donec coiuerint: post hæc exempta paulatim in mortario conteruntur aceto affuso, usquedum cōstiterint: inde pastilli finguntur, & collyria, tum longitudine, tum crassitie inæqualia & refrigerata reponuntur. In usu ad unam medicamenti partem ex aceto leuissimam factā, tres cerati rosacei portiones admisceto, utitor platysmate primū: mox splenio in capitis fractura, desuper lanis succidis ex aceto adiectis. Porrò collyrio fistulis imposito splenium ex hoc cum cerato superdandum est.

Aliud ad multa ualens.

Posuit aliud quoq; multiplicis usus emplastrum, ad fracturas quoq; conueniens, de quo sic ad uerbum inquit. Emplastrum ad fracturas artuū cum
C uulnere, & sine uulnere, item ad male curata, & sinus. Picis aridæ pondo minam. argenti spumæ tantundem. mannæ eius dimidium. seui uitulini pondo minam. ceræ tyrrrhenicæ pōdo minæ quartam partem. opopanacis denariū pōdo octo. æruginis rasæ pondo minæ decimā sextam partem. æris cyprij decimam sextam minæ portionem. chalbani denarij pondo unius. terebinthinę minæ dimidiū. ricinini, uel olei ueteris heminā. aceti heminæ tertiam partem. Argenti spumam, oleum & seuū lento igne incoquito: ubi colorē mutauerint, picem, resinam, chalbanum adijcito, postea coquito donec coeant, & tunc subtracto igne sinens paululū refrigerari, mannā: mox opopanacem, & æruginem ex aceto tritam in ollam fundito, ac ubi tantil-
D lum incoxeris, dū bene habet, tollito. utimur hac compositione, frigidam affundētes æstate, hyeme congelationem adimentes. Cæterum ubi medicamentū tenerius facere animus est, uel ut os maturius abscedat, medulla cerui ipsum diluimus. Iā uero in hoc pharmaco Heras minam sedecim unc. esse uelle planè ostenditur. aliàs enim decimamsextam minæ partē nō scripsisset. Aliud, Huic deinceps aliud ad eadē hisce uerbis Heras subdidit.

Emplastrum phlegmonas arcens.

Ad puncturas neruorum, ac fracturas. Hoc frequenter et ad articulos luxatos ipso die usi sumus, tum in fracturis, item in cōtorsione tali, uel genu. discutit humores incoctos circa genua summa se attollētes: pręsertim si partes affectę duob. uel tribus diebus ante, erui farina oxymelite madefacta

illita sint. Summatim ad omnem cõuulsionem, & rupturam ualet: nam mirifice phlegmonem arcet. Argenti spumæ denarium pondo uigintiquinq;. bituminis aridi denarium põdo centum. picis aridæ denarium põdo quinquaginta. ceræ denarium põdo quinquaginta. resinæ pityinæ denarium põdo uigintiquinq;. guttæ ammoniaci denarium põdo quindecim. aluminis fissi denarium põdo quindecim. æruginis denarium põdo quindecim. propoleos denarium pondo quindecim. olei ueteris libras tres. Argenti spuma cum oleo coquitur, & ubi confluere cœperint, bitumen adijcitur: usque dum probe liquefactum fuerit incoquitur (liquatur enim pedetentim) dein pix, postea resina, cera, ammoniacum, propolis adduntur: singula autem adhibe cõtorquendo ignemq; subtrahendo, quibus sic spissatis, ut non amplius inquinent, æruginem, ac scissile alumen adiungito, tum feruore remisso, in ollam in qua frigida sit transfundito. Hoc, postquã fractura reliqua callum cepit frustulis plurib. innatãtibus, usi sumus: idq; paucis diebus eo rem perduxit, ut callus etiamdum frustula comprehenderet. Valde est in multis usui. Inde aliud quoq; deinceps eiusdem generis cum prædictis emplastris in hunc modum Heras recensuit.

Emplastrum ad fracturas, & ad hydropicos.

Picis aridæ pondo minam. picis liquidæ heminæ dimidium. liquoris sycomori heminam. argenti spumæ pondo minam. thuris põdo minam. chalbani denarium pondo viij. terebinthinæ minæ dimidium. adipis uitulinæ pondo minam. ceræ pondo minam. opopanacis denarium pondo viij. æruginis rasæ denarium pondo viij. ricinini non adulterati heminas quatuor. aceti acris heminam. Argenti spuma, & thus cum ricinino, & seuo leniter incoquuntur: deinde pix adijcitur, cera, resina, chalbanum purgatũ & pauco aceto dilutum. Reliqui aceti tertia pars ærugini, duæ opopanaci admiscentur, & hæc immittuntur. In alia autem ollula, picis liquidæ, sycomori liquoris & ricinini pars octaua, ne ærugo compingatur, deinde mediocriter coquuntur, ut unitas fiat: cum bene habere uidebitur, in uino reponitur pharmacũ. Hoc multis hydropicis succurrimus, inijcientes ipsum, ac moroso minus uictu egentes, solumq; ut bene concoquerent prouidentes. Cum uero profecisse se multum ægri sentiunt, descendimus ad emplastrum ei subiunctum, quod ex salibus dicitur.

Catagmaticum Andromachi. 6

Primũ Catagmaticũ Andromachus ita scripsit.

Catagmaticum quo continue utor.

Argenti spumæ pondo minam. picis pondo minam. ceræ pondo minam. seui taurini pondo minam. thuris pondo minam. picis liquidæ heminæ dimidium. liquoris sicamini heminam. terebinthinæ pondo minam. opopanacis denarium pondo octo. chalbani denarium pondo octo. æruginis denarium pondo octo. ricinini heminam. nonnulli etiam butyri pondo minam addunt. guttæ ammoniaci denariũ põdo xxv. ex uino austero diluitur. mox, post hoc aliud hac sententia scribit.

A *Aliud catagmaticum.*

Argenti spumam pondo minam. ceræ minæ dimidium. alij quartam partem. picis pondo minam. terebinthinæ pondo minam s. seui uitulini pondo minam. opopanacis denarium pondo octo. æruginis denarium pondo octo. chalbani denarium põdo viij. alij sex. ricinini heminam. aceti tantundem. Gallus iniecit scissilis denarium pondo xij. chrysocollæ denarium pondo xij. Aliud superioribus catagmaticum hoc modo Andromachus subnectit.

Nigrum catagmaticum.

Argenti spumę denarium pondo ducentorum. bituminis denarium pondo ducentorum. picis denarium pondo centum. ceræ denarium põdo centum. scissilis denarium pondo triginta. propoleos denarium põdo triginta. terebinthinæ denarium pondo quinquaginta. guttæ ammoniaci denariũ pondo uigintiquatuor. æruginis rasæ denariũ põdo decem. olei sextar. iiij. alij duos adijciunt. Veteres etiam lapidis pyritæ denarium pondo sexaginta. Hæc igit ab Andromacho ordine scripta sunt: seorsim uero, inter uiridia postremo emplastrum quoddam his uerbis expressum inuenio.

Aliud uiride Cephalicum ex collectaneis Aphrodæ.

Squamæ denarium pondo quadraginta. terræ eretriadis denarium pondo uiginti. aristolochiæ denarium põdo triginta. ichthyocollæ denarium pondo sedecim. salis ammoniaci denarium pondo duodecim. misyos denarium põdo duodecim. myrrhæ denarium pondo duodecim. thuris denarium pondo triginta sex. æris usti denarium pondo sedecim. aluminis fissi denarium pondo duodecim. rotundi denarium põdo sedecim. bryoniæ denarium pondo duodecim. chamæleontis nigri denarium põdo duodecim. resinæ ustæ denarium pondo octodecim. guttæ ammoniaci denarium pondo octodecim. argenti spumæ denarium pondo duodecim. illyridis denariũ pondo duodecim. chalcanthi denarium põdo duodecim. fellis taurini tres cyathos. aceti cõgium. Sub Caniculæ æstu pastillos fingito, qui singuli denarios quatuor pẽdant, ceræ quartam partẽ, misceto aceti heminas sex. olei tantundem.

De emplastris glutinantibus. Cap. X

Quidam hæc sanguinaria & uulneraria, id est cruentis & uulneribus adhibenda nuncupant. Opus eorum est coniungere diuisas partes, & cõglutinare, ut in pristinam unitatem particula reducatur. Verum non modo cruenta protinus glutinantur, ubi sanguinem ex diuersione profluentem adhuc spongia deterserimus, deinde suturis aut fibulis coarctauerimus: sed etiã sinus ueteres, cum ab omni inflammatione immunes, & puros medicamentis appositis effecerimus, committuntur, coeuntq;. Dictum est in Therapeutices methodi libris, medicamentũ primario, atq; ex sese, sordis detersorium appellari, secundaria uero ratione carnem producens & glutinans. Non enim tanquam ipsum carnẽ generet aut uniat, neq; tanq; hæc naturæ solius opera non sint, sed quòd talibus impositis

stis medicamentis ulcera carne replentur ac coeunt, appellationẽ hanc sortita sunt. Opus ipsorum proprium est, affectam partem recremẽtis uacuare, ne uidelicet sanies carnis generationem, glutinationemq; impediat. Indicatum porrò est, glutinatoria carne explentibus esse sicciora: item quæ carne explent detergendi uim omnis rosionis seu morsus expertem referre. Glutinantibus autẽ non abstersorijs prorsus, uerum desiccantibus solum esse licet. At cum cicatricem quoq; ducentia pharmaca multo his (prꝫterq; ꝙ abunde astringũt) sicciora sint, statuamus demum, & quæ glutinant & quæ cõiungunt, moderatius istis exiccare. finis autem glutinantium est, nullam inter coitura subnasci humiditatem permittere. cicatricem uero contrahentium non hanc tantum impedire, sed etiam B nunc consistentem in alijs quꝫ mox cicatricem ducent cõsumere: adhæc callum obducere, & astringendo indurare. Quæ carne implent, sanguinem ad refectionem idoneum, tum pro quãtitate tum pro qualitate tuentur: ac tantum talemq;, quanto natura & quali ad carnis generationẽ indiget. Cæterum mordicationis prorsus expers medicamen purum ulcus seruat, si quidem tale acceperit: si uero sordidum, necesse est tantum pro sua ipsius potestate detergẽs sit, quantum crassitudinis sordes habuerit: quinetiam carnem recens iunctam mordere & exedere debebit. Vnde palàm colligitur id, cum tale existat, ulceri carnem nõ esse inducturum, nec cauitatem carnis repleturum, sed ꝙ potius colliquabit imminuetq;. Atque huius rei causa C medicamentũ quod sordibus copiosis repurgandis est, quo de antea dixi, non semper carnem potest gignere, nisi uel ex uberiore oleo, uel rosaceo liquatum, sicut quod oleosum & quod ex charta inscribitur, detersionis uehementiã remittat, uel ex cerati mistura rosionem deponat. Huiusmodi sunt plures multiplicis usus uires, quẽadmodum Machærionis emplastrũ, & Isis. Scopus igitur singulorũ id genus in Therapeuticæ methodi libris declaratus est: Simplex facultatum materia in alio opere priori, Composita in præsenti tractatur. Ac primum sanè in eo meminisse oportet naturæ corporũ quæ curanda susceperis. Nam humida, eoq; mollia, quemadmodum mulierum, puerorum, eunuchorum, & qui muliebriter degunt, imbecillio D ribus medicamentis indigent: uirorũ corpora, potissimũ qui ex uirilibus munijs & sole durum corporis habitum conciliarunt, ab imbecillibus nihil præsidij sentiũt. Quapropter nec glutinantia utrorumq; corporum cõmunia sunt, sed quæ ex argenti spuma oleo & aceto prꝫparantur (in priori libro de ipsis egimus) imbecillã mollemq; carnem glutinant. Quæ bitumine, ærugine, squama, aloe, & myrrha constant: robustam & duram. Itaq; bitumen ipsum per se in harum uirtutum scopo continetur. at nulla ratione solum ex oleo liquatum usurpare poteris, ut quod friabilius sit, quàm medicamento emplastri forma faciendo coueniat. Vt igitur emplastrum fiat, ceram & resinam ei admiscemus, à quibus denuo uirtutem eius solutam iri

A scientes, interdum æs, uel eius squamam, sæpe aloen uel myrrham, uel in summa siccans aliquod medicamentum non inepte adijcimus.

Ex bitumine Barbara.

2 Prima hic quoq; ab Andromacho scripta apponam ipsis illius uerbis.

Barbarum, quo utor.

Ceræ, picis, resinæ, bituminis, singulorum denarium pondo ducentorum. thuris drach. xxiiij. olei heminam. Aliud, Picis pondo lib. ij. bituminis, ceræ, singulorum pondo libram. guttꝫ ammoniaci, mannæ, singulorũ pondo unc. sex. cerussæ pondo unc. iij. olei heminæ dimidium. aceti heminas quatuor. hoc Aphrodas admiratus est.

Aliud nigrum.

Picis aridæ, resinæ aridæ, bituminis, singulorũ pondo libram. cerussæ pondo unc. vi. mannæ, atramenti sutorij, æruginis rasæ, singulorũ pondo unc. iij. olei heminæ dimidium. aceti tantundem.

Aliud ex emplastris Galli.

Seui caprini denarium pondo triginta. æruginis denarium pondo octo. ceræ denarium pondo quinquaginta. aristolochiæ, bituminis, picis, singulorum denarium pondo uigintiquinque. guttꝫ ammoniaci denarium pondo duodecim. chalbani denarium pondo duodecim s. silphij denarium pondo octo, mannæ denarium pondo duodecim. præparato.

Aliud, quod inuictum dicitur.

Ceræ denariũ põdo centũ. sæui taurini denariũ pondo xxx. bituminis denarium põdo xxv. picis denarium pondo uigintiquinq;. terebinthinæ denarium pondo uigintiquinq;. nitri denarium pondo uigintiduum s. aristolochiæ denarium pondo duodecim. chalbani denariũ pondo viij. myrrhæ denariũ põdo xviij. thuris denariũ pondo xij s. ammoniaci denariũ pondo viij. amomi drac. viij. cardamomi denarium pondo xij. opopanacis denarium põdo octo. medullæ ceruinæ denarium pondo quindecim. æruginis denarium pondo duodecim. aloes denarium põdo octo. bdellij denarium pondo sedecim. olei heminas duas. ego uero adieci propoleos denarium pondo duodecim.

Aliud quod cruentis uulneribus imponitur, Iuliani.

Argenti spumæ, bituminis, ceræ, picis brutiæ, singulorum denarium pondo quinquaginta. resinæ frictæ denarium pondo quindecim. æris squamæ denarium pondo duodecim. thuris denarium pondo quatuordecim. chalbani denarium pondo octo. chalcitidis denarium pondo quatuor. aloes denarium pondo sex. gallæ denarium pondo quatuor. myrrhæ denarium pondo quatuor. aristolochiæ longæ denarium pondo sex. aristolochiæ rotundæ denarium pondo quatuor. olei ueteris heminas quatuor. nos olei heminas tres.

3 Quod Heras conscripsit barbarũ, sic habet.

Nigrum emplastrum.

Ad cruenta uulnera, ad diuisiones notatu dignas, maxime capitis: ad fistulas, sinus, fracturas. Conuenit etiam hepaticis & lienosis: citra inflammationem glutinat, benefacit etiam neruis, cartilagini

laginibus, & ossibus præcisis. Cohibet etiam mirifice sanguinem erumpentem. Insuper ualet ad tubos & sinus, glutinat enim insigniter. Item in abscessibus humore ablato hoc imponit. Est etiam ad sanguinem cohibendum præstantissimum, præsertim in iis qui sanguinem reiiciunt: duo uero in pelles illita, unum pectori & lateribus imponito, alterum dorso; præter opinionem sanguinē sistit. ualet insuper ad canum hominumq; morsus: in totum phlegmonem arcet. Idem ea quæ uulneribus adhibentur superat, ut experientia indicauit. Hyeme diebus septem soluitur, per æstatem quinq;, si uero necessitas urgeat, tribus. Ceræ, picis, bituminis, pityinæ singulorum pondo libram, mannæ pondo uncias sex. cerussæ pondo uncias quatuor. chalcâti pondo uncias quatuor. opopanacis pondo unc. ij. olei semunciam, alij selibram. aceti heminas duas. Ceram, bitumen, oleum, acetum paululum relinquens, in olla recenti liquato: deinde picem & resinā adiicito, in minima frusta diligenter contusa. Vbi semicoctū fuerit, tollito ollam, & aliquamdiu refrigerato: & percolatis, atramentū sutorium aceto ex duabus heminis restāte tritū paulatim inspergito, ne efferuescat: quando autem effundis, leuiter ignem subministrato mouens: cum nō inquinat, cacabum deponito: opopanacem in reliqui aceti parte pridie madefactū infundito, ut dissoluat: mox cerussam mannāq; unà pariter trita inspergito: & paululum tepefaciēs, ut in unum coeant: obserua ne opopanax, & manna adurantur. refusa in mortariū, ibi refrigerari sinito: ac rursus subacta reponito, atq; utitor. Porrò manifestū est etiam alia barbara, quæ tum Andromachus, tum reliqui tradiderunt, eodem modo confici oportere. Quidam opopanacem cacabo non iniiciunt, sed leui ex aceto facto liquata in mortario superfundunt. Cum eo nōnulli miscent mannam & cerussam, quemadmodū ego quoq; sæpius feci in mortario terens ex aceto, & quæ liquari possunt, liquefacta infundens. Subinde uero atramentū sutorium duntaxat cum opopanace leue factum cacabo indidi: mannam cerussamq; inspergens.

Aliud barbarum, Heræ. 4

Heras soli huic præscripsit, barbarum: ego uero antecedens etiam simpliciter appellaui, & si ni

A grum ab ipso nuncupatum, quoniam plerique ex recentioribus medicis emplastra ex bitumine barbara nominare consueuerunt. Heras de ipso sic ad uerbum.

Barbarum ad recentia uulnera, sinus, canum hominumq; morsus, condylomata, inflāmata, ad articulorum uitia omnia in principio, & podagram.

Ceræ, picis, resinæ frictę, bituminis iudaici. singulorū pondo minā. argenti spumę denariū pōdo x. cerussæ denariū pondo v. opopanacis denariū pondo iiij. olei heminā. aceti cyathū. cera, pix, bitumen, resina incoquuntur, donec illiquata fuerint. Deinde reliqua cū oleo tritici iniiciūtur. His ablatis ab igne, & aliquantulū refrigeratis, acetū paulatim instillat. Talis sanè barbarorū emplastrorū formula est: ego ubi paucis exposuero quomodo ipse utar, sermonem de eis finiam. Sunt aūt duo, unū ad maxima uulnera, alterū ad minora. Quod itaq; ad maxima adhibetur, hæc recipit. B

Barbarum Galeni.

Picis pondo libras octo. ceræ pondo libras vi. & uncias octo. pityinæ pondo libras quinq; & uncias quatuor. bituminis pondo libras quatuor. olei pondo libram & uncias sex. argenti spumæ, cerussæ, æruginis, singulorum denarium pondo uigintiquatuor. thuris pondo selibram. aluminis liquidi denarium pondo duodecim. fissi pondo uncias quatuor. opopanacis, squamæ, chalbani, singulorum denarium pondo duodecim. aloes, opij, myrrhæ, singulorum denarium pondo quatuor, terebinthinæ pondo uncias uigintiquatuor. mandragoræ succi denariū pondo sex. aceti heminas sex, quæ ualent libras quinq;. C

Simplicioris Barbari symmetria est talis.

Picis, ceræ, resinæ pityinæ, resinæ frictæ, bituminis, horum quinq;, singulorum pondo libram. argenti spumæ denarium pondo decem. cerussæ denarium pondo quinq;. æruginis denarium pondo quinq;. opopanacis denarium pondo trium. olei hyeme pondo uncias nouem. æstate pondo uncias sex. Quæ liquari possunt, siccis in mortario aceto acri leuigatis affunduntur. Quòd si sedando dolori aptius uoles medicamentū reddere, hyoscyami succi denarij pondo unius. S. item opij tantundem admisceto.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI III.

Procemium. Prædicat q̄ feliciter omnes neurotrotos (quibus nerui aut tendines uulnerati erant) ratione à se primum inuenta curauerit: cum prius ab imperitis medicis neurotroti plerięq; perderentur. Cōtra empiricos, & eos qui negant contrariis facultatibus prædita pharmaca simul misceri oportere. Argumentū huius libri, declarare q̄ multa ipse ex uniuersali quadā ratione pro neurotrotis remedia inuenerit. I. Quomodo ex erroribus sui temporis medicorum & præceptorum, peruenerit ad ueram generalem rationem neurotrotis medendi, per pharmaca siccantia & calida, siue mediocriter siue multum calida (absq; astrictione.) Differentia remediorum cum uel denudatus est neruus: uel punctus tantū, & partes superiacentes integræ: tum enim tenuiorū partiū & fortiori opus est medicamine, nec id æque in calore & frigore symmetrum esse necesse est. 2. Enu D meratio particularis pharmacorum huiusmodi, quæ partium sunt tenuium & siccāt: Liquores, terrena, metalla, succi expressi (ut laurinum, cedrinum) lixiuia sicce, Cerealia, amara. 3. Digressio: De diligentia adhibēda circa plātas cognoscēdas & reponēdas. Loca plantis reponēdis cōmoda. Cognoscēda esse diligēter simplicia omnia, & quotānis accersenda ex illis locis, ubi optima nascu[ntur]. Nihil prodesse methodū curādi nō dignoscēti simplicia uera à falsis. Quòd scire oporteat nō modo uires simpliciū in genere, sed etiā distincte & exquisite secūdū gradus. Sēper enim ad quantitatē affectuū, medicaminū qualitatis modus & intentio respōdere debet. II. Historia primæ inuentionis suæ curandi neurotrotos in adolescente quodam. De cerato cum euphorbio. 2. Digressio: Quòd neurotrotos cū uulgo nuncupet, non solum illos quibus nerui, sed etiam

quibus tendines uulnerati sunt, & quibus nerui contusi: Quodq; eadem curandi ratio sit, & idem periculum, siue uulneratis siue contusis, tum neruis, tum tendinib. Denominibus non esse contendendum. 3. Pergit absoluere historiã curati à se neurothlasti adolescentis Cij cui neruus contusus erat. (Obiter, ꝙ tendines singuli membranis neruosis induantur.) De Iside pharmaco, & altero ex dracunculo, quo excepto cætera Isidi similes est. De pharmaco ex aceto. III. Rationem suam medendi neurotrotis cum particularibus medicamentis & manuali administratione euidenter exponit. De pharmaco ex aceto. Vulnera bis aut ter die perfundi debere oleo bene calido: nõ tepido, neq; frigido: & cum opus fuerit ablui, hoc etiam cum oleo fieri, non cum aqua. Quur noxium sit frigus uulneribus neruorum, cum historia. Pharmacum ex euphorbio cum castoreo. Lanæ oleo imbutæ calidæ seruandæ alijs siccis superim positis. Æger ad quintum aut septimum usq; diem domi se contineat. Acetum ne sit uinosum. Oleum esto tenuium partium, minime astringens. 2. Enumerat diuersa remedia parabilia, quibus pro occasione usus est in neurotrotis curandis, ubi alia non aderant, & semper cum successu: quod fortuito ei non contigisset, nisi uniuersali quadã motione præhabita ea inuenisset. Et quod huiusmodi omnia actu calida & ab initio applicare solitus sit: tum postea etiam, si prius enæma non recte applicata fuissent. 3. Euphorbium uetus exoluitur & imbecille est, proinde copiosum ceræ admiscendum erit: recens, parcius: quod duabus historijs comprobat. Vetus euphorbium quomodo dignoscatur, & quomodo miscendum sit oleo. Duratio eius (item thapsiæ) & pro ætate diuersa ad cerã oleumq; proportio. 4. Ceræ ad oleum alia proportio ut liquidum fiat ceratum, alia ut emplastrôdes. Emplastici pharmaci cõpositio, & de resinæ admixtione. Resinarum differentiæ. Quòd ipse medicus inter componendum de crassitie uel liquiditate satis iudicaturus sit: Et ꝙ parum ne an nimium calefaciat, ipse cruri aut brachio suo per aliquot horas imponens experiri debeat. 5. Propolis recens quantum præstet resinis. Quidam per solam propolin curatus est, & alter qui profundius uulnus habebat pauco tithymalli liquore addito. In molli corpore aliquid olei etiam addendũ. Fermentum. Sulfur apyron cum tetrapharmaco. Aphronitrum, nitrum, & aphrolitrum laudat, quæ etiam euphorbio & alijs præsentibus sæpe usurparit. Olei calidi perfusio quibusuis remedijs adiungẽda. Arsenicum quoq; & eo absente sandaracham sæpe adhibuit. Item calcem uiuam, extinctam, lotam. 6. Contra empiricos, ꝙ fortuito casu unũ, ad affectũ aliquẽ, inueniatur aliquãdo remediũ: ratione uero, multa simul, tũ simplicia, tũ ex eis cõposita. Necesse.n. est aliquãdo cõponere: & ad id recte faciendũ, in quo quælibet gradu sint, sciendum: id quod Empirici nesciunt, & multa congenera coaceruãt in unum compositũ, quod & ipse Galenus fecit antequam facultates & gradus singulorum satis cognosceret: deinde paulatim alijs atq; alijs demptis nihilo deterius pharmacũ inuenit, cuius compositio paulo post dicetur. Enumerat etiam simplicia singula compositionis, qua olim ad neurotrotos usus est. 7. Liquidiora pharmaca cum omnibus uulneribus, tũm neruorum præcipue, magis conueniunt. Emplastica tamen parantur aliquãdo propter diuites, ꝙ balneantes eis commodius utantur, manu exerta foras. Nam si uulnus in pedibus sit, balneo, saltẽ ad quatuor primos dies, prorsus abstinendum: Diuitibus tamen, qui omnino abstinere nolunt, super emplastro in pede, lintea multa oleo perfusa deligare docet. IIII. Quod & tendinum naturam perspectam habere oporteat recte medicaturum neurotrotis, ut per chirurgiam aliquãdo, si opus sit, tendines abscindere possit in trãsuerso eorum uulnere: aliquando etiam à cute excoriando separare, si uulnere hiante sutura facienda esset.

A Quomodo in Pergamo monomachorum cura ei 28 annos nato commissa sit: & ꝙ cum prius multi morerentur, nullus sub ipsius cura mortuus sit. 2. Historia, Quomodo in transuerso uulnere, in inferiore & anteriore parte femoris, tendines à musculis excoriando separauerit: & ita musculos profunde consuerit. Et ꝙ aliqui anatomes imperiti, male eum imitati sint, membranas quibusuis musculis subiectas ante suturam separantes, ubi non opus erat: in tendinibus enim solis periculum est, qui licet membranarum instar dilatentur, semper tamen membranis crassiores & duriores sunt, exceptis tantum duobus qui in imo sumine uentris à rectis musculis procedunt & pertenues sunt. De imperitia anatomicorum ante se. Quod aliqui stulte ligamẽta non cognoscentes, tanquam neruis aut tendinibus uulneratis timeant, cum sine periculo sint, utpote insensibilia, & ab ossibus tantum procedentia. 3. Alias partes medicinæ alijs indigere. In anatome peritũ, & aliquoties B exercitatum esse oportere. 4. Historia pueri conuulsione septimo die mortui, cui puncturam ex stilo habenti intus in brachio supra medium eius, Empiricus pharmacum quoddam imposuerat, nudis quidem neruis & magnis uulneribus conueniens: puncturis non item, quæ fortibus & acribus indigent. Puncturæ os dilatandum duabus in cuti scissuris secundum rectos angulos se diuidẽtibus. Punctura alia sine periculo est, alia periculosa cui neruus subiacet. 5. Contra Empiricos anatomen negligentes, & ex libris eam didicisse satis putantes: quodq; non semel aut bis tantũ, sed sæpius eam exercuisse oporteat. Quòd non solum maiores nerui uulnerati, sed minores etiam, qui radicum instar in cutim sparguntur, puncti, & non bene curati, periculum afferant: Non cognosci autem minores istos neruos, nisi ex frequenti anatome. Partium corporis ex dissectionibus peritus, & compositionis ususq; pharmacorum C methodum tenens, neurotrotos semper recte curabit. V. Compositiones ex metallicis pharmacis ad neurotrotos. 2. Quòd propter humanorum corporum differentias, duas compositiones in promptu habere oporteat, unam ualentiorẽ, alteram imbecilliorem, quarum exempla præscribit. Ceræ & aliorum proportio. De ponderibus & mensuris. Oleum. Frictio cum aceto. Thuris modus. De resinis, diuersis, larigna præcipue: & quantum resinæ admisceri debeat. De galbani mixtione, uiribus, & quantitate miscenda. Loco galbani adeps subtilis accipi potest: quorum animalium adipes præstent. Ceræ modus. VI. De medicamine composito ex euphorbio. Euphobij duratio, & quomodo ætas eius & uis cognoscatur cum alias, tum ex linimento (quod recipit euphorbij partem 1. ceræ 3. & olei 12.) in balneo illito. Euphorbium plus minus'ue accipiendum pro ætatis eius ratione. Triplex linimenti ex euphorbio compositio, imbecillis, media, & ualentissima, D quæ supra posita est. 2. De ceræ, olei, resinæ, picis, earumq; proportione, ut uel acopi, uel cerati liquidi, uel emplastri instar medicamen fiat. 3. Propolin resinis & pici præstare. Resinarum differentiæ: & rursus de uaria proportiõe olei, ceræ, resinæ & euphorbij. VII. Medicamentum ex liquabilibus confectũ. Liquabilium alia igne, alia humore quopiã solui. Descriptio pharmaci ex opopanace aceto dissoluto, cui propolis, cera, & alia igne liquata miscentur. Antiballomena loco propolis. Pharmacũ ex pingui pice in aceto coctum cum opopanace uel sagapeno, utile puncturis & morsis à cane rabido, experimento Galeni: conueniens duris corporibus per se: teneris uero, cum ungento aliquo uel oleo discutiente liquatũ. 2. Aliud pharmacum ex adipibus, & alijs quæ solo igne liquescunt, compositum: cuius usus est, neurotrotam partem supercalefactam calidis medicamentis, & irritatam recreare: quo facto, ad prius & fortius medicamen reditur. VIII. De medicamento ex fimo columbarum, quod in rusticis ubi

euphorbium deeſt uſurpari poteſt. IX. De medicamento, quod ex herbis conſtat. De herbis amaris ſine aſtrictione, & acribus non immodice. Terendi modus peculiaris: & proportio ſubtiliſsimi illius molliſq; pulueris ad ceram. X. De ſumptuoſis pharmacorũ confecturis ad neruos uulneratos: Et primũ q; diuites medicamenta uilia & parabilia, utcunq; bona contemnãt, pretioſa tantum, rara, & odorata requirant, quod hiſtorijs diuitis cuiuſdam probat. 2. Pharmacorum pro neurotrotis, raris, & odoratis compoſitum in gratiam eiuſdem diuitis: & alia tria pro eodem. Alia precioſa ubi uulneratus eſt neruus. Canon, Quòd in punctúris opus ſit acrioribus pharmacis, quæ uulnus apertum ſeruent: ad neruos uero nudatos, illis quæ modice aſtringant cum diſcutiente & morſus experte facultate:

A ut ſunt amomum, nardi ſpica, malabathrum. XI. De medicamẽtis ab alijs medicis ad neurotrotos proditis: & q; ueteres remedia quidem nonnulla ſcripſerint, methodum uero utendi & uulnerum differẽtias nullas docuerint. Pharmacum ex metallicis à medico quodam ſui temporis acceptum, quod apud nullum illorũ qui compoſitiones pharmacorum ſcripſerunt, reperit.

2. Quatuor compoſitiones ex Aſclepiade, quarum prima Aegyptiaca dicta (cũ diſcutiẽte aliquo oleo diſſoluenda) mox in tertia parte ex Andromacho repetitur. Tertia & quarta faciunt ad neruos abſciſſos, & in magnis uulneribus nudatos. 3. Aegyptia Andromachi, & quid differat à deſcriptione Aſclepiadis, paulo ante poſita ab initio ſecundæ partis. Eiuſdem fuſca ad puncturas.

GALENI DE COMPOSITIONE MEDICAMENTORVM PER GENERA

Liber tertius.

PROOEMIVM.

De uulneribus neruorum.

ET hæc amici commẽtaria uobis paro, qui iam ex ipſis medicinæ operibus comperiſtis quàm efficax ſit noſtra neruorum curatio: nempe ex qua omnes ſeruati ſint, nõ autem mãci, nec claudi redditi, quæ aliter curatis accidere conſpexiſtis: quemadmodum etiam nonnullos conuulſione correptos, uel cũ dolore, uel putredine, uel febre mortuos. Par autem eſt hoſce libros ad aliorum quoq; manus peruenturos, qui ſcriptis bene uti non poſſunt. uel quia à præceptore medicæ artis ſpeculationem non didicerunt: ſed omnino rudes, quaſi uix initiati & prorſus inexerciti permanent: aut quia perperam edocti adheſerunt ijs qui compoſita medicamenta ſolo uſu citra rationem eſſe inuenta aſſerunt. etenim ij manifeſti contentione ſua errant. altero modo nõ minus prædictis errant ij, qui nullum pharmacum ex ſimplicibus facultate contrarijs confici oportere arbitrantur. Verum hos medicamenta ſuperiore libro citata coarguunt, ut quæ magnas ipſorum uires ex contrarijs inuicem ſimplicibus compoſitis oſtentent: imò etiam in libris hunc ſubſecuturis præſtantiſsima pharmaca ex contrarijs uirtutibus compoſita indicabuntur. Nunc de noſtra curãdi ratione, quã in neruorũ uulneribus excogitauimus, toto hoc libro diſſeremus: oſtendentes quantam eiuſdem facultatis medicaminum copiam, tum ex generalis ſanandi ſcopi indeptione, tum ex ſimplicium uirtutis cognitione inuenerimus.

Quis communis uulneratorum neruorum curationis modus, & quæ medicamenta ſpecialia, Cap. I

Spectauimus omnes præceptores præſidio, quod iam recentiores medici ſanguinariũ ſeu cruentis opitulans (Græcis Enæmon dicitur) & glutinatorium appellare ſolent, uti. Nam initio medicamentum aliquod ex enæmis imponentes, uulneris oras committere ſeu glutinare moliebantur. Si uero phlegmone eas obſederat, calida aqua li-

B beraliter fouebant oleum affundentes ac triticiſarinam ex hydrelæo decoctam, epiplaſma applicabant. Quin etiam gladiatores in patella uulneratos, ſupraq; hanc in lato tenuiq; tendine, pari modo ab ipſis curatos uidi: forſan melius dicas nõ curatos, ſed perditos, pauciſsimi enim illorum, & ij claudi ſuperuixerunt. Et uero etiam permultos in manu ſumma tendones, per quos digiti flectũtur extenduntúrq;, uel contuſos uel minimo punctu læſos, putreſcentes adeo conſpexi, ut coctis præſertim diutius in aqua ſimiles apparerent. Non enim ſecus exoluuntur & cõſiſtentia emolleſcunt, qui ſuperiorem ſanandi modum experiũtur. Itaq; ipſum reprobaui, ut qui partem uulneratam putre

C faceret. Quoniam uero putreſcentia omnia ab humiditate ac caliditate id pati prænoſcebam, curationem per ſiccantia refrigerantiaq; moliendam eſſe deprehendi. Rurſum apud me contemplatus, frigidum uero ab Hippocrate neruis inimicum dici, optimum fore neruorum uulneribus medicamentũ intellexi, quod & ſiccaret, & inter calidum eſſet ac frigidum, uel non multum à medio ad calorem recederet: calidũ uero etiam eſſe ſatis poſſe, modo ſiccandi poteſtate polleat. Etenim calor citra humiditatẽ putrefacere nihil habet. Inſuper illud quoq; cum cogitando adinueniſſem, multum referre nudæ parti affectæ medicamentum offeras, an per alia corpora ei præpoſita, conuenire aduerti alijs in nudato neruo uti pharmacis, alijs cũ punctus fuerit, partibus quæ ipſi preiacent illæſis.

D Vbi etenim nudo neruo medicamẽtum adferas, ibi prædictam auxiliorum integrã indicationem aſſumi ratio eſt: præpoſitis autem partibus ſaluis, tenuius pharmacum inueniendum eſt: cuius uirtus interiacentes particulas permeando non diſſoluatur, ſed in altum penetret. hoc autem efficere tale pharmacum poſſe, ſi ualide ſiccet, & ſi non calore & frigiditate medium ſit ac ſymmetron: neque offendere, dũ efficacia ipſius calefaciendi uel refrigerãdi in particulis, quæ neruoſo corpori præpoſitæ ſunt penetrandis imbecillior eſt reddita.

2 Atqui inuento iam præſidiorum ſcopo, in ſubſtan-

substantiæ eorũ tenuitate, deinceps materiæ mentionem facere oportet. Plurima igitur quæ calefaciunt tenuiorũ esse partium, permulta rursus quæ refrigerãt crassiorum, in Simplicium medicamentorum speculatione didicimus. quippe una solum inter ea qualitas acris cum tenui substantia nonnunquam fit, eoq; inter omnia quæ refrigerandi uim obtinent, tenuiorũ partium acetum est quam acerrimum, quod etiam caloris exigui particeps esse demonstrauimus. calefacientium uero liquores probi tenuissimã habent substantiam: & apud omnes iam homines Cyrenæus primas tenere cognoscitur: qui si non adsit, etiam medico utimur: & ijs quę cum ipsis ab orientalibus plagis afferuntur: cuiusmodi est quod Sagapenum appellamus. hoc genere comprehenditur & liquor euphorbij B in occiduis orbis regionibus natus, siue liquorem ipsum, siue aliud quid nominare uelis, nobis in toto commentario euphorbium hoc medicamentum uocare sufficiet, quemadmodum iam omnes consueuerunt. Quinimo & inter ea quæ in nostra regione proueniunt & panacis, & tithymallorum liquores subtili facultate prædití sunt. Et uero etiã omnes nominati liquores generose calefaciunt, opobalsami uero qui subtilis & ipse est, non admodum calefacit. Ex terrestribus autem nitri spuma tenuem substantiam habet, item quod ex aqua facile soluitur aphronitrum, si ad corpora terrestria uidelicet relationem fieri inaudiamus. Subsequitur nitrum nomine berenicium, & asia petra, cuius flos etiam omnium terrestrium est subtilissimus. Porrò ex metallis auripigmentum & sulfur, C tum subtilia, tũ calida sunt, quibus succedit misy, æris squama, & chalcitis, paulùlum simul astringentia. Quare usta quoq; chalcitide frequenter in subtiliorum medicamentorum compositionibus utimur. Citra calorem uero manifestum tenuium partium metallica sunt, spodium & pompholyx: adde quod uocatur psoricum, subtilis abunde est & chrysocolla. Cæterum inter succos laurinum simul cum eo, quòd calefaciendi uirtute ualide pollet, quæ sensibus percipi queat, tenuem esse didicimus. Nihil enim minus eo cedrinus excalfacit, calore tamen qui sensibus subijcitur, propter substantiæ suæ tenuitatem, illi cedit. Eiusdem cum cedrino generis est lixiuia quæ stacte, id est stillatitia D dicitur: atque hanc ipsam, quæ ex materia subtili usta fit, cedrinum oleum uirtute superat. Ex malo igitur & ficu, eaq; magis agresti, quam uocant caprificum, item ex tithymallis combustis, huiusmodi lixiuium conficimus. Præstantissimus est ex tithymallis qui characias nuncupatur. Cæterum ex seminibus frumentarijs, uti nominant, subtilissimum est eruum, sine insigni calefaciendi potestate: lolium uero cum insigni: hordeũ nequaquam calfacit. Mediam inter ea materiam obtinent, qualitatibus amara, quæ multum tenuibus substantia cedunt, crassi licet nihil habentia. Nonnulla ipsorum à medijs tantillum declinarunt: alia ad calorem, alia ad frigiditatem, quorum omnium materias in opere De simplicibus medicamentis executus sum: quemadmodum etiam omnium fructuum duri corticis, ac nucũ generis, in quorum numero sunt amygdalæ amaræ & pistacia.

3 At stirpium materiæ in præsentia non memini: redire enim ad principium cogito, atq; exponere quãdo, quoq; modo singula per rationem nobis inuenta usurpauerimus. Hinc enim puto bonæ indolis iuuenes incitatũ iri, ut medicamentorum materiam cognoscant, ipsimet inspicientes, non semel aut bis, sed frequenter. quoniam sensibilium rerum cognitio, sedula inspectione confirmatur, cuius rei indicium est euidentissimum, quòd gemini per omnia similes esse nobis uideantur, differentes autem ijs, qui ipsos inspicere consueuerunt. Hanc itaq; sedulam inspectionem ne negligas. Proinde herbarum, fruticum, & arborum materiam priusquam è terra eximantur, contemplari pulcherrimum est, dum fructus uidelicet futuri sunt, dum eduntur, dum augescunt, & dum uigent. Hæc siquidem continua eorum speculatio docebit te, quando potissimum ipsos commode decerpas, ac in siccis domunculis repositos custodias, ne à solis radijs exurantur, neq; ab humiditate ex tecto uel muris madefiant. id optime fiet, si domus neq; subterraneæ sint, neq; alijs uicinæ, neq; sub tegulis, sed ostia ad meridiẽ spectantia habeant, prope quę tamen medicamenta reponi nõ debẽt. Amici uos admoneo, ut in hoc quoq; me sequamini, si artis opera pulchre obiri uelitis. nouistis enim, quomodo ex omni natione præstantissima quotannis medicamẽta mihi adferantur, eo quòd perditi illi omnigenarum rerum comptores (Græce rhopopolas uocant) uarijs modis ea contaminant. Præstiterat forsan non hos solum, sed multo magis etiam mercatores qui illa aduehunt incusare, atq; his multo magis ipsos herbarios, item nihil minus eos, qui radicum liquores, succos, fructus, flores, & germina ex montibus in urbes conferunt: hi siquidem omnium primi in eis dolum exercent. Quisquis igitur auxiliorum undiq; copiam habere uolet, omnis stirpium materiæ, animalium, metallorum, & absq; metallica natura terrestrium corporum, quæ ad medicinæ usum ducimus, expertus esto, ut ex eis & exacta, & notha cognoscat, deinde in commentario meo, quem De simplicium medicamentorum uirtute prodidi, sese exerceat. Nisi enim hoc modo instructus ad præsentis operis pręsidia ueniat, uerbotenus quidem medendi modum sciet, opus uero nullum ipsa dignum perficiet. Fingat namque ipsa, quæ de neruorum uulneribus prædixi, quædam aliquis cognoscere: adulterata uero medicamenta per ignorãtiam compositioni inijcere, uel neq; omnino exacte facultates ipsorum intelligere: an non erit necessarium frequentius hunc errare quàm recte agere? mihi quidem uel admodum uidetur. Iam uero ad plenum uirtutes cognoscere ab eo multum differt, quod est cognoscere. Etenim solum cognoscere, scire est an medicamentum siccare, uel humectare, uel refrigerare, uel calefacere suapte natura nos possit, accurate uero

cognoscere, præter hoc etiam uirtutis quantitatem sciuisse est. Quędam enim pharmaca calorem tepidum generant, corporibus nostris admota: quædam moderatum, quemadmodum alia hoc paulo ualidiorem, nonnulla iam sic feruentem, ut urere possint. Conuenit igitur medicum non modo affectus qualitatem, sed etiam ipsius, ut ita dicam quantitatem coniectasse. nam haud ita proprie quantitas in qualitate dicitur, quanquam dicatur tamen, ut febris magna & parua. ac tantus usus est eorū, quæ sic dicuntur, ut iam proprij uim obtineant ipsa, perinde ac pyxis, de omni materia, & χαλκεὺς faber ferrarius, & ζωγράφος pictor, & δρυοτόμος ligni sector, dicitur: quum hæ appellatiōes de buxeo uase, æris fabro, animaliū pictore, quercus sectore, proprie dicantur. Et in summa, omnia quæ ex uocato à grammaticis abusu inceperūt: deinde uero propria dici credita sunt. Hæc quidem attulimus propter eos, qui parum opportuno tempore de sermonis proprietate argutantur. Quod autē dicere desii, tale est, nempe quod exiccari desiderat, nō simpliciter siccante indiget medicamento, sed conuenienti mensura. Copiosa quidem humiditate auctum, insigniter exiccante: parua, parum hoc faciente, quemadmodum multa admodum resiccante: non tamen extreme, neq; in summo. siccitatis enim quantitatem, humiditatis copiæ respondere conuenit.

CAP. II Ego itaq; dum cōmunē neruorū uulnerum curationis modum immutare primum ausus sum, conieci in quantam humiditatem caliditatemq; affecta pars recidisset. Et cum adulescens quidam mihi ostensus esset in primo articulo medij dextræ manus digiti, totum circa neruum locum humentem adeo ex contusione habens, ut iam computresceret: partem sane putrescētem cataplasmate ex lixiuia stillatitia & hordei farina (sic autem nosti me Omen lysin Græcis dictam nominare) foui: non putrescentem uero, sed tensam dolentemq; oleo calēte liberaliter perfudi: inde cum lana sicca madorem exhausissem, ceratum tam liquidū illeui, quàm in fracturis utimur, cui euphorbium sit admistum. Confectum autem mihi fuerat hoc quoq; mea industria huiusmodi occasiōe. Profectus ad me quispiā hyeme uehementi, ostendensq; genu, facile dicebat rigore id affici: statim uero calefaciētibus iuuari. Rogabat igitur huiusmodi aliquod medicamentum darem, ut qui profectus in frigore inalgeret doleretq; uehementius quàm alias. Nunc igitur, inquit, loturus discedo, mittam autem ex balneo qui medicamentum accipiat. hæc cum dixisset abijt. at ego cum tale nullum medicamen ad manus haberem, euphorbiū cum oleo triui, & ceram liquatam immiscui, paulopost cum amicus pharmaco ferēdo puerum misisset, exhibui. Dolore protinus cessante, inde in alijs particulis similiter affectis uti pręcepimus, de quibus mox dicetur.

2 Nunc ad nerui uulnerati sermonem redeo, propter eos qui nihil quod ego nunc dico intelligunt: uitio autem uertunt dictiunculas, quos inuenire auguror Neurotrotus, quasi neruisaucios dicas perperā eos nominari, qui in tendonibus uulnus acceperint. Tēdones enim ipsis puto uocari, qui extra manum toti carpo, id est brachiali, & digitis supertensi sunt. Quanquā sane non ignorem manifestius, magisq; proprie Tenontotrotus, id est in tendonibus uulneratos ipsos nominari: tamen cū omnes in neruis sauciatos nuncupare soleant, & ego ne quis innouare me appellationem dicat, consuetam pro uera suscepi, etsi nec illa sine ratione abire in consuetudinem potuerit, plerisq; medicis tendones etiam neruorum nomine uocitare occupantibus. Verum siue in neruis, siue in tendonibus uulneratos appellasse mauis, neq; ob has uoces incolumes erunt, neq; cōuulsione laborabunt, quemadmodum neq; manci fient, nec morientur. appellatio siquidē nec seruauit hominem unquam, nec perdidit, sed medicamentorum facultas utrunq; efficit. Atq; ego hæc immutans, putrescentes conuulsos, mancos, nōnullos etiam pereuntes, sanos uiuosq; reddo. nam neruos contusos habentes sicut ille habuerat, in neruis uulneratos anticiparunt, non in neruis contusos nuncupare. Cæterum curatio communis est, & periculum æquale amborum: nempe contusorum & uulneratorum uel neruis, uel tendinibus.

3 Itaq; homo ille putredine iā circa primum medij digiti articulum orta, cum superiacentium tentione doloreq; infestaretur, multo melius habere cœpit die postero, quo uice hordei farinæ, eruorum farinam stactæ lixiuiæ commiscuimus. Ac tertio sane cum similiter etiā curaretur, iam quidē in alijs particulis dolorem omnino non percepit, ex contusione uero neruosum quoddam corpus crassæ membranæ persimile exertū est, quod mediocriter me cōmouente facile totum semiputridum excidit. Videbatur omnibus contemplantibus hoc corpus neruus totus esse qui computruisset, ut qui ignorarent quo pacto tendones hi neruosis membranis conuelati, per brachiale procedunt, & super totos digitos extenduntur. Mihi uero putridum ex cōtusione attollenti tendo saluus apparuit. Cum igitur uel pastillo uno, uel trochisco, uel utcunq; uocasse libet, quorum in numero est & ille Polyidæ, soluto ex hepsemate, uel syreo, id est sapa, (nam & hoc pro arbitrio nominare liceat) apparentē nerui particulā prius inunxissem: rursus eodem modo & cataplasmate, & unctione ex euphorbio in ijsdē locis sicut prius, utroq; usus sum. Quarto iam die omnia cōposita circa contusum quidem antea, ulceratum uero tunc primum digiti articulum intuitus, considerabam quorsum à cataplasmate transgrederer. Visum igit̄ est si neruus inflammatione prorsus uacaret, ad cicatricem ducentia transire: si uero phlegmones ipsius scirrhosum quidquā remaneret, aliquod ex abunde siccantibus exhibere. Quoniam igitur nōnihil ex ea reliquū esse uidebat̄, medicamentū ex dracunculi radice cōfectum prius usurpaui, quod alia eadem cū Aegyptio pharmaco quę Isis uocatur cōtinet: assumpsit autē dracunculi radicē. Ab hoc ue-

ro deinceps Minerua dicta usus: inde ad ea, quæ cicatricem ducunt, perrexi. At cum aliũ curarẽ pastillo sapa diluto nudatas uulneris partes illinens, euphorbium extrinsecus imponebam, tantum ceræ ac resinæ miscens, unde emplastri crassitudo simul fieret, & euphorbij uires conseruarentur. Cæterum quomodo ad hos scopos respiciens medicamentum componas, deinceps declarabimus. Etenim aliud quoq; ex aceto pharmacum confecimus, hoc spectantes, uti ipsius spissitudo & subtilis aceti uirtus, cum refrigerantis facultatis exolutione incolumis permaneat.

CAP. III. De his sane quomodo composita sint, post paulũ tractabitur. Nunc quia neruis uulneratis medendi modũ ex rationali indicatiõe nugatorio illo empiricorũ casu repudiato inueni, totam cogito ipsam dicere, ita ut nullam distinctionem prætercam, sermonem ab initio rursus repetens. Quando igitur uulneratũ aliquẽ protinus suscipio, interim per liquida pharmaca curationem molior, interim emplastris: lanã extrinsecus quam mollissimã oleo calente imbutã applicans. Quòd si medicamentum ex aceto usurpem, aceti parum oleo admisceo, ac bis térue quotidie soluo, & oleo calente foueo. Si noctes longæ fuerint, etiam in his soluere consueui, idq; magis facio, dum ulcus à medicamentis eroditur. Nam ubi initio tali medicamento utenti æger nec se morderi, nec dolere, nec tensiõnẽ percipere mihi dicat, die soluo & foueo mane semel, & uesperi iterum: oleũ uero quo fouemus, satis calens esto, uerũ ita ne uulneratã partẽ offendat. sicut enim frigidum huiusmodi affectibus maxime est contrariũ, sic tepens non omnino utile. Nãq; in primo De simplicibus medicamentis uolumine didicimus, ut aqua in eo quòd calens aut frigida sit, maxime contraria facere nata est: ita quoq; oleũ. Nam frigidũ corpori admotum, perspiratũ quodãmodo ipsius obstruit, imò prohibet: calidum uero digerit ac extenuat. quod tibi etiam ex carnibus in eo coctis licet condiscere, similiter enim prærancidis friabiles efficit, etsi protinus cum animans mactatũ est, in eo coquas, aut sartagine frigas, propter quod & ego fomentum ex oleo satis calente usurpare malui, tepidum semper uitans: adhuc autem magis frigidum. Porrò ab aquę usu in tota curatione ita tempero, ut ne attingat quidem ulcus, proinde cum sanguis initio statim à uulnerata parte eluendus est, ex oleo id facere expedit. Vbi autẽ iam ægri mediocriter habentes lauacro utuntur, neq; tunc affectum locum in aquã demergere ipsis cõcedendũ: magna siquidem ex parte nerui in manibus uulnerantur. Memini cuiusdam ex huiusmodi uulneratis, qui cum diem quartam citra omnẽ dolorẽ ageret, partemq; affectã absq; phlegmone uideret, multo in frigore domo egressus ad opus quoddam necessarium, eiq; diu immoratus domum rediit, membro uniuerso ad ceruicem usq; tenso, idq; cum ingenti ipsius dolore. Postq; uero quodam me accersente profectus ad eum, uidi quibus in malis esset: oleũ ex itinere refrigeratum à particula auferri iussi: ca-

A lente uero totum membrum foui: deinde ceruicis partem aduersam lanis oleo respersis, & medicamento liquido ex euphorbio, simul cum castorio hominẽ statim mitigaui: & somno accedente usq; ad uesperam omnia cessarunt symptomata. præ omnibus igitur danda opera est, ut lana permaneat calida, siue oleo tantum, siue oxeleo, hoc est aceto & oleo quoq; imbuta fuerit: fiet hoc si aliæ lanæ siccæ extrinsecus circumponantur, & æger intra tectum cum hyems fuerit, ad quintum usq; uel septimum morbi diem sese contineat. nam si eousq; nec phlegmone aliqua tentet, uacetq; prorsus dolore, & nullam sentiat tensionem, in posterum tutus erit. Curabis autẽ ne in aceto uinosum aliquid appareat: quemadmodum oleum quoq; ut omni B adstrictione uacet. Neq; igitur quod crudum uel immaturũ dicitur, adhibebis: neq; id quod ab Hispania uehitur, ac uocant Hispanũ: imò nec aliud quodlibet ex his quæ oleæ surculos habent. Optimum oleum est tenue, quale in Italia Sabinum. alibi uero in nationibus Romano imperio subiectis, quæ nullam astringendi uim obtinent.

2 Iam uero qualis res sit rationalis indicatio, & quanto ditior nuda experientia citra methodũ uel hinc condisces. Cum permultis neruorum uulneribus sæpe in itinere, in nauigio, in agro, uel in ciuitate, sed procul à meis ædibus incidissem, nec medicamenti ex euphorbio copia adesset, nec illius quod ex aceto cõficitur, nec alterius, pharmaca quorum forte fortuna eo loco facultas erat uul- C neri imponentes, propositum semper sumus assecuti. Noui etenim meipsum in agro propolim recentem, liquidam & pinguem, quam agricola habebat, uulneri imposuisse: interim fermentum sõlum, interim ambo cõmista. At fermentum quam uetustissimum esse: propolim uero contra habere conuenit, quantum ad tempus attinet. Sin autem uetustior sit, ex oleo iuxta ignem, uel in sole emolliatur. Rursus in alio quodam rustico succum tithymalli fermento mistum imposui, quem prope ipsius cohortem succreuisse conspexeram: quippe fermentum ut recens cõtemnebam. nõnunquam & propolim ex oleo liquefactam fermento subegi, sed prius aceto quam acerrimo dissoluto. Præstat oleum esse uetus in huiusmodi mistioni- D bus puta ex oxymelite & fabarum farina, uel eruorum, uel lolij, uel ciceris, uel lupinorũ amarorũ, uel tenuiore polentæ puluere, uel hordeacea farina, quibus in urbibus usus sum cataplasmatis, non solum in his quos iam phlegmone prehenderat, sed etiam protinus ab initio. In agro cum et picem liquidam apud fabrum inuenissem, fermento mistam imposui. item apud alium eruorum farinam illo subactam, cuius penuria etiam prædictarum quæuis misceri potest. Quinetiã oxelæum solum quod caleret lana exceptum, statim dum aliud nihil haberem obtuli, confisus aceto abunde acri & uetusto. In alio refrigerato, quod ante horã unam, uel longius etiam tempus neruus contusus esset, quousq; mihi quoddam idoneum medicamen afferretur, expectaui, partem oleo foueri præcipi-

ens, interim aceto prius admisto, quoniam aer per æstatem calidissimus erat, mistura ex utroq; diutissime foui, donec aliud medicamentum allatum fuit. Singulis autem prædictis farinis permistam quoq; stacten sępe illeui, & mox à principio, & postea, cum homo medicamine quodam quod cruentis imponitur non probe usus esset.

3 Hæc itaq; omnia quomodocunq; applices medicamina, calida qualitatibus offeras. Et uero etiam cum domo mea egredi festinans aliquãdo, medicamẽtum nullum in promptu compositum haberem, dedi cuidam familiari uetus euphorbiũ, inunxiq; leue factum ex oleo ueteri, donec humidi cerati spissitudinem haberet, tendinis puncturæ in manu admoueret. Reuersus igitur interrogaui uulneratum, multúmne caloris in parte affecta sentiret: ille mediocrem quendam respõdit se percipere. Rursus igitur quæsiui, an rosionem à medicamento in uulnere sentiret: ille cum se non rodi, sed ueluti pruritum quendã sentire dixisset, pharmacũ ad noctem usq; adhærere permisi. Quoniã uero cum imposita abstulissem, calor in affecto loco mediocris mihi apparuit, neq; punctus hians: satius mihi uisum est eodem uti medicamento. & uero cum uulneratus altero die prospere haberet, item tertio & quarto, ad finem usq; idem pharmacum usurpaui: quòd cõtemplatus quidam, in alio uulnerato similiter recenti euphorbio in eundem modum usus est. Quare necessario calor ægrum multus, & commorsus, & dolor in ulcere subsecutus est: adeo ut homo ad me deductus sit, tãquam hoc præter omnium opinionem accidisset. Atq; ego statim re intellecta, quod impositum erat abieci: fotu autem per oleum ipsi adhibito medicamentum ex aceto imposui, quod si non in procinctu fuisset pharmacum ex euphorbio copiosioris cerę particeps admouissem. Quapropter nõ oportet, uti paulo ante diximus, probatorum medicaminum facultates ac species ignorare, nec quę celeriter uirtutem mutant: tum quæ rursus diutino tempore conseruant. Nam ex his, quæ caducũ ac statim euanescentẽ calorem habent, euphorbium est. Id autem cognosces, etiam si nõ manduces, colorem contemplatus: quippe ut non ab initio cinereum, uerum subpallidum & subflauum redditur inueterascens, Statim etiam siccum abunde uidetur tunc, & uix inter leuigandum ex oleo recenti protinus imbibito dissoluitur. At subito ipsum oleo miscendum non est, sed prius in mortario sensim terendum, ne dilatescat. Quid item opus est dicam, quod etiam gustanti tibi recens, percipiatur feruentissimum, ut linguam adurat, uetus autem exiguam efficiat caliditatem? Iam alijs quoq; multis pharmacis exilem potentiã pauculis annis retinere contingit, attamẽ euphorbium post thapsiam: hæc enim ab anno admodum imbecillis redditur, ut bimula prorsus expiret: euphorbium uero cum principio bonum fuerit, & probe repositum asseruatumq;, etiam anno tertio adhuc uim aliquã retinet: interim & quarto, quinto autem & sexto iam exoluitur: deinde procedente tempore in to-

A tum elanguescit. Porrò id quo me aliquando cum inueterato oleo sine cera usum esse dixi, quinq; annorum aut sex erat euphorbium. Vnde usum ipsius mensura comprehendere nemo potest. Nam recens oleo decuplo cum cera tripla commiscetur, ueterascens copiosius ei immittendum est: trimum uero & quadrimum uel duplicatum prioris pondus, uel æquale ceræ.

4 Cum igitur pharmacum consistentia simile acopis dictis unctionibus habere uolueris (quę spissitudo liquidi etiam cerati est) oleum cerę quadruplum esse curabis. Vbi uero ad emplastri speciem fiet, ceram omnino æqualem oleo miscere oportet, maxime si sicca fuerit, & uetusta: sicut recens & pinguis pauciore oleo indiget, ut ceratum

B in emplastri modum efficiat, idq; magis adhuc per æstatem. Itaque si ceratum emplastri formula facere statueris, cerę ex oleo liquefactę qua dixi symmetria sextam recẽtis euphorbij partem admisce bis, ut illius una sit drachma. cerę sex. olei item sex uel quinq;. Sed quoniam & cera glutinãs ac uiscosa non est, quemadmodum resina & pix: ideo hãc uel illã uel utriusq; partẽ cerato admisceo. Clarum igitur est, dum hæc miscentur, nõ amplius oleũ pari illis portione affundendum. Etenim cera ad liquiditatem multo pingui indiget: at resinæ quæ quidem aridæ prorsus sunt pauco: liquidæ & siccam quandam substantiam ad emplastri crassitudinem assumere postulant. In ceris igitur non magna humiditatis ac siccitatis differentia est: in resi-

C nis, sicut etiam in picis genere: contrà, aridæ ab humidis permultum differunt. Omnium ergo resinarum siccissima est, quam nonnulli frictam, alij colophoniam appellant. Huic succedit, quæ ex fictilibus impura, nec fricta sumitur, quam si purges, in frictã mutabitur. His ambabus siccior est, quæ dicitur pityinon physema, ac si dicas picea germinatio. Hanc sanè ceu squalidam, in præsentis emplastri compositionem nõ esse idoneam ratus, abieci. Vsus autem sum fricta & liquidis. Iam uero ex his quoq; nõnullæ diutius liquidæ permanent, quemadmodum terebinthina: aliæ cito inarescũt, sicut strobilina: media utriusq; est abietina. Quin etiam facultate calidior est quidẽ strobilina, mox uero abietina, deinde terebinthina: cupressi resi-

D nam miscere nõ ausus sum, ut quę nonnihil astringeret. Putabit forsan aliquis nobiscum dissentire Dioscoridem Anazarbeum in sermone De resinis, hæc uerba scribentem, primo De medica materia commentario. Ex omnibus resinis principatus terebinthinæ datur, post eam lentiscinæ, tum ei quæ de picea raditur, & abiete: post quas pinea, strobilinaq; numeratur. In his enim Dioscorides tanquã de infima strobilina, optima uero terebinthina sentire uidetur. Verum ego ex his tribus resinis strobilina, abietina, terebinthina principem certe strobilinam calore, secundam abietinam, postremam terebinthinam esse dixi. Quemadmodum igitur qui inter Italiæ uina austera optimum ponit uinum Italicum: alius ad qualitatem unam sermonem referens: alius absolute de tota ipso-

rum

rum substantiā pronuncians, uerus deprehenditur. Eadem ratione etiam inter resinas optimam, tanquam medicamentum in multiplices usus accommodatum, merito terebinthinam affirmaueris, non tamen caliditate primas obtinere. Itaq; ut aiebam, licet tibi quamlibet resinam ceræ miscenti simplex ceratum glutinantius efficere, quod ex oleo & cera duntaxat cōponimus. Hic uero experientiæ quoq; utilitas est, quæ de cōiectura nostra decernat. potes enim ubi triplicatam ceram terebinthinæ cōmiseris, intelligere, emplastrine spissitudinem iam medicamentum acceperit, an adhuc siccius sit, ac copiosiorem insuper resinam desideret. Quapropter ubi hunc in modum experienti tibi mediocriter habere uisum fuerit, miscebis tunc medicamento quod conficis duodecimā partem euphorbij. At si ignores euphorbium exacte sit calidum, an nōnihil à tali discedat, post confectionem linteo paululum illius medicamenti illitum tuæ ipsius tibiæ uel cubito horis aliquot imposito: postea si modice calefacere deprehendis, bene temperatum esse medicamentum arbitraberis. Quòd si uel nullum sensilem calorem edat, uel iusto feruentiorem, integrum est aut pharmacum remittere, aut intendere: remittere quidem mistura cerati: intendere apposito euphorbio.

5 Atqui si propolim pinguem habeas, eam omnibus resinis aptiorē fore tibi intelligito, ut quæ uaporosam spiritus crassitiem, humoresq; superfluos elicere, ac ex alto foras ductitare suapte queat natura. Siquidē resinæ cum cera emplastri spissitudinis gratia, non tanquam curationis consilio adsumuntur. Propolis autem curationis ipsius scopo continetur, atq; hac aliquando sola, ut dixi recenti, quantum ad humiditatem attinet, usus sum in agricola quodam duro corpore: ac mirum est, quomodo sola adusq; finem adhibita adiuuerit, adeo ut nullius pharmaci præterea uenerit necessitas. Alteri qui puncturam profundiorem haberet, tithymalli cuiusdam exiguum quid liquoris admiscui: mollioribus uero corporibus medicamentum tactu durius apparet, nisi olei mistura uehementer ipsum mollias. Quin & alia medicamenta omnia quæ neruorum uulneribus adhibentur, liquida & mollia esse conuenit: mollitiem igitur quoduis oleum cōciliare, robur uero medicamenti uetus oleum tueri potest. Vt autem propolim in agro nonnunquam accōmodaui, tanquam melius pharmacum ijs quæ tum affuerant eligens, ita fermentum rursus in alio admoui medicamenti inopia, quoniam hoc quoq; in alto fixa extrahere & discutere sciebam. quanto autem uetustius fermentum, tanto est præstantius. Porrò huiusmodi res nō solum facile in agris reperiuntur, sed etiam sulphur uiuum, quo nonnunquam & ipso sum usus miscens cum tetrapharmaco. Huic igitur & aphronitrum, & bereniciū litrum, & aphrolitrum non lapidosum, sed uere aphrolitrum, quod spumæ consistentiam habet, adijciens frequenter usurpaui, non modo in agris aliorum penuria, sed etiam præsentibus enumeratis medicamentis hoc nomine, ut animi sensum experientia explorarem, probaremq;: ac uulneratus talis rei solo usu conualuit, fotus uidelicet oleo. Hoc enim commune tibi esto in omnibus medicamentis quæ hic dicuntur neruorum uulneribus conducere. Iam uero & quod à medicis uocatur arsenicum, ab ijs autem qui attice omnia uolunt proferre arrhenicum, adiunxi tetrapharmaco, quod animo conceperam experientia uolens pertentare: rursus cum id non adesset, sandaracham uti uocant, sicut calcem restinctam & uiuam, lotam & illotam, minus autem uiuæ, plus restinctæ, & plus adhuc lotæ adieci.

6 Cæterum de exacta cuiusq; componendæ quantitate paulo post dicemus, ubi hæc simplicia omnia, ususq; ipsorum distinctiones retulerimus. In hoc enim sermone propter empiricos, qui ex periptosi, id est incidentia seu casu plurima cōpositorum medicaminum inuenta esse putāt, uisum mihi est cōmemorare neruorum uulnera curandi rationem, à me citra casum repertā inde, quòd sanationis ipsorum scopum, & simplicium pharmacorum facultates cognoscerem. Etenim ex casu unum aliquod simplex medicamentū inuenitur, rationalis autē methodus plurima simul inuenit, & uarias ipsorum compositiones. Quæ igitur ex alto humores educere digerereq; natura possunt, neruorum uulneribus ex usu sunt. Quandoquidem uero nōnulla caliditatem immoderatam, uel mordacem uehementer acrimoniam, uel acidam qualitatem coniunctas habent, alia ipsis pharmaca admisceri ratio est, quæ prædictos excessus sine uirtutis offensa temperare queant. At hoc fieri recte non potest, nisi cuiusq; medicamenti nō modo qualitatis genus, sed etiam quantitatem in ea cognoscas. Quędam namq; ut ostendimus in commentario De simplicibus medicamētis, in primo calefacientium ordine collocantur, à temperatis paululum abscedentia, alia in secundo magis inde declinantia, alia tertio. nonnulla quarto, quæ urere iam queant. Igitur pro uehementiæ uirtutis cuiusq; pharmaci proportione, miscendorum facultas inuenitur, modo simplicium omnium temperamenta intelligas. Empiricorum hæresis sola genere cōsimilia propter uniuscuiusq; medicamenti naturæ ignorantiam miscet: & qui hanc nouerunt, sola eadem miscent, quia excessus quantitatem certo non cognoscunt. Quod itaq; ipse primum præparaui medicamentum, ex multis eiusdem generis compositum est, quoniam nondum cuiusq; uirtutis quātitatem exacte pernoscebam. Inieci etenim nōnihil arsenici, sulphuris, misyos, calcis lotæ & illotæ, & pompholygis, similiter spodij, item squamæ æris, chalcitidis ustæ, lotæ & illotæ, ad hæc non ustæ. Hæc igitur prius in aceto quā acerrimo diebus multis, sole æstiuo leuia reddidi. Quæ superfundi his debebant, cera erat necessario, & mellis nonnihil prius expurgati: resinæ propemodum omnes, propolis, pix, & ladanum. Liquida cyprinum, susinum, opobalsamum, amaracinum, gleucinū, cedrinum, & oleum ricininum, &

& uetustum. Ex singulis autem liquoribus, quos non multo ante recensui paulum aliquid, postremo aliàs aliud auferens experientiæ gratia, nihil simpliciora singula quibus in hunc diem utor, inferiora esse animaduerti: ipsorum autem symmetriæ mox ponentur. Itaq; ex aceto, & liquoribus talia cofeci, ceræ, resinarũ, propoleos, & picis non nihil adiungens, pari modo ex columbarum stercore & herbis tenuium partium.

Minus ergo molesta sunt liquida pharmaca cũ alijs, tum neruorum maxime uulneribus, utimur etiam emplastri modo cõpositis, propter eos qui se lauare uolũt. Lanis enim ablatis, ac tali pharmaco solo adhærente minore cum molestia lauant. Prædictum enim est neq; tunc uulnere affectam partem aquis respergendam si in manu id contigerit: pedem uero si is læsus sit, non madefieri qui potest: sed tunc à balneo primis quatuor diebus abstinẽdum est. Quoniam uero omnium huius tempestatis hominũ, & eorum iam etiam qui ruri degunt fortitudo perijt, qui lauare se quotidie consueuerunt, equidem qui non adeo delitijs affluũt (sunt hi maxime pauperes) ut plurimum obtemperantes nobis habemus: diuites uero & præsertim potentes admodum illos, uel ægre obtemperantes, uel prorsus immorigeros experimur. Optimum igitur fuerit nec ipsis mederi: uerum cum nescio quo modo alius ob aliam causam, quidam nostrum inuiti, quidam ultro ipsorum mollitiem tolerare coguntur, tale quippiam factitare consueui: uulneratæ parti pharmacum aliquod in emplastri modum imponens, extrinsecus iterum multiplices pãnos oleo tinctos plures superinijcio, quibus rursum extrinsecus fasciam ex linteis accõmodo, quam deinde in ipso rursus balneo, cum æger in solium est ingressurus, oleo prius perfundo: & loto uidelicet iam omnia imposita aufero; utorq; prædicto totius curationis genere.

CAP. IIII. At uero patet omnibus eum qui pulchre neruorũ uulneribus prospecturus est, etiã particularum naturę peritum esse oportere. Nam antea cõprehensum est, tendines pariter in quos musculi plurimi desinunt, nõ mediocriter cõdolescere, primum quidem conuulsionem generãtes, dein putrescẽtes & ipsos, uicinas simul partes uniuersas inficere. Nonnulli autem eorum ceu membranæ tenues latiq; sunt, quales in femorum terminis ad genua spectantibus, tũ intra manus, infraq; pedes subtẽsi sunt. Omnes eñ qui in manibus pedibusq; sunt, satis quidem coeuntes cutem contingunt: qui uero in patellam perueniunt, à circũposita cute per excoriationẽ abscedunt. Mihi etiã hoc forte fortuna contigit: etenim neruorũ uulnerum curationẽ iuuenis adhuc cum primum ex Alexandria in patriã reuerterer annos uigintiocto natus, excogitaui. Quia uero singula pharmaca quæ adinuenerã medicis amicis non solũ ciuibus, sed etiã uicinis exhibuerã, ut omnia usu ac experimentis firmarentur, uisumq; erat, haud noui quomodo, ciuitatis nostrę pontifici, gladiatorum curationẽ mihi soli tradere, quamuis iuueni adhuc (uigesimum

A nonum enim tum primum attingebam) tunc uulneratos in priore infernaq; femoris parte inuento præsidio curaui: in ijs sanè qui per trãsuersum percussi erant reliquum tendinis ipse amputans, ut tuta esset mihi curatio: qui uero paruum uel per directum uulnus acceperant, cum securitate simul & metu totam sanandi deductionem exercẽs. Nam cum omnes ante nos medici plurimũ aqua calente ipsos fouerẽt, & triticea farina ex hydrelæo modice decocta illinirent, ego sanè aquam omnino non obtuli: oleo autem frequenter respergens simul cum prædictis pharmacis, statim omnes sanitati restitui. Quandoquidem uero multi superioribus annis fortuito perierũt, mihi tamẽ ne quidem unus uel ex neruorum uulnere, uel alio mortuus

B est, alter pontifex succedens illi, qui mihi tum me dẽdi officium cõmiserat, similiter & ipse à septem mensium interuallo gladiatorum curationem fidei meæ concredidit. Siquidem primus autumnali solstitio, secundus uigente uere pontificatũ gessit. Rursus post hunc, omnibus à me seruatis tertius, quartus, et quintus pari modo gladiatores mihi curandos tradiderunt, ut iam permultum illam medendi curationem exploratam habeam.

2 Quinetiã hoc tempore tale quid industria inuenimus, cui animum aduertere maxime illos medicos conuenit, qui uulnerum curationem recte administrare cupiũt. Contemplatus enim gladiatorem quendam ex his quos equites nominãt, transuersam diuisionem in priore ac inferiore fe-

C moris parte habentem, eamq; satis altam, ac uulneris labrum intuitus, sursum alterũ reuulsum, infra alterum quasi ad patellã detractum, non dubitaui distantes inuicem musculorum partes suturis contrahere, curatione illa quæ per latitudinẽ dicitur neglecta. Itaq; ueritus tendines ipsis consuere, denudatis prius illis, sic altioribus suturis usus sum, haud ignarus carnosam ipsam musculorũ partem periculo uacare, tendines uero non item: quanq; hoc nullum ex pręceptoribus facientem uiderim. Quidam siquidem ipsorum in huiusmodi uulneribus solas cutis oras consuebant, nonnulli in carnosis partibus musculos ipsos suere ausi, id in superficie ipsorũ facere solebant: proinde si quãdo uulnus insigniter altũ, non secundũ membri longitu-

D dinem cõtigerit, summã quidem musculi partem glutinabant, reliquã uero totam inglutinatã relinquebant. Etenim in uulneribus iuxta membri longitudinẽ factis deligatura uulnerati musculi partibus inuicẽ contrahendis sufficit. Per transuersum uulneri accepto, cũ deligatura nihil prodesse posſit: ex sola sutura totũ absoluit᷑. has igitur nisi quis altas faciat, musculi in profundo partes inglutinatæ permanent. Cæterũ nonnulli opus à me confectum imitantes, anatomes imperiti, ab omnibus musculis subiectas membranas auellunt, nescientes has simul cũ musculis tutò consui: tendines autẽ similiter ipsis dilatatos non mediocri cũ periculo. Verũ quomodocunq; illi dilatati fuerint, tamẽ crassiores adhuc durioresq; mẽbranis sunt: tenues abunde illos uidebis, & in omnib. iuxta abdomen

musculis

musculis, præterquam duobus rectis, quibus obliquorum membranosæ aponeuroses (ij sunt neruosi ex musculis exortus) incumbũt. Alius tendo nullus præter enumeratos membranæ modo dilatatur. Quippe seruant omnes lati crassitudinẽ magnam satis, ut neminẽ latere queant. Atqui sympathia, id est naturalis cõsensus superpositarũ partiũ usque ad ipsum neruorũ principiũ non minus quàm in femoris termino musculis tum in cubiti gibberũ, quẽ Græci Ancona uocant, tum in calcaneũ inseritis accidit. Dilatant̃ itaque utriusque tendines, sed ita ut crassitudinem notandam retineant: calcis tendo ex sura descẽdens magis adhuc robustus crassusque ceu ex tribus neruosis exporrectionibus cõpositus apparet. Latuit autem hoc ætate nobis maiores anatomicos, sicut & pleraque alia in totis musculis, ac multo etiã magis in uenis, arterijs, & neruis. Multi uero iam ex meis sodalibus etiamnum hæc omnia nouerunt: & discipulis ostendunt, libris meis anatomicis perlectis. Memini sanè ex anatome euidentium, nihil ut quis putauerit commune cum opere De medicaminibus componendis habentium, timens ne ex huiusmodi inscitia errãtes uel uniuersam curandi rationẽ suspectam haberẽt, uel frustra membranas auellerent, fugientes inde sicut falso existimant noxã futurã. Quemadmodum alij quidam, cum non ualeant ligamenta cognoscere, ea tanquam neruos & tendines uulneratos suspecta habẽt, à periculo alioquin remota, quomodocunque afficiantur: utpote insensilia, & ex ossibus nõ musculis orta sicut tendines, uel ex cerebro spinalique medulla ut nerui.

3 Optime igitur uelut alia pleraque, etiam in his permulti medici clarissimi dixerũt, medicinæ partes mutuam opem requirere: tum quæ manu, tum quæ medicamentis, tum quæ uictu medetur, ac sanè maxime illã quæ manu curat, reliquis duabus indigere. Itaque si frequenter in simijs cuiusque tendinis, et nerui positũ ac magnitudinẽ contempleris, exacte memineris etiam si humani corporis incidendi copia tibi unquam suppetet, singula ut uidisti celeriter inuenire. Quòd si inexercitatus omnino facias, nihil inde promouebis: quemadmodũ nec medici bello germanico, barbarorũ corporũ insectionis potestatẽ habentes, amplius quippiã didicerunt ijs, quæ coqui intelligunt. Etenim Empiricorũ anatome fortuita occasione contingens prolixũ nugamentũ est, simile capris, quæ iuncis acutis cõpunguntur. hac nugacior est ex libris anatomicis institutio, non absimilis ijs qui secundũ parœmiã, ex libro gubernatores esse dicunt̃. Quandoquidem enim cõtemplati palàm à præceptore ostensos in corpore neruos, & tendines ipsorum, nisi denuo eos uideant, & tertium, & sæpius deinceps, loci accurate, in quo positi sunt non meminere, multo minus ex lectione poterũt addiscere.

4 Itaque huius tempestatis Empiricorum optimus, cum libros omnes anatomicorũ perlegisset, puerũ stilo in interiore brachij regione, supra medias ipsius partes in schola quandoque punctum, pharmaco emplastico curare aggressus est, cuius experientiam ex nerui uulnere curato paulo ante acceperat, puerumque ob id ab inflãmatione ac dolore immunem uidens, in totum curatũ putabat, uerum repetente septimo die cõuulsus perijt. Ille igitur cum factum quasi cuius ratio, aut causa dari non facile posset, nobis recenseret: ego uero medicamenti cõpositionis scripturam recitaret postulassem, ei cum id statim egisset, hæc protinus subieci, nunquid recensendo, quæ puero neruũ uulnerato nuper contigerunt, plus aliquid narrationi adiecisti, quàm quod medicamẽti mirifice puerum recens uulneratum curantis experimentum habueras? Vt autẽ ille confessus est nil se aliud sermoni addidisse: rursus igit̃ inquã, audi à me quid gestum sit. Notabile uulnus erat nerui percussi, quod medicamento hoc curatum esse dicis: & quidem audacter in id genus uulneribus iterũ eo utitor: punctus autẽ neruorũ angustam cutis diuisionem habentes tale pharmacũ sanare non potest. sicut nec id quod puncturis medendis dicatũ est, ipsi neruo nudo adhibitũ. Quippe multo calidius est, magisque mordet, quàm ut nudus neruus erosionẽ eius & ardorẽ sustineat. Vbi uero & cutis, & membrana super ipso, item caro præposita est, mordax medicamentũ, si tenuiũ etiã partiũ sit, eadẽ ratione neruo medet̃, qua pharmacũ tuũ, quãdo ipsum solum nudum neruum affectum contigerit. Præcipua autem danda opera est, ut oræ angustiorum punctuum apertæ sint, ut calidum medicamen extrinsecus applicatum per eas uapores educat, attrahens humiditatem circa affectum locum in alto latentem. ob quam rem in id genus puncturis orificium duabus in cutem sectionibus secũdum rectos angulos diuidere oportet: atque tũ hæc, tum alia multa prius relata dixi ei, qui in pueri neruo uulnerati curatione errauerat adeo, ut ex praua medendi ratione ipse conuulsus interierit. Itaque omnes norunt etiam punctæ partis naturam indicare nonnunquam uulnus absque periculo, nonnunquam suspectum esse, cum neruum subiectũ uiderimus, ut in puero ad brachium puncto: non enim sermone locus potest exprimi, ubi quæ per alã in totam manum pertendunt, brachio inseruntur.

5 Et sanè hic quoque demirari est Empiricorum litigandi studiũ, qui quidem in alijs omnibus medicinę opus quodlibet subinde contemplatũ, melius ipsum imitari cõcedunt, quàm si raro uiderit: itidem melius eum quolibet opere perfungi, si frequẽter illi adsueuerit. sola uero quæ ex corporum incisione cognoscuntur posse quempiam firmiter assequi, modo anatomicorum uirorum historiam perlegerit: cum uel ex ijs, qui à præceptore ostensas corporis partes conspexerunt, nemo semel uel iterũ speculatus adamussim memoria tenere possit, sed frequenter illum conspicere conuenit. Nerui autẽ non modo magni in alto particulas multas corporis permeant, sed interim quoque solum distributorum tanquã radices quædam sunt, in quibus uulnerati nisi probè curentur, subiacentium magnorũ cõnsensorium affectũ obtinent, unde hi prodeũt, quos in anatomicis administrationibus

accurate pertractauimus, ab omnibus qui me præcesserunt omissos. Atque has radices nisi crebro in simijs fueris intuitus, fieri non potest, ut cum humanum corpus in cõfectionem nactus fueris, exacte deprehendas: quemadmodum multo minus in anatome fortuita, quam & speculationem uulnerariam nominant, locum ex sola lectione inuenire queas: quanquam nec aliquis permulta uulnera ipsemet inspicere poterit, si ea excipias quæ in bello contingunt, in quibus & ipsis nemo dum saucium cito curare studet, contemplatur, ubi uulneratis partibus nerui, ubi arteriæ, uenæque subiaceat. Videntur itaque in huiusmodi affectuũ curationib. anatomes imperiti similes ijs qui iter in lectica cæci faciunt, eoque uehementer errant. Verũ qui inter ipsos partiũ & experiẽtiã ex incisione cognitã, & methodum cõfectionis, ususque medicamẽtorum coniunxerit, is semper neruorum uulnera uti nos sine omni periculo curaturus est, ut nec principalior ulla pars cõdoleat, nec uulneratus neruus, aut cõtusus inflammatione laboret: ubi iam hæc sunt, multo minus uel putredo, uel claudicatio, uel conuulsio, uel ipsa mors comitabitur.

Confectiones medicamentorum ex metallicis, ad neruorum uulnera. Cap. V

Ex metallicis medicamentis astringentia uitare consultum est, præsertim ubi compositi pharmaci usus in punctura eueniat: quę uero detergẽdi uim obtinent, sicut æris squama, ex usu sunt. Cæterum omnia metallica, cum crassiorũ partium existant (multũ enim terrestris substantiæ in se continent) artificij nonnihil in præparando requirũt, quo tenuiora fiant. hoc igitur ex aceto facere quàm acerrimo excogitaui, præsertim quod ex uino non austero confectum est, ac si ex tali non sit, sed admodum uetus, eo utitor. Attende tamẽ diligenter in gustu, ne tibi uel minimam uini qualitatem referre uideatur, tale quippe acetum ualidam exedendi secandique uicina potestatem non habet. Iam uero metallica ex acerrimo, et quàm fieri potest uetustissimo, substantiaque tenuissimo leuigare oportet, eum qui consistentiæ crassitudinem deuitat. Præstat autem id in sole ęstiuo perficere. Sunt quidem ex metallicis quæ nec cõminui nec cribrari postulant, cum facile ab aceto soluantur, sicut chalcitis, & misy. Nonnulla & contundi & cribrari desiderant, quemadmodũ æris squama. Cum igitur primum præpararẽ medicamentũ, immiscui ei & arsenicũ, postea superfluũ esse putaui. etenim ex ęris squama & misy, & chalcitide medicamen compositum iri, abunde mihi satis uidebatur. miscui autem prima confectione etiam æruginem combustam: nam quæ ignem experta non erat, tanquam iusto mordaciorem suspicatus sum: deinde tamen non ustæ pauxillum simul adieci, quantũ aliorum portio ferebat. Pari modo chalcitidẽ, crudã sanè paucissimam, ustam uero æqualem misy & æris squamæ indidi. Præstantius autem omnibus compositis fore speraui, imò etiam usu deprehendi, in quo plurima ęris squama inesset, dein chalcitis combusta, postea misy. Quęcunque igitur miscebis pharma-

A ca, ad solem, ut dixi, uerno tempore, multis deinceps diebus in puluerem ex aceto quamacerrimo redigantur: quanto enim longiori tempore trita fuerint, hoc tenuiorem substantiam cõsequentur, ideoque angustis uulneribus aptiora: sicut in neruis denudatis, admodum tenuia exedentiaque cauenda sunt, ob quod prædicti pastilli omnibus id genus conueniunt: siquidem nonnulli astringentia quoque assumpserunt. Porrò celebres ex illis sunt, qui ad Andronem, Polyidam & Pasionem autores referũtur. Sunt & alij quidam quartus & quintus illis ualẽtiores, quibus ego subinde utor. Symmetriæ uero ipsorum perfectæ sermonis processu dicentur, nunc de eorundem usu tantũ explicasse sufficiat, quòd tritos ipsos aridos, postea rursus siræo, id est, sapa, adiecto ita terere conuenit, donec

B sordium spissitudinem recipiat medicamẽtum, & æqualiter leue fiat. uocant autẽ nunc omnes apud nos & siræon, ex musto decocto natum. id autem nihil uinosum habeat, quale non ex austerarũ uuarum, sed quammaxime dulcium musto præparatur, neque ex primo fluente, sed postremo. Si igitur tale mustum extiterit, coquendum est, dum ad dimidiam partem mensuræ cõsumatur: sin minus tale, ad tertias coquendũ est. Huiusmodi quidem decocto pastillos soluere expedit, ut mellis crassitudine linamentis excepti, neruis denudatis imponantur, maximeque ex ipsis tẽperatiores, qualis Polyidæ est: ac multo sanè magis, si corpus sit tenerũ ac molliusculum, in quo & prorsus à pastillorum usu

C te abstinere tutius est, alijs utentem pharmacis, de quibus iam sermo factus est, iterumque fiet. Neruo autem nudo, linamentis cooperto, extrinsecus unum aliquod ex ijs quæ ad angusta uulnera conueniunt, superdandum est. Quorum sunt quatuor genera, unum hoc, quod ex metallicis conficitur: alterum quod ex liquoribus, inter quæ refertur & illud quod ex euphorbio constat: tertiũ ex columbarum stercore: & quartũ mite à me appellatum, quo etiam ad neruos tenerorum corporum omnino denudatos utor. Ex his quatuor unum quoddam toti affectæ particulæ circumdandum est ita, ut sanarum quoque partium multum unà comprehendat, præsertim superpositarũ, quas bis die, uel ter, si necessitas incidit, perfusione fouere oportet. Quinetiam nocte interim, linamentis quidem

D denudato neruo impositis: cæterum eo quod extrinsecus admotum erat ablato.

2 Porrò quum permagna humanorum corporum sit differentia, tum in natiuis ipsorum temperamentis, tum ætatum mutationibus, insuper uitæ studijs, nulla ratione quod componitur medicamentum omnibus cõuenire potest. Quamobrem duo in promptu habeto, alterum ualentius eiusdem generis reliquis, alterum mitius, quibus inuicem mistis, dum usus postulat, permulta inter hæc media iuxta misturæ quantitatem constituas. Si namque parem utriusque portionem confuderis: mistum exacte medium amborum erit: quòd si alterius plus adijcias, tantum à medio ad illud summum recedet, quãto mistura superauerit. Esto igitur

tur ualētiſsimū metallicū ex his conſtructū, unam partē crudę chalcitidis habeat, duas miſyos ſimiliter crudi; tres æris ſquamæ: inualidiſsimum, unam itidē miſyos & chalcitidis, ſed utriuſq; combuſti: ſquamę quatuor. at uero amborum medium, quo ſubinde uſus ſum, tale eſto. Miſyos, chalcitidis, æruginis, cuiuſq; uſti pars una, æris ſquamæ partes tres. His, ſicut prædixi, contritis, ceræ in ualentiſsimo duplum, in altero duæ partes & s. miſcētur: in medio, quod intra hæc conſiſtit, partes duæ, & quarta: ſicut in primo trium quod ualentiſsimum eſſe dixi, omnes partes numero ſex ex miſy, chalcitide, & ſquama collectæ naſcunt̄. His ergo duodecim ceræ partes adijcient̄. At in medicamento inualidiſsimo, ſi metallicorum ſex partes exiſtant, ceræ octodecim apponas: in mediocri amborum medium. Sunt autē inter octodecim & duodecim media quinq; et decem. Siue igitur denariū unum ſtatuas, unam eſſe partem, omnium uidelicet tot denarios adijcito quot partes, ſiue unciam, ſiue libram. Sic enim apud Romanos cōſuetudo eſt nominari tot uncias uel libras. Porrò menſura quidē apud ipſos eſt, qua oleum metiunt̄, inſecta diſcretaq; lineis, totā in duodecim partes diuidentibus, atq; integra menſura ab eis libra nominatur: duodecima uero eius portio uncia. metallica igitur & cera in lance alijs uncijs ponderantur, oleū cornu metiuntur. Itaq; prędictis pharmacis omnibus iuxta ceræ proportionem oleum immittatur, ſuperetq; in ſingulis ipſis dimidio, ut ſi cera uncias viij. compleat, oleum duodecim, hoc eſt integram libram pendat. Eſto aūt id Sabino ſimile, partium tenuiorum minimeq; aſtringēs, aut etiam ſi uetus ſit, præſtat. Acerbum uero, & quod ex oleæ ſurculis confectum eſt, nequaquam cōuenit. Cæterum omnibus medicamentis cōmemoratis, ubi metallica ex aceto pluribus diebus in mortario trita fuerint, thus candidiſsimum & pingue admiſceatur: deinde rurſus unà cum metallicis diebus aliquot leuigetur, priuſq; ceratum eis immiſceas. Quanta uero ex omnibus metallicis copia colligit̄, huius partem dimidiam thus cōtineat. Quòd ſi mollius medicamentum facere poſtulas, amplius quàm dimidiā: ſicut ubi acrius expetis, minus dimidio adiungas. Et uero etiam ceræ cum oleo liquatæ reſinam quandam ex ijs quas recenſuimus, miſceas licet, ſciēs acrius ipſum adiecta ſtrobilina fieri: mollius terebinthina, medium utriuſq; abietina. Ex harum genere larix quoq; eſt, prædictis planè humidior, cōſiſtentia uero ſimilis liquidæ piceæ, quam loco terebinthinæ inſtitores uendunt, ignorantibus eas diſcernere: eſt autem talis reſina odore, guſtu, & facultate quàm terebinthina acrior. cū hac igitur & terebinthina, larix perſimilem potētiam obtinet, ſed tenuioribus partibus maioreq; diſcutiendi uirtute prædita eſt. Miſcebis igitur ceræ ſextam ſuperiorum reſinarum partem, uolens medicamentū emplaſtri figurā induere. Nam uni ceræ pondo reſinæ uncias duas adijcies: ſin autē liquida inſigniter fuerit, uel unam tantum miſcere ſatis eſt. Attamen ſi ut in modū emplaſtri pharmacum fiat, nihil curas, reſinam addere non admodum opus eſt. & chalbani uero æquale thuri pondus indes, ubi mitiſsimum reddere medicamentum ſtatuis, dum ualentius, dimidium: quando ipſorū medium, id quod inter æquale & dimidium eſt. Verbi gratia, ſi quatuor thuris denarij fuerint, duos chalbani impones, ualidū permanere medicamen poſtulans: mite, quatuor: medium tres. Vt enim molle & dolorē leuans quippiam habet, ita quoq; purificū, quod ſanè & plurimis mollientibus accidit. Quare cum neruo denudato pharmacū adhibes, non adeo chalbanum eſſe cōmiſtum oportet. Quòd ſi nudus ille non eſt, haud mediocriter ipſius admiſtio dolore auferendo cōuenit: ideoq; tale etiam medicamentum acuto ſenſu præditis, teneris & cacochymis paratum habere expedit, in quo plus chalbani adiectū ſit. Omnia ſiquidem metallica exaſperant, doloremq; concitant, & ex liquidis acetum, unde merito ex illis cōfecta pharmaca aſpera uidentur, & dolorifica, ob quam rem & fotus ex oleo, & chalbani miſtura ſimiliter ipſis idonea eſt: nihil autem minus tenuium partium adeps chalbano dolorem ſedat. Quare uelim te aliud quoq; medicamē ex his aliquod præparatum habere, quod ex metallicis cōpoſito miſcere poſſis, tum in dictis corporibus, tum in ijs quæ aſperum & dolorificum quandoq; medicamentū perceperint: deligēdus autem adeps, qui tenuiorum partium exiſtat, cuiuſmodi ſunt agreſtiū animantium, maxime leonis, pardi, hyænæ, & urſi, ad hæc uolatilium, maxime anſerum: horum inopia agreſtium gallorū gallinarumq;, ita uero anſerū quoq; ſylueſtrium. Nam animalium quæ in urbibus aluntur, & tanquam in ocio cōcluſa ſunt, humidior eſt adeps & craſsior. Cæterum quando pharmaci cōſiſtentia cerati ſpiſsitudinem habebit, ceræ tertia uel quarta pars admiſceatur: uel ſi adeps humidus nimium eſſe tibi uideatur, licet & ceræ dimidiam adijcere: quemadmodum & ubi ſicca fuerit, quartam: cum mediocriter habet, tertiam. Porrò huiuſmodi ceratum quod utile nobis futurum eſt, ex ſeuis nominetur.

De medicamento quod ex euphorbio componitur. Cap. VI

Dictū mihi eſt & antea uetus euphorbium recentiori multo inferius. Si igitur anniculum ſit, etiam Cyrenæo magis ſucco excalfacit, præſertim eo quem nunc habemus, ex quo per aquæ irrigationem ſtirpes augent, & ad liquoris copiam generandam pręparant. Nam poſt annū unum abunde calidum eſt: deficit autē iam non mediocriter à recenti, bimum adhuc magis à nouo degenerat: quemadmodū trium aut quatuor annorū, etiam hoc magis. Vetuſtioris uirtus omnino reſoluitur. Cognoſces autem, ut dixi, quam ætatem, quamq; uim obtineat, & colorem & cōſiſtentiam eius reſpiciens. Colore quidem uetus nouo flauidius pallidiuſq; apparet: cōſiſtentia durius & ſiccius. Iam ſi guſtu uoles diſcernere, non coniecturalem eius dignotionem, ſed firmam habiturus es: quod uero dixi, calfactoriam unctionem ex eo me confeciſſe extemporali uſu exigente, exactiſsime pharmaci

maci facultatem tibi indicabit. Constat autem hac symmetria. Vna pars est euphorbij, tres ceræ, olei duodecim: ceram quidē euphorbio triplo copiosiorē, oleum uero quàm ipsa cera quadruplo esse cōuenit. Vbi igitur in hunc modum medicamentum cōposueris, fricata eo parte aliqua manifesto licebit dignoscas, quantā uirtutē obtineat, maxime autē in balneo innotescit. Siquidē ab aere quidem mordentur, sed magis adhuc ualide ab aqua, ubi fuerit ualida, & Euphorbium recens & forte. Tale igitur consecutus, & hanc ipsam cōmemoratam unctionem audacter puncturis imponito, in quibus osculum obturare uereris. Si imbecillius fuerit, auge mensuram euphorbij pro imbecillitatis ratione, interim partē unā ac dimidiā iniiciens, interim duas, nonnunꝗ etiā pares ceræ, & plures si uetus nimiū extiterit. Primus sanè usus in puncto neruū, uel tendonē, ad secundū te deducet. Si nanq; & uulneratus ipse erosionē sensisse dicat, tibiq; ipsi partes puncturā ambientes calidæ appareant, tum ipsa punctura magis ac par est elata, & oræ inflammatione subafficiantur, uel olei copiosioris mistura, uim medicamenti remittes, uel cōpones aliud ad priorē symmetriā, aut euphorbio uetustiore moderatū ita efficies. Quòd si econtrario quàm dixi, eueniat, uirtutē pharmaci adaugebis. Sin mediocriter omnia habere uidebunt, seruabis. Itaq; cōfectura ceram triplo euphorbio copiosiorē cōtinens, aliarū est ualentissima, cum illud (quemadmodū diximus) recens additur: quincuplo autem habens inualidissima: quadruplo capiens, medio inter utrasq; ordine consistit.

2 At si uelut unguenta proponis efficere, qualia à medicis acopa, id est lassitudinē leuantia, nuncupantur, oleum cerę quadruplum immiscebis. Si uero ut in fracturis liquidum ceratum parare, duplū: quando cera & sicca & pinguitudinis expers fuerit, etiam amplius quàm duplum: plerunq; uero sufficit unius partis dimidiū duplo apponere, ut tota ceræ mensura duarum partiū & semissem fiat. Atqui in modum emplastri medicamen cupiens imponere, oleum pari mensura cerę miscebis, siquidem ambiens fuerit calore temperatus: sin cera uetus & arida & illud frigidum est, paulo amplius: sicut cum cera est pinguis, ambiēs calidum, paulo minus. Id aūt minus duodecima utroq; uersum medij portio est, etenim & undecim, & tredecim nonnunꝗ olei uncias ceræ libræ miscui, tum pro eius cōsistentiæ quantitate, tum aeris circumflui caloris frigorisq;. raro autē paulo plus, uel minus: uerum ut colligationē, pinguitudinem uiscositatemq; haberet, nec friabile esset, aut facile dissolueretur, aut à cute decideret, adiunxi resinā ei, potissimum si aderat, terebinthinā ueram: sin minus, paratissimam ubiq;, quam frictā & colophoniā appellant, eamq; pari cum cera pondere. conseruat enim medicamentis quibus iniecta est, priorem cōsistentiam, ubi & ipsa mediocriter habeat: quippe notum est ut in omnibus alijs, sic in resina quoq;, maioris minorisq; rationem cōsistere. Itaq; si pinguior liquidiorq; nonnunꝗ appareat, scien-

A dum est, ceratum quod ex cera cum oleo liquata proueniet, liquidius multo quàm fuisset, euasurū. Summatim, in neruorū uulneribus, cum interim ab exacta mediaq; medicamentorū emplastri modo confectorū consistentia erratum fuerit, ad molliorem potius tendere, si inquinaturum quoq; sit, quod confectum est: simili ratione & quod consistentia mediocri est. Pix artē cerati consistentiam seruat: optima uero, sicut dictū est, in talem misturam pinguis existit, quemadmodum & resina. Si liquidam resinam iniicias, quali cōsistentia est terebinthina, tertiam ipsius partem ceræ esse oportet: atq; ipsa terebinthina recens, ueteri longe est liquidior. Mementote igitur, quod de cera & resina audiuistis, id in omnibus obseruare, nec enim B ex siccis, & aridis uel tempore, uel ex primaria natura, uerum ex mediocribus consistentia, tantum cuiusque miscendum est in medicamentorū compositione, quantum à me scriptum inueniatur. Esto igitur quod uim & substantiam prædicti medicamenti mediocrem habet, ceræ, resinæ frictæ, & olei pares portiones continere ipsius euphorbij sextam, ut singulorum sit illorum libra, euphorbij unciæ duæ. Quòd si mollius ipsum reddere uoluerimus, octauam euphorbij partē iniicere sufficit, hoc est unciam & dimidiam, in recente & calidissimo uelut præcensui, euphorbio symmetria hac definita: nam si uetustius sit, eoq; imbecillius, copiosius hoc aliorū portione esse debere, prius indicauimus. At si non resinam duntaxat, imo etiam C picem iniicere est animus, selibram utriusq; miscebimus, ut modus ceræ sit æqualis.

3 Quanꝗ multo præstat medicamentum, si resinæ picisq; loco propolim ceræ parem adiungas. Quod si ipsa pinguitudinem non habeat similiter resinis, si adhærens pharmacū, ut fascijs ligari non opus sit, esse curemus, terebinthinam, uel laricem nominatam, uel etiam syncomistem pineam indemus: uoco syncomisten, quam in alueis & dolijs comportant ligna multa, ac lapidosa corpora in se habentem, quæ liquata, dum percolatur pura tūc, sicut colophonia, & fricta dicta redditur. Quin & resinas autorrhytus, id est quasi sponte fluētes admiscere licet. nominant ipsas in Lacedæmone, ac alijs regionibus nonnullis protorrhytus, quasi pri- D mifluas dixeris. in Cilicia uero nuncupant talem resinam capnelæon, liquidis omnibus resinis tum liquidiorem, tum calidiorē, tum partibus tenuioribus præditam: quare potentiæ quidem hæc medicamenti quod componis conferet, ac maxime iniicienda, cum euphorbium roboris expers fuerit. Porrò & inter alias resinas odoratior est, sicut terebinthina & abietina. enimuero dictum est antea, terebinthina abietinam esse calidiorē, hac uero strobilinam. Differt autem à prædictis resinis, quod uocatur strobilinum physema, & pityinum, adeo siccū, pinguedinis expers, arescensq; utrūq; celeriter, ut in pila cōtundatur, & cribro secernat, quare ad propositi medicamenti cōpositionē neutiq; hæc cōueniūt: usus tamē sum frequentissime, cū euphorbiū anniculū existeret. Porrò dū cōponitur

nitur, olei, ceræ, resinæ frictæ, singulorum pondo libram misceo. picis pinguis selibram, & his lique factis, euphorbij pondo unc. ij. si imbecillius sit, iij. si terebinthinam ceræ adijcere uoles, unã. Mediocrẽ pharmaci cõsistentiã facies, si cera terebinthinam liquidã & recentẽ triplo superet, huius uero exiccatæ tẽporis spacio resinæ dimidiũ põdus oleo adæquato. Totũ aũt ex tribus mistũ, oleo inquam, cera, & terebinthina, cum fit libræ unius ac semissis, euphorbij anniculi unc. i. accipiet: si tale non extiterit, unã & semissem. unde sicut iam subinde dictauimus, euphorbiũ pro tẽporis ratione augere nobis est integrum. Quinetiam, si uulneri impositũ pharmacũ primo usu uidetur quodammodo imbecillius, euphorbium oleo leuigatum, medicamini emplastroso, manibus ante subacto licet admiscere: sic enim nobis facientibus, promptitudinẽ accipit. Cæterũ in prima pharmaci cõpositione satius est ceratũ rasum seorsum, ubi preparaueris ita leui facto ex oleo euphorbio admiscere. Quippe ijs quæ liquata sunt, ipsi superfusis in mortario, plerunq; fiunt encerides nominatæ, præsertim ambiente frigido. Aquam uero ceræ liquefactæ cũ resina cõmittere nõ est necessarium, sicut ego ab initio factitabam, tantũ ei admiscens, quantum in ipsa coctione consumendum erat.

Medicamentum ex liquabilibus confectum. Cap. VII

Liquabilia uoco medicamenta, tum quæ ignis cõmercio colliquantur, tum quæ ex humidis quibusdam, uelut aqua, aceto, & uino. Ex aceto itaq; citra ignẽ liquescit gutta ammoniaci, sagapeni liquor, et panacis similiter, quem appellatione composita opopanacem uocant. Igni uero liquescunt propolis, cera, resina, ladanũ, seuum, chalbanum, uerũ hoc in duplici uase colliquare melius est. Nominamus autem sic, cum in cacabo, qui aquam calidam habeat (prunis enim incumbit) uas alterum consistit, præter liquabilia etiam chalbanum continẽs. Habeto autem tale quoddam confectũ medicamentum saltẽ unum, & si duo habere præstaret, quorũ ualidius erit huiusmodi. Opopanacem ex aceto dissolutum diutius cõterito, huic postea liquefacta super igne propolim, chalbanum, resinam terebinthinam misceto: singulorũ itaq; aliorum pars una esto, propolios uero recentis pinguisq; sex: quòd si sicca uetusq; cõtigerit, præstat omnino tali non uti. At si aliam non habes, duas portiones, non unam miscebis: sin absit propolis, eius loco picem pinguem immitte, qualis est brutia, & quæ ex regionibus circa Pontum apportatur; pinguis simul & odorata, quam in nigrũ amaracinũ inijciunt, quale prius omne conficiebatur: nunc enim & sine ea subalbidum amaracinũ componunt. quod si tali etiã careas, alia utitor terebinthina, sicut prædiximus, duplicata. Ego nonnunquam uel solum medicamentũ ex pingui pice cõfectum imposui, quo etiã ad canum morsus utor: hoc nanq; solam picem pinguem ex aceto acri co ctam huiusmodi symmetria continet. Sextarium unum Romanum aceti. libram unam picis. opopanacis quadrantem. quod est uncias tres. hoc pharmacum ulcus ex rabiosi morsu cicatricem ducere non sinit, sed punctis in neruosa aliqua particula idoneum est, quippe quod puncturæ oras conniuere nequaq; permittat. Quoniã uero durum est, in duris solum corporibus eo utemur, qualia sunt fossorum & messorum. Sin autem puero, uel muliere, uel molliore corpore puncto, hoc tantum quispiam uestrum præsens habeat, idem cum unguento aliquo discussorio, amaracino maxime & opobalsamo colliquare licet, deinde cum irino & comageno: hæc si non adsint, gleucino, id est musteo, susino, & cyprino: his quoq; desideratis, oleo ueteri liquefaciat: uel si in Alexandria forte fuerit, ricinino & raphanino: hęc siquidem copiosissima in illa ciuitate habentur, sicut etiã in uniuersa Aegypto. Atqui in illis regionibus sinapinũ oleum haud ægre reperiri potest, cuius & ipsius parte aliquando mista pharmacũ acerrimũ fore, nemo ambigit, ut ad puncturas cõniuentes aperiendas conducat. Patere autẽ cuilibet arbitror ex prædictis, si & loco opopanacis sagapeno prius in pila ex aceto trito liquefactam resinam, propolim & adipem quampiam acriorem adijcias, eiusdem generis medicamen futurum.

2 Alterum uero mollius est genus pharmacorum liquabilium, sed acetum non habet, quod resinis & propoli & seuis tantum præparatur, cera quoq; propter spissitudinem adiecta, ex cuius mistura pharmacũ tactui cõmodius redditur. Adeps porrò tenuium partiũ acrisq; esto, sicut leoninus, & pardalinus, & post hos hyenæ & ursi. Sed de anserino quid attinet dicere, præsertim cum anseres rusticę fuerint? Quin et tauri uetustus adeps et hircinus huc conuenit: nam cum mistæ naturæ ac facultatis existant, temporis interuallo (quia terrestres acresq; sunt) ad maiorem acrimoniam declinant, similiter uidelicet plurimis quę uetustescũt: sic nanq; & ipse porcinus adeps omnium cum sit mollissimus, temporis processu acrimoniã acquirit. Idem uino, aceto, & melli accidit. In horum autem medicamentorũ genere sunt etiam medullæ, longe uero præstat ceruina, & uitulina. Horum acrius coagulum; & iam uehementiori pharmacorum generi propinquum existit. Itaq; & huiusmodi aliquod pharmacum habere te cõsulo, ut cum à forti aliquo medicamento supra modum morsam partẽ uulneratã indignatã offenderis, oleo prius eam fotam, huiusmodi quopiam cõtegas: sic nãq; placata ea rursus ad acrem curandi modum redire poteris. Ego itaq; dum partem in neruo uulneratam quandoq; soluissem, uulnus irritatũ cõtemplatus, pharmaco liquido forte fortuna præsenti, quod ex adipe cõstat, ad aures inscriptum, id in uase duplici calfactum affectæ particulæ illeui, ac subito inde auxiliũ ipso ægrotantis sensu accessisse percepi, quippe statim omnis dolor quieuit: atq; ita à nobis soluta secundũ naturã habere uisa est.

De pharmaco ex columbarum stercore confecto. Cap. VIII

Columbarum in turribus rusticorum agentium stercus acre est, quo interim ruri usus sum in adolescẽte nerui uulnere affecto: atq; hoc agricola cum

uidiſſet, qui fundi curã gerebat, erat enim non im
prudens, imitatus ſemper uſurpat, & neruis uulne
ratis medetur. Porrò compoſitio & uſus idem eſt
medicamini ex euphorbio, alijs nimirum eodem
modo habẽtibus, ſed euphorbij loco ſtercore in-
dito. Verum ſtercus hoc ſubtilitate euphorbio ce
dit, eoq́ꝫ duris corporibus in agris ex uſu eſt. Mi-
ſcui aliquãdo ipſum & metallicis, experiundi gra
tia, ſtatim à principio cum eis terẽs ex aceto ad ſo-
lem, ſicut nuper docui, multoq́ꝫ acrius medicamẽ-
tum euaſit, quemadmodum & cum æruginem ui
uam, id eſt non combuſtam, acceperit.

De pharmaco ex herbis compoſito. Cap. IX

Inſuper ex herbis tenuium partium ad neruos
uulneratos medicamentum compoſui, initio qui-
dem ex dictamno, amaraco & ariſtolochia tantũ,
poſtea uero & ex alijs, mei ipſius periculũ faciẽs,
an recte compoſitionem ipſorum coniectura aſſe
querer, atq; omnia quo uolebam, perduxi. Idoneę
uero ad id herbæ amaritudinem ſine adſtrictione
guſtu referant, uel acrimoniam quidẽ, non tamen
immodicam: tales ſunt præter prædictas, maron,
amaracum, polium, argemone, chamæpitys, cen-
taurium, quæq́ꝫ eius notæ in Simplicium medica-
mentorum doctrina commemoratæ ſunt: quem-
admodum etiam radices omniũ ariſtolochiarum,
dracunculi, cucumeris agreſtis, bryoniæ, altheæ,
iridis, acori, mei, aſari, phu, gentianæ, & panacis:
omnium enim id genus materiam in Simplicium
pharmacorum commentarijs expoſui. At radices
herbasq́ꝫ totas non modo ſcire oportet, accurate
contuſas tenuibus cribris ſecernere, ſed etiam de-
nuo exacte leuigare, ut arida collyria, quo uſq; in
puluerem redigantur: nam quod craſsis conſtat
partibus, neruos uulneratos nihil iuuat, qui ſubti-
lia ut diximus, pharmaca requirunt. Cæterũ con-
ciſum medicamẽ, leuigatumq́ꝫ liquido aliquo ex-
cipiatur, cerati ſpeciẽ habente ea ſymmetria, quæ
in euphorbio prius indicata eſt. Quantum enim
in illo bimuli euphorbij, tantũ ijs dictamni, mei,
& acori iniſciendum eſt, & quæ his ſimiliter cali
da guſtu percipiuntur: quantũ uero illis trimuli,
tantum his ariſtolochiæ, iridis, dracunculi, gentia
næ, aliorumq́ꝫ id genus, quæ perinde atq; hęc ama
ra ſunt, immittemus.

De ſumptuoſis pharmacorum confecturis, ad neruos uulneratos. Cap. X

Non abs re fuerit etiã eiuſmodi pharmaca cog-
noſcere: uſus enim ipſorũ quandoq;, ſed rarius in-
cidit, quemadmodum uiliorum frequenter: ubi
enim quiſpiam pharmacorũ, medicinæq́ꝫ ſtudio-
ſus non plura quingentis myriadibus haberet, ul-
lo uiliore uti dedignabatur: multo magis uel di-
ues aliquis, uel monarcha odoratũ ſimul, & quod
multa conſtet pecunia, uolet habere pharmacum.
Porrò diuitis citati, cuius in primo De pulſuum
prænotione ſuppreſſo nomine memini, quemad-
modum & nunc, qualis erat, ex duabus ipſius a-
ctionibus eiuſmodi condiſces. Vlcus famuli ma-
lignum ipſe ſanare conabatur, ubi autẽ nihil pro-
mouit, mihi hominem tradidit: ac cum uideret cu
A ratum, medicamenti ſcripturam poſtulabat, neſci
ens multas quidem malignorũ ulcerum eſſe diffe
rentias, multas item medicamentorum, ſed arbi-
tratus unum pharmacum omnibus poſſe mederi.
Cum igitur qui applicabat, neq; artificioſe ipſo u-
teretur, poſtq́ꝫ audiuit, quibus conſtaret, eſſentq́ꝫ
omnia uilis precij, hoc inquit mendicis ſerua, me
autem ſumptuoſius aliquod doceto. Quin etiam
puello diu ex auribus laborante, ubi ipſe multis
quibus uſus erat medicaminib. citra methodum,
nihil attuliſſet præſidij, nobis illum quoq; curan-
dum adduci præcepit: poſteaq́ꝫ audiẽs re quadam
uili puerum ſanatũ, non poſtulauit à me pharmaci
ſcripturam. Hic igitur ipſe contemplatus multis,
quibus nerui uulnerati erant, digitos & abſciſſos,
B & putrefactos: quoſdã uero perijſſe, uel mancos
redditos: deinde intelligẽs nullum ex eis qui à me
curati eſſent, periclitatũ, omnes uero celeriter ſa-
nos euaſiſſe, pharmacũ cupiebat aliquod à me ac-
cipere odoratum ſimul & ſumptuoſum, quo ner-
uorũ uulnera poſſet ſanare: ego ſanè multas iam
ſæpe tum familiaribus, tum amicis medicis ſcrip-
turas iuxta prędictam methodũ ex tempore com
poſitas tradideram, ut experimentis cõpoſitionis
ipſorum ratio confirmaretur, ſumptuoſum uero,
cuiuſmodi ille uolebat, pauperculis hominibus
nullum utiq; dedi, ratus melius eſſe remedia ex pa
ratu facillimis componi. Cum igitur diues ille odo
ri ſumptuoſiq́ꝫ medicaminis cõpoſitionẽ aliquam
ſibi dari petijſſet, plures ei ſcripturas donaui præ-
C dicta methodo factas, quas ille cum experiri feſti
naret, tum liberis, tum ſeruis neruis uulneratos ſi-
bi conquirere iniunxit: medicamẽtis autem ſupra
omnem ſpem operatis, primum ſanè me laudauit,
ut qui citra inuidiã ac liberaliter ſcripturas ei com
municauerim, poſtea etiam donis proſecutus eſt:
etenim ad huiuſmodi quoq; officia prõptus erat.

2 Porrò medicaminum quæ ei dederam, confe
ctura eſt talis. Cinnamomi, dictamni, mari, ſingu
lorum denarium pondo quadraginta. hæc nanq;
odorata ſunt & ſubtilia: at amaracũ quaſi non bo-
ni odoris nequaq; miſcere cogitaui, deinde quo-
niam Romæ ægre poterat inueniri, ſicut & marũ,
uidebam autem illum ægre parabilibus gaudere,
quemadmodum & ſumptuoſis, appoſui ſcripturę
D etiã illius pauxillum quiddam partis unius, ut pu-
to quartam uel quintam portiunculam: hæc con-
tuſa, cribroq́ꝫ ſubtiliſsimo ſecreta miſcere iuſsi ce-
rato ex opobalſamo optimo, & cera tyrrhenica fa
cto: cõmodũ uero eſſe conieci, ſi cerę partes octo.
opobalſami decem receperit. at ne friabile medi-
camentũ foret, ſed ſibi cohærens unitumq́ꝫ, etiam
reſinæ terebinthinæ, quæ & ipſa eſt odorata, mo-
do ſit optima, partem unam adieci. Verum ſi ge-
neroſius, ut dixi, medicamentum facere propo-
nas, non unam cuiuſq; herbæ cõmemoratæ par-
tem immittas, ſed amplius, ut una & ſemiſsis fiat.
Hoc igitur ab experientia probatum eſt medica-
men. Alterum ex eodem cerato, & liquore cyre-
næo compoſitum, miſtura pro portione euphor-
bij facta: tertiumq́ꝫ aliud ex ambobus miſtis con-

fectum

fectum: quartum deinde, quod stacten myrrham accepit. In quibus autem neruus nudus est, ibi ceratum ex cera quæ Myrepsice, id est unguentaria, uocatur, & unguẽtis apud Romanos dictis spicato & foliato composui: duodecimã partem pompholygis ei admiscens, siue eloti masculino genere, siue elotæ fœminino malis dicere: nihil enim, quomodocunq; dicas, uel præsidij, uel nocumenti pharmaco adferes: licet autem tibi & ex tyrrhenica cera ipsum præparare: nec prohibet quicquã sine prædictis unguentis tyrrhenicã ceram ex nardo proba liquefacere, in duplici nempe uasculo, quod in omnibus unguentis commune est. At raso cerato spicæ nardi, amomi, folij malabathri, & pompholygis eloti pares singulorũ portiones misecebis: etenim in puncturis, sicut præceptum est, acrioribus pharmacis est opus, quæ uulnus apertum perpetuo seruẽt: denudatis autem, mediocri astrictione, cũ digerendi uirtute absq; morsu præ dita afferre conuenit. Quanquã & amomũ adstrictionis sit aliquatenus particeps, magis autẽ ipso nardi spica, & malabathri folium.

De medicamentis ab alijs medicis aduersus neruorum uulnera proditis. Cap. XI.

Vniuersam neruorũ uulnera curãdi rationem, quam ego deorum quadam prouidentia composui, nullus ante me cõscripsit: medicamẽta tamen quæ neruorum uulnera quędam curare promitterent, cõposuerunt sine distinctione, & uario utendi modo: neq; in angustis punctibus sanandi rationem, qualis futura esset, indicantes, neq; in latioribus uulneribus, uel denudato neruo, uel tendine, uel cõtuso: multo minus si pars affecta phlegmone infestaretur, uel etiã gangræna propemodum. Porrò unum quendã nostræ ætatis medicũ pharmaco utentem uidi, perinde ac meis ex metallicis præparatis, indistincte quidem & ipsum. quoniã uero ex paucis sponte nascẽtibus ipsum componi audieram, quod autem multis constat, ego illo tempore præparaueram, cogitaui pluribus ademptis aliud rursus ex paucis cõpositum inspicere, ac experientia inquirere, multóne ab eo, quod uaria mistura paratur, inferius esse uideretur, an paulo. Quouis igitur modo curaui etiã medicaminis, quod medicus nostrę ætatis habebat, scripturam accipere: & statim præparato simili, eadem ipsum polliceri & præstare, ac uariũ illud comperi. Huius igitur cõpositio in hunc modum scripta erat.

Ceræ pondo uncias sex. olei uncias nouem. misyos pondo drachmas sex. chalcitidis denarij pondo unius. squamæ æris põdo uncias duas s. thuris pondo unciam & s. chalbani pondo unciã. quæ liquari possunt, hoc est cera & chalbanum, liquefacta metallicis in aceto acri prius accurate tritis superfunduntur: hoc pharmacum haud scio quis cõposuerit, neq; enim apud Asclepiadem pharmacionem scripturam inueni, nec apud Petronam, nec Andromachum: etsi omnes antiquiores medici optima medicamẽta conscripserint: planè autem constat nec apud Heram Cappadocem, nec Mantiam, nec Heraclidem Tarentinum reperiri, qui magnam pharmacorum experientiam habuerunt: imò nec apud Archigenẽ, aut Philippũ, aut apud aliquem eius discipulum: insuper Sorani libris de medicamentis perlectis omibus, item Menecratis, Critonis, Damocratis, & aliorũ qui medicaminum cognitione claruerunt, apud nullum hoc modo citatum pharmacum comperi.

2 Quæ uero apud uiros iam dictos habentur, deinceps scripta indicabo, ac initium à Pharmacione Asclepiade facturus sum, qui in tertio interiorum medicaminum, quas etiam Marcellas inscribit, hunc in modum docet.

Andromachi Aegyptia ad uulnera cruenta, ut Asclepiades præscribit: facit ad neruos, musculosq; præcisos: itẽ ad punctus, contusiones, luxata, artus fractos: ualet etiam ad abscessus: est item lippientibus glutinatoriũ, iuuat capite dolentes, & ad multos affectus utile est remedium.

Argenti spumæ, ceræ, singulorum denarium pondo cẽtum quadragintaquatuor. guttæ ammoniaci denarium pondo septuagintaduum. terebinthinæ denarium pondo trigintasex. lanæ succidæ combustæ denarium pondo duodecim. squamæ æris, squamæ stomomatis, thuris, aristolochiæ rotundæ, singulorum denarium pondo octo. olei ricinini heminas tres. argenti spuma & oleum, incoquuntur, ac ubi mutata fuerint, cera resinaq; adijcitur: cum non inquinant, ammoniacum indas dilatãdo, & tunc lanas succidas, ac reliqua. Hoc medicamentum quanto utilius ex stomomatis squama euasit, tanto deterius ad neruorum uulnera factum est: si nãq; punctus solũ fuerit, etiã æris squama superuacua est. Quippe nullum metallicũ his conducit, nisi prius ex aceto acri pluribus diebus leue factũ fuerit: quanq; in nudis neruis & tendonibus bonum fuerit remedium: at si iam phlegmone coniuncta est, liquare ea ex rosaceo conuenit. & sic emmoto, hoc est in linteolos illito uti. Vbi uero nõ adest phlegmone, molliora humidioraq; statim ab initio potiora sunt medicamentis durioribus ac siccioribus, præstatq; liquata ipsa in digerente quodam, uel mitigatorio medicamine usurpare. Voco digerẽtia quidẽ uetus oleum & ricininum & sicyonium: mitigatoria autem rosaceum, chamæmelinum, & quod ex althea conficitur: his fortiora, eoq; durioribus corporib. magis idonea sunt, quod ex cucumeris agrestis radice in oleo decocta, & quod ex iride, bryonia, & aro parat: his ualentius est ex dracunculo, aristolochia & panace factum. Porrò nos frequenter etiam ex abietis semine, oleo, item ex populi flore confecto usi sumus: nam hæc diutius Sabino oleo intingimus. quę igitur de eiusmodi medicamentorũ usu dicta sunt, uos memoriter seruantes, ad alia quæ explicanda ueniunt, traducere operæpretium esse arbitror. Quod autem nobis institutum erat facere, aggrediemur, apponemus em̃ & alia eiusdem facultatis medicamina, quale est & quod ab Asclepiade post prædictum his uerbis scriptum est.

Claudij Philoxeni chirurgi Aegyptium ad prædicta uitia.

Argenti spumę, ceræ, singulorum denariũ pon

do cētum ſexaginta.guttæ ammoniaci denarium pondo octoginta.propoleos denariū pondo quadraginta.reſinæ ſiccę,terebinthinæ,ſquamæ æris, thuris denarium pondo ſedecim.lanæ ſuccidæ cōbuſtæ,ſquamæ ſtomomatis, ſingulorū denarium pondo viij.opopanacis denariū pondo quatuor. ricinini heminas tres.hoc igitur pharmacum ſuperiori eſſe ſimile omnibus apparet, & utendi modum eundē cum nuper à me citato habebit: quin etiam ad hæc duo emplaſtra,aliud tertium Aſclepiades ſic ad uerbum inquiens tradidit.

Fuluum Piſcatoris.

Facit ad crueta uulnera,et neruos præciſos:item ad uetera cicatricem ægre ducentia & fluentia ulcera: quin & probe emollit duritias, maxime in mammis oborientes: utimur eo ad canum hominumq; morſus: ſumme facit ad paſtinacæ, draconis,aliorumq; ſæuorum piſcium ictus:in totū uirtutem habet mirabilem. Argenti ſpumæ,ceræ,ſingulorum denarium pondo cētum, terebinthinæ, mannæ,thuris, chalbani, minij ſinopici, ſingulorum denarium pōdo viij.olei ſextarium. Nec ipſe ergo Aſclepiades hoc pharmacū ad punctus tendinum ac neruorū,ſed ipſis præciſis utile eſſe promittit:cū uidelicet maius uulnus extiterit, & neruus nudus appareat.Quippe aptiora tūc ſunt medicamenta,quæ mitigatoriam & mediocrem uim obtinent,cuius generis eſt nuper ab ipſo citatum. Itaq; hæc tria emplaſtra in medio fere libro Aſclepiades produxit:ſuperius etiam aliud multiplicis quidem uſus emplaſtrum,melius autem ijs tribus ceu ad neruos præciſos,corruptosq; tradidit. Verba Aſclepiadis ita habent.

Moſchionis catagmaticum. Valet ad recentia uulnera neruos præciſos, & cum contuſione diuiſiones: facit etiam ad fracturas cum uulnere:etenim uulneribus auxiliatur,& oſſa callo obducit conuenienti deligatura impoſitum. prodeſt hydropicis incipientibus: item facit ad teſticulorum contuſiones: tollit circa anū eminētias:ſanat rhagadas butyro dilutum:ad hæc gutturis tumores quas Græci bronchocelas appellant: ſoluit omnē duriciem:curat luxatos,& fractos articulos,item pedum, manuumq; calloſas excreſcētias,quos clauos uocamus, ut eos etiā citra exulcerationem auferat. Summatim,medicamen eſt utiliſsimum. Confectio hæc recipit.

Argenti ſpumæ pondo minā,quæ continet denarios centum ſexaginta.picis aridæ denariū pondo centum ſexaginta.ſeui uitulini denarium pondo centum ſexaginta.reſinę terebinthinę denariū pondo octoginta. mannæ thuris denarium pōdo octoginta.ceræ denarium pondo quadraginta:ęruginis,opopanacis:chalbani, ſingulorum denarium pondo octo.olei ricinini heminā. aceti parē menſuram.liquoris ſycamini heminā. picis liquidæ tres cyathos.Argenti ſpuma tenuiſsima, & cicinum oleum in uas fictile uel æreum coniecta, ignīq; ſuprapoſita coquuntur, cum efferbuerint, ſeuum & manna thuris adijciuntur, mouenturq; aſsidue:ubi confluxerint,pix,cera, reſina induntur,& donec non amplius inquinent, incoquuntur, deinde chalbanum, poſt ærugo & opopanax ex aceto ſoluta inſperguntur, liquor ſycamini, & pix liquida in aliud uas transfuſa coquuntur, & cum cōmiſſa fuerint,ſeu confluxerint,priori pharmaco immittuntur:& rurſus ſupra ignem poſita, quouſque non inquinent, incoquuntur: ac in uinum demiſſa triduo relinquūtur, poſtea ſubactis manu, in linteolumq; illitis utimur. Oportet autem poſt medicamen impoſitū linteum uino madefactum exprimere, & tunc medicamento circundare. Porrò noſtri præceptoris Lucij confectio ſic habet.Seuū ac oleum prius liquefacimus, ac ubi ſoluta fuerint, mānam leuiſsimam factam, & ſpumam argenti inſpergimus. poſtquam confluxerint,reliqua facimus.

3 Cæterum laude dignus eſt hic quoq; Aſclepiades,qui confecturæ medicaminum modū adſcribat, non ut Andromachus omittat, qui nec quam uirtutem habeat apponit.deniq; primum è tribus ab Aſclepiade traditis, à me ſcriptum emplaſtrum Aegyptium,quòd & ipſe Andromachi eſſe confirmat,neq; cuius ſit uirtutis,nec quomodo præparandum ſit,aut utēdum Andromachus indicauit. Verū ſimpliciter tanq; uulgare quoddā pharmacum, libro De exterioribus facultatibus quem ipſe ſecundum inſcripſit,proiecit. Primum enim omnium ſcripſit,quod ipſe nominat pantagathium,quaſi dicas ad omnia ualens,deinde hoc Aegyptium,aliud ut dixi nihil adiungens; habet enim eius dictio in hunc modum.

Aegyptium.

Argenti ſpumæ denarium pondo centum quadragintaquatuor.ricinini heminas ſex:ceræ denarium pondo centum quadragintaquatuor. guttæ ammoniaci denarium pondo ſeptuagintaduum. terebinthinæ denarium pondo trigintaſex. lanæ combuſtæ denarium pondo octodecim.ſquamæ ſtomomatis denarium pondo octo. ſquamæ æris denarium pondo octo.ariſtolochiæ denariū pondo octo.nonnulli myrrhæ denarium pondo quatuor. opopanacis denarium pondo duum. his ad finem adſcripta ſunt marinæ aquæ ad irrigandam ceram heminas octo. Quid ſibi uelit, cum dicat, ad irrigationem ceræ,manifeſto nō ſcimus:intelligere enim plura licet.Mirandum uero quomodo in alijs omnibus cum Andromacho conueniat, menſuram ricinini parem non ponat. Andromachus enim heminas ſex,Aſclepiades tres ſcripſit. Neq; uero etiam appoſuit quod in fine ſcripturæ ab Andromacho adiectum eſt, nonnulli myrrhæ denarium pondo quatuor,opopanacis denarium pondo duum. Rurſus adiunxit ipſe in combuſtis lanis ſuccidis, quod in Andromachi ſcriptura nō habetur.poſt dictum Aegyptium theriaca emplaſtra quinq; retulit Andromachus: deinde aliud fuſcum, quod ad Eubulum autorem refert: poſtea rurſus aliud fuſcum, quod Mineruam nominat. Poſt hæc iterum alia fuſca ſimpliciter duo, quibus ſubnectit aliud:ubi ſic ad uerbum ſcriptum eſt.

Fuſcum nygmaticum, hoc eſt ad neruorum punctus utile, Andromachi.

Guttæ ammoniaci denarium pondo octo.ceræ nouæ denarium pondo octo.terebinthinæ denarium pōdo octo.æris combuſti denarium pondo

do

do octo. picis aridæ denarium pondo quadraginta, ut autem Zeno ait, minæ dimidium, & quartam partem. Argenti spumæ denariũ pondo quatuor. aloes indicæ denarium pondo duum. aristolochiæ denarium pondo duum. chalbani denarium pondo duum. æruginis denarij pōdo unius. A alij denarium pondo duum. thuris denarium pondo duum. olei hyeme quartam heminæ partem, æstate octauam. aceti tres cyathos, quibus ammoniacum dissoluatur. Hoc uerisimile est ab ipso nominari nygmaticum, ut quod neruorum puncturis ex usu esse queat.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI IIII

Cap. I. Argumentum primi libri huius operis: deinde præsentis, in quo aget de ulceribus quæ ægre cicatricem admittunt, siue quia ipse locus affectus influentem corrumpit humorem, quæ priuatim cacoethe, id est maligna dicuntur, de quibus priore loco aget: siue quia simpliciter propter influentem humorem pars affecta nimium humida non coalescet: de quibus posterius. B Quòd ut in libris Therapeuticæ methodi primum ratio quædam uniuersalis, deinde materia in particularibus proposita sit: ita hic etiã facturus sit. Scopi duo sunt generales ad omne ulcus non malignum, repellere quod influit, discutere quod influxit, neutrum autem sine dolore fieri potest: cum uel exasperentur partes affectæ, uel supercalefiant inde: ita ut dysepulotis neutrum conueniat, multoq; minus malignis. Quid ergo faciendum? 2. Vtendum primo abstergentibus & siccantibus. Vlcus enim ab initio utpote sordibus tectum, facilius ualidiora feret pharmaca. Dein ubi primum iam purum & siccum fuerit, alijs eiusdem generis mitioribus utendum, non tamen ita imbecillibus, ut rursum sordescat ulcus: sed siccãtibus cum adstrictiõe aliqua. Quòd si siccum satis euadat ulcus, manserit autem impurum, abstergentibus utendum: de quibus in libris de facultatibus simplicium, & accuratius in therapeutica methodo dictũ est, quam C ante hæc legisse oportet. Experimentis singularibus se probasse, quæ hic in genere præcipit. Sine morsu siccantia pleraq; metallica esse: & quibus corporibus ea lota, quibus illota applicare conueniat. Quòd diluculo imponenda sint. Præmittẽda si opus fuerit phlebotomia, uel purgatio, uel ambo: Varicem superiacentem excindere: Iecori aut lieni prouidere: aut partes circa ulcus incidere, aut callum labiorum circuncidere: Aut, si nullo istorum opus sit, statim ipsa ulcera, quantum sordium uel humoris habeant, & medicamenta, quæ uel siccent, uel abstergant tantum, uel utrunque, & in quo gradu, considerare oportet. II. Enumerat singillatim remedia, quibus ulcera maligna sine morsu & asperitate siccantur. Metallica primum cum terræ speciebus, & ex ijs primum mediocria, inde fortiora & imbecillia, tandem uehementia quæ nunquam sine alijs applicantur. Quòd corpora mollia, cacochyma, phlegmatica, alba, minus ferant mordacia & D fortia pharmaca, eisq; mitia & sine morsu siccantia applicari oportere. Quæcunq; tenuium partium sunt, ea magis discutiunt, & minus mordent. Oleosa, mollientia, & acria, caueri debent malignis ulceribus. III. Quomodo medicamentis siccis modo commemoratis in ulceribus dysepulotis & malignis utendum sit in manuali administratione: & de ratione deligandi. Si quis calor, aut rubor circa ulcus sit, aut si qua duricies, quid agẽdum: Si uarix supra ulcus: Si splen uitiatus: Si corpus plethoricũ aut cacochymũ. 2. Quomodo in unaquaq; solutione deligati ulceris inspiciendum sit, sordidum ne an purum sit, ut medicamẽta pro re nata mutentur. Et quòd ulcus aliquando sordidum fiat propter nimis calida & mordentia pharmaca quæ carnem colliquant: itaq; cauendum esse ne quis tunc etiam ad acriora transeat. De balneo, quòd eo abstinendum sit, si fieri potest: sin minus, quomodo utendũ

co. De spongiæ usu, & quòd quandoque omitti possit. IIII. Compositionis medicamentorum quæ in modum emplastri fiunt, ratio communis, & exemplum particulare. Aquam & oleum uitanda esse. Ceræ electio, subactio, & proportio ad metallica. Quando mitioribus, quando fortioribus utendum. Exemplum & modum commixtionis pharmaci, quod recipit, Aeris & æruginis ustorum, diphrygis ana 3. 1. (uel pro diphryge aluminis scissi 3. s. ceræ recentis 3. 10. cui, si recẽs nõ sit, olei uel resinæ aliquid addatur. V. Duo medicamenta ad huiusmodi ulcera quæ memoriæ prodidit Asclepiades quorum primum in prima parte, alterum in altera continetur. VI. De scriptis ab Andromacho emplastris cicatricem ducentibus, primum in simplicibus, deinde dysepulotis, tertio in malignis ulceribus. Primum autem reprehendit eum quòd sine distinctione remedia scripserit, & uehementiam aut imbecillitatem eorum non distinxerit: Et quinque eius emplastra partim nominat, partim describit. Videtur autem unum deesse: ipse enim hic & infra de sex meminit. 2. Sex Epuloticæ compositiones Andromachi cum distinctionibus Galeni: Hac autem parte, prima tantum ex istis sex consideratur. Chirurgicæ administrationes. præstare ut pars ulcerata cõprimatur quàm circumiacentes solum. Quoto die soluenda sit deligatio, & inspiciendum ulcus: ut pro re nata medicamina mutari, aut remitti, intendi ue queant: & quibus adiectis utrunque fiat. Quæ mitia sint pharmaca. Ceræ proportio. 3. Altera compositio de sex Andromachi, è chrysocolla &c. De ceræ & oleorũ mixtione. 4. Reliquæ 4. ex ijsdem sex, quarum prima constat diphryge, &c. 5. Quod hic de remedijs malignorum, quæ & Chironia uocant, præcipue agat. Epulotici ad Chironia secundum Dioscoridem descriptio. 6. Aliud ad desperata ex Primione. Adipum differentiæ. Sidia. Austera & acerba quid differant: Et cur astringẽtibus aliquando tenuium partium pharmaca misceantur. Quæ pharmaca per eclipsin efferantur, ut asbestus, lepis, terebinthina. Thus. Ad emplastri formam quæ misceantur. Myron & elæon differunt. 7. Adhuc est in explicatione præcedentis emplastri: Et primum causas refert cur tam uaria ad eosdem affectus pharmaca ueteres composuerint, & etiamnum componi oporteat. Adeps uitulinus: Medulla ceruina & uitulina. Resinæ. Fraus pro oleo uetere axungiã fibris & membranis exemptis oleo mixtam uendentium. Olei & adipis uetustorum uires à recentibus quantum differãt. Vlcera diuturna & maxime maligna quæ. Astringentia & discutientia simul misceri in prædicto emplastro laudat. Symmetria & diuersitas compositionis partium prædicti emplastri. 8. Emplastrum paregoricum Andromachi ad ulcera irritata, & de paregoricis in genere. VII. De scriptis à Critone emplastris μαλθακώδη quæ. Pix media est inter malthacode & sicca remedia. Quæ autem media sunt utrisque extremis sine periculo miscentur, etiamsi non exacte media sint in cal. frig. hum. & sicco, sed parum ad alteram ex oppositis facultatibus. De nominum istorum cal. f. hu. & sicci acceptionibus. Quòd pharmacum calidum aut frigidum nominemus, quod temperatum hominem cal fa

cere aut refrigerare potest. Secundum indicationes uarias eadem etiam simplicia ulcera curandi ratio in diuersis corporibus euariat. Vlcerũ diuersitas: & quæ quibus medicamenta conueniant, in primo, secundo & tertio ordine singillatim enumerata. 2. Redit ad pharmacum Critonis, de pice & lithargyro in eo, & cæteris simplicibus. Coquendi modus. Longæ coctionis emplastrorum utilitas. Solum etiam ladanum præsertim recens dysepulotis ulceribus conuenire. 3. De pharmaco Critonis ex chamæleonte, &c. & quid differat à superiore. VIII. De emplastris Heraclidis Tarentini. Ex quibus duo hac parte describit: & docet uarianda esse medicamenta, id quod amethodi præstare non possint. De frictione ad solem aut ignem cum aceto aut uino, & ubi una alteri præstet. 2. Alia tria eiusdem. De diphryge per se. 3. Alia duo. De chrysocolla per se cum cera. & de alijs, quibus Galenus per se cera solum adiuncta ad dysepulota usus est. De ceræ & cerati admixtione: De resinis, & quòd larigna omnibus hic sit præferenda. Adipes: & quòd taurinus siccißimus subtilißimusq; sit omnium. Aliud eiusdem. Rursus de prædictis & alijs alibi ab Heraclide scriptis pharmacis. Ceræ proportio. Et quomodo Galenus hoc ipso pharmaco usus sit, & quõ alibi ab Archigene describat. IX. De pharmacis apud Andromachũ, quæ uel in trochiscos formata, usus tẽpore ce-

A rato excipiunt, uel sicca inspergunt. De emplastris enim eius supra dixit. X. Archigenis remedia, ad ulcera quæ ægre cicatricẽ ducũt, & quæ nigrescũt. 2. Eiusdẽ ad putrida & nomas. 3. Ad cancrosa. 4. Ad callosa. XI. Emplastra quæ Asclepiades ad huiusmodi ulcera scripsit. Causæ & differentiæ tres ulcerum dysepulotorum. Et primũ de primo genere eorũ, quod ob causam externam, ut prauam curationem, aut uictum mollem, ægre cicatricem admittit. 2. De altero genere ulcerum dysepulotorũ, reumatica uocant, quæ propter influentem humorem difficulter cicatricẽ recipiunt. 3. De tertio genere ulcerum, quæ dysepulota sunt ob prauitatem innatam ulceribus, cacoethe & chironia proprie dicta. 4. Ad ulcera capitis uetusta & difficilia curatu. XII. De emplastris Heræ ad ulcera curatu difficilia: Et primum de eo quod constat ex lithargyro, chamæleonte, &c. quod plurimum commendat. Chrysocolla. Paregorica. Mina & cotyla, & B olei ad prædictum pharmacum modus. 2. De alijs Heræ pharmacis polychrestis (etiam ad ulcera dysepulota facientibus) quæ in sequente libro explicanda pollicetur. XIII. De cæteris ad maligna ulcera remedijs. & quæ uel ipse Galenus expertus est: uel à præceptorib. accepit: uel ab antiquis clarißimis medicis traduntur. Sunt autem numero 18. In sextodecimo docetur etiam chirurgica administratio.

CLAVDII GALENI DE COMPOSITIONE MEDICAMENTORVM PER GENERA LIBER IIII.

CAPVT PRIMVM

PRIMVS sane liber in Alborum emplastrorũ confecturis, tum alijs, tum eorum quę ulceribus cicatricẽ ægre ducentibus conueniunt, finitus est: ubi distinximus cõmuniter appellata dysepulota, id est cicatricem difficulter admittentia, ab ijs quæ proprie cacoethe, hoc est maligna dicuntur, & ipsa nimirum dysepulota. Quoniam uero quædam saniei humorumq; ulceratis partibus influentium uitio cicatricem ęgre admittunt: quædam ipsa affecta sede influẽtem succum quamlibet probum corrumpẽte, ulcera secundo modo habentia, dysepulota & cacoethe proprie nominant: in quibus interim totam partem affectam excindere, uel adurere nonnulli coguntur, aut medicamentis crustam inducẽtibus, aut igne utentes. At cum ampla sit latitudo utrinq; in eo, quod alterum altero magis minus'ue dysepulotum, malignumq; est, tantum medicantium pharmacorum esse numerum oportet, quantus ipsorũ quoq; ulcerum extiterit. Merito igitur omes, qui unum duntaxat medicamentum ulceribus malignis cicatricem inducere promittens habent, successu crebro frustrantur. Nam duo minimum quę idem pollicẽtur, eandemq; facultatẽ ostendũt, diuersa alioquin inter se nõ simpliciter maioris, minorisq;, uerum ut apertißime dicam, maximi ac minimi ratione: in promptu adesse illi conuenit, qui omia id genus uitia curare proposuerit. Quẽadmodũ igitur commẽtario Therapeutices, me-

C thodi in uniuersis affectibus primam omnium cõmunem auxiliorum potentiam inueniri docebamus, dein materias, quibus illa continetur: ita nũc quoq; in ulceribus dysepulotis generalem pharmacorum, quibus illa curabũtur facultatem, quæ tandem sit, prius inuentam esse oportet. Indicata uero mihi est & hæc in illo opere, cum quidẽ nullus uitiosus habitus uulneratas partes infestat, duos scopos habens: unum, ut id quod influit, repellat: alterum, ut quod affectæ parti inhæret, infixumq; est, discutiat. hæc autem contrariæ uires præstant. Siquidem influxũ reprimunt, quæ sunt astringentia pharmaca: digerũt impacta iam exceptaq;, trahẽdi potestate prædita. Porrò quæ adstringunt ut plurimum exasperant, atq; hac occa- D sione molesta sunt. Trahentia uero, ac digerentia ex alto humiditates, non citra acrimoniam id efficiunt. Ac acrimoniã dolor quidam necessario sequitur ulceratam partem erodens. Atque sic propter dolorem, quem exasperantia erodentiaq; cõcitant, humores ulceratis partibus influentes irritari contingit: unde quoq; ulcus phlegmone obsideri exediq;. ex quibus dictis colligitur, ulceribus dysepulotis præsidia inueniri nõ posse, multo minus adhuc malignis.

2 Quare talis pharmacorum materia, quoad eius fieri poßit, inuenienda est, unde ulcus citra dolorem siccescat: quod accurate fieri nulla ratione licet, medico ignorante, quem effectum medicamen exhibitũ ostenderit. Quippe ambobus cõponẽtibus, erodente puta & adstringẽte, necessario ualidũ existit. Verũ sordes & humiditatis copia

pia id genus ulceribus incumbens, ueluti propugnacula quædam ulceratis particulis facta rosionem ualentib. pharmacis adimunt soluuntq;. Itaq; attendendum est, quantum primus usus humiditatis in ulcere desiccauerit: uel si etiam sordes habeat, quantum harum quoq; absterserit. Ac ita secũdum, tertiumq; uti illo debemus donec purum & siccum ulcus apparuerit. Vbi uero primũ id tale conspexeris, ad aliud medicamentum te conferes, eiusdem quidem speciei, sed priore imbecillius. Nam ualidiora, dum mordendo ulcus dolorem inferunt, fluores mouent, & phlegmonas cõcitant. Quòd si rursum multo imbecillius priore pharmacum adhibeas, ulcus humidum sordidũq; euadet. Hac igitur parte artificio utens medicus, eo qui solo experimẽto innititur, melior est, quòd B sciat ulcus non alia medicamentorum uirtute curari, quàm dum affecta pars eam siccitatem consequat, quam in naturali statu sita posidebat. Quod factum intelligimus, ubi neq; tenuis amplius sanies influat, neq; pus producatur. Hanc dispositionem ulcera nanciscentur, quo dixi modo siccescẽtia, hoc est adstricta, discussaq;: deinde ubi sicca quidem fuerint, uerum sordida adhuc appareant, detersorijs pharmacis repurgãtur, de quibus ipsis quoq; nonnihil in opere De simplicibus medicamentis cõmemorauimus: om̃is autem absolutissima ratio ac uia est tractatu De morbis curandis perscripta, in quo prius exercitatum esse conuenit, qui hinc perfecte frugẽ reportaturus est. Hoc uobis amici, quibus ista scribuntur, constare manifesto admodum noui: itidem sermonẽ sine exploratione in operibus facta probabilem non esse quæ nunc à me dicuntur. Etenim uidistis subinde, illis ipsis pharmacis quibus sine uia ac ratione medici quidam utentes nihil proficiebant, multa me eius generis ulcera persanasse. Quamobrẽ in memoriam reducite medicamenta citra demorsum exsiccantia: sunt autem ipsorum pleraq; metallica. Atqui hoc etiam memineritis: quòd combustis elotisq;, erosio quæ prius adfuit, edomatur ac interit. His igitur in præsentiarum uti uobis licet: elotis quidẽ in pueris, eunuchis, mulieribus, & qui molli natura carne sunt prȩditi: item qui ad sentiendũ habiles admodum sunt, & uitioso succo laborant. In alijs corporibus & illota usurpare poteritis, mane primum ipsa ijs qui curantur ubi probe concoxerint, adhibẽtes. Si uero & corpus totum præparationem quandam requirat, & hãc prius factam esse oportet: præcepimus de his in commentario De morbis curandis. Nonnullis siquidem uel purgatio sola sufficit: quibusdam sanguinis detractio; alijs utraq; hæc adhibere profuerit. Sunt in quibus superiacentem uaricem excindere satis est: uel lieni, uel iocinori prospicere: aliquibus ambientes ulcus partes scarificare: quẽadmodum interim labrorum callos amputare. Si horum nullo egemus, humoris copia simul cum sordibus inspicienda est, atq; ita ad idoneum medicamen ueniemus, rursus simplicium singulorũ memores, quæ desiccant, nõ tamẽ ulceris sordes ab-

A stergunt: item quæ abstergunt quidem, non tamẽ probe desiccant; quæ uero utrunq; possunt efficere, prospiciemus ex quoto quodq; ordine existat, quod maximum inter ea censeo, quæ ad curationem pertinent, neglectum tamen medicinalis materiæ scriptoribus. Nam hi soli omnes ipsius uires dicere studuerũt: sicut etiam Dioscorides, quem nulli eorum, qui in ea quasi arena desudarunt, secundum esse quisquam dixerit.

CAP. II. Ego igit deinceps om̃ia pharmaca recẽsebo, quȩ ulcera citra mordicationẽ exasperationemq; manifestã exsiccare possunt. Incipiam à metallicis; quibus etiã terræ species adnumerantur. Porrò cum uarie inter se differant, in eo quod magis minusq; siccẽt, à medijs orsus ad uehementius, uel obscurius exsiccãtia me conferã. Siccant igitur modice lemnia sphragis, et cadmia: atq; hac magis ea quæ sua sponte nascitur, nec mutatur in torrentibus aut riuis in quibus metalla sunt: Porrò consueui eam magis siccantem reddere, per æstatem in sole, pluribus diebus terẽs ex aceto, aut uino colore giluo, substantia pellucido, cuiusmodi est in Italia Falernũ: in Asia Tmolite, quod uinorum maxime siccare natum est. Hoc genere cõprehenditur & ariusiũ in Chio natum: item odoratum Lesbium in Eresso & Methymna. His succedunt omnia uetera, cum ex albis & astringentibus inueterata sunt, in Italia signinũ, Tiburtinũ, & Marsum: in Sicilia uocatũ ab incolis Aminæũ: in Asia Aprodisieum, et misyum. Sufficit enim mihi hæc facultatum uniuersalium ueluti exempla C exposuisse. Iam uero cadmiam ex aceto acri, similiter multis per æstatẽ diebus in sole præparo, siccatamq; repono, ut ulceribus malignitatem assumentibus inspergi posit. Valentius hoc pharmacum est, chalcitis cõbusta eodem modo prius in puluerem redacta: per se autem ignem non expertam tam ualens medicamentũ est, ut crustas faciat. Lotam igitur ipsam deinde siccatã habere satius est. Minus enim lota, q̃ usta desiccat, ac longe mitior est minusq; mordax. Persimile huic medicamentũ est etiam ærugo combusta: quæ uero ignẽ non experta est, fortissimũ medicamen est, sicut etiam chalcitis. Verum hæc nonnihil etiam astringit. & ea multo magis chalcanthũ, quod inter metallica maxime siccat. At ærugo huius potentiæ D omnino particeps nõ est. Misy autem & sori ut dixistis chalcitidi genere cognata sunt, ex una, ut dicã radice producta: tenuius tamẽ misy apparet, ac minus mordax & urẽs: crassius sori est, & utroque siccat imbecillius, quemadmodũ & stibi maiorem adstringendi siccãdiq; uim ac sori posidet. Porrò diphryges appellatũ pharmacũ ulceribus ægre humiditatis uitio ad cicatricem uenietibus, aptissimum est: ualide nanque siccat, etsi modice mordeat. Enimuero id quoq; præter acrem tum qualitatem, tum potentiã, uim habet adstrictoriã: quas tamen ambas fortiores & chalcitis cruda, & chalcanthum repræsentat: siue id masculino genere, siue fœminino, siue neutro appellasse quis malit. Nam hoc uobis semper succurrat, de nomi-

nibus contendendũ non esse; ubi speculationem ipsius artis usui necessariam ediscere statueritis. Quin & alumen quodlibet ulcera satis exsiccat, generose adstringens. unde nemo solis his ad ulcera utetur, sicut nec cruda chalcitide, & ærugine: usta uero & hæc & misy utilia sunt, & elota morsum quidẽ remittũt, uerũ minus siccant. Itaq; lotis ipsis uti tutius est: quoniã permulta corpora, quibus mederi cogimur, unam quandam dispositionem habent, qua uehemẽtem commorsum ferendo non sunt. Audiuistis autem ipsa frequẽter, sed & nunc iterum commemorabo, atq; ad omnẽ sequentem sermonem memoriter teneri operæpretium esse arbitrabor. Quæ igitur plethora uitiosoq; succo laborant corpora: ad hæc tenera quę tenera carne prædita, & ad sentiendũ insigniter habilia sunt, facile ex morsu, seu rosione phlegmonẽ recipiunt. In carne molli præditorum numero cõtinentur mulieres uidelicet candidæ, pueri, eunuchi, uiri cute alba: insuper qui regionem frigidam incolunt, humidi hi quoq; & pituitosi, eoq; molles & albi: queadmodum ij qui calidum tractum inhabitant, ut Aegyptum & Arabiam, duros corporum habitus, & siccos sortiuntur. Itaq; horum uobis ueluti memoribus appositurus sum quandam & aliam pharmacorũ simplicium materiem, quæ malignis ulceribus curandis sit idonea. Sarcocolla igit̃ & ichthyocolla, & his magis adhuc chrysocolla tali facultate prædita est: huc optime facit & plumbum cõbustum: post hoc sori, stibiq; hæc quoq; cõbusta: insuper plumbi recrementũ, probe siccat: quemadmodum & ferri squama, euidentius tamen stomomatis. Porrò æris squama, prẹter ꝙ quòd siccat, etiam abstergit purgatq;: unde pura quoq; ulcera efficit, ꝙ reliquæ squamę nõ possunt. Quare si hæc omnia medicamenta arida ulceribus malignis ac cõtumacibus inspergis, mirifice uidebis citra erosionem ea desiccari, sicut etiam ubi buccinorũ testas concrematas, purpurarum, ostreorũ aliorũq; id genus adhibueris. Quin & quod grece diaphanes, Romanis lapis dicitur specularis, ex ijs est, quæ leniter ac sine morsu exsiccant, qui ustus ulceribus ægre cicatricẽ admittentibus, nõ item malignis ac rebellibus cõducit: quippe minus exsiccat, ꝙ illa requirant. Idem potest uitrum ustum, & tofaceũ illud, quod in æreis uasis calfactorijs concrescit. Cæterũ ægyptiæ spinæ fructus, galla omphacitis, hoc est immatura, balaustiũ, malicoriũ, radices, herbæq; non paucæ ultra siccandi, etiã astringẽdi potestatem habent. nam & aristolochia, iris, acorum, artemisia, panacis radix, argemone, chamæleontis nigri radix, cyperum, dracũculus, gladiolus, affatim exsiccãt. his euidentius adhuc centaurium, & polium, quibus paulo imbecillior est terra nomine eretrias, uti ualentior est ampelitis. Talis sanè medicamẽtorum simplicium ad ulcera maligna ac cõtumacia materies existit, extrinsecus aũt nõnulla ipsis apponuntur, quæ quidem per se uehementis potentiæ gratia non admoueri, sed alijs misceri solent, ueluti ærugo ignem nõdum experta, calx uiua, & illota,

A & molle aphrolitrum. Quanto enim spumantius, tanto præstantius est utraq; facultate, tum qua minus mordet, tum qua magis digerit. Didicistis enim & in opere De simplicibus medicamẽtis subtiliora crassioribus hac uirtute inter omnia, quę similis specie comprehenduntur, præcellere. Porrò nihil tam nobis euitandum est, quàm pharmaca generis oleosi, quæ Hippocrates malthacode, id est mollicina nominat: cuiusmodi sunt omnes adipes, præsertim porcorum, dein resinæ, postea ceræ: alia uero ratione & quæ indurata remolliunt, malactica Græcis dicuntur, non cõueniunt, chalbanum, bdellium, gutta ammoniaci, styrax, medullæ: Item alio modo acria, piper, zingiber, sinapi, canchry, multaq; eius generis alia.

B *Quomodo medicamentis siccis modo commemoratis in ulceribus ad cicatricem ægre uenientibus, & malignis utendum sit.* Cap. III

Huiusmodi ulcera uitioso plena humore necessario existunt: pleraq; uero ipsorum etiam sordes copiosas cõtinent. Quoniam ergo siccum aliquod pharmacum ipsis sumus inspersuri, cõuenit prius ea linteolo molli, puro, et sicco extergere, ubi ulceris cauitatem medicamẽto impleueris platysma emplastri labris attenuãdis accommodati extrinsecus superdãdum est: atq; huic rursus linamentũ undiq; æquale foris inijciendum: cui spongiam ex aqua, aut uino tinctam applicabimus. At in primis curandum est, ut spongia frigida permaneat: quod ex facili fiet, si frigida ipsam continue citra deligaturæ solutionẽ foueas: sed fasciã ei inijcere ac circundare debes, ut Hippocrates in commentario De fracturis edocuit, maximam offensam fore ratus ex deligatura quæ ad elegantẽ formam, non usum conducit. si igitur fascia una fuerit, inferne sursum tribuenda est, siue tibia, siue genu, siue talus, siue cubitus, siue manus summa, siue alia quæuis pars laborauerit. Quòd si duabus uti uelis ut in fracturis: altera parte affecta sursum feretur duntaxat: altera deorsum prius, mox in superiore parte desinet, eodemq; cũ priore perueniet. Quamobrem hasce fascias ex linteis, nõ panniculos esse, ut omnes nouistis, expedit. Tertio autem quoq; die nõ singulis soluendum membrũ est, sic ut aqua non adhibita, quo dixi modo nuper, molli, puro, & sicco linteo saniem ulceri abstergas. At si ambiẽtes ulcus partes phlegmonodes quippiã repræsentent, liquidũ medicamen latum extrinsecus platysmati super accõmodandum est ex meo Phœnicino, non simpliciter liquefacto, sed cui plurimum quoad fieri potest uini astringẽtis adiectum sit. Neq; tamen quolibet oleo liquare ipsum conuenit, uerum si rubor quispiam, uel omnino calor in circumpositis ulceris partibus exuperet, astringente, & refrigerãte, aliquo id faciendũ est. Sunt huiusmodi myrteum & melinum, si hęc non adsint, adhibeto et quod omphacinum, & omotribes nominãt. Si durities maior extiterit, oleo uetere, uel ricinino ipsum Phœnicinũ liquefacies. Sed tutius fuerit, si nihil in ambiente ulcus loco uitiosi appareat, superpositæ regiõi liquidũ medicamen

tum

ũ admouere, quod repellat, si quid prius uel prauum, uel plusquàm par est influat, maxime cum in crure ulcus obortum superpositam uenam uaricosam habeat, quæ dũ magna est, ac colore nec rubrum, nec probum sanguinem, sed atriorem, magisq; melancholicum continere uidetur, excidenda uenit. Interim uero contigit, ut uena tali excisa ulcus statim ad cicatricem ueniret, etsi iam annum durarat: uerum ipsius loco iuxta diuisionem ubi uena erat excisa, ulcus malignum ac contumax oriretur, cui cicatrix induci non potuerit. Igitur id genus uitijs præstat, uiribus ægri consultis, à uenæ incisione auspicari: deinde pharmaco purgare, melancholicũ humorem, & cum hoc etiam pituitosum educente: quoniam is quoq; unà non nunquam cum melancholico influit, dum uarices generantur. Postea ipsam uenam ulceri suprapositam in longum scarificare commodum est: ubi abunde uacuaris, ei ipsi uenæ sectæ prius medendum: posteaquam exacte iam cicatricem ducere uidetur, tũc maligni ulceris curationem, ut prædictum est, aggredere. Iam uero lien interdum male affectus, uitiosi talis humoris autor est, sicut & iecur, quibus ubi prospexeris, sic tandem ad ulcus curandũ uenire oportet: pari modo, si uniuersum corpus cacochymũ uel plethoricũ existat, prius expurgare uacuareq; ipsum expedit, quàm medicamentum ulceri admoueas.

2 Porrò intra ulceris per arida medicamenta curationẽ, quotiescunq; solueris, aduertendum est qualem nam in particula effectum ediderint: sciendumq;, ac in memoria habendum ab ijs quæ desiccare, non autem detergere ualent, cuiusmodi sunt illa quæ astringendi qualitatem obtinent, ulcus purum non efficiunt. At quę pręterq; quòd siccant, adhuc etiam detergunt, ea non modo siccam, sed purã quoq; totam partẽ exulceratã efficiunt. Præterea notandũ uenit pura ulcera ab ijs medicamẽtis, unde prius cum essent sordida, nihil rosionis percipiebant, nunc erodi, morderiq;. Quæ causa est ut à ualentioribus abstersorijs pharmacis ad mitiora minusq; mordacia digrediamur, ubi ulcus adamussim purum inuenerimus. Quẽadmodum rursus in sordidis ad magis abstergentia transimus, nisi ex rosione sordida apparuerint. Hoc siquidem medicis etiam bonis existimatis, nonnunquam imposuit, ut ad abstersorium ualentius acriusq; se conferrent: unde iterum ulcus erosum, ex æquo sordidum, uel etiam magis adhuc, altera solutione uisum fuerit, carne à medicamento colliquata ipsum fœdante: nam in prauam saniem degenerat colliquescens caro: cęterum quicquid ex his ipsis tenuioris cõsistentiæ est, à pharmaco difflatur, reliquum ibidem circa ulcera concretũ, sordes ipsis redditur. Quare animum attẽdere oportet, utrũ ulcus carne quæ subest exesa, ac colliquescẽte sordidum euaserit, an quia medicamen sordibus auferẽdis aptum requirat, impositum uero tale non sit. Indicat autem ulceris maior facta cauitas, tum oræ rubẽtiores calidioresq;, cum medicamẽti acrimonia sordidatur. Forsan igitur superuacaneum fuerit in præsenti commentario, compositorum medicaminum usus rationem modumq; ascribere, quippe in Methodo curandi explicatum. At quæ necessaria sunt, & magnam noxam adferunt neglecta, satius est bis terue, ut fidelius memoriæ inhereãt, repetere. Ponamus igitur & hoc etiam in talium ulcerum curatione, siquidem citra totius corporis offensam fieri poterit, ægrum à balneo abstinere: perfricari linteis largiter, mox oleo, deinde halteribus, exerceri, si crus fuerit affectum: uel cursu, si partes superiores male habeant. Quòd si à balneo temperare sine totius corporis noxa non poterit, soluere deligaturam non oportet: uerum ut ligatum est membrum lauare, & aquam calidam ex spongia exprimere, aliamq; mox frigidam infundere, ut nullus in deligatura calor sit reliquus. Iam si curatio succedere uideatur, etiam absq; spongia alligata sanari potest, si Phœnicinum liquefactum, ut dixi, extrinsecus imponas, & citra spongiam, quæ fascijs comprehensa uelut in fracturis, ægrotæ corporis parti orbiculatim circundatur.

Compositio medicamentorum, quæ in modum emplastri fiunt. Cap. IIII

Quoniam malignorũ, & difficulter cicatricem recipientium ulcerum curationis summus est scopus, ut medicamentũ citra morsum exiccet, aqua uero & oleum maxime omniũ humectant: ab eis abstinendum est, ita, ut nec per se adhibeantur, nec siccis quæ recensuimus misceantur medicamentis. Itaq; cera deligenda est, neq; natura, neq; uetustate sicca: uerũ recens & pinguis natura, qua in sole emollita arida medicamina dicta, excipere poteris: sin autem sol absit, apud ignem calefacta subigatur: & in calidam aquam demergatur. Non enim aqua in totũ miscetur, sed statim ab ea emollescẽte defluit: antequam ulceri fuerit imposita. symmetria uero mixturæ est talis.

Mediocre medicamentum hoc modo efficitur.

Quarta pars metallicorum cerę adijcitur: ualentius erit, si tertia sumatur. Porrò cum ipsa metallica minus magisq; immordacia siccaq; existãt, uirtus in ijs quæ magis siccant, intendet: quæ minus remittetur: quemadmodum rursus tutior leniorũ usus est: mordaciorum periculosior. Dictum nãq; frequenter est, nonnullas naturas corporum, tum cutẽ, tum carnes magis sensorias habere: quibusdam has ambas minus esse sensorias. Item pro maioris minorisq; sensus ratiõe, doloris etiã affectus sequitur, ut & phlegmones. Accedit huc non mediocris differentia, q; quis molli sit carne, uel duriore, boni maliq; succi, uel plethoricus, uel uacuus uel medio quodammodo inter enumeratos affectus. Vnde colligo unum omnibus idoneum medicamentum præparari nõ posse: sed qualecunq; ex similibus specie confectum fuerit, hoc uti sciet ille, qui methodum isto libro traditã artificiose didicerit. Exẽpli gratia in subiecta materie, si pares utriusq;, æruginis, & æris cõbusti partes misceas: aluminis scisi partis unius dimidium, ut totum tribus, uel duobus denarijs semis, uel uncijs totidem

constet, sufficiet decem ceræ denarios adijcere denarijs. decem uero uncias, uncijs, in temperati & medij facultate pharmaci cōpositionem. melius fiet, minusq́ mordebit, si loco aluminis scissilis diphryges accipiat, cuius uno denario integro iniecto, quēadmodum æris quoq; & æruginis, medicamen erit præstantius. Quòd si æruginē mordacius facturā suspicati lene prorsus ipsum fieri postulemus, cōbustam apponimus. Insuper si expurgare sordes statuerimus, æris squamæ denarij dimidiū addetur, ut tota medicamenti symmetria talis euadat. æris, æruginis ustæ, diphrygis, singulorum partes æquales, hoc est cuiusq; denarij pondo unius. æris squamæ denarij dimidiū. Hæc pingui cera, ut dixi, mollita excipiant̄, ubi siccior paulo fuerit, quàm ut cōmemorata excipiat miscendum est myrteum molliendo, uel melinū, uel lentiscinum, uel ricininū, uel cyprinū, uel omotribes oleum uetus, uel recēs Hispanum, uel quod apud nos ex oleæ surculis pręparat̄. Aut si omino nihil oleosum medicamento adhibere placet, laricē resinam admisceto, cuius si copia non est, terebinthina eius loco utendū. Cęterum hoc semper in memoria tenēdum est ijs, qui hęc legunt, maxime ad primum quod dictum est, tanquam præstantissimum ueniendū esse, mox ad secundū, & tertium: deinde ad alia quæ post tertiū sunt, ceu pro pharmacorū uirtutis & potentię ꝓportione, sermonis ordinē nobis usurpantibus. His igit̄ auditis quispiam, & simpliciū medicamētorum uiribus intellectis dijudicare poterit, quæ maiores nostri ad ulcera cacoethe pharmaca cōscripsere. Sicut uerbi gratia Asclepiades cognomento Pharmacion in tertio Extrariorū in hunc modum tradidit.

Quæ medicamenta memoriæ prodiderit Asclepiades Ca. V

Ad chironia & curatu difficilia ulcera medicamentum accōmodatū. Aeris squamæ pondo unciam. æruginis rasæ pondo unciam. cerę selibram. resinæ laricis pondo unciā semis. ea quæ liquari possunt, aridis affundūtur, quibus exceptis, ac curiose mollitis utitor: item platysma exiguum soli affectæ parti, ut ulcus tantū comprehendat, inijcito. Cęterū ambiētes particulas pharmaco, quod phlegmonem arceat, circundare oportet. Inter curandum tertio quoq; die soluere: deinde fomentis mitigare, idemq́ emplastrum, quod à latitudine platysma uocatur, abluendo emollire, ac rursus imponere, donec cicatricē inducere incipiat. Hęc est medicamenti scriptura. Pulchre uero author ipse adiunxit, ad chironia. nominant enim sic ulcera, non mediocriter sed maxime maligna contumaciaq́; generosum hoc medicamē est, ut quod ex tertia ceræ parte metallica contineat, æruginē sanè pharmacū ualentius: æris squamam, multo illa moderatius, attamē & ipsum generosum. Mediam ac symmetram habet temperiem, ut etiam modice maligna curet, si non tripla, sed quadrupla ceræ portio alijs cōmista fuerit: moderatius adhuc extiterit, si quincupla adijciat̄, ut nondum cacoethe, sed ægre cicatricē ducētia persanet. Quēadmodum etiam si metallicorū sex partes cera ca-

A piat. ut sit æruginis, & squamæ utriusq; denarius. ceræ duodecim. laricis quod exigit proportio, quæ erit, si tres ipsius denarij imponantur. At ubi cera pinguis est, & si minus resinę addat̄, spissitudinem, quanta sufficit, medicamentum habebit. Siquidem huiusmodi pharmacis resina ob consistētiam inditur, ueluti & myrteū, uel lentiscinum. Ego certe attico nonnunq́ œsypo ceram emollitam miscui: ac usu didici, uel nihil uel parum adeo medicamētū ab illis, quę sine hoc præparata sunt, superari. Manifestum autem est me hæc ad futuri medicaminis robur referre. Nam auxilium ad aliquid spectat: quippe mollius pharmacum ad moderatiora cacoethe, id est, minus malefica, magis quàm uehementius conducit. ubi igitur ulcus B ipsum minus malignum est, oræ uero prætumidæ ac duræ, Græci ochthodεs appellāt, potior in his est œsypus. Benefacit etiam his cerui, uituliq́; medulla, quam leuem ante factam, cerę prius admiscere oportet. Dein sic in unitatem coactis ijs metallica trita, ut in puluerem redigantur, excipienda sunt: ut quæ rosionem pariant. Omnia uero sicca, ac terrestria pharmaca, quantum satis est, antea leuigentur, ut est Galla, Cytinus, Malicorium, Aegyptiæ spinæ fructus: quoniam id genus omnia ægre fiunt leuia: sicut facile, quæ ex succis & liquoribus resiccatis proueniunt, myrrha, aloe, acacia. & quæ his sunt genere finitima. Cæterum recte Asclepiades ad finem superioris medicamēti scripti hæc uerba adiecit. Et hæc triduo soluito, C fomentisq́; mitigato, idémque emplastrum ablutum emollito, rursusq; apponito. Nisi enim diutius cuti pharmacū adhæserit, nihil efficiet. Quod & plerosque medicos latuit, arbitrantes si ter die saniem ab ulcere deterserint, melius se facturos ijs qui bis idem faciunt. Qui uero semel soluunt, ad ipsis quoque ægris tanquam negligentes male audiunt. Cōuenit hic quoq; uos meminisse quod in plerisq; nostris commentarijs dictum est, qualitates uidelicet omnium uicinorum corporum mutuo in se quicquam agere: etsi alterū ipsorum multo sit ualidius. Hac nanq; ratione specie quodammodo inter se similes fiunt spacio temporis, tametsi permultum differant. ubi autem qualitas medicamenti curando corpori similis specie fue- D rit, utilitas maior sequitur. His igitur rationibus, qui primus emplastro ante imposito uti statuit, laude dignus est: & nos ipsum sequi multo magis decet, cum quod ratione inuenit, experiētia comprobatū cognouerimus. Nec temere triduo quoque ipsum foueri singulis uidelicet solutionibus præcepit. Nam quia ualens medicamentū est, merito lenitionem desiderat. Satius igitur est in ulceribus non ita malignis, cerā quadruplam, uel quincuplam amborum simul metallicorum esse.

2 Post hoc pharmacum aliud Asclepiades deinceps tradidit, quod his cōstat. Aeruginis pōdo uncijs duabus. squamę pōdo unc. duabus. diphrygis pondo uncia. ceræ pondo libra. laricis pondo uncijs tribus. Hæc rursus symmetria simplicium medicamentorum eadem est quæ superior. In illa

enim

enim scriptura æruginis & squamæ, utriusque pondo unciam adijciebat. ceræ modum ambabus triplo maiorem: siquidem omnes uncias sex eius admiscendas censuit: resinæ uero semiunciam supra utriusque metallici portionem. Secunda scriptura, illius quidē loco, unciæ semissis, tres imponendas iubet: metallicorum uero pro una uncia singulorum duas. ceræ libram cum in priore scriptura selibram immittat. Clarum itaque est diphryges solum in secunda eum apposuisse. Ac si unciam ipsius immittendam alijs duplicatis præcipit, modo simplicibus uniuersis in priore scriptura mistis diphrygis semunciam addideris, talem medicamenti cōfecturam habiturus es. Squamæ pondo unciam. æruginis pondo unciam. ceræ selibram. resinæ laricis pondo unciam semis. diphrygis semunciā. Eadem omnino & hæc est priori, si diphryges excipias: quod tam moderatum est pharmacum, ut etiam solum inspersum ulceribus, quæ cicatricem difficulter admittunt medeatur. Similiter & æs combustum, ualentior autem longe ærugo, ut uel sordida admodum & humida curare nequeat, si solam eam inspergas. Exedit enim, & mordet insigniter. Porrò in chironijs ulceribus, alijs mista pharmacis tantum de uehementia quidem uirtutis suæ remittit, auget autem illorum, ut compositum ex omnibus pharmacum fiat præstantissimum. Qua uero ratione prædictis medicaminibus ærugo mista fuerit, hac & uiua calx, exigua proportione aliorum multis à quibusdam adiecta, extincta mediocre est pharmacum, elota prorsus leue, & mordacitatis expers. Hoc igitur emplastrum exempli gratia adscripsi, quòd iuuenes in particularib. exerceri uelim, nec uniuersalibus solis esse contentos. Rursus autem reuocato ad initium sermōe, ad Andromachi medicamenta digrediar.

De scriptis ab Andromacho emplastris ad ulcera maligna. Cap. VI

Apponam igitur causa exempli, quæ ex cōpositis medicamentis ad cacoethe ulcera conuenire usu probata sunt: ab ijs exorsus quæ scripsit Andromachus, quē nō iniuria queas accusare, quòd citra distinctionem pharmaca tradiderit. Hac eīm omissa, per multos medicos male ipsis uti contingit, ideoque nōnunquam scopum mirifice adsequi, interim ab illo errare, permultū delabentes. Cum igitur ualidissimum aliquod recensere cōueniret, ōmia ordine protulit Andromachus. Ab hoc rursus aliud moderatissimū, imbecillimū uero scripsit, nulla distinctiōe apposita. Auspicatur igitur ea ipsa hoc titulo. Cicatricem inducentia. Mox ita subdit. Cadmiæ tostæ pondo libram. chalcitidis ustæ pōdo libram. ceræ pondo libras quatuor. resinæ aridæ pondo libras tres. myrtei pondo libras tres. uinum aridis miscetur. Ab his uero deinceps in hunc modum scribit ad uerbum.

Medicamentum ex ladano.

Et symmetria apposita, iterum deinceps ait. Aliter ut Alcimion. Deinde hic quoque symmetrijs expositis, infert pharmacum, inquiens, ex hordeo. Post huius compositionem in hanc sententiam iterum scribit.

Aliud cicatricem inducens.

Resinæ siccæ denarium pondo octodecim. diphrygis denarium pondo quatuor. spumæ argēti denarium pondo sedecim. ceræ denarium pondo decem. olei cyathum & dimidiū. ut hoc sit ei medicamentum ab initio sextum. His subiungit iterum alia sex, unicuique præponens, Aliud uolens nimirū cicatricē inducens, nos inaudire. Quinque igitur sunt epulotica, quibus uti mos est, nec malignis, nec ægre cicatricem ducentibus idoneis. Sextum ad ulcera quidem dysepulota, id est quæ cicatricem difficulter recipiunt, non tamē iam ad cacoethe, quæ nobis maligna dicuntur, ualet. Reliqua uero sex adiecta malignis prosunt, uirtute inuicem diuersa, quibus alterutrum ab eo adscriptum esse oportebat, nēpe uel rationalem, ac methodicam disciplinam conficiendo uehementiæ differentiam, tanquam nobis intellecturis ad maligniora ulcera ualentioribus utēdum remedijs, ad mediocria imbecillioribus: uel Empiricorum more posuisse quædam horum medicaminum phagedænicis, in summaque exesis, ac pastis esse utilia, quædam cauis, quædam uehementer sordidis. Iis uero, qui phlegmonodem simul, aut scirrhosum affectum habent, aut labra ulceris dura, uel prætumida, uel nigra, uel alterius cuiuspiam coloris, singulis propria: horum autem nihil ille effecit. Postea sex facultates cicatricem inducendi ordine retulit, quarum ego compositionē cum proprijs distinctionibus narraturus sum.

2 Primum itaque ab eo scriptum, æruginem, & squamam cepit, remisit autē minuitque uim ipsius ceræ mistura, quæ octo partes amborum, quatuor utriusque explet. Etenim æruginis, & squamæ cuiusque unciam miscere pręcipit, ceræ uncias octo, admodumque commode cauit, qui id composuit, miscere aliquod mollicinum, gręce malthacodes dicitur, oleū dico, & seuum, & œsypum, & butyrū, & resinam. At si pinguis cera nō adsit, metallica ægre miscebuntur. Ac si iuxta ignem uel in sole calido miscere ipsa cogamur, paulo post pharmacum indurescet. Quapropter cum ulceri fuerit impositum, sagum suum æger durum contingere putabit. Quippe eiusmodi medicamenta omnia talem habēt usum. Si uero calidis manibus tractetur, tātum ex ipsis recipit magnitudinis, ut emollitum dilatatumque toti ulceri imponatur, atque etiam oras contegat. Cum altum ulcus extiterit, totum ipsius cauum medicamine indito replebitur. postque hoc rursus aliud platysma super accommodabitur, quod & labra cōprehendat: huic deinde rursum linteus pannus frigida madens tantus undique obijcitur, ut medicamentum occultet: postremo extrinsecus spōgia mollis fascia ex linteo excepta uel semel, uel bis adfectā partē orbiculatim ambiente tantæ magnitudinis, quò totum ulcus cum labris, ac superpositorū ipsis aliquid subiectorumque complectatur. Deligatio à duobus principijs fiat. uocant sic quoties tota pars media uinculi affecto

loco incumbat, crus autem utrunq; in oppositum deducatur. Postremo si pannus tam sit ualidus, ut semel iniectus spongiam tutò contineat, illic terminis consuetur, eo quòd superfluit forfice adempto, sin imbecillis, rursus utrunq; crus ducetur, simili robore ad id quod affectum est attractum, quod imprimis obseruare conuenit, cum in primo fasciæ traiectu, tum uel maxime in secundo. Quin nec illius obliuisci te oportet, cuius primus quorum ad nos memoria peruenit, Hippocrates inuentor extitit: olim ab omnibus ante ipsum medicis, nunc ab his, qui artem parum legitime didicerunt, per errorem commissi. Putant enim satius esse, partem exulceratam incompressam seruare, utrinque uero ligamentum ei circum ponere, quod quàm sit incommodum ac noxium Hippocrates demonstrauit. Igitur ubi hæc primo die peregeris, altero aqua frigida spongiam perrigato. Si ambiens aer calidus, & siccus fuerit, bis hoc terue in dies singulos faciundum est, ac deligatura tertio quoque die soluenda, per hiemem etiam quarto. Cæterum inspicienda est, à medicamenti uirtute facta inalteratio, tũ in ulceris cauitate, tum in labris, tum in locis ea ambientibus. Porrò unde hæc discas, libri De temperamentis suppeditabunt, nec non in opere Therapeutices methodi de his ulceribus tractatum est. uel enim siccius, uel humidius, uel calidius, uel frigidius, q̃ prius & totum membrũ affectũ, & singulæ eius partes apparuere. Insuper considerabimus, num quid ex oris ademptũ sit, uel emollitæ quodãmodo uel attenuatæ sint, item colorne mutatus, & an sordium copia eadem remanserit, unde cognosces utrum fortius, uel mollius, uel simile priori medicamen imponendum ueniat. Poteris sanè & primũ ipsum ex facili immutare, si mollius uoles reddere, misto inter molliendũ paululò cuiusdam olei astringẽtis, aut myrtei, aut rosacei, aut melini, aut lentiscini, aut mastichini, aut cyprini: sin ualidius, aut squama, aut ærugine, ex quibus utriusq; paulum, ad amussim leue reddes, ut subigẽdo adijcias. Nos, uti nouistis, uel mite aliquod pharmacũ ulceri inspergimus, eiq; medicamen emplastrodes superimponimus. Nulli dubium est mitia pharmaca mihi dici, diphryges, sarcocollam, chalcitidem ustam: item cõbustum & æs, & æruginem, & chalcanthũ: quę ignem non experta acria omnia sunt: combusta, moderata, lota post combustionem, lenia, rosionisq; fiunt expertia. Præstat aũt sicut prædiximus, & emplastrũ mistioni adaptare: aliq̃dq; ex alijs medicamentis imponere, quorũ deinceps meminit Andromachus, idq; non modo simplicium uires, sed mensuram quoque inspicientes, ut in eo quod iam commemorauimus. Quatuor enim partes ceræ, cũ æruginis & squamæ, utriusq; una miscentur. Tres fortius ipsum efficient, sicut quinq; imbecillius. Eodem modo in alijs agendũ est, puta in eo quod prædictum sequitur, octauũ ordine, tali symmetria.

3 Chrysocollæ denariũ pondo duum. squamæ denarium pondo duum. ceræ denariũ pondo sex.

A diphrygis denarium pondo duum. squamæ argenti denariũ pondo octo. rosacei, uel myrtei parum: in hoc pharmaco chrysocolla & diphryges ipsa per se inspersa, malignis ulceribus curandis sufficiunt, squama ualidius, asperius, mordaciusq; medicamentum est, eoq; argenti spumam autor admiscuit subueritus squamæ uiolẽtiã, cupiẽsq; ipsam mollioris pharmaci mistura mitigare, ac resoluere. Sin absq; cera quatuor illa iuxta dictam temperaturam misceas, medicamen aridum inspersile, Græci uocãt epipaston, habiturus es ad malignorum ulcerum curationem non inefficax. At ubi emplastrum facere conaris, cera miscenda est, & propter metallicorum copiam, necessario etiam liquidorum in præsenti facultate meminit Andro

B machus, rosacei nempe, & myrtei, cera nanq; modica nimis est pro metallicorum modo. Cum igitur chrysocollæ, squamæ & diphrygis binos denarios, argẽti spumæ octo misceri iubet, quatuordecim uidelicet uniuersos efficiens, uel cerã pinguẽ permultam, uel oleosum aliquod pharmaco affundere debebat. In superiore medicamẽto cera quadruplo metallica superabat. unde spuma argenti ablata, ex alijs licet pharmacum cõponere, quem admodum ego nonnunquam factitaui. Quòd si fiat, myrteo non opus erit, cera ut dixi, pingui adhibita, si dura sit, liquidum aliquod miscere oportebit. Quãobrem nonnulli in id genus pharmacis ceræ apposuisse uidentur, alij nouæ, alij recentis: non per Iouem ipsius ætatem, sicut in alijs medi

C caminibus, sed humiditatem requirentes. Est etenim reuera melior noua, sed non iam ut bimulam, trimulamue reijcias.

4 Cæterum ad sequens emplastrum ire tempus est, quod habet in hunc modum: Diphrygis denarium pondo octogintaquatuor. argenti spumæ denarium pondo ducentorum quadraginta. ceræ denarium pondo trecentorum octodecim. olei heminas sex. Poterit autem hoc pharmacum ulceribus nondum malignis, uerum cicatricem ægre recipientibus eam obducere, quoniam exiccat, sed non ualide, ut quod post ipsum scribitur: minori tamen symmetria conficiendum est, idem enim ei hoc est. Diphrygis denarium pondo quatuordecim. argẽti spumæ denariũ pondo quadra

D ginta. ceræ denarium pondo quinquagintatrium. olei myrtei pondo uncias decem. Nam Andromachi pharmaca, horum sescupla sunt. Hoc igitur cicatrici obducẽdę reuera est, respondẽs ex cadmia confecto, & glyceæ nominatæ, de quibus sequenti sermone dicemus. Huic subscriptũ, ualidius quidem est, non tamen primo ex hisce sex, uerum septimo à primordio finitimum, in quo squamã, & æruginem ceræ quadruplæ commiscuit. Diphrygis enim adhuc denarium pondo sedecim. argenti spumæ denariũ pondo quadragintaocto. ceræ denariũ pondo sexagintasex adijcit. Inde horum copiæ gratia coactus est & myrtei olei heminã semis affundere. Numeretur ergo hoc quoque inter ea, quæ cicatricem generant. Quod statim subiungitur, eiusdem generis, mitissimum uero, mini

mcq;

neq; mordax ex plumbo combusto & eloto, spodio, cadmia, diphryge, & terebinthina compositum. Zenonem aiunt, chalbanum quoque miscere, quod mihi in prædictis uidetur superfluũ. Scribit igitur ipsius symmetriam talem. Eloti plumbi denarium pondo duum. spodij denarium pondo quatuor. cadmię tantundẽ. diphrygis denarij pondo unius. Excipit ea terebinthinæ denarijs sex. Zenonem dicit chalbani addere denarij dimidiũ. Siquidẽ ceu molliendis labris callosis, ac duris, eoq; græce ochthodesi, id est prætumidis appellatis id facit, probe admiscet. sin ad ulceris malignitatem & contumaciã, nõ itẽ. Nam quamuis chalbanum quoq; receperit, etiam sic à malignorum ulcerum prauitate uincetur. Magis autem uerisimile uidetur duodecim hæc ordine se cõsequentia pharmaca ad cicatricẽ ducendã idonea scripsisse. Etenim prẹter duo ex ipsis, puta septimũ à principio, & octauũ, alia omnia ulceribus quidẽ ægre ad cicatricem uenientibus, sed nondum malignis medent. item duodecimũ inter ea similiter quidem cicatricẽ obducit, imbecillius aũt est q̃ ut cacoethe persanet. Cõpositio quoq; huius hęc capit, molybdænæ denarium pondo centũ. diphrygis denarium pondo sedecim. soreos denarium pondo decem. cyprij tosti denarium pondo octo. resinæ terebinthinæ denarium pondo octo. ceræ denarium pondo quadraginta. myrtei denarium pondo quadraginta. Porro minoris symmetriæ quę huic proportione respondeat, omnia eiusmodi pharmaca conficere oportet: scientes ipsa confestim duram ac saxeam duritiẽ acquirere. Tantum igitur cuiusq; præparare satius est, quanti usus fuerit, præsertim si hyems usum ipsorum excipiat. At si quartã singulorum partem capias, molybdænæ quinque & uiginti denarij erunt. quatuor diphrygis. duo & semis soreos. tosti misyos duo. terebinthinæ duo. ceræ & myrtei pares portiones, utriusque decem. amborum simul uidelicet uiginti. Porrò in omnibus eius notæ pharmacis, illa quę liquari possunt, liquefacta & refrigerata, deinde rasa siccis diligenter in puluerem redactis admisceto. Nam si liquida ipsis affundas, sæpe fient grumi ceræ modo: (Enceridas Græci uocant) maxime cum frigus fuerit. In sole feruenti si mistura fiat, licet ea superfundere, mouendo uehementer rudicula primũ, deinde cochleario, præstat aũt in hisce omnibus, rudiculam palmæ esse ramusculum.

5 Hæc Andromachus indistincte sicut dixim⁹, duodecim pharmaca tradidit, hoc ipsis tantũ cõmuniter præponens, Epulotica, hoc est ad cicatricem ducendã idonea. Ego uero differentiã ipsorũ manifesto (ut arbitror) exposui, quæ cordatum uirum ad dextrum particularium usum, ueluti manu ducere queat. Insuper aliorũ polychreston, id est multiplicis usus medicamentorum meminit, ut ad alios plerosq; affectus, ita ad ulcera dysepulota, id est ægre cicatricem ducẽtia aptorum, quæ nos sermone procedẽte percensebimus, ubi pharmaca, propter uariam utilitatẽ polychresta Græcis dicta, aggrediemur. Impræsentiarum peculiariter de ijs sermo nobis est, quæ ad maligna, dysepulota faciunt, eaq; potius maligna quæ chironia nõ nullis appellantur, quemadmodum et ipsi Andromacho. Ordine itaq; ex duodecim medicamentis modo relatis, cum duo ad carbunculos prodiderit, unum ad herpetas, quartum aliud post tria hisce uerbis conscripsit.

Epuloticum ad chironia, Dioscoridis

Magis uarium quidẽ medicamentũ cõponens, non tamen suprascripto ualẽtius, in quo cerã quadruplo copiosiorẽ q̃ utriusq;, nempe squamæ & æruginis miscebat. at in nunc proposito pauciore cera metallicorũ ꝓportione iniecta, liquari ipsam pauco myrteo iubet aut rosaceo, quantitate eorũ non adscripta. Iam uero uniuersam eius sententiã ex Andromachi uerbis apponam.

Cicatricem obducens, ad chironia, Dioscoridi.

Chrysocollæ denarium pondo duum. æruginis rasæ denarium pondo duum. cerę denariũ pondo sex. diphrygis denarium pondo duũ. spumæ argẽti denarium pondo octo. rosacei, uel myrtei modicum, ut liquefiat. Hoc pharmacum adamussim superiori illi conuenit quod inter cicatricem obducentia locum, ut dixi, octauum obtinet, post id positum quod squama atq; ærugine constat, sola illud ærugine nimirum superãs, ideoq; cicatricem illud inducentibus adscripsit. Maiora tamen de ipso pollicetur, ad chironia conuenire id dicẽs: Et uero hic quoq; optimi medicaminis mentionem facit in istum modum.

Medicamentum obducendis cicatricibus ex collectaneis Primionis, ad desperata. 6

Hoc nomen-desperata-ulcera illa, quorum curationem pleriq; aggressi non absoluerũt, sed tanquam ab insanabilibus destitere ei significat. Fidum huic medicamẽto, quod præter alia usũ quoque probatum est. Hanc autem eius compositionem scribit: Soreos denarium pondo uigintiquatuor. aluminis scissilis denarium pondo sedecim. malicorij denarium pondo sedecim. calcis uiuæ denarium pondo sedecim. thuris denarium põdo trigintaduum. gallæ denariũ pondo trigintaduũ. ceræ denariũ pondo centum uiginti. seui uitulini denarium pondo centũ sexaginta. olei ueteris heminam. Hæc est simpliciũ medicamẽtorũ symmetria ad præsentis cõpositi præparationem: at quo modo illud prẹparandum sit omisit, ut in alijs etiã multis, quæ confecturæ narrationem requirunt. nam in hoc quidem uel admodũ facilis est, ut paulo post dicemus. Cæterũ uos scire in primis uolo, ut si quando uitulinum pingue desideretur, eius loco uetus suillum, quod nominãt axungiam, ad miscendum, uerum salis expers, & nõ multorum nimis annorũ. Vetus itaq; oleũ abunde satis digerit, sic adeps quoq;, idq; citra rosionẽ ambo efficiunt: bubulus similiter quidẽ digerit, sed nõ æque morsu caret: mediũ locum obtinet uitulinus, quo porcino acrior, hoc bubulo mollior. Itaq; pharmacum, quo de sermo institutus est, ualidissima continent, sori, alumen scissile, malicorium, gallam, nõ digerẽdi facultate eximia, sed adstringendi, ut

uocant

uocant, prædita. Clarũ est autẽ gallam semper adijciẽdam esse quæ uocatur omphacitis, id est immatura: alumen uero ægyptium, & scissile, cuius penuria, rotũdum quod scissili quidem est crassius, sed non minus astringens. Quòd autem malicorium putamen mali granati uocatur, omnes nouerunt. Breui adeo tempore uiget, si uelis aridũ contundere, & in puluerẽ redigere, seu leuigare. Nanque dum arescit malicorium, imbecilliorẽ quoq; uim sortitur, cum humore eius discusso pereuntẽ. Quare tutius est succosum prius ex uino decoquere, donec fiat friabile. Vinum autẽ austerum prorsus, sed neq; recens esse oportet (nam austera nisi uetera sint, crassarum partium existunt) neq; uetustũ adeo ut iam acre existat. Etenim recens penitiora corporis non permeat, uetus acre & mordax est. ergo ætate medium potius est, quod plurimum intra quinq;, & decẽ annos consistit. Postulat locus hic in memoriã reducere, quòd multi sæpe dictarũt, de austeris, acerbis, in totum de astringentibus uinis, cibis, & pharmacis, ac primum de harum uocum significationibus agendum est. Austerum enim Græcis idem sibi uult, quod mediocriter astringens: acerbum, quod ualde ac uehementer id facit, genus utrique commune adstrictionis uocabulo signatur, non etiam utrum ualide an obscure ea fiat declarante. Omnia igitur astringentia contrahunt, ac densant meatus, adhęc uinciunt, ac continẽt partium sibi inuicem cohærentium substantiam, atq; minus magisq; hoc pro astrictionis quãtitate efficiunt. Cæterum stringendo ac dẽsando summa corporis quod astringitur, uirtus illorum excluditur, & in altum ire prohibetur. ob quam rationem pulchre nonnulli medicorum huiusmodi pharmacis alia subtiliũ partium, & acri potestate prædita indere cogitarunt, à quibus ueluti ductæ adstringentium uires in profundum corpus perueniãt. Hoc igitur pharmaci propositi autor considerauit, qui calcem uiuam ei addiderit. At in Andromachi libro calcis uox omissa est, uiuæ nomen ascriptum, medicis compendij gratia & pleraq; alia sic interpretantibus. Nimirũ igitur in ipsis medicamentis ad ulcera uix cicatricem recipientia & maligna cõpositis squama simpliciter apposita, citra adscriptionẽ æris & scissile, sine uocabulo aluminis, & terebinthina absq; adiectione resinę, subaudimus quæ ipsi sic in dictione omiserunt, queãdmodũ & nunc in uocabulo uiua calcem: nuncupant enim per excellentiam ipsam, restinctã, & uiuam, appellatione nõ minus & alijs quæ uruntur, accõmodata. Itaq; uiua calce mista emplastri huius autor acerbis medicaminibus ualidum compositum reddidit, ut uirtus eius in imum usq; penetret. Quoniam uero ex ualentissimis cõfectura est, ac nullum mitigatoriũ, nec leniens, nec cõcoquens aliquod continet, merito thus ei, quod puri mouendo pharmacũ est, admiscuit. Si igiť sicco cõposito utereris, ulceri ipsum inspergens, sic uehemens admodũ esset, mordax, asperum, & exedens. At quia emplastrum id facere proposuimus, perspicuum est unicuiq;, resinã,

A uel cerã, uel adhuc adipem, uel medullam miscendam fuisse, ac si nondum ex his emplastri spissitudinem acceperit, oleum aliquod affundendum cum autem addo aliquod, inaudiendum est tibi præterquam quod proprie, & simpliciter oleum dicitur, etiam quod cum adiectione rosaceum nominatur oleum, uel myrteũ, uel cyprinũ, uel eius generis aliquod. Distinctum nanq; est iam sæpius, quid discriminis sit, rosaceum unguentum dicas, an oleum rosaceum, & unguentũ cyprinum, an cyprinum oleum, aliaq; similia.

7 Merito igitur eiuscemodi pharmacorum misturam non eandem omnes fecerunt, qui id genus emplastra composuere. nam quòd plures huius differentiæ causæ existant, non ratione, B sed mea ipsius experientia deprehendi. Nonnunquam enim ex paucis numero simplicibus medicamentum subito pręparaui, interim ex pluribus, aliàs ex plurimis, uel omnibus eiusdem generis. Insuper quia nonnulla apud nos abunde copiosa, quædam ex toto non essent, aut paucissima eo tempore, ex ijs quæ habebam medicamentum composui, usu ita postulante: deinde cum experimento id probatum inuenissem, ita semper usurpaui. Sæpe fortiora quædam pharmaca composita, quædam imbecilliora ultro facere instituens, ut uarijs affectibus accõmodata haberem, diuersas compositiones aggressus sum. Præterea hac ratione motus, quòd pars exulceratione laborans plures requirat facultates, ut cũ simul & caua est, C & fluida, & sordida, & oris prætumida ac dura, & fluxionem ex superioribus recipit. Si nanq; pharmacum, ad omnia quæ sic exulceratis partibus acciderunt ualere cupias, diuersarum uirium materias miscere necessariũ est. At si unum aliquod primum quod urget, sanare studeas alijs neglectis, non est quòd pharmacorum uarietatatẽ requiras. Clarũ est igitur & illos qui ante me eiusmodi medicamenta confecerunt, ob prædictam rationem dissensisse, ueluti uerbi gratia in proposito pharmaco, uitulinũ pingue autor cepit, quòd oras induratas emolliat. Proin duplicẽ ei usum adhibere debebat: unũ ut molliusculo medicamini (malthacodes appellauimus) ad unitatẽ siccorũ faciendam quæ primum erant utilia: alterũ, ut & ipsum D aliqua partis affectæ symptomata seu accidentia persanaret. uerum multo utilius medulla ceruina induratis oris adhibetur, quæ si nõ adsit, uitulina, sin utraq; desideratur, humida aliqua & non acris resina. Nam omes resinæ humiditatis gratia simul & uiscositatis, quam habẽt cognatã, sicca medicamenta ueluti colligant: quia uero non euidentem habent acrimoniam, ulcus nequaquam irritant. Quapropter nonnulli merito talibus medicaminum cõfecturis admiscuerunt uel terebinthinam uel laricem nominatam resinam. Meminisse autẽ uos inter componendũ oportet illius etiã, quod à plerisq; medicorũ negligitur, à quibusdam per ignorantiam committitur. Credunt enim institoribus, uetus oleum dare se affirmantibus: ignari, quomodo ipsius loco uẽdant adipem suillum ueterem

terem, ex oleo cōmuni liquatum temperatumq; sed membranulis prius diligenter exēptis. Apparet em̄ sic, crassum inspicientibus: si odoreris, uetustatis graue olentiā repræsentat. Similitudo igitur est fœtoris, qui uero utriusq; ad unguem meminit, manifesto alterum ab altero discernit. Alia siquidē est odoris adipis, alia ueteris olei proprietas. Accedit huc, quòd crassitudo ipsius adulterati continua non est, nec similaris, quemadmodum olei ueri. Quin & crassius in uasis fundo, tenuius in summo euadit: ob quod etiam id adulterantes permouent, dum emptoribus tradunt. At si reuera quoq; sit oleū, sine tali astu sua sponte natū, nomen quidem hoc obtinet uetus, uis autem trimuli non est propinqua trigenario, aut quod annorum quatuor est, nullam confinitatē cum quinquagenario habet, siquidē tēporis spatio, cum inueterarunt, tum oleum, tum adeps, rosionem quandam acquirūt. Atq; hoc ego expertus sum ideo, quòd oleum ac adipem uetustissima sorte quadam haberem, à patre multis annis obseruata: quæ ipse rursum ambo admodum iuuenis adhuc, copiosa reposui, ut iam inueteratis eis uti possem, ubi patris essent consumpta: sed etiam post hæc iterum ambo sæpe recondi, ut uetustescerent, tantaq; mihi nunc illorū copia est, quanta uel centū annis uicturo sufficiat. Propterea pharmacum de quo sermo est, oleum & adipem quadraginta annorū recipiens, semper apud me ulcera diuturna præter modum maligna, quàm opinio ferret melius sanauit. Sūt huiusmodi ulcera, in quibus ipsa affecta pars in tam uitioso habitu consistit, ut quāuis sanguis nutriendi causa ad eam perueniens probe sit concoctus, tamen mutet ipsum, corrumpatq;: siue id quod influit adeo prauo succo præditū est, ut etiam si pars nihil passa fuerit, ab illo certe ipso solo erodatur. Mirifice igitur medicamenti compositor astringentia pharmaca repellendi facultate prædita assumpsit, ut nihil parti affectę, dum curetur influat: quædam digerentia, ut sanies in laborante particula cōtentæ per halitū digeranť uacuēturq;. Symmetria uero ipsorum ita habet. Aluminis scissilis, & malicorij, ut quæ ualidissime astringant, minus iniecit, utriusq; denariūm pōdo sedecim in idem miscens. sorios sesquiplum utriusq;, hoc est denarium pondo uigintiquatuor, minus quidem astringentis, non minus autem siccantis: scissilis quoq; & malicorij æquales utriusque portiones indidit, gallæ ad triginta denarios duos apponens, ut omnes ex pharmacis denarij octogintaocto colligerentur. His opposuit ualide digerens & siccans medicamentū calcē uiuā, cōtentus sedecim denarijs, qui astringentiū uires sufficiūt deducere. Centum igitur & quatuor denarijs ex metallicis medicaminib. collectis, plus quoq; thuris adijcere conueniebat, & hoc mitius euasisset pharmacū, quò copiosius illud recepisset. Cæterum uehemens ipsum seruare curans, minus adiecit, tibi autē licet bifariam ipsum componere: nam ubi priora quinque contriueris, omniaq; simul commiseris, aceruo in duas portio-

A nes diuiso, alteri parti sedecim thuris denarios, alteri duplum indito, deinde liquato, & postquā refrigeraueris radito ceratum ex liquabilibus medicamentis cōfectum, quod & ipsum in duas partes seiungito, alteram ei quod plus thuris habeat, alteram reliquo admiscens. Atq; de ceræ & adipis symmetria prima coniectura latitudinem magnam satis obtinet, nobis haud planè intelligentibus, quale tandem crassitudine medicamen futurum sit. At postquam omnia mista fuerint, clarum fit, tenerius an durius æquo sit redditū. Quale in altera cōpositione diligentius nobis coniectandū est & de his ipsis, & simul cum ijs de oleo. Sicut enim citra rationalem methodum medicamenta componere, ita uim illorum certo & accurate cognoscere sine experientia nemo potest. Hoc itaq; B medicamentum Andromachus ipse desperatis auxiliari dixit.

8 Ab hoc uero deinceps quoddam ad paronychias tradidit, ac post hoc rursus sic ad uerbum scripsit. Ad cacoethe ulcera in Valeria Secunda, subaudiendum nimirū est, usus sum. Materia sanè pharmaci, innuit curatione quidem se, à uehementibus relinqui, sed posse ea quæ uehementiū medicaminum adhibitione irritantur mitigare. Compositio itaque eius hæc capit. Tyrrhenicæ denarium pondo octo. subaudi uidelicet ceræ, seui taurini denarium pondo quatuor. terebinthinæ denarium pondo quatuor. plumbi usti denarium pondo quatuor. Linamētis excepto utitor. Hęc ipsius C uerba sunt. Male autem fecit quòd ad quæ cacoethe seu maligna conuenire id dicat, non declarauit, nec quòd uehemēs sit, aut mitigatoriū adiecerit. Diuersa nanque sunt mitigatoria pharmaca: nam quædam tantillum etiā affectus iuuant, nonnulla uero uel paululum offendunt, aliqua nec iuuant, nec offendunt, sed dolores tantum leniunt, de quibus aliàs agemus, multa eius generis longo usu explorata scripturi, ac quædam mirifice adeo symmetrijs cōposita, ut omnino iuuent: interim etiam ipsos tantum affectus agrestiū, ut ita dicam, ulcerum persanēt. Verum ex illorum materie est cera tyrrhenica, & plumbum ustum, non tamen terebinthina, & taurinum seuum.

CAP. VII Verū de eiusmodi ulcerib. ac pharmacis sermo, ut dictū est, peculiaris in posterū nos D expectat, nunc de curatu difficilib. uel chironijs, uel quomodocūq; appellasse uelis, differere propositum est, ex quorū numero sunt & hæc quinq; uniuersa in quarto Critonis lib. conscripta.

Quæ medicamēta Crito scripserit, medicamentū ex ladano.

Optimum medicamen Epuloticū, ex ladano: conuenit prætumidis cum duritia ulceribus, & cauis: deligatum uero membrum, in diem quartum cōtinendū est. Picis aridæ denariū pondo cētum. æruginis rasæ denariū pondo uigintiquatuor. æris combusti denarium pondo quindecim. squamæ rubræ denarium pondo uigintiquatuor. ladani pondo uncias nouem. argenteæ spumæ pondo libras tres. olei sextarium unum semis. uini optimi sextarium unum semis. Hoc emplastrum præpa-

raui & ego, materia recepta quæ nullum malthacodes, hoc est mollicinum pharmacum contineret. Sic enim uocat Hippocrates omne genus medicaminum quæ connatam humiditatem habẽt, qualis in pingui est, singulisq; oleosis medicamẽtis, & quidem in ipso oleo & aqua. Quin & resina, ceraq; mollicinum quippiam obtinent. In medio ipsorum, dico aũt siccorũ temperamento & mollicinorũ, pix cõsistit: eoq; ambobus generibus citra offensam admiscetur, quemadmodũ tum argenti spuma, tum arida pharmaca quę circa mediã temperiem uersantur, etiã si nonnihil ad utrumuis excessum interim declinent. Hoc genere cõprehenditur pix quoq;, quæ secundũ siccitatis ad humiditatis oppositionẽ manifesto iam à medijs recessit, secundũ alterã oppositionẽ calefacientiũ & refrigerantiũ, non item. calefacit eñ modice, atq; ideo medicamentis quæ pus mouent, admiscet. Quam obrem in ꝓposito medicamine arida pix medijs attribuit: atq; hac magis argẽti spuma, & alia quæ siccandi uim obtinent. Porrò cũ & hic error committi posit, disputationem de ipsa instituã, theoremate primum ad multa utili in memoriã reuocato: quanq; id in alijs operibus, maxime de Simplici medicina, & Therapeutice satis abũde sim executus. Calidũ enim & frigidum, humidũ & siccũ medicamẽ appellamus, quod corpus nostrũ calefacere, uel refrigerare, uel siccare, uel humectare queat, ad optimũ hominis tẽperamẽtum collatione facta. Medium uero quoddã hoc est inter alia temperamẽta uitiosa, quæ etiã calida, uel frigida, uel humida, uel sicca nominamus à præpollẽte in ipsis siue qualitate, siue facultate, siue substantia, siue tẽperie malis dicere, denominationẽ facientes. Eadem ratione neq; si à superante in mistura elemento uniuersam temperiem denominare uelis, rerum scientiam offendes. Ostensum enim est in medendi methodo præsidia per indicationem, ab ipsis quidẽ affectibus, cõtrariæ illis tẽperaturæ inueniri: à tota uero animantis cuiusq; natura, atq; à singularũ rursus partiũ, propriæ & similis, unde si & ulcus simplex cauũ habeat quis, ab ijsdẽ quidem genere; sed quæ non mediocrẽ differentiam in particularium speciebus habẽt, curatio sumet: atq; ob id demonstrauimus ulcerum omnino similium quædã à medicamentis, quę ad plenũ siccẽt, persanari, puta, radice panacis, aristolochia, acoro iride: nonnulla à solo thure, licet hoc carnẽ non inducat, sed illas naturas ad suppurationẽ perducat, quas aristolochia carne replet. Sicut aũt in corporibus curãdis differẽtia particularis permagna est, ita quoq; in ulceribus. nam simplex, cauũ, & purũ ulcus à mediocriter siccãtibus curatur: sordidum uero & malignũ, & oris prætumidis ac duris quidem, sed carne ad cutem fluida, ualidissime siccantia requirit. In his igitur ulceribus, quoniam & de ipsis uerba facimus, thus est imbecillũ medicamẽ, ut ne pus quidem cõcoquere, uel mouere posit, argenti spuma hoc est ualidius, sed medijs tamen & ipsum inferius. At pix arida mediorũ gregi annumeratur, quemadmodũ hanc superat exiccan-

A do æs cõbustum, chrysocolla, & diphryges. Porrò euidenter siccat chalcitis combusta, ærugo, misy, atramentũ sutoriũ, æris squama, atq; altero modo ea quæ sunt acerba. galla omphacitis, id est immatura, malicorium, alumen. Exedunt aũt, non usta, chalcitis, ęrugo, misy, & calx. Quę iam fortissimas facultates habẽt, in omnibus corporibus eandem actionem ostendere uidentur. Imbecilla manifestam differentiam indicant: at si mentem adhibeas, neq; minus in ualentibus pharmacis magnũ actionis discrimen deprehendes, quam in mollib. & duris corporibus obeunt. Etenim mollia citius accendunt, uehementius molestant; & maiores phlegmonas concitant.

2 Cum igitur hæc nõ modo ad præsentia, sed B alia quoq; multa quæ hoc cõmentario continentur, utilia dixerim, rursus ad propositum pharmacum reuertar: in quo picis aridæ denarium pondo centum, à Critone scriptũ fuisse retulimus: argenti spumæ pondo libras tres, cum neutrum propria facultate ulcus cacoethes persanare queat, uerum ut medicamen quod componitur, emplastri speciem induat, recte præsidijs admista sunt. Quantitas autem ipsorum artificiali coniectura sumpta, dicto nuper pondere statuta est: cauente hoc illo qui composuit, ne tam exiguum utriusque ualidis medicamẽtis misceatur, ut mordacia erodentiaq; fiant ægris molesta: uel tam multa mole, & pondere, ut ipsorũ uirtutem dissoluant. nam æris squama admodum siccat abstergitq;, atq; hac etiã ma- C gis ærugo, quæ ambo efficacia sunt, & carnẽ exedunt: æs cõbustũ nec à quoquã intendi, nec resolui postulat, mediocri facultate præsentibus commodum. Constat autem olei mẽsuram ex his quibuscum miscetur, & coctionis quantitate conijci. nam quæ metallica pręparas ad siccandũ sine ullo morsu, coquere diutius oportet. Atque hæc ratio est, cur Crito coctionem quoq; ipsis hisce uerbis apposuerit. Argenti spumam & oleum coquito, donec aliquatenus coiuerint: deinde spumã æris, æruginem, dum confluxerint & colorem bonum acquirant, mox picem adijcito. Posteaq; refrigeratum fuerit, ladanum ex uino tritum: obseruans ne ex hoc adiecto, efferuescat. Postremo supra ignẽ lenem unita defundito, subigitoq;. Hæc quidẽ co- D ctionis scriptura est, licet etiã copiosiore oleo adiecto, diutius coquere primum argenti spumam, deinde his iniectam æruginem, squamam, & æs. Etenim ubi diutius coquuntur, duplicẽ in huiusmodi ulceribus potentiam consequũtur. Quippe magis siccant, & minus erodunt. itaq; de alijs simplicibus pharmacis, quæ in proposito emplastro Crito percensuit, satis mihi dictum est: ladani autẽ sermonem uitaui, ꝙ etiam solum ex uino tritũ ulceribus ægre ad cicatricem uenientibus conducat: nõ quia uini potẽtiam requirat, sed si oleo admisto id coquas, pharmaci uim obtundas: adeo autẽ ualidum non est, ut obtundi desideret, quemadmodum ærugo, uel chalcitis, uel squama, uel tale quippiam, & propter id mollius. est autem tale recens: nam ulceribus difficulter cicatricem ducenti

centibus accõmodatißimũ est. In Cypro igitur ubi plurimũ nascit, medicus quidã recẽs adhuc & molle id genus ulceribus ipsum molliens imponebat, q̃ si paulum induruisset, ex myrteo emolliebat, huius inopia, ex cyprino, uel rosaceo,

3 Aliud autem medicamentum non multo post hoc in quarto uolumine Crito hisce uerbis conscripsit.

Pharmacum ex chamæleonte: facit ad eadem, quæ Tyria: inducit egregie cicatricem ulceribus curatu difficilibus, callosis, et ueteribus, medetur itidẽ ani rhagadijs, condylomatis, & duritijs.

Argenti spumæ mina, ceræ minæ dimidium. æruginis minæ pars quarta. chamæleõtis octaua. olei mina. oleum & argenti spumam incoquito, rudicula mouẽs donec crassitudinem accipiat, & fiat melinum. Quod ubi feceris, æruginem inspergito, deinde ceram diligẽter liquatam adijcito, & ab igne sublato, chamæleontem indito. Cum in unitatem coierint, in mortariũ fundito, ibiq̃ subactum excipito. Hoc medicamen uice ladani, chamæleontem eiusdem sane uirtutis accepit. Ambo nanq̃ ulceribus uix sanabilibus cicatricẽ inducũt. differunt tamen, quòd illud æs combustũ habeat, minime uero ceram: hoc ceram quidem, sed ęs nõ contineat. Atque hic recte autor fecit: qui in illo, ceræ loco ladanum, ad siccorum medicaminum unitatem faciendam usurpauerit: hic uero nihil tale habẽs, ceram miscuit, quæ sane remollit mediocriter, non tamen cicatricem generat, potuisset autem & hic plus olei infundere, sicut uetus, uel ricininum. Ego uero huiusmodi pharmacis lentiscinum quoq̃ inijcio, quod plurium facultatum est particeps, siquidem emollit nonnihil, digerit, & astringit, quibus omnibus difficilia cicatrici obducendæ ulcera cum oris induratis indigent.

Quæ medicamenta prodiderit Heraclides. *Cap.* VIII

Opportunum iam est etiam pharmacorum ab Heraclide Tarentino in tertio lib. ad Astydamantem scriptorũ meminisse. uir nanq̃ fide dignus est si quisquam alius, qui sola experimẽtis ipsius probata cõmemoret. Is igitur uir hunc in modum cõscripsit ad uerbum.

Aduersus ulcera uetera.

Squamæ pars una. æruginis rasæ partes quatuor. cerati myrtei partibus octo excipiunt. Heraclides itaq̃, tanquam medicis cõmentariũ scribens, adiecit cerato myrteo excipito. Sunt autẽ pleriq̃ huius tempestatis tam audaces, ut prius quàm à præceptoribus habitum quendam medicum acquisierint, huiusmodi libris confidentes, optimis pharmacis citra methodum utanť, ideoq̃ frequẽter de prospero successu frustrẽtur. Iam uero myrtei cerati plus minusue adijcietem, nũc humidiore & molliore medicamento, nunc duriore & sicciore uti licet: in primo quidem usu latiore coniectura, sicut dictum est, in secundo propius accedente. nam ulcus intuentes, si minus quàm par est exiccatum sit, uehementius pharmacum reddemus, ut magis siccet: sin plus ac conuenit, mollius ipsum, copiosioris myrtei cerati mistura faciemus.

A Quia metallicorum uis, nõ solum ab hoc, sed etiã quouis cerato resoluitur. Ab hoc cum deinceps scripsisset, alia (inaudire autem uidelicet oportet uirtus) ista subiunxit. Squamæ leuigatæ acetũ affundito, ac sub Canicula leuigato, in mellis spissitudinem faciẽs, uel incoquito, postq̃ siccum fuerit, in puluerem redactũ, cerati partes octo misceto, ac utitor ad recentia uulnera, & uetera ulcera, & rasa, & attritus, & perniones non minus ulcerosos. Hæc uobis de hoc pharmaco sunt intelligenda: Ad alia quidẽ, mediocriter, octo partes cerati squamæ adieceris, ad uetera nimium, hoc est curatu difficilia, si partes sex, aut quinq̃ illius apponas nihil peccabis: ualentioribus enim indigent. Hãc de medicamento narrationem sic scripsit Heraclides,

B Potes insuper squama super ignem resiccata uti. illius autem sermo innuit, si alio quopiam tempore medicamentum cõficiamus, loco caloris ex sole, igne utendum esse: quanquam huiusmodi omnia æstiuo sole meliora fiant multis diebus trita, quædam ex uino, quędam ex aceto. Subtiliora igitur fiunt, quæ ex aceto leuigantur, atq̃ ob id melius detrahunt, attenuant, siccantq̃. Verum ad cicatrices ducendas ex uino trita meliora. in usu sunt hæc prius exiccatis, deinde purgatis ulcerib. quæ cicatricẽ ægre recipiunt. Siccabuntur itaq̃ ijs quæ ualide siccant, purgabuntur per detergentia, cicatricem ducent astringentibus.

2 Aliud. Deinceps aliud pharmacum scripsit Heraclides, eiusdem quidem materiæ, sed nõ

C ualidum: quia argẽti spumæ multum cum diphryge mistũ est. Etenim argenti spumæ trigintaquinque denarios, diphrygis octo, in id conijciendas esse consulit. Atq; hæc cerato excipit, quòd ceræ denarios quadraginta, olei tres heminas capiat. Ego subinde usus sum solo diphryge cum tali cerato, non quidem ad phagedænica, & chironia, & putrida (multũ enim uirtute separatur ab ijs, quæ talia curant) sed ad illa quæ citra magnam malignitatem ægre cicatricem ducunt. Quare si & argenti spumã ipsi admisceas, eamq; copiosam, medicamen reddes imbecillum. Post hoc, aliud ad eadem ita scriptum est. Ceræ denarium pondo duodecim. resinæ terebinthinæ denariũ pondo trium. squamæ denarium pondo quatuor. ladani denari

D um pondo quatuor. bituminis denarium pondo trium. Ladanum & squama separatim teruntur, deinde alia liquefacta ex myrteo oleo, miscentur. Quòd si molle ladanũ fuerit, liquefacito. Hac scriptura palàm indicauit Heraclides ladanũ durum mortario solum ipsum esse leuigandũ. humidum simul & molle, super ignem liquãdum, uel solum uel cum oleo modico, quod me nõ modo in hoc, uerum in gutta ammoniaci quoque facientem ui distis. Est uero & quod post hoc sequitur medicamentum à Tarentino conscriptum ad eadem hac symmetria compositum. Chalcitidis denariũ pondo uigintiquinque. cadmię denarium pondo duodecim & semis seorsum teruntur, uinum maris expers, quod Græcis dicitur aparachyton, miscetur: ubi efferbuerit, superfunditur, ut hæc modice irri

gentur: postea leuigantur donec siccescant. Et ceræ drachmis quinquaginta, resinæ terebinthinæ drachmis triginta, in olei myrtei heminæ parte octaua liquefactis, ad hoc ceratū, de siccis drachmas uiginti ammisceto. Hoc quoq; medicamentū nihil habet ex ijs quę malthacode, hoc est mollicina nominauimus. Verū in mistione ad ceratū qui exercitatus est methodis rationalib. à me propositis, is conuenientem in singulis ulceribus mistionis quantitatem commode faciet. Pulchre autem uinum aparachyton, hoc est cui marina non addita est, calidum chalcitidi, & cadmiæ affundit, ut qui chalcitidis acrimoniam caloris ipsius beneficio auferre studeat.

3 Aliud huic proximum insigne pharmacum scriptum est, ex tot & talibus simplicibus cōpositum. Squamæ stomomatis denarij quatuor. æruginis rasæ denarium pondo duum (in quibusdā exemplaribus scriptū est denarij pondo unius) chrysocollæ denarium pondo quindecim. Leuigatis alijs cærā cum resina modica liquefacito, ne pharmacum durescat, ubi commiscueris, utitor: desuper autem spongiam aceto expressam imponito. Demetrius Bithynus aiebat ipsam chrysocollam solam calente admodum cera exceptam se usurpare. ostendit item Heraclides hoc in medicamine resinam non primo usu eiusmodi pharmacis misceri, sed ut lentorē quendam ad emplastri spissitudinem conciliandam ipsis exhibeat, præsertim cum cera nec natura pinguis, nec recens, sed dura atq; arida fuerit, & quidem stomomatis squama præterquam quòd astringendi uim habet, etiam ualide exiccat. Demetrium autem Bithynū dixit chrysocolla sola cera excepta uti, quod nimirum recte faciens Demetrius in hunc modum usurpauit, quemadmodum ego quoque sæpe non chrysocollam, sed alia quoq; singula ipsa per se molli cera resoluens, ad huiusmodi utor. Nemini uero dubium est, me alia singula dixisse, nimirū ea quæ id genus ulceribus prodesse supra recensui, & terere in singulis quæ curo, ægre sanabilibus ulceribus talia medicamenta cum cera componentem. Interdum enim chrysocollam cera excipio, nonnunquam æs combustum, uel squamā, eamq; uel stomomatis, uel ferri, uel æris: interim æruginem uiuam, uel combustam, sicut etiam misy & chalcitidē: aliquando ex austeris aliquid miscemus, quorum supra meminimus, quoties id quod influit, repellere conamur, ex quorum numero est alumen, malicorium, galla, cytini, balaustiū, aliaq; his similia. Itaq; fide mihi adhibita, nullum hactenus commemoratum medicamen repudiandum esse, exercete usus eorū uiam & rationem qua uoti compotes fiatis, quemadmodum ego. Cæterū cum alia quoq; duo haudquaquam contemnenda medicamina deinceps à Tarentino scripta sint, non ab re mihi uisum est ea quoq; addidisse, eorum itaque prius sic tradidit. Squamæ denarium pondo quatuor. mannę denarium pondo quatuor. aluminis scissi denarium pondo duū. misyos denarium pondo duum. trita ex aceto in pastillos digerito,

A qui singuli pendant denarios duos, & reponito. cum usus poscet, ceræ denarium pondo quatuor, resinæ pityinæ denarium pondo duum, seui taurini denarium pondo quatuor, liquata refrigerare finito pastilloq; misceto, utitor ad uulnera, tanquā glutinatorio, & quod inflammationē arceat. Hæc quidem Tarentinus, nos uero sic temperato ad ulcera commode usurpari dicimus: uerum ad cacoethe tale ceratum miscendum non est, quippe cera sola, ueluti in prioribus declaratū est, hic sufficit. Ac si ex mollicinis quippiā miscere oportebit, id exiguum myrteum, uel cyprinum, uel rosaceum esto. Nihil item lædes, si resinam laricem appellatam adiungas, nec si terebinthinam, quæ licet minus idonea sit aduersus hoc genus ulcera, non ta-

B men reijciēda est. Alias uero resinas nisi prædictarum magna sit inopia, miscere non oportet. Sic de seuo intelligendum uenit, neque enim hoc apponere debemus, nisi ulceris oras emollire cupiamus. Porrò quòd taurinum pingue inter alia omnia, quæ mansuetorum animantium sunt, maxime siccet, non semel audiuistis, quippe superat ipsum subtilitate, tū leonis, tū pardi, tū hyenę adeps. Potius igit̄ est, ubi adipē miscere oportet, anserinum indere, uel magis anserum in pascuis degentium. Satis em̄ est tenuis, & mitigans.

4 Iam cum adhuc restet medicamētū superiori proximū, in quo disciplinæ principiū fecit, ita fatus Heraclides, Ipoterion, quasi dicas expressorium, præsertim ad teneros, quoniā alterius tū ma-

C teriæ, tū uirtutis quā diximus cōuenire ijs, qui ualida medicamenta nō sustinent, sed eroduntur, exagitantur, & fluxionem acquirunt, sermonē de eo differemus, cū de id genus medicamētis agemus exponendum. Nunc ad similia præscriptis descendam, tantum insuper de ijs apponens, quod etiam altero lib. quem Stratiotem, hoc est militem Heraclides inscripsit, eadem pharmaca repetijt, in tertio sibijpsi duntaxat dissentiens. Hic enim simpliciter scripsit: ceræ denarium pondo quadraginta. uerum in Stratiote, appositū est, alij denariū pondo sedecim. atq; hoc rectius est, quia multa ceræ mistura medicamenti uim aufert. Præterea in lib. quos ad Antiochidem scripsit, horū ipsorum medicaminum meminit Heraclides, atq; in primis

D primi, quemadmodum in his, ita in illis quoq; cōmentatus. Ad nimisquā inueterata & callosa hoc uteris: squamæ parte una. æruginis in quibusdam exemplaribus punctis distinctum Δ. scriptum est: in alijs lineam suprascriptam habet oblongam Δ. ut uel quatuor partes, uel unius quartam partē significet. Itidē in prædictis exemplaribus uarie ipsum scriptū inueni, Quare in hoc quoq; utilitas ꝓpositi operis est, ut pharmacorum differētias possis pernoscere. Nam solus ipsis recte uti possis. Hoc igitur ipsum medicamen quod propositum est, si quatuor æruginis portiones capiat, admodū acre futurum est. At si quartam æruginis partem inijcias uni squamæ portiunculæ, mediocre pharmacum habebis, puta ad maligna, potissimumq; si non ex sola cera, sed cerato ipsas temperes: prædixi-

diximus ceram, & mollem, & nouam esse oportere, si talis non sit, apud ignem paratum, calefaciendam, uel in sole, & cũ myrtei pauxillo emolliendam, itaq; aeruginem, & squamam ei commiscendam: ostendimus quoque post huius cõmentarij principium optimum hoc esse pharmacũ, ex squama & aerugine confectum, si cera quadrupla adiecta sit. Atque ob id frequenter ipso utor, cum aeris combusti aequali põdere plurimum admisto. Apposuit autẽ medicaminis huius usui in libro, quẽ ad Antiochidem Tarentinus edidit, ea quae suis commentarijs supra nominatis omisit. uniuersam igitur ipsius seriem orationis adducam, habet autem in hunc modum. A

Ad uetera quidem admodum & callosa hoc uteris.

B Squamae parte una, aeruginis quarta. Haec leuigata, myrteo cerato duro, quod octo partes cõtineat, excipiuntur, usuiq; sunt, sed prius aqua frigida ulcus eluitur.

CAP. IX Modo producam quae ex Andromachi pharmacis eadẽ promittentibus omiserã. Antea nanq; emplastra dũtaxat retuli. Quae uero medicamenta ex pastillis praeparata, ceratis admistis dũ usus postulat, aegre sanabiliũ ulcerũ epulotica, hoc est ad cicatricẽ ducendam apta, esse dicit, uel quae sicca inspergunt, ea in praesentiarũ subiungã ab illo qđ inter arida iuxta finẽ scribitur, exorsus.

Sicca Andromachi. Aridum cicatricem ducens.

Ostreorum cõbustorum denarium pondo duum. mannae denarij pondo unius. cadmiae obolorum pondo quatuor. aliàs denariorũ pondo quatuor. Tritis utitor etiam ad nomas.

Aliud Aridum ad idem

Piceae corticis denarium pondo sex. aristolochię denarium pondo sex, pumicis denarium pondo quatuor. resinae siccae denarium pondo quatuor. mannae denarium pondo sex. clarum est, colophoniam ipsum dicere. iridis illyricę denariũ pondo ij. Leuigatis utitor.

Aliud cicatricem ducens, etiam malignis.

Piceae corticis denariũ pondo vi. cornu ceruini combusti denarium pondo quatuor. cadmię denarium pondo octodecim. mannae denariũ pondo quatuor. aeruginis rasae denariũ pondo duum. Tritis utitor. Aliud. Gallae denarium pondo quatuor, cerussae denarium pondo octo. myrti denarium pondo quatuor. spumae argenti denarium pondo octo. retrimenti plumbi denarium pondo quatuor. Tritis utitor. Horum quatuor medicaminum primum simplex est admodum sine morsu acrosione siccans, obscurę astrictionis particeps. Secũdum ob piceae corticem adiectũ, sensibilem astringendi potentiã obtinet, qualem habere conuenit ea, quae cicatricem probe ductura sunt: tertium non modo corticem piceae, sed aeruginẽ quoque capiens, ijs conducit quae sordiciem facile ulceratis adnascenteẽ fouent: quippe sordes ipsorum tollit, & cicatricem nõ impedit. Quartũ loco picee corticis myrtum habet, aliaq; citra erosionẽ exiccantia. Post haec, ubi alia tria arida scripserit, quartum ita ad uerbum subdit. C D

Aliud Aridum ad excrescentia cicatricem ducens sine morsu, ut Harpocras.

Sandarachae, chrysocollae, arsenici, pares singulorum portiones, facit et ad maligniora. Hoc pharmacum nihil cum prioribus similitudinis habet, sed ulceribus propter nimiam humiditatẽ carne excrescentibus conuenit, ut quae etiam repurget. Nam talis potentiae est sandaracha, & arsenicum, quibus unum ex ijs quae mirifice maligna iuuant adiectum est, nempe chrysocolla.

Quae ascripserit Archigenes. Cap. X

Quae Archigenes de id genus ulceribus in secundo Medicamentorũ libro scripsit, sic ex illius dictione ad uerbum sonant.

De ulceribus quibus callus obduci nõ potest, & ueteribus.

Vlcera uetera ita cicatricem ducent, communi quodam oleo expurgatis uetustissimum cum linamentis imponitur. Vel aerugo rasa cum cerato rosaceo, quod paulum resinae habeat excepta imponitur. Item squamę aeris rubri quamplurimũ cerato myrteo exceptum, usurpatur. Vel amyli eloti partes tres, seui uitulini partes tres. cerae tyrrhenicae pars una. liquatis quae liquari possunt amylũ miscet, & usui est. Vel diphrygis & squamae aeris, singulorum denarium pondo quatuor. mannę denarium pondo octo. ex aceto probe leuigentur, dum mellis spissitudo fiat: cerã denarijs triginta duobus cũ olei hemina & semis liquefactã superfundito, ac unita utitor. linamẽto excipito uel pauciore oleo splenion facito. Vel chalcitidis, cerussę parem mensurã, salis cõmunis duplã, argenti spumae portionẽ duplo q̃ salis maiorẽ, uino oleoq; alternis leuigãs, ut liparo hoc est pingui medicamẽto utitor. Vel argenti spumae, cerussae, diphrygis aequale pondus, chalcis uiuae duplum cum myrteo cerato usurpato. Vel diphryges, squamã, gallam pari mensura, ęruginem dimidia, cum cerato myrteo, nonnulli & pityinam resinam admiscent. Vel cucumeris agrestis radicem inspergito. Desup per linamentum filatim cõcerptum ex frigida imponito. repurgat, & cicatricem obducit.

Ad ulcera in quo cũq; corporis loco, quae cicatricẽ aegre ducũt.

Erysimi semine leuigato, mistoq;, dum sordium habeat speciẽ, splenij modo imposito, celerrime ulcera ad cicatricẽ perueniunt, uel maligna.

Aliud cicatricem inducens senilibus.

Ad senilia retrimento plumbi cũ myrteo cerato utitor. Si uetustũ ipsum cupias, adipẽ porcinũ addito. Quae nigricant ulcera, prius pane hordeaceo fouebis, & pani cocto butyrũ & cerussam pari põdere diligẽter in unitatẽ rediges, & uteris.

De putridis & nomis. 2

Putridis & nomis erui farinã, alumẽ liquidũ, panis similaginei internã micam, porcinã ueterẽ, uel aliam carnem salsam, uetustam, illotam, terebinthinam liquidam, mel optimum pari mensura simul cõtusa imponito. Vel aristolochiae ac cicinorum foliorum succi aequales partes, aeruginis dimidiam ex aqua, sed mellis spissitudine illinito, paululũ partis incolumis apprehendẽs. Si crusta non decidat, elaterij, ęruginis parem modum adijcito.

Bene facit ad putredines ſori tritũ craſsius inſperſum, & ſupra ſiccum linamentũ concerptũ impoſitum. Vel ariſtolochiã rotũdam, & gallam æquali pondere ex oleo circumline. Vel cucumeris agreſtis radicem, uel braſsicæ, uel betæ, uel lapathi folijs illigatam calido cinere recondito, cum autẽ emollita fuerit, cõtrariã imponito: ualide purgat. Vel ſummos germinantis oleæ ſurculos in uino coctos cum melle aſpergito. Vel chalcitidẽ inſpergito: deſuper uero pãniculos ſiccos filatim excerptos accõmodato. Elateriũ, uel lini ſemen tritum cum chalcantho imponito. Vel thymo, & ſtaphide agreſti aut ſatiua cũ ficis coctis aſpergito. Vel ficulneis folijs in puluerẽ redactis cum melle. Vel nitrum cum cumino. Et farinã cum melle. Vel ficus agreſtis radicẽ cum melle. Vel ſquillæ coctæ ex melle. Vel ueratri cum melle. Faciunt itidẽ hęc ad phagedænas, nigritias, & nomas. Vel ſoreos denarium pondo duodecim. chalcitidis denariũ pondo decem. miſyos denarium pondo quatuor. Cum aceto longe acerrimo tribus cyathis conterito donec inareſcant, & excipito, utere uero ſpecillum ex eis tingens, atq; in ulcus deuoluens, deinde linteolum ſimplex œnelæo madens superimponito. Quòd ſi phlegmone adeſt, alterci ſemen quod hyoſciamon dicitur, cum polenta, uel braſſicam cum melle inſpergito. Quibus autem uermes adſunt, ceruſſam, & polium æquali pondere cum pice liquida inungito.

De cancroſis. 3

Cancroſis, & malignis ulceribus cancri fluuiatilis cõbuſti, cadmię pares portiones tritas inſpergito. Aut cinerẽ cancrorũ cũ cerato imponito. Aut eryſimi ſemẽ leuiſsimũ ex melle fæculentum faciens, ſplenij modo imponito. Sũme facit ad chironia, & uetuſta, & cicatricẽ ægre ducentia: item ad contumaces & malignas nigricias tibiarũ, & quæ in mamillis ſunt. ſtrumas, ac parotidas extrahit. ſeui bubuli pondo libras tres, (ut quidam aiunt) quinque. terebinthinę pondo uncias quinq;. mannæ pondo ſexuncem. terræ ſardæ dictæ qua tinctores utuntur, pondo uncias quinq;. Quæ liquari poſſunt, aridis miſceto, ac in unum coactis utitor. Aut lentem coctam cum melle, aut oleæ uirẽtis ſurculos, aut utrunq; imponito.

De calloſis 4

In ijs quæ callum contraxerunt, & prætumidas oras ac duras habent, dulciaq; uocant ulcera, cõmuniter quidẽ per experientiã, bene facient urentia. proprie uero, litrum torrefactum, calcẽ uiuam cum urina pueri impubis circumlinito, aut æruginem, thus, ſalem, mel inungito.

De emplaſtris quæ Aſclepiades ad huiuſmodi ulcera conſcripſit. Cap. XI

Præſtantiſsima de id genus ulceribus Aſclepiades tradidit cognomento Pharmacion. cum enim unum ſit omnibus ipſis cõmune, nempe ut difficulter ad cicatricem ueniant, quædam quòd male curantur, uel molliuſculo uictu à medico regunt, cicatricem non ducunt, nullã de ſe malignitatem habentia: quædã uero ſuo uitio ægre ſanantur, uel

A quòd praui humores ipſis influãt, uel ꝙ exulcerata pars talem iam affectum habuerit, ut quamuis probus qui influit, ſanguis exiſtat, ipſum corrumpat. Aſclepiades igitur eiuſmodi ulcera tribus diſtinguens generibus, de ſingulis proprium ſermonem inſtituit, quę ego quoq; illius uerbis deinceps aſcribã, enarrans decernensq; ſi ambiguitas quæpiam in ſermone appareat. Itaq; de primo horũ ulcerum ac medicaminum genere ita Aſclepiades ad uerbum diſſerit. Vbi callum partes contraxerint, & ægre ad cicatricem ueniunt, confecturis infra poſitis utendum eſt.

Andreæ emplaſtrum, omnem excreſcẽtiam reprimens: item ulceribus cruentis, ac uulneribus conuenit, inflammationem arcet, facit ad paſta, ſinus iungit, ualet ad ulcera fluẽtia, diuturna, et quæ difficulter cicatricem admittũt.

B Argenti ſpumæ pondo tria. ſquamę æris, chalcitidis, æruginis raſæ, ſingulorum unc. iij. aceti heminam, olei ueteris, pondo libras octo. præparatur ſicut prædictum eſt.

Aſteris medicamentum ad idem accommodatum, probe autem digerit.

Argenti ſpumę pondo libram, olei ueteris pondo libras duas ſemis, æruginis pondo unc. chalcitidis pondo unciam. ſquamæ rubræ pondo unciam unam. aceti heminam.

Amphionis ad idem.

Argẽti ſpumæ pondo lib. ij. olei ueteris pondo libras iiij, chalcitidis pondo unc. ix. ſquamæ æris denarium pondo quatuor. aceti heminam, conficito in eundem modum.

C *Typilænon quod philoſophorũ dicitur. Facit ad ulcera fluida, & diuturna, ægreq; cicatricem ſumentia, oſſa corrupta reducit.*

Argenti ſpumæ pondo lib. iij. olei ueteris ſextarios iij. chalcitidis põdo lib. ij. s. æris ſquamæ denarium pondo xxv. aceti heminã. Argenti ſpumam & oleũ uſq; ad cõſiſtentiã incoquito, deinde ſquamam leuiſsimã factã adijcito, aſsidue mouẽs. Ac cũ bene habet, chalcitidẽ ex aceto tritã paulatim medicamento aliquatenus refrigerato immittito, deinde ponẽs ſupra ignẽ rurſus incoquito uſq; dũ nõ coinquinet, cũ in pilã demiſſũ rurſus cõtuderis ac ſubegeris excipito, et ad ſupradicta uitia utitor.

Iſis uocatum emplaſtrum Giluum. ad fluentia diuturna, maligna ualet, ac uix curabilia maxime in partibus extremis, conficiendum eſt mollius ac tenerius, denſatur enim repoſitum, & ſiccius euadit: ita habet.

D Argenti ſpumæ denar. pondo c. minij ſinopici denar. põdo viij. diphrygis, ceræ, chalcitidis cõbuſtæ, ſing. ℥. in alio exẽplari, ſing. pondo denar. iiij. chalcitidis crudæ denariũ pondo. ij. olei heminas duas. Argenti ſpuma & oleum coquunt̃, dum iterum ac tertio efferueſcant. Hoc facto, aquæ modicum digitis inſtillat̃, mox diphryges, chalcitis toſta leuis facta inſpergit̃, ſub manu aquã inſtillãdo, donec nõ amplius medicamẽ inter coquẽdũ ſtrepat, ubi conſtiterit, cerã indito. Adſint aũt chalcitis cruda, & miniũ ex oleo modico cõtrita, cũ bene habet pharmacũ, hæc immittito, cõtinue mouens, cũ recte ſe habet, in pilam cõijcito, ac rurſus tundito, ſubigitoq;, excipiens utitor.

Aliud

Aliud Scribonij Largi pharmacum accommodatum.

Ceræ denariũ pōdo centum. argēti ſpumæ denariũ pondo l. olei myrtei heminā i. miſyos cōbuſti, chalcitidis uſtæ, aluminis ſciſsi uſti, ceruſſæ, reſinæ terebinthinę, ſingulorum denariorum pondo duodecim. componitur eodem modo.

Aliud. Compeſcit in oculis ſtaphylomata, ualet ad ulcera curatu difficilia.

Minij ſinopici denarium pondo quindecim. argenti ſpumæ denarium pondo centũ. ceræ denarium pondo xl. pityinæ denariũ pondo xx. chalcitidis denarium pondo xxx. ſalis ammoniaci denarij pondo unius. thuris denarij pōdo unius. olei heminam. præparato quo dixi modo.

Aliud ut Aphrodas. Facit item ad condylomata, & rhagadas contumaces.

B Argenti ſpumæ denariũ pondo xlviij. terebinthinæ denariũ pondo xxviij. miſyos toſti, chalcitidis toſtæ, ſing. denariũ pondo viij. minij ſinopici, chalcanthi ſing. denariũ pondo iiij. olei ueteris heminam. aquæ heminā. ceræ denarium pondo quadraginta. ricini pōdo librā, alij cyathi dimidium. ſicca ex aqua leuigantur. Atq; de his hactenus.

De ſecundo uix ſanabilium ulcerum genere, de quibus Aſclepiades hoc modo ſcripſit ad uerbum. 2

Ad fluentia ulcera, & curatu difficilia confectu ris infra ſcriptis utemur.

Medicamentum ex chamæleonte, quo uſus eſt Philoxenus ad fluentia & ægre curabilia ulcera.

Argenti ſpumæ pōdo librā. olei ueteris pondo libras duas. chamæleontis radicis pondo trientem. ariſtolochiæ pondo trientem. chalbani pondo un C cias duas. gallæ pondo uncias duas. thuris pondo uncias duas. conficito ſicut prius.

Aliud quod Thebano adſcribitur.

Argenti ſpumæ pondo librā. olei ueteris ſextarium unũ. chalcanthi denariũ pōdo xxiiij. chamæleontis, denariũ pondo xij. ariſtolochię tantundē, chalbani denarium pondo octo. thuris denarium pondo octo. componito ſimiliter.

Aliud ex arundinibus, ad fluentia, & chironia ulcera, item ad cuiuslibet ſerpentis ictum.

Argenti ſpumæ pondo libram, olei ueteris pōdo lib. ij. chamæleontis nigri radicis, ariſtolochiæ, gallarum immaturarũ, ſing. pōdo denarium quatuor. chalbani, guttæ ammoniaci, thuris, ſingulorum pondo uncias duas. præpara mouens radici- D bus arundium uiridium.

Caſsi nominatum Gangrænicum pharmacum accommodatum.

Argenti ſpumæ denariũ pondo centũ uiginti. olei ſextarios duos & dimidium. chamæleontis nigri radicis denariũ pondo ſedecim. aceti ſextarios duos & dimidium. æruginis denariũ pondo octo. piceæ corticis denarium pondo viij. myrrhæ denarium pōdo iiij. præparato ſicut priora.

Nigrum ex pyrite lapide uocatum, quod ad Lamonicum refertur.

Valet ad fluentia, difficilia curatu, & phagedænica ulcera, facit item ad fiſtulas impoſitum. emollitq; omnem duritiam. Argēti ſpumæ, bituminis, ſing. denarium pondo c. picis, ceræ, ſing. denariũ

A pondo viij. pyritis, terebinthinæ utriuſq; denariũ pondo xxv. propolis, aluminis ſciſsi, ſing. denariũ pondo xv. ammoniaci thymiamatis drac. xij. chalbani, aloes, utriuſq; drach. viij. æruginis, mannæ, utriuſq; drach. v. olei ueteris ſextarios ij. Argenti ſpuma cũ oleo incoquitur, donec coiuerint, mox bitumen, pix, cera, reſina, propolis inijcitur. Quibus liquefactis, refrigeratisq;, ærugo, & lapis pyrites immittitur, deinde ammoniacum, cum cacabus ab igne ſublatus, modice refrixerit, alumen, chalbanum, mannaq; inditur, & mediocriter cocta in frigidam demittuntur, ac diem noctemq; ſinuntur. Subactis utitor.

Aliud, facit ad curatu difficilia.

Picis, ceræ, pyritis, ſing. pondo denariũ xij. guttæ ammoniaci denarium pondo x. bituminis denarium pōdo quinquaginta. argenti ſpumæ denarium pōdo quadraginta. propolis denariũ pondo octo. ſciſsilis denarium pōdo quinq;. æruginis denarium pōdo duum. olei ſextarium.

Aliud nigrum ex ſalicibus ad idem.

Miſyos peregrini, aluminis rotũdi, chalcitidis, cretæ ſutoriæ, quæ melanteria Græcis dicitur, æruginis raſæ, aluminis ſciſsilis, gallarũ immaturarũ, ceruſſæ, ſing. pondo ſelibram. ceræ, reſinæ ſiccæ, picis brutiæ, bituminis, ſing. pōdo lib. ij. aceti acris ſextarij dimidiũ. olei omphacini pōdo lib. ij. ſalicis ſurculorũ tenerorũ foliorũ pōdo lib. ij. folia ſalicis in acetũ mittito, igniq; ſuprapoſita coquito, mouens ſine requie, dum tertia liquoris pars relicta fuerit: ſicca uero tundito, & cribro tenuiſsimo ſecernito, deinde in mortarium coniecta his humorem expreſſum adijcito, teritoq; diligenter, tanq; cephalica medicamina. Quæ autē liquefieri poſſunt, uſq; dum non coinquinent coquito: poſteaquam refrigerata raſeris, leuigatis immiſceto, ac in pilam coniecta excipiens utitor.

Indum Tharſei chirurgi, ad eadem.

Cerę, reſinę frictę, picis aridæ, bituminis liquidi zacynthij, ſingulorum pōdo lib. ij. ceruſſæ, æruginis, chalcitidis, miſyos peregrini, melanterię, aluminis & ſciſsilis & rotundi, gallæ omphacidis, hoc eſt immaturæ, malicorij, thuris, ſing. pōdo ſelibram. aceti quantum ſufficit. Quæ liquantur, eo ſpiſsitudinis ut non inquinent coquito, ſicca tundito, tenuiſsimo cribro cernito, aceto perfundito, & liquabilibus excipito.

Aliud Cyzicenum: facit ad diuturnos affectus, & neruos præciſos.

Thuris quãoptimi, ceræ, myrrhæ, ariſtolochiæ, chalcitidis, illyricæ, chalbani, ſing. pondo denariũ quatuor. terebinthinæ, argenti ſpumæ, ſing. denarium pōdo viij. olei heminam. omnia in uas æreũ conijcito, ſuper cinerem molliuſculum coquito, mouens donec in frigidam deſcendens mellis habeat ſpiſsitudinem. Deinde tollito mouens. Hoc in pelliculam illitum imponito, & ſoluito hyeme poſt ſeptimũ diem, æſtate à quinto.

Aliud ex Collectaneis Philoxeni.

Thuris, myrrhæ, croci, illyricę, bdellij, ſquamæ æris, chalcãthi, chalcitidis, aluminis rotũdi & fiſsi,

misyos peregrini, guttæ ammoniaci, propolis, uisci quercini, opopanacis, malicorij inclusi, singulorum denarium pōdo iiij. aristolochię denarium pōdo viij. ceræ denarium pōdo centum. quod minam inscribit seui taurini, denarium pondo centum. resinę terebinthinæ denarium pōdo septuagintaquinq́. quod Graece triatettara, hoc est tres minæ quartas partes nuncupat. resina in ollam fictilem nouam coniecta coquatur donec odorem amittat, deinde seuum & cera cōcisa adijciantur, liquenturq́, sicca tundantur, & tenuissimo cribro incernantur, deinde ab igne deposita, quæ liquefacta sunt aliquandiu refrigerari permittant, quibus sicca inspergito, curiose mouens. myrrhā uero, thus, bdellium, opopanacem ex aceto trita in mortario habere oportet, quibus ea quæ in olla sunt immitenda, terendaq́ ne in grumos ceræ modo coeant. Cum bene habuerit pharmacū, pyxide lignea irino prius illita reponitur.

De tertio genere ulcerum, quæ uix ad sanitatem perueniunt, Asclepiades hæc ad uerbum scripsit. 2

Ad ulcera quæ nequaquam coeunt, aut si coeunt, rursus soluuntur, uel carne corrupta, uel etiā ossibus subiectis labefactatis, huiusmodi confecturis utendum est.

Ad chironia & quæ difficilem curationem habent, medicamentum confictum.

Squamę æris, æruginis rasæ singulorum pōdo unciam. ceræ pondo selibram. resinę laricis pōdo unciam semis. Quę liquātur, aridis misceto, excipitoq́, ac utitor curiose subigens, latiusculū ceratum soli affectæ parti inijciēs ut ulcus tantū comprehendat: ambientes uero particulas medicamine quod phlegmonem propellit, circūdare oportet, tertio curationis die ulcus soluere, dein fomētis lenire, ipsumq́ ceratum ablutū emollire, ac rursus imponere, donec cicatrix appareat.

Aliud accommodatum.

Aeruginis, squamæ æris, singulorum pōdo uncias duas. diphrygis pondo unciā unam. ceræ pondo libram. laricis pondo uncias tres. præparato ac utitor, sicut prædictum est.

De medicamentis quæ nominantur cephalica, id est capiti accommodata sic ad uerbum Asclepiades tradidit.

Deileontis cephalicū ad diuturna, & quę difficulter curantur. ossa corrupta educit: Aeris squamæ, mannę thuris, resinę siccę singulorum denarium pōdo cētum. aceti heminas duodecim. Terito squamā ex aceto. & cum leuis facta fuerit, thus in minutissimū puluerē redactum adijcito, & resinam. pastillos fingito, quos in umbra desiccabis. in usu, cum callum auferre conaris, medicamenti partem unam. cerati ex rosaceo cōfecti æqualem sumito. In alijs uero sit medicamēti portio una. cerati partes tres uel quatuor. Nam temperamētum subiectis affectibus cōuenire oportet.

Cephalicum ex nigro Viride, quo usus est Tryphon Archeus. Facit ad diuturna, & uix sanabilia, ossa corrupta reducit.

Aeris squamę pondo denariū duodecim. mannæ, thuris, guttæ ammoniaci, resinæ pityinę siccę, seui uitulini curati, resinæ terebinthinæ singulorum pondo denarium sedecim. ceræ, olei, utriusq́ quartam minæ partem, aceti heminam, conficito ad modum prædictum.

A

Philotæ cephalicum. Ad diutina, difficiliaq́; sanatu, ossa corrupta reducit, & callos consumit.

Terræ eretriadis denarium pondo centum. æris squamæ denariū pōdo quinquaginta. ichthyocollæ denarium pondo uigintiquinque. aceti heminas duodecim. Ichthyocollam minutim contusam in uas uitreum cōijcere oportet, acetum affundere, ut irrigetur, dissolutam medicamini præparato immittere, ubi miscuerimus, pastillos efformare, usus indicatus est.

Dionysii Samij.

B

Terræ eretriadis pōdo minā. æris squamæ pōdo minæ dimidiū. ichthyocollæ quartā minæ partem. thuris octauā. æruginis rasæ octauā. myrrhæ decimamsextā. aceti congios duos. cōponito sub æstu Caniculæ, in sole omnia cum aceto simul terens. Ichthyocollam uero tenuem faciens aceto modico in uase uitreo imbuito, deinde cū miscueris ijs quæ sunt in mortario, pastillos fingito quatuor singulos denariorum, quosdam octo, & desiccato: ubi utendum erit, medicamenti partē unā cum tribus cerati ex rosaceo confecti sumito, splenijs lanam succidam aceto madentem superdato, fistulis pharmaci partē unam, cerati rosacei duas, collyria faciens indito.

Emplastrum ex herbis, ut Lucius præceptor conficiebat.

C

Anagallidis flore cœruleo denarium pondo quinquagintasex. papaueris agrestis denariū pōdo quinquagintasex. hyoscyami uiridis foliorum, & porrorum uiridium, singulorum denarium pōdo lvi. squamæ æris denarium pōdo xxv. mannæ denarium pondo xx. resinæ pityinæ siccæ denarium pondo xvi. aloes denarium pondo sex. aluminis scissilis denarium pondo quatuor, rotundi tantundem. salis ammoniaci denariū pondo quatuor, ceræ pondo minam, olei ueteris heminas ij. aceti quantum satis est. Herbis diligenter contusis, acetoq́ solutis, humorem ad medicamenti cōfecturam exprimito.

Isis capiti accommodatum. Ad chironia, & curatu difficilia. Est item cruentis idoneum, quod Græci enæmon appellant.

D

Ceræ denariū pondo centum. resinæ colophoniacæ denarium pōdo ducētorum. guttæ ammoniaci, squamæ æris, thuris combusti, aristolochiæ tenuis, æruginis, salis ammoniaci, singulorum denarium pōdo octo. chalbani, mannæ, myrrhæ, aloes, sing. pōdo denarium duodecim. aluminis rotundi denarium pōdo sex. olei ueteris heminam, aceti quantū sufficit, præparato ac utitor interim mero, interim diluto medicamine.

De scriptis ab Hera utilibus emplastris ad uix sanabilia ulcera. Cap. XII

Alia sane quædam emplastra usus multiplicis tradidit, quæ ulceribus quoq́ ægre cicatricem ducentibus, & malignis esse accommodata affirmat. unius uero proprie ad ea sola conducentis meminit: sic fere de ipso scribens ad uerbum.

Empla

Emplastrum ipsius Hygieni ad multa utile, boni coloris. Facit bene ulceribus, quæ ad cicatricem ægre perueniunt: item ad ad paronychia, quo nullum extat præstantius.

A Argenti spumæ chrysitidis pondo minam. ceræ pondo minam. chamæleontis nigri radicis denarium pondo triginta sex. æruginis rasæ denariû pondo octodecim. chrysocollæ denarium pondo quadraginta. olei heminas tres. Argenti spumam cum oleo leni igne coquito, donec inferuescere incipiat: deinde cum ab igne deposueris, æruginẽ inspergito, iterũ coquẽs moueto quousq; colorẽ propriũ receperit: mox ceram indito: cum bene medicamentum habet, chrysocollam, & chamæleontem, in mortarium demissis acetum instillato: ualet ad eadem, chrysocolla etiam contenta: B quanquam & sine hac longe mitigãtissimum est; summeq; iuuat neruorum pũctus: item cum à neruis, uel musculis eluere quid oportet: ac quemadmodum fecit Heras, ad finem sermonis de emplastro scribens, chrysocolla addita non est mitigatorium, seu leniens. quippe astringens aliquid pharmacum hoc continet: at quæ ob dolorem uidelicet mitigantur, relaxantibus indigẽt. Nam in hoc solum accidens mitigari postulat: & subinde mitigantia dolorificũ ipsum affectum offendunt. Verum uehementiori malo succurrentes, dolorẽ primo lenimus: deinde sic ad ea quæ morbum curare possunt accedimus. Itaq; chrysocolla, sicut & prius dictum est, medicamen est ex ijs quæ ad ulcera uix curabilia mirifice faciunt: quemadmodũ pleraq; alia, quæ præterquam quòd uehementer siccant, etiam nõnihil adstringunt. Porrò nullum C huiusmodi medicamentũ est mitigatorium. Quoniã uero minæ, & heminæ meminit, spumæ argẽti minam unam inijcere præcipiens olei, heminam (dictum nãq; mihi est etiam in superioribus cõmentarijs, nonnullos uiginti uncijs, quosdam sedecim minam æstimare: ut heminam, alios uncijs nouẽ, alios duodecim) distinguenda quoq; hæc ueniũt. Sumetur autem distinctio ab ijs quę pharmacum promittit, & metallicorum quãtitate: etenim propter pollicitationem coqui affatim postulat, eoq; plus olei accipere, ob metallicorum autem mistionem, quæ non pauca sunt, oleosam humiditatem exigit. Cum igitur nec pingue, nec medullam, nec resinam liquidam capiat, oleum augere ratio est. D Itaq; si minam ceu uiginti uncijs æstimemus, olei certe tres heminas infundemus, singulas unciarũ duodecim. Sin autẽ sedecim reputauerimus, olei heminam ceu unciarum nouem licet immittere. Licet etiam duodecim unciarũ inijcere, si coctura durior fieri debeat. Nam id talibus medicamentis est utilissimum uel metallicorum causa, quorum non mediocris copia existit. Si enim chamæleontis denarios trigintasex adnumeres æruginis quidem octodecim, chrysocollæ quadraginta denarijs, fient uniuersi nonagintaquatuor. qui et ipsi copiosi olei misturam requirunt, maxime cum ceræ denarios simul centum addi præcipiat: omnino enim uel sic multo oleo erit opus.

2 Hoc igitur emplastrũ Heras conscripsit, adfirmãs ulceribus ægre cicatricẽ cõtrahentibus ex usu esse: Alijs uero usus multiplicis eodẽ in libro scriptis, post multa ipsorũ opera subdidit, cicatricem ægre sumentibus, uel malignis quoq;, uel chironijs idonea. Nam & Aribarzanion ab ipso dictum cõmendat aduersus maligna, pascentia, & difficilia curatu. Item Isim ut gangrænas coercentem: deinde tertiũ his uerbis suspicatur-Boni coloris-cruẽtis idoneum, cicatricem inducẽs, quod chironijs simul auxiliari dixit. Insuper quartũ, cui nomen indidit-Panacea-adhæc quintum Icesii.

CAP. XIII De emplastris igitur, uario usui ac commodatis sequenti libro disputabimus, ubi simul ea quæ Heras commendauit, ascribentur: hic autem, quæ uix sanabilibus (chironia nõnulli uocant) medentur, longo usu tum à præceptoribus nostris, tum à nobis ipsis explorata, quorum non nulla ab antiquiorib. quoq; uiris præclaris approbata sunt: quemadmodum & illud quod in libro cui titulus est Mantiæ pharmacopola de re medica scriptum inuenio, uerba ipsius ita sonant.

Aeruginosum Mantiæ. 1

Aeris usti pondo minas quatuor. resinę pityinę siccæ denarium pondo octo. ceræ denariũ pondo octo, æruginis denarium põdo decem. olei heminam. terræ cimoliæ denarium põdo quatuor. thuris denarium põdo quatuor. squamæ ęris denariũ pondo quatuor. Sicca leuigata in mortario sinito: ceram liquefactam cum oleo tritis superfundito, sinitoq; pauxillo tempore combibere: aceti heminam addito: per triduum terito quantum aceti excipiatur, immittens, ut liquidi cerati fiat spissitudo. utitor ad omne uulnus, & uetera & uix ad cicatricem uenientia ulcera, & quæcunq; cancrosa sunt, cum panniculis filatim concerptis: supra splenium uero lanam succidam uino oleoq; madentẽ leuiter alligare oportet: biduo per æstatem soluere: hyeme triduo, ac ulcera tepente aqua abluere: in profundis uulneribus ipsas oras leuiter linamẽtis intercipere. Quippe medicamen linamẽtó excipi aptum est, & pus mouet. Postquam uero pura fient ulcera & crusta excidet: ceram miscendo æqualem ærugini ad cicatricem perducito. Exterit & carbunculos citra dolorem, omneq; pascẽs malignum sistit, persanatq;. utitor quoq; ad herpetas, & ungues putridos: similiter autem ad omnia uino & oleo utendum est cum lana. Præterea dentes erosos medicamine repleto.

Bonum nostrum. 2

Ceræ, picis, bituminis, singulorũ põdo libram. mannæ, æruginis, cerussæ, sing. pondo selibrã. malicorij, gallæ, spinæ Aegyptię, iridis illyricæ, aristolochiæ rotundæ, chalcanthi, singulorum pondo trientem, hoc est uncias quatuor. aristolochiæ uero longæ, & æris combusti, utriusq; pondo sextantem, hoc est uncias duas. Sicca & aceto pluribus diebus terito, ut etiã prius ostensum est. ijs probe elaboratis, quæ liquari possunt cũ oleo liquata heminam ipsis superfundito, mannã inspergens. ubi liquefacta refrixeris, cum'que derasceris, aridis ex

aceto leuigatis sic admisceto, ut ne inter fundendum grumos cerę modo facias, idq; potissimũ ambiente nos aere frigido.

Aliud, nostrum. 3

Bituminis, aluminis liquidi, singulorum pondo libram. picis, resinæ pityinæ, ceræ, pondo libras duas. aristolochiæ rotundæ, gallæ, spinæ Aegyptiæ singulorum pōdo uncias octo. malicorij, æris usti, mannæ, aristolochiæ longæ singulorum pondo uncias quatuor. olei ricinini aut ueteris, si illud nō adsit, pōdo libras duas, quarũ singulę uncias duodecim cōtineant, ut omnes simul unciæ collectæ sint uigintiquatuor. Pręparato hoc quoque eodem modo cum prędicto: metallica ex aceto teruntur: deinde sicca adijciuntur: rursusq; leuigantur. Postea cum luti spissitudinē habuerint, liquata miscentur, ut prædiximus.

4 Aliud. Bituminis, resinæ terebinthinæ, picis brutiæ, singulorum pondo. olei denarium pondo uigintiquatuor. argenti spumæ, cerussæ, mannæ, æruginis, squamæ, opopanacis singulorũ pares portiones. olei denarios xxiiij. ladani pōdo uncias duas. quæ ualēt denarijs sedecim. aceti heminas duas. Hoc quoq; pharmacum perinde ac superiora duo, conficitur.

5 Aliud. Chrysocollæ, squamæ, stomomatis, singulorum denarium pondo quatuor. æruginis, & chalcanthi utriusq; dimidium, hoc est singulorum pondo denarium duum. ceræ denariũ pondo uigintiquinq;, hoc est uncias tres & denarium unum, resinæ terebinthinæ pondo uncias duas, hoc est denarios sedecim. ceram cum terebinthina liquefacito, deinde alijs admisceto, bifariã medicamentum conficiens: interim ut prius citata, aceto conterens arida: interim sine hoc curiose leuigata, liquefactis misceto. Esto autem terebinthina liquidior, sicut plerunq; larix appellata. In summa, omnibus his pharmacis quæ chironijs conuenire palàm est, lariceã resinam si loco terebinthinæ misceas, non peccabis.

6 Aliud. Ceræ pondo unc. iij. hoc est denarium pondo uigintiquatuor. æris usti, squamæ, æruginis, singulorum pondo denarium duum, ut trium horum simul denarij sex existant. cera esto pinguis, ut quæ cum rosaceo uel myrteo modico emolliatur: arida probe leuigata excipiantur, quē admodum in omnibus medicamentis, quæ ad chironia parantur, uehemēter est necessarium. Quin etiam, ubi sicca ceræ fuerint admista, melius est ea diu in mortario contundere.

7 Aliud. Ceræ pondo uncias sex. æruginis partem sextam, quę est uncia una. ęris combusti, resinæ laricis, singulorum pondo denarium triũ. ut ambo simul habeant denarios sex. cera pinguis esto; inq; aquam calentem proiecta quò mollior fiat, manibus subigatur, ęruginem & æs in eam recipiendo: postea contundendo in pila ubi resinæ quoq; mistio paulatim instillando fiet.

8 Aliud. Cadmię pondo uncias tres dimidio chalcitidis ponderi misceto, quod est unciæ semissi, tritis probe uinum austerũ affundito, &

A rursus leuigato. ubi mellis consistentiam habuerit, ceratum ex cera, & resina fricta compositum immittito. Sint autem cuiusq; pares portiones unius uncię, ut ambę duas uncias efficiant: myrtei liquefacti pauxillum adijcito.

9 Aliud. Olei ueteris, uel ricinini heminam, ceræ, picis, bituminis, singulorum pondo, mannæ æruginis, cerussæ, dimidio minus quàm in dictis, quod est cuiusque selibram, malicorij, gallæ, spinæ Aegyptiæ, iridis, aristolochiæ rotundæ, chalcanthi, singulorum trientem, qui ualet uncias quatuor. æris combusti, aristolochiæ rotundę cuiusq; sextantem, qui pendit uncias duas. Quæ liquantur, aridis antea ex aceto leuigatis commiscebis, ut prædictum est.

B 10 Aliud. Cadmiæ, chalcitidis, singulorum pondo denarium quadraginta. ex uino tritis pluribus diebus, ceratum quod ex oleo & cera constat, immittes. Sin autē olei libræ duæ. ceræ denarij ducenti. At satius est hoc minori symmetria cōficere: Cadmię, & chalcitidis singulorum denariũ pondo decem. ceræ & olei, cuiusq; denarios quinquaginta iniiciendo.

11 Aliud. Cadmiæ combustæ, chalcitidis ustæ, terebinthinæ, ceræ, singulorum parem mensuram. Arida ex uino conteres.

Aliud ex ricinino. 12

Aeruginis denarium pondo unius. aluminis liquidi libram. malicorij, æris combusti, mannæ, singulorum trientem, qui ualet uncijs quatuor. gal-
C læ duplum adijcias, quod est uncias octo. picis, pityinæ, singulorum pondo libras duas. bituminis dimidio minus, hoc est pondo unum, quantum aluminis liquidi etiam indideris, aristolochiæ rotundæ, quantum gallæ, pondo uncias octo. longę aristolochiæ dimidiũ, hoc est uncias quatuor. olei ricinini pondo libras duas. metallica ex aceto cōteruntur, ut in superioribus.

13 Aliud. Ceræ pōdo uncias tres. æris combusti, squamæ, æruginis, sing. pondo denarios ij. ceram prius in aqua calente calfacies, manibus rosaceum admiscēs emollies, deinde arida excepta in mortario contundes diutius, ut uere omniũ fiat unitas. Tertio quarto'ue die hoc & alia eiusmodi omnia soluito, spongiam extrinsecus ex aqua uel
D posca imponens.

14 Aliud. Ceræ pondo uncias sex. resinæ laricis eius dimidium, hoc est uncias tres. æruginis tertiam partem, aut laricis pondus, hoc est uncias tres. picis brutiæ pondo denarium trium. chalcitidis ustæ similiter denarium pondo trium. Conficito & hoc ut prædictum.

15 Aliud. Aeris cōbusti, squamæ, æruginis, parem cuiusq; mensuram, ceræ sesquplã misceto. Ceram ut prædictum est, calente prius aqua madidam subigito, ac interea dum hoc agis, uel rosaceum, uel myrteũ adijcito: deinde in pilam immittito. Præstat autem trium pondo ceram æqualem miscere, quam recentissimam, mollissimam, pinguissimam, ne multo humore oleoso indigeas.

16 Aliud. Aeruginis, terebinthinæ, pares utriusq;

utriusq; partes, ceræ triplo plures, aluminis scissilis A cadmiæ, squamæ, singulorum quadruplum, ut æruginis pars una sit: item terebinthinæ una. ceræ iij. squamæ, cadmiæ, aluminis scissilis, uniuscuiusque iiij. ubi arida contuderis, cribraueris, in puluerem exacte redegeris, in mortarium cõiectam ceram & terebinthinam contundito sicca asperges: pistillum myrteo, uel rosaceo madefacies, in aere calido: nam in hoc facile tundentur, maxime si id æstiuo sole fiat. Vsus est is qui aliorum quoq;, nimirum ulcere prius deterso aphrolitro, & postea eloto per melicratũ, tum per spongiã probe purgato, ut madoris sit expers: deinde super id platysmate, hoc est latiore linteo, cui emplastrum illitum sit imposito. postea duplici linamẽto aqua frigida tincto extrinsecus superdato: præterea noua B spõgia molli: & tertio aut quarto die id resolues.

Acerum, hoc est absq; cera, nostrum. 17

Argẽti spumæ põdo libras tres, olei ricinini ueteris pondo libras quatuor semis. aceti quàm acerrimi libras duas. æris squamę nigrę, chalcitidis, æruginis, singulorũ pondo uncias duas. Argenti spumam cum oleo prius coquere oportet, donec strigmẽti spissitudinẽ accipiat: deinde metallica pluſculis diebus ex aceto trita adijcere: atq; sic incoques, quousq; non coinquinet. Licet etiam statim ab initio argenti spumam cum oleo & aceto, diligenter mistam coquere: ac ubi semicocta fuerint, squamam, chalcitidẽ, & æruginẽ immittere. Voco autem nunc librã olei & aceti, Romanã, quæ uncias duodecim peculiares cõtinet. Quin & sex C olei libras tribus argenti spumæ pondo interdum committo. Et nimirum secundum hanc symmetriam diutius incoquuntur. Cum præparas & hoc pharmacum, præstat argẽti spumã cum solo oleo esse coctam: deinde metallica cũ aceto inijci. Vbi uero tria fuerint, cuiusq; uncias duas dixi immittendas aceti libris duabus. argenti spumæ tribus, olei ricinini ueteris libris vi. uel, ut prius dixi quatuor semis. Hoc medicamẽtum & fistulas iungit, & callosas iam exsiccat, contrahit, & claudit. At si bona uictus ratione usus quis fuerit, non resoluũtur. Plenitudine uero insigni collecto, periculum est ne pars ex fluxione, infestante phlegmone rursus tentetur, & fistula aperiatur. Et uero inueteratis ulceribus, & dysepulotis, hoc est cicatricem ægre ducentibus, quæ & chironia nominant, nõ solum id pharmaci imponimus, sed etiam liquefactum oleo ueteri, uel ricinino, ac linamento exceptum, etiamsi puris uel minimum nondum in ulcere antea fuerit, concoquit ipsum, & generat, & crassum efficit. Cæterum ulcus triduo solues, si nihil prohibet. Quòd si stomomatis squama fuerit, præstat: sin minus eam habeas, nec nigram, cyprij æris squama inijcietur. Confeci aliquãdo hoc emplastrum, phrygij quoq; lapidis uncia admista, interdum etiam chrysocollæ uncia, sicut & amborũ nonnunquam, glutinat & magna uulnera.

Aliud ad teneros & ex ijsdem ulceribus nimis grauiter conflictantes. 18

Ceræ pondo. rosacei pondo. cerussę pondo uncias octo. salis ammoniaci põdo uncias quatuor. squamæ cypriæ pondo unc. duas. thuris pondo unciam. calcis uiuę pondo unciam. aluminis fissilis pondo unciam. ęruginis pondo unciam. malicorij pondo unciam. Vsus prædictis idem est. Nouem in præsentiarum sunt pharmaca citra rosaceum composita decimum enim illud. Ex nouem quinq; sunt pari pondere, calx uiua, malicorium, thus, alumen fissile, & ęrugo. Squamę duplo maius põdus est, & hanc sal ammoniacus duplo exuperat: hunc cerussa: huius sescupla rursus cera in libram unam reducta, quam & rosaceum habet.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI V

Procemium. Quæ polychresta dicantur. De primis & secũdis qualitatibus. Quæ tractata sint in præcedente libro, & quæ tractanda in isto. Cap. I. De polychrestis quæ Heras scripsit: hac parte primum eius polych. describitur. 2. Alterum eiusdẽ, panaceæ titulo: cuius singula etiam simplicia examinat. 3. Isidis uel Epigoni emplastri (quod alij uocant Hermonis hierogrãmatei, uel ex adytis Vulcani in Aegypto) titulus, compositio, differentia ab aliorum descriptionibus. D Modus cerati quo cum misceri debet, ut purget & cicatrice claudat ulcera. Dracunculus quomodo colligendus, & q; per se etiam cõueniat malignis ulceribus. 4. De emplastro ex dictamno (de quo uide etiã cap. 3. par. 4. et cap. 5. par. 1.) Quomodo ipse Galenus emplastrum hoc composuerit. 5. Hicesium nigrum. Vide capite 2. par. 2. & cap. 4. pharmaco. 7. 6. De emplastro ex duabus aristolochijs: in quo licet ex diuersis composito repellentia & adstringentia præcellunt. Simpliciũ eius consideratio, uide etiã cap. 4. pharmaco. 9. 7. De Azanitæ emplastro. 8. Emplastrum piscatoris diasinopidis. II. Quòd scripturus sit Critõis emplastra, quæ Heras non habet: & ea in quibus ab Hera differt, ut in Hicesio. 2. De Hicesio secundum Critonẽ. (uide etiam supra cap. 1. par. 5. & inferius cap. 3. pharmac. 7.)

Differẽtia quod ad põdera in simplicibus quibusdam huius emplastri: & primũ de mina. Obiter, quinã olei modus metallicis admiscendus. Congius. 2. Isis emplastrum uiride, differens ab Heræ descriptione supra cap. 1. par. 3. & diligentius descriptum. Quo Galenus id parauerit. 3. Emplastrũ Machærionis. 4. Dysrachitis secundum Damocratem. 5. Emplastra duo ex salicibus. III. De scriptis ab Asclepiade eiusdem generis emplastris. Quòd utile sit easdẽ compositiones à diuersis scriptas repeti. 1. Emplastri piscatoris cõpositio, prima secundum Asclepiadem, altera secundum Galenum. 2. Venatorũ emplastrũ. 3. Chalcidei emplast. 4. Sacrũ ex dictamno. uide ca. 1. par. 4. 5. Diophanti chirurgi. IIII. De emplastris Andromachi ex eodem genere. primũ, tertium, 4. 5. & sextum, Chloras. i. uirides inscribit: Secundũ uero sordidũ. In sexto, de hordeis ustis docet. Polychresta unde dicantur.

Hicesium nigrum secũdum Andromachum, & quid differat ab Heræ & Critonis supra positis descriptionibus. Alia eiusdem descriptio secundum Heraclidem Tarentinum. & quid ea ab alijs uariet. Hicesium minus. 8. De Cyziceno secundum Heram & Andromachum, & quid discrepet: Quomodo Galenus idem parauerit. De eodem secundum Asclepiadem.

Aliud

9. Aliud Philoxeni: Sed hoc etiam adiungendum uidetur, ut ingredietia præ se ferunt. Nos separauimus hac solum gratia, quia ab initio huius capitis Galenus decem Andromachi emplastra descripturum se pollicetur. 10. Emplast. ex duab. aristolochijs, (Vide supra cap.1.par.6.) V. De emplastro ex dictamo uersus Damocratis. Vide supra cap.1.par.4. 2. In Græco, Eiusdem uersus continet de emplastro Tyrio: qui quoniam infra libro 6. cap.9. repetuntur, omissi sunt hic ab interpretete Latino. VI. De trochiscis siue emplastris orbiculatis polychrestis (qui usus tempore liquore aliquo diluuntur) secundum Asclepiadem, in hoc & sequente capite. Sunt autem hic numero 14. De tertio uide etiam infra cap.8.par.11 De quarto ibidem 10. de sexto ibidem par.5. de octauo ibid. part.27. de undecimo ibid.par.8. VII. De alijs 14. trochiscis, adhuc ex Asclepiade. De primo ex halicacabis, uide capite 8. par.7. VIII. De trochiscis 24. ab Andromacho scriptis. Polychresti sunt, sed præcipue ad uitia sedis, erysipelata, nomas, herpetes, &c. Quintus Isidori inscribitur: uide alios Isidori, paulo post, pharmaco 13. & supra cap.6.par.6. De septimo, uide cap.7.par.1. De octauo cap.6.par.10. De decimo cap.6.par.4. De undecimo, ibid.par.3. IX. De diuersis aridis medicamẽ-
A tis Andromachi, numero 37. Quorum plerisq; hi & huiusmodi tituli inscribuntur, Exedens, Sine morsu siccans, Sanguinem sistens, Cicatricem inducens, Ad hæmorrhoides, Ad nomas. De tricesimo uide etiam supra cap.6.par.7. X. De aridis ex Asclepiade. Primum autem docet quomodo & quo ordine suo Andromachus & Asclepiades scripserit: ille quidem confuse, hic uero distinguens generalia medicamenta à topicis. Cephalica, quæ nudatis ossibus tum capitis tum alibi conueniunt, arida esse conuenit: emmota enim nudis applicanda non sunt. De ordine generalium medicaminum deinceps dicendorum, ex Asclepiade, qui est: Cephalica, Epulotica, deinde reliqua, sine ullis topicis. 2. Arida Asclepiadis 22. In sexto monet, quòd remedia non simpliciter epulotica dici deberent, sed cum adiectione, ulcerum simplicium, uel malignorum, uel aliter dysepulotorum. Priora aliquot inscribuntur cephalica & epulotica: sequuntur escharotica undecimo
B loco & deinceps, qualia ea sint & quando adhibenda: Postremo ad nomas. XI. Asclepiadis remedia 10. ad carbunculos: Et primum anthrax quid, & quæ in genere medicamenta ei conueniant. Sunt & aliarum promissionum pharmaca, ad nomas, ad sanguinem sistendum, &c.

CLAVDII GALENI DE COMPOSITIONE MEDICAMENTORVM PER GENERA LIBER V.

PROOEMIVM.

De medicamentis usui multiplici accommodatis.

DE medicamẽtis Polychrestis futura hic est disputatio: uocant autem Græci Polychresta, quæ multis affectibus cõueniunt: suntq; nõnulla ipsorum non modo specie, sed etiam genere diuersa: om̃ia uero ex contrarijs cõstant medicaminibus, etiam iuxta secundas qualitates, ac uires non tantum primas. Patere arbitror cuiuis primas me appellare caliditatem, frigiditatem, siccitatem, & humiditatem, atque ex harũ coniugatione quauis compositas. Secũdas uero quæ ipsas sequuntur, ut in quinto libro De simplicibus medicamentis uberius percensui, ostendens nonnulla non solum composita medicamina, sed simplicia quoq; ut nascuntur emollire, quædam indurare: quemadmodum alia obstruere, alia reserare, alia sordes gignere, alia abstergere, alia attenuare, alia crassitiem admoliri, alia densare, alia rarefacere, alia carnem inducere, alia repurgare, alia cicatricem ducere, alia exulcerare, alia trahere, alia repellere, aliasq; similes eorum differentias. Porrò dictum mihi est & superioribus cõmentarijs, quæ cõtrariorũ facultate medicaminum necessaria esset mistura, cuius etiam nunc paulo post mentionem facturus sum. Melius enim mihi uidetur duo quædam tria'ue medicamenta celebria, quę multiplicem usum exhibeant, præscribere: deinde cõpositionis ipsorum rationem interpretari. Exordiar autem ab his quæ nemo nõ nouit, quippe in Herę libro, cui titulus est Narthex, id est ferula medicaminum prodita: tum apud illos qui libros De medicamentis condiderunt. At quia superiori li-
C bro De uirtutibus, quæ ulcera dysepulota, hoc est uix cicatricem ducẽtia curant, uerba fecerim, animus est nũc quoq; emplastra illa multiplicis usus primum exponere, quæ causa malignorũ, (nonnulli chironia nominant) composuimus. Alia uero usus dicta multiplicis, quòd multis quidem affectibus alijs conferant, non tamen etiam chironijs, ea rursus seriatim referre proposuimus.

Quæ scripserit Heras. Cap I.

Itaq; cũ opere medicamentorũ Heras Cappadox emplastrũ quoddã ad huiuscemodi ulcera mirifice faciens tradiderit, inde sumã exordiũ, uerba ipsius adscribens, quæ in hunc modum sonant.

Boni coloris, cruentis uulneribus idoneum, cicatricem ducens. 2

Conglutinat, perfecte implet, atq; cicatricẽ ducit, solutum cum cerato: magisq; adhuc circa cica-
D tricem inducendam efficax est. ualet etiam ad chironia ulcera, aliaq; similia summopere. Nã callos cõsumit, deinde genuinam carnem generat. ualde album. Ceræ pondo libras duas. frictæ põdo libras tres. æruginis rasæ pondo uncias sex. mannæ põdo uncias tres. olei heminas quinq;. aceti sextarium. Liquabilia siccis admiscẽtur: usus est emplastri ad uulnera, cum rosaceo temperatum, pus generat, cerato soluto ad cicatricis generationem repurgat. Quidã tamen resinæ frictæ libras duas, & terebinthinæ tantundem ingesserũt: atq; sic præparatum, ærugine rasa ipsum exceperunt, ut collyrij tenorem haberet. Atque hoc imposuerunt, ubi callos consumere studerent. prõpte enim hæc facit, ut etiam ossa separet. Merito igitur & emplastrum

strum hoc Heras commendat ceu ex æruginis, et aceti copia efficax, si quid in superiore libro dictorum meminimus. Laudat item Panaceã ab eo uocatam, quam deinceps uerbis illius appono.

Panacea Heræ, à nonnullis Sanitas nominata. 2

Ad omnem pastionẽ & malignitatem. sistit autem nomas, neq; crustas facit, neq; circumpositis partibus duritiẽ cõciliat, rũpit ac tabefacit omne corruptum, ut nihil differat ab uuis passis humectis: cohibet sanguinis eruptionẽ, tum aliam, tum quæ per hæmorrhoidas fieri solet, myrteo dilutũ. itẽ hæmorrhoidas ipsas tabefacit, & cõsumit, insuper fistulis medetur, & carbunculis, sanat ægilopas, & chironia, ut uocãt, in summa uix sanabiliũ, & diuturnorũ genus, latẽtibus locis, ueluti utero, unguento cyprino liquatũ, exterioribus præstat, ut alia singula sic apponere. At omni ulceri impositum, quãuis agresti, mitius statim id efficiet, dolores minuet, & uigilias. Compositio autem eius hæc est. Chamæpityos denarium põdo quatuor. symphyti denarium põdo quatuor. chamæleõtis denarium põdo quatuor. marrubij denariũ pondo quatuor, apud alios sex. polij denarium põdo sex. centaurij tenuis denariũ põdo sex. helenij denarium põdo quatuor. aristolochiæ denariũ pondo quatuor. thuris denarium põdo duodecim semis. myrrhę denariũ põdo trium. aloes denarium pondo sex. chalbani denarium pondo sex, oboli unius semis. olei denariũ põdo centum octoginta. mellis triginta. propolis denarium põdo duodecim semis. aluminis fissi denarium põdo sex, oboli unius semis. terebinthinæ denariũ põdo sex, oboli unius semis. chalcitidis denariũ pondo sex, oboli unius semis. bituminis denariũ põdo quinquaginta. terrę ampelitidis denarium põdo quinquaginta. argenti spumæ denariũ põdo quinquaginta. gallæ denarium põdo trium. pulueris iridis denarium pondo trium. Contusæ pridie herbę & radices oleo immittuntur. ubi nocte tota in eo durauerint, mane argẽti spuma, ampelitis, bitumen inijcitur: supra ignem lenẽ incoquuntur, ubi spissitudinẽ adepta fuerint, olla ab igne tollitur. Sint autem in alio uase mel, resina, chalbanũ, propolis colliquata, quę oportet simul cõmiscere, in ollam fundẽdo: deinde arida, quibuscunq; medicamen coquitur, donec nõ coinquinet. Rursus ab igne deposito myrrha leuis facta, & thus inspergit, est aũt aduertendum ne quando efferuescat, & quantum fieri potest in amplo spatio coquat: difficulter enĩ restingui potest, si quid attingat. Hæc quidem Heras de Panacea: nobis autem materiẽ ipsam à medicamẽtis, quæ priore libro scripta sunt, ad ulcera uix sanitatem recipiẽtia differre notandum est. nam illa solis cõstant metallicis, quędam paucis, quædã pluribus, pauca illorum radices ac herbas cõtinent. At Panacea hęc secus habet. recipit enim hæc chamæleontẽ & centaurium, quorum utrunq; maligna ulcera iuuare idoneũ est. accipit præterea aristolochiã, & iridem, imbecilliora quidem centaurio & chamæleonte, quantũ ad malignorum ulcerum curationem attinet, nõ ta-A men repudianda. Herbas autem ualẽtes assumit, quæ uel solæ maligna ulcera curare possunt sæpe numero, chamæpityn, poliũ, & symphyton, quibus ualentius est marrubium, & helenion. Itaque marrubio etiam solo uti queas in his quę carnem abunde humidam circa ulcus habent, & sordidiorem: helenion uero, neq; his cõuenit solũ inspersum, sicut nec aliud quoduis acre. Siquidem didicistis in opere De simplicib. medicamentis, acriũ & amarorũ medicaminũ discrimẽ: nempe acria irritare, mordere, calefacere, & fluorem in affectis partibus cõcitare: amara uerò exiccare citra morsum & calorẽ, eoq; exulceratis partibus cõducere. At quoniã ex herbis istis cõpositionẽ paranti, institutũ erat, emplastrum inde nõ siccum quod inspergi possit efficere: ad emplastri uerò cõfecturam, uel cerã, uel resinã, uel omnino argenti spumam diutius coctam adiecturus erat, unde uirtus herbarũ solueretur, miscuit ipsis nõnulla medicamenta tam ualida, ut ulceribus per se exhiberi nõ queant. Valida aũt hæc duplicem cõmunem uim & qualitatẽ obtinẽt: nõnulla austerã acerbamq;, alia acrẽ & acerbã. Huius igitur gratia ex ijs quæ acrimoniam sortita sunt, heleniõ miscuit, ex ualide aũt adstringẽntibus (hęc enim austera & acerba nominamus) alumen & gallã immaturã. Qualitates aũt utrasq; ualentes habet chalcitis, quẽadmodũ & uires in ipsis cũ sit acris, & adstringens. Enimuerò dictum est superius necessariã esse malignis ulceribus, & præsertim cũ fluori sint obnoxia, qualitatem austeram. His ergo omnibus quæ dixi, admista argẽti spuma est, resina, & thus, quò pharmacũ emplastri formã acciperet. Sed argẽti spuma ex media materia est: thus cõcoquit, et pus mouet, si tanquam ad probe temperatã naturam respicimus. nam id humidioribus corporibus carnem producere ostendimus, Quinetiam ex medicamentis quæ cõcoquunt, quæq; uim à pure mouendo, quasi purificam uel expuratoriam dictam habent, nullum ualenter digerit, sicut nec acre. Siquidem talia mediocriter excalefaciunt: imò & emolliunt magis & exiccant. Quare thus etiã recte admistum est in propositi emplastri compositione, uti mitigatorium quid & lene accipiat. Huius nimirum potentiæ oleum quoque est, emplastri coquendi causã secundum primã rationẽ adiectum, secum uerò duas facultates inferens, mitigatoriã uidelicet & quæ ualida pharmaca obtundit, siue hæc acri, siue austera uirtute sint prædita. Certe ampelitis terra siccat, & digerit, nihil manifesto acre continens: propterea malignis ulceribus idonea est, & si solam per se tritam inspergas. Chalbanum uerò & ipsum eo quòd concoquit, emollit, mitigat, & dolorem sedat, prædictæ compositioni adiectũ est, cum thus easdem uires, sed imbecilliores habeat chalbano, facultates ambas ualentiores possidente. Terebinthina resina ipsa quoq; simul cum detergendi, discutiendiq; facultatem habeat, etiã affectus tales quòd cõcoquat quippiam obtinet. Bitumẽ uerò cum calore non admodum uehementi siccare nouimus. Quibus

A omnibus emplastri autor medicamentum tractorię uirtutis propolim nimirū admiscuit, quoniam eius usum multiplicē esse uoluit. omnia uerò quæ multiplicē usum præstant, maxime uarias potestates habere necessitas est, ut plurib. uitijs medeantur. Sic etiam nō parum mellis addidit, sciens ipsum siccans, digerēsq; putrescentibus esse accommodatissimū. Quippe & ipsum ex ijs est, quæ nō putrefiunt, & mista à putredine reseruat, preterq; extreme ad putrescēdū idonea, quę humida sunt, & calida. Atq; mel copiosius alijs, medicamēti cōpositor indidit. Nam si tria quæ coqui desiderant, excipias, bitumen, argenti spumam, terram ampelitidem, alijs maius est: atq; his ipsis bitumini, argēti spumę, & ampelitidi, tantū adiecit olei, quantum coctioni commodum erat futurum, cōiectura & ab alijs sumpta, quæ sicca pharmaco immittuntur. Insuper omnibus perfecte coctis, myrrhā & aloen uoluit inijci, quæ ambo citra rosionē siccant: uerū differunt, q aloe adstringat, myrrha tenuiorū partium sit, magisq; siccet. Cæterum haud scio cur Herę uisum fuerit minoribus symmetrijs Panaceā hanc cōscribere, quā alij maioribus conficiunt. Siquidem nōnulli omnia duplicata habere ipsam tradiderunt: alij quadruplo copiosiora. chalbani sanè denarios sex, obolū unū semis, Heras numerauit. alij decem & semissem: queadmodum alij rursus uigintiquinq;, augentes simul & alia ad proportionem ut nusquam dicatur in symmetria, obolus uel semiobolus. Itaque aduertere uos oportet, panaceas apud alios scriptas, huic cōferētes utrum omnia duplicata, an quadrupla habeant. Ac si sint omnia aucta, non putare illas ab hac esse diuersas.

Isis, à quibusdam Epigoni dicta. 2

Multiplicis usus est medicamentū, quod Isidem appellant, ab omnibus commendatum. Ego uerò apponam modo quæ Heras de illo memoriæ prodidit. Hæc illius uerba sunt.

Medicamentum à nonnullis Epigoni dictum, ab alijs Isis.

Facit ad omne uulnus, & ad uulnera capitis cū ossiū pręcisione, sanat citra destructionē ac perforationem, ualet ad punctus: item paxillos infixos & hominum morsus: uenenū trahit uiperæ, scorpij, draconis marini, pastinacæ. Curat fracturas artuum cum uulnere, callum enim obducit citius, tutiusq; facit ad fistulas omnes recentes, ueteres foueas seu dehiscentia ulcera, sinus, phymata, parotidas, abscessus in mammis & alis, aut ut ne fiāt, aut ut facti curentur, commodum saniei fluxum nobis facientibus. Strumas item aufert cum tunicis, celerrime pus educens, sistit oculorum fluxiones fronti impositum, tollit liuorem: gangrænas nō patit̄ latius serpere, putredinē purgat, in summa ad quoduis bonū est: hæc recipit. Ceræ denariū pōdo centū. terebinthinæ denarium pōdo ducentorū, secundū alios centū. squamæ æris rubri denarium pōdo octo. æruginis rasæ denariū pondo octo. aristolochiæ rotundæ denariū pōdo viij. thuris denarium pōdo viij. salis ammoniaci denarium pondo viij. guttæ ammoniaci denariū pondo viij. aluminis combusti denarium pondo sex. æris usti denariū pōdo viij. myrrhæ denariū pondo duodecim. aloes denarium pondo duodecim. chalbani denarium pōdo duodecim. olei ueteris heminam. aceti acris heminas duas. Quæ liquari possunt, siccis in mortarium superfunduntur. Sic quidem Heras Isim scripsit, non etiam particularem omnem usum ei apponens, ut in alijs consueuerat. Insuper quod ad Epigonum illud refert, à plerisq; dissentit, quos exactius de Epigono scripsisse arbitror, cum alia, tum illud quoq;, nempe q in carcere cōclusus fuerit, et postquā quendam ualde potentem curasset, inde liberatus sit. Adiecisse uerò ipsum aiūt pręscripto medicamini, dracunculi radicē, atq; ego ita semper usus sum: quo-

B niam & præceptorū meorum unus usurpabat, apponens in prædictā symmetriā Heræ, dracunculi denarios viij. insuper & olei heminæ dimidiū. aceti heminā unam. ad hæc colophoniā resinā, nō ut Heras terebinthinā. Sed et in emplastri cōfectiōe ab illo dissentiebat: chalbanū aceto cū alijs in pila elaborās, atq; ita admiscēs ea, quēadmodū & Heras inquit, liquabilibus: deinde medicamentū manibus plurimū emolliebat, attingēs acetū quam acerrimū. postea in uase æreo reponebat, & perfusum lōgo tēpore seruabat: atq; ita excipiēs utebatur. Appellauit aūt ipsum, uelut etiā alij quidam Hermonis sacri scribæ: alibi scriptum inuenias ex adytis tēpli Vulcani in Aegypto hoc quoq; esse: queadmodū & illud quod ex dictamno constat.

C Symmetriā uerò simpliciū medicamentorū, quæ id constituunt, omnes propemodū æqualem scripserunt: proinde titulus licet diuersus existat, nō opineris aliud esse atq; aliud, & quod ex adytis sacrum dicitur, & Hermionis sacri scribæ, & Epigoni. nam omnes has appellatiōes habet. Liquatum autem cum cerato liquido purgat, & ulcera cicatrice obducit. Quidā ex cerato triplicato dilui ipsum tradiderunt: nonnulli duplicato, utriq; symmetriā indefinite distinguētes. In quibus etenim ulcus purum satis efficitur, si trib. cerati partibus temperatum fuerit, non oportet duplicatum adijcere. In quibus autē minus purgatur, ibi ceratum duplo magis assumendum. Nouimus enim efficacius omne id genus medicamentū esse, quod nō

D multo cerato misceatur: imbecillius, quod multo. Nihil mali est autem de dracunculo quoq; eatenus dicere: quòd per æstatem caule exiccato, & herba tota, radicem amputare oportet: deinde in domo sicca, solem nō habente repositam, paulo post dies sex uel septem in orbiculos diuidere, eosq; filo traiectos in sicca domo & à sole remota rursum suspendere, ac sic ubi medicamētum præparare uoles, radicem cōtundere: quæ ipsa quoq; seorsum per se tusa & leuigata probe, ut puluis fiat, malignis ulceribus medetur.

Emplastrum ex dictamno.

Item quod ex dictamno emplastrum cōficitur, Sacrum appellant: dicentes & hanc scripturā in Vulcani templo iuxta Memphim inuentam esse: omnes ipsius huiusmodi symmetrijs meminerūt, uel

uel parum adeò ab his differentibus. Sufficiet autem uerba Heræ & de ipso asscripsisse, quę in hũc modum habent.

Sacrum ex Vulcani templo in Memphi.

Facit ad recentia cruenta, fluentia: ad neruorũ præcisiones, uetera ulcera, suppascentia, contusa, putredines, carbunculos, nigricias, ulcera fluẽtia, cicatricem ęgre admittẽtia, parotidas, perniones, abscessus, strumas, furũculos, duritias: tela educit, aculeos, ossa ex capite: sanat ferarum ictus, scorpionũ morsus, phalangiorũ, muris aranei, hominum. ualet ad omnem colli dolorem: humeri, articulorum, uice malagmatis. Sistit oculorum fluores, non modo recentes, sed etiã ueteres. tollit capitis dolorem inunctum rosaceo dilutũ: & uteri dolorẽ sedat, tum illitu, tum suffitu. necat insuper feras reptiles suffitu. Hæc recipit. Olei ueteris heminas duas. argenti spumæ denarium põdo centum. æruginis rasæ denarium põdo viij. squamæ denariũ põdo sex. colophoniæ liquidæ, alij pineę denariũ põdo quinquaginta. mãnæ denariũ pondo duodecim. guttæ ammoniaci denarium põdo sedecim. æris combusti denariũ põdo viij. diphrygis denarium põdo sex. gentianæ denarium pondo sex. aloes denariũ põdo viij. chalbani denariũ põdo duodecim. propolis denarium pondo viij. ceræ denarium põdo uigintiquinq;. aristolochiæ denariũ põdo decem. dictamni cretici denarium põdo decem. argenti spumã & oleum in olla magna supra prunam incoquito, ut omnino aut ferè non inquinet, deinde cacabum deponens, æruginem indito squamamq;, & coquito ne prorsus inficiat. postea rursus auferens, resinam, ammoniaci guttam inijce cribrata, mouens donec feruere desinat: mox cum reposueris paululumq; dimiseris, tollito, atq; æs, diphryges inspergito, rursus coqueris quoad non inquinet. Interdum enim his iniectis remittitur. postea deponens, ceram addito, iterum coquito, usquedum non polluat: quod celeriter accidit: dein cum deposueris, propolim immittes ac reponẽs denuo paulisper sines, ac deposito, addes aloẽ, mannã, dictãnũ, aristolochiã, gẽtianã. His abũde refrigeratis, singula leuissima insperges, mouẽs: si nõ inficiat, tolles: si minus, leniter coques. Hæc quidẽ Heras de emplastro scripsit. Cõposuimus aũt id nos interdũ & sine cõbusto ære & diphryge: unde quæ in alto latebãt, magis attrahebat, emolliebatq; magis discutiebatq;. nõ tamẽ ulcerib. ægre cicatricẽ ducentibus idoneũ. quinetiã ipsum citra dictãnũ cõfecimus, rursus alijs apponentes chrysocollæ denariũ põdo sex. ut maligna ulcera felicius sanaret.

Hicesium nigrum. 5

Medicamen titulo Hicesium, usus multiplicis, quidam gignendi casu scripserunt, Hicesii. Heras itaq; de ipso hæc tradit.

Hicesium ad uulnera & canũ morsus, duritias diffundens, ad parotidas, condylomata, & maligna. Item est attrahens, & glutinatoriũ. ualet insuper ad aquã inter cutẽ.

Argenti spumæ denarium pondo centum. bituminis Iudaici denariũ pondo centum. terræ

A ampelitidis denarium pondo centum. mannæ, propolis, singulorum pondo denarium uigintiquinque. chalbani denarium põdo duodecim. scissilis denarium pondo duodecim, & semis. terebinthinæ denarium pondo duodecim semis. iridis denarium pondo sex. olei immaturi heminas sex. mellis heminam unam. chalcitidis denarium pondo septẽ semis. gallæ omphacitidis denarium pondo sex. myrrhæ denarium pondo sex. Argenti spuma, bitumẽ, ampelitis cum oleo incoquuntur: ubi semicocta fuerint, propolis, resina, et chalbanum, ex melle separatim cocta miscentur, postq̃ constiterint, reliqua adijciuntur: mouẽtur aũt spatha ex tædæ ligno confecta. Huius emplastri misturæ pondus non idem omnes, ut in sequenti- B bus ostendetur, tradiderunt.

Nigrum ex duabus aristolochijs. 6

Celebre quoq; emplastrũ, usus multiplicis est, id quod ex duabus aristolochijs conficitur, quod ipse Heras quoq; his uerbis descripsit.

Nigrum ex duplici aristolochia: facit ad articulos solutos, fluori obnoxia repurgat, implet immissum.

Picis põdo libram. ceræ põdo libram. bituminis pondo libram. terebinthinæ põdo librã. mannæ pondo selibram. uel uncias septẽ. æruginis rasæ põdo selibrã. cerussæ põdo selibram. chalcãthi pondo uncias quatuor. aristolochiæ longæ põdo uncias quatuor. illyricę põdo uncias quatuor. malicorij põdo uncias duas. gallæ immaturæ põdo uncias duas. æris combusti põdo uncias duas. spi- C næ pondo uncias quatuor. aristolochiæ rotundæ põdo uncias quatuor. aceti heminam. ricinini uel olei ueteris heminam. Quæ liquefieri poterunt, simul liquato: deinde cerussam, æruginem, & chalcãthum cum aceto leuia facta inspergito: mox supra ignẽ usq; dum coiuerint, arida infriato igne subtracto, dehinc defusa subigito. Hæc tũ Heras, tum alij de ipso scriptum reliquerunt: ratio autem eius qui id composuit, nõ obscura est, recordantibus quæ hic & in priorib. cõmentarijs dicta sunt. Constat enim ex cõtrarijs facultatibus, attractricibus, & repultricibus, quæ commune habent, ut exiccent. Superat autem in eo repellentiũ uirtus, quæ adest adstringentibus, chalcãtho, malicorio, gallæ, æri combusto, & spinæ. ob hoc etiam ad so- D lutos, id est laxatos articulos cõuenire ipsum affirmat: aristolochiam autem & iridem astrictorijs admiscuit, utpote rarefaciẽdi & digerẽdi potestate prædita. Vt aũt emplastrum fieret, nec siccum, sed ut superinduci posset medicamentum, oleum et cera mista sunt, cera quidẽ ceu materies solum, sicut & oleum, si commune fuerit hoc, nec ricininum uel uetustũ: quippe didicimus hæc calefacere & digerere. Terebinthina uerò resina præterq̃ quòd emplastri compagem medicamento conciliet, cum cera hoc sola nõ possit, etiam emolliens quid, & digerẽs, detergensq; obtinet. At cũ thus eadem præstat, mãna adstringẽdi uim totã & qualitatem assumpsit. Vocant enim sic thuris micas concussu elisas, corticis parum item participes. Iam & bitumen abunde siccat, ad emplastri cõfe-

A ctionem idoneum medicamen. Atq; hęc de illius cõpoſitione ſufficiunt. Porrò emplaſtri huius autor, cum uellet medicamenta ualenti uirtute prędita miſcere, æruginẽ & acetum ipſis adiecit, quæ ſiccare, exedere, & uſq; in profundũ corporis penetrare, atq; alia deducere poſſunt: miſcentur autem hæc cum digerentibus, ut humores craſſos particulis quas curamus, infixos attenuẽt. Reſtat igitur & de ceruſſa quippiam dicere, quam ceu ad emplaſtrum conficiendum aptam, nõ ut aliquid cooperaturam admiſcuiſſe illum, eſt perſpicuum. Ego uerò argẽti ſpumam potius adieciſſem, quæ & emplaſtris conuenit, & refrigerat. Ceruſſa uerò alijs quibuſdam utilis, ad propoſiti emplaſtri uires nihil præſidij affert.

B *Emplaſtrum Azanitæ.* 7

Emplaſtrum Azanitæ uarij uſus, & nobile, de quo Heras ita ſcribit.

Emplaſtrum Azanitæ.

Picis aridæ pondo unciam. ceræ põdo uncias tres. adipis ſuilli põdo uncias tres. ſeui taurini põdo uncias tres. œſypi põdo uncias tres. reſinæ pineæ põdo uncias quinque. Facit ad maligna omnia, gãgrę nas, fiſtulas, recentia uulnera, ambuſta igne, perfrictis prodeſt, ut acopon, item peſſulus eſt emolliens: conuenit ad uteri ulcera, phymata, & parotidas. Cum ulcera caua fuerint, copioſiore utitor medicamento, ubi ad cicatricem inclinare uidenť, parciore. Porrò medicaminis proprietas eſt cõcretum humorem ſordidum per ſumma gi- C gnere. benefacit lippientibus, palpebris ſuprapoſitum: oleum medicaminis affectui opponiť, quare obſeruato ne infundas. Cum autem præparas, picem, ceram, ſeuum taurinum inijcito: ubi fuerint liquata, adipem ſuillum: mox reſinam: poſtremò œſypum, ubi refrigeraueris. Totum aũt igne non flamma liquefacito. maxime ualet in quibus nerui, uel muſculi percuſsi ſunt, item ad maligna.

Emplaſtrum Haliei, ſeu Piſcatoris, ex ſinopide. 8

Haliei celebre, & multiplicis uſus emplaſtrum nihil minus quàm priora Heras ita tradit.

Haliei ad uetera, & quæ cicatricem ægre ducunt: item digerit, præſertim in mamillis duritias. utimur eo tanquam optimo ad plurima.

Ceræ pondo minam. argenti ſpumæ põdo mi- D nam. mannæ pondo denarium viij. terebinthinæ denarium põdo viij. chalbani denarium pondo viij. ſinopidis denarium pondo viij. olei ueteris heminas duas. Oleum et argenti ſpuma dum non inquinent, incoquuntur, deinde cera reſinaq;. Liquefactis ipſis, ſublatiſq; ab igne ſinopidẽ immittito, & chalbanum, poſtea mãnam. Idem facit ad marinorũ ictus ſumme. uſus quandoq; eo ſum in quodã à paſtinaca percuſſo, ſummoq; dolore uexato, & mirifice profecit. Similiter & in ijs qui à ſcorpiõe morſi erãt. Hactenus Heras. Deinceps uerò Critonis emplaſtra inſpiciamus.

Quæ ſcripſerit Crito. Cap. II

Heras librum unum De medicamentorũ compoſitione fecit, cui titulus Narthex, id eſt ferula. Quinque uerò tales Critonis præter illos de exornatione ſeruãtur. In quarto horum quinq; emplaſtra prædictis ſimilia ſpecie cõmemorat: quędam ut Heras in totum ſimili modo confecta: nõnulla inſuper quorum Heras non commeminit, quæ ego mox ordine apponam: non etiam ſi alicuius aliter quàm ab Hera deſcripti mentionem facit, omittens, quemadmodum in Hiceſii emplaſtro factitaſſe apparet. Alia namq; põdera & menſuras huius emplaſtri Crito ſcripſit, ſicut alij quidam, non ut Heras poſuit. Incipiam igitur à primo Hiceſii, in cuius ſimplicium medicamentorum pondere inter omnes non conuenit.

Emplaſtrum Hiceſii. I

De Hiceſii medicamento hæc ad uerbum Crito. Hiceſii ad omne uulnus recens, uetus, cõtuſa, luxata, fracturas, phlegmonas, & omnẽ dolorem quem protinus ſedat. facit ad abſceſſus, phymata, ſtrumas, carbunculos, parotidas, phygetla, cõdylomata, impetigines, clauos, nigritias, hęmorrhoidas phlegmone tẽtatas, fiſtulas, ambuſta igne dilutũ myrteo uel roſaceo, ualet ad ulcera, aculeos, tela, canũ hominumq; morſus, ferarũ ictus. Itẽ ad ſanguinem cohibendum utitor, & loco malagmatis ad omnia. Oleum uerò nõ adhibẽdum eſt: iam lippiẽtibus in linteolo collyriũ adhibetur: ſint autem ſplenia ſemper maiora: iuuat quoq; hydropicos. Terræ ampelitidis, bituminis, argẽti ſpumæ, ſingulorum pondo minas duas. ceræ, thuris, terebinthinæ, propolis, ſingulorum põdo minas ſex. chalbani, aluminis fiſsilis, ſingulorum põdo minæ quartam partẽ. myrrhę, gallę, iridis, ſingulorum denariũ põdo xij. chalcitidis denarium pondo ſex. mellis heminas duas. olei omphacini congios duos. quidam heminas duas. Ampelitis, bitumẽ, argenti ſpuma, cum oleo coquũtur, humore prius expreſſo, ut fiant leuia. Incoquuntur autem igne non acri, ſpatha ex tædarum ligno aſsidue mouẽtur, ne ſubſidant, nam citiſsime comburuntur. Quæ liquari poſſunt, in alio uaſe liquefacito, melle prius ſeorſum cocto, ut coeat, ac in cacabo pulchre cõſertis miſceto: rurſus enim reſoluitur. his præmiſsis: deinde arida inſperguntur, aliquatenus refrigerata: poſtremò thus, ac ubi in unitatem coierint, utitor. Hanc ſcripturã ab Herodoto accepi. Hęc ſanè Crito de Hiceſio ſcriptare liquit. Videtur autem in ſimpliciũ medicamẽtorum unde totum cõponitur, ſymmetria ab Hera diſſentire, ac partim hæc diſcordia manifeſta eſt, partim dijudicari uix poteſt. Etenim Heras recte faciẽs omniũ pharmacorũ põdus in denarios redegit. Crito aũt ampelitidem terram, bitumẽ, argenti ſpumam nõ pro denariorum põdere ſcripſit, ſed duas ſingulorum minas inijciendas cenſuit. At ab his diſſentit qui de põderibus & mẽſuris ſcripſerũt, quantum uidelicet minæ põdus exiſtat: nõnulli enim ſedecim unciarum eſſe dicunt, quidam uiginti, alij etiam diſtinctionem faciunt, Alexandrinam ponẽtes uiginti uncias pẽdere, aliam ſedecim, atq; hoc quidẽ adhuc leuius eſt: uerum ex his qui minã in denarios redigũt, alij centũ, alij pluriũ denariorum eſſe cõfirmãt, quia &

A unciam plerique septem denarios & semissem ualere malũt: alij septem duntaxat, reliqui octo. Hæc cum ita se habeant, quot denariorũ minam à Critone positam æstimare oporteat, inuenire operosum est. Apparet autem in alijs quoque centum denariorum minam esse uelle, ac si ita res habet, duplicatã Hicesii compositionem ab eo scribi putabimus, cum Heras trium horum medicaminum priorum terræ ampelitidis, bituminis, & argenti spumæ, singulorũ denarios centum posuerit: Critone pondus in ducẽtos redigẽte. Videamus igitur an sequentia duplicato consentiant: quædam namque apparent, quædam non item. meminit ergo post tria prima, ceræ, thuris, terebinthinæ, propolis, singulorum minæ dimidium, hoc est denarios quinquaginta immittendũ præcipiens. Etenim
B proposuimus tanquã mina centum denarijs ualeat, symmetriam esse scriptam. Quòd si est, in thure, pro manna uidelicet posito, Crito cum Hera conueniet. Pari modo in propoli, non tamẽ terebinthina. Quippe uigintiquinque denarios Critonẽ scripsisse oportebat, cum Heras duodecim & semissem statuerit. Porrò in cera maxime uiri cõtrouersant, discordãtque: quippe cum Heras ceram omnino non injciat. Didicimus enim illius uim esse, mediocriter emollire. Cæterũ apud Critonem deinceps scripta est, chalbani, scissilis, singulorum quarta minæ portio. Atque in hoc uir Heræ suffragatur. Nam quarta pars minæ, quæ centum pendet denarios, uigintiquinque denarios efficiet, qui duplũ sunt duodecim s. ab Hera scripto-
C rum. Iam uerò à minæ uocabulo digressus, in sequentib. Crito myrrhæ, gallæ, iridis, singulorum denarios duodecim cum prædictis miscendos iubet, in hoc Heræ consentiens. Siquidem ille sex cuiusque adijciendos pręcepit. Inde rursus Crito chalcitidis denarios sex tradidit, hic non multum ab Hera discordans. Nam cum omnia duplicata sint, conueniebat & chalcitidem non sex, uerum quindecim denarios habere, ubi Heras septem et semissem scripsit. In melle quidem uiri concordes sunt, cum Heras heminam unam, Crito duas posuerit. Restat autem de oleo quæstio magna, non solum inter duos illos, sed alios quoque, qui medicamentũ hoc scripserunt, sicut procedente sermo-
D ne dicemus. Hi igitur inter se hactenus differunt: etenim Heras olei immaturi heminas sex scripsit: melius enim sic, quàm ut alij quidam dixerunt, cyathos sex. Quippe in coctione argenti spuma, bitumen, terra ampelitis, ubi semicocta fuerint, tum alia singula Heras immittẽda existimat. Atqui semicocta fieri nõ possunt, cyathis sex immissis. scimus enim plerosque ex his qui pharmaca componunt, subinde centũ argenti spumę denarijs, duas heminas indere. Atque hoc iam etiam totum antea in primo huius operis uolumine comprehensum est, nempe metallicorum quoque uncias nouẽ, heminam esse licere, sicut quidam putarũt. Quin & duodecim injcere possumus, ut alij præcipiunt, probè docti, si medicamen diutius coctum fuerit (licebit autem hoc ipsum copiosiore oleo imposito) maiorem siccandi uim acquirere. Quòd si ab igne statim sublatũ fuerit, minus propter olei paucitatem exiccaturum: emolliturum autem magis & mitigaturum. Quare sex cyathi omnino repudiandi sunt: sex autem heminæ, quæ singulæ uncias nouem faciunt, injciendæ. At si largius medicamentũ uoles incoquere, quo siccet euidentius, nihil obstat etiam duodecim unciarum heminas infundere. Itaque Hera sex heminas scribente, liquet Critonem duodecim heminas immittere oportuisse, ut simul in hoc, sicut in alijs duplicatã mẽsura existat. Verum scripti sunt ab eo, olei omphacini congij duo. iterum hic quoque damnandi sunt, qui heminas duas posuerunt. Ergo si congiũ sex heminarum esse statuemus, uirorum consensus manebit: si uerò nõ heminas sex, uerum sextarios sex ponamus, nõ parua dissensio orietur: multa nanque erit copia, ut ad portionem aliorũ, si olei sextarios duodecim infundas. Hæc quidẽ in præsentia de Heræ & Critonis in proposito pharmaco discordia. Cum uerò ad Andromachum uenerimus, dicetur itidem nonnihil de illius cũ utroque partim consensu, partim controuersia.

Isis uiridis. 2

Isidem hic quoque scripsit, quemadmodũ alij prope omnes: at quia diligẽtius tum usum ipsius uniuersum, tum præparationem tradidit, ac simul nõnihil ab Hera discessit, uisum mihi est etiam ab hoc scripta ad uerbum subiungere.

Isis, quam nonnulli Epigoni uocant.

Per se ad squamarum abscessus facit: item crassa ossium fragmenta innatantia iuuat, linamento uel splenij modo imposita: ualet ad aculeos, omniumque ferarum ictus, & morsus. sanat omnes punctus, & uulnera ferro facta in bello, & aliter: curat etiam fistulas imposita, & ut collyrium indita, discutit callos, & cõglutinat: alteri temperata ad omne uulnus linamento, & splenij instar adhibita ualet: prodest ad maligna & diutina, ac ab alijs corrupta, in quib. derasis prius, medicamento diluto utor: mirifice facit & ad sinus cõglutinãdos, dum magni fuerint. Nam exiccandis illis coniungendisque cõuenit, linamẽto quoque imposita, tum per se, tum alteri mista, in quibus adenes aliquos, uel insitas mẽbranas eliquare uolumus: utor etiã ad fracturas cum uulnere & sine hoc. Callũ enim ducit celerrimè, & partes affectas astringit. Insuper in quibus aliud malagma non proficit, ipsum exacte prodest, & ungues ex offendiculo uacillãtes, uel cõfirmat, uel extrudit, & dẽtes ex ictu motos stabilit. Summatim infinita sunt, quibus differenter adhibitũ, cõducit. Est autem & diluta hęc, intemperati pars una sumitur, cerati partes duę nõnunquam, atque adhuc magis diluitur, sed usus & exercitatio in hoc requiritur. Fit nanque ceratũ interim & per resinã pityinam. Compositio autem talis est. Guttæ ammoniaci, æruginis rasæ, salis ammoniaci, squamę ęris, ęris usti, singulorum denarios viij. aluminis rotũdi denarios sex. aristolochiæ, thuris, singulorum pondo denarium octo. myrrhæ, aloes, chalbani, singulorũ denariũ pon-

do duodecim. ceræ pondo denarium octo. resinæ A coloploniæ pōdo denarium sex. nōnulli terebinthinæ tantundem. olei ueteris heminas duas. aceti heminas duas. Epigonus uerò & dracunculi radicis succi denariū pōdo duodecim, & marrubij succi tantundem, & sereos succi denarium pōdo viij. Omnia diligenter contusa ac cribrata mortario inijciuntur, ac paulatim acetum in sole affunditur, donec terendo totum acetum consumatur: ubi leue factum fuerit, liquefacta & refrigerata rasacꝫ diligenter, ijs quæ in mortario sunt, admiscentur, ac subacta excipiuntur. Hæc scripsit Crito. Ego uerò sine liquore sereos ipsum præparaui, & nonnunquam de alumine ademi, ususcꝫ sum præscripta ratione in neruorum uulneribus medicamēto. nam ualentius efficitur, aceto acerrimo undique circumfusum. reponitur, & diebus circiter B quindecim emollitur.

Medicamentum Macharionis. 3

Celebre simul & multi usus est. Conuenit affectibus ulcerum, de quibus totus hic liber scribit. Sic autem Crito ipsum protulit ad uerbum.

Macharionis.

Ad omnia recētia uulnera, cōglutinat & phlegmonem arcet, præsertim ubi contusio fuerit. Rabiosi canis morsum summe curat, ampliori loco impositū ac mutatū frequentissime: pilulæ quocꝫ modo sumptum fabæ magnitudinis dieb. triginta, ad omnem pastionem facit, maxime phagedænicam. Item ad aurium naturaliumcꝫ ulcera: in ossibus denudatis carnem producit, narium ulcera sanat. Est etiā uiride: diluitur rosaceo uel omphacino. Hæc recipit. Aristolochiæ rotūdæ pōdo unciam. chalbani pōdo unciam. opopanacis pondo unciam. æruginis pōdo unciā. iridis illyricæ pondo unciam. guttæ ammoniaci pōdo unciam. myrrhæ pōdo unciam. terebinthinæ pōdo uncias septem & semis. ceræ uncias septē & semis. olei omphacini pōdo uncias septem & semis. Dimidium olei cum ærugine ad leuorem teritur, reliquum cum cera & terebinthina coquitur.

Dysrachitis Damocratis ad uerbum.

Et hoc ex celebrium latecꝫ usu patentium pharmacorum numero existit: scribit de eo Crito in hunc modum.

Dysrachitis. 4

Mirum in modum facit ad sinus callo undique circūdatos, & fistulas, impositum: si orificium sit, quod linteolum medicamēto illitum queat excipere, indito, ac citius proficiet. Vtitor hac compositione in humidis, fluentibus, ac diutinis affectionibus, tertio quocꝫ die ut plurimū ipsum mutans. Podagricos quoque iuuat mirifice in accessionis principio illitum ac in latum circumpositum, qui & ad consuetas ambulationes, & uitæ usus dimittant, citra balneū ad triduū, diescꝫ aliquot in eius usu permaneant. nō enim materiæ dat accessum, ut affectus increscat. Conuenitcꝫ omni ulceri ad sex partes cerato admistum: inueterascēs, melius euadit. Aluminis rotundi denariū pōdo viij. squamæ denarium pōdo duodecim. æris combusti denarium pōdo quatuor. aristolochiæ denariū pondo nouem. chalbani denarium pōdo decem. guttæ ammoniaci denarium pōdo duodecim, alij decem. thuris denarium pōdo nouem. myrrhæ denarium pondo nouem. styracis denarium pondo quindecim. misyos denarium pondo trium. chalcitidis denarium pōdo trium. scyllæ medullæ denarium pōdo viij. picis liquidæ denarium pondo quatuor. iridis illyricæ denarium pōdo nouem, secundū alios quatuor. terebinthinæ denariū pondo decem, alij septem. pityinæ denarium pōdo decem, alij sex. ceræ denariū pōdo septuagintaquinque. olei pōdo libram & semissem. quidam etiam medullæ cerui denarium pondo octo adijciunt. Squamam, æs, misy, chalcitidem, scyllam, ex aceto prius quamacerrimo in sole terito, ut leuia fiāt: B maxime leuigatis aristolochiam, & iridem adijcito. Hæc prius contusa, tenuicꝫ cribro excreta, rursus aceto circumfusa terantur. Atcꝫ hoc tandiu facito, ꝗdiu aspredinem sentias, non parcens aceto sumptitando. Postquam leuia fuerint, alumen addito, facitocꝫ hæc donec & illud in puluerem redigatur: deinde myrrham, mox thus, ab hoc ammoniacum, postea styracē, postremo picem indito. Hæc in calido sole torrentur, quo styrax elaboretur. Vbi iam leuitatē & strigmentorū crassitudinē nacta fuerint omnia, cerā, resinas & oleū liquefacta, & paulalum decocti, chalbano superfundito, idcꝫ counitū in pila terito, ac quæ liquefiūt modice refrigerata indito, tunc chalbanū demittens C dissoluenscꝫ in uas fictile percolato, ac ubi derasēris cum ijs quæ in pila sunt, permisceto.

Emplastrum ex salicibus. 5

Quod ex salicibus constat, præclarum, & in multos usus idoneum similiter prædictis, Crito hisce uerbis recensuit.

Emplastrum ex salicibus.

Prodest cruentis ulceribus impositum, articulis solutis, fistulis inditum, flaccidis carnibus humidiscꝫ, præsertim quæ in extremis partib. extāt. Valet itē ad erysipelata, alioscꝫ plurimos affectus sine usturis. Misyos, chalcitidis, æruginis, cerussę, gallæ, aluminis scisi & rotundi, cretę sutoriæ, seu melanteriæ, singulorū pōdo uncias sex. ceræ, resinæ pityinæ, picis, bituminis, salicis foliorū, singulorū pōdo uncias ij. olei heminas quatuor, uncias D quatuor. chalcanthi pondo uncias sex. malicorij pōdo uncias sex. aceti sextarios sex. salices ex aceto incoquanē, donec relicti fuerint sextarij duo: deinde æruginī, cerussæ & cretæ sutoriæ prius tritis, folia immittito, simulcꝫ ad leuorē terito, deinde sicca leuigata, rursuscꝫ exprimito, postea liquefacta superfundito. Hoc Asclepiades sine chalcātho & malicorio præparat, sicut in secundo huius operis cōmentario docuimus. Aliud post hoc ex salicibus Crito in istam sententiam edidit.

Ex salicibus lite, id est emplastrum simplex, ut Herodotus.

Cretæ sutoriæ, melanteriæue, gallæ omphacitidis, aluminis scisi, rotundi, singulorum pōdo uncias sex. ceræ, bituminis, picis aridæ, salicis folio-

rum

rum, pityinæ, singulorum pondo libras duas. olei pondo libram. aceti sextarij dimidium.

Quæ tradiderit Asclepiades eiusdem generis emplastra. Cap. III

His annumerantur ex suprascriptis, tum quod ad Piscatorē refertur ab omnibus cognitum, tum quod ex dictamno constat, sed quia Asclepiades manifesto de ipsis scripsit, ob id etiam nūc eorundem mētionem faciam. Porrò commodum ex eo quòd bis uel ter scribit, aliud insuper accedit: puta ut cognoscamus in quibus simplicibus miscendis, ac ipsorum pollicitis, scriptores illorum inter se conueniant, in quibus item discordent.

Fuluum piscatoris. 1

Ad cruenta uulnera & neruos præcisos ualet, item ulceribus uetustis cicatricē ęgrè ducentibus & fluentib. conducit, quin & emollit optimè, prę sertim in mām̄is ortas duricias. medetur canum hominumq; morsibus. insigniter ualet & ad pastinacę & draconis, aliorumq; seuorū piscium ictus. In summa, uirtutem habet mirificam. Argenti spumæ, ceræ, cuiusq; denarium pondo centum. terebinthinæ, mannę, thuris, chalbani, minij sinopici, cuiusq; denarium pōdo octo. olei sextarium. præparato sicut prædiximus.

Fuluum piscatoris quomodo confecerit Galenus.

Argenti spumæ, ceræ, cuiusq; denarium pōdo centum. terebinthinæ, myrrhæ, sinopici, æruginis rasæ, squamę, singulorum denarium pondo octo. aristolochię denariū pōdo octo. thuris denarium pondo uigintiquinq;. diphrygis denarium pōdo sex. chalbani denariū pondo duodecim. guttę ammoniaci denariū pondo duodecim. olei heminas duas. conficito quemadmodum superiora.

Emplastrum uenatorum, pharmacum accommodatum. 2

Facit ad quadrupedum ictus morsusq;, & ad reliqua uenenum iaculantia. Argenti spumæ pondo minam. olei ueteris, squamæ æris rubri, cerę, resinæ frictæ, singulorum pondo. guttæ ammoniaci pondo trientem. chalbani, minij sinopici, singulorum pondo uncias duas. Argēti spumam, squamam, & oleum ad spissitudinem usq; incoquito, deinde ceram ac resinā inijcito. Cum liquata fuerint, ab igne tollito, & ammoniacum dilatatū immittito: ubi refrixerint, chalbanum & ammoniacum indito, sinopicum inspergens, ac in mortarium defusis mollitisq; utitor.

Emplastrum Chalcidensis. 3

Conglutinat, inflammationē arcet, diuisiones cum cōtusione iuuat, sinus coniungit, resiccat, & abscessus prohibet, ossa corrupta educit, maxime autē & in partibus extremis ualet. In uniuersum mirabilis cōpositio est. Argēti spumæ, squamę æris, resinæ, pityinæ, cerę, singulorum denariū pondo centum. guttæ ammoniaci, chalbani, cuiusq; denarium pōdo sedecim. diphrygis denariū pondo duodecim. aristolochiæ leuissimæ denariū pōdo quadraginta. olei ueteris sextarios tres. Argenti spuma, squamaq; ex oleo coquuntur, ac ubi colorem mutauerint, diphryges immittitur, deinde cera, resina, pityina, uel pinea. Liquatum ut nō in quinet, ab igne tollitur, ac ammoniacum elotum inijcitur. Postquā liquefeceris, aristolochia pharmaco iam refrigerato inspergatur, & cōtinuè moueatur, deinde in mortarium immittito, ac subigito, excipiensq; utitor.

Ex dictamno Sacrum compositio miranda. 4

Benefacit neruis musculisq; præcisis & contusis, uetustis & sanatu difficilibus, ossa corrupta educit, aculeos & telorū cuspides quæ infixę sunt, corpori eximit, nec minus digerit, iuuat capitis dolores & oculorum fluxiones. Est etiam malagma pleuriticis & hepaticis idoneū: efficax est & ad cuiuslibet uirulenti ictus. Argēti spumę denarium pondo centum. colophoniæ denarium pondo quinquaginta. ceræ denarium pondo uigintiquinque. guttæ ammoniaci, aristolochiæ, singulorum denarium pondo sedecim. mannę, chalbani, uniuscuiusque denarium pondo duodecim. æruginis, dictamni, æris usti, aloes, propolis, singulorum denarium pondo octo. diphrygis, æris squamæ, gentianę radicis, singulorum denariū pondo sex. olei ueteris hyeme heminas duas, per ęstatem unā ac s. præparatur quo dixi modo. Huius scriptura ab Hera in horū pondere uariat: nam Asclepiades dictamni denarios octo, Heras decem inijcere præcipit: & uero etiam aristolochiæ, & guttæ ammoniaci hic cuiusq; denarios sedecim, Heras sedecim quidem guttæ ammoniaci, aristolochiæ uero decem. Ceterum Heras oleum indistincte scripsit, solum heminas duas eius iubēs infundere: Asclepiades autem hyeme tantum, æstate uero unam & dimidiam.

Diophanti chirurgi, quo usus est Phylacus. 5

Argenti spumæ denarium pondo cētum quinquaginta. cerussæ, picis, squamæ æris, ceræ, singulorum denarium pondo octodecim. æruginis, resinæ pityinæ siccæ, mannæ thuris, propolis, singulorum denarium pondo duodecim. chalbani, aristolochię, cyperi, singulorum denariū pondo sex. dictamni, trifolij, guttæ ammoniaci, singulorū denarium pōdo trium. illyricæ, artemisiæ, polij, marrubij, singulorum denarium pōdo duum. olei ueteris heminas duas, ad dictum modum præparat.

De scriptis ab Andromacho eiusdem generis emplastris. Cap. IIII

Emplastra uarij usus, simul & cicatricē ęgrè ducentibus idonea, hoc in libro percēsere statui, ex quorum grege sunt & decem illa lōgè optima inter ea quæ scripsit Andromachus.

Viride Euangeli. 1

Resinæ terebinthinæ, secūdum alios siccę, denarium pondo quinquaginta, alij uero cētum. cerę denarium pondo uigintiquinque. thuris, squamę, chalbani, aloes, singulorum denarium pōdo trium. salis ammoniaci, opopanacis, æruginis rasę, æris usti, aristolochię, guttę ammoniaci, aluminis scissilis, secundum alios rotundi, singulorum denarium pondo duum. ichthyocollę denarium pondo trium. aceti heminas quatuor. olei quartā heminę partem, secūdum alios octauam. Vtitor uermiculari ærugine non imposita.

Strigmentosum emplastrum quo utor. 2

Ichthyocollæ pōdo uncias iij. sarcocollæ pondo uncias tres. eretriæ pondo selibram. terræ Samiæ pondo uncias quatuor. myrrhæ pondo uncias quatuor. thuris pondo uncias sex. squamæ æris pondo uncias octo. salis ammoniaci pondo uncias tres. æruginis rasæ pondo uncias sex. aluminis scissilis pondo uncias duas. aloes indicæ pondo uncias quatuor. chalbani pondo uncias quatuor. ceræ pondo libras duas. terebinthinæ pōdo libras duas. olei pōdo libras quatuor. aceti quod ichthyocollæ irrigandæ sufficit. sicca leuigata liquidis insperguntur.

Aliud Viride. 3

Resinæ pityinæ denarium pondo ducētorum. guttæ ammoniaci denarium pondo quinquaginta. opopanacis denarium pondo octo. ceræ denarium pondo centum. propolis denarium pondo octo. chalbani denarium pondo octo. squamæ ęris denariū pondo duodecim. æruginis denarium pondo duodecim. aluminis rotundi denariū pondo octo. misyos denarium pōdo septem. salis ammoniaci denarium pondo octo. chalcitidis denarium pondo quinq;. sulfuris ignem nō experti denarium pondo octo. thuris denarium pondo duodecim. fellis taurini sicci denarium pondo sex, uel humidi denarium pōdo duodecim. cyprini heminas sex, alij quatuor. aceti quod satis est.

Viride Epicuri multa promittens. 4

Ceræ denarium pondo ducentorum. colophoniæ denarium pondo trecentorum. squamę denarium pondo sedecim. æris usti denarium pōdo sedecim. æruginis denarium pondo sedecim. aristolochiæ tenuis denarium pondo sedecim. aloes denarium pondo uigintiquatuor. aluminis rotundi denarium pondo duodecim. myrrhæ denarium pondo uigintiquatuor. chalbani denarium pōdo uigintiquatuor. salis ammoniaci denarium pondo sedecim. aceti heminas quatuor. olei heminas ij. interim pauciores.

Viride multa promittēs Alcimionis uel Nicomachi, ad fistulas, nigritias, uel nomas, glutinat ossa, & educit, strumas discutit. 5

Chalbani denariū pondo sedecim. æris usti denarium pōndo octo. squamæ denarium pondo uigintiquatuor. cerę denarium pondo quinquaginta. seui caprini, uel uitulini denarium pōdo quinquaginta. thuris, resinæ siccæ, guttæ ammoniaci, terebinthinæ, nitri, aristolochiæ, singulorū denariū pōdo uigintiquinq;. bryoniæ denarium pondo duodecim. orcheos herbę denariū pondo duodecim. iridis aridæ denarium pondo quatuor. aloes indicæ denarium pondo duodecim. aluminis scissilis denarium pondo octo. fellis taurini denarium pondo octo. aceti heminam. olei heminam. Quum autem non inquinarit, utere cum rosaceo.

Viride ad herpetas, item ad chironia & difficulter ad cicatricem uenientia ulcera, ut Andromachus. 6

Hordei combusti denarium pondo decem. ęruginis denarium pondo octo. ceræ denarium pondo octoginta. cyprini heminam. Hoc medicamē

A æruginem multam continet, pro ceræ & cyprini symmetria. nam hordeum combustum si per se inspergitur, chironia ulcera iuuat, neq; intendit ceræ & cyprini uires, neq; æruginis resoluit: ablato ipso, simile pharmacū redditur, multis quæ superiore libro ad huiusmodi ulcerum curationē scripta sunt: non tamen multum cyprini assumetur, præsertim si cera pinguis existat, sed quantum ad ceram ęrugini admistam emolliendam capere necessarium est. Superiora omnia emplastra hoc nomine uano usui seruiūt, quòd medicamenta emollientia, trahentia, digestoria, concoctoria, insuper citra rosionem siccantia assumpserint: plurima ipsorum etiam ualide astringentia, quorū uirtus est humores affectę parti īfluētes repellere. Porrò

B dictorum medicaminum potestatis materias nominatim in operis De simplicibus medicamētis sexto, septimo, octauo, nono, decimo & undecimo libro expressas habetis. Multorū autem hoc commentario nominatim memini, ac iterum meminero. Quinetiam hoc pharmacū in præsentia apposui, eorum quæ nuper dixi, mentionem facere desiderans, quia id quoq; superiore libro commemoratis genere simile est, ac propriū magis uidebatur, illis ipsum appendere.

Hicesium nigrum Andromachi. 7

Hoc emplastrum Andromachus non ubi uiridia tractat, sed superius prope initium, in symmetria multum euarians, ab eo quod prius Critonē & Herā prodidisse indicaui, scribitur hoc pacto.

C Bituminis denarium pondo trecentum. terræ ampelitidis denariū pondo ducentorum. argēti spumæ denarium pondo sexaginta. chalbani denarium pondo trigintasex. terebinthinæ denariū pondo trigintasex. scissilis denariū pōdo trigintasex. propolis denarium pōdo septuagintaduum. mannę denarium pondo quinquaginta. myrrhæ denarium pondo duodecim. iridis denariū pōdo duodecim. chalcitidis denarium pondo sex. gallæ denarium pondo decem. olei congium unum & dimidium. mellis heminæ dimidium. Rectè fecit, qui de mina ambiguitate relicta, omnia per denarios conscripserit, ut de solo congio quæstionem instituamus. In hoc enim melius egerunt, qui sex sextarios posuere, à triplicato aūt bitumine pro-

D portiōe illius quod Heras immiscuit, scripturam exorsi sint. Etenim Heras cētum denarios, hic trecentos posuit: & si in quibusdam exemplaribus non fide dignis ducentos inuenerim. Terra sanè ampelitis duplo eam quam Heras scripsit, planè exuperat. Argenti autem spuma, quam & ipsam ampelitidi pondere æqualē esse cōueniebat, multo minor ab eo iniecta est. Nam denarios sexaginta huius miscet. Chalbani uero trigintasex denarios immittens, proportionem cum Hera & Critone nō seruat, quemadmodum in alumine scissili. paululum eīn hic ab exacta proportione declinat, quæ trigintaseptē & semissem inijcere iubet: quod aliarum ipsius misturarum proportione, ad quinquaginta denarios excedit. iam uero in propoli nonnihil discordat, quantum ad duplicatam

propor-

proportionem spectat. Item in manna à Critone & Hera recedit, quippe centum denarios, ceu ad illorum proportionē iniectos esse oportebat. In chalcitide etiam multum admodum à proportione subtraxit: in alijs parua controuersia est, nisi in melle, cuius heminas tres tāquam ad illorum proportionem immisisse ipsum conueniebat, at is heminæ dimidium adijcit. Ita quoq; in oleo tres congios miscuisse debebat, si non à Critone discrepare uoluisset: si uero cum Hera conuenire, octodecim heminas. uerum ipse congium & dimidium conscripsit.

Vt Tarentinus Heraclides Icesii nigrum emplastrum tradiderit.

Ad omne uulnus, maximè quæ in extremis partibus sunt, dolore uindicat & cōglutinat. Item canum morsus, & furunculos sanat, duricias discutit, præsertim mamillas obsidētes, ani condylomatis succurrit. Argenti spumæ denarium pōdo centum. bituminis tātundem. terræ ampelitidis idem pondus. mannæ denarium pondo uigintiquinq;. propolis totidem. chalbani denarium pōdo duodecim semissem. aluminis scissi, resinæ terebinthinæ pares mensuras. iridis denariū pondo sex. chalcitidis denarium pōdo septem & semissem. gallæ denarium pōdo octo. myrrhæ tantundem. mellis heminā unam. olei immaturi heminas sex. argenti spuma, bitumen, & terra cum oleo coquuntur, & spatha ex tædarum ligno mouentur. Cum constiterint, propolis, resina & chalbanum addūtur. Hæc autem prius melle incoquūtur. Quibus mistis, olla statim ab igne tollitur, & sicca inspergūtur. Hæc quum Heraclides tradiderit in libris ad Antiochidem, demiror quomodo nonnulli post eum scripturā ipsius non obseruauerint. Heras sanè ubiq; Heraclidem imitatus esse uidetur, præterquā in myrrha & galla. Nam dum Heraclides utriusq; horum denarium pōdo octo miscet, Heras utriusq; sex iniecit. Insuper Asclepiades in secundo libro de Exterioribus, omnia proportione quadruplo maiore quàm Heras tradidit. Adde q; olei omphacini heminas duodecim, Crito cōgios duos conscripserit, etsi omnia duplicata compositio ipsius habeat. Quare nonnulli mihi uidentur adscripsisse heminas duas. Quod ipsum rursus tū ueritati, tum Heræ & Tarentini scripturæ magis aduersatur: siquidem Heras cētum octoginta denarios posuit, in pondus nō mensuram oleum reducens, tanquam hemina denarios sexaginta pēdente: nam Attica nouem Italicas uncias conficit: pendunt enim nouem Italicæ unciæ, quas in cornibus insectis metiuntur, septem uncias ponderales & semissem, quæ sexaginta denarij fiunt, singulis uncijs octo denarios recipientibus. quare etiam hic cum Heraclide Heram consentire uideas, cùm tres heminas inijciat, Asclepiades duodecim: quoniā omnia in ipsius compositione quadrupla sunt. Heras autem quoniam pharmaci in Tarentini scriptura magna moles fieret, uidetur mihi quartam omnium portionē posuisse. Nam in myrrha, ut dixi, & galla paululum mutare uidetur. Ac quum alij quoque hoc Icesii emplastrum tradiderint, qui exactius, in eo cuius præparationem ex coctione coniecimus, Tarentino concordes facti sunt: qui autem negligentius, uel in uno solum, uel in pluribus simplicibus dissonasse ab Heraclide uidetur. Proinde superfluum fuerit, de ijs mentionem facere: præparandum enim medicamentum est, ut Heraclides iussit, uel ut Heras, qui parum adeo inter se differunt.

Heraclides Liten icesion hanc esse dicit.

Bituminis denarium pondo quinquaginta. argenti spumæ denarium pōdo quinquaginta. olei heminas decem. coquito. Vbi coierint, ceræ denarium pondo quinq; inijcito. chalbani, myrrhæ, singulorum denarium pondo quinq;.

Cyzicenum Heræ. 8

Hoc quoque inter celebria emplastra refertur, ab omnibus propè cōscriptum, magno in simplicium medicamentorum symmetria consensu. Nonnulli tamen discordant, uti innotescet, cum subiungemus, quomodo quisque componēdum censeat. Heras igitur de præsenti emplastro ita ad uerbum scribit.

Cyzicenum.

Facit ad recentia uulnera, & uetera depascētia, duritias præsertim in mammis discutit, extrahit, repurgat, implet, glutinat, cicatricem ducit, tollit cancerosas durities, fistulas, & in quibus scalpello uti non licet, ut in ceruice, collyrij loco utitor. abscessus furentes mitigat, phymata discutit, ganglia & contractiones siue coitus dissoluit abrumpitq;: tela, ossa, lignorum fragmēta educit, crustas citra dolorem deijcit: in depascētibus, magnis emplastris quæ splenia nominant, uti oportet. Insuper strumas dissipat, sanguinis eruptiones cohibet, & uesicæ morbis summe prodest. Hæc autem recipit. Thuris, myrrhæ, croci, iridis Illyricæ, bdellij, singulorum denarios quatuor. squamæ denarium pondo duodecim. chalcanthi, aluminis scissi, rotundi, guttæ ammoniaci, misyos, putaminum mali granati dulcis, singulorum denarium pōdo quatuor. aristolochiæ, gallæ omphacitidis, utriusque denariū pondo octo. chalcitidis, singulorum denarium pondo quatuor. uisci quercini, opopanacis, æruginis rasæ, acaciæ, floris rosarū, singulorum denarium pōdo octo. terebinthinæ pōdo minam. alij denariū pondo quinquaginta. liquoris papaueris denariū pōdo sex. ceræ minas duas. secundum alios denarium pōdo quatuor. seui uitulini curati minam. alij denarium pōdo centum quinquaginta. aceti communis heminas uiginti. Vini quod sufficit in sicca immittitur. Hæc de Cyziceno cum Heras scripserit atq; Andromachus, uidebitur quibusdam maxima esse dissensio: cum Heras thuris, croci, myrrhæ, & eius quod deinceps ab eo positum est, denarium pōdo quatuor immiserit, Andromachus octo. Verū quod iam prius obseruandum nobis esse dicebam, id etiam nunc dicturus sum, si omnia simplicia pharmaca licet duplicata horū quæ alij scripserunt, misceas, eadem fiet symmetria, quemadmodum si & tripli

cata

cata omnia iniicias: ac nunc Andromachus omnia fere duplicata miscuit, cũ Heras simplicia ipsa indiderit. Ac etiã hic discrepant, quod ille aloen addat, Hera secus faciẽte. Quinetiã in panacis radice differentia est: cum Heras opopanacem tantum scripserit: Andromachus non hoc solum, sed etiam panacem. solent autem sic uocare radicem herbæ, quam panacem appellant. Adiecit autem Andromachus papaueris liquorem, doloris euitandi gratia: acaciam uero & rosarum florem, tanquam astringentia. Porro coctionẽ pro more suo Heras adiunxit, Andromachus omittit: quippe qui ipse etiam raro illam soleat apponere. Cæterum ex eo quod aceti cõmunis heminas duas & uinum siccis infundit, plane innuit se arida ex uino uel aceto leuigari uelle: deinde liquefacta his superfundi. Heras autem neq; omnino aceti aut uini meminit, & ad calcem coctiõis ita adscripsit. Cæterum arida & opopanacem in cacabum coniicito, & ubi unita fuerint, defundito, mollitoq; irino unguine manus inquinans. Ego ipsum Andromachi more conficio, opopanacem cum siccis in mortario terens. si ualentius & quod magis digerat medicamentũ facere desiderem, acetum inter leuigandum admiscens: si magis astringens repellensq;, uinum: quemadmodum rursus & id nunc austerum, nunc giluum, nũc uetus, nunc ætate medium assumens. Nam quod austerum est nec uetus, magis astringit: quod uetus nec austerum, ualentius digerit.

Cyzicenum ut Asclepiades.

Scriptum est hoc emplastrũ iam etiam in quarto, ubi omnia ordine, quæ ad malignitatem pharmaca habere consuluit, commemorauimus. Et uero nunc quia ipse pariter ab Hera, & Andromacho euariat, satius mihi esse uidetur ipsius uerbis in tertio libro De exteriorũ pharmacis tradita subiungere.

Cyzicenum.

Facit ad diutinos affectus, & neruos præcisos. Thuris quamoptimi, ceræ, myrrhæ, aristolochiæ, chalcitidis, Illyricæ, chalbani, singulorum denarium pondo quatuor. terebinthinæ, argenti spumæ, singulorum denarium põdo octo. olei heminam. Omnia in uas æreum coniecta, supra leuem prunam coquuntur, mouenturq;, donec in aqua frigida demersum, mellis spissitudinẽ habeat, postea mouendo tollitur: hoc illitum pelliculæ imponitur: hyeme post septimum diem, æstate post quintum soluitur.

Aliud ex iis quæ ad Philoxenum referuntur. 9

Thuris, myrrhæ, croci, Illyricæ, bdellii, squamæ æris, chalcanthi, chalcitidis, aluminis rotundi & scissilis, misyos peregrini, guttæ ammoniaci, propolis, uisci quercini, opopanacis, malicorii præclusi, singulorum denarium pondo quatuor. aristolochiæ denarium pondo octo, ceræ, seui taurini, singulorum denarium põdo centum, quod minam inscribit, resinæ terebinthinæ denarium põdo septuagintaquinq;, quod tres minæ quartas appellat. Resina in ollam fictilẽ coniecta, donec odorẽ amittat cõcoquitur. Deinde seuum & cera cõcisa iniiciuntur, & liquefiunt, arida contunduntur, & cribro tenuissimo incernuntur. postea liquida ab igne tolluntur, quibus aliquatenus refrigeratis arida insperguntur, & curiose mouentur. Habere autem oportet ex aceto trita, myrrhã, thus, bdellium, opopanacem, quibus quæ in olla sunt, adiiciuntur, teruntur q;, ne grumi ceræ modo fiant. ubi autem recte habuerint, in lignea pyxide irino unguento prius illita reponuntur.

Emplastrum ex duabus Aristolochiis, ut Andromachus. 10

De hoc in eam sententiam scribit Andromachus ad uerbum.

Emplastrum ex duabus Aristolochiis.

Resinæ frictæ pondo libram. ceræ põdo librã. picis pondo libram. ciceos, uel olei ueteris heminam unam, & cyathos duos. cerussæ pondo uncias sex. æruginis pondo uncias sex. chalcanthi põdo uncias quatuor. mannæ pondo uncias sex. aristolochiæ longæ pondo uncias quatuor, rotundæ pondo uncias quatuor. erethriæ pondo uncias sex. Illyricæ pondo uncias quatuor. gallæ uncias duas. aceti heminam. ego amplius: malicorii pondo uncias duas. sicca ex aceto teruntur, deinde liquabilia.

Emplastrum ex dictamno Damocratis. Cap. V

Diximus frequenter metricas scriptiones non solum ad memoriam, sed etiã ad misturas exacte commensurandas prosa oratione conscriptis esse commodiores. Cuius gratia etiam nunc medicamentum ex dictamno perfectam in Damocratis scriptis symmetriam perseruans apposui.

Emplastrorũ unum insigniũ numero ascribitur,
Solumq;, quod recipit dictamnum creticum
Dictum, medetur prospere serpentium
Percussibus uenenatis, ac morsibus
Quadrupedum cunctorũ etsi rabies quædã agat.
Iuuat ulcerum callos, & neruos perditos,
Et musculos, & alto chartilagines
Corpore putrescentes, quæ incumbunt ossibus.
Colli, mammillarum, dorsi quoq; ulcera
Persanat, & diu si iam durauerint.
Ac omnia simul quæ facere paulo antea
Dixi emplastrum nomine scilicet Aegyptium.
Hoc admodum cum sit bonũ, quidam omnibus
Vnum bonis reputant usu præstantius,
Haudquaquã nempe experti multa pharmaca.
Concinnatur misturis his, lithargyri
Drachmas habet ducentas: istis additur
Olei uetusti libræ quarta portio:
Alii magis quartam uolunt partem heminæ,
Et quinquaginta ceræ drachmas ponticæ,
Colophoniæ probæq; plus cera duplo.
Alii malunt terebinthinæ parem modum,
Aeruginis quoq;, aloes necnon Indicæ,
Item combusti æris & diphrygis boni,
Cuiusq; sedecim, semissemq; ponito.
Quaternas & uigenas drachmas chalbani,
Mannæ pares, thurisq; bis duodecim,
Ammoniaci uiginti bisq; & quinq; bis,

Et sexdecim iungantur propolis atticæ,
Aristolochiæ longæ bis drachmæ decem.
Aeris cyprij squamæ drachmæ duodecim.
Et gentianæ radicis siccissimæ
Aequale, cunctis herbæ his dictamni quoque
Siccæ, sed habentis florem, drachmas bis decem.
Leuis, lithargyrum at cum oleo demittito
Ollæ recenti, cui patulum os figulus dedit.
Pruna leni coques, mouens rudicula
Quousque spissitudo mellis attici
Fiat. paribus at squamæ immissis partibus.
Rursus magis coquas, ac postquam pharmacum
Giluum fuerit, æs misceas & diphryges,
Crassumque reddens pharmacum ut non polluat
Ceram, resinamque unà dictis addito.
Quibus liquatis, ubi probe coiuerit,
Emplastrum, ab igne tolles, cumque adieceris
Propolimque mannamque, aloen, atque chalbanum
Ammoniacumque, tunc ubi refrixerit,
Feruorque ignitus pharmaci subsederit,
Aristolochiam perquam leuissimam
Et gentianam dictamnumque inspergito,
Spatha atque medicamentum agitando sedulo
Manibus tibi magdalias ipse effingens habe:
Eaque mala ad quæcunque est prædictum utitor.

De pastillis Asclepiadis. Cap. VI

Quemadmodum emplastra à colore, non facultatis professione nominãt quidam medici, melina, candida, fusca, & gilua: ita pastillos, Græce Trochiscus, ab efformationis figura uocãt, nõ ad unum affectum, sed admodum multos conferentes. Nos quoque igitur ipsos imitati, deinceps omes præclaros, siue pastillos, siue orbiculos (utroque enim nomine appellantur) describemus. Recte autem illi singulis quid possent efficere, præposue runt: præsertim Asclepiades, cuius etiam primi pharmaca quæ in tertio De exterioribus libro prodidit, apponam.

Pastilli Asclepiadis. 1

Aristarchi Tharsei pastillus ad plura utilis. Facit ad recẽtia uulnera, & uetera: prodest teredinibus & fauis, curat fistulas, aures suppurãtes, ossa corrupta, nomas, reprimit omnẽ carnis excrescẽtiã: tollit pterygia, ualet ad uteri affectus, sanat ozænas, phagedenas, cõdylomata: iuuat inueterata & quæ difficilẽ curationẽ habent: utilis est principio pthisicis, lienosis, cœliacis, dysentericis, tribus obolis in potu familiari datus: succurrit synãchicis, gingiuarũ nomis: in summa, exteriorib. & interioribus uitijs auxiliatur. Myrrhæ denariũ põdo sex. croci denarium põdo triũ, crocomagmatis denarium pondo trium. cytinorum denarium pondo sex. chalcanthi denarium pondo sex. aluminis scissi denarium pondo sex. aloes denarium pondo sex. uino falerno excipiuntur, fiuntque orbiculi seu pastilli, & in umbra desiccantur: ubi usus necessitas est, humido conuenienter diluũtur ad commemoratos affectus.

Pastillus Neapolitani. 2

Myrrhæ, thuris, singulorum denarium pondo sex. gallæ, lycij, aluminis, crocomagmatis, aloes, A singulorum põdo denarium octo. cytinorum denarium pondo duodecim. æris denarium pondo viij. uino falerno excipiuntur.

Andronius inscriptus. 3

Cytinorum denarium pondo decem. scissilis denarium pondo quatuor. chalcanthi denarium pondo duo. myrrhæ denarium pondo quatuor. thuris, aristolochiæ, gallæ, singulorum denarium pondo octo. salis ammoniaci, denarium pondo quatuor. hæc passo excipiuntur.

Polyidæ sphragis. 4

Malicorij denarium pondo sex. myrrhæ denarium pondo octo. aluminis scissilis denarium põdo quinque. thuris denarium pondo quatuor. chalcanthi denarium pondo trium. fellis taurini dena B rium pondo sex. uino dulci excipiuntur.

Coracinæ sphragis. 5

Facit ad tonsillarũ phlegmonas, & uuas laxatas: gingiuas madentes resiccat, nomas curat, & sedis affectus, fistulis callum exterit. Aristolochię creticæ rotũdæ, cytinorum, chalcitidis tostæ, thuris, myrrhæ, chalcanthi, crocomagmatis, aloes Indicæ, fellis taurini, singulorum pondo denarium octo. passi quantum satis est.

Pastillus ad nomas. 6

Brathyos denariũ pondo quinquaginta. myrrhæ denariũ pondo trium. soreos, misyos cyprij, chalcanthi, thuris, singulorũ denariũ pondo duũ. uino excipiunt. Aliæ scripturæ habent, oleę folio rum denarium põdo duum. myrti siccæ, orcheos C herbæ, utriusque denarium pondo quatuor. arsenici, quod auripigmentum uocant, denarij pondo unius. myrrhæ denarium pondo quatuor.

Ex scriptis Heraclidis. 7

Orcheos denarium pondo duum. arsenici denarium pondo quatuor. gallæ denarium põdo octo. squamæ denariũ pondo sex. soreos denarium põdo octo. myrrhæ denariũ pondo duum. thuris denarium pondo duum. acaciæ succi denarium pondo duum. uino excipiuntur.

Pastillus ex stirpibus inscriptus. 8

Malicorij, myrti foliorum, nucis putaminum siccorũ, spinæ fructus, singulorum denariũ pondo octo. gallæ denariũ pondo quatuor. salis fossitij denarium põdo octo. omnia comminuuntur: friabilia in aceto macerantur, ac in uas fictile con D ijciuntur: deinde torrentur, & cum aceto leuigantur. Vbi bene habuerint, myrrhæ denarios quatuor. thuris denarios duos inijcito, & pastillos fingito, usus eius est cum aceto.

Pastillus qui à Terentio inscribitur Stipticus, hoc est astringens: Facit ad quamlibet nomen & ani affectus. 9

Sandarachæ, misyos, calcanthi, aluminis scissilis, singulorum pondo denarium duum. myrrhæ, squamæ æris, aloes, chalcitidis, singulorum pondo denarium trium. cytinorum mali punicæ, rosarum floris, gallæ singulorum pondo denariũ quatuor. acaciæ succi põdo denarium octo. mali granati putaminum pondo denariũ octo. excipiuntur myrtorum decocto ad dimidias coctorum.

Pastillus ad serpentia, Arei ad Herpetas. 10

Terræ cimoliæ pondo denarium octo. misyos torridi

torridi denarium pondo sedecim. minij sinopici pondo denariũ trium, singula cum aqua seorsum terito, deinde simul miscens in pastillos digerito, usus est ex aceto.

Alius ex origano. 11

Origani, oleæ foliorum, acaciæ, chalcanthi, salis hispani, singulorum denarium pondo duum. aceto excipiuntur.

Ex collectaneis Largi medicamentum accommodatum. 12

Argenti spumæ, uel cerussæ pondo denarium trigintaocto. aluminis fissi pondo denarium duodecim. acaciæ pondo denariũ octo. croci, thuris, diphrygis, opij, singulorum pondo denarium duum. ex aqua terito.

Aliud ualde generosum. 13

Aluminis rotũdi, chalcitidis, cretæ sutoriæ seu melanteriæ uel soreos, singulorũ denarium pondo duum. misyos, malicorij, utriusq; denariũ pondo quatuor. calcis uiuæ denarium pondo sexdecim. aceti sextariũ. Mali cortex in aceto decoquitur, ac cũ dissolutus fuerit, teritur cum acacia, postea cæteris adijciuntur, & ubi bene habent, fiunt pastilli: cum opus est, diluuntur aqua.

Pastillus Threpti ad serpentia ulcera, & ubi pastionem oportet sistere, facit etiã ad oris uitia, ad aures suppuratas. item cutis uitia quæ exanthemata uocant, tollit. Carnis excrescentiam reprimit. Narium ulcera, & sedis affectus sanat. 14

Corticis malorum punicorũ pondo denarium decem. gallæ omphacitidis pondo denarium octo. aristolochiæ tantundem. aloes pondo denarium quatuor. myrrhę pondo denarium octo. fissi pondo denarium duũ. thuris pondo denarium quatuor. chalcanti põdo denarium quatuor. passo excipiuntur.

Pastilli Gilui Hieracis Thebani, ex uesicarijs: facit ad capitis ulcera, epinyctidas, & narium ulcera quæ Græci psydracas nominant. iuuat rhagadas, & quæcunq; citra dolorem ad cicatricem uoles ducere. Cap. VII

Cerussæ pondo libram. spumę argenti pondo libras decem. aluminis fissi, alica cabi, hoc est uesicariæ corticis, chalcanthi, sinopidis, singulorum pondo selibram. aceto excipiuntur.

Lucij Præceptoris pharmacum confectum. 2

Aluminis, æruginis corinthiæ, minij sinopici, singulorum mensuram heminæ æqualem, aceto diluuntur.

Ex libris Arei ad sedes depastas, serpentia, carnem excrescentẽ, pterygia, aures suppurantes, ulcera curatu difficilia, sanat rhagadas & condylomata. 3

Scissilis, minij, sinopici, æruginis rasæ, gummi, gallæ, cytinorum, singulorum pares portiones. aceto diluuntur.

Magni Philadelphi ad prædictas dispositiones. 4

Aluminis fissi, æruginis corinthiæ, chalcitidis, minij sinopici, singulorum pares cyathi mensuræ partes, aceto subiguntur.

Pastillus ad erysipelata. 5

Croci pondo denarij unius, opij tantundem. cerussæ põdo denariũ duum. passo diluuntur. alia lectio habet, glaucij pondo denarium octo.

Andromachi croceus, medicamentum accommodatum. 6

Argenti spumæ põdo denarium quatuor. hoc est unciæ dimidium. cerussæ uncias quatuor. sulphuris ignem non experti pondo unciam. croci, opij, singulorum pondo unciam unam. succo solani excipiuntur. cum opus est, passo diluuntur.

Caij Neapolitani. 7

Cerussæ, acaciæ, glaucij, opij, cuiusq; parẽ mensuram, passo subigito, & continue perungito.

8 Aliud, Cerussæ, acaciæ, singulorum pondo denarium viij. guttæ ammoniaci põdo denarium quatuor. croci pondo denarium duum. opij pondo denarium duum. succi polygoni, uel seridis, uel solani, uel cynoglossi.

Ex libris Agathini. 9

Cerussæ pondo denarium sex. mannæ, thuris, singulorum denarij pondo unius. crocomagmatis, sulphuris ignem non experti singulorum pondo denarium duum. ex ouis assatis uitellorũ pondo denarium sex. passo excipito.

Ad Rhagadas & condylomata, curat etiam ani rhagadas & nomas, Menesthei pharmacum. 10

Aloes põdo uncias sex. croci põdo uncias tres. aluminis fissi pondo uncias tres. uino diluuntur, & fiunt pastilli.

Apollophanis, Ad rhagadas & condylomata. 11

Stimmeos denarium pondo octo. acacię denarium pondo sex. æruginis denarij pondo unius. opij denarium pondo duum. thuris denarij pondo unius s. myrrhæ denarium pondo duum. gummi denarium pondo quatuor. uino maris experte pastillos fingito.

Vel ut Nicolaus.

Stimmeos pondo denarium octo. acaciæ tantundem. æruginis pondo denarij unius. opij pondo denarium trium. myrrhæ pondo denariũ quatuor. gummi tantundem. uino excipito.

Magni ad rhagadas, & condylomata: sistit nomas. 12

Aloes pondo denarium viij. acacię põdo denarium quatuor. gallæ põdo denarium ij. croci pondo denarium duum. thuris pondo denarij unius. myrrhæ pondo denarij unius. uino subiguntur.

Pastillus ex succis, inscriptus ad nomas & scabiosos affectus. 13

Lycij indici, Aloes indicę, myrrhæ, æris, aluminis scissi, chalcanthi, cytinorũ, thuris, singulorum pondo denarium quatuor. succi myrtorũ heminę dimidium. componito, & in pastillos digerito.

Petronij pastillus qui Virtus appellatur, medicamẽtum ad rhagadas, & condylomata: in magnis doloribus accommodatum, & cito liberat. 14

Stimmeos, acaciæ, plumbi combusti & eloti, singulorum pondo denarium sexdecim, cineris cyprij, ericæ fructus, aluminis fissi, thuris, chalcanthi, myrrhæ, opij, singulorum põdo denarium octo. uino excipiuntur, & fiunt pastilli. cum utendum erit passo diluuntur.

Pastilli ab Andromacho conscripti in libro De exterioribus. Cap. VIII

Pastillus Darij, qui per anum immittitur. 1

Stimmeos, pondo denarium sexdecim. acaciæ tantundem, alij viij. æruginis pondo denariũ quadraginta. succi papaueris põdo denarium trium. quidam duum. gummi põdo denarium quatuor. myrrhæ, põdo denarij unius. thuris pondo denarium

triū.iij.alij unius. uino uel ut alij aqua excipiunt.

Pastillus multiplicis usus & pus educens, & relaxans. 2

Corticis thuris pondo denarium duum. æris squamæ pondo denarium quatuor. cum uino factos ex melle diluito.

Musæ remedium. 3

Aluminis scissi, aloes, myrrhæ, chalcanthi, singulorū pondo denarium sex. croci, crocomagmatis, singulorum pondo denarium triū. cytinorum pōdo denarium quatuor. mulso ex falerno facto excipiuntur.

Ad erysipelata ex Agathocle. 4

Cerussæ pondo denarium viij. aluminis rotundi, crocomagmatis, sulphuris ignem nō experti, singulorū pōdo denarium duum. tritis solani succus superfunditur, & pastilli, dum usus postulat, uino austero formantur.

Isidori ad nomas. 5

Lanæ succidæ pondo denarium quadraginta. scobis plumbi, squamę, bituminis, singulorū pondo denariū decem. aluminis fissi, rotūdi, mali punici corticis, gallæ, misyos, chalcitidis, thuris, singulorum pōdo denarium quinq;. myrrhæ pondo denarium duum. amurcæ heminas octo.

Pastillus Niger quo utor. 6

Malicorij denariū pōdo decem. aristolochiæ, gallę, singulorum pondo denarium viij. aluminis fissi, aloes, singulorum pōdo denarium quatuor. myrrhæ, chalcanthi pōdo denariū duum. thuris, pōdo denarium quatuor. uino excipiuntur. & cū res exiget, uino dulci diluuntur.

Pastillus ex uesicarijs. 7

Argenti spumæ pondo denarium uigintiquatuor. cerussæ pondo denarium duodecim. uel uigintiquatuor. alicacabi radicis pondo denarium viij. chalcanthi, aluminis scissi, singulorum pōdo denarium quatuor. minij quātum ad colorem accipiendum satis est, ex aqua subigunt.

Pastillus ex origano. 8

Oleæ foliorum uiridium pōdo denariū octo. mali punici corticis pondo denarium sex. origani pōdo denarium iiij. acaciæ pōdo denariū xij. chalcitidis, aluminis scissi, misyos, singulorum pondo denarium iiij. uino austero diluuntur.

Pastillus ex rhu. 9

Gallæ pondo denarium trium, acaciæ pōdo denarium quatuor. chalcanthi pondo denariū quinque, chalcitidis denarij dimidiū. aluminis fissi pōdo denarium octo. rotundi pondo denarium quatuor. misyos pōdo denarium trium. malicorij pōdo denarium quinq;. squamæ pondo denarium quatuor. myrrhæ, aloes, aristolochiæ, singulorum pondo denarium duum. thuris corticis pondo denarium quatuor. taurocollæ pondo denarium trium. rhu excoriarij chœnicis quartam partem. alij dimidium. aceti heminam unam, et s, ex quo rhus madefiet ac teretur.

Polyidæ sphragis. 10

Aluminis fissi pōdo denariū trium. thuris pondo denariū quatuor. myrrhæ tantundem. uel pondo denariū octo. chalcāthi pondo denariū duum.

cytinorum pōdo denarium duodecim. fellis taurini pondo denariū sex. aloes pondo denariū octo: uino austero excipiuntur.

Pastillus Andronius. 11

Cytinorum pondo denarium decē. gallæ pondo denarium octo. myrrhæ pōdo denarium quatuor. secundū alios octodecim. aristolochiæ pondo denarium quatuor. chalcanthi pondo denarium duum. aluminis fissi tantundem. alij pondo denariū quatuor. misyos cyprij pondo denarium duum. passo diluuntur. utere ad multa polychresto pharmaco.

Pastillus Achillæ. 12

Spumæ, misyos, aloes, singulorum pondo denariū duum. aristolochiæ pondo denarium octo. aluminis fissi pondo denarium quatuor. myrrhæ pondo denarium duum. thuris pondo denarium quatuor. gallæ pondo denarium octo. chalcanthi pondo denarium duum. corticis mali punici pondo denarium octo, fellis taurini pondo denarium duum. aceto subiguntur.

Pastillus ad nomas Isidori celebris. 13

Mannæ thuris pondo denarium triginta. cytinorum, aluminis fissi, gallæ, cuiusq; pondo denarium octo. chalcanthi, aristolochiæ, myrrhæ, misyos cyprij, calcis uiuæ, singulorum pondo denarium decem. acaciæ pondo denarium octo. excipiuntur uino, uel aceto, & leuigata usui sunt.

Pastillus alius ad multa. 14

Gallæ pondo denarium octo. cytinorum pondo denarium duodecim. æris combusti pondo denarium octo. æruginis pondo denariū sex. aluminis fissi pōdo denariū octo. chalcanthi, acacię, fellis taurini, thuris, aloes, lycij, myrrhæ, [alias & misyos] singulorum pondo denarium octo. Sub canis æstu multo aceto teruntur.

Pastillus Apollonij Archistratoris Smilinus aut Alcimion in usum multiplicem. 15

Cerussæ pondo denarium decem. argenti spumæ pondo denarium quinq;. aloes pondo denariū quinquaginta. aluminis fissi pondo denarium quatuor. thuris pondo denariū quatuor. myrrhæ pondo denarij unius. cimoliæ pondo denarium uigintiquinq;. uino excipiuntur: interim cum uino, & rosaceo utor.

Ad erysipelata quo utor. 16

Argenti spumæ pondo libras septem. cerussæ pondo denarij unius. opij, sulphuris ignem nō experti, croci, singulorū pondo uncias tres. passo excipiuntur. cum usus est passo diluuntur.

Glaucij ad multa faciens. 17

Aluminis liquidi pondo denarium centū. myrrhæ pondo denarium octo. croci pōdo denarium octo. passo diluuntur.

Ad erysipelata Bonus. 18

Acaciæ pondo denarium octo. misyos pondo denarium quatuor. opij pondo denarium duum. thuris pondo denarium quatuor. cum aceto excipiuntur: facit etiam ad herpetas.

Alius ad eadem. 19

Opij pondo denarium quatuor. acaciæ pondo denarium quatuor. diphrygis pōdo denariū quatuor

tuor.aluminis fissi pondo denarium quatuor. ex aqua diluuntur, cum aceto utitor.

Alius ad erysipelata. 20

Cerussæ pōdo denarium octo. sulphuris ignē nō experti pondo denarium quatuor. papaueris pōdo denarium duum.rutæ foliorum pondo denarium duum.aluminis fissi pondo denariū quatuor.cimoliæ pondo denarium duum. amyli pondo denarium duum.melle & aceto diluuntur.

Ad herpetas Tiberij Cæsaris. 21

Diphrygis, succi papaueris, aluminis fissi, acaciæ, singulorum pōdo uncias tres. aceto uel aqua diluens utitor.

Ceranitis usus multiplicis. 22

Arsenici denarium pondo trigintaduum. [aristolochiæ denarium pondo trigintaduum, alij octo.iridis denarium pondo trigintaduum] gallæ pondo denarium sexdecim.alij octo. aluminis rotundi denarium pondo sex.chalcitidis denarium pondo sex.squamæ æris denarium pondo sexdecim.chalcanthi denarium pondo octo. resinæ siccæ denarium pondo octo. aceti cōgios quatuor. caniculæ sub ęstu æreo mortario & cochleario leuigant. Quòd si æreū mortariū non habeas, squamæ minam inijcito, quæ ualet denarijs centum.

Pastillus cognomento Bithynus in Sicilia confectus, ad nomas, fistulas, pterygia, cum cerato facit ad herpetas, erysipelata, & alia. 23

Mali punici corticis denarium pondo sex. gallæ denarium pondo sex. iridis Illyricæ denarium pondo quatuor. aristolochiæ denarium pondo sex.chalcanthi denariū pōdo trium.aluminis fissi denarium pondo sex.chalcitidis denarium pōdo sex.misyos denariū pondo trium. nitri denarium pondo duum.thuris denarium pondo duum.cadmiæ denariū pondo sex. æris squamæ denarium pondo quatuor. chrysocollæ denariū pōdo duū. ex aceto sub Caniculæ æstu præparato.

Pastillus ad condylomata, & ani inflammationes, & pterygia. 24

Thuris, acaciæ, stimmeos, singulorū denarium pondo duum.æruginis, myrrhæ, opij, papaueris, gummi, nardi celticæ, singulorum denarium pondo duum.ex uino austero trita inunguntur.

Arida uariæ speciei seu generis, à prænominatis authoribus indicata, quibus singula conueniant. Cap. IX

Quæ scripsit Andromachus in calce operis De exterioribus.

Aridum exedens sine morsu. 1

Sandarachæ denarium pondo duum.arsenici denarium pondo duum.calcis uiuæ denariū pondo iiij.mannæ denarium pondo iiij.tritis utitor.

Facultas sanguinem comprimens, qua utor. 2

Chalcitidis, misyos, mannæ, singulorum denarium pondo quatuor, alij duum.tritis utitor.

Flaua, qua utor. 3

Chalcitidis pondo denarium centum.atramenti sutorij, Græci uocant chalcanthon, denarium pōdo quinquaginta.misyos torrefacti denarium pondo uigintiquinq;.æris combusti denariū pondo duodecim & s.leuigatis utitor.

A *Sanguinem supprimens Magni.* 4

Misyos cyprij denarium pōdo septē. attramenti sutorij totidem.corticis piceæ denarium pōdo iiij.mannæ thuris denarium pondo iiij. squamæ æris denarium pondo iiij.æris usti denarium pondo xv.chalcitidis denarium pōdo xv. calcis uiuæ denariū pondo octo.alij denarium pōdo quadraginta.gypsi torrefacti denarium pondo quatuor. alij quinq;.tritis utitor.

Sanguinem cohibens Aphrodæ. 5

Chalcitidis denarium pondo sex. mannæ thuris denarium pondo duum. resinæ terebinthinæ, frictæ, singularum denarium pondo quatuor.utere tritis ad hæmorrhoidas.

Aliud ut Harpocras. 6

B Sandarachæ denarium pondo duum. arsenici denarium pondo quatuor. calcis uiuæ denarium pondo octo.pastillos fingito ex aqua diebus quadraginta terens, & sic inungito.

Aliud ad hæmorrhoidas quo utor. 7

Arsenici denarium pondo octo.sandarachę denarium pondo octo.elaterij denarium pōdo quatuor.thapsiæ denarium pondo duum. chrysocollæ denarium quatuor.calcis uiuæ denarium pondo quatuor.tritis utitor.

Aridum Galli, uarij usus, ad pterygia. 8

Argenti spumæ denariū pondo octo. ęruginis denariū pondo x.leuigatis utitor: commendatur.

Ad pterygia bonum. 9

Chalcitidis, caricarum combustarum, malico-
C rij, squamæ æris, singulorū pares portiones. cum opus est, mel coctū misceto. emplastri modo imponito: alternis diebus soluito, detergens: nō madefaciens, nec respergens.

Florida qua utor. 10

Sandarachæ denarium pondo trigintaduum. alij sexdecim. aluminis fissi, myrrhæ, fæcis croci, singulorum denarium pondo sexdecim.iridis totidem. cyperi denarium pondo sexagintasex.

Florida Magni. 11

Casiæ denarium pondo uiginti quatuor.aluminis fissi, gallę, soreos, misyos, singulorū denarium pōdo quatuor.sandarachæ denariū pondo octo. malicorij denarij pondo unius. myrrhæ obolos quatuor.cinnamomi obolos quatuor.croci dena-
D rium pōdo duum.myricæ fructus denarium pondo duum.tritis utitor.

Aridum capiti accommodum. 12

Iridis denarium pondo quatuor. thuris, panacis, aristolochię, singulorū denariū pondo duum. tritis utitor, etiam ad nomas.

Aridum cicatricem inducens. 13

Ostreorum cōbustorum denariū pōdo duum. mannæ denarij pōdo unius, cadmiæ obolos tres. contritis utitor, & ad nomas.

Aliud Aridum cicatricem inducens. 14

Piceæ corticis denarium pondo sex.mannæ denarium pōdo sex. aristolochiæ denarium pondo sex.pumicis, resinæ, singulorum denarium pondo quatuor.iridis Illyricæ denarium pondo duodecim.leuigatis utitor.

Aliud cicatricem ducens, & ad cacoethe. 15

Piceæ corticis denarium pondo sex. cornu ceruini combusti denarium pondo quatuor. cadmiæ denarium pondo duodeuiginti. cerussæ, mannæ, singulorum denarium pondo quatuor. æruginis rasæ denarium pondo duum. contritis utitor.

16 Aliud, Gallæ denarium pondo quatuor. cerussæ denarium pondo octo. myrrhæ pondo denarium quatuor. argenti spumæ denarium pondo octo. retrimenti plumbi denarium pōdo quatuor. trita usurpantur.

Maiæ siue obstetricis, generosum ad condylomata & rhagadas. 17

Gallæ, molybdenæ, singulorum denarium pōdo octo. myrrhæ, cerussæ, singulorum denarium pondo quatuor. tritis utitor.

Onetor id est auxiliator ad omnia. 18

Iridis loco molybdænæ, argenti spumæ duas partes iniicito. reliquorum cuiusq; unam.

Aridum exedens, Lecanij Arei. 19

Arsenici pondo libram. calcis uiuæ denarium pondo duū. in aqua terito diebus triginta, mutās quotidie bis aquā in sole: deinde resiccatis utitor.

Encathisma quasi insessio, id est quod insessu curat hæmorrhoidas, Phanij. 20

Atramenti sutorij, aluminis fissi, chalcitidis, misyos crudi, sandarachæ, singulorum denariū pondo quatuor. trita omnia habeto. ubi usus uenerit, ueterem urinā salitam uiri unius sextariorū duorum mensura in fictilem peluim iniicito, medicamenti uero denarium pōdo duodecim superfundito urinæ, ut semper duo sextarij seruentur. hoc utitor insidens diebus septem. nam in his actionē promouet. ubi sordidum in fundo substiterit, anum circumlinito.

Aridum carnes cicatrice obducens citra erosionem, Harpocratis. 21

Sandarachæ, chrysocollæ, arsenici, pares singulorum portiones. item ad cacoethe facit.

Pastillus ad nomas, dictus Asclepius. 22

Chalcitidis, arsenici, pares portiones. calcis uiuæ duplum. Habet etiam sandarachæ æqualem reliquis portionem.

Ad ani uitia. 23

Alumine liquido nucis magnitudine cum mellis cyathis duobus cocto utitor.

Siccum ad nomas, quo utor. 24

Squamæ, arsenici, chartæ cōbustæ, plumbi usti, singulorum denarium pondo quatuor. sulphuris ignem non experti denarium pondo quinq;. leuigatis utitor.

Aliter. 25

Squamæ, arsenici, sulphuris, plumbi combusti, æris, singulorum denarium pondo quatuor. sandarachæ denarium pōdo quatuor. æruginis denarij pondo unius. chartę combustę denariū pondo quatuor. utitor cum rhodino uel melle.

Crispi odoriferum ad nomas. 26

Squamæ, arsenici, sandarachæ, singulorum denarium pondo duum. gallę denarium pondo quatuor. myrrhæ denarij pondo unius. thuris tantundem. atramenti sutorij denariū pōdo duū. chartæ

A cōbustæ denariū pōdo quatuor. leuigatis utitor.

Antipatri ad nomas. 27

Chrysocollę pondo uncias sex. arsenici pondo uncias sex. arido utitor & cum rhodino.

Aliud ut Alcimion. 28

Arsenici denarium pondo duum. squamæ denarium pondo trium. chrysocollæ denarij pondo unius. sicco & cum rhodino utitor. aqua dilutum cicatricem ducit cum cerato rhodino.

Aliud Publij ad nomas. 29

Calcis uiuæ denarium pōdo quatuor. arsenici, squamæ, chalcitidis, sandarachæ, singulorum denarij pondo unius. tritis utitor. nonnulli sandarachæ denarij pondo unius, & dimidij.

Medicamen ex plantis, ad nomas probum. 30

B Mali punici corticis, chrysocollæ, aloes, singulorum denarium pondo quatuor. arsenici, sandarachæ, singulorum denarium pondo duum. aluminis fissi denarium pondo quatuor. chalcitidis denarium pondo quatuor. myrrhæ siccæ denarium pondo octo. oleæ siccæ foliorum tantundem. tritis utitor.

Aliud Alcimionis. 31

Myrti syluestris denarium pondo octo. malicorij, oleæ foliorū, myrti nigræ, & corticum, singulorum denarium pondo duodecim. spinarum cineris denarium pondo octo. ficulnei cineris denarium pondo sedecim. orcheos herbę denariū pondo octo. arido cum melle utitor.

Aureum quo utor. 32

C Malicorij denarium pondo uigintiquinq;. aluminis fissi denarium pondo decem. atramēti sutorij, misyos, singulorum denariū pondo octo. squamæ denarium pōdo sexdecim. gallæ denariū pondo quindecim. melanteriæ ex clauis confectæ denarium pondo quinq;. chalcitidis, æris combusti, singulorum denarium pondo octo. leuigatis plurimum ex aceto utitor.

Aliud recens efficacius ad nomas, Philini: inalterat, & pus educit. 33

Aphronitri pondo libras duas. mellis tantundem. aphronitrum melle subactum urito, deinde leuigato, admisceto iridis Illyricæ pondo uncias sex. trito utitor, & cum melle.

Aridum erodens. 34

D Arsenici, sandarachæ, singulorum denarium pondo duum. calcis uiuæ denarium pondo quatuor. alij trium. leuigatis utitor.

35 Aliud, Calcis uiuæ, arsenici, atramenti sutorij, singulorū pondo denarium quatuor. ex aqua calida plurimum terito: resiccatis ac tritis utitor.

Aridum erodens Melitonis. 36

Auripigmenti, sandarachæ, calcis uiuæ, pumicis, singulorum denariū pondo quatuor. in aqua triginta diebus conterito, sed quotidie illā mutata. ubi inaruerint tritis utitor.

Aridum insigne ad hæmorrhoidas præclari Apollonij Tarsensis. 37

Chalcitidis ustę, squamę, arsenici cōbusti, atramenti sutorij, singulorum denarium pondo quatuor. diphrygis denariū pondo duum. soreos cōbusti obolos quatuor. argenti spumæ combustæ

obolos iiij. aluminis fissi denarium pondo iiij. æris usti tantundem. leuibus factis utitor.

Quæ Asclepiades in librorum quinto De exterioribus, quos Marcellas inscribit, arida conscripserit. Cap. X

Andromachus arida, quæ affectui cõueniunt, ijs quæ affectis prosunt, admiscuit. Verum Asclepiades in quinto seorsum quæ ad affectum cõducũt: seorsum item quæ parti affectæ utilia sunt, exposuit. Nam parte omissa, tradidit cicatricem ducentia, crustas inferentia, ad nomas conuenientia & carbunculos, tum quæ uocãt à sanguine continẽdo, ischæma. Cum loco autem affecto, quæ ad polypodem, ozenas & sanguinis profluuia ex naribus, ad oris nomas, gingiuas humidas, in genis duras excrescentias, ad paronychia, pterygia, ani rhagadas, & hæmorrhoidas. Quædã etiam à parte affecta denominationẽ sortiuntur: conueniunt tamen & alijs partibus, cuiusmodi quoꝗ Cephalica, id est capiti succurrentia à medicis dicta, quæ eximie ossibus cõducunt: quanquã & totius corporis exulcerationes carne replere possunt. non enim capiti quatenus caput est, prodesse sunt nata. Nimirum etiam nisi os denudatũ sit, usum ipsorum non requirimus: sed in nudatis quoniam pinguia pharmaca uitamus, siccis solis utimur, fugiẽtes Emmota à medicis Græce appellata, quòd linamentis inunctis offerantur. Quemadmodũ autem ossibus in capite denudatis usus ipsorũ aptissimus est, ita etiam in alijs omĩbus denudatis ossibus, siue brachij, siue cubiti, siue radij, siue femoris, siue tibiæ. Quare nos etiam arida Asclepiadi scripta deinceps prodituri, cum ipsum prima omnium cephalica scripsisse inueniamus, prima ponemus, quod non solum ossibus in capite denudatis, uerũ & alijs omnibus simili modo affectis ipsa sint accommoda: deinde quæ cicatricem ducunt percensebimus omnia his interiecta, prætergresſis quæ affectum locum attingũt: postea quę prædicto iam mihi ordine sequuntur, omnia aggrediar. Nõnulla sane ex siccis medicamentis duplicem usum obtinent, ut & siccis ipsis uti possimus, et cum alijs quibusdam mistis, sicut idem Asclepiades quoꝗ indicat.

Arida Cephalica. 2

1 Aridum Cephalicũ, quo usus est Lucius præceptor. tollit squamas, ossa corrupta educit, caua implet. medicamentum pingui caret. Iridis Illyricæ, panacis, singulorum denariũ pondo quatuor. aristolochiæ denarium pondo duum. mannæ tantundem. alij sine aristolochia. omnia contunduntur, & cribrantur. uti licet per se & cum melle.

Medicamentum ex silphio, callosa consumit, & sordida purgat, & caua replet, ulcerum relictas tuniculas exedit. 2

Resinæ pityinæ siccæ denarium pondo duodecim. pumicis torrefacti uino restincti, iridis Illyricæ, aristolochię, singulorum denarium põdo viij. silphij denarium pondo quinquaginta. æris squamæ denarium pondo duum. thuris denarium põdo quatuor. arido & cum melle utitor.

Medicamentum ex eruis, Xenocratis. 3

Erui fului farinæ denarium pondo viij. Illyricæ

A denarium pondo decem. mannæ denarium pondo quinque. aristolochiæ denarium pondo quinque. squamæ tantundem. tritis & cum melle utitor. Aliæ lectiones habent: bryoniæ radicis denarium pondo viij. mannæ, squamæ, iridis, singulorum pondo denarium duodecim. erui denarium pondo decem. aristolochiæ longe denarium pondo quindecim.

Medicamentum quod ex Serapiade inscribitur. squamas tollit, carnem facit, ex ijs quæ ualde resiccant. 4

Serapiadis orcheos, iridis Illyricę, marrubij sicci, singulorũ denarium pondo viij. erui farinæ põdo denariũ decem. aristolochię denarium pondo octo. sicco & cum melle utimur.

Tryphonis Cephalicon, aufert squamas. 5

B Piceæ corticis, squamæ æris, pumicis cõbusti, singulorum denariũ pondo sex. mãnæ, thuris, aristolochiæ, iridis Illyricæ, resinæ pityinæ, singulorum denarium pondo quatuor. myrrhæ, aloes, singulorum denarium pondo duum. sicci & cũ melle usus est. in Athenæi scripturis sine piceæ corticæ medicamentum est. habet autem & gallæ pares mannæ portiones.

Aridum cicatricem inducens Asclepiadis. 6

De omnibus ulceribus recentibus & uetustis curatu facilibus, & difficilib. in medicatoriæ Methodi libris tertio & quinto disseruimus. Quinetiam in huius operis prioribus, cauorũ ulcerum, sine omni casu pharmaca carne replentia, uirtutẽ tersoriã sine ullo morsu obtinere docui. Quæ au-
C tem cicatricem inducunt, cum eo, quod citra erosionem astringunt, magis exiccare, quæ uero supercrescẽtem carnem tollunt, calida esse & acria. Quinetiã quæ optima esse inter ea quæ cicatricẽ ducunt existimem, tum in commentario De morbis curandis prædixi, ubi omnium affectuum curationis methodi ostensæ sunt, tũ prius in hoc pręsenti opere, cum de ijs quæ ulceribus cõueniunt ageretur. Asclepiades aũt pharmaca sicut & Andromachus cicatricem inducentia conscripsit, nõ distinguens, utrum nullo alioqui malo conflictãtia ulcera, an quæ proprie ægre ad cicatricem ueniẽntia dicuntur, quæ permultum inuicem differre ostendimus, cum singula proprium curationis scopum habeant. In quibusdam tamen ascripse-
D runt, quòd ad cacoethe faciant, uel rursus ad condylomata & rhagadas. At quanquã Asclepiades magis Andromacho distinguere soleat, tamen in his quæ cicatricẽ ducunt, distinctionẽ nullam posuit. Verum quæ ego recẽsui, tũ in medendi Methodo, tũ in hoc opere, indicabunt si mentẽ adhibeas, quomodo singulis descriptis utendum sit.

Aridum cicatricem inducens Asclepiadis cineritium, quòd cineris speciem referat nominatum, ex Magni medicamentis.

Calcis uiuæ denarium pondo sex. mannæ thuris, squamæ, singulorũ denariũ pondo quatuor.

Aliter.

Calcis uiuæ denarium pondo duodecim. squamæ, mannæ, singulorum denarium pondo quatuor. sed ut Archibius uult squamæ denarium pondo viij. mannę denarium pondo viij. uel quatuor.

in aliis scripturis calcis uiuæ denariũ pondo viij.

Vt Heliodorus.

Calcis uiuæ, mannæ thuris, singulorum denarium pōdo viij. squamæ denariũ pondo quatuor.

Fuluum cicatricem ducens. 7

Misyos torrefacti denariũ pōdo viij. squamæ æris, denarium pondo decem. mannæ denarium pondo sex. tritis utitor.

Magni, cicatricem ducens. 8

Diphrygis, squamæ, singulorum denariũ pondo quatuor. Illyridis, manne, singulorũ denarium pondo duum. contritis utitor.

Medicamentum ex pumice. 9

Pumicis torrefacti uino restincti denarium pōdo octo. squamæ, mannæ, singulorum denarium pondo quatuor. iridis, resinæ pityinæ siccæ, singulorum denarium pondo quatuor. tritis utitor.

Aliud Ptolemæi celebris. facit & ad curatu difficilia. 10

Piceæ corticis denarium pōdo sex. cadmiæ tostæ denarium pondo viij. squamæ, cornu ceruini combusti, mannæ, singulorum denarium pondo quatuor. tritis utitor. In aliis exēplarib. habetur, plumbi combusti & eloti denarium pondo quatuor. molybdænæ denarium pondo octo.

Arida crustas inducentia. 11

Diximus quoq; hæc acris & adurentis esse potentiæ. Quare etiam usus ipsorum est, tum in his, quę propter nimiam humiditatem ac intēperiem partis affectę, tũ propter putredines partibus quibusdam innatas proueniunt.

Crustas obducentia, Asclepiadis.

Melinon Lucij præceptoris quod crustas inducit, callos excindit inspersum, & appressum summo specillo. compescit autem, & difficilibus curatu cicatricem inducit, si quis tenuiter trito medicamento utatur, nimirum puluillo instar lanuginis utēs. chalcitidis crudæ, cadmiæ, singulorum denarium pōdo quatuor. ieiunus cum saliua excipito tantum, ut solum ipsum pharmacum humectet. Deinde collige, & operculo cludēs, sine melinũ fieri: ubi in umbra desiccaueris, leuiter circũferens pistillum, trita excipito, sicut prædictũ est. Apud alios uocatur medicamentum fuscum, excipitur aceto quamacerrimo, & siccatur leuigaturq;. In aliis scripturis sicut Eunomus Asclepiades usus est: Habet autē sic: Chalcitidis denarios duodecim. cadmiæ denarios sex. sandarachæ tantundem aceto excipiuntur.

12 Aliud, Chalcitidis, chalcāthes, cadmiæ, singulorum tostorum paria pōdera. excipito saliua.

Aliud, Quod inscribitur robustum. 13

Chalcitidis tostæ, chalcanthi, sandarachæ, cadmiæ, singulorum pondo denarium octo. sicca inspergito.

Quod ex quatuor constat. 14

Chalcitidis tostæ, misyos tosti, diphrygis, cadmiæ singulorum pondo denarium quatuor.

Crustam inducens ualde generosum. 15

Aluminis fissi, atramenti sutorij, gallarum, misyos cyprij, singulorũ denarium pondo sedecim. soreos denarium pondo quatuor. cōtritis utitor.

Accommodatum ut Eunomus. 16

Misyos peregrini denarium pōdo sedecim. soreos denarium pondo duodecim. æris combusti denarium pondo duum. lapidis fissi combusti denarium pōdo octo. atramēti sutorij, sandarachæ, aluminis fissi, singulorum denarium pōdo iiij. tritis utitor inspergens, & specillo comprimens.

Ad nomas. 17

Putrida ulcera cũ ambientes partes depascunt, nomas proprie appellant: ac cōstat tales affectus uehementissimis medicamentis indigere: nam in ipsis sæpe etiam cauterijs utimur.

Ad nomas, Asclepiadis. Pharmacum Lucij præceptoris ad nomas. 18

Sulphuris uiui, auripigmenti, squamæ, singulorum denarium pōdo duum. æris combusti, quãtum color exigit. arido & cum melle utitor.

Publij præceptoris. 19

Auripigmenti denarium pōdo quatuor, squamæ denarium pōdo duum. elaterij denarij pondo unius, chartæ quantum ad colorem satis est. ut autem Eunomus usus est, arsenici, squamæ, singulorum denarium pondo quatuor. sulphuris uiui, elaterij, singulorum denarium pōdo duum. chartæ cōbustæ quãtum ad colorem sufficit. [in aliis scripturis est, sandarachæ denarium pondo quatuor. squamæ denarium pondo sex. arsenici denarium pōdo quatuor. elaterij denariũ pōdo duum. chartæ combustæ denarium pondo quatuor.]

Ex scriptis Arei medicamentum ad nomas, quod etiam sordida purgat citra morsum rosaceo dilutum. facit etiam ad uuluæ erosiones. dedit Theotropus. 20

Arsenici, chartæ combustæ, plumbi usti & eloti, squamæ æris, singulorum denarium pōdo quatuor. Singula per se teruntur. postea simul miscentur. utitor ad prædictos affectus. Ptolemæus autē ita usus est. plumbi combusti, arsenici, squamæ, chartę combustæ, singulorum denarium pondo quatuor. sulphuris uiui denarium pondo duum. tritis utitor.

Vt autem Apelles.

Medicamentum accōmodatum, quod ex charta inscribitur, nomas non solum sistit, sed etiam incipientes prohibet. facit & ad dysentericos, infusum cum rosaceo. Cum autem ait instillatũ dysentericis, suspitionem subesse de nome indicatur. Compositio ita habet. Chartæ combustæ, plumbi combusti, æris combusti & eloti, arsenici, squamę stomomatis, singulorum æquas portiones, sulphuris uiui dimidium. tritis utitor uel cum melle, uel rhodino.

Moschionis ad nomas. 21

Elaterij, chartæ combustæ, squamæ æris, singulorum denarium pondo duum. auripigmenti denarium pōdo quatuor. æruginis scoleciæ, salis ammoniaci, singulorum denarij pondo unius. tritis utitor, & cum rhodino.

Odoriferum Lucij præceptoris. 22

Squamæ, gallæ, utriusq; denarium pondo quatuor. sandarachæ, arsenici, singulorum denarium pondo duum. myrrhæ, atramenti sutorij, utriusq; denarij pondo unius. thuris denariũ pōdo duum.

elaterij denarij pondo unius. chartæ combustæ quantum colorem efficit.

Non autem sic.

Squamæ, gallę, myrrhę, singulorum denarium pondo octo. sandarachę, arsenici, elaterij, singulorum denarium pondo quatuor. thuris denarium pondo trium. atramenti sutorij tantundem. chartæ quo colorem acquirat.

Vt Prasion.

Arsenici, squamę, singulorum denarium pōdo duum. chalcanthi denarij pondo unius. [sandarachæ denarium pōdo duum. myrrhæ, thuris,] gallæ, singulorum denarij pōdo unius. chartæ denarium pondo iiij. tritis & cum rosaceo utitor. Heraclides hanc scripturam habebat. Gallæ denarium pondo sex. arsenici, sandarachæ, squamæ singulorum denarium pondo quatuor. thuris, denarium pondo triū. chalcāthi tantundē. myrrhæ mineæ denariū pōdo duū. chartæ denariū pōdo viij.

Vt Cleobolus.

Squamæ, sandarachæ, arsenici, singulorum denarium pondo duum. myrrhę, thuris, atramēti sutorij, gallæ, singulorum denarij pōdo unius. chartam, ut colorem accipiat.

Ad carbunculos. Cap. II

Carbunculus ulcus est crustam cito cū inflammatione totius partis circumdatæ ualida faciens, ut & febres uehemētes, & extrema periculosa inferat. Quare ipsi crustæ ualens medicamētum imponere oportet, & ex his quæ ad nomas conducere dictum est. circumpositas autē partes cataplasmatis fouere, quæ æqualem uim habeāt, ut repellāt, & mediocriter refrigerent, & digerāt. Verum De cataplasmatis in proprio libro dictū est. Nūc ab Asclepiade scripta percensebimus.

Ad carbunculos medicamenta ab Asclepiade prodita, medicamentum Maßiliotæ. 1

Hoc propter uires exposuit, quòd carbunculos ad superficiem perducat, & multos auferat. Chrysocollæ, nitri tosti, lapidis asii, arsenici, sandarachæ, misyos tosti, chalcitidis, aluminis fissi, diphrygis, singulorum denarium pondo quatuor. trita omnia singillatim simulq; in uas æreum cyprium reponimus: dum usus poscet, imponimus, apprimentes spicilli latitudine, donec carbunculus nigrescat. Deinde supraponimus infrascriptū Viride, q̃d ita habet. Thuris, æruginis rasæ, squamæ æris, singulorum denarij pondo unius. aluminis fissi obolos quatuor. salis ammoniaci obolos quatuor. ceræ denarium pōdo septē, obolos tres. resinæ pityinæ aridę denarium pōdo quindecim. olei ueteris heminam unam. arida in sole cum aceto terūtur, quæ liquefieri possint, liquātur, & immittuntur: ubi rursus contuderis, assumēs utitor. Apud Demosthenem Massiliotam qui pharmacum composuit, olei habet duas heminas.

Apionis ad carbunculos. 2

Nitri rubri, arsenici, sandarachę, chalcitidis, atramenti sutorij, diphrygis, singulorū parē mensurā. aceto leuigētur, & exiccatis, rursusq; tritis utitor.

Apollonij organici. 3

Chrysocollæ, aluminis scissilis & rotundi, sandarachę, ochrę, misyos crudi, atramēti sutorij, singulorum denarij pondo unius. tritis utitor.

Florida Magni ad putredines nomas, carbunculos, pterygia, aures suppurantes. ualet etiam ad oris nomas. 4

Aluminis fissi denariū pondo octo. chalcitidis denarium pondo sex. sandarachæ denarium pondo trium. mali punici corticis siccæ denarium pōdo duum. atramenti sutorij denarij pondo unius. misyos denarium pondo duum. nitri omphacini sicci, singulorum denarium pōdo duum. sicco & cum melle utitor.

Aliud Diodori. 5

Gallæ omphacinæ denariū pondo quatuor. misyos, chalcitidis, auripigmēti, sandarachæ singulorum denarium pondo duum. aluminis fissi, atramenti sutorij, lapidis asii, diphrygis, nitri rubri, singulorum pondo denarij unius. tritis inspergito, comprimens specilli summo.

Sanguinem sistens Asclepiadis, Lucij præceptoris medicamentum confectum. 6

Chalcitidis denarium pondo sedecim. mannæ denarium pondo duodecim. terebinthinæ aceto subactæ. siccis consperge locos, unde sanguis profluit. in alijs inuenimus duo magis, chalcitidis denarium pondo octo. mannæ denariū pondo sedecim. terebinthinæ frictæ tantundem. Vt autem Dioscorides Tharseus tradidit Areo Asclepiadeo pharmacum mirifice sanguis profluuia comprimens. Chalcitidis denarium pondo octo. mannæ denarium pondo sedecim. resinæ siccæ denarium pondo octo. gypsi tantundem. alia contunduntur, cribrantur, miscentur, in ærea pyxide reponuntur. ubi usus postulat, pares portiones medicamenti cum gypso miscentur.

Ex libris Heraclidis, medicamentum ad hæmorrhoidas, hoc usus est ad sanguinis ex naribus profluuia, lanam intingens & cōuoluens, tanquam ellychnium. 7

Acidi mali punici corticis pondo uncias tres. aluminis Aegyptij pondo uncias quatuor. chalcitidis pondo unciam. tritis utitor, naribus uero lanam medicamento repletam imponito.

Hercules cognomento, ad sanguinis eruptiones, hoc loco cauterij usus est. crustam autem inducit. facit etiam ad pterygia, reprimit omnem excrescentiam, ossa educit, squamas discedere facit. 8

Soreos atramenti sutorij, chalcitidis ustæ, singulorum denarium pondo quatuor. tritis utitor.

Sanguinem sistens accommodatum. 9

Misyos peregrini denarium pondo sex. atramenti sutorij totidem. piceæ corticis, chalcitidis, singulorum denarium pondo quatuor. mānæ denarium pondo uiginti. gypsi denarium pondo quatuor. tritis utitor.

10 Aliud, Thuris pondo unciam. misyos peregrini pondo denarium quatuor. gallæ omphacinæ denariū pondo quatuor. chalcitidis denarium pondo quatuor. suberis combusti denarium pondo octo. rhu coriariæ denarium pondo quatuor. tritis utitor.

De emplastris polychrestis, quæ simul ad putrescentes particulas, sepedones & nomas prosunt.

Proœmium. Argumentum huius & præcedentis libri. Sepedon. Nomæ unde dictæ. phagedænæ quæ exedant. Cura malignorum per morsus expertia, putridorum per mordentia. Libri de facultatibus simplicium, in quibus exercitatus aliquis, & alijs recte uti, & noua componere poterit. De medicamentis quæ denouo componuntur, ratione primum: deinde experientia accedente, si quid deesse uideatur, emendari potest, idq; si opus sit iterum atq; iterum. Cap. I. De emplastro ex herbis secundum Critonem. (Vide infra cap. 4. & 6. ab initijs. ubi hic legit̃ πρασίου, id est marrubij, infra capite sexto habetur prasu, id est porri.) Herbæ acres. Loci unde colligendi. Frigidæ herbæ, & de reliquis ingredientibus. 2. Adhuc de eodem emplastro. Quis sit scopus communis in ulceribus lepræ. Sarcotica quæ, & epulotica, quodq; uarient dum pro ulceris puritate aut sorditie, & pro sensu uel exiguo uel exquisito, mitiora aut fortiora adhibentur.

II. De emplastro è scylla, &c. secundum Critonem. Ordo procedendi in cura ulcerum putridorum. 2. Acria omnia cerato mixta, sarcotica fiunt. Cum uero iam purius euasit ulcus, & nos magis carne implere uolumus, plus cerati addendum, tantum scilicet ut ne amplius mordeant, neque iam minuant, sed augeat carnem. Cerati proportio. Non diuersus est scopus, si pro diuersis circunstantijs plus uel minus cerati acribus pharmacis misceatur. Quæuis acria emplastra huic similia, multo cerato admixto, sarcotica & epulotica in ulceribus malignis fiunt. III. Critonis emplastrum ex cote. Quod perquam calidum sit. Cur adiecta ei sint adstringentia simul & discutientia, & quid utraq; per se sola efficiant. 2. De cæteris Critonis emplastris. Aniceti titulus, usus, & compositio. ῥυτινοκήρου, id est resinæ cum cera mixtæ quadruplex differentia. impetigines feræ, & quibus remedijs iuuentur. De simplicibus in hoc emplast. acrib. abstergentib. stypticis. Caricarum decoctũ. Acetum. IIII. Emplastrum ex herbis secundum Heræ descriptionem quid à Critonis differat. (Vide ca. 1. & 6.) V. Emplastrum Serapionis secundum Critonem. VI. Emplastrum ex herbis secundum Andromachũ. (Vide cap. 1. & 4.) 2. Alia duo Andromachi emplastra eiusdem generis.

VII. Fusca polychresta scriptura hæc præmittit. de remediorum inuentione triplici: & de coniecturalis spei uel expectationis differentia secundũ magis & minus. Vniuersalem simul methodum & exercitationem in particularibus cõiungi oportere: ut quis & aliorum remedijs recte uti, eaq; minuere, mutare, & ipse noua componere possit: & etiam sine titulis ueterum compositiones, quo pertineant iudicare. Methodum uniuersalem à nemine ante ipsum scriptam esse, neq; remedium ad puncturam nerui ab acuto aliquo, ut stylo. Quomodo quis compositi uires conijciat ex naturis simpliciũ: cuius exemplum mox subijcitur in 2. parte. 2. De fusco emplastro Aegyptio usq; ad finem: de quo etiam in sequente cap. 8. & infra cap. 9. Primum autem reprehendit Andromachum, ꝙ plerasq; compositiones simplices scripserit, nec uires & usus aperuerit. 3. Prædicti fusci uires ab Andromac. omissas ipse inquirit ex simplicium naturis, in hac & quarta parte. Cotyla põderis nomen incertum. Pondus libræ Romanæ oleariæ. Libram & unciam aliam esse ponderis, quæ nimirũ semper eadem est: aliã mensuræ, quæ pro liquoris diuersitate uariat. Quæ proportio oleo & lithargyro in prædicto emplastro cõueniat: cotylam nouẽ unciarũ ei cõuenire. Si parum olei sit, nõ satis tenax fieri emplastrũ: & ꝙ si nimium coquat̃ lithargyrus, nigrescat. Resinæ admixtio. Cera alba. pro cicino aliud uetus oleũ discutiẽs.

4. Vis prædicti emplastri, discutere crassa, & pus etiã, mollire, siccare, uulnera glutinare (ratione squamæ æris & stomomatis) & alia nõ pauca ulcera & apostemata iuuare. ammoniacũ. pharmacorũ qualitates primæ, secundæ, tertiæ. Simplicia huius emplastri. Styptica & discutiẽtia quãdo miscenda, quãdo nõ. Emplastrũ è sale. Anacollemata. Neruis nudatis & abscissis quæ pharmaca cõueniant. Emplastra huiusmodi emmota potius & liquata admouenda ꝗ̃ sicca. Quid differant medicamina quæ nudatis neruis, & quæ puncturis tantũ conueniũt. Acria circa uulnus ponẽda, neruo nudato: in ipso aũt uulnere quæ abstergũt & laxãt cũ astringẽtibus mixtis. VIII. De eodẽ fusco Andromachi secũdum Asclepiadẽ & Critonẽ, quidq; intersit inter ipsos & Andromachũ. Coctio eius. Vtilitates. 2. Alia duo emplastra Andromachi, Minerua, & punctoriũ. ꝙ multa alia emplastra ad diuersos usus Andromachus scripserit uirib. nõ expressis, è quib. tria tantũ recẽset, quorũ unũ anodynõ inscribit̃. 3. Iterũ reprehẽdit Andromachũ, & optimũ quoddã eius polychrestũ cũ calce pharmacũ amici cuiusdã sui experimẽtis probatum describit. Calx. Olei ad cætera proportio. Alia duo fusca, quorũ prius similiter calcẽ recipit. 4. Alia tria Andromachi fusca, s. phthirophagũ, Irionis, & Hellespontiũ: quod ultimũ etiã cũ Heræ descriptiõe cõfert. IX. De polychrestis emplastris senarij Damocratis: & primũ de Tyrio. 2. Aliud eiusdẽ. 3. Aegyptiũ eiusdẽ. uide supra ca. 7. part. 2. œsypus quomodo urat̃. 4. Eiusdẽ aliud simile Aegyptio, ad eadẽ utile: pro lithargyro molybdænã aliqñ iniecit. X. De discutientib. & attrahentib. emplastris: quæ sit eorũ materia: quæq; formæ emplastri gratia admisceant̃. Cur eisdẽ astringẽtia à quibusdã addant̃. Obiter, sarcotica fieri tũ prædicta, tũ ualide abstergentia, si ceratũ ei misceat̃. Astringẽtia sarcoticis nõ cõuenire. 2. Emplastra discutiẽtia & attrahentia quæ Andromach. scripsit, num. 33. 3. Attrahẽtia emplastra quæ Asclep. scripsit, num. 8. 4. Eiusdẽ discutientia 10. 5. Damocratis senarij de discutientibus quinq;.

CLAVDII GALENI DE COMPOSITIONE MEDICAMENTORVM PER GENERA LIBER VI.

PROOEMIVM.

SVPERIORE cõmẽtario emplastra dicta grecè polychresta, ꝙ multis cõueniant affectibus, distinguẽtes, ea collegimus quę preterꝗ̃ alijs, etiã ulcerib. ægre ad sanitatẽ peruenietib. mederi pollicẽtur: in pręsentia uerò ad aliud ẽplastrorũ genus multiplici usui accõmodatũ digrediar, quę singula tũ ad alia multa faciũt, tũ ad particulas putrescẽtes aliter affectas ꝗ̃ ulcera quę proprie curatu difficilia nũcupant̃. Etẽm has putrilago depascit̃, eoq; turba medicorũ hos affectus nomas appellat: illa uerò uno loco sine putrilagine circũscripta sunt, ut et phagedenę dictę, uicina quidẽ depascũt, nõ tamẽ ea putrefaciũt, febresq; inferũt, ꝙ ijs quę depastionẽ cũ putrilagine sustinẽt, accidere cõsueuit. Sũma curatiõis erat in præ

dicto ulcerũ ægrè curabiliũ genere (chironia q̃cq; A uocãt) medicamẽta inuenire, quatenus licet rosionis expertia, ualide aũt exiccãtia. at hęc quę nũc scribent, omnia mordacia sunt, si quis ipsis solis, nõ cerato tẽperatis utať. Quæ aũt cerato miscent purgare quidẽ ulcus sordidũ et carne replere possunt: atq; etiã duritiẽ quandam & tensionẽ discutere, nõ aũt difficilia curatu sanare. Indicãt ipsorũ uirtutẽ affectus quib. bene adhiberi credita sunt. Quod iã superius admonui, & nũc dicturus sum: meminisse uidelicet oportere illorũ quę in opere De simplicib. medicamẽtis prodita sunt. In cuius primis libris methodũ seu rationem exposui, qua medicaminum facultates inueniant: simul quoq; in plurib. exẽplis eius exercitatione proposita: in sequentib. uero singulorũ nominatim mentionẽ B feci. Nam illorũ memor, ex facili ratione eorũ qui hæc pharmaca à nobis modo proposita cõposuerunt, assequeris, & uidelicet ipse quoq; alia conficies, quocũq; tempore prius expertorũ inopia laboraueris, multa siquidem huiusmodi nõ paucis cõtingunt in itinere, cum alio, tũ maxime nauali. Quandoquidẽ etiã in patria quidã manẽtes, pharmacorum apparatũ, unde ægros curabant, amiserunt, ut præ tristitia ipsi tabefacti, perierint. Optimum igitur medicamenta iam explorata secundum dictam methodum usurpare: sin aũt, ut dixi nõnunq; hæc desideremus, habitũ talem nos habere: quo similia iam abunde expertis possimus cõponere: quemadmodũ & me sæpe agentem in C itinere & alibi uidistis. Nõnulla igiť quæ proprio marte in huiusmodi temporũ occasionib. cõdidi, postq; experientia probassem, nihilo peiora uel celebratissimis apparuerũt. Nam primã ipsorum compositionem ex cõiectura artificiali molimur: postea uero cũ nõnulla per experimentũ probatissima uisa fuerint, nõnulla à scopo absint, secunda rursus correctio fit, & tertia nonnunq; qua ad perfectionem eius quod præstare uolumus, ipsa redigimus. at sine methodo, & in prioribus, & in Therapeutices libris exposita uti prædictis recte nemo potest: tãtum abest ut similia ipsis cõficiat. Iam igitur huiusmodi emplastra exordiar.

CAP. I Emplastrũ ex herbis appellatũ, prope omes, qui insignita emplastra in uno libro uel plurib. collegerũt, tradidere: nõ multũ in misturę sim- D plicium pharmacorum symmetria discrepantes. Incipiam ergo & hic à Critone emplastra prius illa cõmemorans quæ in quarto De simplicib. medicamentis ita ad uerbum literis mandauit.

Emplastrum ex herbis, quo utor.

Facit ad carcinomata, putredines, strumas: ad suppurationẽ perducit & exprimit: lepras amouet, furũculos soluit, podagricis prodest, callosas durities emollit. Idẽ capiti cõducens sine foratione squamas tollit, ossa aliquatenus educit: idẽ ad recẽtia uulnera & ad nomas linamẽto exceptum ualet, repurgat, implet cũ rosaceo cerato: una ipsius parte ad duas cerati, interdũ tres uel quatuor adiecta. Cũ myrteo cerato duab. partib. uel trib. cicatricẽ ducit. Herbarũ ex siccis locis maritimis, anagallidis quæ cœruleũ florem habet, papaueris ceratitidis, marrubij, alterci foliorũ tenerorũ, singulorum denariũ põdo quinquagintasex. hæc in pilam seu mortariũ coniecta terunť: in alio aũt mortario habenť squamæ æris rubri denarij xxv. mannæ denarij xx. resinæ pityinæ siccæ denarij xvi. aloes totidem, fissi aluminis denarij quatuor. rotundi totidem. Hæc in sole leuigãtur, ut sordiũ crassitudinẽ cum aceto habeant. Deinde herbæ mistæ, donec probe coeant terunť: postea cerattũ fit ex chiæ ceræ denarijs centũ: secundũ alios mina, olei ueteris heminis duab: ferue facito et misceto. Heras ita. Quidã uero duas anagallidas immittunt, aliqui & chrysocollæ & terræ eretriadis, & salis ammoniaci, & auripigmenti, singulorum denarios quatuor. Porrò quæ Asclepiades de hoc emplastro præceperit, tum quia in præcedenti libro indicata, tum quia his ferè similia sunt, superuacuũ mihi uidetur denuo de ipsis scribere, communem omnibus sermonem nunc aggressuro. Primum sanè qui medicamentum hoc cõposuit, herbis acribus usus est, ut humores prauos afflictis partibus infixos uehementer digereret: atq; ideo ex siccis & maritimis locis esse iubet. Contrarias autem ipsis alias frigidę uirtutis usurpauit, ad acrium uehementiam leniendam mitigandamq;: quales sunt altercũ & papauer. Habent eñi quippiam etiam doloris mitigatorium, puta stupidam refrigerationem propinquis partibus inferentes. Stupor enim mediocris dolorem soluit, ait Hippocrates. Apposuit autem ex metallis quoq; æris squamam, & alumen scissile, de quibus prius diximus: quod sanè utrunq; medicamen ulcerib. malignis conuenit. Aloen uero miscuit ex ijs quæ adstringunt, & sine morsu exiccant medicamentis. Item mannã ex ijs, quæ cõcoquunt, leniunt, & ad suppurationẽ perducunt: pityinã ceu materiam emplastro cõficiendo idoneam: sicut & ceram & oleum. At simul cum hoc acrium medicaminum uehementiam ipsa mitigant: pityina tamen etiam siccare potest, & quo siccior, hoc magis, qualem inijcere præcipit. Nõnullos ait miscuisse pharmaco chrysocollam & terram eretriadem, ambo curatu difficilium ulcerum remedia. E contrario sal ammoniacus, & quod auri pigmentum uocatur, propter acrimoniam ulcera natura apta sunt irritare: atqui etiam putridis conueniunt.

2 Proinde non admodum utile est propositum nobis in sermone pharmacum ad ulcera chironia. In quibus uero putredo aliqua subest, hanc comprimere idoneum est, saniem quæ illam facit discutiens. Eadem medicaminis potentia & strumis medetur. Verum quia detersoria quædam continet, ideo quoq; lepras purgat: etenim consilium in hoc affectu est, cutis induratam summam partem ueluti deglubere, id quod ea efficiunt quæ præter quàm quòd supra modũ siccant, etiam detergent. Nam si cutis uitium in naturalem habitum redire possit, nemo exiccatã supra modum siccaret. Quoniam uero quod leprosum iam est, curationẽ nullam habet: proximũ fuerit,

qui in omnibus insanabilib. scopus cõmunis est, incurabilem partẽ ex corpore excindere. Excinduntur autem nõnunquam ferro, interdum igni, nõnunq; medicamẽto, uel adurentibus, uel digerẽtibus simul & detergẽtibus, quale est modo cõ memoratũ. Quemadmodũ igit hic sermo omnis lepræ cõmunis est, sic & ille qui de carnis repletione tractat. Nã quia carne explẽtia dicta medicamẽta, sicut in tertio libro methodi de morbis curãdis ostẽsum est, uirtutẽ habẽt detersoriã citra erosionẽ: quæ uerò huius sunt materiæ, in hoc præsens pharmacũ nobis propositũ, partim abstergẽdi uim, partim lenitatẽ afferũt, Ideo liquidũ ceratũ ex cera resinaq; in oleo liquefactis cõfectũ ipsis miscemus. Siquidẽ cera & oleũ, ut acrimoniã obtundũt, ita sunt emplastica, id est quæ meatus oblinũt ac obducũt, eoq; sordes producũt. resina uerò morsus expers emplasticã uirtutẽ nõ habet, sed detersoriã: ulcerib. quidẽ iã mordacẽ, nõ ulceratis blandã & sine morsu. Cęterũ misturę symmetriã cõiectura quidẽ ante experientiã, uerũ sciẽtifice post experiẽtiã deprehẽdemus, noscemusq; simul purũ ulcus detersoriã uim sine morsu requirere: sordidũ ualidiorẽ, quippe cuius propugnaculũ est sordities, purũ aũt nudũ cõtingẽti occurrit. Quinetiã ex corporibus ipsis nõnulla sensibilẽ magis substantiã habẽt, quędã minus, alia molliorẽ, alia duriorẽ, quę ratio est, cur Crito in ꝓposito medicamẽto ad unã partẽ ipsius nõnunq; duas cerati, aliquãdo tres uel quatuor misceri iubeat: nõ tñ distincte pronũciauit, quãdo duas, quando plures adijcere oporteat, tanq; qui pharmaco ũtet, uersatus iã in arte sit, & quæ à me nũc dicuntur, secũ æstimare queat. Rosaceo quidẽ præparari ceratũ præstat, nõ tamẽ insignis excessus in huiusmodi ulcerib. est, etiã si oleo liquefiat: attamen in his quæ phlegmones quippiã habet, rosaceum oleo potius est. Porrò carne implenda omnino à phlegmone tuta sunt. Pulchre aũt Crito ascripsit in ulcerib. quæ ad cicatricẽ duci postulãt, myrteo oportere ceratũ præparari, ac in medicamẽtis carnẽ gignentibus, & in his quæ cicatricẽ inducunt. Etenim usus, & compositionis ipsorũ methodus, in medẽdi Methodi libris exposita est: in particularibus autem materijs exercitatio, cum huius sit operis, sequenti libro exponetur.

CAP. II Aliud deinde eiusdem generalis potentiæ emplastrũ his uerbis Crito cõscripsit. Aristolochiæ rotundæ denariũ põdo xxx. alij xv. iridis denariũ põdo xxx. alij xv. pityinæ siccæ denariũ pondo xxx. alij xv. ammoniaci, myrrhæ, styracis, squamæ æris rubri, singulorũ põdo denarium xv. scyllæ tostæ denariũ põdo centũ & octo, aceto acerrimo diebus quadraginta terito, quãdo caniculæ sidus orit. Squama primũ, & styrax, paulatim ex utroq;, deinde gutta ammoniaci, & æs, & scylla inijciunt, ut elaboret. paulo pòst resina, inde myrrha: cũ leuia facta fuerint, reliqua sicca miscentur. Expletis aũt diebus, eiusmodi ceratũ fingit. Ceræ põdo quinq;. alij denariũ põdo ducentorũ quadraginta. terebinthinæ põdo libram. alij

A denarium pondo xxx. olei sextarios duos & s. alij heminas sex. chalbani denarium pondo xxx. picis liquidæ tantundem. postremò chalbanum indito. deinde ubi refrigeraueris curiose excipito. Hæc quidẽ medicamenti compositio. De usu aũt eius hæc ad uerbum Crito scribit. Syncero medicamine utitor, in capitis fracturis, fistulis, nomis, & excrescentijs, item ad oscula ulcerum aperienda, & hypophorã, id est ulcus dehiscens. sin uoles diluere quo carni generandæ idoneũ fiat, & cicatricem inducat, parti uni medicamẽti duodecim cerati rosacei adijcito: in ambustis uni parti octo immittito. Hæc sanè de usu pharmaci Crito recte tradidit: tanquam acri ipso & aperiẽti & digerenti, ideoq; & exiccãti usus in fistulis, supercrescẽtia

B carnis, putredine, hoc est nome, & ad oscula aperienda, hoc est in sinib. & angustis orificijs. In capitis aũt fracturis cum sine foratione curationem molimur: sunt aũt tales, quæ adusq; mẽbranas cerebri nõ perueniũt: uerum carnis producẽdæ gratia rosacei cerati partes duodecim miscẽs, donec ad cicatricem peruenerint. Melius aũt est dicere, donec ulcerũ concauitas repleta fuerit. Necessariò em depascẽtia ulcera, quæ dixi eadẽ esse cum putrilaginosis, à ualidis medicamẽtis curant, quale est & modo propositũ. Primũ quidẽ putrescentes particulę expurgant, atq; hinc cauæ reddunt: ubi uero putredo cessauerit, mũdificationẽ repletionemq; requirunt, ac posteaq; repleta fuerint, tunc etiam cicatricem inducentia desiderant.

C 2 Ipsum aũt pharmacũ, cum cerato nondum mistum fuerit, quia acre est, non solum carnẽ generare nõ potest, sed etiam supercrescẽtia aufert, quemadmodũ ipse Crito dixit. Atq; huius meminisse maxime oportet, quod dictũ est & in superiori emplastro, quod ex herbis appellauit, multa uidelicet ex calfacientibus & abstergentib. composita, licet admodũ acria, si cũ cerato temperentur, carnem progignere. Nõnulli desperant de ipsis, cũ uel duplo copiosiore cerato misto mordere adhuc conspiciant, adeò ut carnem producere non possint, quemadmodũ in hoc emplastro habet. Nam cum multo acrius, magisq; mordax sit eo quod ex herbis inscribitur, ad carnẽ creãdam inutile est, quamuis quadruplo mistum cerato fu

D erit. Prudentis igit est, & in huiusmodi medicamẽtis usurpandis uersati, initio quidem statim intelligere, quot partes cerato misceri oporteat: si aũt post usum primum medicamentum acrius adhuc apparuerit, quàm ut carnem generare queat, conijcere quãtum adhuc ex cerato adijciendum ueniat, sicut Crito in proposito factitauit. Neque em existimes eũ prima statim cõiectura inuenisse duodecim cerati partes misceri oportere, sed sciuisse copiosius quàm quod emplastro ex herbis immittit misceri, quanto uerò copiosius, post primam coniecturam reperisse. si namq; octo partibus mistis mordax etiamnũ apparebat, decem admiscuit: quemadmodũ si etiam decem, ad duodecim peruenit. Quoniam uerò, ut dixi, pro sordium copia, & ulceris humiditate, tum eorũ quæ

simul

simul afficiuntur, sentiendi acumine & hebetudine, item mollitie & duritie corporis habitus, cerati quantitatem immutare conuenit: quod sæpe dictum est, cōsiderare nos expedit, recordātes quātitatem usus in huiusmodi omnibus describi, cum utroq; facilis illinc uia ad alia usq; ad summa fiat: Summa dico omniū eiusdem generis scoporum cōpletiones, de quibus si unum exemplum nunc proposuero, uos semper ipsius meminisse oportet, neque sæpius de illo uelle audire. Dico igitur scopos cōgeneres esse, hoc est simili genere comprehensos, ut plurimum cerati misceatur, si ulcus purum & siccum fuerit, & corpus eius qui curat subtili sensu præditū ac molle: ut uerò minimum adijciatur, si humiditas multa & sordes in ulcere fuerit, & corpus ęgri durum ac hebetis sensus. Bene tamen omnibus quæ id componunt, digerentibus, æris squama admista est, medicamentum exiccans, sed quod non parum adstringat. Nō solum autem in hoc emplastro cognoscendum uobis est, propter cerati copiosam misturam carne explens, & ulceribus nō malignis cicatrici obducendæ idoneum euadere: sed etiam in alijs omnibus quæ eiusdem uirtutis sunt. His subiungit Crito medicamentum diaacones, id est ex cote, quo se uti affirmat, ita componendum præcipiens.

Emplastrum ex cote. Cap. III

Ex cote, quod nobis in usu est, facit ad omnia diuturna, & peculiariter ad capitis dolorem, fronti impositum: ualet ad laterum dolores longos, iuuat podagricos, ischiadicos, scapularum dolores, dentium cruciatus, attritis partibus impositum: educit etiam & extrahit mēses pectini supra positum, auxiliatur stomacho laborantibus, tum ijs qui fluxu uexantur, & cibum uel alimenta nō retinent. Est etiam prorsus utile sine adustione, & ijs quæ acre medicamentum non sustinent. Conuenit etiam ad duritiem iecinoris, & lienis, necnon ad strumas & ischiadicos. Proprie uerò usus in ipsis fiat diebus septem: si molles sunt, quinq;: aquam pars uel oleum non attingat, donec ulcuscula, quæ psydracia dicuntur, fecerit, & saniem crassam attraxerit: deinde ubi exolueris albo cerato ex aqua utitor. Sin efficacius uoles, medicamento acone quod ex pipere cōstat. Ceræ, chalbani, terebinthinæ, pityinæ frictæ, olei laurini, olei ueteris, singulorum pōdo libram. squamæ æris pōdo libram & semissem. æruginis pōdo uncias sex. guttæ ammoniaci pōdo unciam. sinapis, adarcæ, sulphuris, singulorum pōdo unciam. abrotoni, centaurij, atramenti sutorij, salis ammoniaci, thuris, salis cōmunis, aluminis rotundi, argēti spumæ, propolis, cocci cnidij, singulorum pōdo uncias tres. omnia simul cōtunduntur, & cribrata una cum liquefactis, cum oleis excipiuntur. Hæc sane propositi emplastri cōpositio est, nō parum superiori præstās caliditate: sinapi enim habet, & adarcen, sulphur, & coccum cnidium, tanto calore prædita, ut ulcus faciat, quibus diutius adhæserint: iam & laurinum ex his est, quæ abunde calfaciūt, deinde atramētum sutorium & sal: didicistis

A autem, hæc adstrictionis quoq; nō esse expertia, salem paucæ, sed atramentum sutoriū multæ. Verum de adstringētium medicaminū mistura cum digerentibus, antea in emplastris usus multiplicis expositum est. Omnino enim quippiam uarijs utile esse nō potest, nisi cōtrariæ quoq; uirtutis participet. Siue enim digerens uirtus simpliciter sola esset, ad unam speciem affectuū cōduceret, quam digerere cōueniret: siue adstringens ad aliā unam ubi quod influit, reprimendum est. Quare incipientibus ex humorū influxu generari affectib. adstringentia conueniunt: digerentia uero sine adstringentiū mistura, ubi nihil propter euacuationem prius factā influere potest. Nam si superfluitas quædā humorū existat, nō solum digerit humor in affectis partib. cōtentus, sed etiā alij ad ipsos accedunt: cum digerentia ad se trahere soleāt, uelut eos quos cōtinent ac cōtingunt humores, ita etiam eos qui in profundo corporis existunt. Miscet ergo digerentibus sistentia & reprimētia, meritò qui ad ipsorū cōpositionem descendit, ratione hac usus, experientia uerò attestante rationi. Quare nō iniuria, licet cōsilium habeat in proposito calefacere & exiccare, eoq; etiā ulcera concitare, mistum est & adstringentium quippiam, sed quæ non sufficiant ad multa uehementer calefacientia pharmaca, duo hæc, atramentum sutorium & sal: quinetiam æris squama pari ratiōe mista est: & alumen, quod à uehementer adstringendo græce stypteria appellatum est.

B

C 2 Aliud emplastrum scripsit Crito, quod Mesianum appellat, diuersum materiæ genus habēs à superiore & illo quod mox à me consequenter describetur: uocat hoc Crito ipse inuictum, ex acribus pluribus medicamētis compositum, cum Mesianum tale non sit, ut postea suo tempore demonstrabitur. Quinetiam cephalica alia nominans, quorum generalis uirtus paulo pòst explicabitur, post Mesianum consequenter Inuictum ab ipso appellatū subiūgit, eiusdem uirtutis cum præscripto, quod diacones, id est ex cote uocitabat. Verba Critonis in hunc modum sonant.

Aniceton, quasi dicas insuperabile.

Facit ad omnia, extrahit, rumpit, purgat, glutinat, pus per spleniū educit, & per indita linamenta. & ubi soluitur semper sordes habet. Cum oleo & aceto, diffundit duritias, & neruorū cōtractiones iuuat, sine irrigatiōe impositū, ne refrigerent, & unguēti uice dilutum facit, ut acopō, hoc est medicamentū lassitudinibus accōmodatū: sistit eñ in morborū principijs lassitudines, & eas quæ sine causa manifesta proueniunt. Est etiā malagma extremarū corporis partiū in magnis splenijs impositum. item crueta glutinat, suturis uel fibulis iūcta, si plicatū linteū ex solo aceto splenio superimponas, æstate quidē frigidum, hyeme autem calidum. facit ad plantæ pedis uitia, ad cōtusiones, putredines, & digitorum affectus, itē fracturas cum uulneribus, licet neque carnem generante, neq; quod cicatricem inducat, alio uti, sed soli credere. ualet ad hominū, canum, & ferarum

D

morsus

morsus. maximum hoc est quod pollicetur, nempe abscessus latentes in colo & peritonæo prohibere ne fiant, antequam in uomicam exierint, aut factos extenuare, & in intestina coniicere. Imponendum aūt est splenium loco, & desuper cētunculum ex aceto & oleo calente, irrigandumq́ bis quotidie: non soluetur autem nisi triduo uel quatriduo. Deinde adhibito fomento ad uaporē rursus imponito: uocatum aūt est Insuperabile, propter mirāda & multa ipsius opera. Squamæ æris denarium pōdo quinquagintaocto. pyrethri, staphidis agriȩ, cocci cnidij, sinapis seminis, cachryos, columbini stercoris, aristolochiæ tenuis, æruginis, misyos cyprij, erucȩ seminis, cumini, singul. denariū pōdo xvi. nitri, salis ammoniaci, singulorū denariū pondo xxxij. lauri baccarum, mannæ, iridis, singulorum denarium pondo centum uiginti. aceti acris sextarios sedecim. decocti caricarum cyathos quatuor & dimidium. Tunsa cribrataq́ omnia simul, cū aceto ad leuorē teruntur sub æstu caniculæ: ubi siccū & uiride euaserit, ficuum decoctio adiicitur, & simul emollita tolluntur, & in olla æris rubri reponuntur. Decoctum autem caricarum ita habet. Caricarum pinguium pōdo libras quinq́. aquæ sextarios sex: coquunt do nec sextarij duo relicti fuerint. usus est, una pars medicamēti aceto diluti, ut sordes reprȩsentet, ad sex partes resinæ cum cera iunctæ. Est autem syncerum quod inde constat, hoc est, resinocerū: ceræ pars una, resinæ frictæ tres, cum oleo pauco liquefacto. medium: ceræ pars una, resinæ duæ. dilutum uerò & abunde temperatū. ceræ pars una, resinæ tantundem. dissolutum: cerȩ partes duȩ, resinæ una. quod supra quàm dilutum: ceræ partes tres, resinæ una. Scribitur etiam impetigini agresti conuenisse syncerū impositum. Hæc Crito ad uerbū prodidit. Ego à fine eorū quæ dixit, sermonis principium statuam: feras impetigines nominant, quum à medicamentis imbecilliter siccantibus nihil iuuari uident, à ualidis autem irritari. Opus igitur in ipsis est medicamento efficaci abunde, non tamen uehementer mordaci, quod, ut dixi, ex artificiali cōiectura compositum experientia probatur. Cōstat propositum pharmacum ex multis acribus tenuiorum partium & digerentibus: habet autem & quædam citra erosionem detergentia, & nonnulla parū adstringentia. Itaque acria ex iis quæ continet, sunt pyrethrum, sinapi, coccus cnidius, columbinum stercus, ærugo, baccȩ lauri, nitrum, sal ammoniacus, item acetū acre, tale namque iniiciendum censet. Detergentium summe quidem lenia immordaciaq́ sunt, iris & aristolochia, atq́ iis adhuc magis, ut ex genere cō coquentium iam sit, manna: generosius autem cachrys & staphis agria. His adhuc præcellit cuminum, & erucæ semen: misy cypriū sine morsu quidem exiccat, sed nonnihil etiam astringit, quēadmodum & æris squama, ualidum & ipsum medicamen. Oportebat enim, ut prius demonstratum est, medicamentum hoc adstringentis uirtutis utcunque esse particeps, eoq́ squama copiose admi-

A sta est. Si uerò & manna reuera manna sit, & non thus, ipsa quoq́ aliquantulū adstringit. iniecta est autem & hæc multo copiosior quàm squama merito, ut acrium pharmacorum uehementiam leniat, simulq́ humores in afflicta parte contentos coquat. Porrò caricarum decoctio mitigātissima est, & maxime coquit, simulq́ quodammodo digerit. Hæc igitur omnia mista multi usus medicamentum iure effecerūt. Acetum uerò efficaciam eorum plurimum iuuat, in quo pharmaca æstiuo sole conteri præcepit. Omnia enim sic præparata tenuem substantiam acquirūt, eoq́ in corporis altum uirtus ipsorum penetrat.

Quæ Heras eiusdem generis emplastra tradiderit. Ca. IIII

Emplastrum ex herbis quomodo Crito præpa-
B ret prius posui, & ipse Heras similiter conficit, sic ut Crito eius meminit: differt tamen in confectione per scyllā: nam ammoniaci, myrrhæ, resinæ pityinæ, styracis, squamæ & scyllȩ tantum cum aliis Crito miscet, quantum Heras: sed in aristolochia & iride discordat. Quippe Crito scripsit, aristolochiæ rotundæ denarium pondo triginta. iridis siccæ tantundem, alij quindecim. Heras autem sic protulit, aristolochiæ, iridis, singulorū denarium pondo quatuor. Rursus quoq́ post hȩc Crito iuxta confectionis finem tradit, expletis diebus ceratum huiusmodi facito. Cerȩ pondo libras quinq́, alij denarium pondo ducentorum quadraginta. terebinthinæ pondo libram: alij denarium pōdo triginta. olei ueteris sextarios duos & s. alij hemi-
C nas sex. Mihi uerò nō placet, pro quinq́ libris ceræ denarium pondo ducentorū quadraginta medicamento miscere. Interim namque loco libræ centum denarios ipsi scribunt, interdum loco minæ: atqui nullus unquam libram tam exiguā posuit, ut denarios quadragintaocto penderet. Hoc enim accidit, dū pro quinq́ libris, denarij ducēti quadraginta immittuntur, sic neq́ pro libra terebinthinæ denarios triginta.

Emplastrum Serapionis & hoc Crito in opere medicamentario in hæc uerba conscripsit. Emplastrum Serapionis, quod nonnulli Aegyptium, alij Venerem uocant. Cap. V

Facit ad omne uulnus, cui innitendum est, omni desperatiōe abiecta. Valet ad pūctus, aculeos,
D parotidas, perforationē, phymata, excolādo conglutinat, tollit omnē duriciē, iuuat epinyctidas, articulorum epiphoram, aurium contusiones, sanat & ulcera senilia, chironia, & quæ crassas oras obtinent. Olei ueteris heminas tres. argēti spumȩ denarium pondo ducentorum. guttȩ ammoniaci denarium pondo centū sexagintaocto. resinæ colophoniæ pityinȩ denariū pondo sexagintaocto. ceræ denariū pōdo centū sexagintaocto. chalbani denariū pōdo uiginti. æruginis denariū pōdo quinquaginta, alij uiginti. myrrhæ denariū pondo quatuor, alij octo. Argenti spuma coquitur ex oleo donec mediocriter coiuisse uisa fuerint: dein de olla ab igne deposita, gutta ammoniaci immittitur, postea resina, postremo cera: ubi singula curiose liquata fuerint, ne adurātur, olla ab igne rursus

sus sublata, chalbanũ aspergitur & ærugo: iterum super ignem ponit, coquiturq́, donec melinum fiat, & iustam crassitiẽ nanciscatur: postremo sub lato myrrha adijcitur: ac ubi moueris, defundito, pelleq́ excipiens reponito.

Vt Andromachus. Cap. VI

Tres huius emplastri confectiones tradidit Andromachus, primam à præscripta Critonis nonnihil dissentientẽ, deinde alias duas magis euariantes. Promissionẽ autem medicamenti & præparationẽ recte prius Crito cõscripsit: Andromachus in hanc sententiam de ea præcepit.

Emplastrum ex herbis.

Anagallidis cœruleũ florẽ habentis, marrubij, papaueris agrestis, alterci uiridis, singulorũ denarium põdo lvi. squamę denariũ põdo xxv. thuris denariũ põdo xx. resinæ siccæ denariũ põdo xvi. aloes tantundem. aluminis fissilis denariũ pondo quatuor. ceræ põdo minam. olei ueteris heminas duas. aceti quantũ satis est. Multi quidem utranq́ anagallidem in emplastrũ ex herbis coniecerunt. Theocritus autem & terræ eretriæ, & chrysocollę, & salis ammoniaci, & auripigmenti, singulorũ denarium pondo quatuor.

Alia emplastra ex eodem genere, de quibus scripsit Andromachus. 2

1 Ad gangrænas, putredines, nomas ueteres, & cacoethas, Isidori Antiochei. Argenti spumæ denarium pondo quatuor. æruginis rasæ denarium pondo viij. olei cyathos sex. Gallus Aelius cyathos duodecim, & æruginem scoleciam siue uermicularem. Argenti spuma & ærugo in cacabum leuigata mittuntur: olei tres cyathi superfunduntur: coquuntur pruna non nimis acri, mouenturq́ spatha lignea, donec uiridia fiat, postea ab igne sublata, ac in pilam euacuata contunduntur, dum calidius est medicamentum. Deinde rursus in ollam transferto, & tres olei cyathos superfundito, mouetoq́, ne adurat, quousq́ melinum fiat, incoquito, ac rursus eximẽs terito ut collyria, iterũq́ excipiẽs in ollã coquito, mouẽdo quousq́ rubrũ colorẽ accipiat. & rursus ex cacabo in mortarium defusa magis terito, atq́ iterum quarto in olla coquito, ita ut in unum coeant: rursusq́ dum calent euacuato, tritaq́ excipito, & in rubra pyxide reponito, ad prædictaq́ utitor.

2 Post cõmemoratum emplastrum, alterius deinceps his uerbis Andromachus meminit.

Liquidum emplastrum ad nomas, quo utor, & ad alia multa.

Ceræ, resinæ terebinthinæ, singulorum denarium pondo octo. adipis taurini curati denarium pondo quatuor. chalcitidis denariũ põdo duum. squamæ æris denarium põdo trium. mannæ thuris denarium pondo duum. gallæ immaturę denarium põdo quatuor. olei myrtei heminas quinq́. Arida cum aceto teruntur: deinde sic liquabilia superfunduntur.

Fusca multiplicis usus pharmaca. Cap. VII

Quod auxiliorum quædam ratio sola inuenit, quędam experientia, quę & ipsa rationẽ requirit, nonnulla utriusque opem postulant, subinde uobis demonstratum est. Ad hæc etiam quòd ratione & usu comperta cõiecturali uia ad eorum quæ inquiruntur, inuentionem perueniunt: quæ uerò per rationem sperata sunt, usu cõfirmantur. Quin etiam spei coniecturalis, non mediocrem, quemadmodum & in uniuersa uita, maioris minorisq́ esse differentiam: nõ enim pluuiam hyemali solstitio, & caniculæ ortu futurã similiter speramus: quæ hyemali frequenter, sub caniculæ æstu rarò accidit. Porrò cum omniũ artium opera frequenti firmentur exercitio, nõ satis est, generalia ipsarum addiscere duntaxat, sed etiam in particularibus exerceri subinde oportet: nam actionũ usus seu exercitatio, ad perfectorum possessionem uia est. Quare ego quoque in omnibus commentarijs, quos uobis, amici, petentibus composui, non solis communibus theorematis cõtentus fui, sed exẽpla etiã multa, exercendi gratia adieci, quibus ipsorum cognitionẽ uobis euidẽtiorem, magisq́ firmam fore sperabam. quemadmodum igitur in alijs omnibus medicinæ partibus, ita & in neruorum uulnerum curatione feci, primum uobis rationalem uiam ostendens, qua ad pręsidiorum inuentionẽ perueniatis, deinde materias in quibus uires à ratione inuẽtas cõtineri didicistis: siquidẽ in cõmẽtarijs, qui undecim numero sunt, De simplicium medicamentorũ facultate particularium materiarũ uires uniuersas, uel plurimas, easq́ utilissimas exposui: nam ut præsidijs nunquam destitueremini, hoc esse necessariũ demonstrauimus, nõ solum ut uos ipsi quoq́ pręparatorum ab alijs medicaminum inopia, auxiliorum copiam haberetis, nam Erasistratus etiam, quum stomaticum medicamẽ in illo profectionis loco ad manũ non esset, interdum herbarum succos quibus abundabat, usurpauit, sed etiã ut si illorũ autorũ scriptiones perierint, ipsi queamus similia perditis conficere: insuper, ut ab alijs inuentis rectè utamur, proposito in opere exercitatos esse profuerit. Quid opus est tantũ quoq́ afferri utilitatis cõmemorẽ, ut quæ compositis medicamẽtis superfluo iniecta sint, & contrà quæ primi illorum autores omiserint, discernere possimus: sicut in tertio libro ostendimus, sermonem De medicamẽtis ad neruorum uulnera idoneis facientes. Ita uerò & nunc indicabimus, exercentes uos in ijs quæ me seniores medici inuenerũt. Vniuersalis etenim methodus, neq́ cum distinctionibus exactè, neq́ sine ijs imperfectè à quoquam priorum tradita est, imò nec medicamentum quod curare promittat, neruos ab acuto aliquo punctos, cuiusmodi sunt acus, & puerorũ styli, ad quos quisquã memoriæ prodidit, q̃d ipsum hoc solũ facere optime possit. at ego certe eorum innumerabilem copiam prędicto libro percensui. Quidam tamen ipsorum nimirũ diligẽtiores, cum multi usus pharmaca notatu digna scripsissent, præter alia quæ facere ipsa pollicentur, adiunxere, interdum quidem & neruorum uulneribus esse accommoda, interim neruorum & musculorum præcisionibus, aliquando etiam puncturis ipsorum, uel contusionibus auxiliari

liari: uobis autem ex ijs quæ didicistis, licet cognoscere ante experientiam, possibilia ne quis an impossibilia de quibus scripsit, polliceatur. Sed etsi non adscripta fuerint ea quæ ex natura sua facere solent medicamenta, tamē in quibus ipsis sit utendum, uobis intelligere est integrum. Vt igitur ceu exēpli gratia exordiar in emplastro quodā multiplicis usus, quod Andromachus in libro De medicamentis extrinsecus corpori adhibitis, ordine secundum posuit, haud indicans ad quæ maxime ipso utendum sit, exerceri rursus uobis licet, quomodo ex cōmemoratis simplicibus medicamētis cōpositi uires sint cognoscēdę. Andromachus enim ita ad uerbum prodidit.

Aegyptia. 2

Argenti spumæ denarium pondo centum quadragintaquatuor. ricini heminas sex. ceræ denarium pondo centum quadragintaquatuor. guttæ ammoniaci denarium pondo septuagintaduum. terebinthinæ denariū pondo trigintasex. lanarum combustarum denarium pondo octodecim. squamæ stomomatis, squamę æris, aristolochię, thuris, singulorū denarium pondo octo. nōnulli myrrhæ denarium pondo quatuor. opopanacis denarium pondo duum. marinæ aquæ denariū pondo quinquaginta ad ceram conspergendam. Hęc quidem scriptura pharmaci boni, & reuera usus multiplicis est: uerum ipse dicendum omisit, in quibus eo utendum erit. Si igitur cuiusq; simplicis medicamenti uirtute ante exposita, quemadmodū nos in undecim libris factitauimus, & methodo quapiā uniuersali compositionis medicaminum scripta, sicut à nobis quoq; præcedente libro factū est: uiuentibus amicis huiusmodi scriptiones exercitij gratia protulisset, ut ad quos affectus utile esse cōpositum medicamentū posset, decernerent, nimirum hominis institutū laudassemus. Quoniam uero nihil horum egit, quis non ipsum omnino accusatione dignum censeat? unde medicamentarij ipsius libri, qui complurium optimorum medicaminum compositiones habent, merito à medicis neglecti sunt. Nam inter sexcentos, uix unus artis absolutionē habere uidetur: alij idiotarum modo satis habent, si medicamētis manifesto scriptis recte uti queant. At quid oportet dicere de huiusmodi medicis? Cum etiam Empiricorū nonnulli, ut uocant, quamuis celebres ex artis operibus conspiciantur, tamē ignorare se fateantur, quanam ratione ullum huiusmodi inuentum esse pronuncient. Inutilis igitur ipsis est fusc huius emplastri scriptura, quæ colorē tantū in titulo docet, uires nō item, quas pro colore scriptas esse præstiterat.

3 Quoniam itaq; Andromachus uirtutē ipsius dicere neglexit, nos ex mistorum specie & facultate inuenire conemur. Argenti spumā, medij temperamēti calfaciendo & refrigerando, paulum ad siccitatem inclinare didicistis. Præterea usum eius in emplastris esse duplicē, nempe si non liquefiat, ceu materiæ duntaxat momentū adferre: si liquata fuerit, etiam siccare posse, idq; magis, si diutius cocta fuerit. Nunc tamē quæstio est, quatenus incoqui debeat, cum Andromachus sex heminas ricini, quod est olei ricinini, miscendas esse tradiderit. Quot enim unciarū Romanæ libræ, heminam esse uelit, non explicuit: & si melius erat hominē qui Romæ degerat, librarum, sextariorum, & unciarum meminisse, relinquere autē heminæ uocabulum Græcis ciuitatibus extra Italiam usitatum. Si ergo in omnibus ipsis idem nomen heminæ esset, nulla utiq; foret quæstio. Nunc uero quū permagna quantitatis inter eas sit differentia, conueniebat ipsum monere, se uel Atticam, uel Alexandreoticam, uel Ephesiam, uel aliam quampiam heminam dicere. Nam permulti qui de mensuris & ponderibus scripserunt, nouem uncijs Romanæ libræ heminam medicos in Pharmacorum libris æstimasse produnt, alij duodecim uncijs ab eis reputari affirmant, sicut Romæ olei libram ex more appellant. Iam uero quendā audiui, qui heminam à medicis in pharmacorum cōmentarijs traditam sedecim uncias Romanas pēdere diceret. At non parum refert ad medicamenti uirtutem, uel magnas, uel paruas heminas inijcere. Ego sane olei libram Romæ uocatā, quam per incisuris distincta cornua metiuntur, ponderaui quādoq;, discere cupiens quantū grauitatis pondus contineret, inueni duodecim olei mensurales, decem uncijs ponderalib. æquales. Quare medicos in libris De medicamentis accuratius scribere oportebat, quales uidelicet uncias, uel libras medicaminū liquidorum immitti uellent, mensurales'ne, an ponderales: perspicuū enim est, liquidorū horū corporū, sicut etiā solidorū, alia grauiora, alia leuiora esse, ac singulorū liquidorum quę in pharmaca mittuntur, pondus alio libro declarauimus, sed in præsentia id quod propositum est, repetamus. Etenim si nouem unciarum mensuralium singulas heminas esse statueris, ex tribus, septē & uiginti uncias produces. Si in octo denarios quanq; unciā diuidas, denarios ducentos & sedecim habebis: si duodecim uncijs singulas heminas æstimes, fient nimirū sex & triginta unciæ, denarij uero ducēti octogintaocto, singulis uncijs in octo denarios diuisis. Expertus sum ego plerūq;, cum argenti spumam ex oleo coxissem, æqualem ipsius misturā libræ quidem argēti spumæ ponderali, mensurali uero olei parem fieri: quòd si copiosius inijcias, & coctam uidelicet diutius, maiorem uim siccandi assumere. In candidis emplastris coloris gratia cerussam quoq; argēti spumæ miscemus, omnino æqualem pondere: immittitur autem hemina nouem unciarum, iuxta ponderalem argenti spumæ libram, colorem seruare uolentibus, eo quòd diuturnior coctio nigriorem spumā efficiat, sed oleo pauco indito, medicamentum minus glutinans euadit: proinde quidam uel terebinthinā resinam, uel quam uocant colophoniam, quantum licet pellucētem miscuerunt, conantes neq; colorē offendere, neq; medicamenti uirtutem, adijcereq; resinæ mistura tenacitatem, quò non facile decidat, quippe medicamentum, si tanto oleo tantum argenti spumæ & cerussæ coquatur, arenidū ac friabile redditur.

Nõnulli eadem ratione cocto medicamini albam ceram indiderunt: spumæ tamen argenti duplum olei habenti, si nihil etiam resinosum, uel cerosum immittas, ex coctione glutinans erit, & multo magis, si cum argẽti spuma olei triplum misceas, hoc est, si olei mensurales uncias quibusdã argenti spumę ponderalibus cõmittas. Consentaneum igitur est, Andromachum nouem uncijs mensuralibus oleum ricini immitti iubere, ut sex heminę uncias quinquagintaquatuor expediant mensurales: q̃d idem est, ac si dicas, mensuræ Romanæ libras quatuor & s. At clarum est ricini inopia, interim uetus oleum eius loco assumẽdum esse. Ego subinde & sicyonium inieci emplastris digerentibus, & cum illud non adesset, aliud mea ipsius industria simile illis effeci: radicibus cucumeris agrestis, bryoniæ & altheæ in eo decoctis.

4 Quòd uero propositũ medicamen digerens, emolliensq; Andromachus esse cupiat, ricini olei, & copiosa guttæ ammoniaci mistura palàm indicat. Nam argenti spumæ cerã pondere parem, ammoniacum dimidium esse præcipit. Et si in multis nobilibus emplastris non dimidium, sed quarta pars, uel quinta, crebro septima et octaua, nonnunquam decima pondere ad argenti spumæ proportionẽ medicamenti huius immittatur. De cera diximus, ꝙ in huiusmodi pharmacorũ cõpositionibus materiæ locum obtinet, non uirtutis efficaciam adiuuat. Adest uero & ei uis quædam emolliendi exigua, sed non illius ergo proposito medicamini admista est, quemadmodũ nec terebinthina resina, quanq; multo uiribus q̃ cera præstãtior sit. Etenim magis mollit quàm illa, item calfacit & digerit, ex quibus cera ne alterum quidem efficit. Verũ gutta ammoniaci sola imposita, squalidum aridumq; reddet medicamentum: quantum uero ad emplastri confectionẽ, quam Græci uocant emplastropœiã, attinet (neq; enim ita appellasse nocet) utilis est tum cera, tum resina. Quippe mollit digeritq; medicamen uel solius ammoniaci beneficio, quod quidem inter emolliẽtia principatum occupat, in digerentibus uero concertat. Porrò si quæ in libro quinto de Simpliciũ medicaminũ facultate dicta sunt, in memoriam reuocauerimus, ad intelligendum qualenam huiusmodi medicamentis temperamẽtum esse oporteat, nihil adhuc recentiori disciplina indigebitis. Nam primæ facultates effectiuæ medicamentis sunt, in calore, frigiditate, humiditate, & siccitate. Secundæ mollientes, digerentes, repercussoriæ, attractrices, coctrices, detersoriæ, & exedentes: quemadmodum & Tertiæ dicuntur, quæ glutinant uulnera, cicatricem inducunt, & carnem generant. Compositum igitur ex oleo ricino, & gutta ammoniaci medicamentũ abunde potest digerere, emollire, & nimirum etiã siccare, ubi materiã idoneã assumpserit, ceram, resinam, & diutius coctã argenti spumam. Ad hæc uero iubet inijcere lanas combustas, aristolochiã, medicamenta quæ plurimũ digerunt, & exiccãt. Præterea meminit pharmaci quod concoquit & digerit, nempe thuris. Quòd si myrrhæ

A nõnihil & opopanacis adijcit (quosdam enim ait & ex ijs aliquid miscere medicamento) illam sanè scimus non ignauiter calefacere & exiccare: opopanacem uero & generosius adhuc hæc utraq; efficere: insuper attenuandi dirigẽdiq; facultate præstare, sed huius quidem pauxillum inditur, timente opinor eo qui ipsum apponit, medicamẽti acrimoniam, uolenteq; non solũ digerens, emolliẽsq; emplastrum, sed uulneribus quoq; idoneum efficere. Propterea igitur & squamam æris & stomomatis cum ea miscuit, quæ prætereꝙ ualide siccant, astringendi etiam uim sortita sunt. Ergo propter horum misturã propositum nobis in sermone emplastrum, Aegyptium cruentis uulneribus, ulceribusq; alijs non paucis bonum medicamen redditur. B Quinetiam ad abscessus, & omnia quæ discuti postulant, subinde audiuistis medicamenta quæ simul cum digerentibus etiam astringentium aliquod capiunt, tutiora fieri: quæ uero sine astringentibus digerunt, efficaciora quidem, sed non perinde tuta: sæpe enim fluxiones attrahunt, dum corpus quod curatur, plethoricũ est, uel prauo succo obnoxium. Sin autẽ uacuũ corpus est, ac superfluitatibus liberum, promptius medicamenta, quæ magis discutiunt, sola sine astringentibus assumpta, ad finem perueniunt. At cum pauca id genus corpora quibus medicamenta afferuntur, reperias, iccirco securius esse uisum est, miscere etiam nonnulla repellentia. Ita sanè & emplastro digerenti quod ex sale conficitur, quidam adiecerũt chalcanthi paululũ, quamuis & sal ipse astringens quippiam possideat. C Igitur propositũ medicamen fortiter digerere compertum est, ut etiam pus iam non admodum copiosum sine cutis perforatione discutere queat, emollire in scirrhum & quomodocunq; indurata: item magna uulnera conglutinare, quemadmodum & ulceribus iam ad malignitatem declinantibus cicatricẽ obducere, alijsq; omnibus affectibus qui digerendi simul & repellendi uirtutem desiderant, in quibus sunt & quæ fronti, dum oculi fluxione laborant, imponuntur, uocata à medicis anacollemata, id est agglutinatoria. idem hoc pharmacum conueniet, & neruis simul denudatis, & si in parte quapiam abscecti fuerint. Etenim præcisi si ex consensu non periclitantes, adhuc etiã subiectis sibi partibus, in quas inserunt, sensum adimunt, indigent tamen hi quoq; D tali pharmaco. Nam quę humectant, facile eos putrefaciunt, ob quod & pastilli siccantes, etsi abunde astringant, tamen denudatis neruis cõueniunt. qui nondum ad phlegmonę uigorẽ peruenerunt. Hi nanq; indignantur, irritanturq; ab huiusmodi pharmacis: sed de his postea, quę de proposito emplastro dicenda restant, apponamus. Quoniã plerunq; medici ex inscitia id genus emplastra dura imponunt, cum liquata linamentis excipere præstaret, uel etiam in cõfectione statim molliuscula reddere: postea cum in magnis diuisionibus ubi nerui denudati sunt, experimentum de ipsis fecere, sperant in puncturis multo utiliora fore, ignorantes & hic maximam quandam speculationem,

de qua disserui modo, uos docens, quę ratione inueni, inde per experientiam confirmari cognoui, propterea etiam nunc admoneo. Multo nanque calidiora, et quę digerant magis pharmaca, punctus neruorum requirunt, quàm cum omnino denudati fuerint, uulnere insigni facto. Quippe nudi nerui acria calidaque admodum medicamenta propter erosionem morsumque non ferunt: uerum relaxantia digerentiaque astringentibus mediocriter mista postulant. At quoniam etiam melius est ambientes uulneris particulas acribus & tenuibus, multumque digerentibus, quale est ex Euphorbio confectum, contegere, nos sanè propositum emplastrum satis posse quæ prædixi, efficere cōiectauimus, eique preparato experiētię testimoniū accessit

CAP. VIII. Postea aliquando in Asclepiadis & Critonis libros medicatorios incidens, deprehendi ipsos non ut Andromachus quoque, confuse sed cum manifesta distinctione uirtutē ipsius scriptitasse. Igitur tum huius gratia, tum quòd in confectione in quibusdam ab Andromacho dissentiant, potius uisum est mihi etiam eorundem uerba subiungere: deinde ita & de ipsorum discordia in medicamenti compositione nonnihil dicere.

Quæ Asclepiades & Crito de proposito emplastro conscripserint.

De emplastro Aegyptio ab Andromacho tradito, Asclepiades in hunc modum disserit.

Andromachi Aegyptium.

Cruentis uulneribus accommodatum, facit ad neruorum, musculorumque præcisiones, punctus, contusiones, iuuat detortos ac luxatos articulos. Est & lippientibus collyrium, cōfert capite dolentibus: Summatim ad multos affectus utile est pharmacum. Argenti spumæ, ceræ, singulorum denarium pondo centumquadragintaquatuor. guttæ ammoniaci denarium pondo septuagintaduum. terebinthinæ denarium pondo trigintasex. lanæ succidæ combustæ denarium pondo decem & octo. squamæ æris, squamæ stomomatis, thuris aristolochiæ rotundæ, singulorum denarium pondo octo. ricini heminas tres. Hæc præfatus Asclepiades, deinceps coquendi modum tradit, Andromacho neque hanc partem cōpositionis in emplastris obseruante, siquidem in omnibus ferè omisit: uerū de coctione dicta sunt non pauca in libro quarto, & nunc paulo post dicetur. Aequū autē est inspicere controuersiam quam Asclepiades in simplicium medicaminū quantitate cum Andromacho suscepit. Non enim sex heminas ricini ut Andromachus, sed tres iniicere præcepit. Ceterum in aristolochia nullā Andromachus distinctionē fecit, ipse rotundam adiecit, sicut & in lana combusta succidam addidit: quanque idem pondus quod Andromachus immittat. Hæc igitur ipsius uerba sunt. Lanæ succidæ cōbustæ denariū pondo duodeuiginti. aristolochiæ rotundę denarium pondo octo. Quæ uero ad calcem posuit Andromachus, neque omnino Asclepiades meminit, neque de myrrha, neque de opopanace quicquam locutus, multo minus de marina, quæ manifesto Andromachus apposuit, marinæ, inquiens, ad ceram irrigandam denariū pōdo quinquaginta. Hoc enim nec Asclepiades, nec Crito adiunxit, attamē aristolochiam rotundā Crito æque ac Asclepiades indidit, quēadmodum et lanę succidę denarios octodecim, & olei ricinini, ita enim ad uerbum scripsit, heminas sex. Coctionem emplastri Asclepiades his uerbis docet. Argenti spumam, & ricinum incoquito, donec in unū coeant, deinde squamas, ubi color bonus apparet, reliqua immittito. Apud Critonem hoc modo traditur. Argenti spuma cum ricino coquitur, dum mellis spissitudinē habeat, hoc facto, squamæ insperguntur, abundeque incoquunt, quousque digitos non inquinēt: postea terebinthina & cera: ubi in unū coierint, ammoniacū prius apud ignē digitis emollitū: cum iam ab igne deponit, lanæ succidæ puluis inspergitur, postremo thus: deinde ita tolluntur. Porrò & ad quæ medicamentum ualeat, accuratius Crito his uerbis exposuit.

Aegyptia.

Omnem diuisionem cōtusionemque à phlegmone præseruat. Valet ad quoslibet ferarum morsus. iuuat phlegmonas sine ulceribus factas. benefacit etiam neruorum & musculorum doloribus sine causa obortis.

Aliud Andromachi Fuscum. 2

Scripsit alia quoque fusca Andromachus superiori quodāmodo genere similia: uocat alterū Athenam, hoc est Mineruam: alterū Nygmaticū, id est puncturis accōmodatum. Minerua quidē ad plureseffectus, quàm Nygmaticum conuenit, præsertim cum ulceribus cōsistentes: quoniam magis uaria est, magisque astringentibus insuper pharmacis participat. Nygmaticum uero magis laxat, & hac doloris mitigātius est. Itaque de priore medicamento ita ad uerbum scriptum reliquit.

Fuscum, Minerua.

Argenti spumæ denarium pondo centum. terebinthinæ denarium pondo trigintasex. ceræ denariū pondo uigintiquinque. minij sinopici denarium pondo uigintiquatuor. guttæ ammoniaci denariū pondo trigintasex. chalbani denariū pondo duodecim. aloes denarium pondo octo. diphrygis tantundem. æris combusti, mastiches, singulorū denarium pondo sex. aristolochiæ denariū pōdo quinque. propolis tantundem. mannæ denarium pondo sex. squamæ æris denariū pōdo sex. lapidis asii denarium pondo trium. trifolij seminis denarium pondo duum. symphiti radicis denariū pondo unius, obolorū quatuor. olei heminas quatuor. De altero fusco sic ad uerbum Andromachus scripsit.

Fuscum Nygmaticum.

Guttæ ammoniaci, ceræ recentis singulorum denarium pondo octo. terebinthinæ denariū pondo trium. æris combusti denarium pondo octo. picis aridæ denarium pondo quadraginta, ut Zeno uult minæ dimidium, & quartam portionē. argenti spumæ denariū pōdo quatuor. aloes indicæ, aristolochiæ, chalbani, singulorū denariū pōdo duū. æruginis denarij pondo unius, alij duū. thuris denarium pondo duum. olei per hyemem quartam heminæ partem. per æstatem octauam partē. am-

moniacũ ex tribus aceti cyathis diluitur. Iam uero & alia multa cum his emplastra prodidit Andromachus, nihil aliud ipsis apponens quàm coloris nomen, quę constant quidem ex contrarijs facultate medicamentis: sed alia ipsorum laxandi & doloris tollendi uim maiorem obtinent: quædam digerendi, & attrahẽdi, nonnulla astringẽdi. Quare nos etiã ipsos omnibus fidentes cõmode uti conuenit, ad ulcera quæ uix cicatricẽ recipiunt, & cacoethe, fortius astringentibus: ubi lenire & laxare proposueris magis relaxãtibus: ubi trahere & discutere conaris, ijs quæ calefaciẽdi uirtutẽ prępollentẽ habent, quæq; prauos humores in mala affectione ad sese trahũt. Quibusdã et hoc adiectũ est, Fuscũ simplex quo utor. Tria enim deinceps talia uariæ misturæ descripsit, quorũ ipsorũ etiã confectionẽ ipsiusmet uerbis allegare melius esse uidetũ

Fuscum, simplex, quo utor.

Argenti spumæ denarium uigintiquatuor. ricini heminam unam. æris combusti, mannæ, resinæ, singulorum denarium pondo quatuor. colophoniæ denarium pondo octo.

Aliud Isidori ad dolorem sedandum.

Argenti spumæ, ceræ, singulorum denariũ pondo trigintasex. olei heminam unam & s. resinæ colophoniæ denarium pondo quindecim. squamæ æris denarium pondo nouem. mannæ denarium pondo octo, incoquito.

Aliud quo utor.

Argenti spumæ, resinæ siccæ, singulorum denarium pondo centum quadragintaquatuor. squamæ denariũ pondo uigintiquatuor. olei heminas tres. Quemadmodum autem his cõmemoratis tribus adiunxit, alijs quòd ipse utatur, alijs quòd dolori leniendo sit, ita de alijs testimoniũ perhibuit, theriacas ipsa nominans. Tertium igitur ab initio his uerbis traditum est. Theriaca qua utor. Hanc sequitur alia rursus, cui præscriptum sic est. Eupatorios Theriaca.

3 Verum de Theriacis postea dicemus: nũc autem de Fuscis adhuc quę prodidit Andromachus dicere cogito, quorum quòd uires ille & cõfecturas neglexit, accusandus est. Statim igitur primo omniũ scripto amicus quidam medicus usus est, permulta facienti: etenim ulcera, quæ cicatricem ægre ducunt, præsertim ubi callosa & dura labra ulcus amplectantur, claudit: prodest etiam putredini, fistulis: sinus iungit, & magna uulnera: summatim multiplicis usus est: componentium ipsam pharmacorum symmetria hunc in modum scripta est. Argenti spumæ denarium pondo centum quadragintaquatuor. olei heminas quinque. calcis uiuæ, thuris, æris combusti, terebinthinæ, aristolochiæ, singulorũ denariũ pondo quadragintaocto. picis, ceræ, ammoniaci. singulorũ denarium pondo nonagintasex. ita quidem Andromachus scripsit: licet tibi etiã minori mistura ipsum præparare: singulorũ quæ numerauimus quartam partem miscendo: fiet enim compositio talis. Argenti spumæ denarium pondo trigintasex. calcis uiuæ, æris combusti, thuris, terebinthinę, aristolochiæ, singu-

A lorum tertiam argenti spumæ partem, hoc est, denarium pondo duodecim. deinde picis, ceræ, guttæ ammoniaci, singulorum duplo maius pondus quàm in dictis quinq; medicamentis erit, aristolochia dico, terebinthina, thure, ære cõbusto, & calce, quam uiuam & recentẽ esse oportet. Ita pharmacum etiã ad putrida utile fiet: cum autẽ Andromachus omnia medicamẽta per denarios scripserit, melius egisset, si et olei secundum eandem symmetriam meminisset: ut quod inijceretur, totidem denarios penderet: aut si non hoc, certe conueniebat ipsum Romanorũ libræ mentionẽ facere, nũc autem heminam scribit, consuetam de hac mensura ambiguitatem nobis relinquens, nouem ne uidelicet mensurales uncias, an duodecim esse heminam uelit. Mea quidẽ sententia, perfecta symmetria sex uncias põderis capiet: quia Romanorum libra duodecim uncias pendit. Si ex quarta parte componis, nota est proportio, nec latere arbitror, uel si denarios quis dicat ad absolutã symmetriam quadringentos octoginta assumi, eo quòd ponderalis uncia octo denarijs ualeat. Insuper aliud quoddam inter fusca ab Andromacho positũ est, quod & ipsum calcem uiuã recipit, eiusdem cum superiore generis. præponit autem ei. Fuscum Eubuli, & secundum hanc symmetriam pręparat. Argenti spumæ pondo libram. ceræ pondo minam. æris cõbusti, æruginis, terebinthinæ, singulorum denariũ pondo duodecim. resinæ siccæ denarium pondo sedecim. guttæ ammoniaci denarium pondo octo. thuris denarium pondo duodecim. opopanacis denarium pondo octo. olei heminas quatuor. aceti totidem. In quibusdam exemplaribus scriptum est, heminæ dimidium: & nimirũ dupliciter conficere ipsum licet, scienti copiosius acetum ualentissimum medicamen efficere. Quin etiam aliud Fuscum, cui hoc ipsum præponitur.

Aliud Fuscum.

Refert Andromachus memorabile est hoc pharmacum ex marina præparatũ similibus uitijs, quibus prescripta accõmodum. Compositio eius talis est. Argenti spumæ, ceræ, singulorum minę dimidium. chalcitidis quartam minę portionẽ, squamę æris denariũ pondo sedecim. thuris denarium pondo octo. terebinthinę quartam partẽ & octauam. (minę uidelicet) guttę ammoniaci quartam partem. marinę aquę heminam, alij heminę dimidium. ricini heminas tres. ammoniacũ marina maceratũ. hęc sane Andromachus retulit, eatenus cõfectionis mentionẽ faciens, ut diceret ammoniacum cum marina, prius uidelicet macerandũ. De chalcitide uero & squama nihil posuit, quanq; & hęc ex marina leuigari queant, sicut etiam coqui cum argenti spuma, cera, & terebinthina.

4 Vt igitur nullum aliud Fuscũ à quouis alio quęratis, adijciam alia duo eiusdẽ autoris. Vocat alterum ipsorum Phthirophagi, quod hęc recipere dicit. Argẽti spumę denarium pondo centum. resinę denarium pondo quinquaginta. guttæ ammoniaci denarium põdo triginta. cerę denarium põdo quinquaginta. ęruginis rasę denariũ pondo duode-

duodecim. squamæ æris denarium pondo duum. aristolochiæ denarium pondo octo. centaurij radicis tantundem. olei heminas duas.

Alterum autem Irionis medicamentum ex his constare ait.

Argenti spumæ, picis siccæ, utriusq; pondo denarium centum quadragintaquatuor. terebinthinæ, guttæ ammoniaci, singulorũ pōdo denarium septuagintaduum. mannæ thuris denarium pōdo sexagintaduum. seui uitulini denariũ pondo centum quadragintaquatuor. ceræ denarium pondo trigintasex. aristolochiæ, æris combusti, æruginis rasæ, chalbani, opopanacis, singulorum denarium pondo nouem. aceti heminę dimidium. olei, & ricinini, utriusq; heminã unã & semis. Perspicuum est, terebinthinæ, guttæ, & thuris pondus duplo pondere ab argenti spuma, pice, seuo uitulino, superari uelle. ceræ quadruplo. aristolochiæ, æris usti, æruginis, chalbani, opopanacis sexcuplo decuplo. atq; hoc pharmacum abunde in usum uenit multiplicem, quemadmodum & alia præcedentia, quibus omnibus audacter utendum est.

Hellespontia ut Andromachus.

Celebre & hoc emplastrum inter fusca retulit Andromachus hac symmetria. Argẽti spumæ denarium pondo centum. picis denariũ pondo quinquaginta. ladani denarium pondo uigintiquinq;. æruginis rasæ denarium pondo octo. æris combusti tantundem. squamæ denariũ pondo duum. olei ueteris denarium pondo ducentorum. Quoniam uero Andromachus ab Hera pharmaci compositione differt, uisum mihi est et Herę prodita adiungere, quæ ad uerbum ita sonant.

Hellespontia perspiratu digerens, phlegmonem propulsans.

Valet ad strumas, panos, parotidas: impositum splenium attrahit, pus maturat, rumpit, conglutinat. In summa, omnibus igne cōbustis benefacit, mitigat etiam podagricos. olei ueteris denarium pondo centũ. picis siccæ denariũ pondo quinquaginta. ladani denarium pōdo uigintiquinq;. argenti spumæ denarium pondo centum. æruginis rasæ denarium pondo octo. chalbani denarium pōdo quatuor. Argenti spuma ex oleo trita coquitur. Cum autẽ coeunt, pix, & ærugo immittuntur: deinde ladanũ, chalbanumq;, atq; sic in mortarium transfusa, molliuntur, & usui sunt. Quidam ut boni coloris sit, & fuscum, miscẽt etiam squamæ denarium pondo octo. nam alioqui fit nigerrimum. hoc in podagris etiam non semel usus sum, & cessit felicissime. Oportet autẽ tædas lignorũ loco usurpare. Manifestũ est autẽ uiros inter se dissentire in alijs paululum, in olei uero symmetria plurimum. Nam duplo copiosius quàm Heras Andromachus immittit. Potest itẽ præparari aliter, cum sciamus, si plus olei iniectum fuerit, diuturniorem fore coctionem innui, ipsumq; medicamẽ magis exiccans futurum: sin minus, breui coctionem futuram, & pharmacum inualidius exiccaturum.

Quæ scripsit Damocrates usus multiplicis medicamenta.

Tyrium emplastrum. Cap. IX

Post hæc referam emplastrorum adhærescentium
Sine fascijs, quis usus & confectio.
A Ad diuisiones faciunt non magnas bene,
Et carnis ipsius ampliora uulnera
Medicantur: à quadrupede & morsus corpore
Summo: recentes discutiunt furunculos:
Quibusq; iam pus est, uapore digerunt.
Item auferendo crustas ijs celerrime
Cicatricem inducunt opera nulla manus.
In fronte posita, fluxus quampromptissime
Lippientium cohibent, sola quamuis ceperis.
Huius generis, præstantius primum efferam
Emplastrum facile inuentu, cui color bonus
Atq; efficacia, Tyrium nos dicimus,
Tyriam colore referat id quòd purpuram,
Si quo decet modo fiat: sic præpara.
Sit libra iniecta quinquies lithargyri
B Boni, semel ceræ capiatur, insuper
Ter pityinæ pinguis, & non ligneæ,
Aeruginis præstantis æris, chalbani,
Aerisq; combusti, pariter squamæ bonæ:
Cuiusq; misceto quaternas uncias.
Pinguis olei sex, & decem pondo addito.
At curiose emplastrum coquito in hunc modum.
Lithargyrum mitte ex oleo leuissimam
Fictilem in ollam nouam, sed hanc maiusculam.
Vbi conteres manibus, mouebis ac spatha,
Deinde flamma acri atq; continua coques.
Cum mellis accipit iam spissitudinem,
Aerugo & squama misceantur: incoqui
Permittito satis: dehinc æs adiungito:
Rursus coqui paruo relinquens tempore,
C Paulum defundens ex olla medicaminis.
Refrigeratum manibus, & digitis teras,
Boni coloris atq; durum ubi conspicis,
Sic pityinam, ceramq; reliquis indito.
Deinde cunctis rite unitis paululum
Stillato rursus: & colorem si bonum
Et temperamentum uides, mox tollito
Ab igne fictilem, & subactum chalbanum
Apponito. si pharmacum sit durius,
Multo resolues oleo, faciens sic bonam
Temperiem, in aliud inde uas transfundito
Frigidum: & subactum manibus ita reponito.

Aliud eiusdem cum superiore generis subijciam. 2

Medetur, ante quos citaui affectibus:
Nec est, quod ulceribus malis, diutinis,
D Calloq; presis applicet felicius
Cicatricem, etiamq; ore natas pustulas
Persanat absq; rosione, rhagadas
Ani, nodosas durities, callos demit.
Sic præpara, lithargyri minam boni.
Sed mina libra est, eius & pars tertia,
Minæ semis probatæ ceræ ponticæ, &
Aeruginis minæ quadrantem rasilis,
Atri chamæleontis octauam probi
Partem: radix bona est regione Cretica
Nascens primum, Cilicia deinde. præter hæc
Olei uetusti plusquam mina paululo:
Quòd si non fuerit, usurpato uel recens.
Lithargyron leuem simulq;, oleum noua
Totum figlina conditum, rudicula
Mouens coquito: ubi constiterit, & melinon

Fuerit, adijcito æruginem, ceram dein:
Qua iam liquente ab igne tollens ollulam,
Chamæleontis paululum conspergito,
Vnita cum, frigerataꝗ quod satis,
Transfundito in pilam, post sic reponito

Aegyptium. 3

Aegyptium quod seruat absꝗ phlegmone
Diuisa quælibet, contusaꝗ omnia,
Quadrupedum morsus cunctorũ, & serpentium,
Item subortas absꝗ ulceribus phlegmonas,
Neruos dolentes citra causam, & musculos.
Laudans hoc Andromachus dabat sodalibus
Suis, in pharmacis peritus maxime.
Aiebat esse ter quadraginta quidem
Denarios lithargyri, & duodecim
Bis alteros, ceræ quoꝗ albæ ponticæ
Totidem, ammoniaci ter uiginti lucidi,
Et duodecim alios, thuris & bis quatuor.
Squamæ uero æris, & squamæ stomomatis,
Cuiusꝗ rursus misturæ bis quatuor.
Puræ terebinthinæ ter addas duodecim,
Octodecim heminas oleiꝗ ciceos,
Combustæ totidem sordidæ lanæ heminas.
Docebat ipsam isto modo comburere,
Ollæ recenti, quæ sit ore latior,
Impone lanam copiose succidam,
Operculum gypso prius uel glutino,
Vel terra figulari, cui sit commista aqua,
Illinito, sed largo igne mox comburito,
Contusa facile quando cribro incernere
Fuerit, habere recte tunc uidebitur.
In clibanis quoꝗ ipsa & in fornacibus
Ignitis nimium similiter exurere.
Ita capiebat tritorum quem est par modum,
Coquere lithargyron iubet leuissimam,
Totumꝗ ricinum: temperatis inuicem,
Mellisꝗ facta tandem spissitudine
Squamã aspergere, cõcoquere & quantũ sufficit,
Vsꝗ adeo dum non inquinet, & tunc addere
Terebinthinam & ceram. dein cum coiuerint,
Ammoniacum confectum digitis mollius,
Posturus ab igne ollam, thus tritum inspergito,
Penultimum ac lanæ immundæ puluisculum,
Sed ante thus, pauxillulo aut post tempore.
Quidam uolentes istud proprio pharmacum
Dici titulo: squamam reuellunt alteram,
Squamæ unius bis octo indunt denarios.
Vtuntur æris squama, non stomomatis.

Aliud. 4

Nihil priore peius agit Aegyptio
Eadem, at melius & quandoꝗ, si confecerit
Crassum accurate medicamentum quispiam,
Vtetur ad eadem ipso non improspere.
Olei libras & ricini quinꝗ continet,
Chrysitidisꝗ argenti spumæ quatuor.
Squamæ æris terꝗ sedecim denarios.
Terebinthinæ præstantis ter duodecim.
Mannæꝗ thuris tantundem. pondo duo
Ammoniaci synceri. ceræ ponticæ
Albæ duas libras semissem & insuper.
Coquito oleum, squamam, necnon lithargyron,

A Donec coierint, & color sit optimus,
Fiatꝗ satis emplastrum durum: deinde sic
Terebinthinam pones ceramꝗ, hinc mollius
Ammoniacum digitis confectum: postea
Feruente ab igne cacabo deposito
Mannam inijcies iam frigerato pharmaco.
Frequenter hoc feci citra lithargyron,
Molybdenæ bonæ pari sumpto modo:
Vsusꝗ sum ad quæ dixi iam suauissime.
Probatiorisꝗ id coloris condidi.

Emplastra ad digerendum & extrahendum. Cap. X

Qui compositorum medicaminum uirtutes de-
scripserunt, emplastra quædam ab extrahendo e-
pispastica, sicut alia à discutiẽdo diaphoretica no-
minarunt: alijs utranꝗ extrahendi, et digerendi fa-
B cultatẽ adesse testati sunt. Etenim uicinæ sibi uir-
tutes sunt, eorum quæ in alto latent attractrix, &
attractorũ digestrix. Nam quæ trahunt, etiã non-
nihil omnino discutiunt: & quæ discutiũt, pariter
trahunt. Verũ in digerentibus medicamentis dis-
cussoria uirtus: in trahẽtibus attractrix præpollet.
Cõstant itaꝗ attractrices simplicibus pharmacis,
quæ humorum superfluitates ex profundo in cu-
tem extimã possunt extrahere. Discussoriæ ex his
conflantur, quæ attractũ possunt suapte natura di
gerere. Vt autẽ emplastrum fiat, quemadmodũ su
pra dictum est: huic argenti spuma, illi resina, alij
cera, alij oleum, reliquo pix admiscetur, quæ nec
insignem digerendi potentiã, nec extrahendi con
tinent, sicut uel propolis, uel calx, uel medulla, uel
C chalbanũ, uel asiæ petræ flos, uel spuma nitri, uel
aphrolitrũ, uel acetũ, uel lixiua stacte, piper, sina-
pi & struthiũ, salesꝗ tum qui edi possunt, tum am
moniaci: ad hæc pleraꝗ alia, de quorum facultate
in cõmentarijs Simplicium pharmacorũ dictum
est. Nunc autem emplastra, quæ iam experimen-
to satis probata sunt, exequar: Tantũ adhuc ipsis
adijciens, quod nonnulli etiam astringentia phar
maca extrahentibus miscuerunt, ueriti quod acci-
dit, ubi humorũ superfluitas fuerit. trahunt siqui-
dem plus interim ac cõuenit: ut non solum ex par
ticula quæ curatur, attractionem in alto, sed etiam
ex omnibus uicinis moliantur. Comprehensum
est & antea, cum de carnem generantibus faculta
tibus ageremus, & extrahentia & digerentia, ue-
D lut omnia quæ magis ꝗ oportet detergunt, carnis
explentia fieri cerati mistura: In quibus uirtus qui
dem ualida est, copiosioris: in quibus imbecilla,
paucioris. Quòd si cõpositum extrahẽdi uel dige-
rendi præditũ potestate medicamentũ, astringens
quoꝗ aliquid habeat: tali pharmaco ad carnẽ ge-
nerandam, propter uim astrictoriã utendum non
est, quæ ad uulnera glutinanda & sinus tum ad ul-
cerũ cicatricẽ ducendã utilis est: ad carnis produ-
ctionẽ non ita. Dictũ mihi est abunde iam de hoc.

Andromachi emplastra ad digerendum & extrahendum. 2

Salsum ad multa. 1

Salis communis pondo libras iiij. squamæ æris
pondo uncias iiij. magmatis põdo selibram. man-
næ pondo libram. ceræ pondo libras xiiij. olei cy-
prini pondo libras xvi. acetum adijcitur.

Aliud

Aliud Theudæ Sarcophagi ad cacoethe, fiſtulas, teredines, & ſtrumas. 2

A Reſinæ terebinthinæ, thuris, ceræ, ſingulorum pondo uncias iiij. argenti ſpumæ pondo unciam. quidam auripigmenti ęquale pondus pro argenti ſpuma ponunt. ſquamæ rubræ pondo uncias iiij. æruginis raſæ pondo uncias viij. ſalis ammoniaci pondo uncias ſex. aceti heminam. Ego amplius capio, nempe olei heminam, uini heminã, aceti ſcillitici tantundem.

Aliud ad digerendum Candidi, quo utor. 3

Terebinthinæ pondo libras tres. ceræ pondo libras viij. chalbani, nitri, lapidis aſii, ſingulorũ põdo uncias duas. thuris pondo uncias iiij. medullæ ceruinæ pondo uncias iiij. guttæ ammoniaci pondo ſelibram. propolis pondo uncias tres. olei lauri B ni pondo uncias ſex. ſeui taurini pondo ſelibram. Quæ ſicca ſunt, liquidis admiſcentur.

Aliud ad ſtrumas autore Nymphodoto. 4

Aſii lapidis denarium põdo viij. aphronitri tantundem. ſeui uitulini, calcis uiuæ, ſingulorũ denarium pondo xvi. ceræ denarium pondo xxiiij. terebinthinæ denarium pondo trigintaduum.

Aliud ad diſcutiendam bronchocelen, hoc eſt gutturis tumorem, quo Clemẽs Sertorius curatus eſt. & ad duritias. 5

Argenti ſpumæ denarium pondo quinquaginta. reſinæ pityinæ denarium pondo quadraginta. olei ueteris heminas x. chalbani denariũ põdo iiij. æris combuſti denarium pondo uiginti. guttæ ammoniaci denarium pondo quadraginta. aluminis fiſſi denarium pondo iiij. mannæ thuris tantundẽ. C ceræ denarium pondo quinquaginta. poſtremo chalbanum & mannam inijcito.

Aliud ex aſpidibus ad diſcutiendũ ſtrumas, item ad podagras. 6

Terebinthinæ, lapidis aſii, bituminis, ſingulorũ denarium põdo ccclx. aphronitri, adipis uitulini, ceræ, baccarum lauri, guttæ ammoniaci, ſingulorum denarium pondo trecentorum quadraginta. lapidis pyritis denarium pondo octoginta. calcis uiuę denarium põdo centum octo. aſpidum cineris denarium pondo centum quadraginta. olei ueteris heminas ij. poſtremo cinis pharmaco refrigerato inſpergitur: ſin minus, perit.

Aliud ad extrahendum Sarceuthitæ. 7

Terebinthinæ pondo minam. cerę tantundem. nitri pondo minas duas. bdellij denarium pondo trigintaduum. guttę ammoniaci tantundem. olei, D marinæ, uel muriæ, cuiuſq; heminas duas. minij denarium pondo trigintaduum.

Aliud Cteſiphontis, quædã diſſoluens, quædã cogens & extergens. 8

Aphronitri pondo libram. mannæ thuris põdo libram. lixiuiæ ſtactæ põdo libram. quidam etiam aceti librãm addunt.

Aliud ex ſale, ad extrahendum. 9

Salis cõmunis denariũ põdo lxxx. ceruſſæ tantundem. olei ueteris heminas tres. atramenti ſutorij denarium pondo xxiiij. aceti cyathi dimidium.

Aliud ex ſale aliter. 10

Ceruſſæ, ſalis cõmunis, ſingulorum denarium pondo quinquaginta. olei ueteris heminas viij. ariſtolochiæ denariũ pondo viij. propolis denarium pondo decem. hoc Silo commendabat.

Aliud ex terra pelagia ad digerendum. 11

Argenti ſpumę pondo minas quatuor. terræ pelagiæ, ſalis ammoniaci, ceruſſæ, ceræ, ſingulorum quartam minæ portionem. aceti heminam. olei heminas quatuor.

Aliud Cyrti ad attrahendum. 12

Iridis illyricæ, mannæ, terebinthinæ, aphronitri, pumicis, ſingulorum denarium pondo quinquaginta. guttæ ammoniaci denarium pondo uiginti quinq;. chalbani denarium pondo ſedecim. canchryos denarium pondo duodecim ſemis. cerę denarium pondo centum. alij octo. olei heminam.

Aliud ex radiculis. 13

Reſinę, nitri rufi, cerę recentis, baccarum lauri, colophoniæ, ſeui uitulini, guttæ ammoniaci, ſingulorum denarium pondo ſeptuaginta. cyprij decimamſextam heminæ partem, nonnulli autem uiſci denarium pondo quinquaginta.

Aliud attrahens, Harpalum. 14

Guttæ ammoniaci denarium pondo viij. ceræ, iridis, mannæ, piperis, ſulfuris uiui, pumicis, ſingulorum denarium pondo quatuor. terebinthinę denarium pondo octo. olei parum.

Aliud attrahens Harpalum. 15

Terebinthinę pondo minas octo. pumicis denarium pondo quindecim. nitri denarium pondo ſedecim, guttę ammoniaci tantundem. ceræ denarium pondo quatuor. minij quod poſsit ea colorare: arida cum aceto ſubiguntur.

16 Aliud. Sinapeos denarium pondo quatuor. nitri tantundem. ceræ denarium pondo viij. terebinthinæ denariũ pondo triginta. baccarum lauri, calcis uiuæ, ſingulorum denarium pondo quatuor. olei decimamſextã heminæ portionem. cyprij denarium pondo viij.

Aliud ad pus diſcutiendum. 17

Ceræ, terebinthinæ, reſinæ, picis ſiccæ, ſeui uitulini, nitri rufi, baccarũ lauri, calcis uiuæ, pumicis, guttæ ammoniaci, ſingulorum æquale pondus.

Aliud Codami Regis. 18

Ceræ, nitri rufi, reſinæ frictæ, ſingulorum denariumpondo centum. guttę ammoniaci, propolis, ſingulorum denarium pondo uigintiquinq;. uiſci quercini denarium põdo duodecim ſemis. olei ſextarium. lixiuię ſtactę tantundem.

Aliud diſcutiens meliceridas. 19

Olei ueteris denarium pondo c. argenti ſpumę denarium pondo nonaginta unius. guttę ammoniaci, chalbani, utriuſq; denarium pondo xix.

20 Aliud. Argenti ſpumę denarium pondo centum. ſalis communis denarium pondo ſexaginta. olei ueteris heminas ſex.

Aliud attrahens & digerens ad multa utile. 21

Argenti ſpumę, ceruſſę, chalbani, ſingulorum pondo libram. ſalis foſsitij, ęruginis raſę, ſingulorum ſelibram. olei ſextarios tres. atramenti ſutorij pondo uncias duas.

Aliud ad digerendum ex ſtruthio. 22

Argenti ſpumę pondo libras duas. olei pondo libras tres. ceruſſę, picis, terebinthinę, ſingulorum pondo uncias quatuor. ceræ pondo uncias duas. mannæ pondo uncias tres. ariſtolochię pondo un

 cias

cias duas. struthij tantundem. gallæ pondo uncias tres. uini boni heminas tres. uinum ultimum infundito.

Aliud ad digerendum, ut Scribonius. 23

Argenti spumæ pondo quinq;. olei pōdo quinque. pityinæ siccæ pondo quinq;. propolis pondo octo. uisci de quercu lecti pondo quadrantem.

Aliud trahens & digerens. 24

Ceræ nouæ, resinæ pityinæ siccæ, nitri, singulorum denarium pondo centum. olei heminas tres. nonnulli thuris denarium pondo centum. lixiuiæ stactæ heminas tres. Ad duritias, guttæ ammoniaci denarium pondo duodecim misceto. chalbani tantundem. æruginis rasæ, uisci de quercu lecti paria pondera.

Aliud ad strumas Minutiani quo utor subinde. 25

Terebinthinæ pondo unum. ceræ pondo viij. propolis pondo unum. chalbani pondo viij. uisci de quercu lecti pondo viij. His liquefactis, fæcis combustæ uncias duas inspergito, aphronitri pondo viij. Deinde ubi carbonibus imposueris, olei heminas tres iniicito, postea sublatis, cucumeris agrestis radicis unciā inspergito, gladioli radicis uncias quatuor. asii floris tantundem.

Aliud Antipatri. 26

Nitri, terebinthinæ, olei ueteris, singulorū pondo libram. aquæ sextarium, & amplius, ubi cocta non ebullierit, immittito guttæ ammoniaci pondo uncias duas. chalbani pondo unciā. bdellij pondo unciam unam. thuris pōdo uncias duas. sandarachæ pondo uncias duas. lapidis asii pondo unc. duas. Asius & sandaracha ex oleo pauco leuigantur, liquabilia raduntur, & aridis miscentur.

Aliud ad digerendum Antipatri. 27

Molybdenæ pondo denarium trecentorum. ceræ denarium centum quinquaginta. terebinthinę denarium pondo triginta. chalcitidis denariū pōdo sex. chalbani denarium pondo viij. myrrhæ denarium pondo viij. mannæ denarium pondo viij. olei per hyemem heminas quatuor. per æstatē iij.

Aliud Xenocratis, dolorem sedans, ad digerendum, ut Castus, medicamen Polystomi ad podagram. 28

Cerussæ denarium pondo centumquinquaginta. ceræ pondo tria. terebinthinæ denarium pōdo triginta. aphronitri denarium pondo triginta. olei ueteris heminas tres.

Aliud ad digerendum meliceridas, Alexandri. 29

Salis Hispani, argenti spumæ, cerussæ, singulorum pondo libram. ceræ pondo unciam. terebinthinæ tantundem. chalbani & opopanacis pondo uncias duas. sinapeos pondo uncias sex. olei ueteris pondo tria. aceti sextarios viij.

Aliud Sanitas, digerens, & extrahens, ad mammillas ex uisco. 30

Argenti spumæ pondo libras duas. olei pondo libras duas. uisci quercini pondo trientem. gallæ tantundem.

Aliud pus uacuans sine ruptura, ut Asclepiades. 31

Resinæ pondo libras duas. ceræ pondo libras duas. nitri pondo libras viij. butyri pondo libram. adipis leonini pondo libras sex. olei ueteris pōdo libram. simul liquefacito, quotidie emplastri modo imponens medicamentum, utitor.

A *Aliud expressorium, humores & abscessus, maxime in genu, & articulamentis sine incisione extrahens: à phlegmone præseruat: uulneribus utiliter admouetur.* 32

Plumbi scoriæ terebinthinę, singulorum denarium pōdo centum. olei ueteris heminas duas. postremo resinam.

Aliud digerens, cutem rumpens, cicatricem ducit, humores euocat, quo utor. 33

Visci quercini denariū pondo sexaginta. picis denarium pōdo quinquaginta. guttæ ammoniaci denarium pondo centum. ceræ denarium pondo quinquaginta. resinæ frictæ denarium pōdo quindecim. lapidis pyritis denariū pondo decem. chalbani denarium pondo viij. mannę, iridis illyricæ, cachryos, stercoris columbini, singulorum denarium pondo iiij. alibi & mellis heminas quatuor.

B *Quæ scripserit Asclepiades attrahentia.* 3

Album attrahens, facit ad strumas, & particulares abscessus, curat fistulas, & ægylopas, ut sine incisione liberet, ualet ad rheumatica, & curatu difficilia, benefacit hydropicis. Argenti spumæ, cerussæ, salis, singulorum denarium pondo octoginta. olei ueteris sextarium. Sal, cerussa, argenti spuma ex oleo ipsis adiecto teruntur, deinde curiose mista, & in uas fictile coniecta coquuntur, mouenturq; assidue, donec nō inquinent. Dehinc in mortarium transfusa, rursusq; tunsa excipiuntur, & usui sunt. Aliud. Argenti spumæ denarium pondo centum. salis denarium pondo quinquaginta. olei heminas tres. cerę denarium pondo quinquaginta. terebinthinæ denarium pondo duodecim.

C Aliud. Mannæ denarium pondo sedecim. aluminis scissi denariū pōdo viij. olei ueteris heminas duas. Aliud. Argenti spumæ pondo librā. cerussæ pondo libram. salis fossitij pondo libram. ceræ denarium pondo quinquaginta. terebinthinæ denarium pondo uigintiquinq;. mannæ denarium pondo sedecim. aluminis fissi denarium pōdo viij. olei ueteris heminas duas & semis.

Aliud Lucij ad prædictas dispositiones medicamen compositum, facit ad ulcera rheumatica, diuturna & uix sanabilia.

Argenti spumę, cerussę, salis ammoniaci, atramenti sutorij, pityinę, singulorū denariū pondo c. olei ueteris sextarios iij. aceti sextariū i. cerę denarium pōdo quinquaginta. preparato ut supra dixi.

Aliud salubre pharmacum ad prædictos affectus compositum.

D Argenti spumæ, cerussę, salis, aluminis liquidi, singulorum denarium pondo centum. olei ueteris sextarios decem. aceti sextariū unum. ceræ pōdo selibram. resinæ terebinthinæ pondo selibram. conficito ad modum prędictum.

Aliud nigrum attrahens.

Valet ad strumas, parotidas & particulares abscessus, dissoluit omnem duritiē, præstat item malagmatis boni uicē, sicut usus est Antonius Herbarius: itē facit ad articulorū uitia. Salis fossilis pōdo libram. argenti spumæ pōdo libram. strigmēti purissimi pondo libras quatuor. chalbani denarium pondo quinquaginta, salem & argenti spumā conterito: deinde strigmento adiecto studiose rursum tūdito: in uas fictile cōiecta, igniq; suprapolita coquito, mouens sine requie. & cum nō amplius in-

quinat, ab igne deposito, chalbanum ligneo pistillo tunsum addito. ubi soluta fuerint, in pilam trasfundito, ibiq; contusis utitor.

Aliud quo usus est Andromachus.

Facit ad strumas, parotidas, mammarū duritias, particulares abscessus, contentū humorem extrahit, sinus iūgit, iuuat fistulas, ægylopas, facit ad fluentia ulcera, uetera, & uix sanabilia. Cerussæ, salis fossitij, singulorū denarium pondo octoginta. atramēti sutorij denariū pondo duodecim. olei ueteris heminas tres. aceti heminas quatuor. salem in tenuissimum puluerem redactum cerussamq; ex oleo coquito, ac dum nō inquinet moueto. ubi bene habuerint, depositis ab igne, atramentum sutorium aceto tritum immittito, & exiguum cōtinue inspergens, caue ne efferuescat: deinde in mortarium transfusa, rursusq; tunsa excipito, & utitor.

Quæ scripsit Asclepiades discutientia, ex illius uerbis. 4

Tumoribus dissolutis, & in humorem digestis, infra scriptæ compositiones conueniunt.

Cerine Ctesiphontis.

Valet ad strumas, ganglia, parotidas, mā̄marum abscessus. ut nullum aliud pharmacū tumores resoluit, & quicquid humidi continetur, rarefaciendo elicit, sinus glutinat, iuuat fistulas & ægylopas, ut citra incisionē liberet. Est etiam malagma utile coxarijs, id est coxæ morbo laborātibus, podagricis, arthriticis, post accessiones impositū toto affectu leuat. Hęc recipit. Ceræ, terebinthinæ, nitri, olei ueteris, singulorum pōdo libram. aquę heminam. nitrum & aquam terito, ut ex toto soluātur, & in uas fictile coniecta igni imponito, uase cooperto coquito, ex interuallis moueto. Cum autem strepere adeo desierit, liquabilia inijcito, mouens assidue, donec non inquinēt: in mortarium transfusa rursus tundito, inde excipiens utitor. Vel hac ratione præparatur: quæ liquari possunt, liquefacimus: & cum dissoluta fuerint, nitrum ex aqua leuigatum adijciemus: idq; paulatim mouentes assidue, cauentesq; ne efferuescat.

Alia qua usus est Menecrates, præcipue in strumis et mammarum duritie. quippe perforat eas, & contentum humorem excernit: sinus iungit, & ad cicatricem perducit.

Ceræ, resinæ terebinthinæ, resinæ lignosæ, chalbani, olei ueteris, aphronitri, singulorum pondo libram. ficulnei cineris sextariū, qui pendit uncias uiginti. resinas in uas æreū aut fictile iniectas, ignique impositas liquefacito. ubi percolaueris quantū satis est chalbano emolliēdo, postea liquabilia simul mista quousq; nō inquinēt coquito, deinde ab igne reposita refrigerari sinito, & his aphronitrum adiungito, mouens continue, & contusa cineribus leuissimis inijcito. postquam permiscueris excipito, & utitor. quinto quoq; die soluito, deinde tertio, donec tumores forati fuerint: postea quotidie inter curandum soluito.

Alia ex aphronitro, à quibusdam Dionysia dicta, pharmacum ad prædictos affectus compositum, quo usus est Largus.

Ceræ, terebinthinæ, mannæ, aphronitri, singulorum pondo libram. olei sextarium. aquæ lixiuij pileatorij sextarium. misyos crudi pondo uncias ij. componito sicut dixi.

Aliud ex asio medicamentum, ad prædicta uitia compositum.

Ceræ, terebinthinæ, nitri, singulorum pondo libram, thuris selibrā, lapidis asii floris, olei cyprini, utriusq; selibrā. aquæ lixiuij pileatorij quod satis est. arida cum aqua pileatoria dissoluuntur, ut sordium crassitudinē habeant, & studiose leuigātur: quę liquari possunt, liquefiūt, & refrigerant, tritis immittunt, ubi cōtuderimus, excipientes utimur.

Aliud Asianum Neapolitæ, facit ad eadem.

Ceræ pōdo lib. unā s. nitri rubri pōdo lib. lapidis asii floris pondo lib. s. mānæ pondo selib. myrrhæ pondo uncias tres. olei ueteris pondo librā. aquæ pileatoriæ heminam. pręparatur superiore modo.

Aliud ad idem.

Cerę, terebinthinę, singulorum denariū pondo centum. nitri spumæ, olei ueteris, mānę thuris, singulorum pōdo libram. lapidis asii floris pōdo selibrā, chalbani, propolis, guttæ ammoniaci, singulorū denariū pōdo xij. aquę pileatorię quod sufficit.

Aliud giluum ex libris Damocratis, eadem efficiens.

Argēti spumę, cerussę, salis fossitij, singulorū pōdo lib. minij sinopici pōdo selib. cerę pōdo unc. ij. terebinthinæ totidē. olei ueteris heminas iij. aceti quātū sinopico soluēdo sufficit. cōficito ut supiora

Aliud ad eadem.

Argenti spumæ, cerussæ, salis fossitij, singulorū pondo libram. minij sinopici pōdo selibram. ceræ pondo uncias iiij. chalbani pōdo uncias duas. resinæ terebinthinæ tātundē. olei ueteris heminas iij. aceti quo rubrica dissoluatur: conficito ut dixi.

Aliud ex mastiche ad eadem.

Ceræ pondo librā. mastiches, mānæ thuris, sinopidis, aphronitri, singulorū pōdo selibrā. olei myrtei pondo uncias tres. marinæ aquæ uncias tres.

Aliud Neapolitæ ad eadem.

Argenti spumæ, cerussæ, salis fossitij, singulorū pondo libram. minij sinopici, ceræ pityinæ, singulorum pondo selibram. chalbani pondo uncias duas. olei heminas tres. aceti quantum satis est.

Discussoria scripta à Damocrate. 5

Ad digerendum melinum emplastrum efficax
Infantium strumas non ueteres, insuper
Et duritias musculorum, item & cutis,
Et phlegmonas, quæ durant multo tempore,
Carnem replet, ducit cicatricem probe.
Sic conficitur. Excellentius lithargyri
Plerunq; libram. item cerussæ selibram.
Ad hæc receptat pondo libram quoq; noui
Pinguis olei. immissa ast ollæ lithargyrus
Ex oleo coquitur, ubi iam spissitudinem
Habet sordis, leuem cerussam tum capit.
Cum non inficiens, temperie & bona admodum
Pauloq; durius uideris, immittitur
Cera, & pityina, quibus liquatis ollula
Ab igne feruens tollitur: tunc protinus
Ammoniacum, tum cera manibus ut solet
Atq; digitis subacta, iuxta ignem inditur.
Postea mouetur pharmacum rudicula,
Rursusq; mollitur manibus, sic conditur.

Aliud.

Aliud ad omnia hæc: strumas ipsas uero
Magis resoluit, & laborantes iuuat.

Præcordia ne abſceſſus,quibus eſt cautio,
Tumore quopiam atq; metu exerceat.
Hanc obtinet confecturam, nigrum quia eſt.
Picis humidæ,ſiccæ, pondo libras duas.
Denſiq; uitrei,duas bituminis,
Frictæ pityinæ quatuor. ceræ capit
Tres,thuris unam libram & partem tertiam,
Squamæ æris uncias pariter bis quatuor,
Recentis olei communis quinq; uncias.
Thus,ſquama teritur, quibus aceti apponitur
Menſura iuſta. ut curioſe trita ſunt,
Et craſsitudinem mellis tenent,coques
Ceram reliquaq;, tum ſimul oleo nouo:
Et ſic leuigatis calida ſuprafundito.
Vbi diligenter manibus omnia robore
Commiſcueris, contectum pelle condito.
Nam exaſperatur, cruſtula atq; obducitur.

Damocratis compoſitiones ex ſale, diſcuſſoriæ.

Hoc præparato ſimul,ut præſtans pharmacum.
Bonæ ceruſſæ,& argenti ſpumæ bonæ,
Cuiuſq; pondo,denasq; ſalis uncias.
Omnis uero eſt ſal albus multum pharmaco
Futuro utilis. atqui longe præſtantior
Ammoniacus confectus & purus mari,
Et tres uetuſti libras olei pondere.
Oleum coquito,reliqua & trita ſimili modo
Quò duriora aduſq; ſint malagmate:
Nam ſepoſita multo remolleſcunt magis.

Aliud.

Aliud melius, nam duritias diſcutit
Cunctis ualentius inueteratas nimis.
Et bronchocelas,& magnas meliceridas.
Et contumaces ſtrumas,necnon ancylas.
Sic conficitur. Libram ſalis leuiſsimi,
Tenuis,duas ceruſſæ,tot at chalbani
Fac uncias, totidem puræ propoleos.
Ariſtolochiæ binas pariter uncias,
A Præſtantis olei libras annoſi duas,
Craſsiſsimum ſi fuerit, addes alteram.
Coquito ſimiliter, temperatumq; probe
Ab igne tollito, leuigatam tunc quoq;
Ariſtolochiam inſperges, inieceris ubi
Mollita, propolim ſcilicet atq; chalbanum.

Aliud ad digerendum Damocratis ex calce uiua.

Valde bonum ſtrumas ſoluit per halitum.
Omnem tumorem reprimit,necnon hepatis
Vel ſplenis affectus aquoſos curat, &
Excretionem urinæ ualde promouet,
Et inueteratos diſſoluit coxendices.
Nempe Vlpianus hoc iuuenis induſtrius
Vtens auxiliabatur ægris plurimis.
Sed continet libram ceræ unam ponticæ,
B Vnamq; frictæ,præterea unam pityinæ,
Calcis recentis uiuæ quoq; pondo unciam.
Aluminis fiſsi ſimiliter unciam.
Aequale pondus arſeniciq; pontici,
His ſuaueolentis paulum aceti affundito.
Maiore tere in mortario quoad ſit ſatis,
Ceræq; reſinæq; miſcens paululum
Olei,liquato flamma ignis quamacerrimi,
Ac temperans omnia,faciens malagmata.
Nec pharmaci inquinantis craſsitudinem
Reponito,utens excipe nouo ſplenio.
Aiebat optimus medicamenti pater
Morbis diuturnis præſidium ſuſcipi
Iſtud bonum: quibus item longa uiſceri
Cuiuslibet inflammatio præcordia
C Induruerit,auxiliari uel maxime.
Quippe id ſudores excitat,præcordijs
Duritiem tollit,morbos ſoluit protinus.
Retenta naturalia diu menſtrua
Paucis diebus adeo impoſitum prouocat.
Nos calce dempta duplum alumen indimus.
Et melius pharmacum erat, haud faciẽs puſtulas.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI VII.

Cap. I. Malagmata quæ dicãtur: ꝙ mediocriter calida ſint, in hum. & ſicco temperata, uel parum ad alterutrum uergentia, dũmodo calidiuſcula ſint. Methodus curandi indurata: & ꝙ alij diſcutiẽtia mollientibus commiſceant, uel æquo pondere, uel alterutris præua-
D lentibus. Quod ipſe his facultatibus, non ſimul in uno medicamento, ſed alternis utatur. Fortia cum infirmis componenda. Materia & gradus mollientium medicamentorum, id eſt quæ magis, quæ minus molliant.

2. Scirrhus durus & ſine dolore eſt, phlegmone dolet: medius inter eos affectus (qui ſcirrhus phlegmonodes uel quæ dici poteſt) non dolet niſi cum tangitur.

De differentia magnæ & paruæ phlegmones aut duritiei. II. De uſu parygri, ad duritiem cum phlegmone aliqua: Quod paruæ phlegmonæ medeatur, ſi recentiſsimum fuerit: duritiei uero, paulo uetuſtius cõuenit, idq; eo magis, quo durior tumor & à phlegmone doloreq; alienior fuerit: medijs medio modo. Cerelæon & alia parum mollientia paruas phlegmonas ſanant: magis molliẽtia, paruas duritias ſine phlegmone: quæ maxime molliunt, maiores durities ſcirro finitimas, ut medullæ, bdellium, ſtyrax, ammoniacum. Et plura ſingillatim de ſtyrace, ammoniaco, adipibus, medullis.

2. De reſinis. Siccãtia aduerſari molliẽtibus. Thus, fœnogræcum. Oleoſa quæ ſint, nempe calida & hum. cum quadam uiſcoſitate. Ammoniacum, propolis, galbanum, opopanax. 3. Quomodo utendum ſit prædictis: & de ipſa chirurgica adminiſtratione. Balnea. propoſitio deinceps dicendorũ. III. Mollientium quatuor gradus determinat, & primum enumerat ea quæ primi ſunt ordinis. 2. De gradibus ſecundum quatuor primas qualitates: ꝙ quædam ambigere uideantur inter finem præcedentis & ſequentis initium. Et ꝙ multa experiẽtia in ſingulis opus ſit, ad exacte pronunciandum de gradibus ſimplicium. 3. De ſecundi ordinis malactico emplaſtro Mnaſeæ, quod conſtat oleo, lithargyro, & adipe ſuillo: & quot eius differentiæ eſſe poſsint, pro ſimplicium ætate, & pondere, ijſdem aut diuerſis. 4. Vnius pharmaci compoſitionẽ unam non omnibus cõuenire, ſed alijs aliam: proinde nullam ſimpliciter præferendam eſſe. Quod Andromachus Mnaſeæ emplaſtrũ hapalen inſcripſerit. Eundem reprehendit, ꝙ uires & differentias remediorum ſecundum magis & minus non adſcripſerit. IIII. De malagmatis ſiue emplaſtris mollientibus, quæ Aſclepiades perſcripſit, numero 9. Ex quibus quartum inſcribit Lucij malagma, quod ualidiſsimum & ultimi ordinis eſſe dicit: & quid Heras ab Aſclepiade in eius compoſitione uariet, prolixe oſtendit: demum uires eius & aliorũ in hoc capite præſcriptorum oſtendit: & Incidentia quãdo miſcenda ad ſcirrhos. 5. De opopanace & aceto cum fimo caprino, quæ ſeptimũ mox pharmacũ ingrediunt.

7. Vide parte 5. 8. Aliud quod simplicia pharmaca admodum calida, attenuantia, & incidentia recipit: parum autem emollit. V. Malagmata ab Andromacho scripta, numero 38. ex quibus septimum decimum polyarchij nomine, triplici compositione describitur.

VI. Damocratis malagma senarijs conscriptum.

VII. De pharmacis chalasticis: & primum, quod sic uocentur quæ partes intensas relaxant: ut malactica, quæ duras molliant. In phlegmonis tenditur cutis, uel propter tumorem subiectum, uel simul & ipsa inflammata.

Prima differētia remediorum scirrhi & phlegmones. Phlegmonæ & duritiei quid idē, quid diuersum. Scirrhus, alius est purus & sine sensu, qui solis ualde discutientibus & attrahentibus, quod in phlegmone non licet, curatur: alius cum sensu aliquo, per mediocriter discutientia curandus. Quomodo phlegmone & erysipelas durescat, si pharmacis nimiū siccetur, refrigeretur, astringatur. Altera curationis differētia: Lenioribus in phlegmone utendum. Fortibus enim & dolor irritaretur, & attraheretur materia. Triplex differentia remediorum ad phlegmonas, & de materia chalasticorū.

2. De Menecratis libro Autocrate monogrammato: & Damocratis laus, qui remedia uersibus scripserit, ut deprauari nequeant. VIII. Damocratis senarij de Menecratis emplastro diachylon. Periphrasis accidentiū in uulnere musculi uel nerui. Ad podagricos. Simplicia & apparatus. 2. Eiusdem alia confectio, radicibus maluæ adiectis. 3. Adhuc de eodem. 4. Alia compositio ad eosdem affectus. IX. De acopis. De nomine & uario usu acoporum: & quod olim hoc uocabulum uim medicaminis significauerit, iam uero consistentiam tantum: quæ in acopis omnibus humida est.

Pharmacorū secundū consistentiā differētiæ, liquidissimum est cerelæon, minus minusque cerata liquida, hapala, amolynta. Acoporum differentia nomina à diuersis facultatibus. Oleum, simplicissimum acopum: primum oliuarum, deinde raphaninū, sinapinum, sesaminum, liliaceum, &c. Cæterū ad profundas & uehementiores lassitudines, relaxantia quædam & modice calfacientia miscentur, ut galbanum, resina. Chrisma acopon elatinū. Adipes. Duris corporibus acopa fortiora conuenire: mollibus, mitia. Myracopa, id est acopa odorata. X. Acopa & myracopa Asclepiadis, numero. 40. Ex quibus nonū dysodes cognominatur, à galbani odore puto: cui simile est & re & nomine septimum Andromachi sequente capite. Pharmacum 23. & reliqua deinceps ad finem usque capitis, omnia ferè faciūt ad podagricos, arthriticos, ischiadicos: quanquam & præcedentia pleraque ad easdem & alias neruorum ferè affectiones, commendentur. XI. De acopis Andromachi, numero 21. quorū aliqua nihil ab Asclepiadis acopis differunt, nisi pondere simplicium. Septimo dysodes cognominato, simile esse diximus re & nomine nonum Asclepiadis in præcedente capite. XII. Gleucini descriptiones 4. & primo secundū Andromachum.

2. Secundum Critonem. 3. Secundum Dioscoridem. 4. Secundum Heram. XIII. Acopa 4. ex libris Heræ. XIIII. Damocratis acopa 4. senarijs perscripta: Et primum quæ nam acopis omnibus communes sint facultates. Simplicia acopi quod diamelitos dici potest (licet diuersum ab eiusdem nominis acopis quinto & sexto Asclepiadis, cap. 10. supra positis.) Eiusdē apparatus & usus. 2. Chloracopi cuiusdā (quod ab euphorbio denominādū uidetur) usus, cōpositio, & apparatus. 3. Aliud parabile. 4. Myracopū ex stacte, & opobalsamo, etc. & uariæ eius confectiones.

GALENI DE COMPOSITIONE
MEDICAMENTORVM PER GENERA
Liber septimus.

MALAGMATA uocant medici, quæ partes præter naturā induratas emolliunt, calido omnia temperamēto mediocri prædita, non tamen exiccantia, quemadmodum nec humectātia manifesto. Nam cum exacte mollientia medium quodāmodo ordinem inter humectātia siccantiaque sortiantur, indurescentium substantiæ uelutifusionem quandam moliuntur. Nominantur autem mollitiua, licet in alijs paululum ad siccādi humectandique uirtutem inclinent, si modo subiectā partium quas cōtingunt, substantiam queant diffundere, quod nimirum propter moderatū in eis calorem accidit. Ac quòd ubi durities diffusa fuerit, digerentium medicamētorum usus ueniat, in tertio De simplicium facultate medicaminum, et in decimoquarto Therapeutices methodi libro comprehensum est. Indurescentia igitur quæ ex methodica seu rationali arte non curata scirrhum contrahunt, optime curabuntur, si medicus spectet, quantum ægri corporis substantia à mediocri humiditate, ac siccitate, recesserit, quēadmodum etiam si affectus constitutionem quatenus sit aucta inspiciat: præterea consideret inter ipsa pharmaca quæ magis, quæ minus emolliāt. Huc nanque spectanti primus usus emollientis medicaminis, cōiecturalis quidē erit, sed cum artificio. At post unum aut alterū diem num intēdere medicamenti uirtutem, an remittere conueniat, intelliges, ut in prioribus & medendi Methodo dictū est. Quapropter medici digerentia pharmaca cōposuerūt, ceu scopos ambos sibi proponentes, tum ut partis duritiem quæ iam in scirrhum degenerat, diffunderent: tum ut per halitum digererent, non uicissim, utroque utentes, quemadmodum me frequenter facere conspicitis: uerum semper duo ipsa composito medicamine molientes. Notum porrò est omnibus, in mistura uel emollientia, uel digerentia esse copiosiora, tū maioris minorisque rationem in ipsis esse non exiguam. constat quoque subinde paria facultatibus misceri: ac necesse est, sicut in alijs medicamentis, ita in his etiam, si probe mederi cupias, plura eiusdem generis pharmaca uel certe duo habeas, ualidissimum puta totius generis, & moderatissimum, ut ex facta ipsorum mistura diuersa & conuenienti, multa quæ intra summa contineantur medicamina efficias. Non enim pingue eandem uirtutem obtinet quam bdellium, styrax, & gutta ammoniaci: quemadmodum nec inter ipsos adipes anserinus, & gallinaceus, uel pardi, uel leonis, uel hyænæ, uel alterius cuiuspiam animalis. Nam secundum animalis temperamentum, etiam adeps est, nempe calidiorum magis excalfacit, sicciorum uero euidentius siccat. At uul-

gus

gus medicorum nouit leoninum adipem in utroque, calfaciendo dico & digerendo, longe esse ualentissimum. Proximū locum habet pardi adeps, adeo ut parū emolliat, minore autem in calfaciendo digerendoq; præditus uirtute est anserinus, habetq; plus quiddā in molliēdo: pari spatio ab hoc recedit adeps gallinaceus. Hi igitur omnes tenuiorum partium substantiam inter quadrupeda animantia obtinēt. at differentia rursus permagna in illis est, cum suillus quidem mollissimus ac humidissimus, eoq; aliorum imbecillimus sit, ut teneris corporibus conueniat, cuiusmodi habent mulieres, pueri, eunuchi, & uiri delicatiores, in umbra, ocio, & frequentibus potabilis aquę balneis, effœminati. caprarum uero & boum pingue quanto suillo est ualidius, tanto magis corporibus, natura durioribus, & inter duriora scirrosioribus conuenit: taurorū hircorumq;, in ualidioribus, tum corporibus, tum affectibus proficit.

2 Eadem uero & alijs in minoris maiorisq; ratione inter se est differentia. Porrò ab imbecillioribus auspicabor, si prius de duritiei, ac scirrhi affectu quædam prælibauero. nam cum phlegmone laborantibus & indurescentibus cōmune sit accidens, digitis prementibus reniti, distinguūtur affectus, doloris sensu & indolentia: hoc enim non amplius utrisq; cōmune est. Quemadmodum uero in alijs omnibus quæ suapte natura recidere in se mutuo possunt inest confinium utriusq; aliquatenus particeps, ita quoq; tumorū phlegmone laborantium, cum scirrhis absq; phlegmone, quales induratis accidunt, media quædam est dispositio, doloris quidem expers, si non digitos imprimas, dolēs aūt si id facias: quā clarioris breuiorisq; disciplinæ gratia, uel phlegmonē scirrhosam, uel scirrhum phlegmonoden dicemus, non hic tumoris magnitudini animū attendentes. Nam phlegmone & scirrhus formæ affectuum nō quantitatis in altero ipsorum nomina sunt: cum phlegmone uel propter parti inflāmatæ magnitudinem, uel ob tumorē præter naturā magna euadat: parua aūt, cū aut paruum locum possidet, aut exiguū tumorem habuerit. Dicet nunc mihi paruæ phlegmonę scirrhiq; parui curatio, sicut & magnę magniq;, ꝑ affectuum specie. hinc enim & aliorū quæ magna & parua dicuntur curationis notio intelligetur. Itaq; magna phlegmone cataplasmatis ac humidis quibusdā medicamentis sanatur: parua cum scirrhosa durities mista fuerit, itidem cataplasmatis: interim uero medicamentis cerati modo cōfectis & liquidis, insuper & emollientibus emplastris. Talibus aūt & parua durities tollitur, sed in hac quidē simplex scopus, quemadmodū & phlegmone consistente est: cum uero durities phlegmonodes quippiam habuerit, cōpositus quoq; scopus efficitur.

De medicamento quod quia liquidum est, Parygron Græci appellant. Cap. II

Ac ideo quoq; medicamen quodammodo compositū est, ueluti et hoc quod Parygron nominant omnibus cognitum: magnificè uero cum ab alijs quibusdā, tum Hera cōmendatū. Medetur enim

A id particulæ parua adhuc phlegmone cōflictanti, non multo post confectionem tempore, sed protinus impositū: ubi uero duritiem à dolore alienam pars affecta acquisierit, uel paulo recenti uetustius utile est: quēadmodū etiam si phlegmonodi affectu omnino sit libera, melius in ea uetustius medicamentū proficit: enimuero medicamēti tēpus pro duritiei intentione uidelicet ęqualiter augere conuenit, & si partē ualde induratā, ne uetus quidē pharmacū emollierit. Quippe uaria hoc Parygrū dictū medicamentū & promittit, & potest: quoniam materiem mistam quoq; seu uariā obtinet, siquidem adeps suillus & cera mollientiū sunt imbecillima: argēti spuma uero & cerussa nihil habent quod emollire possit, quemadmodū antea diximus. Porrò Heras qui pharmacū hoc omniū

B maximè laudauit, ex hisce ipsum conficit his uerbis. Adipis suilli recētis curati pondo uncias quadragintaquatuor. ceræ pondo uncias uigintiquatuor. cerussæ pondo uncias sex. argenti spumæ tantundem. quæ liquari possunt, siccis superfunduntur: temporis autem spatio medicamentū cōsistit, spissaturq;. Sicut ceram & adipem suillum imbecillę molliendi uirtutis esse dixi: ita quoq; si oleo pauxillum ceræ misceas, id quod à medicis cerelæon dicitur, efficies. Oleum aūt uidelicet esse cōuenit, nec quod uocant omphacinū & omotribes, quasi dicas immaturū & crudum, nec quod oleæ surculos in confectione assumpsit. Itaq; tam imbecillia mollientia etiam paruis medicantur inflāmationi

C bus. His aūt fortiora breuem duritiem sine phlegmone persanāt: his adhuc ualidiora maiores, quēadmodum & quæ duritiē in scirrhum propè degenerantē curant, efficacissima sunt, cuiusmodi est medullarū genus, in maioris minorisq; ratione inter se differentiū, ut deinceps explicabo. Itē bdellium utrunq;, Arabicū & Scythicum, insuper styraces: siquidem & horū efficacissimus est colore pallidus, qui etiā optimus in Pamphilia nascitur: qui uero hoc magis fuscus est, ubicq; prouenit, potentia multo pallidiore inferior, at temporis processu & ipse aureū colorē acquirit. Hoc itaq; priore inquam in antidotis propter caritatem utimur: ac tu propterea principi quodcūq; ex styrace præparās, semper hoc uteris. item si familiariū quis in

D pharmacorū sumptibus magnificus existat, illi q̃q; ex huiusmodi styrace medicamentū componens: in alijs optimū ex fusco genere deliges, & odore potissimum & colore iudiciū eius sumens: nam niger deterior est. Cæterum his quæ indurescētia ualide emolliunt, gutta ammoniaci ascribitur, eaq; magis pinguis & noua. His minus sed tamē & ipsa efficacia sunt caprarū, boumq; pinguia: inter ea ipsa hircorū ac taurorū, ualidiora sunt: boum uero & caprarū his quidē imbecilliora sunt, nō tamen & ipsa actionis expertia: hœdorum aūt & uitulorum his ipsis adhuc imbecilliora sunt, porcino tamen efficaciora: at leonis, pardi, hyænæ, & anseris euidentius his digerunt, nō magis emolliūt: quanto etiam subtiliorē substantiā caprino & bubulo seuo habent. Cæterū gallinaceum mediā inter anserinum

serinum & suillum sedem occupat. Quemadmodum & medullarum optima est uitulina.

2 Ad hæc resinæ quæ non acrem odorem habent, si dictorum cuipiam miscentur, tenacitatem medicamētis compositis præbent, emolliendi uirtutem non auferunt. aptissima est quæ chia uocatur & larix: post has pinea, inde abietina: strobilina uero uehemēter acris est: pityina seu picea, quā proprie physema nomināt, pinguitudinis expers admodum exiccat. Has igitur fugere, chia uero & abietina uti oportet, non ipsis per se, uerum cum cera & quopiam alio, quod affectui conducere uideatur. Et uero pix brutia facultatem eandem obtinet, ut quæ glutinans quiddam ac pingue habeat. Cæterum pix alia non miscenda est, sicut nec bitumen, utpote iusto sicciora: enimuero ea quæ exiccant, mollientibus esse cōtraria didicimus, quoniam uero pineam & frictam resinam, & colophoniam appellare consueuerunt, sciendum uenit & aliam quandam esse colophoniam, chiæ mastichę persimilē, molliens aliquid habentē, quemadmodum illa & thus: insuper Aegyptia mastiche nōnihil emollit, sed maior uirtutis ipsius portio concoquit, digeritq́; item & thus quandā molliendi uim obtinet, uerum hoc quidem coctum ex usu est, ueluti & fœnigræci semen: etenim & hoc probe coctum emollit, ac magis adhuc pingui permistum. At quæ citra coctionē ob consistentiæ siccitatem dilui, liquari, dissoluiq́; desiderāt, oleoso quopiam indigent: cuiusmodi sunt, oleum ipsum cum nihil astrictionis habet: item balneorū strigmenta, præterea quod uocatur susinum: adhæc multo etiam magis comagenum: huius quoq; ordinis est butyrum, tum altheæ & fœnigręci decoctum. Porrò inter tā mollia & ualidissima, quod genus sunt bdellium & styrax, gutta ammoniaci idē potest quod & propolis: atqui hoc in bdellio distinguendum est, quòd Scythicū altero Arabico multo ad hæc sit præstantius, præcipue nouum & molle, quod etiā pingue nominant: cōsuetudo siquidē hæc est inter recentiores medicos, in huiusmodi pharmacis quod emollientius est, pingue appellasse: hoc autem uidelicet humidius quoq; est. Cæterū chalbanum & qui opopanax dicitur, præterq; q̀ digerunt, etiā quid molliēs occupāt: opopanax aūt digerēdo, chalbanū molliēdo coquēdoq; præcellit.

3 Talis sanè mollientiū pharmacorū facultas est. Tu uero cum uel scriptum aliquod in libris medicamentarijs discusseris & examinaueris uel ipse composueris, auditis nuper pharmacorū secundū maioris minorisq́; rationem differētijs: intellectis item corporum affectuumq́; diuersitatibus, ualida ualidis, imbecillia imbecillibus adhibebis: at ubi post primam medicamēti impositionem aliud applicas, oleo simplici pingui partem affectam fouere conuenit. Porrò ex ijs quæ tenacia ac glutinosa nominātur, nullū auferendū est priusq̀ sua sponte abscedant: atqui si laueris, permittenda sunt. uitanda aūt medicamentosarū aquarū lauacra, præsertim quæ chalcanthosa, aluminosa, & sulfurosa sunt. Hæc quidē sufficiūt uiris cordatis ac prudentibus, quiq; in medicinæ operibus exercitati peritiam aliquam sunt adepti. Quoniam uero omnes eiusmodi non sunt, & proposuimus hoc cōmentario, non ut in opere De morbis curandis, methodum solam exponere, uerum simul cum particularium uno atq; altero exemplo, pharmaca usu comperta subiungere oportet, quæ maiores nostri in medicatoria artis parte celebres literis mandauerunt, ad speciales mollientium pharmacorum differentias perueniemus, à mollissimis quæ & paruis inflammationibus medentur, exorsi.

CAP. III. Ex cōpositis emollientibus alia quidem (ut ita dicam) imbecilliora primo ordine statuuntur: quædam non multo his ualidiora, secundo: & quædam alia, tertio: adhæc nonnulla quarto. Cæterum primi ordinis mollientibus ad exiguas durities & in mollibus seu teneris corporibus uti, sicut prædictū est, expedit: ad fortiora his corpora & affectus, secundi: quemadmodū & tertij, & quarti, pro illorum proportione. Describūt autem & eorum cuiuslibet propria.

Emollientia medicamina primi ordinis.

Butyrū, resina colophonia, & cera candida non uetusta, singula tria pondere æqualia, inuicem liquata, primi ordinis mollientia sunt. Et liquidum medicamen quod Parygrum appellatur, eorū numero ascribitur, cum recens fuerit: ueterascens autem maiorem digerendi uim acquirit. At emollientium imbecillimū est, cera cum butyro liquefacta: aut ex susino, aut comageno: atq; his imbecillius est quod dicitur cerelæū: quasi ex cera oleoq; cōfectum, cum in libram olei laxantis nulla astringendi uirtute prediti, ceræ unciæ duodecim uel sedecim iniectæ fuerint. Iam ex ouis cerata facta, exiguam quandam relaxandi potestatem possident. Valētiora his, uerū imbecilla adhuc & ipsa, cerata ex œsypo, resina, & cera pari pondere liquefactis: sin aūt uetustiora quodāmodo ipsa fuerint, olei cuiusdā laxātis, uel susini, uel comageni, uel adipis suilli, uel gallinacei, uel anserini mistura requirunt.

Mollientia medicamenta secundi ordinis. 2

Quemadmodum in simplicibus medicamentis quatuor congenerum ordines fecimus, qui maioris in se minorisq; rationē distinguunt, aliquorum autē ambiguā esse uirtutē diximus, utrum ad primi ordinis finē, an in secundi initio locanda sit, ita de secundo, tertio, & reliquis deinceps. In quibusdam uero audacter pronuncians, alia in principio huius, alia in termino huius ordinis cōsistere dixi: sicut nonnulla citra appositionē, uel primi, uel secundi, uel tertij, uel quarti ordinis esse retuli. Multum uero experientiæ particularis in uarijs & corporibus & uitijs seu affectibus huiusmodi pronūciata desiderāt. Quare si quis post me æque studiosus, & ueritatis uehemens amator extiterit, ne temere ac subito, ubi bis tèr ue usus expertusq; sit, ferat sententiā: frequenter enim ei ex longa experientia, quemadmodū & mihi usu uenit, in secundo ordine dicta, in tertium incipientē trāsponi oportere uidebuntur: uel in principium tertij absolute. Cum enim corpora quibus medicamēta adhiben-

tur, ipsiq; affectus nō exiguum differentiæ excessum in maioris minorisq; ratione obtineant, difficillimum est de omnibus eadem pronunciare. Ac cedit huc, quòd ipsa simplicia medicamenta non paruo diuariāt discrimine. At ego cum in præstantissimis uirtutem pro unaquaq; specie ac genere ostenderim, si quis in deterrimo per experiētiam examinationem moliatur, examinabit quidem falsò, non autem facultatis ipsorum ordines distinxerit. Itaq; longe tutissimum est, medicaminum ipsorum inter se differentiam secundum maioris minorisq; rationem accurate scribere, quemadmodum & in alijs feci, & nunc facturus sum.

3 Sanè quidem emplastrum Mnasæo autore compositum rectissime secundo mollientium ordini ascripseris, omnibus certe qui eius meminerunt, conuenientibus, ex oleo ueteri, argenti spuma, & adipe suillo componi: in quātitate uero horum singulorum discrepantibus: atq; eo quòd nōnulli ex recēti adipe, quidam ex ueteri quem iam omnes uocare solent axungiam, componant. In his quidem imbecillimum fiet ex argenti spuma, suillo adipe, & oleo, neutro ueteri: ualidius, oleo quidem ex ijs ueteri, altero autem recenti addito: his ualidius ex ambobus uetustis. Ex eo igit quòd recens aut uetus oleum adepsq; immittitur, quatuor differentiæ prodibunt: aliàs quidem ambobus recentibus, aliàs uetustis: nonnunquam oleo quidem ueteri, adipe uero recēti: uel contrà, oleo quidem recēti, uetusto autem adipe indito. At ex trium ipsorum simplicium medicamentorum mutua symmetria aliæ plures differentiæ emanabūt: uel enim pari pondere & mensura hec tria misceantur: ac multi affirmant, ab ipso Mnasæo cōfectum tribus paribus constare: uel duobus quidem paribus, tertio non pari, sed minori, aut copiosiori: uel tribus mistis imparibus. unde clarum euadit multas fore differentias: copiosa siquidem argenti spuma iniecta, medicamē potestate mollius fiet: pauciore, ualidius. ac magis emolliet si plus adipis immittamus: digeret fortius si oleum augeamus. Præterea aliud quiddam accedit copiosiore oleo imposito, quod magnā uim ad medicamen ut magis digerat efficiendum obtinet: est autem hoc, sicut primo libro diximus, si magis incoquas. Si igitur solam argēti spumam in oleo copiosiore coquas, medicamentū euidentius exsiccabit: in uberiore uero oleo coques, ubi plus indideris, si emplastri spissitudinem habiturum sit: ꝙ si id non cures, sed æquali tempore tum id quod minus olei cōtinet, tum quod plus habet, incoquas, liquet potestate emollientius futurum, cui oleum uberius mistum fuerit, quemadmodum si & cruda argenti spuma oleo commista acopo uti uelis.

4 Quare quod iam sæpe dixi, semper ipsius meminisse uolo, non sicut quidam sententias absolute de pharmacis ferunt, sic & nos facere, absolute dicentes, hanc medicamenti compositionem illa esse potiorem. Nam utraq; ad diuersos speciē affectus recte cōposita esse potest: interim ad eundem diuersis tēporibus. Hæc igitur omnia modo

A à me relata, qui prius audiuit, non diligens modo uel memor, sed natura etiā prudēs, utiliter & cum fructu leget ea quæ distincte & scripsi & scripturus sum. Ac in propositis medicamētis distinctiones ibi exponam, trium quatuór ue syllabarum appositione comprehensas: qualem inquam appositionē in pharmaco præsenti libro proposito Mnasæi, Andromachus appendisse uidetur: nam in melinorum emplastrorum catalogo, undecimū ordine cum id scripsisset, non simpliciter dicere cōtentus fuit, ut in prioribus cōmemoratis, Aliud, atq; Aliud, ipsis præponens, sed Tenerū adiecit. Itaq; hoc uolebam ipsum in omnibus fecisse, & in ipsis melinis à tenerrimo incepisse: inde uero digressū ad paulo fortius innuisse ascribēdo, pauxillo quodam

B secundum ꝙ illud hoc esse ualentius: hoc rursus tertium esse fortius: deinde hoc quartum: uelu ti rursus si aliqua æqualem putarit habere potentiam, id ipsum admonuisset: uel si periculū timeret in eiusmodi pronūciatis, certe simplicia emollientia pharmaca prædoceret, maioris ac minoris ratione in ipsis definita, ut qui mollientia emplastra multa deinceps ab ipso scripta legit, ualidius quidē esse intelligat, q̃d ex styrace, ammoniaco, bdellio, propoli, chalbano, seuo taurino, hircinoq;, & medullis cōfectū est: imbecillū, quod nullū ex his continet, sed uel omnia inualida uirtute, uel hisce quidē ipsis ualentiora: media uero temperaturis, uiribusq;: uel ꝙ unum aliquod ualidū aut duo imbecillibus mista sint. Constat enim interpositā ma

C ioris minorisq; latitudinē, omnibus medicamētis non exiguā inesse, in cōmuni uniuersis ipsis uirtute, generatim æstimatis: iuxta quam pharmaca cōgenera & conformia, id est eiusdē generis, ac eiusdem speciei dicuntur, quemadmodū & alia generis, uel speciei differentijs euariantia.

CAP. IIII. Cum igitur hæc mihi distincta sint, quibus instructus, non magno negocio & ualentiore uirtute & imbecilliore prædita queas dignoscere, narrationē ipsorum aggrediar: deinde conscripta ab expertissimis medicamentorum uiris, siue emplastra, siue malagmata uoles appellare, percēsebo: auspicabor aūt à medicaminibus ab Asclepiade in quarto libro Exteriorū, quibus titulum indidit Marcellas, editis.

D *Asclepiadis malagmata.* 1

Amythaonis malagma ad præcordiorū tensiones: soluit omnem duritiem, facit etiam ad difficiles articulorum motus. Guttæ ammoniaci pondo uncias trigintasex. ceræ tantundem. terebinthinę pondo uncias octo. bdellij pondo uncias octo. thuris, myrrhę, utriusq; pōdo uncias quatuor. chalbani pondo unc. octo. cyprini heminas iiij. Myrrha, thus, bdellium, uino madefiūt: ammoniacum aceto diluitur: omnia cōtundūtur pistillo, cyprino inuncto, quousq; perfecte dissoluatur. Hoc medicamentum, uetus, celebreq; est, sicut & quod Asclepiades post hoc in istum modum tradidit.

Diasmyrnon Apollophanium, id est ex myrrha, medicamentum accommodatum. 2

Ad præcordiorū tensiones. soluit omnem duritiam

tiam, benefacit hepaticis, nephriticis, ualet ad omnem neruorum sympathiam, articulorum dolores, detensionesq; leuat. Ceræ terebinthinæ, guttæ ammoniaci, bdellij, myrrhę, propolis, iridis, styracis, singulorum pondo uncias sedecim. irini unguenti fæculę quantum sufficit. uini odorati quod satis est. præparato sicut prædiximus. Quod succedit huic, ab Asclepiade scriptum, dignius quidem ac celebrius infra scriptis existit: uerum ad induratorum solutionem illis inferius.

Aliud Dioscoridis medicamentum accommodatum. 3

Ad difficiles artuum motus, & ligationem, hoc est obstrictos articulos, Græci uocāt Ancylas: tollit omnem duritiam, facit ad interaneorū affectus abscessusq; profundos. Ceræ pondo minam, resinæ frictę, chalbani, iridis illyricæ, singulorū minæ dimidium. irini fæculæ quod satis est, uini quantū sufficiat. medicamen tusile est: cōficitur sicut priora. Pharmacum antedicto succedens ab Asclepiade scriptū, idem est ei quod Heras ad calcem medicamentarij sui libri conscripsit: paululum uero quiddam in symmetria quatuor simplicium pharmacorum euariat, uti innotescet cum ambo scribemus. Prius autem ab Asclepiade proditi mentionem faciemus, quod ad uerbum ita habet.

Lucij præceptoris ad articulos contractos, quas ancylas nominant, inscriptum. 4

Facit ad abscessus in alto corporis obortos: item ad neruorum contractiones, & articulorum ligationes, siue cōtractiones, quas ancylas uocamus: succurrit opisthotonicis, id est cū ceruix in posteriorem partem reflexa est, nec prorsum retrahi potest. ualet ad omnem neruorum dolorem ex cōsensu. est etiam acopon bonum irino, uel cyprino, uel laurino solutū: emollit ueteratas, cōtumacesq; duritias. Bdellij, seui uitulini, guttę ammoniaci, iridis illyricæ, singulorū pōdo denarium xvi. opopanacis, chalbani, cachryos, styracis, thuris, singulorū pondo denarium viij. piperis grana numero centum sexaginta. ceræ, terebinthinæ, singulorū pondo selibrā. uini quod satis est. tusile est medicamē: superiorum modo conficitur. Vbi igitur Heras ab Asclepiade in simplicium symmetria dissenserit, quod pollicitus sum, iam indicabo. Primum omnium scripsit Asclepiades medicamentū: bdelli denarium pōdo sedecim. Heras autem nō bdelli, sed bdellij pōdo denarium octoginta, qui quinquies sedecim faciunt: deinceps seui uitulini denarios sedecim scribente Asclepiade, Heras quinquies totidem posuit, sicut & bdellij: nam octoginta denarij, quinquies sedecim comprehendunt. Tertium ab his medicamentum Asclepiades subiunxit guttam ammoniaci, & huius sedecim denarios inijciendos censuit. Itaq; iuxta priorum proportionem Heram quoq; octoginta denarios scripsisse cōueniebat: posuit autē non octoginta sed centū. quare uiginti plures illo indidit. Aliud post cōmemorata pharmaca protulit Asclepiades hisce uerbis. iris illyricę denarios sedecim. Heras huius proportionē seruit, octoginta scribens: post prædicta medicamenta opopanacis denarios octo Asclepiades scripsit: Heras autē hic quoq; proportionem seruauit, quadraginta ponens. chalbani denarios octo Asclepiades iniecit, Heras etiā in eo proportionem repræsentat, quintuplam censens immittendam. Quippe quadraginta denarij, quinquies octonos absoluunt. Septimum medicamen Asclepiades ita exposuit, cachryos denarios viij. oportuit igitur & Heram, si proportionē obseruabat, quadraginta indere, nunc autem nō sic, uerum duplices, puta sedecim ipse conscripsit. octaui, styracis Asclepiades meminit, denarios octo inijciens: Heras proportionem huius, quintuplo immisso, obseruauit. Nonum pharmacum posuit Asclepiades, thuris denarios viij. miscens: Heras non quintuplum, sed duplum sumere præcipit. Decimi, piperis meminit Asclepiades, cētum sexaginta granis immissis: cui Heras rursus cōsentiens, octingētos iniecit. In quibusdam exemplarijs haud noui quomodo uiginti scripta sint, quemadmodum in alijs centum & octo. Vndecimum tradidit ceram Asclepiades sicut & duodecimū resinam terebinthinam, utriusq; selibram immittendā existimans. Ratio igitur exigebat & Heram, si proportionem uolebat referre, quintuplū utriusq; indere, quod erat singulorū libras duas. insuper libræ dimidiū. Ille uero non ita, sed libras, & uncias quatuor miscere iubet. unde clarum euadit Heram cachryos duplum ad proportionem imponere, sicut & thuris. ammoniaci uero guttam quadruplo copiosiorem adiecit, quemadmodum & terebinthnæ, ceræq; triplo. Etenim in his tertia parte exuperauit. Atq; hac re totam medicamenti compositionem Asclepiades confecturæ similem effecit. Exuperans enim in symmetria cachryos, molle nihil habentis, sed digerens duntaxat, adauxit ei & emollientia, thus puta, ceram & terebinthinā. Hoc igitur medicamentum Lucij quidem pręceptoris nominat Asclepiades: ubi uero differat ab Hera, perscensui. cæterum extremi mollientium ordinis est, ut quo nullum indurescentia magis emollire comperias. Porrò medicamenti autor huc etiam animi intensionem direxit, ut quod in scirrho induratis continetur, digerat, discutiatq;. Reliqua pharmaca præcedentia, parum iam dicta superant. Habēt enim amplius incrassatorum uiscosorumq; humorū incisoria quæ sæpe tumoribus scirrhosis ex usu sunt, cum uiscosi humores illos produxerint.

5 Itaq; opopanax modice attenuat, uocant aūt sic radicē panacis, cuius caulis liquore expresso opopanacē faciūt: est enim detersorię non incisorię uirtutis. Acetū aūt cum stercore caprino secat, deterget, digeritq; uehementer, nō modo humores incrassatos ac lentos, uerū solidas etiā partes ipsas. Quædam apposita sunt medicamini ordine propositum sequenti, quod Alcimionis titulum habere dixit. scribit ergo de priore in hunc modum.

Aliud malagma Marci Terentij Asclepiadis, ualde generosum, ad idem. 6

Præcipue ualet ad uteri inflationes, inscribitur Asclepiadeum medicamētum, eo quòd ad Asclepiadem Bithynum autorem refertur. Myrrhæ dena

denarium pondo trium. opopanacis pondo ſelib. A cerę pondo libram ſemis. chalbani pondo uncias tres. mannæ pondo ſelibrā. guttæ ammoniaci pondo ſelibram. reſinæ frictæ pondo libram ſemis. aceti heminā: Vtendum eſt eo etiam ad omnem neruorum ex conſenſu dolorem.

Aliud Alcimionis titulo inſcriptum. 7

Ceræ pondo librā & ſemis. reſinæ colophoniæ pondo libram & ſemis. guttæ ammoniaci pondo libram ſemis. chalbani pondo uncias tres. myrrhæ pondo uncias tres. opopanacis libram ſemis. propolis pondo uncias tres. aceti ſextarios duos. ſtercoris caprini pondo uncias tres. Ammoniacum teritur aceti ſextario iniecto: Deinde his myrrha, thus, opopanax adduntur, rurſusq́ leuigātur, Propolis poſt chalbanum contunditur: cera, reſinaq́ B coquitur, olei heminis duabus affuſis: ubi confluxerint, propolim & chalbanum adijcito, mouens continue: poſtquam diſſolueris, ab igne ſublata refrigerari ſinito, & deraſa leuigatis indito: cum una miſcueris excipito, ac utitor.

8 Poſt nominatū malagma, aliud in Aſclepiadis libro ſcriptum eſt, quod quidem molliendi facultatis parum, calfactoriæ uero plus obtinet: habet aūt non gentianæ ſuccum modo, ſed peucedani & ſagapeni etiā liquores, calida admodū pharmaca: cæterum miſtum ei eſt & aphronitrum & lapidis aſii flos, attenuātis inciderisq́ poteſtatis medicamina. Iā ſulfur uiuū calefacere omnes norunt, quemadmodū & uinum picatū. ſubiūgam & hoc medicamentum ipſius Aſclepiadis uerbis.

Malagma Pharmianum inſcriptum, ad prædictos affectus.

Summe facit pleuriticis: quippe dolores ſubito in ipſis acceſsionibus ſoluit impoſitum. oportet autem ubi ipſum impoſueris, rubore in parte affecta excitato ſplenium auferre, ac rurſus interuallo temporis imponere: item diuturna uitia diſſoluit.

Ceræ pondo libras quinq́. guttæ ammoniaci libras iij. frictæ tantundem. terebinthinæ pondo libram. thuris pondo libram ſemis. myrrhæ pondo uncias ſex. aloes totidem. œſypi, gentianæ ſucci, peucedani liquoris, ſingulorū pondo uncias tres. ſagapeni pondo uncias quatuor aphronitri pondo uncias ſex. lapidis aſii floris pondo uncias ſex. propolis pondo uncias tres. ſulfuris uiui pōdo uncias quatuor. uini picati ſextarios quinq́. picatum & gentianæ ſuccum incoquito: quæ liquari poſſunt, ubi liquefeceris, refrigerari ſinito: guttā ammoniaci, thus, myrrham, & aloen conterito, in pilam coniectis liquidum affundito, ſoluta ſtudioſe cōterito: arida uero tunſa, cribrataq́, leuigatis indito, ac rurſus diligenter tunſis, liquida feruefacta adiungito, abſq́ grumis, qui encerides dicuntur: cum miſcueris, excipito ac utitor.

9 Poſt prædictum aliud deinceps malagma perſimile Aſclepiades hiſce uerbis conſcripſit.

Aliud Neapolitani, præparatum eſt Aquiliæ Secundillæ.

Vini picati ſextarios ſex. cerę pondo libras ſex. guttæ ammoniaci pōdo libras tres. frictæ tantundem. terebinthinæ pondo libram ſemis thuris pōdo libram ſemiſſem. myrrhæ, aloes, aphronitri, lapidis aſii floris, gentianæ radicis ſucci, ſingulorum pōdo unc. ſex. ſagapeni pōdo uncias quatuor. ſulfuris uiui pondo uncias quatuor. propolis pondo uncias quatuor. panacis radicis pōdo uncias tres. ſampſuchi pondo uncias tres. piperis albi pondo uncias tres: præparato ac utitor ut prædictum eſt.

Andromachi malagmata. Cap. V

Malagma durum & aridum. Picis pondo libras tres. ceræ pondo libras duas. reſinę pondo libram. chalbani pondo uncias duas. guttæ ammoniaci tantundem. mannæ pondo uncias quatuor. aceti ſextarios tres.

Aliter. 2

Picis pōdo libras quatuor. ceræ pōdo lib. duas. reſinæ pondo libram. guttæ ammoniaci pondo libram. chalbani pondo uncias ſex. alij pondo lib. aceti ſextarios tres.

Aliud Ariſtodis. 3

Picis pondo libras quatuor. ceræ pondo libras octo. reſinæ frictę pondo libras quatuor. terebinthinæ pōdo libras quatuor. guttę ammoniaci pondo libras duas uncias viij. chalbani pondo libram uncias quatuor.

Aliud ad artuum ligationem, quas Ancylas Græci uocant. 4

Bdellij denarium pondo ſedecim. thuris denarium pondo ſedecim. guttę ammoniaci denarium pondo octo. opopanacis denarium pondo octo. chalbani denarium pondo viij. ſeui uitulini denariū pondo ſedecim. piperis grana centum ſexaginta, ſtyracis denariū pondo viij. cachryos denariū C pondo ſedecim. iris illyricæ pondo ſedecim. terebinthinæ minæ dimidium. cerę minæ dimidium. cyprini heminas quatuor. uini quod ſatis eſt.

Malagma ex meliloto. 5

Nardi celticæ denarium pondo decem. cyperi denarium pōdo viij. cardamomi denarium pōdo viij. iris illyricæ denarium pondo viij. myrrhę denarium pōdo viij. croci denarium pōdo quatuor. meliloti denarium pōdo uigintiquinq́. guttę ammoniaci denarium pōdo viij. terebinthinę denarium pondo quinquaginta. cerę nouæ denarium pondo centum. cyprini heminę dimidium. aceti quod ſatis eſt: quidā guttę ammoniaci denarium pondo centum. ad interiora omnia.

Ex ſeminibus. 6

D Guttæ ammoniaci denarium pondo quinquaginta. ceræ denarium pondo quinquaginta. terebinthinę denarium pondo quinquaginta. fœnigręci denarium pondo uigintiquinq́. ſeui taurini curati denarium pondo uigintiquinq́. iris illyricę denarium pondo uigintiquinq́. nitri denariū pondo uigintiquinq́. mellis heminas ſex. aceti heminam. panacis denarium pōdo uigintiquinque. cyprini parum.

Vt autem Philonides. 7

Fœnigręci ſeminis, aniſi ſeminis, ſtyracis, bdellij ſordidi, mannę, thuris, cardamomi, cyperi noui, panacis radicis, iris illyricę, aphronitri, ſingulorum denarium pōdo uigintiquinq́. guttę ammoniaci, terebinthinę, ſingulorum denarium pōdo quinquaginta. ſeui taurini denarium pōdo ſexaginta.

meli

meliloti denarium pondo ſexaginta. ceræ denarium pondo duum. mellis heminæ dimidium.

Aliud ut Harpocras. 8

Fœnigræci, nitri, panacis, iris, ſingulorũ denarium pondo viij. terebinthinæ, guttæ ammoniaci, ceræ, ſingulorum denarium pondo c. ſeui taurini denarium pondo c. mellis pondo libram. aceti ſextarios duos. apij ſeminis, cumini, fœniculi, ſingulorum denarium pondo quinquaginta. meliloti denarium pondo quinquaginta. alij xxv. ſampſuchi denarium pondo quinquaginta. cardamomi denarium pondo quinquaginta. cyprino excipitur.

Malagma ex ſampſucho, ad multa. 9

Ceræ nouæ, baccarũ lauri, fœnigræci leuis, ſampſuchi, ſingulorũ denariũ pōdo c. terebinthinę denarium pondo centum quinquaginta. nitri denarium pondo trigintaduum. piperis denarium pondo trigintaduum, alij ſedecim. cyperi denariũ pondo ſedecim. cyprini heminas duas. uel ſtyracini.

Malagma ex baccis lauri. 10

Ceræ denarium pondo ſeptuagintaquinque. picis brutię denariũ pondo ſeptuagintaquinq;. baccarum lauri denarium pondo ſeptuagintaquinq;. nitri denarium pondo ſeptuagintaquinq;. reſinæ frictæ denarium pondo ſeptuagintaquinq;. chalbani, guttæ ammoniaci, cãchryos, ameos, ſingulorum denarium pondo duodecim. piperis albi denarium pondo ſedecim. cyprini heminas ſex.

Aliud malagma boni coloris, ad multa accommodatum. 11

Ceræ pondo libram. reſinæ frictæ pondo librã. guttæ ammoniaci pondo uncias ſex. aluminis liquidi pondo unc. ſex. ſalis floris pōdo uncias ſex. quidam uiſci pondo uncias ſex.

Malagma Apollophanis. 12

Ceræ denarium pondo octoginta. guttę ammoniaci denariũ pondo octoginta. bdellij denarium pondo octoginta. iris illyricæ denarium pondo octoginta. reſinæ terebinthinæ denarium pondo quadraginta. mannæ thuris denarium pondo quadraginta. cum irino contunduntur.

Malagma ex alumine, aliter. 13

Cerę denarium pondo centum. picis denarium pondo quinquaginta. aluminis liquidi denarium pondo uigintiquinq;. ego autem quinquaginta. uiſci denarium pondo quinquaginta.

Ad iſchiadicos bonum. 14

Rutæ agreſtis ſeminis, ſilphij, baccarum lauri, aphronitri, abrotoni, colocynthidis, cardamomi, ameos, ſingulorum denarium pondo quatuor. rutæ uiridis, picis, terebinthinæ, guttæ ammoniaci, ceræ, ſeui, ſingulorũ minæ octauam partem. chalbani denarium pondo ſex. opopanacis denarium pondo quatuor. ſulfuris ignem non experti, denarium pondo quatuor.

Ad lienoſos. 15

Ceræ pondo minam. reſinæ pondo minam. guttæ ammoniaci minæ dimidium. aluminis liquidi denarium pondo quinquaginta. ſtrigmenti heminam. capparis radicis denarium pondo quinquaginta. calaminthæ radicis denarium pondo quinquaginta. myrobalani fæcis, quod magma uocãt,

A denarium pondo quinquaginta. aceto aridis, oleo liquabilibus, adiecto utitor.

Malagma uſus multiplicis. 16

Sinapios denarium pondo quatuor. mannæ denarium pondo duum. rutæ denarium pondo quatuor. aphronitri denarium pondo quatuor. capparis radicis denarium pondo ſex. guttę ammoniaci denarium pondo quutuor. myrobalani denarium pondo uigintiquinque. & corticum denarium pondo iiij. lapidis aſii floris denarium pondo quatuor. fœnigræci denarium pondo iiij. cardamomi denarium pondo quatuor. ceræ denarium pondo ſeptuagintaquinq;. reſinę denariũ pōdo centum. mellis heminas ſex. irini ſedimenti heminam. acetum ammoniaco duabus heminis ſuperfunditur.

Polyarchion ex epiſtola. 17

B Cyperi, cardamomi, mannæ, ceræ, ſingulorum pondo minam. terebinthinæ frictæ pōdo minam ſemis. liquidæ pondo minas tres. cyprini quod ſatis eſt: ego bdellij pondo minam.

Altera ſcriptura.

Cyperi, cardamomi, bdellij, thuris, balſami, ſingulorum pondo minam. cerę pōdo minam ſemis. reſinæ frictæ pondo minas quatuor. cyprini heminas ſex. uini odorati heminam unam ſemis.

Vt ego utor.

Cyperi, cardamomi, amomi, bdellij, ſingulorũ pondo minam. ceræ, pondo minam ſemis. reſinæ frictę, terebinthinæ, pondo minas quatuor. cyprini heminam. caſię, cinnamomi, guttæ ammoniaci,

C nardi indicæ, croci, myrrhæ, ſingulorum quartam minæ portionem. uini odorati quantum ſufficit.

Malagma ad multa utile, Apollonij. 18

Ceræ, picis, reſinę frictæ, ſingulorum denarium pondo centum uigintiquinq;. nitri, thuris, ſingulorum denarium pondo quinquaginta. ſeui taurini, butyri, ſingulorum denarium pondo ſeptuagintaquinq;, œſypi denarium pondo quindecim, aquæ cyathos ſex.

Malagma ad hepaticos bonum. 19

Guttæ ammoniaci denarium pondo centum quadragintaquatuor. alij centum duum. bdellij denarium pondo centum quadragintaquatuor. croci denarium pondo duodecim. myrrhæ denarium pondo duodecim. ceræ denarium pondo centum

D quadragintaquatuor, alij centum. aceti quartã partem heminæ. cyprini heminam. ego autem pono heminas decem.

Malagma ad rheumatiſmum ſtomachi & inteſtinorum. 20

Oenanthæ pondo unciam. omphacij pōdo uncias quatuor. phœnicobalani carnis pōdo uncias duas. acaciæ pondo unciam. roſarum pondo unc. omphacij pondo uncias iiij. aloes pondo unc. iiij. gallæ pōdo uncias quatuor aluminis rotundi pondo uncias quatuor. picis pōdo uncias iiij. cerę pondo uncias tres. alij thuris, myrthei pondo uncias tres. uinum aridis affunditur.

Ad hydropicos & flatuoſos. 21

Picis liquidæ pondo libram. cerę pondo librã. nitri pondo uncias ſex. ſulfuris uini uncias ſex. aluminis fiſsi pondo uncias ſex.

Aliud malagma ad ischiadicos, aliaq; multa. 22

Ceræ denarium pondo septuagintaduum. terebinthinæ denarium pondo quadragintaocto. guttæ ammoniaci denarium pondo xxxij. propolis denarium pondo quadragintatrium. chalbani denarium pondo trigintasex. bdellij denarium pondo xxv. croci denarium pōdo quinq;. opopanacis denarium pondo xij. nitri spumæ denarium pondo triginta. irino unguine tundens utitor.

Aliud malagma Andreæ multis utile. 23

Pyrethri denarium pondo viij. croci gnidij denarium pondo viij. salis ammoniaci denarium pōdo viij. cucumeris agrestis radicis denarium pondo viij. resinæ pineæ denarium pondo octo. terebinthinæ denarium pondo viij. ceræ denarium pōdo xxx. liquoris sycamini denarium pōdo xij. alij x. aphronitri denarium pōdo xx. thuris denarium pondo sexagintaquinq;. bdellij denarium pondo decem. guttæ ammoniaci denarium pondo x. alij xx. myrrhæ denarium pondo x. aristolochiæ denarium pondo decem, alij uiginti. piperis albi denarium pondo x. & longi denarium pondo x. xylobalsami denariū pondo decem. cardamomi denarium pondo decem. œsypi denariū pondo quindecim. hibisci radicis denarium pōdo decem. gladioli radicis denarium pondo decem. styracis denarium pondo decem. capparis radicis denarium pondo decem. iris illyricæ denarium pondo x. aloes Indicę denarium pondo decem. chalbani denarium pondo decem. uisci de quercu lecti denarium pondo decem, alij xij. adipis anserini denarium pondo viij. resinæ siccæ denariū pondo duodecim. sedimenti iridis quod satis est.

Aliud Amythaonis ad thoracis, præcordiorum, & stomachi dolores: item ad articulorum impeditiones quas Ancylas Græci, ligationem Latini uocant. Insuper ualet ad abscessus, & duritias emollit. 24

Guttæ ammoniaci denarium pondo quinquaginta. ceræ denarium pondo uiginti. bdellij denarium pondo l. resinæ terebinthinę denarium pondo xx. iris illyricę denarium pondo decem. chalbani denarium pondo quinq;. bdellium, & ammoniacum uino perfunduntur, deinde etiam liquata miscentur, & irino adiecto simul leuigantur.

Malagma Antipatri ad colicos omniaq; interiora. 25

Silphij denarium pondo ij. helelisphaci denariū pondo iiij. casiæ denarium pōdo iiij. melanthij denarium pondo iiij. staphidis agriæ denarium pondo quatuor. chalbani denarium pōdo iiij. struthij denarium pondo quatuor. sulfuris uiui denarium pondo quatuor. panacis denarium pōdo septem. propolis denarium pondo septem. pyrethri denarium pondo septem. guttę ammoniaci denarium pondo septem. nitri denarium pondo septem. asii floris denarium pondo uigintiquinq;. ceræ denarium pōdo centumquinquaginta. resinæ denariū pondo centum quinquaginta. olei heminam.

Aliud malagma Callinici ex Collectaneis Paccij, ad omnia. 26

Cerę nouę denarium pondo c. guttæ ammoniaci, terebinthinæ, bdellij pellucentis, singulorum denarium pōdo quinquaginta. alterci seminis denarium pondo triginta. liquoris papaueris denarium pōdo uiginti. meliloti, myrrhæ, aristolochię, piperis, gentianæ, styracis, singulorum denarium pondo quindecim. thuris denarium pondo octo. croci denarium pondo viij. olei heminam. papaueris albi seminis denarium pondo quadraginta octo. nucleorum pineorum denarium pondo xx.

Aliud malagma Leucopyron. 27

Terebinthinæ pondo libras quatuor. cerę pondo libras tres. guttæ ammoniaci pondo uncias vi. chalbani pondo uncias duas. opopanacis pondo uncias duas. mannæ pondo uncias duas. seui taurini pondo uncias duas. cyprini parum.

Aliud emplastrum, malagma generosum Crispi. 28

Myrrhæ, opopanacis, chalbani, singulorum pōdo unc. sex. panacis radicis, mannæ thuris, guttæ ammoniaci, singulorum pondo lib. ij. ceræ, resinæ frictæ, singulorum pondo lib. iij. aceti heminas ij.

Aliud ad coxendicum, capitis omnesq; diuturnos dolores. 29

Ceræ denarium pondo uigintiquatuor. guttæ ammoniaci denarium pondo septem. terebinthinæ denarium pondo septem. thapsiæ succi denarium pondo octo. olei heminam.

Aliud ad aquam intercutem Cleophantis. 30

Ceræ, resinæ pineæ, aphronitri, singulorum denarium pondo centum. chalbani denarium pondo xij. propolis denarium pondo xij. guttę ammoniaci denarium pondo duodecim semis. cyprini heminas duas. aceti heminas duas.

Aliud dolorem sedans Nicostrati ad podagram. 31

Ceræ pondo libram. guttæ ammoniaci pondo uncias sex. opopanacis pondo uncias quatuor semis. meconiæ pōdo uncias tres. cyprinum ad contusionem illorum adhibetur.

Aliud ad apellas quos Græci Lipodermus uocāt, autore Epidauro. 32

Thapsiæ radicis pōdo denarium trium. piperis nigri denarij pondo unius. seui uitulini denarium pondo duodecim. thuris denarium pondo quatuor. xylobalsami denarium pondo duum. resinæ denarium pondo sedecim. ceræ denarium pondo octo. liquata siccis superfundito.

Aliud malagma apud Asclepiadem dolorem summouendo, tensionem subito tollens. 33

Cerę Tyrrhenicæ pondo minā. seui taurini, adipis anserini, medullę ceruinæ, terebinthinæ, singulorum pondo minam. chalbani minæ dimidium. œsypi pondo unc. iiij. rosacei heminas iiij. unguenti telini, id est ex fœnograeco confecti heminam. olei boni tantundem. hæc igne non acri liquefacito, mouens sedulo: sint autem leuia in pila contusa. iris illyricę denarium pondo tercentum sexaginta. aristolochię denarium pondo centum octoginta. hypocistidis leuigatæ denarium pondo nonaginta. gallæ leuigatę denarium pondo trecentorum sexaginta. mannę, bdellij, singulorum denarium pondo centum octoginta. cinnamomi, croci cilicij, myrrhę, casię, nardi indicę, iunci floris, calami aromatici, amomi, piperis, rhu succi, testudinis marinę sanguinis, androsemi herbę, pyrethri, singulorū denariū pōdo trigintaquinq;. aceti ueteris heminā, in quo omnia medicamēta iniecta emolliūtur tunduntur q;, quousq; lentū ac elaboratum

fit

sit medicamentum, deinde reponitur: ualet etiam ad thoracis, ac pulmonis rheumatismos, item syncipitio dolentes confestim liberat: uocatur autem medicamentum Aesculapius.

Aliud ad coxendicum dolores, optimum ab Hera Cappadoce acceptum. 34

Picis liquidæ heminas tres uel duas. ceræ pondo libram. pityinæ pondo librã. sulfuris uiui pondo libram. nitri pondo librã semis. staphidis agriæ sextarium. pyrethri pondo libram. fęcis combustę pondo libras duas. cardamomi sextarium. chalbani pondo selibram. liquida siccis commiscentur.

Aliud malagma Bacchij, quo Cæsar usus est. 35

Adipis suillæ pondo minas duas. ceræ pondo minas duas. helenij, calami aromatici, panacis radicis; salis fossitij, uel ammoniaci, singulorum denarium pondo quinquaginta. bdellij pellucentis, guttæ ammoniaci, singulorũ pondo minas duas. iunci floris, iris, singulorum pondo minã. thuris, piperis, chalbani, singulorũ denariũ pondo uigintiquinq. coquito ut Cardameleum.

Aureum aliud malagma ad arthriticos, hoc est articulari morbo laborantes. 36

Resinæ strobilinę pondo libras duas. axungiæ, chalbani, singulorum denarium pondo xij. ceræ denarium pondo uigintiquatuor. baccarum lauri denariũ pondo duodecim. incoquito ut nouisti.

Aliud malagma ad laterum dolorem. 37

Cyperi, cardamomi, mannæ, guttę ammoniaci, terebinthinæ, cerę, irini, singulorũ pondo libram. ammoniacũ seorsum coquito, liquabilia leuigato: ac cũ irini cyatho liquefactis ammoniacũ aspergito: deinde arida misceto, irino manus inquinans.

Aliud malagma Cloniaci boni coloris. 38

Aurigmenti pondo uncias iij. aluminis fissi pondo unc. iij. calcis uiuæ pondo uncias iij. resinæ frictæ pondo libras iij. ceræ totidem. acetum aridis, oleum liquidis additur: utitor itidem in lienosis.

Damocratis malagma. Cap. VI

Quoniam metris conscripta & memoriæ facile commendantur, & medicamẽtorum symmetrias exacte conseruant, ideo Damocratis quoq; pharmaca apponere consueui, inter quæ & hoc infra inscriptum numeratur.

Atusus omnino & malagmatis boni
Subinde ueniet medicinæ cultoribus.
Ad musculos conuulsos, articulos quoq;
Ruptos, & artuum fracturas: insuper
Ad crassitiem neruorum, necnon musculos
Cum phlegmone induratos: ad morsus adhæc
Est efficax: lichenas & lepras demit:
Vt plurimum decem diebus additum:
Mutatur altero die uel tertio.
Picis nitidæ, siccissimæ libras duas,
Vnam pityinæ pone, unam & ceræ bonæ,
Ammoniaci rursus, liquidi atq; aluminis
Fac singulorum unam. duos acerrimi
Sextarios aceti: raro chalbani
Quidam uncias duas miscent, diutinas
Citius durities emollire qui expetunt.
Sic præparato. Partem aceti tertiam
Ammoniaco, atq; alumini superaddito,
Ac leuia reddens, in magno mortario,
Mellis recentis liquidi crassitudinem
Fingito, picem cum cæteris in fictili
Nouo incoque, ut perfrictu quin siccaueris
Totum, planè absit minimum, atq; superfundito
Sic leuibus in mortario factis probe.
Et rursus ipsa tundito, donec receperint
Flauum colorem, perquam similem melino.
At si statuis prorsus miscere chalbanum,
Post ceram immittes, & resinam pityinam,
Ab igne postquam cacabum posueris.
Quidam inijciunt contra mannæ parem modum,
Alumen auferentes ex medicamine.
Vtuntur ad id uitij genus, & glutinant
Diuisiones his recentes uiribus.
Tu hoc utitor uel à primo statim die
Ad quos affectus retuli cum prenderint.
Ad pustulas, necnon has consequentia:
Sed splenio madentem aceto spongiam
Desuper inijcito, uinculo coarctans molliter.
Sic & lienosis ipsum perutile est.
Vbi suspicaris scirrhum cuiquam uisceri
Futurum, intrepidus utitor malagmate.

Post hoc pharmacum Damocrates scripsit quod ex sale confectum dicitur, hunc in modum exorsus.

Si in horum aliquo maneas diebus plusculis,
Et hoc parato medicamentum quamoptimum.

Deinde aliud quoq; ex sale post hoc cõmemorat, rursusq; post ambo aliud strumas discutere ꝓmittẽs, & iocinoris lienisq; aquosos affectus: mihi uero satius uisum est, hæc medicamenta inter emplastra digerentia referre.

De relaxantibus medicamentis. Cap. VII

Vocantur medicamenta quædam relaxantia, græce chalastica familiari omnibus prope recentioribus medicis uocabulo: inde nimirum sicut & nomen ipsum indicat, ꝙ tensas laxant particulas: quippe relaxari, ac intẽdi cõtraria inter se dicunt. Hippocrates itaq; hũc in modũ quodã in loco scriptũ reliquit: Cuti duræ emollitio, intẽsæ relaxatio cõuenit. Si igit proprie quis dictionibus uti uelit, nonnulla medicamina induratorũ corporũ malactica, id est emollientia esse dicet, ea nimirũ quę ipsorũ soluunt duritiẽ, quẽadmodũ & relaxãtia quę tensioni medent. Porrò in phlegmonis cutẽ tendi contingit, interim à subiecto tumore symptoma hoc capientẽ, interim & ipsammet simul inflãmatione laborantẽ, nõ tamẽ phlegmones substantia partis inflãmatæ durities est, sed à cõuerso planè, sicut in libris de ipsa ostendimus, humiditas. atqui in ijs quæ scirrho conflictant, non præpollens in affecta parte humiditas est, uerũ durities. Attamẽ utriusq; affectus similis genere quodãmodo generatio est, & curatio: nascit enim ex cõfluxu humorum: curatur ijsdem euacuatis, quanq; euacuationis modus in utrisq; idem nõ est, sed uti in Therapeutices methodi cõmẽtario declaratũ est, in quo etiã aliorũ omniũ affectuũ sanandi rationẽ explicuimus, inflãmatis quidem particulis, tum repulsoria medicamẽtorum qualitas, morbi initio, tum

discussoria semper ex usu est: scirrhis autem sola discussoria sine repellente: itaque summe indurata scirrho, summe insanabilia sunt. Porrò dignoscere me oportet, eo nẽpe signo, quòd nullus affectus partibus sensus supersit: at in quibus sensus quidẽ est, sed obscurus, hæc curantur pharmacis humorem incrassatum uidelicet digerentibus, non tamẽ ualide, ac uniuersim hoc agentibus: sicut digerentia medicamina faciunt, cuiusmodi uocant Græci attrahentia & excolantia. Mirari uero non oportet mutationẽ in duritiem ex inflammatis accidere, cum simul & confluens humor crassior est & uiscosus, & curatio medicamentis ualde exiccantibus administratur. Quemadmodũ enim & in exterioribus permulta corpora quæ ipsum ignẽ contingunt, torrentur, ex aqua rursus emolliuntur, ita etiam in inflammatis affecti loci humiditas, à calefacientibus & exiccantibus ualidius pharmacis quod relinquitur aliquid uiscosum crassumque retinet, tenui discusso. Et hac ratione in morbis articularibus calli proueniunt & in renum uitio calculi. Quòd si uero fluxio quæ phlegmonẽ cõmisit, cõsistentia sit tenuis, & curatio eius siccantibus & calefacientibus pharmacis adhibeatur, nihil scirrhosum relinquitur: imò refrigerantia uehementer astringentiaque scirrhos procreare solent: ac multos ex erysipelatis immodice refrigeratis scirrhosos tumores habere cõspicimus, medicorum qui eos sanandos susceperunt, inscitia. Prima ergo medicaminum quæ phlegmonis & quæ scirrhis medentur differentia est ea quã diximus: altera, quæ propter dolorem inflammatis coniunctum non sustinet ualens medicamentũ affectæ particulæ offerri: quippe hæc cum dolore actionẽ edunt, inflammatis ob affectum statim dolentibus, eoque mollissima remedia desiderãtibus. At uehemẽtiora præterquã quod dolores non soluũt uel mitigant, adhuc etiam exacuentia maiores phlegmonas cõcitant. Itaque primus usus in dolentib. phlegmonis est, qui medicamentis abunde humidis simul & modice calidis administraẽ. Alter paulo crassioribus, siccantioribusque constat. Tertius relaxantibus nominatis, quæ nonnulli malagmatis ascribunt.

2 Sunt autem inter ea maxime emolliẽtia sanè, quæ cerati speciem consistentia referunt, cum ex butyro, cera, adipibus, oleoque relaxante cõponuntur. Miscetur ipsis œsypi, resinæ, picis parum, sicut & thus, & chalbanum: præterea nonnihil iris illyricæ. Porrò inuenit Menecrates, ut ipse ait, & alij quidam ei attestantur, medicamentũ ex succis appellatum, phlegmonis nondum uehementer dolentib. esse remedio. Inscriptus est liber, quo pharmacum tradidit, Autocrator hologrammatos: certe Autocrator quasi dicas imperator, quoniã huic dicatus est: Hologrammatos quia sine notis integris syllabis expressus est, duo, tria, quatuor, quinque, aliusque quilibet numerus, uel resinę, uel picis, uel alterius cuiuspiam medicaminis. Hoc autẽ fecit Menecrates, quòd sępe non modo nolentibus errorẽ cõmittere in scripturis contingit, sed etiam per inuidiã quibusdã uolentibus: dum o literam

A ⊙ faciunt, per mediam rotundam lineam, alia per transuersum ducta. I uero literam. r. faciunt, alia similiter transuersim apposita: sicut etiam una linea ex r, & P. derasa, literæ I characterem relinqui contingit. Pari modo ex multis literis, aliorum appositione, aliorum cõpositione, aliorum ablatione, mutari notas seu characteras numeros indicantes accidit. At nihilo plus Menecrates posteritati cõsuluit, quum ij qui eius librum describunt, appellationes numerorum non integris literis, sed characteribus eas significãtibus notent. Iure igitur Damocratis libri medicamentorũ metris descripti in pretio habiti sunt. Et si omnia hunc in modum tradita forent, optimum nimirũ esset. Quoniam uero non pauca probatorum medicaminũ relicta sunt, B ideo alijs quoque Medicamentarijs libris indigemus: quibus uariorum medicaminũ compositiones nonnulli conscripserunt.

CAP. VIII. At uero medicamentum ex succis à Menecrate inuentum, trimetris hisce uersibus Damocrates cum alijs quibusdam duobus similibus ei præpositis prodidit.

Damocrates.

Præfati igitur, quo tandem pacto uulnera
A phlegmone secura recte glutines.
Posthac agemus quomodo cum phlegmone
Obsedit ipsa, curare queas commode.
Cum musculo læso, uel neruo quopiam,
Vel & propinqua quando ossi membranula
Puncta, diem post quartum continuus dolor
C Et phlegmonæ febresque cum symptomatis
Multa uigilia fit delirio & siti,
Ac siccitate linguæ, crescuntque omnia
Quotidie, & magis mala in peius ruunt,
Et fæculenta sanies tenuis, uulnera &
Rubra insuper habent omnia hæc quæ corpora
Distensiones, phlegmonas, œdemata,
Turgores, uarijs tum abstine cataplasmatis,
Quod mos iuuenibus est facere, quò phlegmonũ
Status effugientes non dent calumnijs
Occasionem. at arti qui fidit suæ,
Hunc deuenire cum languetibus in metus
Oportet, haud expectantem dum uicerit
Natura, uel fortuna quædam iuuerit.
Ergo pares, quibus consului affectibus
D Quòd & podagricis medicamentum conuenit,
Aegris in omni tempore impositum manens.
Promptam agilitatem nam intermissionibus
Id gignit corpori, cito nec permiserit
Callis, nec facile crebris angi insultibus.
Morbos initio prohibet increscere,
Cogit autem uigentes mox decrescere.
Nisi ad alia descendas facile medicamina.
Hunc pharmaci in modum fit compositio.
Lithargyri leuissimi chrysitidis
Libras duas miscens, quatuor axungiæ
Valde uetustæ, annosæ, atque crassissimæ,
Et non olentis, non nigræ, non asperæ:
Sic nanque sumet pharmacum efficaciam.
Liquatæ diligenter olla axungiæ,
Membranulas salemque mox sustollito.

In uas aliud ipsam percolans amplius.
Adiectoq; oleo, rursus cura ferueat,
Non omne pones oleum, sed partes duas:
Tertia manebit in expedito condita,
Si sit necessum iungere, ne absit longius.
Vteris omnino per hyemem, cum inditum
Medicamini crassum oleum longo tempore
Euaserit, lithargyrum & feruentibus
Inspergito, leui igne & assiduo coquas
Spatha mouens, præstiterit quam esse pineam.
Cum ceperit mediocri coctum tempore
Medicamen hoc emplastri spissitudinem
Necnon fœtorem simili pacto pharmaci,
Confestim ab igne cacabum deponito,
Faciens per æstatem pauxillo durius,
Sed hyeme mollius, non inquinans tamen.
Moueto, adusq; quo modice ita refrixerit
Sic deinde rursus manibus durioribus
Totum subactum ex olla transferri iube,
Cum poscet usus, iterum ualide mollies,
Mollicq; diligenter pelliculæ illinens
Permagna super accommodabis splenia.
2 Emplastrum uero hoc siquando efficacius
Desideres ad neruos crassos, musculos,
Durasq; mammas, atq; articulos insuper
Tumentes fieri, pondo radicum indito.
Agrestis maluæ purarum ac recentium
Sectarum in partes digiti crassitudine,
Ac longitudine, in olla feruentibus.
At cum madorem totum, & uires pharmacum
Ex igne deposuerit, colo traijce
Maluæ radiculas, leuem & lithargyron
Inspersum coque tum ut prædixi, & reponito
Simili modo rursus, eodemq; ipso utitor.
3 Ambas eodem tenere id uirtutes ait
Primus Menecrates inuentor pharmaco,
Vir qui fuit habitu medicam erga artem optimo.
Etenim recentia seruat citra phlegmonen
Vulnera, eadem necnon diuisa glutino
Iungere, quæ sunt & phlegmone obsessa ulcera
Nimis, medicari & uulneratos musculos
Suasit, sine quopiam alio, quæ succurrere
Possunt cataplasmatis, fomentis spongijs.
At omnia, quæ facere confirmaui prius
Medicamen ex lithargyro, & axungia
Facit, optimum uero pessum diutinis
Recentibusq; uteri inflammationibus.
Implere caua dilutum rosaceo
Vel myrteo bono, & cicatricem addere.
Summatim omne cataplasma, necnon pharmacũ
Extrinsecus quod ipsis super inijcitur,
Superfluum esse dicit isto utentibus.
Profecto dignum scriptione est pharmacum,
Cuius fides iam uel recepta est inuidis.
Hunc in modum ipsum præparari dictitat.
Septem olei libras æstiuis temporibus
Indes, aliàs eius dimidium repperi,
Pinguis, recentis pariter atq; axungiæ.
Sed hyeme, sicut tradit, inieceris nouem.
At sex leuissimi modo lithargyri,
Fœnigræci addit dimidium sextarij,

A Et seminis tantundem combusti lini,
Maluæq; agrestis pondo statuebat tria.
Radicis, etiamnum cui succus sit recens
Quaternis bis coquere ex aquæ sextarijs.
Ollæ orificio amplo recenti fictili.
Maluæ radix purgata, concisa itidem.
Et tenuis, & contusa, ut fuerit indita,
Mox addito fœnigræci elutum probe
Liniq; semen, at cum succum emiserint
Coctura, spissitudinemq; acceperint,
Habeto succum expresseris quem linteo.
Trutina at quaternas quando expenderis libras
Olei, commiscens, totum coque carbonibus.
Cum uero tenues bullulæ ex maioribus
Crebræ, contentis cacabo prodiuerint
B Lithargyrum leuem protinus aspergito,
Igniq; non acri, sed assidue coque,
Frictus sit dum usq; succus cum pinguedine.
Erit ipsum medicamentum emplastrũ melinum,
Boni coloris, non inficiens, nec nimis
Durum. uetustis hoc qui inuenit pharmacis
Vocabat ipsum iure, è succis pharmacum.

Aliud. 4

Et hoc eodem prodit genere pharmacum,
Alijs licet misturis ipsum præparent.
Affectus ad quos retuli, prorsus facit,
Summatim omnibus, & crudis, & quæ concoqui
Facile mutari nequeuntq; ingentia,
Et musculorum & membranarum uulnera
Persanat, ipsorum nam facile subuenit
C Punctibus, arthriticis iniectum item omnibus
Infestatos iam mitigabit diutino
Dolore. picis assumit quam siccissimę
Libras duas. ceræq; totidem ponticæ
Puræ, terebinthinæ & liquidæ libras duas.
Mannæq; thuris ueri unam pondo libram.
At selibram, uel hac pauxillulo minus
Albi recentis butyri pinguissimi.
Reliqua diu liquentur, & quidem igne acri
Assidue cernens amplius ne pharmacum
Colore inficiat digitis contritum tuis.
Quibus peractis sublata ab igne ollula,
Mannam liquatis inde sic aspergito,
Mouens medicamentum diu rudicula.
Sic frigeratum, & mollitum reponito.
D Huic copiosumq; & recens rosaceum
Contemperans, caua atq; ad carnis indiga
Adeo ulcera utere, tendonumq; phlegmonas
Tum quæ non facile in pus mutantur candidum

De Acopis, hoc est lassitudinem tollentibus. Cap. IX

Quid Acopa medicamenta promittant, etiam nomen ipsorum ostendit. At copos, id est lassitudines Græci homines uocant affectus ex multo uehementiúe motu, corporibus uel totis, uel particulis quę amplius laborarunt oborientes. Porrò molestæ sunt affectiones hæ potissimum ijs qui agitantur, mouenturq;: uehementiores autem, iam & conquiescentibus negocium facessunt. Cæterum postea medicis in usu fuit, etsi non ad lassitudines medicamẽ ab ipsis sit cõpositum, sed uel ad dolorẽ diuturnũ in alto corporis latentẽ, uel mo-

tum

tum difficilem,uel particulæ duritiam, uel tensio-
nem,uel tumorem scirrhosum, appellare similiter
acopa,& id genus omnia, modo humidam consi-
stentiam acopis similem habeant, quæ liquidis ce
ratis cuiusmodi & in luxatis, fracturisq́ utimur,
est propinqua. Quippe talis cõsistentiæ, liquidis-
simum est quod à iunioribus medicis cerelęon ap
pellatˇ, deinde illitus acopi, post hos liquidorum
ceratum crassiore substãtia præditum, mox cera-
tum tenerorum & mollium,uti uocant,postremo
amolynta,hoc est non inquinantia,similia ijs quæ
proprie epithemata dicuntur. His succedit empla
strorum consistentia, quæ & ipsa in maioris mino
risq́ ratione,haud mediocrem obtinent differen-
tiam. Quare nonnulli medicorũ, quædam nomi-
ne à sola consistentia ita desumpto, ceratomalag-
mata nuncuparũt, medicamenta inquam inter ea
quæ corpori imponuntur,non etiam quidẽ liqui-
da,duritiem uero tantam necdum cõsecuta, quan
tam emplastra possident. Cum igitur omnes cita-
tæ differentiæ non medicamentorum uirium, sed
cõsistentiæ formæ sint indices,Acoporum appel-
latio,quondam sanè medicaminũ facultatem,po-
stea consistentiam significauit, huiusq́ rei causa
cum distinctionibus ea nominare coacti sunt,hoc
quidem Acopon relaxans, illud emolliens, uel ca
lefaciens,uel à dolore tollendo anodynum,uel ab
euocatione ex alto, & meatuum transmutatione
metasyncriticum appellantes,sicut etiam ad hunc
quendam affectum conferre, uerbi gratia paraly-
sin, coxarum laterumq́ dolorẽ, uel cõmuniter ad
uniuersos dolores. Natiuũ igitur est medicamen
simplex omnium lassitudinum præsidium,oleum
uidelicet,quod & citra adiectionẽ nominatˇ, quo-
niam uetustis temporibus solum quoq́ erat, po-
steri cicinũ apud nos ei apposuerunt. In Aegypto
enim & hoc uetustum erat,& rursus post cicinum
raphaninum,sinapinum,& sesaminum,aliaq́ eius
generis quemadmodũ etiam apud nos crininum,
id est ex lilio, masticbinum & lentiscinum, quæq́
his magis uaria sunt,uel usq́ ad unguenta.Itaq́ ne
minem latere arbitror medicamenta Acopa apud
ueteres dicta,omnia liquidæ consistentiæ esse ne-
cessariò, quippe oleum solum lassitudines exter-
nis partibus ingruentes curat, in alto affligẽtes ue
hementioresq́, cum iniecto aliquo laxante phar-
maco mediocriter calefaciente, ueluti chalbano,
resina terebinthina, ad hanc colophonia quadam
nominata & fricta. Quibus calidiores sunt abieti-
na & strobilina, terebinthinã uero larix paulo ca-
lore præcellit. Cæterum id genus omnia relaxan-
tibus oleis miscentur, quale est Sabinum, iniecta
interdũ & cera. Iam uero Acopon ungentũ est,in
ijs qui iam etiam in corpore alto dolent, & oleum
ex semine abietis, chamæmeli,anethi,& floris po-
puli nigræ, quorum mox dicemus confecturam,
præterea susinum,& gleucinum,& comagenum,
ex acoporum unguinum grege est,& quæ ex adi-
pe ac pinguedine componuntur, suillo quidẽ mo
deratissime relaxanti,gallinaceo autem his uehe-
mentius,& hoc adhuc magis anserino. At pingue

A leoninum, & pardi ualidius est, ut iam uehemen-
ter calefaciat, eoq́ insigniter discutiat. In medio
horum consistunt, bubulum, caprinum, uulpis,&
hyenæ. Hæc sanè uniuersa in genere sunt eorum
quæ proprie Acopa dicuntur,hoc inuicem discri-
mine uariantia,quòd alia magis, alia minus calefa
ciant.Quapropter nonnulla genere toto Acopo-
rum unguinũ excidisse uidebuntur,si in mollibus
ea corporibus examines, etsi durioribus, cuiusmo
di agrestium sunt,utilissima appareant:nam subin
de etiam diximus dura corpora ualentiora phar-
maca sustinere:mollia uero & humida, ueluti pue
rorum,mulierum, & eunuchorum, eiusmodi me-
dicaminum potentiam ferendo non esse. Insuper
cuiuis notum est, & quæ uocantur Myracopa, ex
B Acoporum cum unguentis temperatura fieri, ni-
hilo cæteris præstantiora nisi odoris suauitate.

CAP. X. Quemadmodũ igitur à uetustioribus
lõgo usu explorata scribere cõsueui,ita nũc quoq́
faciam,ab Asclepiadis scriptis sumpto exordio.

*Quæ Asclepiades in quarto Exteriorum Acopa & Myra-
copa conscripserit.* 1

Acopon ad lassitudinũ molestias,benefacit ner
uis cõdolescentibus,hoc Themison utebatur, me
dicamen est uehementer bonũ. Samsuchi sextariũ
unum. rosmarini sextarium unum. fœnigræci sex-
tariũ unũ. cardamomi sextarij dimidiũ, brathyos
sextarij dimidiũ. uini dulcis sextarios tres. olei ue-
nafrani trepondo. ceræ pondo duo. Arida in uino
triduum macerari sinito, quarto die oleum adijce
C re oportebit, atque ubi sedulo agitaueris ac super
pruna posueris, mouendo coquere, quando con-
tinue efferbuerit, liquorẽ exprimere, ceram conci
sam huic adijcere, & rursus supra ignem coquere,
ubi cera liquata fuerit, ab igne tolles, sinesq́ refri-
gerari: Postea uitreo uase uel stanneo repones, ac
uteris nunc solo, nunc uno unguentorũ admisto.

2 Aliud. Sampsuchi sextarium unum. rosma-
rini sextarium i. fœnigræci sextarium i. lauri surcu
lorum pondo sex. iunci floris pondo unc. iij. uini
ueteris sextarios tres. olei dulcis sextarios iiij. ceræ
libras tres. Præparato, ac utitor sicut prædictũ est.

Aliud medicamen accommodatum. 3

Benefacit solutis, ac tremulis: item ualet ad om
nem neruorum ex consensu dolorem, usus est Me
D nius Rufus, succurrit podagricis, arthriticis, ischia
dicisq́, ut toto liberet affectu. Vsus eius est in exa
cerbationum interuallis, at in accessionibus dilu-
to medicamine utimur. Sampsuchi sextarios ij. fœ
nigræci sextariũ unũ. rosmarini sextariũ unum se-
mis. meliloti sextariũ unũ. illyricæ pondo unũ. cy-
peri pondo unũ. brathyos pondo unum. cachryos
põdo unũ. cardamomi selibrã. iunci floris selibrã.
casiæ selibram. ábrotoni selibrã. myrti fructus seli-
bram. lauri fructus selibram. Omnibus cõtusis, ac
in uas duplex ungentarium coniectis, uini Tmo-
litis sextarios octo affundito. triduo madefieri si-
nito, deinde olei Sabini pondo sedecim. irini pon
do unũ. lentiscini pondo unũ. syriaci põdo unum.
gleucini põdo unũ. myrtei põdo unũ. laurini pon-
do unum immittito. Igni superposita incoquito,
deinde

deinde liquorē ex coctis expressum, in uas aliud A transfundito, rursusq́ꝫ sine decoctis coquito, ceræ selibra adiecta, resinæ laricis libra una. myrrhæ stactę libra una. His liquatis, utitor sicut prędictū est.

4 Aliud. Sampsuchi pondo duo. fœnigræci sextarios duos. rosmarini sextarios duos. brathyos pondo duo, sextarios duos. meliloti pondo duo. cyperi pondo unū. iris macedonicæ pondo unū. cachryos pondo unum. cardamomi pōdo unum. calami aromatici selibram. iunci floris selibram, casiæ fistulæ, costi, elelisphaci, singulorum selibram. baccarum lauri selibram. cucumeris agrestis radicis selibram. myrti surculorū selibram. uini Tmolitis odorati sextarios octo. olei Sabini pondo uigintiquatuor. irini pondo unū. cyprini pōdo unū. lentiscini pondo unum. gleucini pondo unū. myrtei pondo unū. amaracini pondo unū. hedychroi pondo unum. malabathrini pondo unum. myrrhę stactæ pondo unum. opobalsami pondo unum. cerę pondo quindecim. Arida imbuuntur, ac madefiunt, quemadmodum præcepimus, triduo, & his oleum, & pleraq́ꝫ unguenta adijciuntur. malabathrinum uero, amaracinum, hedychroon, stacte, & opobalsamum postrema reseruantur, ut in medicamenti cōfectione cera iam liquefacta hæc indantur. Quomodo autem prępar andum sit medicamentum, & quis eius usus, iam ostendimus. B

Acopon quod ex melle inscribitur. 5

Valet ad lassitudinū molestias, neruorū contractiones, benefacit opisthotonicis, & canina conuulsione affectis, dicit̄ Tetramyron, id est ex quatuor unguentis cōfectum. Mellis unc. iij. irini uncias iij. rosacei unc. iij. cyprini uncias iij. gleucini uncias tres. ceræ uncias tres. terebinthinæ uncias tres. Mel seorsum coquitur, quæ liquari possunt, liquefiunt, & in mortarium coniecta omnia simul cōquassan̄t, leuiganturq́ꝫ, excepta usui sunt. C

6 Aliud. Cyprini, irini, rosacei, gleucini, singulorū heminas sex. ceræ denariū pondo uigintiquatuor. terebinthinæ denariū pōdo viij. mellis denariū pōdo vi. prępar ato ac utitor sicut prędictū est.

Aliud, uocatur lexopyreton, id est febrem finiens. 7

Rosacei, irini, gleucini, cyprini, singulorum heminas quatuor. ceræ denarium pondo duodecim. terebinthinæ denariū pondo xiiij. myrrhæ stactæ denarium pondo quatuor. mellis cocti denarium pondo sedecim. conficito ut docuimus. D

Aliud ex Collectaneis Aphrodisei. 8

Rosacei, irini, cyprini, singulorū heminas quatuor. ceræ denariū pondo duodecim. gleucini heminas quatuor. adipis anserini denarium pondo duodecim. terebinthinæ denarium pondo quatuor. stactæ denarium pondo quatuor. opobalsami denarium pōdo duum. mellis cocti denarium pondo octo. conficitur superiorum modo.

Aliud Acopon, fœtidum dictum, ad idem. 9

Ceræ denariū pondo octo. terebinthinæ denarium pondo octo. chalbani denarium pondo sex. guttæ ammoniaci denariū pōdo vi. olei ueteris heminas ij. medullæ ceruinæ denariū pōdo viij. præparato ad modū prędictū, et utitor mero et diluto.

Aliud ad omnem neruorum dolorem consentientem. 10

Resinæ terebinthinæ denarium pōdo quinquaginta sex. ceræ denarium pondo uigintiocto. guttæ ammoniaci denarium pōdo trigintaduū. chalbani denariū pondo xxxij. medullæ ceruinæ denarium pondo uigintiquatuor. mellis cocti denarium pondo uigintiquatuor. olei ueteris heminas duas. ammoniacum aceto soluitur.

11 Aliud. Ceræ denarium pondo uigintiquatuor. terebinthinæ denarium pondo uigintiquatuor. chalbani denarium pondo sex. guttæ ammoniaci denarium pōdo sex. olei ueteris heminas ij. medullæ ceruinæ denarium pondo viij. styracis denarium pondo sedecim. præparato similiter.

12 Aliud. Ceræ denarium pondo xxiiij. terebinthinæ denarium pondo sedecim. chalbani denarium pondo sex. styracis denarium pondo viij. olei ueteris heminas duas. mellis heminam unam semis. medullæ ceruinę denarium pondo viij. salis floris quantū satis est, ammoniacū aceto soluitur.

13 Aliud. Benefacit ischiadicis, & opisthotonicis, sanat omnē neruorum ex cōsensu dolorem. Ceræ pondo unc. vi. terebinthinæ pondo libram unam. guttæ ammoniaci pondo unciā unam. opopanacis pōdo uncias duas. chalbani pōdo uncias duas. medullæ ceruinæ pōdo uncias duas. medullæ taurinæ pondo uncias duas. œsipi pondo uncias duas. olei irini heminam. mellis pōdo uncias tres. conficito ratione prædicta.

Aliud ad uehementes lassitudinum affectus, & neruorum contractiones. 14

Cerę denariū pōdo quinquaginta. terebinthinę denariū pōdo xxv. aphronitri denariū pondo vi. œsypi denariū pondo vi. mellis cocti denariū pondo sex. guttæ ammoniaci denariū pondo sex. medullæ ceruinæ denariū pōdo vi. chalbani denariū pondo sex. seui taurini denarium pondo sex. baccarū siccarū lauri denariū pōdo vi. olei heminā. uini marinę expertis heminā. prępara t̄ sicuti priora.

Aliud Acuntianum inscriptum 15

Ceræ pondo uncias ij. chalbani pondo unc. iij. nitri pondo uncias tres. terebinthinæ liquidæ pondo uncias tres. œsipi pondo uncias ij. seui taurini pondo unc. ij. olei cyprini pondo uncias iiij. olei melini pondo unc. iiij. irini pondo unc. iiij. mellis pondo unc. iiij. olei cōmunis pōdo unc. iij. olei ueteris pondo unc. iiij. guttæ ammoniaci pōdo unc. unam. thuris pōdo unc. unam. præparatur ut alia.

16 Aliud. Olei ueteris sextarium unum semis. terebinthinæ pondo libram unam. guttæ ammoniaci pondo uncias duas. cerę pondo selibrā. chalbani pondo uncias tres. œsypi pōdo uncias duas. thuris pondo unciam unam. æruginis pondo unc. duas, mellis heminas duas. medullæ ceruinæ pondo uncias tres. seui anserini pondo uncias duas. uini heminas duas. aphronitri pondo uncias duas. conficitur instar superiorum.

Aliud Acopon uiride. 17

Succurrit opisthotonicis, ischiadicis, solutis, & tremulis. Myrrhæ denarium pondo quatuor. guttæ ammoniaci denariū pondo quatuor. thuris denarium

narium pondo quatuor.nitri denariũ pondo quatuor,æruginis denarium pondo quatuor. opopanacis uncias decem.chalbani pondo uncias quatuor,terebinthinæ pondo libras duas.cerę pondo libras duas.malabathrini unguenti ſextarij dimidium,cyprini ſextarij dimidium.aceti quantũ ſufficit.ammoniacũ,myrrã, nitrũ diſſoluito:iam ſolutis opopanacẽ, chalbanũ adiungito. his leuigatis liquata ſuperfundito,miſcetoq;:exceptis utitor.

18 Aliud. Myrrhæ denarium pondo quatuor.terebinthinæ pondo libras duas. ceræ denarium pondo duum.unguenti melini ſextarij dimidium. cyprini pondo uncias tres. irini pondo uncias tres.olei ueteris ſextarios tres.opopanacis põdo uncias tres.chalbani pondo uncias quatuor.aceti quod ſufficit.præparatur ut dictum eſt.

Aliud ad diuturnos affectus ualde generoſum. 19

Ceræ pondo minam unam.olei ueteris ſextarios quatuor.terebinthinæ pondo libram unam. myrrhę pondo uncias quatuor.opopanacis pondo uncias quatuor.piperis albi pondo uncias duas. chalbani põdo uncias quatuor. medullæ ceruinæ pondo uncias quatuor.unguenti cyprini pondo unc. quatuor.irini unguẽti pondo uncias quatuor.unguenti melini pondo unc.iiij.rutæ uiridis ſurculorum pondo unc.iij.aceti quod ſatis eſt. cucumeris agreſtis radices,& rutã cum aceto incoquito, deinde liquorem expreſſum aridis inijcito, leuigata accurate, liquatis excipito,ac interdum pharmaco ſyncero,interdum diluto utitor.hoc autem pro ratione ſubiectorum affectuum fiet.

Aliud Baſsi pharmacum accommodatum,hoc ipſo uſus,cum neruorum reſolutione prius laboraret,ſeruatus eſt. 20

Olei myrtei pondo uncias quatuor.cyprini pondo uncias quatuor.olei ueteris pondo librã ſemis. atramenti ſutorij pondo libram ſemis.cerę pondo libram.terebinthinæ pondo libram ſemis,chalbani pondo uncias tres. mannæ pondo uncias quatuor.opopanacis pondo uncias duas. bryoniæ radicis pondo uncias quatuor. æruginis pondo uncias quatuor.aphronitri pondo uncias quatuor.piperis pondo uncias duas. pyrethri pondo uncias quatuor.pinguis hœdini pondo unc.ſex.euphorbij pondo uncias quatuor. aceti quantũ ſatis eſt. bryoniam,pyrethrum,cum aceto incoquito,deinde liquorem expreſſum, aridiſq; probe leuigatis adiectum,liquatis excipito,uſus oſtenſus eſt.

Aliud ex caſtorio ſolutis,& omni diuturno malo auxiliatur 21

Oeſypi pondo unc.tres.medullæ ceruinæ pondo uncias quatuor.terebinthinę pondo uncias iiij. guttæ ammoniaci pondo unc. duas.chalbani pondo uncias duas. caſtorij pondo uncias duas. piperis albi pondo unc.duas.euphorbij pondo uncias duas.adarces pondo uncias duas.nitri ſpumę pondo uncias duas.opopanacis pondo unc.duas. olei ſtyracini pondo unciã unam. olei irini pondo uncias duas. olei ueteris heminam unam. ceræ pondo libram ſemis.componitur aliorum modo.

Aliud cuius uſu Baſſus longo tempore paralyſi infeſtatus,etiam ab hoc morbo conualuit. 22

Olei myrtei,melini,cyprini,ſingulorum uncias A quatuor.olei ueteris ſelibram.ceræ pondo unum, terebinthinæ ſelibram. chalbani uncias quinque. thuris uncias quatuor.opopanacis unc.duas.æruginis uncias duas. bryoniæ radicis unc.quatuor. aphronitri uncias quatuor.piperis unc.duas. pyrethri uncias duas.pinguis hœdi unc.ſex. euphorbij unciam unam.aceti quantum ſatis eſt,compoſitio huiuſmodi medicaminum communis eſt.

Alia collinitio podagrico,ac articulari morbo laborantium ex ſale confecta,toto affectu liberat,uſus eius eſt quotidie. 23

Salis ſordidi,hoc eſt ipſius terræ pondo.aluminis fiſsi pondo.fæcis uini Italici ſextarium. lapidis aſii floris uncias quatuor. Arida ſtudioſe cõterito, & fæce addita accurate leuigato,quibus olei ueteris ſextariũ affundito,rurſuſq; cõquaſſato,ac excepto utitor.In alijs ſcripturis melle attico excipiũ. B

24 Aliud. Salis ſordidi pondo uncias iij. aluminis fiſsi pondo uncias tres. lapidis aſii floris pondo uncias tres. thuris pondo ſemunciam. myrrhæ pondo ſemunciam.fæcis uini Italici ſextarij dimidium, præparato uti prædiximus.

Alia illinitio Patroclo Cæſaris liberto compoſita, leuat toto affectu. Vtendum eſt quotidie & mane ante balneum, & poſt ipſum, ad hæc ueſperi. Sumentes ex pharmaco quod ſatis eſt,ſoluenteſq; oportet pedes inungere,& citra contuſionem infricare. 25

Thuris denariũ pondo decẽ. piperis albi denarium pondo decem.aphronitri denarium pondo octo. myrrhæ denariũ pondo quatuor.guttæ ammoniaci denarium pondo ſex.aceti quantum ſufficit,olei cyprini heminã unã s. ſicca cõtunduntur C cribroq; tenuiſsimo incernũtur, reliqua aceto diſſoluuntur, leuiganturq;, deinde omnia ſimul miſcentur,et tritis cyprinum inditur:exceptis autem utimur. 26 Aliud. Thuris denarium pondo octo.myrrhæ denariũ pondo octo. guttæ ammoniaci denarium pondo octo. aluminis ſciſsilis, piperis albi,ſingulorum denarium octo. nitri denarium pondo octo.aceti quod ſatis eſt, olei cyprini heminas duas. ceræ pondo ſelibram, quæ liquari poſſunt, liqueſiunt, & tritis adijciuntur.

Aliud Neapolitæ medicamentum,iſchiadicis,arthriticis & podagricis accõmodatum, toto affectu liberat. 27

Thuris,piperis albi,guttæ ammoniaci,myrrhæ, lapidis aſii floris,aluminis fiſsi,nitri, centaurij ſucci,ſingulorum pondo uncias duas.fæcis uini Itali- D ci ſextarium unũ.olei cyprini, laurini, myrtei, ſtyracini,ceræ,ſingulorum pondo libram unam. terebinthinæ pondo ſelibram. chalbani pondo unciam. opopanacis pondo ſemunciam, liquata tritis miſcentur.

Aliud Domitio Nigrino compoſitum quod toto affectu liberat. 28

Myrrhæ ſtactæ pondo uncias duas.thuris pondo uncias duas. guttæ ammoniaci pondo unciam unam. nitri rubri, uel ſalis ſordidi pondo uncias duas.aluminis fiſsi, lapidis aſii floris, colocynthidis partis interioris,mandragoræ ſucci,mellis,euphorbij,ſingulorum pondo uncias duas. unguenti crocini, melini, ſtyracini, malabathrini, laurini, gleucini,hedychroi, amaracini, pinguis uituli marini, ſingulorum pondo uncias ſex. huius penuria utendum eſt medulla cerui uetuſtiſsima. ceræ

pondo

pondo libram. chalbani pondo unciam. terebinthinæ pondo selibram. opopanacis pōdo semiunciam. fecis uini Italici sextariū. præparato quemadmodum supra dictum est. Hac confectura utemur post Podarcem, cui titulus est Pompei pretiosa, Aburnio Valenti compositam.

Medicamentum ex populo, benefacit ischiadicis, arthriticis, solutis, tremulis. ualet item ad usum quotidianum. 29

Populi nigræ surculorū pond. minam. cucumeris agrestis radicis pōd. lib. iiij. casiæ fistulæ pondo lib. ij. unguenti crocini pondo lib. ij. croci pondo unc. iij. uini odori sextarios xij. olei Sabini sextarios x. sampsuchi pōd. lib. iiij. ceræ pond. lib. iiij. surculos populi diligēter contusos in uase duplici unguētario cōtineto, ac his sampsuchū cucumerisque radices in crassiora frusta cōcisas adijcito: his uinum superfundito. Omnia diebus nouē macerari sinito: sequēti die oleum adijciatur, & rursus accurate tunsa igne nō acri incoquito, postea liquori expresso, cerā derasam & medullā leuē factam indito, igni imposita coquito, ubi liquata fuerint, ab igne tollens, crocinū adiungito, mouetoque cōtinue: crocinū uero leue factū, terrestris testudinis sanguine excipito, ut olei ueteris crassitudinē habeat. Porrò iugulatur testudo iuxta clauiculā arundine utrinque transfixa. Liquata croco iniecta rursus tundito, exceptisque utitor: medicamentū toto affectu leuat, multo autē præstantius euadit si testudinis sanguinem copiosum recipiat.

Aliud. Valet ad molestias ex perfrictione, & contusiones ex ictibus. 30

Populi nigræ surculorū pondo minā. cucumeris agrestis radicis pōd. minas iiij. casiæ fistulæ pōdo lib. ij. medullæ ceruinæ pondo lib. ij. croci pōdo libras tres. uini odorati sextarios xij. olei libras decem. sampsuchi pondo lib. iiij. ceræ lib. iiij. sanguinis terrestris testudinis quantumcunque indideris, medicamentū nihil offendes. sed potius iuuabis. præparatur modo prædictorum.

Aliud Acopon ex ranis rubetis, hoc usus uir Xysticus, id est iaculator & acopo & malagmate, à toto affectu conualuit, confectio ita habet. 31

Olei ueteris Sabini pōd. lib. iij. cucumeris agrestis radicis pondo lib. iij. ceræ pondo lib. tres. apochymatis pōdo lib. tres. adipis suillæ ueteris pondo libras tres. ranarum rubetarum magnarum numero tres, uel si hæ non sint, paruarum quinque. medullæ ceruinæ pōd. uncias tres. aphronitri pōdo uncias tres. sulfuris uiui pondo uncias tres. olei laurini pondo uncias tres. olei irini pondo uncias tres. unguenti malabathrini pondo libram. sampsuchi pōdo libram. radices in crassiora frusta sectas, ac in oleum simul cum sampsucho cōiectas, supra prunas incoquito, ubi radices inaruerint, humorē exprimito, radices quidē & sampsuchū abijcito, ranas in sportulā textā imponēs, huiusque oras consuens, & oleo expresso committens, rursus uas coopertum igni supraponito, ubi iam satis magnum temporis spatium intercesserit, ut ranæ illiquerint, sportula deposita humore expresso abijciatur. Reliquo oleo liquata indito, mouens sine requie, postremo medullam & chalbanum adiungito, postque soluta fuerint, ab igne tollito, ac modice refrigerari permittens, arida tunsa, ac tenuissimo cribro secreta inspergito, mouens assidue, in mortarium demissis, iterumque tunsis, malabathrini unguenti pondo & semissem adiungito, & rursus tundito, excepta uase plumbeo, undique obturato, ut nihil perspiret, seruato: uteris medicamento interim ut malagmate, facta morbi inclinatione, interim ut collinitione. Nam pharmaci quod satis est capientes, soluentesque unguento, ut cerati liquidi spissitudinem habeat, utimur.

Aliud Piscatoris pharmacum accommodum. In cuius usu immoratus piscator, cum affectu adeo infestaretur ut corpore peruerso esset, toto malo liberatus est. data est confectio Valerio Paulino, habet autem in hunc modum. 32

Olei Sabini lib. iij. populi nigri surculorum libram. qui cum non adsint, sampsucho uti oportet duplum illius adijciētes. habet aūt & sampsuchi, cyprini, irini, mastiches. sing. librā. myrrhæ stactæ selibrā. ceræ trientē, apochymatis lib. iij. adipis suillæ pinguis lib. tres. sulfuris uiui uncias tres. nitri spumæ uncias tres. chalbani lib. iij. medullæ ceruinæ uncias quatuor. testudinum terrestrium decē sanguis immittendus est medicamini præparato, & iam trito. porrò conficiendum est, uti diximus. In usu ad medicamenti libram acceptam opobalsami uncias iij, unguenti malabathrini unciam unam, condimenti gratia indere conuenit: hoc in quotidianos usus ita præparatur.

Aliud Piscatoris, à Valerio Paulino aliter confectum. 33

Ceræ pondo libras tres. cucumeris agrestis radicis pondo libras tres. apochymatis pondo lib. tres. adipis suillæ pinguis pondo libras tres. olei sabini pondo tria. cyprini pondo. susini pondo. crocini pondo. stactæ pondo selibram. medullę ceruinæ pondo & semissem. chalbani pondo & semissem. rubetas quinque. sampsuchi, uel populi nigræ surculorum pondo tria. sulfuris ignem non experti pondo uncias tres. aphronitri pōdo uncias tres. testudinum plurium sanguinem conficito, quemadmodum prædixi.

Aliud Flauij Clementis confectum pharmacum accommodatum, huius usu nouimus homines toto corpore distortos à podagra chiragraque, adeo conualuisse, ut citra noxam obambularent. 34

Olei sabini pondo duodecim. cucumeris agrestis radicis pondo duodecim. ceræ pondo. terebinthinæ pondo. medullæ ceruinæ pondo. chalbani pōdo. ranas numero sex. Oleum diuidimus, & seorsum in eo ranas, seorsum item radices incoquimus, deinde liquore percolato ad pharmaci confectionem utimur. Pharmacum autem acopi usum præstat: Hoc pharmacum Valerio Paulino dederūt scripturæ hunc in modū adijcientes. Sampsuchi pōdo unū & semis. unguenti crocini pondo. malabathrini pōdo. opobalsami pond. uncias tres. testudinū decem sanguinem. medullæ ceruinæ pondo duo. chalbani pondo duo. adipis suilli ueteris pondo tria. apochymatis pōdo. ceræ pondo tria

do tria semis.sulphuris uiui pondo unciam.aphro **A** nitri pondo uncias quatuor. rubetas tres. testudinum quindecim sanguinem.& loco crocini syriaci pondo,samsuchi pondo semis ponitur: superiorum modo præparatur

Aliud Pompeij Sabini,pretiosum inscribitur,Aburnio Valenti præparatum fuit. 35

Vtile est ischiadicis, athriticis, podagricis, tremulis,& ad omnem neruorum dispositionē. compositio talis est. Sampsuchi pōdo duo.fœnigræci pondo duo.meliloti pondo. rosmarini pondo. herbæ sabinæ pondo unum & semis.cachryos pōdo.cyperi pōdo. abrotoni pōdo.cardamomi pondo selibram.baccarum lauri pondo selibram. uini odorati sextarios xxiiij.unguenti irini pōdo quindecim.cyprini pondo ij. syriaci pondo duo. ceræ **B** pondo ij.terebinthinæ pondo. chalbani pōdo uncias duas.oponacis pondo uncias tres. guttæ ammoniaci purgatæ pōdo uncias iiij. piperis longi, nitri rubri, lapidis asii floris, colocynthidis partis interioris,aluminis fissilis,singulorum pondo uncias quatuor,thuris pondo uncias quatuor. centaurij pondo nucias iiij. mandragoræ succi, myrrhæ stactæ,mellis cocti,singulorum pōdo uncias quatuor.rubetas ranas magnas numero sex. testudinum terrestrium decem sanguinem.Medicamētum uarie cōponitur. aromatica siccaq; crassius contusa,uasiq; duplici unguentario iniecta, uino superfuso,triduum macerari permittimus:quarto die uino quātum satis est ablato,guttā ammoniaci,thus,chalbanum, & opopanacem imbuimus, **C** & reliquos succos.hæc dissoluta leuigamus, quibus factis leuibus,tunsa cribrataq;, alumen, nitrū rubrum,colocynthidem,lapidis asii florem,piper & reliqua arida immittimus, simulq; terimus, his myrrham,stacten,& mel adijcimus.sic iam preparatis, omnia liquida his quæ in uino macerantur affundito:igni superposita coquito,mouens continue. Vbi bona uini pars cōsumpta fuerit, humorem exprimito:cui ranas imponens, sicut supradictum est incoquas,& tunc liquida adijcias. Hæc liquata ab igne deponens, leuigatis indes,ac rursus tundes:exceptis utitor.

Aliud Acopon metasyncriticū,id est ex alto euocans.auxiliatur ischiadicis,arthriticis,solutis, & tremulis. utebatur Iulius Secundus,diuturnos affectus demolitur,capite dolētes adiuuat. 36 **D**

Adarces pondo uncias duas.myrrhæ stactæ pōdo uncias duas.aphronitri pondo uncias duas.euphorbij,opobalsami,sing. pōdo uncias duas. styracini unguenti pondo.arida tunduntur, cribranturq;:his myrrha,stacte,& opobalsamū adijciuntur,denuo tunsa styracino excipiuntur,ac interim per se,interim alteri mistum usui est medicamen, coctionem quoq; adiuuat.

Aliud Orphito compositum,cuius usu thoracis affectu molesto,& iam inueterato liberatus est. 37

Adarces pondo uncias duas. myrrhæ stactę pōdo uncias duas.aphronitri pondo uncias tres. euphorbij pondo unciæ dimidium.malabathrini unguenti pondo. foliati Romanis dicti pondo selibram.ceræ pondo uncias duas. opobalsami pondo uncias duas.præparatur in modum prædictū.

Aliud Neapolitæ,quod Agrippæ compositum fuit. 38

Adarces ablatis arundinibus pondo uncias iij. euphorbij pondo uncias tres.aphronitri pōdo uncias tres.stactæ pōdo uncias tres.opobalsami pōdo uncias tres. unguenti malabathrini primi pondo.foliati pondo ac selibram.hedychroi pondo selibram.crocini pondo selibram.nardi asianæ consecratoriæ primæ pondo selibram.ceræ pōdo uncias tres.conficito ut priora.

Aliud Myracopon.hoc est ex acopis & unguentis constans regium, ad inueteratos affectus,item coctionem adiuuat. 39

Calami aromatici,carpobalsami,amomi,cardamomi,iunci floris,casiæ rosam spirantis, meliloti, sampsuchi,herbæ sabinæ,fœnigræci, cyperi,nardi,piperis albi,singulorum pōdo uncias tres. myrrhæ troglodyticæ pondo selibram.euphorbij pōdo selibram. uini falerni sextarios xvi. unguenti malabathrini, primæ confectionis pondo ij.nardi primæ cōpositionis pōdo.foliati primi pond.opobalsami pondo.crocini pondo.styracini primi pōdo.amygdalini pōdo. comageni pondo. gleucini pōdo.irini pōdo.hedychroi pōd.ij. amaracini primi pōdo ij.coquitur unguēti modo:nimis q̃ bonum medicamentum est, Celeri Primipilario cōpositum est:benefacit ischiadicis,arthriticis,solutis,tremulis,ualet ad cōuulsa,ruptaq;.item ad scirrosos uiscerum affectus,& cōcoctiones iuuat uentriculi orificio & dorso illitum.

Aliud compositum Aquiliæ Secundillæ. 40

Euphorbij,opobalsami,myrrhæ stactæ, singulorum pondo uncias duas. nitri spumæ pōdo uncias tres.ceræ tantundem.unguenti malabathrini pōdo.foliati pōdo selibram. crocini pōdo selibrā. nardi unguenti pondo selibram. hedychroi pondo selibram.amaracini pondo selibram. conficitur,quo dixi modo.

CAP. XI Hæc quidem sufficiebant. Etenim Asclepiades confecturas ipsorum & usus accurate tradidit: Andromachus autem,ut solet, negligentius,neq; ad quid eorum singula ualeant, indicans,sed nobis cōijciendum relinquēs. Nam ceu ad artis peritos scripturas semper conscripsit, uerum quoniam nonnulla acopa inuicem sibi similia,in symmetrijs discrepant, ideo hæc quoq; apposui, quòd lectores ex ijs quæ Asclepiades docuit,de ijs simul ratiocinari queant, cuiusmodi acopa,quibus uitijs potissimum conducant.Dicemus autem & nos, ubi uniuersales quosdam sermones de ipsis retulerimus,unde accuratiore uia ac ratione ad eorundem usus, qui mentem dicendis adhibebunt, peruenient.

Acopum uiride Piscatoris. 1

Ceræ terebinthinæ, olei ueteris, singulorum pōdo & semis. aphronitri pondo uncias quatuor. chalbani pondo uncias tres.æruginis rasæ pondo uncias tres.opopanacis pondo uncias sex. guttæ ammoniaci pondo uncias tres.mannæ pondo uncias tres.aceti pondo uncias duas. melini pondo uncias duas.cyprini pondo uncias duas. irini pon

do uncias duas. seui caprini pondo unciam.

Aliud Acopum bonum. 2

Ceræ pondo xvi: aphronitri pondo uncias viij. baccas lauri numero viij. piperis albi denarij pondo unius. crocomagmatis quantũ sufficit. medullæ ceruinæ denarium pondo duum. myrrhæ denarij põdo unius. ceræ denarij pond. unius. uini rhodiaci & aceti parum, aridis adijcitur.

Aliud Bassi Stoici. 3

Cucumeris agrestis radicis pondo unũ. aphronitri põd. uncias iij. baccarũ lauri sextarios duos. rutæ uiridis fasciculũ manipularem, rosmarini tantundem. olei Sabini ueteris põdo decẽ. Radices & herbæ oleo incoquũtur, deinde exprimuntur, postea liquata superfunduntur.

Aliud. 4

Opopanacis põdo unciam. resinæ pondo unciam. resinæ pityinæ pondo ij. ceræ pondo. guttæ ammoniaci pondo uncias sex. œsypi pondo uncias duas. olei ueteris sextarium unum semis. salis floris pondo uncias duas.

Aliud. 5

Ceræ põdo. medullæ ceruinæ pondo uncias ij. unguenti Babylonij põdo. hedychroi pondo. stactæ põdo. malabathri põd. unciam. nardi pondo unciam. opobalsami pondo uncias sex. In marina uel muria medullam liquato, liquabilia curata simul committito, postremo opobalsamum. at si liquidum sit acopon, plus ceræ indito.

Aliud Acopon Quadrati. 6

Irini unguenti unciam. cyprini unciam. laurini unciam. olei ueteris unc. iij. terebinthinæ unciam. medullæ ceruinæ unciã. œsypi unciã. piperis unciã. nitri denariũ pond. iiij. sulfuris ignẽ nõ expertidenariũ põd. iiij. pyrethri denariũ põdo iiij. mellis unciam. liquata siccis miscentur.

Aliud Acopon fœtidum 7

Terebinthinæ denarium pondo quinquaginta sex. ceræ denarium pondo uigintiocto. œsypi, mellis, medullæ ceruinæ, guttæ ammoniaci, chalbani, aphronitri, interdũ opopanacis, baccarum lauri, singulorum denarium pondo sex. olei ueteris sextarium. uini heminas duas. quidam castorij denar. pondo trium addunt.

Aliud ex sampsucho. 8

Ceræ pondo. olei omphacini sextarios iij. sampsuchi sextarium. uini ueteris sextarios quatuor. maluæ fasciculum, herbæ mercurialis quam Græci linozostin uocant, fasciculum, cucumeris agrestis radices.

Aliud ut Antimachus, 9

Sampsuchi noui, rosmarini, aspalathi, brathyos, id est herbæ Sabinæ, fœnigræci, singulorũ sextarios duos, ceræ pondo. uini ueteris sextarios tres. gleucini sextarios tres.

Aliud à Philocle acceptum. 10

Olei decocti permultũ. radicũ cucumeris agrestis sextarios tres. ceræ minã. terebinthinæ minã. medullæ ceruinæ denarium põdo uigintiquinq;. adipis anserini denariũ põdo uigintiquinq;. chalbani denarium põdo duodecim semis. sampsuchi sextarium. rosmarini sextariũ. Hęc postremo cum uino odorato tum leuigantur, tum miscentur: fit autem malagma cera copiosiore iniecta.

Aliud Acopon accommodatum; ut Aphrodas. 11

Aphronitri denarium põdo trium. piperis grana quadraginta. & longi totidem. thuris denariũ põdo sedecim. His tritis uini odori chij, uel rhodij heminam superfundito. mellis denarios nouẽ. deinde in patella liquato ceræ Tyrrhenicæ denarium põdo duodecim. seui taurini denarium pondo quadragintaduum.

Aliud. 12

Asphalartesis, id est crocomagmatis denarium pondo iiij. medullæ ceruini denariũ põd. xij. œsypi denariũ pondo sex. adipis anserini uel suilli denarium põdo duodecim. terebinthinæ denarium põdo duodecim. irini denarios octodecim. cyprini, gleucini, singulorũ denarios octodecim. Mel liquat, deinde siccis admiscetur, ac ubi simul cũ his quæ in mortario sunt, leuigaueris, in usus condes.

Aliud Acopon barbaricum, ex euphorbio: ad ischiadicos, aliaq; multa. 13

Opopanacis põdo unciam. tyrrhenicæ pondo unciam. terebinthinæ pondo uncias duas. chalbani põdo unciam. guttæ ammoniaci pondo uncias duas. euphorbij pondo uncias duas. castorij pondo uncias duas. piperis albi põdo uncias duas. medullæ ceruinæ pondo uncias quatuor. œsypi pondo uncias quatuor. limnestridis põdo unciæ dimidium. styracini, laurini, amaracini, singulorum uncias tres. olei ueteris sextarios duos. hedychroi uncias sex. præparato, utitor, ualet ad desperatos neruorum affectus, item proprie ad ischiadicos.

Aliud Acopon quo Aruntius Aquila curatus est: benefacit coxendicum dolori, omniq; neruorum distensioni. 14

Opopanacis pondo uncias duas. œsypi pondo uncias quatuor. casiæ pondo uncias quatuor. medullæ ceruinæ pondo uncias quatuor. ceræ pondo. styracini pondo uncias sex. irini põdo uncias sex. laurini pondo uncias sex. olei ueteris põdo unum. euphorbij põdo uncias duas. guttæ ammoniaci pondo uncias duas. Euphorbium cum pauco melle misceto.

Aliud Clyti, ut Philoxenus grammaticus. 15

Ceræ pondo libras duas. guttę ammoniaci pondo libram. chalbani pondo libram s. styracis pondo libram, bdellij pondo libram. myrrhæ pondo uncias duas. thuris pondo uncias nouem. œsypi attici pondo libram. propolis pondo libram. resinæ terebinthinæ pondo libram. olei ueteris pondo duo. cyprini, irini, unguenti amygdalini, singulorum pondo duo. syriaci pondo tria. opopanacis pondo. præpara.

Aliud Acopon uiride ut Clemens Sertorius, quo utor. 16

Aeruginis rasæ pondo uncias sex. resinę frictæ pondo uncias quatuor. olei myrtei põdo. lentiscini pondo. olei ueteris pondo. laurini põdo duo. syriaci pondo. gleucini põdo tria. pinguis agnini uncias tres. ceræ ponticæ libras tres. chalbani pondo libram. myrti tenerorum foliorum, rutæ foliorum uiridium, rosmarini uiridis, lauri foliorum tenerorum

rum, singulorũ uncias sex. herbæ saluiæ selibram. uiridia tundũtur, & oleis per noctem & diem macerantur, deinde cum liquabilibus incoquuntur. cum ab igne deposueris, ærugo inditur, percolata reponuntur, facit ad omnem neruorum laborem.

Aliud Acopon calefaciens ut Castus, ad diuturnos affectus, & conuulsiones 17

Pissełæi sextariũ. syriaci unguenti tantundem. iris illyricæ parem modum. terebinthinæ pondo libram. axungiæ põdo libram. rasuræ naualis pondo unciam. Incoquito, ruta uiridi mouens.

Aliud Acopon Orionis Pexoris bonum. 18

Ceræ pondo libras sex. propolis pondo libras quinq;. iris illyricæ pondo libras iiij. terebinthinæ pondo libras quatuor. opopanacis pondo libras tres. olei ueteris põdo quatuor. chalbani põdo libras ij. olei lentiscini pondo tria. myrtei põdo iij. guttæ ammoniaci pondo libram. medullæ ceruinæ pondo libras tres. œsypi pondo libras vi. baccarum lauri põdo librã. styracini pondo tria. amygdalini pondo tria. seui uitulini pondo libras tres, & leonini pondo librã semis. opobalsami pondo libram semis. præparato diligenter.

Aliud Myracopon bonum. 19

Malabathri, hedychroi, nardi, crocini babylonij, singulorũ selibra. stactæ, opobalsami, ceræ, comageni, singulorũ uncias sex. aloes uncias duas. mellis uncias tres conficito.

Aliud Myracopon quo utor. 20

Ceræ candidæ pondo uncias duas. adipis anserini odoramentis conditi unciã. seui taurini odoramẽtis cõditi unciam. adipis leonini odoramentis conditi uncias duas. crocodili odoramẽtis conditi unciam. medullæ ceruinæ unciã. salis ammoniaci uncias duas. piperis albi uncias duas. thuris unciam. cinnamomi uncias tres. aphronitri unciã. iris illyricæ sextarios duos. nardi unguenti sextarium. malabathri Alexandrini sextarios duos. stactæ libras duas: syriaci crocini libras duas. mellis libras quatuor. opobalsami sextarium. comageni libras duas. parato uti nouisti.

Aliud Myracopon. 21

Ceræ tyrrhenicę uncias sex. ammoniaci uncias quatuor. euphorbij libras quatuor. piperis albi uncias quatuor. limnistridis uncias quatuor. magmatis malabathri uncias sex. opobalsami pondo. malabathri põdo. stactę uncias sex. foliati uncias sex. nardi pondo tria.

Gleucini confectio iuxta Andromachum. Cap. XII

Post prædicta acopa, Andromachus Gleucini confectionẽ descripsit, non male ipsum acopis unguinibus adiungens, quippe ad dolorem lassitudinemq; tollendã, longe est accõmodatissimum. Traditur autem ab eo sic ad uerbum.

Gleucini confectio qua utor. 1

Myrrhæ põdo libras duas. nardi indicæ põdo libras duas. costi põdo libras tres. styracis pondo libram. bdellij, sampsuchi, xylobalsami, iunci odorati, cardamomi, spathæ, iris illyricæ, misyos, asari, sing. põdo libras ij. meliloti põd. lib. nardi gallicæ põdo libram. aspalathi, calami, singulorum põdo selibrã. aristolochiæ longæ põdo librã s. rosmarini seminis sextarios duos. thuris pondo lib. iij. casiæ põdo lib. iij. fœnigræci sextarios duos: sphagni põdo libras duas. amomi põdo libras duas. corticis thuris põdo libram. rosarum siccarum põdo libras duas. herbæ sabinæ pondo uncias sex. fœniculi pondo libras duas. balsami fructus pondo libras duas. croci põdo uncias tres. baccarum lauri põdo libram. piperis albi põdo libram. opobalsami uncias tres. malabathri foliorum pondo libras duas. nuces pineas uirides duas. rutæ uiridis pondo uncias duas. salis ammoniaci denarium pondo quatuor. nitri denarium põdo quatuor. uini ueteris sextarios xij. musti boni amphoras duo s. olei ueteris libras quinq;, præparato diebus quadraginta. Hæc præfatus Andromachus, non adhuc confectionis modum, sicut Crito adiecit, insuper quot libris italicis amphoram aut sextarijs æstimet, silentio preterijt.

Gleucini confectio Critonis in secundo De ornatu. 2

Crito ad libri calcem, Gleucini confecturã his uerbis tradidit. Gleucinum uim habet calefactoriam ac remittentem: uuluæ & neruis præsidium est. huius confectiones multæ sunt: quæ uero simplex dicitur, hunc in modum habet. Musti recentis, ex uua Maronea, metretam siue amphoram in uas stanneum coniectam, supra prunas incoquito: ac ubi ter quaterue efferbuerit, in metretam fictilem transfusum, soli exponito: olei albi omphacini congios sex addito, iunci odorati minas sex. alij minæ dimidium. nardi, calami, aspalathi, singulorum tantundem, palmæ elatæ minam. cyperi minam. cardamomi octauam minæ partem. amomi tantundem. meliloti uncias quinq;: sint autem omnia leuia, deinde diebus octo commouens, mustumq; repurgans, utitor.

Gleucini confectio secundum Dioscoridem libro primo De materia: scripsit autem ille in hanc sententiam. 3

Gleucinum simplex componitur ex oleo omphacino, iunco odorato, calamo, nardo gallico, spatha, aspalatho, sertula cãpana, costo, & musto, uinatijs, uase quod aromata uinum & oleum continet, circundatis: triginta diebus, singulis bis mouetur, postea expressum unguentum reponit. Vis eius est calefacere, emollire, & remittere: benefacit rigoribus, neruorum uuluęq; affectibus: omni Acopo efficacius est, ut quod emolliat.

Gleucini confectio ut Heras. 4

Quoniam Heras Gleucini confectionem luculentius ipsis iuxta finem operis medicamẽtarij edocuit, illius quoq; scripturam ad uerbum ita subiuncturus sum. Olei Gleucini cõpositio ad perfectiones, & neruorum uitia potissimum: iuuat opisthotonicos, id est, quibus ceruix reflexa est in posteriorem partem, nec in anteriorẽ inclinari potest, lana ex eo irrigua locis affectis iniecta. Olei uenafrani põdo ducenta octo. uini falerni sextarios xxx. musti aminei sextarios centũ octo. helenij pondo duodecim. spathæ pondo quinq;. aspalathi pondo quinq;. hedysari pondo duo semis, artemisiæ maternæ pondo duo semis. myrrhæ pondo tria

do tria, alij pondo. piperis albi pondo duo semis. splachni seu musci pondo duo semis. xylobalsami pondo duo semis. aristolochiæ longę pondo unũ. uncias tres. myrti siccæ foliorum uncias duodecim. bdellij pondo duo semis. iris illyricæ pondo duo semis. styracis pondo unum uncias tres. casiæ fuluæ põdo unũ uncias tres. ladani pondo unum uncias tres. cardamomi pondo unum uncias tres. croci pondo unum uncias tres semis. balsami fructus pondo duo semis. thuris pondo quinq;. crocomagmatis pondo quinq;. panacis põdo unum uncias tres. calami aromatici pondo quinq;. asari pondo duo semis. casiæ nigræ põdo duo semis. amomi uuæ pondo unum uncias tres. iunci floris pondo quinq;. costi pondo quinque. uncias tres. nardi gallici pondo quinq;. sertulæ campanæ, quę melilotos dicitur, pondo unum. uncias tres. sampsuci põdo unum. uncias tres. rosarum siccarum pondo unum. uncias tres. fœnigræci libræ dimidium. opobalsami uascula quinq;. malabathri unguenti pondo. Arida tunduntur, & rariore cribro incernuntur, uinoq; macerãtur. bdellium, & si aridum non fuerit, & ipsum contunditur: sin pingue extiterit, uino ipsum in pila contundendo soluit. hæc in uas exiguũ unguentariũ stanneumq; cõiecta, sed ita ut nihil expiret opertum, diebus duodecim, & totidem noctibus sinuntur: mustum uero cum his permaneat, uua pure expressa ut nihil roris cõtineat. Porrò mustũ in magnum ahenum condito, ut etiam feruori ipsius locus sit: omnia in uino macerata adijciunt: oleum uinumq; bis die spatha unguentaria ad horam agitatur: spatha uero accurate detergatur, ne id quod acidũ factum ei adhæret, medicamentum offendat, dum rursus immittitur. Tegatur autem uas operculo, & desuper pluſculis centonibus accurate circundetur: uasi subsit restis. quum iam dies quindecim præterierint, ammoniacum, et ipsum amomum inditur, crassius cõtusum. At trigesima die duplici uase supra prunas bis uel ter feruere unguentum permittendum est, opobalsamo adiecto: uase autem deposito, ac modice refrigerato, unguentum defundere: reliqua sportulis, ut sunt calida, exprimere oportet: primum manibus, deinde prælo, & molientes aliquid unguenti gratia, in ipsum malabathrinum unguentum conijcere, in calente aqua prius diffusum: item spatha permouere ut misceatur. Postea diem unũ sinentes, uitreis uasis aut testaceis picatis reponemus.

Quæ scripserit Heras Acopa. Cap. XIII

Acopon ad paralyticos, summatim ad omnem dolorem. 1

Rutæ uiridis pondo. pulegij sicci pondo. cyperi põdo. nitri denarium pondo quinquaginta. fœnigræci pondo. linozostis siccæ pondo. marrubij pondo. rosmarini pondo. aristolochiæ põdo. amygdalarum amararum desquamatarũ modij dimidium. iris põdo duo. terebinthinæ põdo duo. baccarum lauri põdo duo. cucumeris agrestis radicis pondo duo. guttæ ammoniaci pondo duo. sabinæ libras duas. ueratri albi libras sex. myrti uiridis lib. tres. lauri foliorum siccorum libras tres. ceræ põdo iiij. bdellij pondo quatuor. uini heminas duas. albi uini congios xij. olei congios quatuor. contusis crassius ijs quę tundi debent, aquam affundito: ac rursus tunsis, uinum oleumq; adiungito, & noctem sic esse sinito, sequẽti die incoquito, dum hæc innatantia decocta fuerint, & oleum à coctis qualitatem acceperit: hæc omnia fiunt pedetentim: deinceps sublatis, expreſsisq; recrementis, ceram, resinam, & bdellium adijcito.

Aliud uiride Acopon ad ischiadas, & neruorum resolutionem. Hoc usus sum in Phorte. 2

Resinæ terebinthinæ pondo. mãnę uncias quatuor. chalbani uncias quatuor. aphronitri uncias quatuor. guttæ ammoniaci uncias quatuor. opopanacis uncias quatuor. seui caprini uncias sex. æruginis uncias quinq;. cyprini heminam. irini heminam unam & s. melini uncias quatuor. syriaci uncias tres. piperis uncias tres, quidã uero uncias quatuor. olei ueteris sesquisextarium. adarces unciam. aceti quod abũde sufficiat. Aeruginem, opopanacem & aphronitrum cum aceto terito, reliqua liquefacta superfundito.

Aliud Acopon ad coxendicum dolores diutinos, articulorum ligationem & paralysim, admodum est efficax. 3

Olei ueteris & irini põdo sex. laurini põdo sex. styracini põdo sex. cerę põdo sex. terebinthinę uncias duas. piperis uncias duas, euphorbij uncias duas. opopanacis uncias duas. chalbani unc. duas. medullæ ceruinæ uncias duas. guttæ ammoniaci uncias duas. liquabilia ubi liquefeceris, siccis affundito, ac unitis utitor.

Aliud Acopon ad coxarum dolores, & in uniuersum ad omnia. 4

Myrrhæ partem unam. pyrethri partem dimidiam, leuigatis gleucinum affunditur, ut medicamentum strigmenti spiſsitudinem accipiat. Vbi usus postulat, rosaceo admisto utitor.

Democratis Acoporum compositiones. Cap. XIIII

Plurima medicinæ cum studiosi dictitent
Acoporum de usu Myracoporumq; omnium,
Hæc quæ fient dicam, & quo conferant modo,
Qua'ue ratione facias quodq; pharmacum.
Ergo & dolores neruorum hæc omnia leuant,
Carnisq; totius & musculûm, quibus
Molesta laſsitudo est, aut perfrictio,
Aut his dolores similes sine patentibus
Causis oborientes: quin laſsitudini
Obnoxios, & frigori, haud faciles parant.
Si qui usi prius ita prodeant ad munia
Vitæ necessaria obeunda, corporis
Et carne partes pabulo indigas suo
Explent, perunctis assumpto à cibo locis:
Qui conualescunt ægre, hos & senes iuuant
Ipsis per hyemem ad uesperam linentibus.
Quæ porrò acopa faciunt, alio uobis loco
Exponam, & horum scripta subiungam ordine:
In quem uel usum quoq; ueniant, mox transigã.
1 Nunc referã quo primũ liceat facere modo.
Namq; ammoniaci bis quinas quidem uncias,
Siue uncias mauult quis, seu pondus aliud.
Idemq; thuris, at quaternas chalbani.

Cerui medullæ tantundem:parem modum
Simul atticiq; deinde mittunt œsypi.
Terebinthinæ perlucidæ centum & bis duas.
Mellis recentis optimi rursus decem.
Aequalem tribuunt ponticæ ceræ modum.
Adipis recentis anseris mollis decem.
Vini phalerni quinq; plures'ue heminas.
Aut pauciores paulo conijciunt quoq;.
Itidem olei ueteris bis uiginti boni.
Id autem graueolens haudquaquã commiseris.
Sic namq; fiet,gratum ut sit hoc utentibus.
Paratur sic.maiusculo in mortario
Simulatq; thus in grumulos confregeris
Et ammoniacum,uinum affundens protinus,
Atq; hæc dimittens macerari mediocriter,
Tere cochleari,in mellis spissitudinem
Cogantur, addito mel unà atq; œsypum,
Cerui medullam,quæ in pila counies:
Ac deinde cera in ollula liquescito,
Oleumq; totum iuncta & adipe & chalbano
Terebinthinamq; colliquefacies,simul
Superfundens coeuntibus in mortario,
Sed spatula parua ut refrigescant permoue.
Tum subigito tantisper hæc omnia manu
Vnita bene dum appareant,& humidi
Mellis boniq; crassitudinem habuerint.
In stanneum uas condito,uel buxeum.
Hoc sedulo usus optimo ceu pharmaco.
Est commodissimum & mulieribus quoq;,
Quîs est oborta phlegmone intus uteri.
Duriciam abigit inde,simul & scirrhi metum,
Vbi pessulo usurpare pharmacum lubet
Litum utero,quod indere hoc solent modo.
Benefacit hoc idem ad dolores aurium
Expertium ulceris,sineq; fluxu graues.
Sergetici autem mitis irini unguinis
Aut portionem quartam,aut trinam pharmaco,
Calidoq; lanam intinctam addis foramini.

Aliud. 2

Et Viridacopon hoc efficax supra modum,
Vnde & laborum exordijs facit magis
Arthriticis,podagricis quoq; efficax.
Hoc ante balneas medicamento litis
Et pedibus & neruis incrassatis simul,
Plures fuisse sanatos conspeximus.
Habet boni thuris pondo libram unicam.
Ammoniaci guttæ pondo libras duas.
Aphronitri quamalbissimi solum libram.
Tantundem puriusculi attici œsypi,
Myrrhæq; lectæ,& non lignosi chalbani,
Opopanacisq; puri singulûm omnium
Octo uncias exacte perpendens libra.
Quatuor euphorbij recentis uncias.
His asperi pares dato limnesii,
Hoc nominant adarcen unguentarij
In Italia institores,qui'ue coemunt.
Ceræ admodum bonæ duo pondo ponticæ.
Terebinthinæ tot puræ,semissem insuper,
Olei laurini,cypriniq;,& gleucini,
Sergetici,iriniq; singulam libram.
Olei ueteris,recentis quoq; lentiscini,

A Cuiusq; rursum horum immittes pondo duo.
Aceti modicum,quo misturas simplices
Siccas abunde contritas,contemperas
Liquidis unguinibus,& ceræ terebinthinæ,
Ac chalbano,liquori panacis,& alijs.
Vbi calida atq; adhuc feruentia in pilam
Conieceris,cochleari manibus contere
Valenter,unita omnia sic reponito
In pyxidem,qualem paulo dixi prius.
Audacter in ueteratisq; omnibus utitor.

Aliud. 3

Et hoc parabile passim Acoponitem bonum
Potissimum per hyemem,si profectio
Vsquam,malo opportunis facile subuenit.
Quod puri recipit chalbani tres uncias.
B Sed unam opopanacis recentis unciam.
Floris salis tres,& quaternas œsypi.
Ammoniaci guttæ bonæ pondo libras
Octo.atq; ceræ unam.pityinæ torridæ
Non fœtidæ,quaternas bis pone uncias.
Olei sabini bis quaternas & libras
Plus hyeme ceu libram oportebit indere
Vini phalerni nigri denis uncijs.
Sic præparato.Ammoniacum in mortario
Contudito,atq; deinde uinum affundito,
Paulisper macera, curiose conterens,
Florem salis, tunc etiam adijcias œsypum.
Terens tum,ac faciens mellis spissitudinem.
Liquatis colliquandis,in chalbanum:
Tum opopanacē adiunctum,rursus liquefacito.
C Leuigatisq; prius in pila,unitis probe
Superq; fundito,& manibus miscens ita
Pharmacum adhuc feruens uitreo uase condito.

Aliud Myracopon. 4

Et hoc Myracopon optimorum inest gregi.
Nam suauitatis plenum est:iuuat insigniter
Quos nominaui paulo affectus antea.
Stactæ bonæ receptat ternas uncias.
Opobalsami tres,& mellis tres attici,
Ceræq; puræ ponticæ tres.unguinis
Crocini syriaci quoq; quaternas uncias.
Ammoniaci quamalbissimi,& leuis salis
Sextantem,candidæ & puræ terebinthinæ
Vnam unciam,atq; partem ipsius unicam.
Et cinnamomi necnon,malabathri quoq;
D Libram adde,& partem libræ tertiam insuper.
Sin absit autem malabathrum forsan tibi,
Adiunge nardi tantundem gangitidis.
Istud bonis mediocriter unguentum additur:
Abunde medicamentosum,ut nullum inuenis
Aliud,uel irini tantum sergetici
Vel cyziceni pondo,idem amaracini.
His uteris ubi non adsit quod diximus
Malabathrum,arbitror moderatum Myracopon
Nihil minus sanè auxiliari utentibus.
Sic confit.Accurate mel factum leue
Adiunge,& stacten tritam modice misceas,
Opobalsamumq; ac rursum exacte contere.
Cera crocino terebinthina pura duplo
Iniectis uasi,prædicta liquescant aqua
In alia olla:liquefactis inde malabathrum.

E cum-

Et cunctis unitis modice, ut non ferueat,
Duplex depone uas protinus ex cacabo.
Exacte frigerato, & raso pharmaco,
Et addito ijs quæ iam prius recensui,
Mortario leuigato rursus dum probe
Totum uniatur, fiatq; unum pharmacum.
Voles at si ipsum reddere efficacius
Ad uitia neruorum, simul ad diutina,
Affectiones longas, tensos musculos
Euphorbij recentis etiamnum & boni
Toti uncias duas admisceas ponderi,
Cum saleq;, melleq;, insuper opobalsamo
Eleuigatum ante, quo satis erit tempore:
Itaq; omnia dicta in unum cum redegeris,
In pyxidem, uel uas uitreum reponito.
A balneis in usum potius ducito.
Cum regi facies principiúe Myracopon,
Perfacile uel para ignis sine commercio,
Opobalsami collectis ternis uncijs.
Et optimi malabathri quindecim uncias.
Et cinnamomi tantundem boni cape,
Ceræq; non olentis candidissimæ
Denarios decem: sic ipsum præpara.
Partem malabathri tertiam, & ceram quoq;
Concisam multo in frusta minutissime
Argentea in tenui reconde phiala.
A Aqua calente plurimum, ut liquaueris
Ipsum refrigerato, deinde radito.
Tum leuia iungens rursus in opobalsamo
Et cinnamomo totum contere uniens.
Quod restat ipsis suprafundens malabathrum.
Terens adunito manibus, sic condito
Argenteum in uas aut uitreum, sed crassius:
Sic namq; tuto habebis semper pharmacum.
At si trientem libræ addas gangitidis
Nardi, medicamen reddes longe suauius
Præstantiusq; ad uitia adhuc recentia,
Synchrisma, cinnamomon tibi ni suppetat,
Minimo quidem peius habebis, uere at bonum
Alio omni & multo Myracopo præstantius
At si proponis id facere efficacius
B Ad quos retuli modo affectus, atlantici
Euphorbij iunges quaternas drachmulas
Nam sic erit suaue, nec inefficax
Misturis licet confectum paucioribus.
Cognouimus quosdam uti multis pinguibus
Medulla multa, & nonnullis aromatis,
Liquoribus, unguentis, & oleis aliquibus,
Quibus contra usus esse talia
Expertium boni, qui non probauerint
Misturas, neq; naturas horum simplices.

FINIS.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI SEQVENTIS

Cap. 1 Mensurã dici & de pondere, & de uasis: quæ rursus uel aridorum uel liquidorum mensuræ sunt. Characteres ponderum & mensurarũ. 2. De ponderibus id est, de minis, & libra eiusq; partibus. 3 De mensuris liquidorum, & ponderibus earum in oleo, uino, & melle differentibus: de quibus etiam cap. 11. citatur Oribasius. 4. De mensuris aridorũ. 5. Alia incerti authoris traditio de signis & notis ponderum ac mensurarum. 6. De ponderibus, & mensuris, eorumq; modo, & capacitate, & partibus 7. De ijsdem ex Cleopatræ de ornatu libris. 8. Aliter de ijsdem. 9. De ijsdem apud ueterinarios. In Græco hic rursum sequebatur collatio ponderum in mensuris olei, uini & mellis, quæ cum supra cap. 3. habeatur, recte ab interprete Latino hic omissa est. 10. Dioscorides de ponderibus: & de mensuris uini olei ac mellis, quantum singulæ appendant: de quibus etiam supra cap. 3. De mensuris aridorum. (Notandum est hic Dioscoridem ita contulisse mel ad uinum, ut melli totam uini partem ampliusq; dimidiam tribueret: quod tamen Paulus proportione mellis ad oleum habita fecit, non ad uinum.) In Græcis præterea fragmentũ sequitur de notis põderũ, quod ceu super fluum, Latinus interpres recte omisit.

C

CL. GALENI DE MENSVRIS AC PONDERIBVS LIBELLVS, SPVRIVS

IANO CORNARIO MEDICO PHYSICO INTERPRETE.

CAPVT PRIMVM

PONDVS grauitatis mensu iudicat. Mensura aũt uasculi capacitate. Vasculum uero, tum aridæ, tum liquidę quãtitatis mẽsura existit. Quare tres omnino dimẽsę quãtitatis sunt differẽtiæ: una quidẽ ponderis: altera uero rerum aridarum, utpote quæ uelut in aggerem accumulantur: tertia aũt liquidorum. Cæterũ quoniã penè infinita põdera ac men D suræ, tum pro locorum, tum pro eorum qui eis utuntur consuetudine, existunt: de his saltem quæ omnib. maxime familiaria sunt, nobis sermo erit.

De ponderum ac mensurarum notis.

Verum quum quidam non integris literis, sed per notas, hæc ipsa pondera ac mensuras significent, præstiterit fortassis & nos in hac parte ueteres imitari: atq; primum characteres ipsos declarare. Primum igitur litera χ. ubi α. literam habuerit incumbentem, chalcum, id est æreum significat, hoc modo $\overset{\alpha}{\chi}$. Si uero o. ipsi χ. incubuerit, choa, id est congium demonstrat, sic $\overset{o}{\chi}$. Si $o\iota$. choenicẽ $\overset{o\iota}{\chi}$. Si η. chemam $\overset{\eta}{\chi}$ κ uero litera si in-

incumbens ι. habeat, & linea recta inferiorem ipsius apicem per obliquum secet, ceratiũ, id est siliquam significat, hoc modo . Quod si ν. ipsi κ. incumbit, cyathum significat, . Si uero ο. cotylam, id est heminam, . Porrò linea circumflexa, quam nihil aliud circumstat, & quæ omnino per obliqum ponitur, obolum denotat . Si uero duæ sunt lineæ, quas nihil circumstat, duos obolos signant . qui gramma, hoc est scrupulam faciunt, quod per literam γ. quæ ρ adiectũ habet denotatur, recta amplius linea ipsum ρ secante, hoc modo, . Duæ autem lineæ iuxta alteram extremitatem consertę, angulumq́ constituentes, ad similitudinem duorum apicum, qui in ipsius κ. literæ pictura ad rectam lineam adscribuntur, drachmam significant, quæ & holca cognominatur, hoc modo . proprie autem holca per λ. literam notatur, ο. litera medium eius occupante, hoc modo . Quod si ι. litera ad λ. apponatur, libra significatur λι. Aliqui tamen alteram ipsius λ. lineam, per obliquum alia linea secantes, libram denotant, sic . At uero litera γ. intra angulum suum ο. literam habens unciam significat, γο. μ. autem iuxta medium ipsius ν. habens, minam denotat . Si uero ν. habeat mystrum . Si ε. medimnum . Si ο. modium . Porrò τ. complectens literam ρ. & ν. incumbens habens, tryblium significat, . ξ. autem supra se ε. habens, xesten, id est sextarium designat ξε. Si uero ο. habeat suprascriptũ, oxybaphum, id est acetabulum . Aliqui tamen xesten, ξ. denotant, recta linea dissectum, hoc modo. . κ. autem incumbens μ. habẽs heminam indicat . κ. uero cum ρ. connexum, incumbente ipsis litera μ. ceramium signat .

De ponderibus. *Cap.* 2

Mna Attica & Aegyptia habet uncias	xvi
Mina Romana uncias	xx
Libra uncias	xij
Vncia drachmas	viij
Drachma scrupulos	iij
Scrupulus obolos	ij
Obolus siliquas	iij
Siliqua æreos	ij

duasq́ tertij partes, ita ut obolus æreos octo complectatur.

De mensuris liquidorum *Cap.* 3

Ceramium Italicum habet choas	viij.
Chus siue congius sextarios	vi.

Sextarius cotulas duas, quę & Tryblia appellant.
Cotula autem siue Tryblium, magna mystra iij. acetabula uero iiij.
Magnum enim mystrum continet acetabulum unum & tertiam partem.
Acetabulum uero sesquicyathum habet.
Cyathus chemas paruas, aut mystra parua ij. hab.

Quod si uelis liquidorum mẽsurarum pondus scire: Multæ enim rerum liquidarum differentiæ, iuxta lancis momentum existunt: idipsum ex olei, uini, & mellis exemplo docebimus. Mel igitur uino grauius est quarta ampliusq́ decima parte, quod fere totum tertiam eius partem facit. Habet enim eadẽ mellis ad uinum mensura, totũ uini pondus, accedente insuper tertia eius ponderis parte. Ad oleum autem mel dimensum, dimidia eius parte ponderosius est. Habet enim totum olei pondus, atque insuper dimidiam eius ponderis partem. Vinum uero nona parte oleum excedit. Habet enim pondus ipsius totum, ampliusq́ nonam eius ponderis partem. Quæ res ut magis euidens & manifesta fiat, omnium mensurarum pondus sigillatim subiecimus, uelut in tabella depictum: ita ut manifeste constet, quod per pondera quæ singulis mensuris subiecta sunt Oleum, Vinum, & Mel, ex ordine demonstrant.

Ceramium italicum habet

Olei.	Vini.	Mellis.
Libras lxxij.	Lib. lxxx.	Libras cviij.
Chus siue congius habet.		
Libras ix.	Libras x.	lib. xiij. et dim.
Sextarius habet.		
Vncias xviij.	Vncias xx.	Vncias xxvij.
Cotula siue hemina habet.		
Vncias ix	Vnc. x.	Vnc. xiij & dim.
Magnũ mystrum habet		
Vnc. iij.	Vnc. iij. scrup. viij.	Vnc. iiij. & di.
Acetabulum habet.		
Drach. xviij.	Vnc. ij. scrup. xij.	Vnc. iij. scru. ix.
Cyathus habet.		
Drach. xij.	sesquiunc. scru. iiij.	Vn. ij. dra. ij.
Paruum mystrum habet.		
Drach. vi.	scrupulos xx.	Drach. ix

Oribasius autem iuxta Adamantium, sextarium Italicum uini quidem iuxta mensuram uncias xxiiij. habere ait: iuxta pondus uero libram unam, uncias octo. Sextarium autem mellis, librarum duarum & dimidiæ pondus habere tradit.

De mensuris Aridorum. *Cap.* 4

Aegyptia Artaba continet modios iij.
Modius Aegyptius & Italic. habet chœnices viij
Chœnix sextarios ij.
Sextarius semisextarios ij. qui & heminæ appel.
Hemina autem habet cyathos viij.
Atticus Medimnus continet hemiecta xij.
Hemiectum autem seu semodius chœnices iiij.
Quo fit ut medimnus habeat modios vi. chœnices xlviij. Sextarios xcvi.

Cæterum pondus harum mensurarum non facile est proferre, quod immensa diuersitas rerum aridarum, iuxta lancis inclinationem existat.

Alia incerti autoris traditio, de signis & notis in apponderationibus medicamentorum, tum ponderum, tum mensurarum. *Cap.* 5

Signorum & notarum doctrinam ut necessariam non præter institutum fuerit adscribere, quo in pharmacorum præparationibus coniecturaliter posita cõperta, statim agnoscamus, et appõde ratione quæ ex ipsis indicatur deprehendamus. Proinde minam significat μ. litera ν. incumbens habens . Libram uero λ. adiectũ habens ι. λι. Vnciam autem γ. habens adiectum ο. γο. Apud aliquos uero reperi ν. incumbens ο. unciæ significa

A ficatione ν. μ. autem incumbente ε. μέρος id est, partem, significat, sic M. At uero obliquum λ. apicibus suis ad dextram tendens, drachmam notat, ∠. Si uero ad sinistra tendunt apices, dimidiam drachmam 7. Romana autem litera s. apud quosdam trium obolorum nota est. Verum apud nos omnis ponderis dimidium indicat, S. Si uero eadem litera unica obliqua ponatur, obolum notat ⁓. Si autem duæ, duos obolos ≈. At græcum sigma intrò conuersum, semiobolum significat Ͻ. Porrò ξ. litera, incumbente ipsi ε. sextarium indicat ξε. κ. uero incumbente υ. cyathum κυ. Λ. autem insitum habens ο. holcã significat, quæ etiam drachma appellatur.

De ponderibus & mensuris. Cap. 6

B Mina Italica habet drachmas cxliiij. Attica drachmas cxxiiij. Quare Italica mina est libræ unius & idmidiæ. Attica uero libræ unius, unciarum iij. drachmarũ iiij. Vncia habet apud Italos drachmas vij. Apud Atticos drachmas viij. Drachma habet scrupulos iij. uncia uero scrup. xxiiij. Libra habet uncias xij. scrupulus habet obolos ij. obolus habet æreos viij. Medimnus porrò habet hemiecta xij. hemiectum uero siue semodius chœnices quidẽ habet iiij. sextarios autem viij. Quo fit ut medimnus habeat congios quidẽ xvi. chœnices autem xlviij. sextarios autem xcvi. Chœnix uero heminas habet iiij. sextarios ij. Sextarius heminas duas cyathos aũt xij. Et per has mensuras pleriq; græci metiuntur. Cæterum

C apud Italos reperitur congius iuxta mensurã quidem habere sextarios vi. heminas xij. Iuxta pondus uero aquæ pluuialis, quæ minime omniũ fallit, drachmas dccxx. At uero acetabulum quarta pars est heminæ. Habet aũt sextarius pondere drachmas cxx. proprie uero hemina Græca olei habet librã i. sextarius lib. ij. At Italicus sextarius olei quidem habet unc. xviij. uini uero lib. i. unc. viij. hemina uero olei uncias ix. uini unc. x. Verum nosse expedit mensuras iuxta pondus nõ parum euariare, secundum materiæ diuersitatem.

Ex Cleopatræ de ornatu libris. De ponderibus ac mensuris Cap. 7

D Mina ponderis nomen habet unc. xvi. drachmas cxxviij. scrup. ccclxxxiiij. obolos dcclxviij. lupinos mclij. siliquas mmccciiij. æreos mmmmmm cxliiij. Mina Attica habet unc. xij.s drach. c. scrupulos ccc. obolos dc. lupinos dcccc. siliquas mdccc. æreos mmmmdccc. Mina Ptolemaica habet unc. xviij. drachmas cxliiij. scrupulos ccccxxxij. obolos dccclxiiij. lupinos mccxcvi. siliquas mmdcxij. æreos mmmmmmdccccxij. Libra habet uncias xij. drachmas xcvi. scrup. cclxxxviij. obolos dlxxvi. lupinos dccclxiiij. siliquas mdcc. xxviij. æreos mmmmdcviij. Vncia habet drachmas viij. scrupulos xxiiij. obolos xlviij. lupinos lxxij. siliquas cxliiij. æreos ccclxxxiiij. uocatur autem unc. tetrassaron italicũ. Drachma habet scrupulos iij. obolos vi. lupinos ix. siliquas xviij. æreos xlviij. Denarius Italicus habet drachmã unam. Appellatur aũt & alia æquiuoce drachma Aegyptiaca, quæ sexta pars est Atticæ drachmæ pendens obolum unum. Scrupulus habet obolos ij. lupinos iij. siliquas vi. æreos xvi. Obolus habet lupinos is. siliquas iij. æreos viij. Semiobolus habet siliquas is. æreos iiij. Lupinus habet siliquas ij. æreos iiij. aut atticũ semiobolũ, insuperq; duorũ æreorum duas tertias partes. Siliqua habet Atticos ęreos ij. & duas tertij partes. Aereus habet quartã semioboli partẽ, ita ut quatuor ærei faciant semiobolum. Stater habet drach. iiij. uocant eundem Tetradrachmon. Sed & dupondium drachmas iiij. habet, & nux regia itidem drac. iiij. Chema magna habet drac. iij. parua drach. ij.

Assarion habet drachmas duas. Cochlearium drachmam unam, cyathus drachmas x. aut unc. i. & quartam eius partem: scrupulos xxx. obolos lx. lupinos xc. siliquas clxxx. æreos cccclxxx. Est autem cyathus sexta heminæ pars. Hemina mensura quidem habet cyathos vi. pondere uero dra. lx. uncias vijs. scrupulos clxxx. obolos ccclx. lupinos dxl. siliq. mlxxx. æreos uero mmdccclxxx.

Tryblium eandem mensuram capit cum hemina. Habet enim mensura quidem cyathos vi. pondere uero drachmas lx. Sextarius autem mensura habet heminas ij. pondere drachmas cxx. Appellatur autem apud Aegyptios sextarius Inium.

Acetabulum habet heminæ quartam partem, siue sesquicyathum. pondere uero drach. xv. Concha magna eandem cum acetabulo mensuram seruat. Habet enim mensura quidem sesquicyathum pondere uero drachmas xv. Concha uero minor, mensura quidem habet cyathi dimidium, pondere autem drachmas v. Mystrum magnum habet decimãsextam heminæ partem, quod est drachmas iijs. & quartam drachmæ partem. Mystrum autem paruum heminæ uigesimamsecundam partẽ habet, hoc est drachmas ij. scrupulos ij. siliquam unam & undecimam siliquæ partem.

Congius mensura quidem habet heminas atticas xij. sextarios autem vi. chœnices iij. pondere uero drachmas dccxx. Chœnix mensura quidem habet heminas iij. pondere autẽ drac. clxxx. Porrò in re rustica cõperi, heminã tertiã aut quartam esse sextarij partem. Congium autẽ esse sextariorũ ix. heminarũ uero xij. Et amphorã esse sextariorum xxxvi. heminarum xlviij. Metretam autẽ sextariorũ lxxij. heminarum xcvi. Medimnum uero sextariorũ cij. heminarum cxxxvi. Cæterum apud Syrios metreta est sextariorũ Italicorũ cxx. At uero Tryblium & acetabulum similiter habẽt quartam heminæ partem. cyathus heminæ sextam partem.

Aliter de ijsdem. Cap. 8

Mina Attica habet uncias xij. Alia mina habet uncias xvi. Ptolemaica uero unc. xviij. Libra habet unc. xij. Vncia drac. viij. Drachma scrupulos iij. Scrupulus obol. ij. Obolus lupinos is. Lupinus siliquas ij. æreos iiij. aut Atticum semiobolum, insuperq; duorum æreorum duas tertias partes. Siliqua habet æreos ij. & duas tertij partes.

Aereus habet quartam semioboli partem, ita

ut quatuor ærei faciant semiobolum. Stater habet drachmas iiij. uocāt & ipsum Tetradrachmū. Sed & dupondium drach. iiij. habet. Et nux regia itidem drach. iiij. Chema magna habet drach. iij. parua drach. ij. Assarion drach. ij. Cochlearium drachmam unam.

De mensuris ac ponderibus Veterinarijs incerti autoris. Cap. 9

Vncia habet drachmas viij. Drachma habet scrupulos iij. obolos autē sex. Hemina habet uncias xij. acetabula uero duo. Acetabulū cyathos iij. cyathus habet mystra iiij. Cochlearium aūt est mystri dimidium. Acetabulum facit uncias vi. Cyathus facit uncias ij. Mystrum facit unciæ dimidium. Cochlearium facit scrupulos vi. Drachma scrupulos iij. Obolus facit scrupulum. Sicliū habet unciæ dimidium. Quum itaq; habeat cyathus mystra iiij. fit ut sit mystrum unc. dimidium, & cum mystrum cochlearia ij. habeat, fit ut cochlearium sit quarta unciæ pars. Mina habet unc. xv. drachmas cxx. Libra habet drachmas xcvi. Denarius habet scrupulos iiij.

Dioscorides, de ponderibus & mensuris. Cap. 10

Ego amicissime uir, de ponderibus ac mēsuris sic diligēter rem tractaui, ut à minimis initio sumpto, multiplicatione usq; ad minā facta, progressus sim Proinde siliqua idem pdōus habet cum æreo. Obolus autem æreos habet iij. unde semiobolus pondere habet siliquas is. Scrupulus habet obolos ij. hoc est æreos vi. Drachma quę etiam holca dicitur, habet scrupulos iij. hoc est obolos ix. Vncia uero habet drachmas viij. scrupulos xxiiij. Libra habet uncias xij. drach. xcvi. Mina iuxta medicum usum habet uncias xvi. hoc est drach. cxxviij. Italica uero mina uncias xviij. habet, hoc est libram i. & dimidiam, drachmas autem cxliiij. Alexandrina mina habet uncias xx. hoc est drachmas clx.

De mensuris liquidorum. De uino.

Ceramium uini habet libras lxxx. Vrna lib. xl. Congius lib. x. Semicongius lib. v. Sextarius libram unam, uncias viij. Hemina quæ & cotyla uncias x. Quartū siue quartarius unc. v. Acetabulum quod est quarta pars heminæ habet unc. iis. Cyathus qui est sexta heminæ pars habet unc. is. & scrupulos iiij. Chema uero quæ est cyathi quarta pars habet drachmas tres, scrupulum unum. Idem uero est pondus etiā aquæ & aceti. Dicunt autem pluuiali aqua uas impletum, pondus minine omnium fallax exhibere, & congium eius habere drachas dccxx.

De Oleo.

Ceramiū siue amphora olei habet libras lxxij. Vrna libras xxxvi. Congius libras nouem, Semicongius libras iiijs. Sextarius libras is. Hemina uncias nouem. Quartum uncias iiijs. Acetabulum quod est quarta pars heminæ, habet uncias duas, daachmas duas. Cyathus qui est sexta pars heminæ, uncias is. Chema quarta cyathi pars drachmas iij.

De Melle.

Ceramium mellis habet libras cxx. Vrna habet libras lx. Congius libras xv. Semicongius libras vijs. Sextarius habet libras. ijs. Hemina libram unam, uncias iij. Quartarius unc. vijs. Acetabulum uncias iijs. drachmas ij. Cyathus autem habet uncias ijs. Chema uero quarta cyathi pars habet drachmas v.

De mensuris aridorum.

Medimnus habet hemiecta xij. Hemiectum chœnices iiij. Chœnix heminas Atticas habet iij. pondere uero drachmas clxxx. Cōgius mensura quidem habet heminas Atticas xij pondere uero drachmas dccxx Sextarius mensura habet heminas ij. pondere drach. cxx. Hemina cyathos habet sex. pondere uero est drachmar. lx. Heminam Attici etiam Tryblium uocant, aliàs cotylam appellatam. Acetabulum mensura quidem est heminæ quarta pars, hoc est cyathus unus ac dimidius, pondere uero habet drachmas xv.

Cyathus habet drachmas x. Chema quæ est quarta Cyathi pars, habet drachmas ijs. Mystrū magnum decimasexta heminæ pars est, & habet drachmas. iijs. & quartam drachmæ partem. Mystrum paruum uigesima secunda heminæ pars est, habet scrupulos ij. siliquam i. & undecimam siliquæ partem. Iustissimum uero mystrum scrupulos habet viij. Cochlearium scrupulos habet iij. Nucis regiæ magmitudo drach. habet vij. Nucis ponticæ drachmam unam. Glandis magnitudo drach. dimidiū habet. Aegyptiacæ fabæ magnitudo obolos habet is. Erui æreos ij.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI SEQVENTIS

Caput I De hirudinibus
Cap. II De reuulsione, quibus locis & quot modis fiat: uinculis, uomitu, clysteribus, cucurbitulis, acribus medicamentis.
Cap. III De cucurbitulis.
Cap. IIII De scarificatione, & crurū incisione.

CL. GALENI DE HIRVDINIBVS, REVVLSIONE, CVCVRBITIS, SCARIFICATIONE, AC VENAE INCISIONE LIBELLVS. IANO CORNARIO MEDICO PHYSICO INTERPRETE.

CAPVT PRIMVM

QVIDAM captas hirudines concludunt, & ad multa ipsis utũtur. Nam mansuefactę facile carnẽ cõtingũt. Verum recẽs captas ad diem unum seruare oportet, modico sanguine in alimentũ ipsis obiecto, ita em̃ uirus ipsarum exprimetur. At uero usus tempore pars cui hirudines adhibendæ sunt, nitro pręparetur ac illinatur, aut unguibus confricetur, promptius enim hoc modo adhærebunt. **B** Oportet autẽ ipsas in aquam tepidã, in puro ac amplo uase mittere. Deinde spongia apprehendere, & sordibus depurgatis, per manus admouere. Vbi uero inhærẽt oleũ tepidũ parti infundimus, ut ne perfrigeretur. Cæterum in manibus ac pedibus, ipsam partẽ aquæ immittere oportet, in qua sunt hirudines. Si uero modice attigerint, caudas ipsarũ forpice incidere expedit. Sanguine enim effuso, attrahere non cessant, donec nos salem aut cinerẽ oribus ipsarũ asperserimus. postq̃ uero deciderint, per cucurbitam uirus extrahere oportet. Sin minus, **C** fomentũ per spõgias adhibeatr. At si corpora adhuc lachrymas fundãt, fabacea farina adspergẽda est. deinde lana modico oleo imbuta obuoluatur. Si uero sanguis erumpat, linteola ex aceto madida imponantr, aut galla usta. aut spongia liquida pice imbusta ac usta adhibeatur. Verũ nosse expedit, quod hirudines sanguinẽ in profundo nõ trahũt, sed eũ qui carni adiacet exugunt. Vsus aũt ipsarũ est cucurbitarũ loco. Detrahimus aũt ipsas, quũ dimidiam sanguinis partẽ attractam esse cõiectauerimus. prohibemus aũt & nõ sinimus ipsas decidere, donec sufficiẽs excretus fuerit. Nam pars ipsa frigescit, tum ab hirudinibus, quæ natura frigidæ sunt, tum ab aere ambiente. **D**

De reuulsione. Cap. II

Vehementissimas influxiones humorũ, per reuulsoria auxilia impedimus, ne aceruatim irruãt. Reuulsoria aũt auxilia, in fluxione ad pectus & uentrẽ fiunt ad manus. Vomitiones aũt, in fluxione ad infernas partes: quẽadmodũ etiã inclinationis ad uomitus reuulsio fit per clysteres acriores. At uero ambas has inclinationes, per supernũ in quã, ac infernũ uentrẽ, ad urinas & sudores reuelles. Sed & urinas, ad sudores ac secessus alui. Est et reuulsoriũ auxiliũ cucurbita mãmis admota. His enim ad pręcordia affixis, sanguinis impetum ad nares, reuelles: sicut etiã immodicã eius per uterũ lationem. Reuellunt etiã acria pharmaca locis im- **A** posita, humorum ad caput ac uiscera lationes. Et in summa, reuulsio facienda est in humoribus sursum repentibus, ad partes infernas. In his aũt qui deorsum repunt, uice uersa. & in intra uergentibus, extra. & rursus in his qui extra uergunt, intra. & si ad dextra repunt, ad sinistra. & si ad sinistra, rursus ad contraria. Atq; hoc modo etiã lationes in posteriorẽ partem, reuellantur in anteriorem, & quæ anteriorem petunt, in posteriorem.

De cucurbita. Cap. III

Cucurbitæ præeuacuatis corporibus cõmodæ sunt, in repletis em̃ non utimur ipsis. eadem ratione & in cerebri ac membranarũ eius inflãmationibus, non utimur cucurbitis, in principio affectionum: quemadmodũ neq; in alia aliqua parte inflãmata, uerum quũ non influit amplius quicq̃, & ubi prius euecuauerimus totũ copus, & ubi opus fuerit aut mouere & exagitare aliquid in inflãmata parte, aut foras attrahere. Dum uero fiũt adhuc affectiones, non ipsis ægrotare incipientibus partibus sed uicinis ipsarum, cucurbita inponẽda est, reuulsiõis gratia. At in principio reuulsorijs utendum est. Cucurbitæ uis est materiam euacuare, dolorem soluere, inflãmationem minuere, inflationẽ discutere, appetentias edendi recuperare, infirmũ stomachum corroborare, animi deliquia eximere, fluxiones ex profundis transferre ac siccare, sanguinis eruptiones cohibere, facultates mẽsium corruptrices attrahere, & mẽses alleuare.

De scarificatione & uenæ incisione. Cap. IIII

Scarificamus corporis partes, aut inflãmatas, aut in scirrum induratas, aut distentas aut dolore affectas, aut fluxione infestatas, ubi fluxio iam fuerit sedata: aut acri materia incumbente, aut uenenosa facultate extrinsecus illapsa, aut ubi ex alijs partibus ad aliam, transferre materiam uolumus: quõ crura scarificamus capite affecto: aut ubi redundantẽ in corpore materiam imminuere cupimus, & maxime quũ redundantia facta fuerit, propter retentionẽ materiæ quæ cõsueto more excerni solet. Velut hæmorrhoidib. suppresis, scarificamus crura prelota, aut calidæ fomẽto in spõgia admoto. Porrò uenã incidere sæpe in anno, minime cõmodum puto. Nam unà cũ multo sanguine uitalis spiritus excernitr. Hoc aũt frequentius consumpto, & tota corporis moles perfrigeratur, & omnia animalia opera peius fiunt. Quapropter à partibus ignobilioribus, ueluti sunt crura, detractionẽ facere oportet. Prodest aũt scarificatio etiam oculis diuturna fluxione uexatis, & capitis affectionibus, itemq; pectoris ac dorsi. Prodest etiã anginis, & humoribus spissis ac impactis.

Caput I Causam quærit cur Erasistratus, cum multa parua remedia curiose conscripserit, phlebotomiam summum sæpe remedium uix semel, & obiter tantum, nominauerit: cum tamen clarissimi ante ipsum medici, in plurimis & acutissimis morbis ipsam usurpauerint. Cap. II Quo animo phlebotomiæ remedium Erasistratus omiserit, alij aliter sentiunt: quorum sententias recitat. Cur phlebotomia abstinendum. Cap. III Erasistrati sententiam refert de uenis & arterijs, & uasorum illorum tum naturali tum præter naturam habitu, in quo paremptosis quoque accidat, & alias ob causas, & ob sanguinis abundantiam. Et quomodo paremptosis causa sit, secundum eundem, febris, ac inflammationis tum simplicis tum uulnerum. Verba ipsius de remedijs utriusque inflammationis. Cap. IIII Cum sanguinis abundantiam morborum aliquot causam esse fateatur Erasistratus, de modo euacuandi illum quæritur: Videtur autem optimus, phlebotomia, non inedia, quam Erasistratus probat. multa enim mala inediæ effecta & symptomata sunt, præter id quòd tardius euacuationem molitur, non statim ut phlebotomia.

Cap. V Quòd phlebothomiam Hippocrates non neglexerit: quódque natura etiam sanguinem euacuando morbis succurrat: Et Erasistrati reprehensio, qui naturæ modum hac in re non obseruauerit. Et quòd natura aliàs satis agat, aliàs nihil, aliàs parum, quo quidem tempore medicus supplere debet naturæ defectum. Addit exempla curationis Hippocraticæ per phlebotomiam.

Cap. VI Quòd nullus uel dogmaticorum uel Empiricorum phlebotomiam reiecerit.

Cap. VII Naturæ opera euacuandi sanguinis usum ostendere: exemplum à purgatione uel inanitione mulierum, in mensibus, partu, statim à partu, & lacte, quod ex ijsdem fontibus manat unde menses. A quibus morbis tutæ sint mulieres quæ rectè purgantur: & de hæmorrhoide uirorum. Et quòd non ob hæc solum retenta morbi fiant euacuatione sanguinis curandi: sed etiam alij quidam, ut spasmus, & hydrops aliquādo, itidem sanguine detracto per Galenum curati. Et iterum, quòd naturæ imperiti & communis iudicij expertes sint, qui phlebotomiæ usum negant.

Cap. VIII Medici esse, non tam disserere an secanda sit uena (id enim communi ferè iudicio constare) sed quæ, quando, & ubi secanda. Morbi ob hæmorrhoides retentas.

Cap. IX Contra reijcientes phlebotomiam. eò quòd mensura eius certa statui ad unguem non possit. Quòd ne in cæteris quidem remedijs ad amussim hoc fieri possit, quibus tamen feliciter utimur: quale & ipse Erasistratus summum cholericis propemodum moribundis remedium celebrauit, uinum frigidæ mixtum, à Chrysippo inuentum: cuius ille inuenta semper laudat, aliorum nihili facit.

Cap. X Quòd sanguinis detrahendi mensura facile deprehendatur, & quibus indicijs: quæ cum apparuerint, statim sisti potest sanguis, cum aliorum pharmacorum operatio sisti non possit pro arbitrio medici. Purgationis pericula. Modum etiam in alimentis, & cæteris omnibus obseruandum esse: nimium & parum nocere: non ideo tamen ea omitti. Quòd ubi noceret paulo plus iusto sanguinis emisisse, ibi paulo minus iusto prosit, tantum abest ut noceat. quod enim ad modum perficiendū deest, alijs remedijs suppleri posse, aut repetita phlebotomia.

Cap. XI Eos qui se Erasistratios uocant, Erasistratum non intellexisse, ideoque omitendos. Et quod Erasistrati Chrysippo assentientis sententia fuerit, cum phlegmonis & alijs & uulnerum, inedia adhibenda sit, phlebotomiam ideo omittēdā, ne æger deficiat ob utrūque euacuationis genus: Venas autem inedia inanitas, sanguinem in arterias transfusum facilius ad se recipere. Galenus eum reprehendit, quod per inediam uix longo tempore id efficiatur, & totius corporis incommodo, quod phlebotomia statim & tutius efficeret. Cap. XII Quod tunc saltem necessaria esset phlebotomia, cum sanguis non transit in arterias, sed in uenis manens eas distendit: Nō enim sola artuum re uinctio, qua Erasistratij utuntur, tunc sufficiet. Et quod sæpe hæmorrhagias uena incisa sedauerit, refert aūt quæ uena incidatur. Et quod sanguine misso præuenire possimus ne uasa rumpantur, & ob ruptionem inflammentur, ac ne opus sit inedia.

Cap. XIII Quod Erasistratus ipse scribat alijs aliud euacuandi genus cōuenire, ut gymnasium, balneum, uictum tenuem. Sit qui sanguinem rupto uase aliquo thoracis expuat: huic cum neque exercitium conueniat, neque balneum (hæmorrhagijs omnibus noxium, cum fluxum & turgidum reddat sanguinem, & corpora debilia molliaque reddat) restat utendum esse uictu tenui, quem triplicem facit, ut uomere à cibo (quod hic omnino non conuenit) pauca uel parum nutrientia sumere: sed hoc auget potius, licet parū, quàm euacuet. tertio loco est omnimoda abstinentia: quæ nec ipsa conuenit. quanquàm enim non nutrit neque auget sanguinem, tamen etiam non euacuat sicut propriè euacuantia dicta, sed per accidens tantum, si corporis motus aut calor accedant, unde succi & alimenta cute rarefacta expirant. Nam quieta animalia & tempore frigido latitantia, nihil inaniuntur ob cibi abstinētiam. Inedia igitur per se non euacuabit eum, qui sanguinis è thorace profluuio laborat: inedia enim quodammodo est inter euacuantia & nutrientia: At ne per accidēs quidem euacuabit, cum ita affectus motum & calorem omnem uitet.

CL. GALENI DE VENAE SECTIONE ADVERSUS ERASISTRATUM LIBER. AD GRAECORUM EXEMPLARIUM FIDEM RECOGNITUS.

Iosepho Tectandro Cracouiensi interprete.

CAPUT PRIMUM.

MIHI equidem illud inquisitione quamdiligentissima dignũ uidetur, cur nam Erasistratus, cum cætera quæ ad artẽ spectant, abũde satis pertractaret, ac circa minima quæq; tantopere curiosus esset, ut et quorundam holerũ cataplasmatumq; decoquendi rationem conscripserit (quorum facultates usumq; si unquam aliquis alius declarasset, nõ iniuria eorumdem cõficiendi rationem omittere potuisset, quandoquidẽ id nullius pretij sit, taleq; qđ à quouis ex uulgaribus inueniri possit) de uenæ sectione interim, nempe præsentaneo illo ac unico auxilio, quodq; uel ueterum sententia non minus efficacissimis remedijs extolleretur, ipse nullam mentionem fecerit. In illius enim operibus fermè ne nomen quidem unquam uenæ sectionis, prẽterq; semel, reperiri potest, ubi ipsemet, quemadmodũ unicuiq; considerare facile est, obiter potius præterq; institutũ, q̃ studio insigni de sanguinis reiectione agens, illius cõmeminit, id quod ex ipsius scriptis intelliges, quæ sic habet Deligaturæ uero quæ circa alas & inguina fiunt, non sunt faciendæ more quorũdam, qui uulgatam curandi rationem imitantes non sanguinis gratia se hoc facere intelligunt, sed uinculis ualde comprimũt. Quod enim in deligatis corporis partibus sanguis plurimus recipiatur, ex uenarum tensione, earumq; sectione cõiectãdum est: ex incisa siquidem corporis parte, cum ea deligata fuerit, copiosior is effluit. Dum uero sanguinis reiectio contingit ex deligatura in tibijs ac brachijs facta, plurimũ eius ibidem recipietur. Postquam etenim qui circa thoracis partes adest diminutus fuerit sanguis, tum ipsa quoq; reiectio multo minor pauciorq; fiet. Hoc autẽ ipsum imitari conanť hi, qui sanguinis reiectione laborantibus uenam secant. Sed in hac re Chrysippus multo consultius agit, quippe qui nõ solum præsentia inspiciat, sed etiã imminentis periculi curam gerat. Huic enim periculo quod in reiectione accidit, aliud ex inflammatione adhæret, in quo quidem offerre aliquid cibi perquam difficile est: rursum aũt ei qui cum uenæ sectione famem longo tempore tolerare debeat, ne dissoluatur uerendum est. Cæterum Chrysippus simulatq; nutrimentũ in corpore iam elaborãdum in loca solutu difficilia transtulerit, eo tẽpore quo dissolutionis periculũ imminet: postquã sic trans- A lationem fecerit, ex parato iam uenæ sectione nõ utitur, & cibum offerre non cogitur: ob idq; summa quæque ingenio superauit, ac q̃ sibijpsi undequaq; cõstet, frequẽtissimas meruit laudes. Quod autẽ nullius momenti hæc sint, & indigna omnibus modis, quæ uel ad Erasistrati solertiam, quam ille sibi in hac arte uendicat, uel ad auxilij uires referantur, cuilibet constat. Quandoquidem si neq; apud Hippocratem, neq; apud Euriphontẽ, neq; penitus apud quenquam alium qui ætatem Erasistrati præcesserunt, tale genus auxilij in scriptis reperiretur, forte suspicari quis posset illum, tanquã B de eo cuius usus nondum fuisset inuentus, aut apud celebres medicos approbatus, iure optimo uerba non fecisse. Verum cum permulti alij fuerint, quibus non in uno tantum eodemq; leui affectu, sed etiam in plurimis acutissimisq; frequens huius auxilij usus iam cõstiterat, ac eo pacto tum Hippocrates omnium bonorum artis medicæ autor, tũ uetustissimi quiq; illo usi esse animaduertũtur, qua quæso re Erasistratus cõmotus id adeo spreuit, ut ne rationem quidẽ ullam illius in enarrando habuerit? Etenim & quod illud non improbauerit ad certos affectus, reliquorũ præsidiorum more ipsum referendo indicare, et causam ob quã id probauerit præscribere eum oportebat. Atqui C hic in huius præsidij uiribus enarrandis tantopere inops fuit, ut neq; significauerit recipiendus ne sit, an posthabẽdus usus illius, neq; unq̃ quid de illo sentiret proferre ausus fuerit, nisi in uno tantum, ut superius dictum est, affectu: quanq; uel ex ijs quæ ipse reticet, opinionis suæ summã manifestam facere uideť. Nequaq; eñ, si usum illius probasset, silentio præterijsset. Neq; etiam cum minima quæuis, quæ ad leuandos affectus accõmoda erant, describẽda putaret, hæc utpote tam magna aliquem, etiamsi ab eo non didicisset, propria opera cõsequi posse persuasum habebat.

D 2 Causa uero ob quã uenæ sectione ipse non sit usus, fortasse diuinatione opus habere cuiquã uidetur. Qui enim quis rescire possit quid de his Erasistratus senserit, quorum ne obiter quidem ille alicubi mentionem fecerit? Nihilominus fuere nonnulli qui in explicanda illius sententia quæuis uaticinari conati sunt: uerum hi dum inter seipsos discrepant, in maximis erroribus uersari, manifeste sunt deprehensi. nam nemini ex illis eadẽ stat sentẽtia: & quod multo grauissimum est, neque ab ipsis Erasistrati commilitonibus, discipulisq; Chrysippi Cnidij, quo primum autore de explodendo uenæ sectionis usu dogma suscitatum est, de illius sententia quicquam certi cõstitutum est.

Hæc autē quæ Apœmantes Stratoq; protulerūt plane ridicula sunt: uterq; eñi dicit perdifficile esse uenam secare, uel ob internotionē uasis, uel ob arteriæ incisionem: nocumentum quippe ilico ingens imminere, si quando loco uenæ arteria diuidatur. His addunt quòd quandoq; aliquis præ timore mortuus sit, & alter etiam ante uasis sectionem, alter uero eo iam secto referri nunquam potuerit, tum quòd quidam irreparabili sanguinis fluxu defecerit. Sed præterea illa quoque, quæ à reliquis dicuntur: nam alij quidem eorum asserunt uacuationis mensuram coniectura assequi multo esse difficillimum, ideóque necesse esse, ut aut diminute euacuanti nihil plus contingat: aut mediocritatem excedenti maxima impendeat noxa: (quid enim, ut illi aiunt, uenæ sectio modum exuperans, à cæde differt?) Alij uero dicūt quòd cum transsultus spirituum (Græce paremptosis) ex arterijs in uenas fiat, necessario inanitionem sanguinis per osculorum reserationem ipse spiritus sequatur. Sunt & alij qui affirmant uenarum euacuationē inflāmationis affectu in arterijs iam constituto plane superuacaneam esse. Atqui uniuersa talia quanquam credibilia alicui appareant, sunt tamen reuera falsa indignáque quibus adhiberi fides debeat: quæ his omnibus longe facilius habenda fuisset, si hæc in medium protulissent quæ dicta fuerant à cæteris quibusdam, qui ex succorum natura disputandi initium deprompserūt. Et quanquam uel aduersus hos longiore sermone alicui conueniret instare, huius tamen rei in præsentiarum ea propter nulla est occasio, quia orationem sic in immensam prolixitatem excrescere oporteret: ꝑpterea nihil urget ut ea quæ neque ab Erasistrato, neque à quouis alio ex Chrysippi discipulis dicta sunt, reprehendere aggrediamur. Commodissime igitur sermonem mihi instruxisse uidebor, si prætermissis alijs ab ipsius Erasistrati placitis initiū fecero, orationēq; ipsam quantum eius fieri potest breuissime absoluero.

3 Cæterum ille arteriam spiritus, uenam autem sanguinis receptaculum esse asserit. Deinde uero ubi grandiora receptacula diuisa fuerint, magnitudine quidem illa diminui, numero autem effici plura: ac cum nullus locus detur ubi circa terminum unius, uas aliud non existat, illa undequaque per corpus delata in tam minutos fines desinere, ut contentus in illis sanguis præ extremorum osculorum conniuentia intus retineatur: ob idq;, etsi oscula uenarum arteriarumq; inter se uicina sint, sanguinem tamen proprijs terminis circumseptum, ac nullibi in uasa spiritalia insilientem permanere: & eo usque sane animal legibus naturæ dirigi. Simulatq; uero causa quædam uiolenta irruerit, tum sanguinem ipsum in arterias transferri, & animal iam necessario ægrotare. Causas item huius rei aliquas, præcipuamq; illarum sanguinis multitudinem esse, à quo & uenæ tunicam distendi reserariq; fines qui prius clausi fuerant, trāsfundi etiam in arterias sanguinem, qui postea spiritum à corde delatum perturbans,

A illiusq; motum alterans, siquidem è directo atq; prope principem partem cōstiterit, iam id febrim esse, si autem ab ipso retro repellatur, ac in finibus arteriarum condensetur, inflammationem tum existere. talibus ille rationibus inflammationem ex plenitudine adstruit. Verum quæ ex uulneribus contingit, eam quoq; sanguinis ex uenis in arterias trāsultu causari ait, cuius rursum transsultus caussam illam quæ ad euacuationem fit, successionem esse putat. Cum enim scissis arterijs, post inflictum uulnus spiritus uniuersus ex læsa parte effusus fuerit, & periculum instet ne uacuus fiat locus, sanguinem, illo tempore, spiritus euacuati gressum per osculorum reserationes consequi solere ipsumq; explere. Si ergo spiritus foras emissus fuerit,
B hunc quoq; effundi: occluso autem illo atque obserato, etiam hunc ui spiritus à corde demandati impulsum, in locis uulneri uicinis cunctum coaceruari, & ea ratione inflammationem efficere. Sed concedamus age ipsi quæcunq; hoc tempore de febribus & inflammationibus dixit, uera omnia esse: nam alibi demonstrauimus ea nihil in se ueri continere. Doceat igitur ipse nos iam medicaminum seriem. Ait enim cum in multis alijs locis, tum in primis in tertio De febribus tractatu sic uerbatim. Circa ægritudinum igitur initia ac inflammationum generationes omnem sorbitionum oblationem auferre oportet: inflammationes enim quæ febres faciunt, ut plurimum ex repletione fiunt. Si itaque hoc ip-
C so tempore adiectiones concessæ fuerint, & concoctione distributionéque suas actiones perficientibus, uasa alimento repleta fuerint, inflammationes multo uehemnetiores persæpe fieri contingit. Hæc quidem ille de inflammationibus protulit quæ citra uulnus ex plenitudine eueniunt. De illis uero quæ ex uulnere suboriuntur in primo De febribus libro denuo in hanc sententiam recenset. Istis autem subsequuntur medendi rationes quò uulnera omnia ab inflammatione libera efficiant. Medicamenta enim cum sanis partibus illinuntur, claudendo atq; obturando prohibent ne sanguis desuper fusus in loca dissecta irruat: quando quidem in illa quæ affectu carent, eo ꝙ multæ arteriæ illic uenæq; recludātur, sanguis qui
D in arterias transilierat, facile in uenas quoq; transsumetur. Quamobrem consequens rursus est, ut uulneratis nihil prorsus cibi inflammationis tempore offeratur: uenæ nanque cum alimento uacuæ existunt, longe facilius sanguinem in arterias ingestum assumēt, quo sane ita peracto inflammationes minus contingent.

4 Proinde quòd multitudo euacuanda sit, quodq; uenæ distentæ ac repletæ, in seipsas iterato quicquam recipere non possint, assentire ipsi Erasistrato nos fatemur: uerum quonam pacto hæ euacuandæ sint, in dubium à nobis uocatur. Postquam itaq; euacuationem esse cōfessum iam semel sit, ego eam omnium facillimam atq; expeditissimam, uenæ sectione perfici arbitror, utpote per quam ipsas etiam inflammationes solas ce-

lerrime euacuare poſſimus: cum è diuerſo inediæ, preterquam quòd longum tempus requirant, etiam uniuerſum habitum æqualiter euacuant. Atqui iſtud nequaquam conuenit: cur enim quis id euacuet, quod euacuatione opus non habet? Aut cur eliquet carnes, cum ſanguinem ſubtrahere liceat? Vt interim noxas reticeã quæ ex inedijs neceſſario euenire ſolent, ac uirtutẽ defatigatam & ſuccos bilioſiores amarulentioreſq; redditos, frequentes itẽ cordis morſus atque inquietudinem, tum deiectionũ alui retentionẽ, & omnia deniq; excrementa, acerbiora maligniora q; effecta. Quorum Eraſiſtratus nihil animaduertens, cæcorum more, qui amplam cõpendioſamq; & planã uiam in propinquo habentes, ſæpenumero anguſtã ac aſperam prolixamq; errabũdi ineunt, & ipſe tam propinquã ſatiſq; expeditã & amœnam ſemitam ſpernẽs, ad impeditam illam ac longam ſeſe cõtulit: quippe qui hoc tantũ conſiderauerit, num quò ipſe contendit, uia eò uergat, nõ aũt an compendioſe & ſine periculo ducat. Nam q uel inedia ad plenitudinis euacuationẽ conferat ego quoq; cõſentio: uerum longo tempore, magnoq; cum nocumento eam efficere id dico. Attamen Eraſiſtratum, qui quorundam iudicio Hippocrati par eſſe uidetur, non puduit quòd neglecto tã inſigni præſidio, nihil credibile aut rationi conſentaneum attulerit, quin potius uelut de re abiectiſsima penituſq; nullius pretij, uerba fecerit.

5 At Hippocrates ille medicus te, ò Eraſiſtrate, nulla ex parte inferior, nõ ſic de uenæ ſectiõe pronunciauit, ſed quæ tu uerbis ſaltem admiraris, ea ille opere palàm eſt executus. Admiraris tu ſiquidem naturam ipſam ut artificioſam ſimulq; prouidam animalis gubernatricem nullibi tamen eam imitaris. Aut cum illam plurimis morbis ſanguinis euacuatione medẽtem frequẽter animaduerteris, cur ne in uno quidem unquam hoc idem tu ipſe feciſti? Cur etiam naturæ, quam laudas, opera ſilentio ſupprimis? Cur præterea quando apud Hippocratem reperiſti multa huiuſmodi ſcripta: Mulieri ſanguinẽ uomẽti menſtruis erũpentibus ſolutio. &, Ab atra bile habitis ſimilẽ effectum hæmorrhoides præſtant: ſanguinis itẽ fluxus copioſi, per nares liberãt: apud te nihil tale, ſed unico ſolum uerbo laudata natura, opus autem illius nullibi ſcriptum reperitur. Porrò mihi ſufficiebat, ut opera illius antea ad perfectum addiſcerem, à quibus poſtea initio ſumpto ad inueſtigandũ reperiendumq; id quod æquum putabam idoneus euaſi. Liceat ergo mihi uenia eorum qui te admirantur, dicere quod in conſpicuo eſt, quòd ſcilicet mihi aut modis omnibus demens, aut in naturæ operibus quamminime uerſatus eſſe uidearis. Alteri enim ex his duobus, uel quia illa nũquam cognouiſti, uel quia cognita iamdudum nõ ſis imitatus, obnoxius exiſtis. Aut fortaſſis in cubiculo aliquo perpetuo deliteſcens, neq; aliquando ægrotũ aliquem contemplatus, hæc ſcribebas, hincq; adeo nõ iniuria naturæ opera ignoras, quæ alioqui pro extrema dementia tua ſemper es præpoſtere admi-

A ratus & imitatus: necnon poſtq̃ ſcribendi prouinciam inijſti, legem ſcribendo es trãſgreſſus. Oportebat eñ primum te opera naturæ mihi deſcribere, deinde declarare: & quæ illa integre ac perfecte proprijs conatibus incitata, & quæ morboſis cauſis præpedita diminute agat: nam huiuſmodi ratio uiam ad inueniendа medicamẽta nobis ſuppeditat. Cum etẽ didicero quæ probe ab illa perficiuntur, ſuperaddito eo, in quo illa deficit, facile ei adiumento eſſe potero: rurſum ſi ipſa nihil penitus mouet, id quod quandoq; morboſarum cauſarum uehementia ſuperata patiť, tum ego illud omne ſuggerere enitar. Tu uero nihil horũ indicans domiq; te continens, ut qui forte ægrotorũ uiſitationem, ut fertur, paruipendas, quod tibi uidebatur ſcripſiſti.

B Cæterum ſi tu ipſe non perſpexeras, Hippocratis monumenta relegenti tibi addiſcere integrum erat, & quæ perfecte integreq;, ac ut ille loqui conſueuit, abſolute natura mouente iudicẽtur, & qua ratione illam quis iudicium non aggrediẽtem, pulcherrime imitari poſsit: quo etiam pacto aggrediẽtem quidem eam, uerũ debiliter mouentem adiuuare oporteat. Si enim in his exercitatus fuiſſes, talia te conſulente audirem qualia apud Hippocratem quoq; inaudio: Quæ iudicantur & iudicata ſunt integre, neq; mouere neq; nouare ſiue medicamẽtis, ſiue alijs irritationibus, ſed ſinere. Iſtud quidem habes proprium naturæ integre mouentis præceptum: quod uero huic ſuccedit, naturę & ipſum, uerum diminute ad iudicium

C mouenti congruit, eamq; ob rẽ illi auxilio eſſe iubens, dicit: Quæ ducere oportet, hæc quo maxime natura uergit, per loca cõferentia ducẽda. Natura ſiquidem tum temporis expellere conatur id quod eam infeſtat: cum autẽ præ imbecillitate finem operi imponere nõ poſsit, noſtra auxilia implorat. Propterea etiam lateris inflammatione laborantes curans, iuxta humorũ uergentiam inanire eos conſueuit. Quid enim ait? Cum ergo dolor ad iugulum extenditur, aut grauitas in brachio, uel circa mammam, aut ſupra præcordia exiſtit, interna cubiti uena ſecanda eſt. Neq; dubites copioſum detrahere ſanguinem, donec rubicundior multo, aut pro puro rubidoq; liuidus effluxerit, utrunq; enim contingit. At ſi dolor ſub ſepto

D tranſuerſo fuerit, neq; ad iugulum aſcenderit, tum aluus uel nigro ueratro, uel peplio ſubducẽda eſt. Rurſus uero in quopiam renalium affectionum concurſu præfatus: Et in rene dolor grauis quum implentur cibo, uomunt pituitam. Quum uero redundarint dolores, æruginoſa. Et melius quidem habent, ſoluuntur autem quum cibi euacuati fuerint: arenulæq; fuluæ ſubſident, & cruentum mingunt, & torpor fœmoris è directo: infert poplitem ſecare, hoc eſt, uenam quæ in poplite eſt incidere. Illud uero quo modo dictum eſt? Ex Margei famula ne ſanguis quidem prodijt, nam ut filiolam hæc peperit, ilico os ad uertebras coxarum detortum eſt. Porrò dolor ex uena prope talum ſecta ceſſauit, quamuis tremores corpus iam occupaſſent. Atqui nunc ad occaſionem

ipsam eiusque fomitem trãseundum est. Hippocrates siquidem te & occasionem morbi & generationem occasionis perpendere iubet, id quod tu mea quidem sententia multitudine sanguinis praesertim molestiã inferente, nõ de alio quopiã, praeterque de uenae sectione dictũ affirmare possis. Ergo praefatae mulieri licet iam tremore correpta esset, ille secare uenam nõ distulit, cum è diuerso nemo alter in tremoribus aeque atque hydropisi, alio ue frigido affectu ullo sanguinem detrahere unquã ausus fuerit. In talibus enim ex calidi succi euacuatiõe adhuc multo magis corpus necessario refrigeratur, & innatus calor qui per affectũ antea quoque frigefactus fuerat extinguitur. Hippocrates uero ut ipsemet fatetur, multitudinem sanguinis ante ipsum affectum accumulatam cõsiderauit: muliercula enim à purgamentis quas secundas uocant, non fuerat expurgata. Fomes autem seu nutrimentũ occasionis, hoc est generatio, primaque causa ob quam non sit probe expurgata, est ipsa cõtorsio uteri qui ad coxas contortus fuerat. Proinde cũ retentio euacuationẽ, inclinatio uero ad uterum, locũ per quem euacuatio instituenda est, illi indicaret, uenã talo proximã incidit: taleque Hippocrates sese in cunctis praestitit.

6 Sed ne laudibus uirum hunc extollentes Erasistrateos tristia afficiam⁹, ut qui ipsi, ante eosque Erasistratus, aduersus illum inimico animo esse mihi uisi sint, missa faciamus nunc Hippocratis monumenta: alio enim tẽpore totam illius de euacuatione artem declarare constituimus: quin potius transferamus nos ad illos, quorum aliqui empiricam aliqui rationalem sectam sunt amplexi, quandoquidem ex his à uenae sectione abstinere inuenio neminem. Nam inter dogmaticos Dioclem ac Plistonicum Dieuchenque & Praxagoram, unà cum Philotimo atque Herophilo & Asclepiade, uenae sectione usos fuisse compertum habeo: quanquam Asclepiades contentionis adeo studiosus fuit, ut omnia ferme priora dogmata lacessiuerit, neque alicui prioris seculi homini, immo ne Hippocrati quidem pepercerit, hincque adeo ueterum medendi rationẽ mortis meditationem nominare non sit ueritus. Atqui neque hic eò impudentię uenerat ut uenae sectionẽ è medicinalium auxiliorũ numero explodere auderet. Quinetiam neque inter recẽtiores aut uetustiores aliquis, non Mantias, non Athenaeus, non Archigenes, neque Agathinus, tum denique neque ex Empiricorum coetu quisquam: hi enim cum nihil eorũ obseruent, quę rationi consentanea sunt, omniaque experientia sola decernant, tamen ex his neminẽ mihi proferre poteris. Qando autem isti in omnibus alijs rebus ferè dissentientes, in hac sola conueniant, mihi planè concordia suspicione uacanti nihil magis fide dignum esse uidetur.

7 Sed ne prae testium multitudine opera naturae, quam tu scilicet laudas, obscuriora reddamus, mittamus hos si lubet. Nonne ipsa mulieres cunctas singulo mense euacuat, sanguine superfluo foras effuso? Muliebre enim genus ut

A quod domi ageret, neque uehementibus laboribus exerceretur, aut sub claro sole uiueret, ac ob utraque haec multitudinem humorũ coaceruaret, ipsam euacuationem plenitudinis, tanquam remediũ naturale obtinere opus habebat. Et unum quidem istud naturae opus est. Alterum uero purgatio post partum contingens existit: licet & foetura ipsa, species sit euacuationis. Nam ex sanguine uteri conceptus nutriri solet. Tũ uero postquam editus est foetus, generatio lactis in mammillis, uacuatio haec quoque est plenitudinis non parua: una siquidem & lactis & menstruorum substantia est, amborumque, ut quisquam dixerit, riuorum fontes communes, uenae sunt. Quam ob rem quibuscunque per aetatem menses fluere cessarunt, his neque in mamillis lac amplius colligitur: quęcunque etiam purgandi tempora adhuc habent, ac interea lactant, hae non purgantur. Praeterea cum mulieri lactanti sanguis per locos erumperit, ilico lac huic euanescit. Ad haec quaecunque animantia utero nõ gerunt, his neque lac unquam adest: rursus quibus id suppetit, illa etiam ad concipiendum à natura idonea sunt. At si iam addidicisti quot commoda ex huiusmodi euacuatione muliebre genus maneant, quotque nocumenta ijsdem suppressis sequantur, haud uideo qui sufferas, quo minus sanguinem superabundantem modis omnibus euacuare acceleres. Mulier enim, Hippocrate teste, podagra non laborat, nisi menstrua defecerint. Sed cur ego contra hominem Hippocrati inimicum uerbis Hippocratis utor? uelim itaque audias iam ueritatem ipsam me praecone tibi denunciantem, quòd mulier si probe expurgetur, neque podagris, neque articulorum doloribus, neque lateris inflammationibus, neque peripneumonijs capiatur: sed neque epilepsiae, neque apoplexiae obnoxia sit, aut spirationis uel uocis ablatione rite purgata ullo tempore infestetur. Num uero menstruis fluentibus, aut phrenitide, aut lethargis, aut conuulsionibus, uel tremoribus, rigoribusue mulier aliquando correpta est? Num etiam uel melancholia laborantem, aut mentis impotem, ant quae ex thorace spueret, uel uomeret ex uentre sanguinem, aut capite laborantem, aut angina pręfocatam, aut aliquibus id genus magnis & uehementibus affectibus impetitam cui mẽses rectè excernerentur, quandoque conspexisti? Verum his retentis eam cuilibet malo implicari facile est, huicque rursum euacuationes medentur. Sed posthabitis mulieribus te ad mares iam confer, ut discas scilicet quod quibuscunque pro consuetudine, superflua per haemorrhoides euacuãtur, hi omnes uitã morbis minime impeditã agunt: quibus itẽ inanitiones supprimuntur, hi in perniciosissima quaeque labuntur. Vtrum igitur neque horũ ubi uel anginam uel peripneumoniã incurrerint, sanguinẽ euacuabis, aut potius ne desciscere uidearis ab ijs quae perperam didicisti, tot hominum interim paruipendes? Tu fortassis hoc facies: ego autem non haec solum, sed etiam spasmum hydropemque, sanguinis euacuatione

tione sæpius sum medicatus. In hunc enim modum erudiuit me tum longa experientia, tum ratio ipsa, quæ mihi suggessit ut occasionem ipsam eiusque fomitem sic inuestigarem. Quòd autem experientia quoque istud me docuerit, si Empiricorum commentaria legeris, scire poteris. Ne igitur in posterum cum Hippocrate solo (quòd euacuationē sanguinis laudauerit, cum uel in tremorem, uel in hydropem, uel in alium quemuis frigidum affectum, mas quidem ob hæmorrhoidarum, mulier uero ob mensium retentionem inciderit) tibi controuersiam futurā rere, sed & cum uniuersis medicis qui experientiam sectantur, uel potius cum uniuersa hominū uita. Videris enim tu communem omnium subuertere sententiam, præsertimq; si neges quòd à natura cuiq; insitum sit, ut considerare posit sanguinem ob nimiam multitudinem euacuandum esse. Quis enim contraria cōtrariorum esse remedia ignorat, ut quòd sententia hæc non Hippocratis tantum, sed omnium hominum communis sit? Tu uero præ odio quod aduersus Hippocratem concepisti, mea quidem sententia etiam alijs multo es demētior, idq; cum habeas naturā te ad hæc ipsa quotidie manu ducentem: nam hæc inediam ciborum adiectione, ac repletiones euacuationibus, & frigus calefactionibus caloresq; refrigerationib. curat. Quid enim aliud est offerre cibū quàm plenitudinē suppeditare? quid rursum excernere fæces, quàm uiscera repleta exinanire? quid item meiere quàm repletioni uesicæ mederi? Pleraq; enim animantia frigore lacessita, latebras ac calidos specus in penetralibus terræ sibi inuestigant. Aliqua etiam æstatis tempore calore anhela, sese in aquam frigidam conijciunt, & in umbrosis locis uentoq; peruijs immorantur. Ego præterea frequēter uidi canem uomitū sibimet studiose prouocātem: auem quoq; Aegyptiam clystere imitatam: quæ omnia ab hominibus, ut qui ratione compotes sint, multo faciliore conatu perficiuntur. Accerse ergo hominem quempiam rei medicæ expertem, ad ęgrotum qui bona sit habitudine, iuuenis, multo abundans sanguine, quiq; præ angina aut peripneumonia suffocetur, postea hominem interroga, si quid cognoscat quod huic affectui succurrere posit. quis adeo demēs est, ut sanguinis euacuationē nō pronunciet? Cæterum Erasistratus ob contentionem quam aduersus Hippocratem præ se fert, ne id quidem quod communi omnium hominū suffragio receptū est probare uidetur: & ea propter reperitur uel gruibus ipsis insipientior: has siquidem æque atq; aquilas, prę longo usq; ad ultimos terrarū terminos uolatu, partim frigus, partimq; æstum euitantes, quò contraria contrarijs semper propulsent, uidere licet.

8 Atqui, ut & antea dictū est, perspectū habere quòd ijs euacuandus sit sanguis, quibus ex eius multitudine periculum imminet, id præstantiam artis Hippocraticæ nōdum æquat: ego enim tum quo loco, tum quo tempore, quáue quantitate euacuatio instituenda sit, mihi declarari mallem.

A Scire namq; quādo uel uenam quæ in fronte est, uel illas quæ in hirquis oculorum, seu sub lingua existunt, uel quæ humeraria uocatur, uel subalarem, uel quæ per poplitem penetrat, quæúe prope talum adest, incidere oporteat (prout de his omnibus Hippocrates docuit) hoc ipsum ego ratiocinationem medicorum arbitror esse. Verum quòd contraria contrarijs medicādā sint, quódq; euacuatio repletioni opponatur, tantum abest ut admirer, ut etiam huiusmodi cogitatiōe bruta animantia participare dicam. Si autem auribus apertis aut animo potius, ac deposita erga Hippocratem simultate, ueram rationem amplecti uolueris, aliquid iam quod illius arte dignum esset, dicere tibi possem. Eousq; eñ Diocles Plistonicusq;
B ac Herophilus & Praxagoras atque Philotimus, necnon alij medici permulti inter se consentiunt, quòd ipsi quidem non per sese, uerum diuinum Hippocratē secuti repererint, quo tempore quælibet uenæ quas supra commemoraui incidendæ essent. Cęterum ꝙ ab atra bile habitis similiter hæmorrhoides cōferant, etiamsi istud Hippocrates perspicue docuerit non tamen omnes sciunt, sed quicūq; syncere in illius scriptis uersati sunt: hi soli enim quomodo hæmorrhoides, dysenteria ac uarices fiant ab ipso perdidicerunt. Itē quòd non semper horum unumquodq; si existat, prohibendum est: sed ꝙ quandoq; coadiuuandum: uel natura quiescente (quando sic cōfert) ei totum cōmittendum, adeo ignorāt illi qui dysenteriā uari-
C cesq; & hæmorrhoides immature præpropereq; medicari discunt, ut & ea moliant̄ facere, quæ nō sunt. Porrò ego quoq; uidi nō paucos ob huiusmodi euacuationes, quæ medicorū imperitia cohibitæ fuerant, aut atra bile, aut insania uexatos: quorū aliqui quoq; tū intercostali inflāmatione, tū renali dolore correpti sunt: nōnulli uero ex aluo sanguinem uomebant, aut eundē tussiēdo ex thorace spuebant, aut attonito morbo aquáue intercutanea interibant. Hæc illa sunt quæ mea quidem sententia medicus unà cū præclara euacuationis arte cognoscere debet.

9 Quantum autem de sanguine exuperante euacuandum, idq; cum nō sit magni momenti, cur Erasistratus tanquam ex magnis quoddam con-
D tempsit? Aut cur homines illi aduersus omnes obstrepere paratissimi nugantur, dicūtq; euacuationis (quod perinde in alijs auxilijs accusandum foret) mensuram ignorari. Aut cuiusnam per deos immortales illum adeo exquisitè tenere mensuram arbitrantur, ut neq; excedat in quantitate, neque deficiat unquam? num clysteris, aut purgantium medicamentorū alicuius, aut urinam cientium, uel cibi ullius potusúe? Tempus itaq; esset ipsis, utpote oḿia suspiciōe infesta reddentib. quiescere omnino. Aut cur ergo Erasistratus purgātibus medicamentis utitur, ac uinū aqua frigida dilutum, tum alijs quibusdam, tum maxime cholericis exhibet, Chrysippumq; præceptorē suum, ut qui inuenerit præsidium nulli ueterū cognitum, quodq; & solum cholericos iam morti proximos

restituere posit, his uerbis satis inuidiose laudat. Non etenim quouis tempore, id præbet, sed usum auxilij huius ad occasionem uehementer præcipitem traduxit. Ego uero hac in re ipsum non accuso, præsertim cum tam absolute omnia quæ ad occasionẽ spectant, disquirat. Illud tamen in eo quis demirari posit, quod si quãdo Chrysippicũ quicquam doceat, tum ut ex uerbis eius colligere licet uehementer sit audax, nihilq; ipsum prorsus neq; momentũ occasionis, neq; mensuræ difficilis coniectura, neq; affectus periculum perterrefacit, sed putet adeo exquisite simul clareq; illũ et mensuræ & occasiõis rationem docuisse, ut decreta sua nõ medicis solum, uerum & popularibus usui futura arbitretur. At rursum cum ex ueteribus medicis aliquem ob rerum inuenta laudare opus habeat, illic undequaq; tergiuersetur.

10 Age ergo, declaremus illis hoc etiam quod mensura in uenæ sectione multo facilius deprehendatur, quàm in cæteris quibusuis auxilijs. Nam & coloris mutationem sæpenumero dispicere licet, hocq; duobus modis fieri potest, interdum quidem sanguinem ipsum fluentem, interdum autem ægrotum considerando. Ad hæc animi quoque defectio in plurimis affectibus uacuationis terminum obtinet, sanguinis item fluentis uigor labescens, & pulsus mutati. Adde quod & medicus huius solius euacuationis liberam habeat facultatem sistendi quandocunque illi placuerit, aliorum autẽ nullius. Nam ubi dandum sit aliquod medicamentum, siue deiectorium, seu uomitorium, seu urinarum euacuatiuum, aut thoracis uel capitis purgatorium, horum scilicet omniũ prima exhibitio in tua potestate sita est, cætera autem fortuna administratrice obtingunt. Ingens præterea in propinationibus pharmacorum periculum est, cum uel non commouetur purgatio, uel quod in aluum attractum est, non facile excernitur, uel cum dolore, morsibus, torminibus, refrigeratione, pulsuum euanescentia, ac animi defectu exprimitur, uel cum corpus uehementer perturbatur, interimq; paululum admodum euacuatur, aut euacuatio modum excedit: hoc enim ipsum tanquam omnium malorum extremum in hac parte frequenter contingere solet. Neq; enim ut uenæ incisæ fluxum, superimposito digito mox sistes, sic profluuium alui tibi sistere licebit. Veruntamẽ nemo ex medicis superuenientium symptomatum metu perculsus à propinatione pharmacorum abstinet, sed uelut nunc deceptus est, hoc modo non amplius uti cogitat. Sed quid ego purgatoria refero, ac in enarratione fortium medicamentorum tempus tero, cum & cibi cuiusq; in mensura erratum maxima afferat nocumenta, quorum magnitudinem in extenuatis & imbecillibus hominibus, quiq; celeri nutritione egent, considerare facile possumus. In his enim si quid minus æquo nutriat, uirtutem tabidam reddet: contra, ubi quid modum exuperans naturæ oneri potius quàm nutrimento fuerit, illam penitus suffocabit extinguetq;. An igi-

A tur à cibi exhibitione abstinebis, eo quod mensuram illius non sine negotio assequi posis? Atqui ea quoq; ratione à medendi prouincia penitus abstinebis, nihil enim in medica arte reperias, quod nisi certa mensura usurpatũ prodesse poterit. Cæterum in sola uenæ sectiõe ne hoc quidem culpare queas. Proinde errata quæ utrinque circa mediocritatem contingunt, non paruæ noxæ sequuntur, maximeq; quia excessus perniciosissimos esse nemo neget: uerum in quo id quod infra modum est, periculo uacat, in eo excedere modum non fuerit necesse. Sit enĩ, si ita fors ferat, mediocris detractio triũ heminarum, ubi si quatuor detraxeris, noxam maximã inferes: duas rursum si euacuaueris, cõmodabit quidem id satis, læsionis uero nihil adferet: licebit nãq; tibi unam illam

B heminam uel clysteribus, uel inedia, uel frictionibus, uel sudoribus exhaurire, supra hoc quod & denuo detrahere si uoles, non uetaberis.

11 Sed qua ratione ego tam multa in medium affero, cõtendere cupiens cum hominibus insulsis, qui ad hoc quod nihil rationi consonũ loquatur, etiam ea ipsa non agnoscunt, quæ ipsimet laudibus efferre solent? Admirantur enim dicta Erasistrati, ac nomen sibi ab illo uendicant, Erasistrateos sese appellantes: uerum documentorum illius adeo ignari sunt, ut quid uis potius quàm sententiam illorũ enodare ualeant. De uenæ ergo sectione tam prolixa, tamq; absurda nugantur, ut iure optimo quis non solum imperitiam illorum,

C uerumetiam impudentiam detestari posit: quippe cum Erasistratus in libro De sanguinis reiectione, in quo solo uenæ sectionis meminit, aperte dixerit, quod Chrysippus ob id non utatur detractione sanguinis, quo æger qui propter inflãmationes necessario in inedijs continetur, perdurare posit. Ipsi tamen nihil minus quàm hoc dicunt. Aut uis ne ea gratia ut homines hos nugantes in posterum quoq; audiamus, idq; quum uerba Erasistrati in promptu nobis adsint? atqui hoc nequaquam æquũ est. Audiamus ergo dicta ipsius, ubi ait: Multo consultius agebat Chrysippus, non solum quod præsens erat, inspiciens, sed & impendentis periculi curam agens. Adhæret enim illi quod in reiectione contingit, aliud ex inflammatione periculum, in quo cibum offerre non facile

D est. Ei uero qui cũ uenæ incisione longo tempore sine cibo permãserit, periculũ est ne dissoluat. Aperte enim illũ à periculo quod ex inedia accidit, cauere dicit, illudq; necessario secuturum putat, quia æger ob inflãmationẽ fame longo tẽpore sit excruciatus. Hic quoq; nihil moror Erasistratæos blaterãtes, cur ille hominib. inflãmatione laborãtibus cibos nõ offerre iusserit, uerũ ipsũ Erasistratum per uerba quorũ antea mentionẽ feci, semet interpretantẽ habeo: ex tertio nimirum De febribus, ubi de inflammationibus quę ex plenitudine fiunt, disserit, & ex primo De uulneribus. In utrisque enim commentarijs nõ semel, sed sæpe, uenas quæ inedijs exinanitę sunt, ut sanguinem adfluentem denuo recipiant aptiores fieri, dicit. Quid enĩ

ait: His uero consequens est, ut uulneratis inflammatiõis tempore nihil cibi offeramus: uenæ enim cum à nutrimento exinanitæ fuerint, sanguinem qui in arterias transilijt, facilius suscipient. Inedia ergo tanquam euacuatorium auxilium quoddam inflammationes discutit, eamq; neq; alia de causa inflammatione laborantibus iniungi dicit, quàm quòd uenæ euacuatæ sanguinẽ in arterias insilientem, sic facilius suscipiant. Deinceps uero cum uenas euacuare uelit, possitq; id, ita me dij ament, sine molestia ulla, celeriterq; perficere, longos ille insumit labores. Verum ego non uideo quo pacto seipsum quis implicando magis prodere possit: Non secabo, inquit, uenam, ut æger ad sustinendas inedias sufficiat. Porrò cuius rei gratia inflammatione correptos, fame excrucias? ut inquit, uenas exinaniam. Quur ergo eas à principio nõ euacuasti? Proinde pudet me iam hominis qui in tam grauia errata inciderit, quiq; præter hæc, quibus tum perspicuis ipsius artis decretis, tum suis proprijs rationibus repugnat, & hoc ipsum ignorare deprehensus sit, qua de causa inediæ suscipiantur, quanquam de usu illarum multo antea Praxagoras satis copiose clareq; scripserit, tũ Hippocrates & Diocles, quantum ad hoc spectat, nihil prætermiserint. Hic uero ita rudis est, ut inedias solas ad uenarum euacuationem assumẽdas, eaq; sola ratione laborantibus succurrendum putet: deinde, per Iouẽ, euacuatorio remedio opus habens, neglectis efficacibus illis, quæ ue quocunque quis uelit, celerrime ducere possint, ad omnium leuissimum transeat.

12 Verum age, concedatur tibi & hoc, quod inflammationes ex uulneribus curari eodem modo possint, quo & illæ quæ ex multitudine pendent, quid tãdem faciemus cum multitudine ipsa quæ in uenis etiamnum manens eas extendit nõdum uero in arterijs impacta fuerit, quonam pacto illi succurrendum erit? Ego sane in huiusmodi omnibus uenæ inanitionem summe idoneam esse arbitror. Incubat ergo in thoracẽ tanta multitudo, ut periculũ sit ne aliquod uas in eo rumpat, num uel sic uenam non incidemus, aut artus potius laneis uinculis deligabimus? Illi quidẽ istud medius fidius suffecerit, quandoquidem cum his loco reuulsiui præsidij utendum censeret, non intellexit uenæ sectionem in reuellendo multo esse efficaciorem. plurimis enim irrestringibili sanguinis profluuio laborantibus, uena secta fluxum sistimus. At Erasistratum hoc quoque ignorasse existimo, nam non cuiusuis hominis est scire quæ uenæ cum ex aliqua corporis parte sanguis profluit, incidendæ sint. Postq; igitur uenæ sectio efficere quãmaxime ea omnia potest, quibus hoc tempore indigemus, illum sane euacuationem unà cum reuulsione pretermisisse certum est. Quid ergo tu amplius cessas, tẽpusq; inaniter insumis, & hominem conficis, cum possis illum uindicare, & à uasorũ ruptura, & quæ illam insequitur, inflãmatione, & à famis cruciatibus qui inter remedia inflãmationis à te instituũtur? Si enim multitudo rupturam efficit, tu illa euacuata id quod futurum erat, prohibebis: quod quidem si feceris, etiam ex ruptura inflammationẽ de medio tolles: hac rursum sublata, non amplius inediarũ usus nobis erit amplexandus. Tu autem eo quod inediam cuiq; consulere cupis, uideris mihi ipsemet affectuum qui inedia opus habeant, autor existere. Aut fortassis graue tibi uidebatur, rẽ quæ lædebat, exinanita, nihil negocij deinceps præstolari.

13 Sed quid frustra ego tantũ laboris insumo, quum tuum sermonem tibi in memoriã redigere possim. Sane eñ tu ipse nos docuisti in primo De salutarib. libro, ubi de multitudinis generatione quæ in uenis consistit præfatus, illius quoq; remedia ordine scribis, euacuationẽ scopũ quidẽ omnium ipsorũ statuens: aliud uero illius genus, alij affectui cõferre inquiens: Præterea quę exinaniat repletionẽ (sic enim alimenti multitudinẽ in uenis congestam appellandam censes) tum exercitia, tũ lauacra copiosa, tum ipsam tenuẽ uictus rationẽ esse iubes. Neq; idem euacuatoriũ auxilium cunctis cõferre dicis, ut quod neq; omnes omniũ illorũ usui simul assuefacti sint: sed alijs lauacra, alijs rursum exercitia, nõnullis item uomitiones à cibo magis arrideant. Ad hæc quod nõ ijsdẽ morbis omnes obnoxij sint, uerũ hic epilepsia, ille sanguinis sputo, alter etiã uel hepatis, uel lienis affectibus facile corripi possit. Nullo igitur pacto epilepticum quenquã balneis euacuare tentabimus, id quod tu quoq; cauendum recte putas. Etiam uero neque sicui de uasis in thorace ruptura timor instet, huic exercitia iniungemus: periculum enim est, ne illorum uehementia etiamsi non adsit multitudo, ob uirium tamen imbecillitatem ipsius exercentis uena aliqua circa thoracem rumpatur. Qua ergo ratione illi succurrere debeamus, quæso nos edoce: siquidem quod euacuandum sit, uel tu ipse fateris, hincq; adeo euacuatoria illa præsidia, hoc est exercitia, lauacra'que frequentia, & tenuem uictus rationem abs te habemus. Cæterum exercitijs ne tum et quidem uti putaueris. Quod aũt ad lauacra attinet, utendum'ne his in hominib. sic affectis, an nequaq; utendũ sit, tu plane nihil pronũciasti. Ego uero illud quod euidenter apparet experiẽtia corroboratũ, aperte dicam: tum si de te quoq; mihi uaticinari licuerit, quod tibi forte uisum fuit, aperiã. Tu enim ipse in tractatu De sanguinis reiectione, deligationibus, remedijsq; uteris, tanquam quibus solis plenitudinẽ reuellere, non aũt balneis euacuare oporteat. Arbitror nanq; te, ubi uena iam rupta sit, lauacra inhibiturũ, cũ interim reticueris, si ubi futuræ rupturæ suspicio adsit, uti illo uelis. Porrò ut tu aliter sentias, mihi nihilominus euidens illud satisfacit, quod uniuersis sanguinis fluxionib. ex balneo maxima noxa contingat, et causa huius perspicua est: Sanguis siquidẽ calido lauacro in uapores resoluitur, ac in spiritus redigiẗ, proptereaq; ad motum incitatur, & in tumorẽ attollitur: ad hæc cor-

pora calidis lotionibus, mollia debiliaque efficiuntur. Qui igitur fieri posset, ut cum ipsa iam molliora effecta sint, isque qui ea rumpit, motum simul tumoremque nactus sit, non facile afficerentur? Proinde haudquaquam per balnea illos euacuare conabimur, quibus ne propter multitudinē sanguinis uenæ rumpantur, periculum impendet. Reliquum itaque est, ut ad tertium euacuatiuorū auxiliorum genus, puta tenuem diætam, cōfugiamus. Age sane postquā hanc quoque tribus modis operaris, nempe tenues paucos'ue, aut nihil nutrientes cibos offerens, uel nequaquam offerens, uel à cœna uomitū iniungēs, uideamus in primis quo modo tenuiter cibabimus: nunquid sumpta cœna uomitum prouocātes? Atqui si modo quadantenus ipsis uomitionibus intrepide uti uolemus, sic exercitiorum uehementiam nos uereri oportebit: hoc enim neque plebeium quenquam latet. Superest ergo ut uel inediam præcipiamus, aut pauca nutritionisque expertia alimēta adhibeamus. Verum hæc quamuis non insigniter, nutriunt tamen & ipsa: nos uero nō addere aliquid, sed auferre potius cupimus. Vltimo igitur laboriosam illam, ac reuera perniciosam, æque atque sacram aliquam ancoram, quæque omnibus affectibus opitulari possit, famem accersemus, ac deinceps & Apolloniū & Dexippum ea gratia maledictis incessemus? At hic te recordari percuperem illorum quæ ipse de hac re docueris. nā tu ipse de inedia sic uideris sentire, tanquā ea ex numero euacuatiuorū auxiliorum nequaquam esse possit. Verum simul ac prius, quod uolo demōstrauero, tū & testimoniorum quæ adducis, faciam mētionem. Nam inedia inter res existentes nullum obtinet locum, nihilo'que magis subsistit, quàm uel cæcitas, uel surditas, quæ omnia rerum existentium priuationes sunt. Ipsa enim ciborum adiectio ex rebus consistentibus est, unde & opus eius, corporis nutritionem esse inuenies: rursum subtractio eorundem, non eadem cum rebus existentibus est. Neque etiam proferre poteris aliquod opus illius, qualis scilicet illa est, quæ in sudoribus uenæque sectione ac clysteribus contingit euacuatio, nec nō in edulijs nutritio. Media igitur amborum, hoc est euacuationis & nutritionis, inedia est, ut quæ neque nutriat, neque euacuet. Quamobrē ergo inquit ille multi ob inopiam ciborum famis tempore interierunt dixit? Non mehercule ob inopiam ciborum respondebimus. nam eadem quoque ratione animātia in latebris degentia, sine ciborum copia perdurare nequaquam possent. Perdurāt uero hæc, idque ipso met Erasistrato adserēte, qui & causam huius rei adfert. Vniuersa namque animalia per exteriorē cutis superficiem, secundum quod magis uel minus de raritate participant, transpirare ait. Quòd autem uel magis uel minus rara superficies contingat, tum multas alias causas esse, tum illas non minimas, quæ secundum caliditatem & frigiditatem, ac quietem motumque corporum permutationes fiunt. Si eñ qui nos ambit, aer calidus existit, & animās exercitijs uacauerit, plurimum tunc ex eo defluere contingit. At in contrario rerum statu, ubi uidelicet ambiens nos frigidus, insuperque animal sine motu degat, densari ilico exteriorem superficiē, defluereque nihil prorsus, aut undequaque parū, & ob id feræ quæcunque latibula incolunt, alimentis opus non habent. Cum enim hæc sub hybernum frigus, quo tempore in cauernis commorantur, toto corpore frigidæ segnesque ac densæ ob quietem redditæ sint, & exterior superficies iam adstricta fuerit, nihil tunc defluere par est, neque etiam quod euacuatum non est, repletione indigere, alioqui nutrimento opus haberent. ad quod inuestigandum ea propter incitantur, quò defectui quem ex inanitione perceperunt, opem ferāt. Patet ergo hinc quòd & euacuatio quę in tota superficie contingit, defectus sit causa: & indigentia ciborum ideo incumbat, quia quod inanitum est, repleri denuo desideret. Atqui posteaquā causa defecerit, ob quā solā animalia cibis indigebant, necessarium omnino est, ut & indigentia ipsa unà deficiat, atque ea de causa animalia latebras incolentia sine cibis degere possunt, siquidem neque ciborum adiectione indigent. Manifeste itaque didicimus, quòd non inedia, sed potius raritas cutis euacuet. quam si frigore atque quiete densaueris, quid commodi amplius ex fame expectabis? Præterea cui de sanguinis sputo periculū imminet, necessario tum exercitia, tū omnes supercalfactiones euitandæ erunt: ex uehementia etenim illorum uenę rumpi plerunque possunt. Supercalfactiones item ijsdem modis quibus & lauacra obsunt. Corpus ergo citra ullam calfactionem euacuabis: si enim id uel lauacris, uel exercitijs calfeceris, ipsas uenas ad ruptionē dudum inclinatas, maiorē in modum lædes. Quæ ergo sic affectis consulendi ratio nobis superest? Inediæ namque nisi hominem exercitari, aut quouis modo calfieri contigerit, euacuare non possunt: uenæ uero sectionem ueluti & alia fortiter purgantia medicamenta, quemadmodum manifeste apparet, summe arbitror fugimus. Hæc est illa admirabilis sanè euacuantium præsidiorum opulentia, qua abundant hi qui ad inediā cōfugerunt, quaque sola, si utemur, iam nobis nihil amplius cōtinget, ut quæ sola euacuare nullo modo possit, rursum quibus adiūcta euacuat, ea ipsa maiores longe alias noxas quàm commoda ex euacuatione inducunt.

Cap. 1. Historia mulieris annorũ 21. cui facies menstruis purgationibus quarto iam mense retentis rubescebat, tussiebat, anhelosa erat. Erasistratij phlebotomiam prohibebãt, cum sanguinem tamen per hæmagoga ad uterum duci permitterẽt. hæc enim obstetrix frustra prius in ea tentauerat. Mulier igitur paulo post uase pulmonis cum tusse rupto dyspnœa perijt, cum illi præter inediam & artuum (κώλων) uincula & hæmagoga nihil adhibuissent. 2. Historiæ aliorum, qui phlebotomia per eosdem eis prohibita perierunt: synanchici, & cuiusdam uerno tempore rubescẽtis capite ac oculis. Item historia mulieris, quæ mensibus retentis in febrim continuam inciderat, naturæ autẽ impetu per nares effuso sanguine liberata est. 3. Quomodo reprehẽderit Erasistratios: & quomodo illi Erasistrati authoritate se defenderint in libris suis phlebotomiã negligentis, utpote qui ne in synanchicis quidẽ, aut sanguine ad pulmonem conuerso retentis mẽsibus eam adhibuerit. Teuthras subiungit, eam ob causam synanchicum uirum, & mulierẽ cui sanguis ad pulmonem uertebatur, interdicta phlebotomia occisos: & ab Erasistratijs multos alios similiter. 4. Quòd liber hic in Teuthrantis ciuis & condiscipuli sui gratiam ministro eius ita dictatus sit, ut in publica disputatione ab eo pronũciatus erat: & quòd Erasistratij inde persuasi, nimis etiã prompti deinceps ad phlebotomiã facti sint. Modum igitur præscribit, neq; omnino phlebotomia abstinendum esse: neq; omnibus eam adhibendam, quibus inediã Erasistratus imperauit. Quo autem indicio, quibusq; scopis obseruatis usurpari debeat, postea dicetur. 5. Cõtra quosdam, qui & Erasistratum phlebotomia usum aiunt: Aequipollere enim inediã phlebotomiæ: & quæcunq; de illa scripsit, de hac etiã intelligi debere, eamq; in plærisq; morbis adhibitam esse ab Erasistrato, quanquam uerbis non expresserit, tanquam per se intelligi posset eius adhibitio. Cõtra hos Galenus, quòd Erasistratus omnino sectione uenæ abstinuerit, Chrysippũ Gnidium secutus, & Strato ipsum: item Aristogenes & Medius. 6. Insani est Erasistratum putare inediã propterea usurpasse, ut uenas euacuaret, tãquam inedia & phlebotomia æquipolleant: ideoq; ubicunq; ille inediã consuluit, ibi sanguinem detrahere uelle. Opus est igitur certis indicationibus quibus distinguatur, quãdo inedia potius aut phlebotomia utendum sit. Si putasset Erasistratus phlebotomiã inediæ æquiualere, usus illa esset, et inediã propter multa eius incõmoda reliquisset. At constat eum contrarium fecisse, ut non æquiualentem, sed omnino abijciendam phlebotomiam putarit. 7. Quòd Erasistratus uenam omnino non secuerit, uerbis illius testat citatis ex primo lib. Διαιρέσεων, quæ continent historiam ancillæ Chiæ (cuius mentionem supra fecit cap. 3.) cui curãdæ Erasistratus ipse præfuit. Non inediam, sed phlebotomiam, & omnia inediæ contraria menses promouere. Inedia sistit mẽses: phlebotomia, poplitis præsertim, ducit: Et quòd noxia sit cum phlebotomia iuncta inedia. A qua frigida.

8. De Critone ex plethora synanchico (cuius etiam supra meminit cap. 3.) uerba Erasistrati. Videtur enim & illius omissa phlebotomia mortis causa fuisse. 9. De eodem: Non credendum esse Erasistratũ in curatione Critonis phlebotomiam adhibuisse, in narratione autem omisisse, tanquam per se satis manifestum futurum esset pletoram euacuandam esse. Nam ut hoc manifestum sit, distinctione tamen indiget in omni euacuatione, quando euacuandum, qua mensura, quo loco, quo modo, quoties, qua materia, etc. Sic in alijs minoribus, imò cibis quoq;, distinctiones aliquæ à bonis medicis adduntur: Sic etiam in phlebotomia: ut non satis sit in

A genere adhibendam eam intelligere, nisi cum prædictis circunstantijs. Et quod non sit uerisimile Erasistratum omisisse saltẽ nomine de phlebotomia admonere, si eam probasset, qui reliqua parui momenti remedia diligenter & prolixe ubiq; enumeret. 10. De mensura phlebotomiæ. Quæ uenæ secandæ sint multum referre, & exprimendum esse. Conclusio & anacephalæosis dictorum: Erasistratum, qui circũstantias & scopos phlebotomiæ nullos prorsus expresserit, & ne ipsam quidẽ nisi semel obiter nominauerit, ipsam simpliciter non approbasse existimandum esse. Contra Erasistratios, quod eius scripta non legerint. 11. Quòd ubi Erasistratus inediam præcepit, in ijs omnibus phlebotomia conueniat. Et quòd minus plerunq; peccauerit, qui omnino abstinuerit incisiõe uenæ, ut Erasistratij ueteres: quàm qui temere & sine prædictis distinctionibus uenam incidunt, ut iuniores Erasistratij. Et quòd Erasistratus phlebotomia usus non sit, neq; eodem tempore phlebotomia & inedia cõueniant.

B 12. Quæ Erasistratus scripsit de sanguinis eductiõe è thorace, cõmunia esse phlegmonis omnibus, & febribus etiam præsertim cũ phlegmonis: nempe, neq; cibum in eis tuto dari, neq; inediã unà cũ phlebotomia fieri. inde enim morbus augetur, hinc uires soluuntur. Et quod phlebotomiam Erasistratus in sanguinis eductione seu sputo citius admissurus uideatur ex eis quæ scribit, quàm in febricitantibus: Cũ tamen uena rupta in sanguinis sputo uel ante phlegmonem, sanguine præsertim detracto, sedari queat & glutinari, similiter ut in uulneribus & ictibus: in febribus autem semper pars aliqua iam inflammata sit. Erasistratiorum in conferendo & disputando imperitia & stultitia. Erasistratum phlebotomia non usum.

13. Erasistrati uerba expensa, quorum hic sensus est: Sanguinem è thorace reddentes non euacuandos, id est sanguinem eis non detrahendum: quoniam paulo post,

C inflammatione scilicet oborta, inedia eis adhibenda sit, Hæc ille: Quasi ante inflammationẽ, ut illam prohibeamus, phlebotomia uti non liceat. Repetũtur & alia sæpissime dicta, contra dicentes Erasistratum phlebotomia usum. 14. Quod uincula sola non sufficiãt ad sanguinis copiam auocandam, præsertim in plethoricis: in quibus brachia, manus, & crura uinculorum usu irritantur, & tenduntur magis. Ex Erasistrati uerbis testimonium, quod ne in plethoricis quidem consuluerit aut admiserit phlebotomiam, sed alia quædam remedia.

Alia Erasistrati uerba de plethora in diuersis corporis partibus eiusq; remedijs, ubi plebotomiæ nusquam meminit, immo ne frictionis quidem, sed exercitiorum & balneorum. 15. Memorabiles usus frictionis. Inedia quod epilepsiam promoueat ijs, quibus debilis est stomachus, & historia Diodori. Exemplũ plethorici periclitantis imminente epilepsia, qui propter stomachũ debilem non possit inediam ferre, frictionibus gymna-

D siis etiam non assueti etc. Quòd talis nullo quàm per phlebotomiam modo curari possit. Quod Erasistratus Chrysippum æmulatus, non phlebotomiam modo, sed fortes etiam purgationes nũquam usurpauerit.

16. Alia Erasistrati uerba, quibus probat quod ne illis quidem uenam inciderit, qui ob sanguinis aliquam excretionem retentam male habebant: Et quod in omnibus libris, ubi phlebotomia opus erat, inediam consuluerit. Quod minus peccauerit quàm sui temporis Erasistratij, qui ubicũq; Erasistratus inediam consuluerat, phlebotomia utebantur. Argumentum sequentis libri. Scopi phlebotomiæ: Et quod neque plethoricis omnibus incidenda uena sit, & incidenda quibusdam non pletoricis.

CL. GALENI DE VENAE SECTIONE ADVERSUS ERASISTRATAEOS QVI ROMAE DEGEBANT, LIBER.

Iosepho Tectandro Cracouiensi interprete.

CAPVT PRIMVM

CVM Romam initio ueniſſem, incidi in medicos quoſdam, qui à uenæ ſectione tantopere abhorrebāt, ut cum aliquando æger quiſpiam propter plenitudinem iam præfocaretur, ne tum quidē hoc auxilio uti uellent. Præterea mulierculam quandam, quę uiginti uniusq; annorum ætatem agebat, ac ex menſtruæ purgationis retentione faciem rubicundam obtinebat, tuſsiebatq; paululum, & difficulter ſpirabat, illi curare adorti, primum quidem membra illius laneis uinculis leniter deligabant, & in inedia degere iubebant, uenam autem ſecare nolebant, nosq; id facere uolentes, prohibebant. Quia uero domeſticis ipſius mulieris familiariter utebantur, & ætate me erant multo ſuperiores, facile ipſis eſt habita fides. Ego quidem illis uenæ ſectionem tum tēporis ſuadere non conſtitueram, interrogaui tamen num mihi per eos liceret ſanguinem ad uias uteri, remedijs quæ hoc efficere poſſent, prouocare: quod cum illi concederent, ilico adij familiarem ipſius ægrotæ obſtetricem, quam & exhortatus ſum, ut uſum illorum experiretur. Verum illa remedijs huiuſmodi, tempore quo factum id oportebat, uſam fuiſſe ſe affirmabat, quādo ſcilicet mēſtrua purgatio futura in expectatione erat, recitabatq; remedia ordine, quæ mulieri obtuliſſet, & hæc quidem commoda alioqui erant, eamq; ob rem quo minus efficacia fuiſsent, nequaquam illorum imbecillitate factum eſſe uidebatur. Poſtq; igitur ego ita percepiſſem, ſimulq; à retētione ſanguinis quartum iam menſem præterijſſe animaduerterem, denuò cum medicis illis congreſſus, ut ad uenæ ſectionem ſeſe conuerterent, perſuadere eis conabar. Cum autem id facere noluiſſent, illorum animum demirabar, maximeq; quia enitterentur, ut omni conatu apertis circa uterum uenis quamplurimis ſanguinem ſuperfluum illinc euacuarent: ſi uero alia quæpiā uena ſecaretur, pernicioſam ex eo euacuationē euenturam arbitrarentur. At his reſpondentibus, quòd uel abſq; talis auxilij præſentia ſanguis exuperans, ſola inedia euacuari poſsit, taciturnus diſcedebā, nihil bonæ ſpei de muliere propter tuſsim ac ſpirandi difficultatē concipiens. Aut enim rupto uaſe ipſam ex thorace pulmone'ue ſanguinem ſputo eiecturam, aut angina, uel laterali inflāmatione, uel peripneumonia correptam iri præmeditabar, optabamq; uotis omnibus, ueluti in delectu malorū fieri cōtingit, A ut mulier laterali ſaltem inflammatiōe laboraret. Incutiebat quippe mihi terrorem, tum uehementia periculi quod ex angina peripneumoniaq; ſubitura eſſet, tum ex ruptione uaſis in pulmone letale nocumentū, id quod poſtea re ipſa eſt ſubſecutū. Dum enim illa uehemētius tuſsiret, ſanguis etiā unà extrorſum ferebať. Atqui iam uel uulgo non pauci medicos obiurgabant, quòd illi mulierculæ uenā incidere uetuiſſent, ſperabātq; omnino futurū, ut etiamſi id prius non fecerint, hoc tamen tēpore uerecundia ducti, uſum præfati auxilij concederent. Cæterū cum hi neq; tum quicquā cōmouerētur, ſed potius uincula membrorū fortius B adſtringerent, iuberentq; uterū remedijs irritare, ac mulierē inedias ſuſtinere, ego & ob ætatē & celebre nomē uirorū, nihil me amplius profecturum credens, illinc diſceſsi. Mulier quoq; ipſa nō ita multo tempore interiecto, inſanabili ſpirationis difficultate coercita interijt.

2 Anginoſi præterea nonnulli ubi eis à uenæ ſectione interdictum eſſet, iſtorū opera perierunt quamcelerrimè. Fuit & alter quiſpiam, qui ueris tempore quum per totam hyemem magnopere repletus, ſine exercitijs degeret, ac totam faciē unà cum ipſis oculis adeò rubicundam haberet, quemadmodū ſi quis pronus capite in terrā defi-C xo, cruribusq; in altū protenſis, ſub huiuſmodi figura perſeueret, quinto tandem die pręanhelitus difficultate ſuffocatus eſt. Hos etiā inſecuta eſt mulier, numero quarta, quā illi uenæ ſectiōis hoſtes, retētione menſtruæ purgationis non pauco tempore grauatā, eodem pacto ad interitum ferè pertraxerant. Nam primis tribus diebus ipſam in inedia conſeruabant, febri enim continua laborabať. Quarta uero luce pauxillū quid ſorbitionis exhibentes, quintā ſine cibis trāſigere iuſſerūt, in qua illa grauiſsime exacerbata deſipiens proſiliebat, & clamore iam extra fores ab illa ſublato, uix tandem D ab his qui eò cōfluxerant, retineri potuit. Verum hāc natura copioſo ſanguine ex narib. effuſo ſeruauit, & dabatur occaſio qua non ſine admiratione diſcere poteramus, quantam habeat facultatem ad huiuſmodi affectuum medelam ipſa ſanguinis ſubtractio: mox enim poſt ſanguinis è naribus proruptionem, mulier ab omnibus ſymptomatis libera euaſit.

3 Ego uero, quāquam antea ſermonem cum medicis inſtituere ueritus fueram, cōiectans quæ illi pro non admittendo uenæ ſectionis uſu dicturi fuiſſent, cum tamen omnes animaduerterent, mulierem manifeſtè ex ſanguinis euacuatione ſeruatam eſſe, ſaltem mortuos illos ad memoriā eis reuocandos duxi, quibus ſi quis uenam ſecuiſſet, forte

forte fuissent & ipsi seruati, afferebamq; ad hæc rationes quasdã. Hi uero uerba ultro citroq; inuoluentes seipsos implicabãt, nihilq; prorsus certi statuebant, ac postremo ad Erasistratũ confugiebãt, quem utpote primo De reiectione sanguinis libro dicebant declarasse, quod uincire ipsa membra, quàm uenam secare longe præstaret. Aiebãt præterea illum in opere quod De febribus inscripsit, uenæ sectionis neq; à principio meminisse, quum alioqui ea omnia recensuerit, quæ de sanguinis reiectiõe indicauerat. Ridendus enim modis omnibus esset, si uenæ sectione in eo affectu qui ea maxime indigere uidebatur omissa, de alijs uerba facere non destitisset. Afferebant quoq; q Erasistratus ipse nõ solum in opere De febribus, uerũ & in reliquis tractatibus omnibus, nomẽ uenæ sectiõis reticuerit: neq; etẽ uel in quo de affectibus alui tractat, uel in quo de uirium resolutiõibus, uel ubi de podagricis morbis disserit, aut cum de salutaribus agit, uenæ sectionis auxilio usus est unquam, idq; cum ille in De salutaribus tractatu sanguinis multitudinem præcipuam morborũ causam esse arbitratus sit. Porrò ego ea quæ dicebant, iterum demiratus, illos de hac saltem re interrogabam, num prorsus uenæ sectione non utendum censerent, uel cum quis pulmonis ulceratione laboraret, uel anginæ more præfocaretur, uel ubi menstrua purgatione, hęmorrhoidibusúe suppressis sanguis redundans ad partes thoracis propelleretur. Illi autẽ ad hæc respondebãt, ægrotos qui ab Erasistrato in cõmentarijs De diuisionibus descripti fuerant, nobis in mediũ adducentes, inter quos in primis Critonẽ quendã, ac puellam ex Chio oriundam proferebant. Et quòd illũ quidem à principio anginosis cruciatibus correptum, atq; uehementer repletum, hanc uero menstruis retẽtis, sanguinisq; multitudine uersus pulmonem impetu delato, Erasistratus (quemadmodum ipsemet in scriptis testatur) per uenæ sectionem nunq; curasset. Cęterum cum illi hæc adhuc loquerentur, superueniens Theutras quispiã ciuis & cõmilito meus, ut erat moribus planè ingenuis, nõ flectes istos unquam, inquit, ut qui eousque stoliditatis processerint, ut et illos in memoriã reuocent, qui Erasistrati opera interiere. Quid enim, inquit, aliud in causa esse potuit, quòd illi, quos nobis isti proponũt, tam propere perierint, nisi quòd in eis prætermissum sit uenæ sectiõis auxilium? Cur item illi interierũt, qui nuper euacuari ab his prohibiti sunt? Et eos deinceps omnes unà cum ipsis affectibus quos perpessi fuerãt, quorumq; ego non multo antea memini, nominatim ordineq; recensuit, ibiq; in cachinnum effusus manu me comprehendit, attrahensq; inuitum à medicis abduxit.

4 Quinetiam in sequẽti die Erasistrati De diuisionibus commentaria in publicum producta coram uniuerso philosophorum cœtu relegebat, partim ut indicaret Erasistrati culpa, & Critonem & puellulam illam Chiensem perijsse: partim uero, ut medicos natu grandiores ad colloquiũ prouocaret: uerum illi quia decertare cum adulescente infra dignitatem suam putabant, tum non cõparuerunt. mos enim illo tẽpore erat, ut aliquis quotidie palàm ad publicas quæstiones responsa daret. Quæsitum ergo à quopiam fuerat, num Erasistratus rectè fecerit, quòd uenæ sectione nunquã sit usus. Hoc problema quando ita uisum erat ijs qui eò audiendi causa conuenerant, ego explicaui, proptereaq; Teuthras hortabatur me, ut ea quæ illic locutus fuissem, puero quem se ad me missurum receperat, dictare nõ grauarer: quia uero breui in Ioniam abnauigaturus erat, ardentioreq; animo uelle se ea prorsus habere dicebat, ego itaque amici consilijs acquiescens, sermonem illum scriptis mandaui. Porrò accidit ut liber per illum passim diuulgatus, per multorum manus præter sententiam meã uagaretur: atqui oratio familiari doctrinæ magis quàm publico cuiquam operi quadrans contexta erat: amicus enim ille, ut præfatus sum, eam dictari tantum cupiebat. Quanquam autem liber tam humili stylo conscriptus esset, multisq; defectibus respectu perfectæ orationis scateret, tamen eo ipso ille multo maiora effecisse uidebatur, quàm sperare quis potuisset: omnes etenim hi qui sese hoc tempore Erasistratæos uocãt, contrariam priori rationem ineuntes, iam inde uenam secare consulunt, nõ solum cunctis his quos paulo antea commemoraui, uerumetiam quauis febre correptis. Quapropter iuxta Stesichori factum, arbitror me illis palinodiam aliquam debere, in qua tamen eos cum primis admonẽdos censeo, ut in sermonum commercio quantumcũque uelint, contentiose se gerant, deposita tamen in utranque partem propensionis temeritate, ægrotis parcere discant: neque enim uenæ sectio inhibenda est per omnia, neq; rursus illos quibus Erasistratus inediam iniungit, omnes (id quod huius temporis Erasistratæi uniuersi asserunt) uenæ sectione egere arbitrandum est. Huc accedit, quòd non facile cognitu sit, quibus omnibus huius auxilij usus conferat: tum uel mensura, uel uena quæ secari debet, uel sectionis tempus non sine negocio reperiatur: proptereaq; illam in quouis morbo Erasistratum puto adeo neglexisse, ut & in his qui eam magnopere requirere uidebantur, ille ipsa uti uetuerit.

5 Atqui per inflãmationis tempus in inedia, ut aiunt illi, ægrotos degere iubens, hæc ad uerbũ scribit. Venæ etẽ posteaq; euacuatæ fuerint, sanguinem qui in arterias insilijt, facile suscipient: quod ubi cõtigerit, inflãmatiões minus accident.

Si ergo inediã, inquiunt illi, uelut euacuatoriũ auxiliũ præcipit, multo sanè cõmodius ad uenæ sectionẽ sese contulisset: & quod quidem ipse, ubi celeriter euacuare cupit, multo commodius ad uenæ sectionem transiisset: probè illi dicunt, nihilominus tamen hoc loco scopos qui illius usum aliquando impediunt, prætermiserunt: sed hos ego processu sermonis recẽsere conabor. Quæritur uerò non quid absolute factu præstantius sit, uerum an Erasistratus præsidium hoc aliquãdo usurpasse re-

se reperiatur. Hoc autem quum ego Romam primum appulissem, omes qui ex Erasistrati discipulis erant, antea negabāt, nunc uero probatissimi quos ego noui, ab his tanq̃ in re minima discrepare manifeste animaduertunt. Vt eñ cæteros prætercam, Stratonem ipsum tibi in memoriam redigā, qui Erasistrato erat summa necessitudine iunctus, ac eam ob rem cum in ædibus illius scriberet, seruiuisse illi dictus est, inter alia hæc scribit:

Erasistratus iure optimo laudibus extollendus est, præcipueq; quòd ea omia quæ ueteres per uenæ sectionem curare conati sunt, ille citra illius usum medicatus est. Quanquam uel Strato ipse, curandi rationes se absq; uenæ sectione instituisse in commentarijs suis aperte fatetur. Neq; uero mirũ est, quòd Erasistratus Chrysippum Cnidium in omnibus sequaẽ, quippe qui præfatus fuerit, se plane id quod ille facit, uenæ sectionem nunquã approbaturum. Idem quoq; & Aristogenes & Medius, cæteriq; omnes qui Chrysippi sententiæ subscribunt, fecisse uidentur.

6 Quantum ergo ad ægrotantium salutem attinet, multo melius est, si credamus quod Erasistratus usus sit uenæ sectione: quantum autem ad huius seculi Erasistratæos, id non credere longe præstiterit. Extremæ enim dementiæ esset, si quis Erasistratũ ea propter in affectib. paulo ante enumeratis, uenæ sectionem silentio præterijsse putaret, quia ille uenas euacuandas censeat, huncq; totius curationis scopum habeat. Nam qui hoc crediderit, in quibus nam affectibus Erasistratũ inediam consulere compererit? namq; aperte cōstat istud euenire his qui uenæ sectionis auxiliũ, parẽ ipsis inedijs facultatem obtinere dicunt. Quòd si tantundem non ualeat, & quasdam diuisiones necessario postulet (quas inuestigare poterit is qui exacte perdidicerit, quãdo ipsam euacuationem uel per uenæ sectionẽ, uel per inediam solam, uel per utraq; commodius facere liceat) iam euidenter ratio eos cōuincit. Scripsisset etenim Erasistratus diuisiones has, si modo, ut isti uolunt, uenæ sectioni tribuendum quicquã putasset: eoq; pacto oratio istorum in utranq; partem inclinando seipsam prodit. Si nanq; hæc eadem facultate pollet, Erasistratus & in tractatu De febribus, & in alijs plerisq; quorum superius commemini, de uenæ sectione aliquid scribere, non temere posthabuit. Si uero uenæ sectiōis præsidiũ eandem cum inedia dignitatem non obtinet, non recte illi sentiunt, qui nos ex his quæ de inedia scripta sunt, de uenæ sectiōe quoq; cōiecturã facere debere aiũt. Quanquam & in hac parte sermo ipsorum inediã inutilem esse indicans, seipsum denuo implicat. Nam si ob id inedias probamus, quòd uenis per eas euacuatis affectus minui cõtingat, multo hercle commodius fuerit, ut euacuatione semel adhibita, ab inedijs abstineamus, ut quę & ęgrotos ingenti molestia afficere soleãt, & uigilias ac inquietudinem, orificijq; uentris afflictionem, tum succorum corruptionem, necnon alui atque interdũ urinæ suppresionem inferant.

A 7 Quod autem Erasistratus re ipsa uenæ sectione nunquam sit usus, ex ægrotis quos in commentarijs De diuisione recensuit, manifeste colligere licet: in his eñ cum omia ea explicet, quæ inter medicãdum unquam gessisset, uenæ sectionis nullibi reperitur commemorasse. Cæterũ quum prolixum sit, omnes per illum recitatos ægrotos nunc proferre, sufficit eorũ tantum recordari, qui uel à grandioribus natu medicis, ut antea declaratum est, adhuc in memoria habentur, præcipueq; cum unus ex illis in priore, alter item in posteriore Diuisionum libro descriptus sit. Præterea commoda occasio est, ut in præsentiarũ uerba ipsa adscribamus, quibus Erasistratus cũcta quæ circa ęgrotos acta sunt, ordine enumerat, in hunc modũ

B in libro priore describens: Puellulæ Chiensi ea acciderunt: primũ quidem illi purgationes longo tempore suppressæ fuerãt, deinde subsecutæ sunt tussiculæ, unà cũ reiectione pituitæ. Processu uero tēporis & sanguinis reiectio superuenit. Tum quod ad circuitũ purgationũ attinet, interdũ ille in quatuor, interdũ duobus mensib. redibat. Etiã ijsdem ferme diebus quibus purgationes fiebant, ipsa reiectio accidere solebat, diebusq; tribus aut quatuor perdurabat. Quapropter inde perspicuũ erat illam id genus excretiones loco purgationũ sortitã fuisse: nam & febricula ijs ipsis diebus insecuta fuerat, quæ post hac emendabatur. Hæc Erasistratus præfatus, deinceps de remedijs hoc pacto scribit: Primis autem temporibus ipsa potioni

C bus cæterisq; calfactorijs, deinde etiã per subdititios uteri pessos, reliquãq; adeo quæ ad hoc quadrabat uictus rationẽ curari occepta est. Erat eñ circa uteri os non intensa durities. Verum cum remedia nihil omnino promouerent, ac uno perpetuo circuitu grauitas in lumbos incumberet, humiditasq; nulla cōpareret, ilico febres continuæ, intẽsioresq; prioribus exortæ sunt, quas & tusses uehementes, postq; corpus iam mollius factum esset, insecutæ sunt. Proinde periculosum arbitrati durantibus adhuc febribus purgationes facere, à medicamentis circa uterũ penitus abstinuimus: reliquis uero remedijs usi sumus, quemadmodũ & in huiusmodi & in alijs affectibus consueuimus. Præterea ad medendi rationem ipso purgationũ circuitu obseruato, cibaria subtrahebamus, eaq; ratione reiectio sanguinis nō amplius quàm

D semel eademq; pauxilla superuenit. Et tamen nihil loquebatur. Quinetiam purulentæ reiectiones profluebant. Atqui hic de uenæ sectione mẽtio nulla est, cum tamen, prout omes operum ipsius artis periti norũt, principium auxiliorum ab illa fecisse oportebat. Sed fortasse quis ex illorum numero qui ad omnia non grauantur promptere spondere, defensurus Erasistratum dicet, quod remedia huiuscemodi per illum administrata non sint, uerum potius ab eo ea gratia nunc prodita esse, quò nos nihil eorum latere posit, quæ acta essent. At opinionem istorum redarguit id quod infertur, dum hæc ait. Proinde periculosum arbitrati durãtibus adhuc febribus purgationes face-

re, à

re, à medicamentis circa uterum penitus abstinuimus: reliquis uerò remedijs usi sumus, quéadmodum & in huiusmodi & in alijs affectib. cõsueuimus. Præterea ad medendi ratione ipso purgatio nũ circuitu obseruato, cibaria subtrahebamus. In his eñ Erasistratus aperte indicat se nõ aliorũ medendi ratione recitare, sed suã ipsius enumerare, atq; omnia quæ circa ægrotam fecisset perscribere. Nam & abstinuimus & arbitrati necnon usi sumus ac obseruato & subtrahebamus cibaria alterum ex duobus manifeste declarat, aut quod Erasistratus propria remedia recitauerit, aut ea quibus alij usi sunt, ipse fuerit amplexus. Porrò si ea amplexus est, quorum alij autores fuerũt, iam nobis euidenti coniectura colligere licebit, quid ille de uenæ sectione senserit. Per ipsam eñ ciborum subtractionem rursus nobis alterum duorum insinuatur, aut quòd illi in totum subtrahi, aut diminui debeant, id quod Erasistratus se in muliercula hac ęgrota, quo tempore purgationis circuitus aduentabat, fecisse fatetur. Conueniunt ergo hæc in hac re cum omnibus scriptis illius, quòd ille solam inediam ægrotis seruandam consuluerit, uenæq; sectiõe nullo in loco sit usus. Nisi rursum hic aliqui dicant, mulieri illi uenã quidem sectam fuisse, uerum id auxilium in enarratione omissum esse, eo quòd nosipsi id adhibitum esse autumare possimus, quãuis per illum non sit declaratũ. Cur ergo de inedia quoq; non reticuit, cum de illa uel eadem ratione nobis suspicari licebat? Eadem autem ratio est, tum de potionibus, tum de calfactorijs, deq; ijs quæ utero applicata sunt. Si enim neque de his penitus Erasistratus quicquã scripsisset, tamen omnino quòd ea à medicis peracta fuissent, cogitare poteramus: quippe qui animo cõceperimus uniuersis auxilijs illud commune esse quòd illa administrata fuerint, quamuis de eis nihil præscribatur. At Erasistratus exquisitæ perspicuitatis gratia omnia simul enarrare cõstituit, ne scilicet nacta inde occasione aliquis, hæc quidem tanquam ægrotæ adhibita fuissent, adijcere posset: illa uero uelut iam prætermissa, subtraheret. Præterea quoq; hæc Erasistrati enarratio, opinioni istorum euidenter repugnat. Si enim muliercula uenæ sectionem subijt, inedia frustra est usurpata, quin potius si ueritas fatenda est, non frustra solum, uerumetiam non sine noxa. Sed istud paulo pòst indicabimus: nunc uerò illam frustra accersitam esse, ut explicemus, oratio ipsa postulat. Postquam enim per tempus purgationis quę circuitu quodam fieri solebat, sanguine ad superna perlato periculũ immineret, ne mulier quãdoq; sanguinem expueret, Erasistratus plenitudinem minuere cupiens, ad inediam se cõtulit: atqui hæc superuacanea plane est, si modo uenæ sectio qua momento temporis sanguinem superfluũ euacuare facillimum fuerat, accersatur. Proinde illi qui Romæ mulierib. medebantur, rei quę contigerat experientia maxime cõmoti, tempore quo eruptio menstruorum futura expectabatur, uenæ sectionem usurpabant. Neque uerò quietem illis impe-

A pabant, neque ieiunium, sed aquam mulsam offerebant, uictuq; humectante, ac lauacris affatim uti concedebant. ab his enim si uel mediocri quantitate sanguis fuerit subtractus, purgationes confestim exoriri solent, præsertimq; si infra poplitem, aut prope talum uenæ sectio fiat. Sed è diuerso si quis uena secta inediam sustinere imperauerit, non solum menses prius fluentes cohibebit, uerum etiam purgationes quæ iam inculpate euacuabantur, reprimet. Sanguis namque ciborum inopia aresit, & densior seipso redditur, eamq; ob rem ad fluendum ineptus euadit. Quę igitur tum lotæ fuerint, & aquam mulsam, & cibos idoneos assumpserint, ac uinum neque austerum, neque crassum biberint, his purgationes proculdubio

B contingent, ob idq; ego inedias post uenæ sectionem non frustra tantum, uerum etiam non sine noxa assumi dicebam. Cæterum uenæ sectionem puellæ illi Chiensi non adhibitam fuisse etiam ex his quæ superuenerant, patet. Sanguinis enim aliquantum expuebat, quem nequaquam expuisset, si euacuationem experta fuisset: demum cum præ spirandi difficultate mortua sit, ne hoc quidem sic perpessa fuisset. Maximum præterea experimentum Romæ nostra tempestate à uenæ sectione est sumptum. Contigit enim quum uulgo mulieres aquam frigidissimam ex niue potarent, ut aut nullo pacto, aut prorsus diminute purgarentur, has tamen medici uenæ sectione adeò incolumes conseruarunt, ut neque sanguinem spue-

C rent, neque laterali inflammatione, aut pulmonis, aut angina caperentur. Non ergo puellam illam Chiensem ab Erasistrato per uenæ sectionem curatam fuisse suspicentur. neque enim ipse quum alia quæuis enarraret, auxilium uenæ sectionis, tanquam rem parui momenti prætermisisset, ob inediam, neq; hæc autem multitudine sanguinis præfocata interijsset. Sed de hac in præsentiarum ista dixisse sufficiat.

8 Translato uerò ad Critonem sermone, narrationem per uerba Erasistrati adscribemus, quæ de illius affectibus fecit, sic enim habent: Critoni quidem repletio, initium ægritudinis fuit. Accessit ad hæc quòd in plenitudinem anginosam iam inciderat, quæ sanè nihil aliud est quàm ton-

D sillarum ligulęq; inflammatio. Plerunq; ergo contingit, ut qui in eam inciderint, suffocentur, ac nisi celerrime illis succurratur, breui intereãt. Cum autem Crito quoque in horum numero esset, prima quidem die illum more consueto spongijs calfacientes medicati sumus, eoq; tempore cataplasmata illi applicata reliquimus, ut in curatione perpetuo essent. Exhibita etiam ei sunt catapotia ex castoreo ad aluum ciendam, quæ his commode subducta est. Neminem non animaduertere arbitror diligentiam narrationis omnium eorum quę circa Critonem acta sunt. Nam & calfactionem per spongias factam, & usum cataplasmatum, & catapotiorum retulit, adeoq; quod per spongias calefactus sit, manifeste declarauit, ac reliqua ut ordine gesta erant, studiose enumerauit. De ue-

næ autem ſectione ex compoſito ſiluit, nempe quod auxilium iſtud cæteris uilius putauerit. At tenuia illa quæ in his enarrationibus continentur, commemorare mihi nunc integrum non eſt: quanquam Eraſiſtratus ipſe rurſum paulo pôſt ait: Apparebat itaque nobis quòd affectus ipſi ad pulmonem heparque permutari incepiſſent, & angina iam illuc deflueret, eoque febres augerentur. Hoc loco affectuum permutationem ſine hypochondriorum tenſione factam eſſe arbitratus eſt, ubi quam diligentiſsime animaduertendum cenſeo, conſiderandumque quale illud ſit, quod tibi in dictione hac occurrat, qua affectus permutari incepiſſe ait: num ſcilicet id ad partes quæ inflammantur, permutatas pertineat, an ad ſanguinis, qui inflammationem concitauit, transfluxum. Mihi ſiquidem primum ex prædictis ne cogitari quidem poſſe uidetur, alterum autem illorum uerum eſſe conſtat: nam & ego multitudinem in aliquam partem decumbentem ſæpius cohibui, quam illa propria uirtute deinceps in aliã quamuis repellendo tranſpoſuit. Iſtud ergo Critoni cõtigiſſe apparet, ueruntamen neque tum temporis Eraſiſtratus uenæ ſectiõis unquam meminit. Sed quid ait? totum thoracem unà cum hypochondrijs ipſis, cataplaſmatis integebatur? Quemadmodum autem ex partibus quæ circa ligulam & tonſillas ſunt, ſanguinis exuperantis permutatio ad loca inferiora fiebat, ita quoque illo ex inferioribus ad caput ſurſum perlato, contingebat partim febres non leuari, partim aggenerari ſymptoma, quo principium neruorum affectum eſſe indicabatur. Audi itaque & hanc Eraſiſtrati ſententiam: Cum autem ab ægritudinis principio iam decimus dies adeſſet, ac ab augmento ſextus, quo tum febris uehementi inſultu redijt, tum obuerſio ceruicis accidit, & ſub ueſperam tanta inſenſibilitas hominem inuaſit, ut & lotium per ſtratum emitteret: non multo quoque poſtea augmentum febris aderat. Deinceps inferens ait: Videbatur itaque nobis quòd affectus rurſum uerſus caput permutari incepiſſent, ac circa hanc permutationem febris redijſſet, quæ poſtea cum iam partes capiti uicinæ afficerentur, intenſa permanebat. Atqui uel nos aduerſus hominem ſequenti ſermone inſurgamus. Rectiſsime tu quidem Eraſiſtrate dicis, affectuum permutationem ad caput factam eſſe inquiens: multo uerò melius fuerat, ſi non affectuum, uerum plenitudinis affectuum cauſæ, dixiſſes: ut enim corporis affectas partes permutari incepiſſe nemo dicere poſsit, ita neque ipſos affectus. Arbitror enim quòd multo conſultius diceret, quieuiſſe quidem priores affectus, alios uerò cauſa permutata exortos eſſe, quæ in principio totius narrationis eadem ratione qua & repletio ipſa aderat, quam ſi ipſe euacuaſſet, neque unquam inflammatio tonſillarum circa ligulam, permutationem ad infernas partes molita fuiſſet, neque è diuerſo eadem illinc uerſus caput ferri potuiſſent. Quapropter Critonẽ hunc eodem pacto quo & ancillula Chiẽſis interierat,

A quia illi uena ſecta non fuiſſet, mortuum eſſe conſtat. Sed iſtud quoque Eraſiſtratus ipſe perſenſiſſe animaduertitur: neque enim aliam ob cauſam ait, quòd huic interitus cauſa fuerint ea quæ ad pulmonem delabebantur, & quanquam ſtatim ab initio hominẽ plethorico affectu implicitum eſſe cognouiſſet, tamen maximo ductus errore, hæc euacuare non præuenit.

9 Si igitur adſtruere quiſquam uelit, Eraſiſtratum, quòd & peritiſsimus medicus eſſet, & affectus illos tum Critoni ex repletione, tum puellæ Chienſi ob menſtruorum retentionem contigiſſe compertum haberet, ſubtractionem ſanguinis nequaquam prætermiſiſſe, quin potius utriſque ſanguinem ſubduxiſſe, uerum id in enarratione conſulto præterijſſe: quid uetat & me dicere, qualecunque illud ex euacuatorijs remedijs ſit, applicatum quidem ægrotis id eſſe, in enarratione nihilominus non eſſe recitatum? Ecquis enim ſanæ mentis medicus ferre me poſſet, ſi hæc dicerem? quum ſanè ſymptomata illa uſque ad mortem apparebant, propter plenitudinem illis accidiſſe, interitum item ipſum non alia de cauſa inſecutum, niſi quòd plenitudo euacuata nõ fuiſſet? Quis etiam ferret iſtos qui dicunt, quòd ex his quæ Eraſiſtratus egiſſet, minuta tantũ perſcripſerit: at de uenę ſectiõe, eaque quæ per elleborũ ſcammoniamúe fit purgatione, quia hęc auxilia per ſe clara ſint, nullam mentionẽ fecerit? Atqui ſi quis ſola communi ſententia, qua repletionem euacuandam eſſe indicatur, uenæ ſectionem ſignificari aſſerat, ut quæ etiam inter euacuatoria remedia annumeretur, quid inhibet eadem lege, alia cuncta euacuatoria præſidia intelligi? Ne ergo amplius ab Eraſiſtrato ſolam uenæ ſectionem ægrotis adhibitam eſſe dicant, uerum reliqua quoque cuncta, clyſteres, uomitiones, purgationes, lauacra, exercitia, frictiones, rigationes, inunctiones, calfactoria cataplaſmata, cæteraque id genus, quibus omnibus ille aliquando uti potuerat. Si uerò non hoc ſolum ſufficit, quòd euacuandus æger ſit, neque iſtorum auxiliorum doctrinæ is finis exiſtit, ſed in primis modum euacuationis adijcere, poſteaque quibus rebus hæc adamuſsim indagetur declarare, ac his occaſionem & menſuram & utendi rationem addere opus ſit: ſequitur ſanè quod qui ſaltem de ſcopo auxiliorum communi uerba fecerit, is nondum nulla ex parte particularium meminiſſe potuit. Si enim commune quid protuliſſe ſuffecerit, fruſtra ille cataplaſmatum, inediæ, calfactionisque per ſpongias factæ mentionem habuit: ſiquidem uerò neque cataplaſmata, neque inediam, niſi ab eo didicerimus, noſtra opera inuenire poſſumus: uenæ autem ſectio, Eraſiſtrato quoque tacente, unicuique manifeſta eſt? Sed quamuis illis iſtud quis conceſſerit, abſurdum cum ſit, tamen ei qui auxilio hoc cõmode uſurus eſt, multæ etiamnum, eædemque prægrandes conſiderationes ſupererunt. Inter has autem prima eſt, an, quemadmodum aliqui ſentiunt, quamlibet uenam ſemper ſecare nihil differat, aut propriæ in ſingulis

singulis affectis partibus contineantur, quæ ipsarum plenitudinẽ quamcelerrime euacuare possint. Secunda uerò, utrum semel aut sæpius subtrahere cōueniat. Tertia item, qua ratione in his intentiones inuestigandæ sint, quas ubi quis exquisite considerauerit, mensuram euacuationis coniectura assequi posit. Quarta, in qua de occasione ad quam in primis uenæ sectio fienda est, num scilicet ea eligibilis sit, per demonstrationem docetur. Qui igitur à uenæ sectione prorsus abstinet, apud hunc harum rerum omnium consideratio perit, è medioq; tollitur: eam autem adhibenti, ut omnia ista sequantur, necesse est. Quanquam & in reliquis omnibus præsidijs eadem est ratio, ueluti ueratri, scammonij, uini, lauacrorum, cibiq;. Si enim in ægrotis curandis aliquo dictorum nobis uti nequaquam cōceditur, tum neq; occasio amplius, neque quantitas, neq; utendi modus, neque quicquam aliud ad inuestigandum reliquum fiet. At ille qui usum istorum probat, hæc omnia discutere necesse habet, idq; non solum in efficacibus auxilijs, in quibus si uel parui momẽti quid prætermittatur, cōfestim maxima noxa ægrotis imminet, uerum etiam in minimis quibusque: saneq; ita quotidie euenire uidemus. Proinde si quis medicus homini ægroto gratificaturus auxilium aliquod describit, is neq; omittit occasionem qua nutrire ipsum iubet, neque cibum facultatesq; ipsius non determinat, neque uel quantitatem uel parandi modum, uel utendi ordinem reticet, quin potius unumquodque horum illis qui tum ibi adsunt, quo pacto id fieri debeat, singulatim explicat. Quinetiam plerique in libris passim describunt ex ordine, quomodo omnia hæc administrari soleant, quorum nonnulli, quibus alioqui prolixitas sermonum cordi non est, in huiusmodi enarratione orationem protrahunt, idq; genus disciplinæ non multiloquium, uerum diligentem solertiam esse putant. Hippocrates etiam cum in plurimis suis operibus breuitati summopere studeret, tamen quod ad uenæ sectionem attinet, non est grauatus scribere, tum partem corporis in qua uas secari oporteat, tum euacuationis mẽsuram, unà cum occasione ipsa. Erasistratus autem, quem asseclæ sui uenæ sectione usum fuisse prædicant, multiloquus fuerit licet, tamen ut ego paulo pòst indicauero, principio uenæ sectionis nomen alijs pręsidijs ne adscribere quidem dignatus est: deinde etiam omnia quæ iam recitata sunt, utpote tempus, mensuram, uasis situm, utendiq; rationem prætermisit. Econtrà uerò qua ratione & maza subacta, & cataplasmata ægroto offerenda sint, perscribere non est ueritus: immo neque olerum decoquendi modum silentio prætereundum putauit. Audi itaq; quæ ille in opere De alui curatione scribat: Prima quidem adiectione farina crassiuscula, tosta ac probe cribrata offerenda est. Cum autem illam offerre uolueris, in uasculo aliquo frigido infusam ac aquæ commistam exhibeto, non una uice uniuersum id quod daturus es,

A uerum bis aut ter commiscens, ne maza arida effecta ac solutioni inepta, multum humiditatis suscipiat. nullum enim horum cōfert. Ad edendum uerò danda sunt affatim cichoria in aceto nō acri intincta, ac inter cibos cōsumenda, eadem cichoria cocta. Coquere uerò oportet duas ollas prępa rando, & in prima quidem iniecta illa decoquere oportet. Postquam autem probè admodum cocta fuerint, ac in altera olla aqua iã bullierit, trãsponere ipsa in eam conuenit: uerum cichoria reuincta sint, ut facile quouis transferri possint. At ubi ad perfectum cocta erunt, tum aqua effusa, sale oleoq; condienda sunt, exhibendaq; ut edant. Num ergo putas quicquã adhuc scribi posset curiosius, ab hoc præsertim qui adeò tenuia considerauit, & ut admonere operæprecium duxerit, quòd cichoria quò facilius hincinde transferri possint, uincire oporteat? Patet enim cuiq;, quòd ea quæ resoluta sunt, non facile transferri quouis possint, ob idq; non solum nos qui medicam artem profitemur, uerum et coquos olera elixantes curæ habens, ipsos quo pacto illa liganda sint, edocuit. Eodemq; animo est pręditus, sicubi uel cataplasmatis alicuius conficiendi modum tradit, uel tot stadia inambulare, uel toties perfricari, aut aliud aliquid huiusmodi iubet. Ob quæ omnia plериq; illius superfluam curiositatem nō solum non laudant, uerum & uituperijs incessunt, tanquam qui modum terminosq; constituerit, quantitate in infinitum sese extendente. Quis ergo credat hunc qui tãtopere alioqui curiosus sit, ut alijs auxilijs, sic & uenæ sectione usum fuisse, cum de illa non alibi, quàm ubi de sanguinis reiectione agit, mentionem fecerit? Atqui ille neq; tum ea usus est, sed econtra Chrysippũ, eò quòd uenæ sectionem neutiquam usurpauerit, summopere laudauit, insuperq; demonstrationes quasdam attulit, quib. Chrysippi de uenæ sectione dogma modis omnibus asserere conatᵗ. Quod uidelicet non magis sanguinem spuentibus, quàm his quibus aliqua corporis pars inflammationi obnoxia est, ea utendum non sit.

B

C

10 Cæterum de hac quoq; re alio loco dicetur: nunc uerò quod antea eloqui exorsus eram, repetendum est, quòd Erasistratus scilicet quasi alioqui uniuersos suos sermones in immensum extrahere non consueuisset, & bis terq; interdum in diuersis operibus eandem sententiam replicasset, illas tamen uel semel quinq; syllabas adscribere contempsit, quibus interpositum cæteris auxilijs uenæ sectionis nomen enunciare sibi integrum erat. Taceo hic quòd & quantitatem illius, ut in alijs fecit, & tempus, reliquaq; eiusmodi prout superius significatum est, indicare omnino debuerit. Proinde nonnulli medici fuere qui quantitatem euacuationis, signis quibusdam definierũt, ueluti si uel color, uel robur, uel sanguinis fluxio mutetur, aut pulsus tempore subtractionis ex debilitate collabanᵗ, ac sudores prorumpant. Ad hęc quidam etiam dolores addunt, & uomitus uehementiores, exuperantesq; alui deiectiones. A-

D

A lij etiam usq; ad animi defectionem, euacuationem producendam putant, prȩsertimq; si illa pro euacuationis portione contingat, & non ex humore qui ad osculũ uẽtriculi influxit. Nam & ob bilẽ pituitamúe, cum ea in os uẽtris influxerint, persæpe animi defectionem manifeste fieri uidemus. Aliqui item tum coloris in toto corpore permutatione, tum pulsuum alteratione commoderatam subtractionem cõiectant, eamq; ob rem modis omnibus arbitrantur multo consultius esse, ut consideratione ex succedentibus facta, denuo redeatur ad illius euacuationem, quàm si eadem semel copiosa fiat. nec defuerũt quidam, qui etiam constitutam quandam mẽsuram illius proponere auderent, perinde quasi duab. Atticis he-
B minis, aut paulo plus minúsue moderata subtractio circũscriberet: quippe cum ex commoderata proportione, adhibitis ad id & ætate hominũ, & natura, & tempore anni, & regione, nosipsi maius minúsue cuiq; quadrans inuenire possimus. Quare & Erasistratus certũ nobis numerũ frictionis tradit, quo etiamsi ab exquisita illa mediocritate aberrauerimus, nullam tamẽ notabilem noxam incurramus. Mensuram aũt de uenæ sectiõe nullam planè protulit. Nam, sat scio, de uenis quȩ incidi solent, nõ pauca scripsisset, maximeq; cum & Hippocrates, tum eius quȩ infra poplitem propeq; talos est, tum illius quæ uel in frõte recta est, uel earũ quæ sub lingua existunt, frequenter commeminerit. Præterea hoc loco referre non est o-
C pus, quantum ad uenas circa cubitũ attinet, quod neq; Erasistratus reticuisset, num illæ omnes in omnibus morbis secandæ sint, an quemadmodum Hippocrati placet, aliæ in alijs. Eius eñ qui tam diligẽter omnia scriberet, proprium officium fuerat, si quid in hoc præsidio à germana mẽsura discreparet, ad certos terminos redigere, ac quã sententiam in uenis explicandis haberet, id quod & alij medici factitarunt, adscribere. Quidam enim nihil interesse dicebant, quamcunq; uenam quis incidere uellet, ut ꝙ ex unaquaq; æqualis totius euacuatio fieret. Rursum alij ingentẽ uel in hac re diuersitatẽ cõtingere cẽsebãt: nã aliquas ipsarum celerius, aliquas aũt lõga tẽporis mora affectam partẽ euacuare asserebãt. cũ igit ille nihil tale scri-
D pserit, nec uenæ sectiõis scopos declarauerit, clarè unicuiq; patet eũ uniuersas has ratiões ideo intermisisse, quia præsidio hoc nunq; sit usus. Perinde eñ ut qui nunq; in ęgroto aliquo cataplasmata expertus est, is & differẽtias ipsorũ, & cõficiendi modũ, & occasionẽ rationemq; utẽdi describere nequaq; potest (solũ eñ his qui illa quandoq; more Erasistrati administrauerunt, necessariò incũbit, de horũ singulis disserere) eodẽ pacto quicunq; uenæ sectionẽ penitus nõ sunt usi, occasionem illius, modumq; utẽdi & mẽsuræ scopos tradere nequeũt. Verũ qui illa utũtur, eos in primis & de his omnibus, & multo magis de uenarũ differẽtia distinctim tractare operæpreciũ est, ac ad illa ut si nihil aliud, hoc tamen commonefacere, quod nihil differat, si hæc uel illa secet, quia cunctæ inflãmatas partes ex æquo euacuare possint. Verũ eiusmodi rerũ nihil scribere, ac usum omnẽ auxilij de medio tollere, in eo præsertim affectu, qui illud omnium cõsensu præcipue requirebat, quis id manifesto argumẽto esse nõ diceret, ꝙ Erasistratus auxilio ipso nunq; sit usus? Quid enim difficultatis fuerat, cũ in tractatu De febribus hęc uerba faceret: (Igitur circa ægritudinũ principia, ac inflammationũ generationes omnis sorbitionum ciborumq; adiectio prorsus subtrahẽda est) si illic adscripsisset (utendũ uerò uenæ sectione) quo totius orationis series talis esset: Circa initia ægritudinum ac inflammationũ generationes, omnis sorbitionũ ciborumq; adiectio prorsus subtrahenda est, utẽdum uerò uenæ sectione. Inflammationes enim quæ febres faciunt, ut plurimum ex repletione fiunt. Si ergo in huiusmodi temporibus adiectiones offerantur, easq; concoctio ac distributio pro suarum actionum facultate uicissim reddant, & uasa nutrimento impleantur, adhuc multo maiores ac uehementiores inflammationes fieri tunc continget. Commodius itaq; fuerit cibaria nõ exhibere, ilicoq; uenæ sectione uti. Et talis quidem dictio esset, si ille ut inedijs, ita & uenæ sectionè uti uoluisset. Verum cum id nõ adscripserit, quomodo quis uirum crediderit eius remedij usum laudasse? Cum uerò neq; in alio quopiam opere medicinali hoc fecisse illum constet, aliquis etiam multo firmius de illius sentẽtia pronunciare audebit. Quis eñ arbitrari posset quòd Erasistratus cum alioqui loquacitate quamprolixissima gaudeat, grauatus fuerit uel semel suis cõmentarijs quæ conscripsit, quatuor aut quinque syllabas addere? Ego itaq; etiamsi nulla Erasistrati monumẽta iam superessent omniaq; perijssent, id quod & Chrysippi libris ferè imminet, tamẽ discipulis illius sententiam sui magistri profitentibus credere magis adducerer, quàm qui Erasistratum neq; aliquando uiderunt, neq; ullos illius discipulos, alíosue qui ad illos discendi gratia profiticiscebantur, aut qui his rursum familiariter uterentur, conspicati sunt: sed potius ea temerè post tot annorum secula asserunt, quæ neq; ipsi cognouerunt, neq; ab aliquo qui id cognouerit, audiuerunt, neq; Erasistratum quatuor saltem uel quinque syllabas de hac re scripsisse animaduerterũt. Nam τέμνειν φλέβα, hoc est uenam secare, quatuor syllabis exprimitur: φλεβοτομία uerò quinque syllabas usurpat. Proinde id quod superius uerbis Erasistrati per me adscriptum est, puta, utendum uerò uenæ sectione, nouem syllabis græcè effert. Quiescant ergo illi iam, qui tum studiosis, tum ægrotis ipsis artis cõmoda eripere conãtur, dicẽtes Erasistratum quidem usum uenę sectione, uerum eius mentionem ob id non fecisse, quia illa, quàm cataplasmatum olerumq; decoquendi ratio, multo euidentior esset.

11 Si enim artis studiosi eam ob rem uenas secare in animum inducent, quia quemadmodum uenæ per inedias euacuatæ inflammationes discutiant, ita & uenæ sectio: omnes sanè deinceps

illos

ceps illos quos Erasistratus inediam sustinere iubet, uenæ sectione curabunt. Atqui uel hoc uile etiamnum, abiectumq; est. Cæterum si adulescentes qui neque de uenæ sectionis mensura, neque de uenarum secandarum ratione quicquam audierint, ad præsidium hoc sese accingant, id statim, ut dictum antea est, ab ipso quoq; initio maximum adferet nocumentum. Præstiterit igitur illos neque penitus uenæ sectionem aggredi, quàm citra respectum dictorum, auxilio manus admouere. Plures enim hac ratione perierunt, quàm quibus non fuerat uena secta. Nam medici natu grandiores, uenas tunc temporis nunquam secantes, alijs euacuatorijs auxilijs utebātur, quæ idem quod & uenæ sectio, uerum lōgiore tempore efficere poterant, nisi si ob affectæ partis dominium uel plenitudinis excessum, mors ægrotum præoccuparet. Sed qui nostra tempestate febres cunctas in principio uenæ sectione indigere putant, non mediocri hercle noxa ægrotos afficiūt. Sic enim sibimet de huiusmodi auxilio persuaserunt, tanquam si ab Erasistrato ita scriptum esset, ut ego nō multo antea additis ipsi oratiōi nouem syllabis significaui, quo sententia talis fieret (nam eius denuo meminisse consultius fuerit) Igitur circa ægritudinum principia & inflammationū generationes ab omni prorsus sorbitionū ciborūq; adiectione abstinēdum est, utendum uerò uenæ sectione. Talem enim Erasistrati sententiā nostri temporis medici ægrotis minime cōsulentes esse uolunt, cum alia quidem tempora scopiq; ipsius inediæ, alia item uenæ sectionis habeantur, quæ ego omnia præsenti in commentario ordine idoneo explicabo. Nunc siquidem ueluti quum illi à senioribus persuasi, nouam auspicabantur palinodiam, sic mihi quoq; propositum meum omnino immutandum est, eaq; ratione inhibendum censeo, illis qui hactenus uenas temere secarunt, ne eas in posterum penitus secēt. Vt enim Plato ait: Minus aberrare eos cōsentaneum est, qui ea non aggrediuntur quæ non norūt, q̃ qui illa tractāt, quæ nunquam didicerunt: nam hoc idem & isti faciunt, sibijpsis persuadentes, quòd & quibus uenam secare expedit, & cætera id genus quæ à me recitata sunt, inuentu facilia existant: hincq; adeò in cuiusq; morbi initio inediam unà cum uenæ sectione ex æquo usurpant, ac hoc ipso, si uera fateri licet, Erasistrati sententiam modis omnibus inuertunt. Nam & uenas secant, & extemplo à uenæ sectiōe nutriūt, cū ille cōtrà uenas secare inhibeat, sineq; nutrimento degere studiose consulat.

12 Quia uerò isti ueritatem multo magis, quàm Erasistratum in honore habent, ostendere eis operæprecium est: quòd sermo ille quem de sanguinis reiectione conscripsit, non proprie ad illum solum affectum pertinet, ut qui unicuique phlegmoni sit communis. Verba autem sic habent: Adhæret enim his tēporibus reiectionis aliud ex inflammatione periculū, in quo adijcere cibum nō facile est. Cum uenæ uerò sectione inediam longo tēpore toleranti, ne uirtus eius exol-

A uatur, periculum imminet. Sic ille de ijs qui sanguinem uomunt, uerba facit, & ea de causa eis uenam secare non prohibet. Verum quòd ipse inflammationem subsequi suspicatus sit, dum ait: (Adijcere cibum non facile est, hoc est, dare cibaria: &, Cum uenæ sectione inediam longo tempore toleranti ne uirtus eius exoluatur, periculum imminet.) Neque enim illic ad sanguinis reiectionem quicquam proprie spectat, quò quis à uenæ sectione absterreri possit: uerum utraque hæc, hoc est, neque propter inflammationes cibos dare, atque id tempore uenæ sectionis factitātibus, periculum de resolutione uirium imminere, cum febribus quoq; communia sunt. Porrò si diligentius animum aduerteris, reperies Erasistrati sermonem hunc uenæ sectionem in febricitantibus

B multo magis quàm sanguinem spuentibus detrectare: à principio enim dum sanguis reijcit, haud quaquam uas ruptum inflammatione corripitur: at febrium initia uel Erasistrato teste, necessariò inflammationis principio subsunt. Proinde si ad corroborandam rerum incertarum fidem ijs quæ manifeste apparent, utendum est, uidi ego plurima uulnera quę prius quàm ægris uena secaretur coalescebāt. Fieri ergo nihilo secius potest, quod uas ruptum nullo pacto inflammetur, dummodo nos cætera rite administrauerimus, sanguinisq; quantum nobis uisum fuerit, in tempore euacuauerimus. Præterea si Erasistratus dicit, quòd necessarium sit tempore quo affectæ partes inflammatione corripiuntur, inedias sustinere, ideòque

C uirtutem uenæ sectione antea dissoluere ueretur, multo magis ab ipsa in febricitantibus, q̃ in sanguinem spuentibus, nobis cauendum est. His etenim si euacuati fuerint, uenam ruptā priusquam inflammetur, coalescere posibile est: febricitantibus autem partem aliquam iam inflammari necesse est. Cæterum quod posibile sit, uas quodcunque sine inflammatione conglutinari, id alicui etiam ex reliquis uulneribus credibile apparebit. Frequenter enim uidimus, cum quibusdam singulari certamine pugnantibus, integrum crus brachiumúe abscissum esset, coaluisse tamen uulnus antequam inflammatio oborireť: quod quidem multo magis continget, si, ut Hippocrates

D ait, sanguis copiosus ilico fluxerit. Sæpius etiam foramen in cauas thoracis partes illatum, in tribus diebus conglutinatum conspeximus. Quinetiam nuper in palæstra aliquis insigni plaga accepta, extemplo uehementer tussiendo, duas ferme sanguinis cotylas reiecit: sed ille, quia ei statim uena secta esset, aliaq; quibus opus habebat, facta fuissent, neque omnino deinceps tussiuit, & nunc quoque sanus incolumisq; degit. Ex his itaque dispicere licet, quòd si quis uel adhuc Erasistrato obtemperare uelit, abstinere magis à uenæ sectione in his debeat, quæ iam inflammari inceperint, quàm quæ nondū inflammatione sunt correpta. Præterea ne illud quidē minus clarum est, quòd Erasistratus uenę sectionem, neque cum inedijs, neq; ante ipsas inedias unquam

 usurpa

usurpauit. Veruntamen nonnulli eò contentio-
nis dementiæq; peruenerunt, ut quum sermones
hos audiuerint, discutiendorũ eorum nullam sa-
nè rationem inueniant, tanquam uerò nihil illis
obiectum esset propriam sermonum farraginem
auspicantur, unam illam sentẽtiam in ore haben-
tes, quam Erasistratus his uerbis asserit: Con-
sequens etiam est, quòd circa inflãmationis tem-
pora uulneratis nihil sit offerendum: uenæ enim
euacuatæ, sanguinem qui in arterias insilierit, fa-
cilius suscipient: quod ubi contigerit, inflamma-
tiones minus euenient. Et sic illi persuasi, quòd ip
se uenæ sectione usus sit, hinc aperte colligi pos-
se aiunt. Quo enim loco ipsam inediam ueluti e-
uacuatorium præsidium ille accersit, multo sanè
magis, inquiunt, ad uenæ sectionem se accinget.
Aduersus quos si quis dicat, quòd per ea quæ al-
legant, Erasistratum quidem uenæ sectione ante
inediam usum esse non demonstrent, sed potius
consequens esse ostendant, quòd ipse postea il-
lam usurpauerit: isti hunc ridentes, tu tandẽ, aiũt,
quid consequẽs sit, cognoscis, Erasistratus autem
non cognouit? quasi uerò ille ingenio exercitato
nõ fuerit præditus, tuq; illo multo sis promptior,
ac rationibus magis polleas. Si itaque uiueret, il-
li, ut te discendi causa frequentaret cõsuleremus,
quò scilicet quid ad quamq; rem uel consequens
uel pugnans sit, cognoscere assuescat? Atque his
uerbis habitis, illinc discedunt: in posterum uerò
ut collocutoribus aliquam contumeliam inurãt,
adiungunt sibi hominum perfrictæ frontis cater
uam, adeò copiosam, ut præ illorum clamoribus
nemo loqui quicquam possit, eiusmodiq; finem
congressuum faciunt. Sed nos in præsentiarum
eum non quærimus, qui conuitia spargenti uices
referat, uerum in primis quidẽ num Erasistratus
uenę sectione aliquãdo sit usus: secũdo aũt, quas-
nam hoc auxilium uires habeat, indagamus. At-
qui horum utriusq; propriæ habẽtur demonstra-
tiones. Quod eñ Erasistratus uenæ sectione non
sit usus, testantur & monimenta illius, & discipu-
li fide dignissimi, Chrysippiq; uniuersum audito-
rium. Cæterum de auxilij huius facultatibus non
eadem est ratio, nam de his enunciata quædam
quamuerissima, necnon & conclusiones selectæ
afferuntur. Præterea si quis istis quoq; posthabi-
tis, solum rerum ordinẽ sequi uoluerit, uel sic scri
pta Erasistrati, quia nihil tale in his proditum sit,
modis omnibus periclitabuntur.

13 Reputa igit̃ hęc in animo, presertim exor
dio illinc sumpto, ubi ille in De reiectione sangui
nis Chrysippũ laudibus extollẽs, ꝙ loco uenę se-
ctionis mẽbra uinculis excipere cõsueuisset, hæc
ad uerbũ scripsit: Hoc ipsum aũt facere conantur
ij qui sanguinem spuentis uenas secant. At Chry-
sippus multo consultius agit, ut qui non solum id
quod instat præ oculis habeat, uerũ & impenden
tis periculi curam gerat: adhæret enim his tempo
re reiectiõis aliud ex inflãmatione periculum, in
quo adijcere cibũ nõ facile est: cũ uenæ aũt sectio
ne inediã lõgo tempore toleranti, ne uirtus illius

A exoluat̃, periculũ imminet. Atqui hic causam nõ
adiecit, ob quã tempore inflammatiõis inediam
iniungat, utpote quæ ab illo declarata est, quum
in hanc sententiam scriberet: Consequens est his
quòd circa inflammationis tempora nihil sit offe
rendum: uenæ enim euacuatæ sanguinem qui ar
terias insilierit, facilius suscipient: quod ubi cõti-
gerit, inflammationes minus contingẽt. Quapro
pter ille inedias tempore inflammationis ea cau-
sa laudat, quia illæ uenas euacuẽt: uerũ si ambas
has sentẽtias in unum redegeris, sermo integer ta-
lis erit: Chrysippus sanè rectè fecit, qui nõ secue-
rit uenam ijs qui sanguinẽ excernebant, eo quòd
illi paulo pòst euacuatorio auxilio, puta inedia,
indigebãt. Præterea idẽ iste sermo, si compẽdio-
B sius quoq; dicatur, eiusmodi erit: sanguinẽ reijci-
entes nequaquã sunt euacuandi, quia paulo pòst
inflammatione ingruẽte, euacuatione opus habe
bunt. Etiam uerò clarius is hoc pacto explicare-
tur, ante inflammationis tempus uenas euacuare
non licet, ipsis quippe euacuatis inflammationes
cessant. At sermo iste euidẽter sibijpsi repugnat,
nisi si quis suppetias illi laturus, duo hæc temerè
adijciat, quòd uidelicet satius sit, ut corpus per in
flammatiõis tempus euacuetur, nõ ante, quodq;
inedia sit magis quàm ipsa uenæ sectio usurpãda.
Sed si hæc dicat, nos hũc neq; quod propositum
fuerat, demonstrasse, neq; sibimet cõsentanea di-
xisse respõdebimus, in hocq; has partes discrepa-
re dicemus, quòd ordinem sermonum nõ obser-
C uent. Omnibus eñ hominibus, qui presertim tan
tum mentis possidẽt, ut cõsideratione etiam pau
xillum quid consequi possint, perspicuum est, ꝙ
huic qui sanguinem in arterias transsiliẽtem per
euacuationẽ uenarum ad proprium locum redu-
cere uelit, id primo quoq; tempore sit faciẽdum.
Manifestũ etiã est, ꝙ euacuatorio auxilio quam-
celerrime utẽdum sit, ut quo & breuissimo tẽpo-
ris spatio, & sine ulla corporis perturbatiõe, eua-
cuationẽ quamuis perficere possimus. Quantum
enim inedię persæpe lædant, superius demonstra
tum est. Proinde cũ in hũc modũ alicui dicere in-
tegrum erit: Arbitror equidẽ ridẽdos esse eos qui
Erasistratum quandoq; sanguinẽ reijciẽtibus ue-
nam secuisse putãt: quandoquidem ubi inediam
D tanquam euacuatorium præsidium laudat, mul-
to hercle magis ipsam uenæ sectionẽ laudaturus
fuerit: ubi quoq; inflammationis tẽpore euacua-
tione opus esse arbitratur, sub illius initium ma-
gis quàm cum futura est, ipsam laudaturum fuisse
in confesso est. Neq; etenim Erasistratus rerum a-
deo imperitus erat, ut non multo citius sanguinẽ
ex arterijs in uenas reduci putaret, cum neq; cir-
ca insultus initium ille uehemẽter esset densatus,
neq; à calore febrili tantopere eliquatus, ut ob id
crassiusculus efficeretur. Nam qui hoc ipsum asse
reret, semet potius deridẽdum, quàm illos quos
accusat, exhibebit: quandoquidẽ cum Erasistra-
tus ipse scribat, uenæ sectionis usum ea causa non
esse usurpandum, quia inflammationis tempore
longè melius sit ut assumptionem euitemus.

Desi-

Desiderantur hoc loco non pauca. 14

Continere immedicabile, aut profecto non facile sanabile, qualia ipsis quoque hæmorrhoidibus accidunt. Porrò cum nos membrorum deligaturas diceremus multitudinem absque uenæ sectione trahere ad se posse, ille hoc ait impossibile in plenitudinibus esse, ob quas Erasistratus brachia manusque ac tibias adimpleri dixit, fierique id, quia uasa propter sanguinis multitudinē intenderent. Qua ratione ergo in illa id quod in profundo est delabi amplius poterit, cū & sine illo ne ipsa rumpantur periclitari iam uidentur? Atqui iam declarauimus quod Erasistratus Chrysippū laudauerit non apposita, ut ego nūc scribendo faciam, aliqua sermonis distinctione, uerum absolute sentētiam suam prodēs. Oratio namque sic habet: Deligationes ueto laneis uinculis circa alas ipsas ac inguina faciēdæ. Deligationes enim, inquit, faciēdæ, neque interim utrū hoc auxilium plethoricis solis nihil commodi adferat, alijsque è diuerso emolumento sit futurum, sermoni addidit, sed simpliciter pronūciauit quò de omībus dictum istud intelligamus. At qui (aiebat ille) si de omnibus id intelligēdum esset, ipsemet istud declarasset in hunc modum scribens: Deligationes in omnibus faciendæ: uerum simpliciter protulit, deligationes laneis uinculis circa alas inguinaque faciendæ, eo quòd nosipsi suspicari possemus orationem hanc de illis tantum habitam esse, in quibus ad membra sanguinē trāsferri possibile est: nā in quibus id fieri nequit, ne uincula quidem eorum membris sunt adijcienda. Cur ergo, aiebamus nos, hoc quod nunc dicis, Erasistratus non scripsit? quòd ijs qui adeò repleti sunt ut eis brachia, tibiæque, ac cubiti adimpleantur, sanguinem subtrahere necessarium sit, cæteris uero sola mēbrorum deligatio sufficiat? Quoniam, inquit, non hominibus uulgaribus scripsit, uerum ijs qui ea quæ res ipsas necessariò consequuntur, cognoscere atque operari possint, impossibiliaque nequaquam aggredi in animū inducant. Nónne ergo, inquiebamus, si aliquando plethorica dispositio corpus occupauerit, etiāsi Erasistratus istud non scripserit, uenæ sectione opus esse dices? In confesso enim est quod hoc omnibus cognitum sit, ideoque ab Erasistrato non est descriptum: ceteros namque affectus quicunque sine repletione fiunt, Erasistratus seorsim mederi iussit. Verum cum ille ad hæc obstreperet, primū quidem hortatus eum sum ut sententiā ex tertio De febribus descriptam audiret: deinde uero & eam quæ in priore De salutaribus commentario habetur. Nā quæ in tertio De febribus reperitur, hæc est: Igitur circa ægritudinum principia, ac inflammationum generationes omnis ciborum sorbitionumque adiectio subtrahenda est: plerumque ēm inflammationes quæ febres suscitant, ex repletione fiunt. Si ergo in huiusmodi temporibus adiectiones offerantur, & eas concoctio distributioque pro suarum actionum facultate uicissim distribuant, uenæque alimento impleantur, adhuc longe maiores ac uehemētiores inflammationes sæpenume-

A ro fieri accidit. His uerbis Erasistratus nomen repletionis apertè descripsit, modumque illius curandæ tradens inediæ commeminit, uenæ uero sectionem silentio planè præterijt. Quapropter ad Erasistrateum illum me conuertens, quater, inquam, ô amicissime mentitus es, quando quidem Erasistratum repletionis medicandæ rationem separatim scripsisse patet. Idem namque uel in priore Salutariū libro, præfatus, quomodo quis repletiones cognoscat, deincepsque medelas scribens, quorum uis potius quàm uenæ sectionis meminit. Dictio autem sic habet: Summam in quibusdam sanitatis curam rationemque habere oportet, ideoque quauia quis eum qui in repletione fieri consueuit affectum cognoscere atque obseruare possit, in primis colligendum est. Incipiente enim ea à discutientibus abstinēdum quammaxime est. Si autem illa nondum adsit, antequam ægritudinis initium fiat, illis utitor: Atqui plures modi extant quibus huiusmodi affectus discuti potest, neque ijdem cunctis quadrant. Sed de his iam ordine dicere constituimus. Qui ergo corpus laboribus exercere consueuerunt, his multò præstantissimum fuerit, ut illos paulò plures quàm pro consuetudine ineant, ipsisque affectum hunc discutere tentent. Ab exercitijs uero sudores in balneo proritent. Porrò si quid supercalefactione exiccatum est, tum pluribus lauacris uti, hisque omnibus peractis in multa quiete longo tempore nullas ciborum adiectiones assumentem degere consuetum est. Illo enim tempore repletio summopere attenuatur, præsertimque si post exercitia & lauacra quis longo temporis spatio nulla adiectione utatur, quiescatque postea aliquādiu. Prandiū uero subtrahendū est, sed & cœna minor solito assumenda. Tum qui offeruntur cibi nutrimento ferè careant, ueluti sunt olera pleraque, tam cruda quàm cocta, cucurbitæque ac cucumeres, peponesque teneri, & ficus recentes: legumina item cū oleribus cocta. Panis quoque omni uitio careat. Nam sic uniuersa talia partim aluum lubricam reddent, partim nutrimenta quæ ex illis fiunt, neque copiosa, neque fortia efficient. Verum à carnibus piscibusque ac omnibus rebus cum lacte alicáue aut amylo elixatis, & cæteris id genus decoctionibus dicto tempore abstinendum, uel prorsus paucis utendū. Huic autem uictus rationi diligenter ob id insistēdum, quò repletio iam consistens, securè sustollatur. Ceterum qui corpus laboribus exerceri non sunt assueti, his plura exercitia iniungere commodum non est: quanquam hæc alioqui, prout plurima alia, euacuationes tutas faciant. Præterea uero quicunque ad uomendum propensi sunt, ut à cœna uomitiones instituant, omnibus communiter utile est. Ne autem ad aliquid aliud minus idonei fiant, uomitus ab adiectione cibi non multum temporis intercedat: sic enim cibi adhuc in superioribus partibus existentes facilius euomentur: proindeque alimēta quæ ex ipsis cibis generantur, non multo ante uomitionē distributa sint. Ad hæc postero die lauacra, sudoresque prouocare oportet.

Quinetiam euacuato iam corpore, atq; repletione restaurationem nacta, paulo post ad consueta redeũdum. His ergo uerbis Erasistratus clare per omnia indicauit, quod ad repletionis affectũ medicandum alijs omnibus auxilijs usus sit, uenæ autem sectionẽ nunquam adhibuerit: istudq; et in sequente operis parte innuit, dum in hunc modum loquitur: Hæc uero animo reuoluẽda sunt, quòd non omnes homines ad quosuis affectus æqualiter propensi sunt, sed ubi aliquãdo idem symptoma, ueluti repletio est, intra plurimos contingat, in omnibus ad quæ cõsueuit loca, impetu fertur, & in alijs quidem ad hepar, alijs rursum ad aluũ. Nec desunt quib. illa uel comitiales affectus, uel articulorum dolores conciliet. Opus est ergo, ut unusquisq; ea quæ illi contingere consueuerunt considerans, curam affectibus prouenietibus idoneam instituat. Non enim eadem ratione ad morbum comitialem inclinato, qua sanguinem spuẽti curatio exequenda. Verum illi perpetuo labore defatigari, huic aũt à laboriosis exercitijs cauere operæpretiũ est: uerendum namq; est ne ex defatigatione initiũ ruptionis suboriatẽ. Sed qui comitialibus affectibus obnoxius est, in labore continuo ac inedia & cibi paucitate se contineat, frequentiaq; lauacra, quæúe uehementẽ permutationẽ adferunt, modis omnibus euitet. Præterea quos renales affectus plerunq; infestant, his cibi concoctu faciles offerendi, ac lauacra affatim iniungenda: potus autem nõ prohibẽdi, ne lotium acrius redditum loca per quæ excretio ipsa fertur arrodat. Ad hæc exercitijs diu insistere, huiusmodi hominibus noxium est. Quibus aũt uel ad splenem uel iecur fluxio ex consuetudine fertur, his à laboribus nimijs, frigidaq; ablutione abstinendũ, inedijsq; & paucitate potationum ac lauacris curatio in uniuersum procuranda.

15 In his rursum Erasistratus suam sententiam clare ostendit. Nam eos, quibus ex repletione uel sanguinis sputum, uel comitialis morbus imminet, neq; fortiter purgantibus medicamentis euacuare unquam, neq; frictione uti uoluit: quæ ipsa & si debilior sit, quàm quæ huiusmodi morbis ad amussim opitulari possit, præstantior tamen non paulo una inedia existit. Frequenti enim frictione non paucos istorum euacuauimus, cum aliàs præ animi ignauia, neq; purgans medicamẽtum assumere auderent, neq; uenæ sectionem sufferrent. Et sanè si auxilium hoc in omnibus sufficeret, fortè quis ipso uenæ sectionis loco semper uti posset. Constat autem quod interdum multo minus debiliusq; reperiatẽ, quàm quale corporis repletio exigat, maximeq; quia illi qui frictionibus non assueuerunt, si plus æquo perfricti fuerint, lassitudinis affectionibus ilico corripiantur. Nonnulli econtrà densam duramq; cutim cum habeant, etiamsi plurimam subierint frictionẽ, nihilominus quampaucissimam euacuationem experiuntur. At si quis medicus in artis operibus diligẽter uersabitur, ipsa experiẽtia edoctus, quantopere stomachi inanitio ad accersendum morbi

A comitialis exacerbationẽ faciat, sine negocio cognoscet. Dispiciet etiã illos, qui ob solam stomachi læsam actionẽ comitiali corripiantur, ex inedia uehementer lædi: uelut & Diodoro grammatico usu uenit. Is enim si quãdo in quadam studiorum uexatione famem diutius sustineret, ilico comitiali correptus conuellebatur. Huic itaq; præsentaneo remedio succurrebamus, iubẽtes ut circa tertiam aut quartam diei horam, panẽ ex uino tẽperato assumeret, hocq; præsidio usus annis per multis sanus degebat: quippe qui huius solius rei curam gerebat, ut cibos in cœna assumptos quã optime concoqueret. Aliquãdo autem cum propter ciuilia quędam negocia in foro ad meridiem usq; sine cibo perdurare cogeretur, humi prostratus denuo conuulsus est. Iste igitur, ueluti indicaui, propter stomachi uitium epilepsia uexabatur.

B Manifestum etiam est quòd stomachus læsus, si modo ad hoc idoneus fuerit, alias partes nõ paucas unà secum exacerbet ac ad cõsensum trahat. Hoc loco autem aduertẽdum est quòd in huiusmodi affectibus, os uentris, stomachus à medicis appelletur. Cęterũ uel multi ante nos fuerunt qui hos affectus iã pernouerãt, ideoq; de his plenius tractare alibi præstiterit: impræsentiarũ uero huc usq; dictũ de ipsis sit, quò obiter declaremus multos comitiales ex solo stomacho longioribus inedijs perturbato, in exacerbationem incidere. Proponatur ergo homo aliquis qui adeo repletus sit, ut brachia, coxas, tibiasq; sibi adimpletas esse sen-

C tiat, tempus uero anni uer secũ adferat. (neq; enĩ hoc ipsum exemplũ perraro cõtingit, immo nos per id tẽporis homines sæpissime hoc pacto affici cõspeximus.) Huic accedat, q; is exercitiorum ac frictionum sit penitus expers, facileq; ab inedijs lædatur: nobis porrò inuestigandum fuerit, qua ratione hunc euacuare debeamus. Nunquid ergo euacuationem instituemus lauacris frequẽtibus aut exercitijs, aut inedijs, uomitionibusúe à cœna factis? nã præter hęc apud Erasistratũ nulla alia repletionis remedia reperiuntur. Atqui ipse exercitijs uti ijs qui id non consueuerunt, nequaquam concedit: à lauacris etiam illos, quia comitialibus affectibus obnoxij sunt, arcet: arcebit itẽ, mea quidem sentẽtia, eosdem à uomitionibus, ut

D quæ caput euidenter replere soleãt. Cæterum inedia in his qui ita repleti sunt, ut ex illa tensio uehemens circa brachia, manusq; oriatur: minime ad euacuandum satis uirium obtinet, quin potius si qui stomachum affici aptum habuerint, ijs insignem læsionem infert. Quomodo igitur ipsam euacuationem adornabimus? num frictionibus solis? uerum earum Erasistratus prorsus non meminit. Præterea fieri non potest, ut illæ in insuetis tot tantæq; fiant quæ sufficienter euacuent: aut postremo illum laneis uinculis excipiemus? At Erasistratus huius rei nullam hoc loco mentionem fecit, id remedium ad solam sanguinis reiectionem cohibendam referens. Detur autem ipsum eius mentionem fecisse, quo etiam de hoc ipso consideratio satis luculenta fiat, ueruntamen illis qui

eo

eò repletionis uenerunt, ut & membra exteriora sibi aduri putent, auxilium hoc quam molestissimum ac nullius momenti esse antea dictum est. Neq; etiam credibile illud est, ab Erasistrato ibidem recitatum; quòd scilicet reiectionis tempore aliud ex inflammatione periculum immineat, in quo ille eapropter ægros sine cibis degere iubet, quoniam inedia imperata, uenæ sectione amplius uires dissoluere non liceat. Haudquaquam enim necesse est ut inflammatio repletionem insequatur, dum illam euacuare præoccupauerimus. Et quanquam id quoque, si quis eminus consideret, in rebus salubribus persuasibile magis quàm uerum uideatur, Erasistratus tamē plenitudinem, quæ aut comitialem, aut reiectionem sanguinis effectura est, euacuare per uenæ sectionem nunquam est ausus. Sic etenim in obseruandis Chrysippi placitis pertinax est, ut neq; uenæ sectione, neque fortiter purgantibus medicamentis unquam uti in animum induxerit. alioqui tum uenę sectione, tū purgatione aliqua, plenitudinem cōmodissime euacuare poterat. tamen ille de his nihil scripsit ibidem, quemadmodum neq; cum de paralysi, seu podagra ageret: illic enim etiam in repletionem causam reijcit: ac deinceps neq; uenæ sectione, neq; aliquo efficacium illorum & purgātium medicamentorum utitur.

16 Præterea opinionem suam in libro De sanguinis reiectione longe clarius prodidit, idq; in illa operis parte ubi homines quosdam ex consuetæ excretionis retētione, sanguinis reiectionis periculo subesse asserit. Cum namq; inter alia retentionum genera, hæmorrhoidum quoque cohibitionem annumeraret, non simpliciter has euacuatione indigere ait: uerum prout in cæteris operibus consueuit, sic & ibi omnes quas ipse compertas habuerat, medelarum species, sola uenę sectione excepta recensuit. Dictio autem sic habet. Pręsentibus igitur his quibus sanguinis exuperantia frequenter fieri consueuit, sudorum & lotij excretiones quadrant. Conuenit etiam subtractio ciborum qui offeruntur, ac deambulationes in locis planis, non celeriter peractæ. Verum in his rursum plenitudinem & sudoribus & lotio et inedijs inambulationibusq; euacuandam censens, usum uenæ sectionis non adhibuit. Præterea si neq; prius quàm inflammatio fieret, neq; cum facta iam esset, neq; cum futurā suspicaremur, uenæ sectionem usurpandam in hoc libro indicauit, superuacaneum sanè fuerat illum in alijs operibus de eadem mētionem facere, præcipueq; postquam curationem inflammationis aut iam factę, ueluti primo De febribus, aut futuræ, aut de qua suspicio esset, aut incipientis, uelut in alijs libris, longe antea descripserit. Veruntamen hoc quidam ex Erasistratæis non animaduertentes, dicere contendunt illum euacuatorio auxilio, puta uenæ sectione usum fuisse, cum tamen ipsemet Erasistratus manifeste contrarium asserat. Nam simulatq; circa inflammationis tempus offerre cibos perdifficile esse dixisset, ea de causa futura iam inflammatione uenæ sectionis usum explosisse se indicauit. Ista ergo oratione palàm declaratur, quòd quibus inediam consulturi sumus eisdem à uenæ sectione modis omnibus interdicere debeamus. Non ergo consentaneum est, ut quis circa unum eundemq; ægrotum, utraq; auxilia, nempe inediam & uenæ sectionem usurpet. Hinc quoque perspicue patet Erasistratum si quando is inediam ęgrotis iniungit, eo tempore uenæ sectione non esse usum, ac propterea illius in alijs operibus, ut & superius significatum est, nullam mentionem fecisse. In omnibus enim his, ueluti declarauimus, inediam suadens, uenæ sectionem (perperam quidem istud ille faciens) è medio sanè tollit, ut à nobis alio quoq; prius in opere demonstratum est, minus uero peccans ijs, qui omnes illos qui inedia utuntur, statim & uenæ sectione opus habere existimant. Ego enim sequenti commentario ostendere aperte conabor, quod non solum omnes illi uenæ sectione non indigeant, uerum ne plethorici quidem ipsi, nisi prius qualem illa plenitudo naturam obtineat, discernatur: huicq; accesserit de habitudine ætateq; ægrotantis, ac de tempore & regione atq; constitutione consideratio: tum quæcunq; ante cesserunt, quæue ipsum ægrotum etiamnum molestant symptomata. Ob singula enim hæc per multos uenæ sectionem nunquā citra noxam experiri posse ostendam. Preterea et alios plerosque tibi ob oculos ponam, qui absq; repletione cum sint, uenæ sectione nihilominus opus habent. Posteaquam autem de his singillatim disseruero, tum & occasionem & mensuram uenæ sectionis ordine explicabo: addam etiam istis eam quæ in secandis uenis differentia est. Declarabitur quoq;, semélne an pluries sit subtrahēdum. Ad hæc uero nō minore opera disquiretur, quibúsnam, cū adhuc cōmoda ualetudine fruuntur, ueris tempore, uel purgationem, uel uenæ sectionem usurpare conferat.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI SEQVENTIS

Cap. 1. Quæ sint & quot priusquam uenam incidas consideranda. Epaphæresis. 2. Contra Erasistratum & eius sectatores, phlebotomiam è numero auxiliorū tollentes. Causa scribendi huius libri. 3. De usu uocabuli diathesis, id est affectio. Duo esse organa quamcunq; rem inueniendi, eamq; duplicem, uel ex cō munibus notionibus, uel ex inde demonstratis: hāc petitis tantū, illā omnibus communē. (De ratione dēmōstrādi in geometria.) Se hoc in libro usurū rationib. alibi demōstratis. Et quod liber de plenitudine antehūc legi debeat. 4. Qui & quales affectus euacuatiōe egeāt. De plenitudine seu multitudine duplici. 5. De uarijs sanguinis affectibus, in quib. uenæ incisio cōfert. Causæ quæ humores alterāt, febris, apoplexia, prima tumorū genera 4. Rursus de plenitudine duplici. Quæcūq; hic dicuntur, in libris etiā de therapeutica methodo dicta esse. 6. De scopis præuidēdis uenā incisuro. Tū quib. in affectibus hoc genus auxilij conueniat particulatim

docet. Plenitudinis utriusque signa. Virtutis robur. De plenitudine grauante. Hæmoptoici, epileptici, apoplectici, peripleumonici, pleuritici, synanchici, quib. hæmorrhoides retinentur, plethorici morbi, initio ueris per phlebotomiam præseruandi. Hi quibus oculi debiles sunt, scotomatici & podagrici uel arthritici, initio ueris uel purgatione, uel uenæ sectione euacuandi. Sic omnes illi plurimum iuuabuntur, si modo alioqui modesti & sobrij fuerint. De intemperatib. & uino deditis.

7. Incisionem uenæ conferre inflammationi & fluxionibus, quarũ causas & generationẽ obiter docet. Quod partes facilius fluxionibus infestentur. Fluxionum cura. Inflammatione ab ictu uel aliàs incipiente, purgandum, aut sanguis detrahendus. 8 Contra Menodotum, ꝙ non in plethorica tantum syndrome conueniat phlebotomia: sed etiã ante illam, cum futura expectatur, si ætas, regio, & uires respondeant. Et quòd morbi magnitudo uel præsens uel expectata, & robur ægri, & ætas, tres præcipui ad phlebotomiã scopi sint. Et quod non sufficiant duo tantum, tanquam sub uirium robore puerorum & senum ætas excludatur, cum pueri etiã robusti inueniantur, quibus tamen sanguis nõ sit mittendus. 9 De cæteris scopis, qui non ipsam phlebotomiam, sed modum eius, id est quantitatem indicant: qui quidem tum ex eisdem iam prædictis, tum alijs quibusdam sumitur, qualia sunt, plethorica syndroma, temperies aeris pro anni parte aut regione, qualitas aut quantitas uictus præcedentis, excretiones item & motiones factæ aut non factæ. Iterum de utraq; plenitudine: an apparentibus eius signis etiam ante morbi initium detrahendus sit sanguis. Quibus morbis præueniẽdis, omnibus magnis, phlebotomiam consuluerit illis qui iam prius eis laborassent. Quod robur uirium & ætatem semper subaudire oporteat. His qui nullo prius morbo laborassent, si uictu intemperantes fuissent, uenam incidebat: temperantibus uero, leuiora euacuãdi genera imperabat, ut frictiones, balnea, exercitia, inunctiones: nisi sanguis crassus esset, qualis melancholicus plærunq; est: rarò autem ex crudis humoribus talis fit. Melancholicum sanguinem phlebotomia detrahes, uel cathartico: Crudos humores, ante morbi alicuius initium cautè uacuabis: sin febris iã inceperit, prorsus non: Quæ illorum indicia sint. Illi quibus solitæ hæmorrhoides retinentur, audacter euacuẽtur: Itẽ mulieres, quibus menses retinentur: quibus tantũ pro incidẽda uena sufficere potest scarificatio (ἀποχάραξις) circa malleolos, quæ & ipsa menses ciet, ut poplitis aut malleoli secta uena: Ex cubito autẽ minime duces, retrahes enim. Mulieres albiores & carnosæ, tenuiorẽ sanguinem colligunt, uenas ferè exiles habẽt, & satis iuuãtur malleolorũ cutis sectione: Nigrioribus uero & macris, cum sanguinem crassum habeant, præsertim si uenæ etiam maiores sint, uenam incide. 10 Phlebotomiã reuellere: & quomodo sanguis è naribus fluens, ea tempestiuè in cubito eiusdem adhibita, sistatur, iniectis simul in artus (κῶλα) fascijs, & cucurbitula hypochondrio eiusdem lateris. Cum igitur phlebotomia reuulsorium quoq; remedium sit, non in plethoricis solum euacuandi gratia adhibebitur. 11 Medicam artẽ maximè coniecturalem esse propter dosim seu quantitatem exhibẽdorum medicaminum aliam alijs conuenientẽ: & ꝙ in phlebotomia minus inde periculi sit, cũ quantũcunq; quis uoluerit detrahere possit: & partem secundo uel tertio detrahẽdam reseruare, ubi uirtus imbecillis est, & maxime in crudis humoribus: in quibus pauco sanguine uacuato, mox syrupum aliquem attenuãtem dari conuenit, deinde iterum uacuare, siue eodem die, siue postero. Quòd si sanguinis copia feruidi fuerit, acutissimam febrim incendens, ad animi defectum usq; detrahendum, uiribus ægri consideratis: idq; uel noctu interdum (cum necessitas postulat) uel aliàs, præsertim cũ cibi prius ingesti satis concocti fuerint, & aliquãdo etiã

A ad sex usq; cotylas. Pulsum in omni phlebotomia tangendum esse: ne, quod quibusdam accidit dũ nimium euacuant, mors sequatur. Præstare, nisi necessitas urgeat, copiosas inanitiones uitare. Reuulsio per phlebotomiam eò melior, quo sæpius repetita fuerit. 12 De scopis considerandis ad quantitatẽ phlebotomiæ: sunt autem ijdem qui phlebotomiæ simpliciter, nisi quòd secundum magis & minus considerantur: Vt magnitudo morbi, uirtus ægri, temperies & constitutio corporis, ætas, anni tempus, periculũ futuri magni aut acuti morbi. Est autem modus primus & in prima sectione, circiter cotylam, id est ut plurimum, quòd si uires robustæ maneant, dimidia insuper in secunda detractione auferetur. Semper autem pulsibus attendendum, qui si uehemẽtes & æquales fuerint præsertim si etiã magni, uirtutem sibi constare indicant. Modus etiam phlebotomiæ cognoscitur, cũ sanguinis color mutatur, ut in his quibus hæmorrhoides aut menses retinentur, maxime B imminente phlegmone: aut cum tenor profluentis sanguinis remittit & subsidit: maxime uero ex pulsu. Coloris autem mutatio non semper expectanda est, sed uirtute tantum robusta expectari debet. In phlegmonis quoq;, cũ aut imbecillis est uirtus, aut phlegmone maligna ita ut impactum sanguinem habeat nihilq; remittat, coloris mutatio non expectetur: Sin uirtus constet, ætas uiget, maxime cum aer quoq; temperatus est, coloris in sanguine mutatio, qui phlegmone affectis detrahitur, expectanda. 13 Modus detrahendi sanguinis quantum uariet, & quod coniecturis niti oporteat circa eum: quoniam nescimus exactè quæ sit ægri natura, & qualis secutura aeris temperies. Minus detrahẽdum esse illis qui calore febrili & tenui uictu consumpti fuerint: item in temperamẽto calido & humido, quale puerorum est: in calida regione, æstate, ijs qui albas & teneras carnes habent, ut celtæ: & quòd nonnullis profuerint sex libræ detractæ, alios una libra aut minus satis C adiuuerit. Quòd ex uenis in angulis oculorum, sub lingua, & in extremis membris, ut splenetica, per parum fluat. 14 Quòd omnis reuulsio κατ' ἴξιν, id est rectà & ab eodem latere fieri debeat. sic enim manifestam secuturam utilitatem: idq; apparere in hæmorrhagijs etiam spontaneis, ut cum splen affectus, sinistra nare fluente sanatur, dextra minime, sed insuper forte soluta uirtute læditur. Similiter se res habet in cucurbitulis & incidendis uenis. Spleneticos uena ad quartum digitum manus sinistræ, uel interiore cubiti secta iuuari: & libram aliquando detrahẽdam esse, præstare autem partiri in duos dies. Pleuritici eiusdem lateris detractione efficaciter iuuantur, alterius obscure uel post tẽpus. Item ophthalmici sæpe intra horam maximis doloribus leuantur, humerali seu cephalica eiusdem lateris uena secta. Laudat epaphæresin eodem die uel postridie in omnibus ubi non necesse est aceruatim de-D trahere. 15 Cubiti uenas tres esse præcipuas, & quæ quibus affectis partibus seruiant: & quæ pro quibus non apparentibus secandæ: media nempe pro alterutra, & pro interiore alia inferior aliquando. 16 Mirabile sæpe auxilium ex directa phlebotomia. Historia liberari ab imminẽte cæcitate cũ magnis doloribus iuuenis sanguinei ophthalmici, cui primum sanguinis libras tres detraxit ex uena humerali, & horis post nouem iterum phlebotomauit: inunxit collyrio hapalo & eo quod ex uino nominatur mixtis: tertio die iterũ eodem, sed copiosius admixto collyrio ex uino: Bis balneum adhibuit. Acria, nisi toto corpore euacuato, ne usurpentur. Cõcludit incidendam esse humeralem uenam in affectibus qui supra thoracem sunt. 17 Partibus infra thoracem, ut coxendici, uesicæ, utero, & renibus, quæ uenæ incisæ cõueniant. Ratio optima promouẽdi menses. 18 Ischias à sanguinis abundantia curatur incisa uena, & magis in poplite ꝙ malleolis: apocharaxis autem (id est scarificatio & incisio cutis in cruribus)

nihil manifeste eos iuuat. Axioma, Ab initio in phlegmonis reuellēdo detrahēdus est sanguis, postea autem ab ipsis locis affectis euacuādus. A Ad inflāmationes fauciū & arteriæ. Vena in oculi angulo ad nasum. Vena frōtis. Ad capitis dolores. Axioma detrahendi sanguinis. Reuellendum simul & euacuādum esse incipientib. fluxiōibus: ab ipsis aūt locis affectis aut uicinis, in phlegmonis iā quasi induratis uacuandum. 19. Quando nō referat quæ uena incidatur, quādo scilicet incidimus propter cōmunem aliquem toti corpori morbum, ut febrē præueniendā: ubi uero pars aliqua imbecillior magis infestatur, ab initio lōgius reuellere oportet: Nisi ꝙ in mensib. retētis melius est deorsum ducere: in hæmorrhoidibus non semper. Hæmorrhoides & mēses ut sistatur uel promoueātur, quæ uenæ secādæ sint. 20. Anacephalæosis quædā prædictorū. B Quod non sint præscribēdi certi dies ab initio morbi, intra quos mittēdus sit sanguis, neꝗ tertius, neꝗ quartus: Neꝗ solū sanguine adhuc influēte, nōdum aūt impacto, mittēdum esse. Phlebotomiā conuenire quocunꝗ die prædicti eius scopi apparuerint: Et ꝙ pleno adhuc uētriculo, uel corrupto, uel nōdum cōcocto in eo cibo, nō conueniat. Declinationē febris expectandā esse eo die quo detrahendus est sanguis: et si febris nō sit, cum magnitudo urget morbi aut inflāmationis, aut totius affectus, quauis diei uel noctis hora. Si uero nihil urgeat, præstat mane incidi, hora una postꝗ surrexerit quis à lecto. Quosdam ante phlebotomiam lauare, alios deambulare prodest. Epaphæresis duobus etiā post primā sectionē diebus fieri potest. 21. De arteriarum sectione, Arterias temporum in oculorū fluxionib. calidis & flatuosis scindi: Et C arterias post aures in uertiginosis præcipue: itemꝗ longis, calidis, & flatuosis capitis doloribus, & aliis quibusdā capitis affectibus. Et cur in capite tantum, nec usꝗ alibi, arterias secent medici: Propter periculum nēpe hæmorrhagiæ, quod non tam magnum est in capite, utpote minoribus. In magnis autem dissectis (ut aliquādo fit ab imperitis chirurgis dum uenam cubiti secant) magnum est periculum. nam si bene cedat res, aneurysma fit: Quidam statim moriuntur, gāgræna propter iniectum uinculum ad sanguinem restringendum factā: alij postea in aneurysmatum cura. Et quòd in tali casū totam arteriam per transuersum discindere præstet. sic enim & aneurysma nō fieri, et hæmorrhagiæ periculum uitari. Apparere autē sic dissectam arteriam utrinꝗ: & magis in se retrahi partes earū utrinꝗ, quàm uenarum soleant. Imponendum esse sic dissectis arteriis remedium ex aloe & manna cum albumine oui pilis leporinis exceptum. Quod insomnio admonitus arteriam inter indicem & pollicem secuerit, unde cum non libra fluxisset integra sanguis sponte substiterit, & æger diuturno dolore, ubi iecur septo committitur, liberatus sit. Et ꝙ alius quidam similiter arteria in manu secta longum lateris dolorem euaserit, somnio etiam ipse monitus. Historia liberati diuturno coxendicis dolore, secta fortuito ex uulnere malleoli arteria. Generalis doctrina quando & in quibus secandæ sint arteriæ capitis aut manuum aut pedum: Scilicet ubi affectus ex substantia calida & flatuosa natus, maxime circa membranas urget, unde dolor pungitiuus ab una semper parte tanquam centro incipiens, extensionis sensum circumiacenti musculo communicat.

CL. GALENI DE CVRANDI RATIONE PER SANGVINIS MISSIONEM LIBER

THEODORICO GAVDANO INTERPRETE.

1 

Qui de sanguinis missione speculantur, unum sibi primumꝗ proponant oportet, nempe, ut quæ corporis affectiones euacuatione indigeant, cōsiderent: ac deinde alterum, quænā D ea quæ sanguinis fit detractione. Nam multi sunt affectus qui alia quapiam euacuatione quidem indigeant, sed non missione. Tertiò post hæc diiudicent, qui innoxie hanc ferre euacuationem possint, quippe cum sæpe fiat ut affectio uenæ sectionem desideret, cæterum laborās eam ferre nequeat, siue propter ætatē, siue propter anni tempus, siue propter regionis naturam, siue ob os uētriculi uitiatum, quod per sæpe per abusum stomachum appellitant. Ac nos sanè etiam, compendij nimirum causa, hac appellatione toto hoc utemur libro. Sed et sunt qui tametsi uel maxime, quod ad morbum pertineat, sectione uenæ indigeant, ob totius tamen corporis habitum ferre nequeant, quæ si quis etiā definire aggrediatur, temporis excipiet contemplatio, sicuti in alio quouis auxilio. Mox autem de uenis quæ ueniunt secandæ. Nam de istis quæsitum est multum, nihilne referat quam quis secare uenā uolet (omnes enim omnibus ęque affectibus prodesse) an, sicuti Hippocrati, ac propè medicorum clarissimo cuiꝗ uisum est, multum intersit, hanc an illam incideris. Porrò hac quoꝗ speculatione absoluta, succedit de scopis siue intentionibus oratio, quibus uidelicet quis animum attendens, uacuationis modum coniectura queat assequi. Ad hæc omnia, in quibus semel auferre prętet, in quibus uero repetitā facere ablationem, quam ἐπαφαίρεσιν nominant, expediat. Tum in quibus inanire ad animi cōueniat deliquium, in quibus autem id tanquā summum malum uitandum.

2 Hæc igitur prospiciat necesse est qui probe hoc uti remedio uolet. Sanè de omnibus istis in medendi Methodo tractauimus, sicut & seorsum aduersus Erasistratum, quòd perperā ab hoc abstinuit remedio. Deinde alium etiam librū cōscripsimus aduersus eos Erasistratæos qui usum

esse

esse hoc auxilio uirum asserunt. Itaq; odio sanè dignissima est scelestorum sophistarum tum uersutia, qui cum mētiri se sciant, astu tamen contraria præ nouarum rerum studio adstruant, tum sapientiæ uanæ aucupium, qui rerum utilissimarũ ignari, contraria tamen uerbis asseuerant. Horum alterum Chrysippo Cnidio accidit, qui uenæ incisionem ex omni medicinalium præsidiorum numero tollendam censuit. Secuti hunc sunt sui discipuli, & ipsi apud Græcos clari, Medius & Aristogenes. His etiã magis Erasistratus ad summos euectus honores, Chrysippi seruauit sententiam. Post quem ipsius discipuli, principiò quidem præceptoris decreto insistebant, sed temporis successu eorum ex numero quidam ab his defecerunt, pudore affecti impudentissimo. Nam quid aliud in illos dicam qui asserere sustinent phlebotomię auxilium recipere Erasistratum: tametsi nusquam in commentarijs ullo in morbo hoc cõsulere conspiciatur. Immo consentaneum est, inquiunt, qui inediam tanquam euacuatorium auxilium adhibeat, multo magis phlebotomiam admittere. Atqui hæc adferunt omnes ad ea tũdendam esse uenam aiunt, ad quæ Erasistratus cibo abstinẽdum præcepit. Cum ergo ille in opere De febribus scribat adhibendam morborum principijs inediam, sequitur utiq; omnibus detrahendum esse sanguinem, id quod sanè isti etiam arbitrantur, illo utiq; in tempore. Verum maximum id malum fuerit, si ita faciendum adolescentibus artem discentibus persuadeatur, multoq; etiam perniciosius, si nõ alia quoq; quę discernere cõuenit, respiciant. Quocirca alio libro ea exponere necesse habui, quò uidelicet adolescentibus commonstrarem, & Erasistratum uenæ sectione haudquaquam usum (id enim præstat eos credere, quàm omnibus uno ordine uenam incidere, quibus ille ciborum usu interdicit) & maximum laborãtibus inde prouenire commodum, si quis recte utatur. Itaq; aliud mihi denuo, mea quidem sentẽtia, de phlebotomia scribendum nõ fuit, cum nimirum remedij huius usus quidem in medendi sit Methodo expositus simulq; in opere De tuẽda ualetudine: in duobus autem libellis, quorũ alter aduersus ipsum Erasistratum inscribitur, alter aduersus Romę agentes Erasistratæos, prauas illius opiniones indicarim. Cũ tamen precibus me suis obtundere non cessarent complures amicorum, quos piget, ut mihi uidetur, curandi librum perlegere, coactus tandem sum ad hæc scribenda descẽdere, ne scilicet inuidere illis uidear, mox uero serie conuenienti omnia quæ de hoc auxilio proferri possint, enarrare. Atq; adeo iam tempus est orationem ordiri.

3 Affectionis uocabulũ, uelut alibi diximus, ab afficiendo dictum, ęque atq; illud, de multis effertur rebus. Sed nunc recessus in statum nõ naturalẽ, qualescũq; ij fuerint affectiones siue affectus, toto hoc libro nominabimus. Quæremus aũt omniũ primum, quot, qualesq; hæ sint uacuationem poscẽtes: deinde quænam ex ijs uenam incidi postulent. Quoniam autem omnia quæ in quæstionẽ ueniũt, duo inuẽtionis organa obtinent, nempe rationem, & experiẽtiam, idq; cum in artibus omnibus, tum per omnẽ propè uitã, necesse esse arbitror, & nũc quoq; me aut ratione sola, aut sola experientia, aut iunctis ambobus, quæ proposita sunt scrutari. Porrò quoniam ratio ipsa partim ex communibus tantum notionibus progrediẽs inuenit & demõstrat, partim uero etiã ea quæ ex istis inuenta sunt, ad demonstrationem adhibet, utraq; ratione omnes uti artes demonstrauimus. Ac nos quoq; in præsentia, utra earum utilis reperietur, eam rebus nostris accommodabimus. Sanè priori ratione omes per totam uitam homines uti assolent, altera uero non omnes: nam proprie ad artifices attinet. Etenim geometra primum artis suæ theorema per solam priorem rationem demonstrat: deinde secunda sola utitur, sed ad eius demonstrationem quod ex prima probatum est, unà adhibet. Quantum uero deinceps à primo recedit theoremate, tantum etiam à prima ratione abscedit. Deniq; uero et paucissimis utitur, per ea quæ demonstrata sunt, alia demonstrans, & per illa rursum alia, et iterum per illa, alia, ut tandem demonstratio ad ea quæ plebi incredibilia sunt, procedat, nempe ad solis, lunæ, & terræ, non solum magnitudinum, sed & distãtiarum cognitionem. Ex quibus tandem inuentis horologia cõstruunt & clepsydras, qui hac uidelicet uia incedunt, lunæq; ac solis deliquia prædicũt. Sic nostra quoq; arte procedens oratio, multis utetur quæ in alijs operibus sunt demõstrata, puta quòd complures sunt facultates quæ animalia gubernant, quarum alias naturales, alias animales appellitant. Generationis autem principia in rebus omnibus pro materia quatuor habent elementa, quæ per sese mutuo tota misceri, inq; se uicissim agere sunt nata. Quapropter nulla hoc libro Asclepiadis fiet mentio, ut cuius elemẽta falsa ostẽdimus & in decimo tertio De demõstratione commẽtario, et in opere De Asclepiadis placitis, in quo quintus & sextus, elementorum eius confutationẽ continent. Demonstratum est etiam & in commentario De elementis ex Hippocratis sententia conscripto, de qualitatibus effectricibus, quarum nomina sunt, Caliditas, Frigiditas, Humiditas, & Siccitas: & de humorum tum differentia, tum generatione. Porro de medicamẽtis humorem unumquemq; purgantibus paucula quædam in libro De elemẽtis, sed separatim in alio libro tractauimus. Vtilis quoque in rem præsentem tractatio De temperamentis est, elemẽtorum sequens tractationẽ. Verum omniũ maxime liber De plenitudine, in quo ostensa est & ut ad uires plenitudo, & ut ad capacitatem in qua continetur. Atque hæc plenitudo à medicis κατὰ τὸ ἔγχυμα hoc est secundum humorum fusuram nuncupatur. Optimum ergo fuerit, ut qui ex arte uolet expendere quæ hoc uolumine dicenda ueniunt, De plenitudine librũ prius perlegat. Quæ uero & ille ante perlecta requiret, ipse indicabit. Nec uero mirum cuiquam uideri debet, si tantis sit opus ut probe de uena secan-

da

da contemplari liceat. Non enim ad huius modo auxilij inuentionem, sed & aliorum omnium, necessaria est eorum quæ modo recitauimus cognitio. Nam si citra illorũ notitiam recte curare possemus, haud esset cur ea tanti faceremus. Sed hæc præfari necesse fuit.

4 Tempus autem nunc est orationem ordiri, considerando quot sint affectiones uacuatione indigentes. Ergo si quis eas experientia collectas exponat, sola opus est ad explicationem memoria. At si uia rationali, commune & generale inueniat necesse est. Ex illius deinde in species differentiasq; sectione usq; ad species ultimas, affectuum numerus uacuationem indicantium, inuestigandus est. Sic enim constare uniuersa, quæ per rationalem uiã inuentionem sortiuntur, monstrabimus. Igitur cum artis medicæ officium sit, omnes partium corporis functiones, ubi corrumpuntur quidem, recuperare: tueri autem, ubi salutæ fuerint, hæcq; ad constitutionem sequantur naturalem, necesse esse hanc, dum præsens est, seruare, intereuntem uero recuperare. Cum ergo primarias actiones à similaribus corporibus perfici ostensum sit, ab instrumentarijs uero secũdarias, uidendum est tibi qui in corpore continentur humores, quam aut utilitatem aut noxam partibus eius afferãt. Posteaquam igitur in libro De plenitudine demonstratum est bifariam & fieri & dici plenitudinem, nempe uno significato ut ad uires, altero ut ad continentium humores uasorũ capacitatem, quod quidam uocant κατὰ τὸ ἔγχυμα, utriq; uacuatione est opus, siue in homine ualetudinario, siue ualente euenerit. Sanè quemadmodum qui onus gestat, non protinus ubi grauatur ac fatigatur, iam cecidit et uictus ab eo est: ad eundem modũ cũ uirtus à plenitudine grauatur, fieri potest, ut nondum homo ægrotet. Siquidem nonnulli qui consueta etiamnum munia obeunt, sentire sese graues, pigros, segnes, atque ægre mobiles referunt, atq; ea est ut ad uirtutem plenitudo; uelut ubi post exercitia tendi uideantur, quemadmodum Erasistratus dixit. Implentur brachia & cubiti, non exigua est ea alterius plenitudinis nota, quam κατὰ τὸ ἔγχυμα uocari à quibusdam proposui, quandoquidem κατὰ τοὺς ἐγκεχυμένους τοῖς ἀγγείοις χυμούς, id est, infusis per uasa humoribus, consistit & intelligitur. Dictum autem est in Sanitate tuenda, ubi in toto corpore sensus prouenit ulcerosus, ac potissimum dum mouemur, talem affectum mali succi esse sobolem. Attamen id non paucis consuetas etiam dum res agentibus usu uenire conspicitur. Quandoq; autem & in partibus quibusdam corporis, non in tota mole, indicia existunt affectionum illis in partibus consistentium, similium ijs quas in toto corpore consistere propositum est. Nam caput aliquando solum grauari sentimus, aut ulcerosam quandam affectionẽ habere, aut musculos temporis, quos κροταφίτας nuncupant, intendi, idq; aut simpliciter, aut cum maiore quadam caliditate. Sic & in iocinore, liene, uẽtre, costis, septo transuerso, gra-

A uitatem sæpenumero percipimus. Similiter in ore uentriculi aut grauitatem, aut morsum, aut nauseam, aut ciborum fastidium, aut absurdum appetitum sentiscimus. Ad hęc autem fixi in parte quapiam dolores, idq; aut ob humorum copiam confertim ingruentium, aut propter spiritum flatuosum, uacuationem indicant, sicut qui ab acri humore partem exedente rodenteq; proueniunt. Sunt autem qui ab intemperie nascantur, atq; inter eos ipsos quidam ab ea sola citra humores, alij uero cum humoribus. In omnibus itaq; istis modo propositis, infestantium tum humorum tum uaporum euacuationes à pathematis siue passionibus hominem liberant. Non tamen uena secta prorsum est opus, sed sufficit purgatio, frictio, bal-

B neum, & inunctio cum digerente medicamine. Ergo qui uena incisa iuuentur affectus, deinceps dicamus.

5 Non solum nutrimentum animãtis partibus ex sanguine est, sed calor quoq; naturalis perseuerantiam ex sanguine obtinet: quemadmodum ex lignis ad ardendum idoneis qui in foco est ignis, à quo ædes totas calescere conspicimus. Itaq; quẽadmodum ignis hic offenditur, interim quidem congestis in eum confertim lignis, interim uero tametsi non multis, tamen admodũ madentibus, nonnunquam autem omnino non impositis, aut ualde exiguis: sic qui in corde est calor, interdum seipso minor efficitur aut propter sanguinis copiam, aut propter ingentem inopiam, aut propter

C qualitatem frigidam, interim uero maior aut propter calidam sanguinis qualitatẽ, aut propter paucularum inopiam. Quicquid autem cor in caliditate frigiditateq; perpetit, eius protinus & aliæ corporis partes participes fiunt. Euenit autem et una in parte persæpe præter naturam tum caliditas, tum frigiditas, sicuti sæpenumero in alijs commẽtarijs demonstrauimus. Idq; duplici ratione prouenit: interim ob humores calidos, aut frigidos, interim uero ob solam intemperiẽ. Cæterum quę membratim accidunt caliditates aut frigiditates, eas quæ parti quidem affectæ uicinæ sunt, unà alterant, at in totum extedi corpus priusquam cor mutent, nequeunt. Eundem in modum & cordis corpus duplici modo alterari ostẽsum est, aut per

D intemperiẽ, aut propter humores calidos uel frigidos, aut ob alicuius horum inopiam. Porrò humores calidos frigidosq; fieri demonstrauimus pro cibi potusq; modo, & ob pleniorem corporis animiq; tũ motum, tũ quietem. Cęterum quemadmodum in uentre frequenter prauæ fiunt coctiones, ijs quæ assumpta sunt, in pituitam aut bilem cõuersis, aliamúe præter naturam corruptionem perpessis, aut crudis, & alterationis expertibus plurimo tempore manentibus, aut in flatum uersis, ita ubi sanguinis fraudamur generatione, humorũ in arterijs uenisq; affectiones proportione respondebunt ijs quæ à frustrata in uentre concoctione proueniebant. Quoniam aũt calida simul humidaq; omnia facillime putrescere apparẽt, & præcipue si in locis calidis sint, cõsequitur necessario

sariò, quod ex uentre distribuitur nutrimentum, quando à natura nõ superatur, inq; sanguinis boni generationẽ nõ conuertitur, aliàs aliam perpeti putredinẽ. Atqui cum quę ex materia calida putrescunt, calidiora etiam euadant, calidior quoq; erit proinde sanguis putrescẽs. Hic autẽ ubi calidior fuerit, calidior quoq; sensibiliter pars in qua putrescit, euadet. Porrò aũt quoniã à notabiliter calidis, unà quæ uicina sunt, incalescũt, unà quoq; cum sic affectis partibus, quæ circumquaq; ulterius sunt, incalescent, idq; calore acri ac mordaci. Eiusmodi enim est qui à putredine proficiscit̃. Ergo si pars quæ hoc pacto incaluit, insignis sit, aut calorem suum in cor protendere ualeat, siue q; uicina sit, siue q; ex principalibus, siue q; calida, unà & ipsum accedet, ut quod natura calidissimũ sit. Quòd si semel illud accẽsum fuerit, facile totũ iã corpus simul excalfiet, quẽadmodũ ab ingenti in foco flãma quę illam continet domus. Vocant autem id pathema Græci quidẽ πυρετὸν, Latini uero febrẽ. Sed & nõnunquam prius q̃ putrescat ingens sanguinis uis in partem impetu decumbens aut prorsus eã extinxit, ut actio interiret, aut certè nõ contemnẽdam noxam inflixit. Nam hoc pacto apoplexiæ proueniũt, multo nimirum sanguine in principium animantis cõfertim incumbẽte. Nam ubi in aliam partẽ præceps ruit, tumorẽ inibi præter naturã efficit. Ex hoc genere est phlegmone. At ubi crassior est, melãcholiæq; magis naturam refert qui decubuit sanguis, scirrhosus tumor efficit̃, sicut si pituitosior sit fluxio, laxus: sin biliosus, erysipelas siue ignis sacer existit. Discriminata hæc ad unguẽ habes in ijs quæ modo recẽsuimus operibus. Nunc aũt ut dixi, quæ sunt demonstrata hypothesiũ loco, hoc in libro assumẽs, consentaneam illis secãdæ uenæ rationẽ demonstro. Igitur cum plenitudo duplex sit (optimũ em̃ fuerit hinc auspicari) & ea quæ ad uires refertur, facile in putredinẽ perueniat, atq; etiã interdum in partes quasdam ingruẽs, inibi tumores præter naturã excitet, & altera quoq;, quæ κατὰ τὸ ἔγχυμα appellatur, sæpe in partes decumbat, ac tumores creet, imò & apoplexias moliat̃, uenarũq; ruptiones, eam celeriter euacuare tentandum, prius q̃ magnum aliquod malum in homine efficiat. Porrò fusissime expositum est in Tuẽdæ ualetudinis uolumine, quo pacto utramq; affectionẽ & agnoscere & sanare oporteat, sicut ubi febris aut sanguinis reiectio præ plenitudine inuasit, aut apoplecticarum infirmitatum aliqua, quomodo & illas curare oporteat, in curãdi Methodo diximus. Quare de his plura conscribere superuacaneum censeo. Nam si perinde ut in illis tractatibus scripsi, ita & hic scribam, bis eadem de re uerba facere cogar, ac propterea in lõgum etiam sermonem extendere. Sin in compendium librum hunc contraham, duorum alterum subibo periculum, aut ut ob breuitatẽ obscurus fiam, aut distinctionem aliquam utilẽ prætermittam. Verum quoniam haud mea uolũtate hunc aggressus sum librum, si quod dictorum peccatum eueniat, ipsi culpam ferent

A quorum autoritate hoc coactus sum onus suscipere: sicut si rectè atq; ex sentẽtia accidat, utilisq; appareat, laudem illis omnem cedo.

6 Rursus ergo orationi sumat̃ principiũ. Qui res cõsuetas adhuc factitãt, sed princeps illic pars aliqua aut totũ corpus grauatur tẽditurue, ijs necessaria est euacuatio. Porrò si ætate nec puerili sint, nec senili, de secanda uena consiliũ inito, præ oculis habẽs principales hosce scopos, nẽpe plenitudinis tum quantitatem, tum qualitatem, & uirium robur atq; infirmitatẽ: deinde naturalem totius corporis habitum, tempusq; & regionem, uitamq; anteactam, tũ an cibi potusq; copia, & præcipue affatim nutrientium, qui sic affectus est, sit usus. Ad hæc consuetudinẽ & res præter consue-

B tudinẽ actas, quosq; motus exercuerit, quas excretiones habuerit, aut præter solitũ compescuerit, ad omnia autẽ hæc num gracilior aut crassior euaserit. Sanè utriusq; plenitudinis quantitas ex propriorum signorum magnitudine definietur. Quanto enim grauior sibi homo uidetur, tantum & plenitudinem quoad uires creuisse cõstat. Ad eundẽ modum quantũ auctus fuerit tẽsionis sensus, tantũ & alterã inauctã plenitudinẽ, quã à quibusdam κατὰ τὸ ἔγχυμα uocari diximus. At utriusq; plenitudinis qualitatẽ partim ex coloribus agnosces, memor colorẽ humorum esse, siquidem modice à calore frigoreq; externo affectũ corpus fuerit, partim ex ijs quæ humorũ naturæ cõiuncta sunt. Etem̃ calidiores, calidior totius corporis sen-

C sus sequitur. Frigidiores uerò frigidior, tũ eos qui in uenis quidem aceruantur humores, tumor, uasorumq; distensio: qui uerò in carne, sensus in ea aut grauitatis, aut tensionis, sicut certe & caliditatis. Porrò dispensantium nos facultatũ infirmitatẽ ac robur proprijs indicari functionibus ostẽdimus, arbitrarijs quidẽ in neruis & horũ principio cerebro, pulsuum autem in arterijs & corde. At à functione quæ in bona editur nutritiõe, aut nutritione abolita, tum colore bono aut malo, tertia facultas, nempe nutrix, quam à iecore proficisci demonstrauimus, agnitionẽ sortita est. Vbi ergo extantibus plenitudinis signis ualẽtes facultates fuerint, uenam incides uidelicet, si tensiua quidẽ sit affectio, nullo discrimine, magisq; etiã in phleg-

D monode. sin infesta sit degrauãs plenitudo, haud semper sanguinis moliẽda detractio est. Fieri em̃ potest, ut crudus per corpus collectus sit succus. In quo aduertendũ diligẽter est, quatenus ualeat robustaq; sit uirtus, & quatenus humor ipse progressus sit. Nam exoluta ab id genus affectib. uirtus, adhibita sanguinis missione, in extremũ malum recidere solet, ut nequaq̃ postea restitui possit. Quod ubi euenit, periculũ nõ leue consequit̃, potissimum si febris accedat, statu æstiuo, stomachoq; male affecto, aut toto adeò corpore natura molli, & temperie humido. Eiusmodi enim hominibus multa accidit per halitũ digestio, repentinumq; animi deliquium, etiamsi febris haud magna inuadat. Si uerò horũ nihil sit, cæterum hyẽs fuerit, regioue natura frigida, tum natura quoq; homi

hominis frigidior, ijs per sanguinis missionē et totum corpus grauiter refrigeratur, & accidunt nō nulla quæ ad grauem sequūtur refrigerationem, symptomata. Quocirca qui sic affecti sunt, eos sanguinis missione uacuare non cōuenit, sed frictionibus, mediocriterq; excalfaciētib. unctionibus, tum potionibus humorum crassitudinem incidētibus, ac modice calfacientibus. Nam quæ ualenter calfaciunt, nimis subito uires deijciūt, ut in reliquam curationem non sufficiant, sæpe etiam febrem auxere. Itaq; & inde uiribus noxa obuenit. Quapropter humorum incidētes crassitudinem tum cibi, tū potus mediocris sunto in excalfaciendo facultatis. Porrò qui sanguine ex pectore reiecto in præsens quidē curati sunt, cæterum eā sortiti sunt corporis structuram in thoracis, pulmonisq; partibus, ut uel pauculo plus collecto sanguine protinus aut uasis alicuius osculū reseret, aut ipsum rumpatur: ijs etiamsi nullum in corpore etiamdum symptoma extiterit, ineunte tamen uere sanguinē mittere oportet, similiter qui propte morbum comitialem, aut apoplexiam incurrunt. Ad eundem modum, si aliorum morborum cuipiam obnoxium esse hominē cognorimus, puta peripneumoniæ, pleuritidi, anginæ, committēdum nō est, ut expectemus dum aliquod euidens plenitudinis symptoma appareat, sed anteuertere sanguinis detractiōe pręstat. Eodē modo quib. hemorrhoides retentę sunt, potissimum si natura sint atrabilaria, quiq; quotannis ęstate plethoricis morbis corripi assolent, & hos quoq; ueris initio uacuare expedit. Eadem ratione & qui ipso etiā uere illiusmodi malis uexantur. Sunt aūt quidam oculis imbecillioribus, aut scotomaticis quas uocāt, hoc est uertiginosis, obnoxij passionibus, qui & ipsi principio ueris inaniri poscunt. Sed illud prius uidendū, quid sit quod in illis aceruetur. Si quidem nonnullis amarę bilis succus plus cęteris colligitur, quibusdā bilis atræ, aut pituitæ, alijs ex æquo omnes, in quibus sanguis abūdare dicitur. Hos ergo omnes uacuabis, sicuti etiam podagricos & arthriticos ueris principio, exhibito uidelicet aut medicamēto purgāte, aut sanguinis diminutione. Equidem complures ipse sanaui, qui tribus quatuorúe annis per interualla pedū laborassent doloribus, exundāte humore ueris initio expurgato, aut sanguine diminuto. Cæterum id neminem latere puto, illos in omni deinceps uictus uitæq; ratione agere moderatos. Nam intemperātes, uinososq;, ac uētri gulæq; deditos, neq; purgatiōe, neq; sanguinis missione magnopere adiuueris. Nam per uitæ intemperantiam, crudorum humorum copiam ocyssime colligūt: uerum his ne manum quidem admouere tentādum est. Eis uero qui præceptis salutaribus obsequētur, summopere profueris, si principio ueris primū quidem euacuaris: deinde aūt ad exercitia, uictusq; rationē salubrē deinceps perduxeris. Quę de istis dixi, hæc tibi dicta putato, & de omnibus qui quibusuis capi morbis sunt apti, ex ijs quos modo enurabā, nēpe aut comitiali, aut apoplexia, aut uertigine, aut sanguinis reiectione, aut melancholicis.

7 Porro non solum ubi adest plenitudo, siue ea ut ad uires sit, siue ut τῷ τὸ ἔγχυμα, mirifice prodest uenę sectio: uerum etiam citra plenitudinem initio phlegmones, quæ aut propter ictū, aut propter dolorem, aut partium debilitatem prouenit: quippe cum dolor sanguinem ad se trahat, & sæpe partium debilitas phlegmonem, absq; hoc ut in corpore plenitudo sit, procreet. Ostēsum est enim in Virtutum naturalium commentarijs, infirmā natura partem prompte grauari, si uel paulò modò plus aceruetur in ea excrementi. Quin etiā quòd pars quælibet uim possideat, sicut familiarium attractricem, ita quoq; alienorum excretricem: tum quòd duplex sit alienum, alterum quantitate, alterū qualitate. Itaq; partem quamuis, quę licet ab humoribus in se cōtentis non grauetur, tāmen excremēta quædam habeat in qualitate præter naturam, ad eorū excretionem per uenas inibi sitas, tanquam per canales insurgere. Porrò si quod propellit, prauus sit sanguis, siue alius quiuis succus, ad propinquā primum ueniat partem, necesse est. Vbi rursum duorum alterum eueniet. aut enim cōcoctus corruptusúe in aliam tertiam haud transfluet. aut si neutrum assequatur, denuo ex parte secunda in aliā labetur, atq; iterum ex illa in aliam, neq; cessabit, quoad in talem quampiā illabat, quę amplius ex se propellere quod in ipsa redundat, nequeat. Accidit autē id illis partibus, quę uim excretricem uicinis omnibus imbecilliorem obtinent: siquidē haud etiam in illas quæ prę uirium robore non admittāt, repellere quod molestum est ualent. Nam & hoc quoq; nobis in illis monstratum est commentarijs, quòd non solum pars quælibet recrementum in uicinam protrudāt, uerum quòd & recipiat quidem, sed contrà, sæpe remittat, & contrà, repellat, in sese haud admittens, quo certamine uictoria potitur ualidior. Quapropter partes infirmiores omnium primæ excrementitijs morbis corripiuntur. Huiusmodi quapiam ratione rheumaticos uocatos affectus prouenire scito, toto uidelicet corpori infirmo (quę una est mali habitus species) principibus uero illius partibus, paulum licet insit ipsis sanguinis, grauari tamen solitis, eumq; ad carnosas cutis partes protrudentibus, potissimumq; glandulas excipiendis recrementis idoneas, tum ob substantiæ laxitatem, tum quia omnium partium minime robustas habeant naturales uirtutes, sicut & pinguedo. Nam cum quatuor eæ sint, ut ostēsum est, prima attractrix, secunda retētrix, tertia excretrix, & quarta alteratrix, alias quidem tres imbecillimas, glādulæ carnesq; obtinent: at unā alteratricē haud ita multo cæteris partibus minorem. Post glādulas sequiť pulmo, fluxioni recipiendæ promptissimus. Nam & hic tres facultates infirmas possidet, & corpus ipsum laxum: deinde est lien. Porrò cerebrum aut perinde ut illi, aut etiam plus excipiēdo fluxui est habile. Cæterū hoc illis potius est, quòd constructionem habeat eijciēdis ijs quę accepit promptissimā. Habet enim ingentes

tes uentriculos, qui pronis meatibus euacuantur. A Quibus ergo carnoso genere pulmo, lien, ac cerebrũ, natura robustiora sunt, in ijs ad glandulas & carnes fluxiones perueniunt, ubi totius nimirum corporis habitus infirmus fuerit, uelut in rheumaticis affectibus accidere solet. Merito ergo his curandis scopus est, non euacuatio, sed corporis totius roboratio, quanq; tamen curationis initiũ illis à misso oriat̃ sanguine, ac si excremẽta prauam etiam qualitatem habuerint, unà adhibeatur purgatio. In quibus maxime corporib. neutrius proprium expectandum plenitudinis symptoma est, puta grauitas quidem eius, quæ ut ad uires est, tẽsio uero eius quæ ut πρὸς τὸ ἔγχυμα. Eadem ratione in ijs quibus pars quæpiam grauiter icta est, aut utcunq; aliter incipientem habet phlegmonem, B eam si magnã fore suspicamur, curationẽ ab inanitione auspicamur, aut purgatorio medicamine exhibito, aut uena incisa, prout nimirum alterum altero magis conuenire iudicamus.

8 Recte ergo admonemur in ijs quæ ad librũ De ratione uictus acutorum adiecta sunt, sanguinem mittere, si magnus sit morbus, & æger iuuenili uigeat ætate, roburq; adsit. Perperàq; Menodotus in sola syndrome plethorica seruari uenę sectionem inquit. Cõtrà em̃ prorsum sanguinis mittendi scopi, primum in se plenitudinem non comprehendunt, sed fientis, ut sic dicam, passionis suspicionem. Nam si eam magnam fore apparet, omnino sanguinẽ mittemus, etiamsi nulla existat plenitudinis nota, tantum inspecta ętate, uiribus, C & magnitudine morbi, quæ sola in adiectis ad librum de ratione uictus recenseri conspiciuntur. Vigentem em̃ ætatem propter pueros et senes in distinctionem assumpsit. Cæterum primi principesq; mittẽdi sanguinis scopi sunt, morbi magnitudo, & laborantis robur, & hanc esse primam dicendum est syndromen, non plethoricam in qua seruata sit sanguinis missio, in illa enim & hæc cõprehenditur, ut quæ morbi magnitudinem adaugeat. Quippe nõ solum ubi iam adsit morbus grauis, sanguinis detrahendi tempus est, sed ubi futurum uerisimile est. Anteuertit enim Hippocratis doctrina, qua nos docet quæcũq; morbis præsentibus recte peraguntur, ea melius esse ut aut incipientibus, aut imminentibus præmittamus. Qua D re et propositos scopos ad sanos transferre liceat. Siquidem & his sanguinem mittere expedit, ubi nimirum magni alicuius morbi metus imminet, ratione tamen habita & ætatis, & uirium. Nam si quis ut magnum incurrat morbum sit habilis, licet nullũ etiam in corpore symptoma acciderit: uenam tamen secandam cẽsemus. Satis est enim ætatem et uires inspexisse. Itaq; tria sunt quæ agnitionem continẽt, morbi magnitudo aut præsens, aut imminens, ætas florens, & uirium robur. Forte uero negligentius in adiectis ad librum De uictus ratione acutorum, exposita uideri possit una ętatis particula. Nec enim florentem duntaxat dixisse recte habet, sed addenda est & quæ illã præcedit, & quæ sequitur, uti uidelicet duę tantum distinctioni eximãtur, nempe puerorum, & senum. Verum senum ætas in uirium uerbo comprehendi potest, nulli enim qui ea ætate est, robur inest. Quibusdam uero medicis ne pueris quidem robur inesse uisum est, sed perperam rem intelligentibus, sicut alibi nos ostendimus. Itaq; si magnum fore morbum expectamus, aut iam præsens est, aut incipit, uenam tundemus, uirium habita ratione, tantumq; ex oratione exemptis pueris, dicemusq; minus perfecte positam ætatis dignotionem ab eo qui conscripsit ea quæ adiecta sunt libro De uictus ratione acutorum. Satis enim sunt ad incidendam uenam hi duntaxat scopi. Neq; enim ubi tanta crudorũ humorum copia accumulata est, ut secandam uenam impediat, ratio redarguitur. nam istis uirium robur nõ adest. Estq; hoc indicium eos haud posse sanguinis missionẽ perferre, quãdo unà cum colore corporis totius, qui tum uisitur sanguinem abundantem indicante, pulsus adest inæqualis, in uehementia & magnitudine, et per inæqualitatem eius obscurus ac paruus exuperant.

9 Definitis itaq; tribus mittẽdi sanguinis scopis, nempe morbi magnitudine aut præsente, aut imminente, aut incipiente, ætate florente, uirium robore, extra puerorum ętatem, ad alia antedicta mittendi sanguinis indicia, quæ non pauci adijcienda medici censuerunt, nunc accedamus. Indicant autem hæc detractionis quantitatem, nõ ipsam sanguinis detractionem. Itaq; ex morbo, ætate, & uiribus eminuendus esse sanguis cognoscitur. At uacuationis quantitas non ex istis modo, sed etiam ex alijs deprehenditur. Ea sunt plethorica uocata syndrome, aeris nos ambientis temperies, in tempus & locum diuisa, eaq; quæ in anteacta acciderũt uita circa comesorũ tũ quantitatẽ, tũ qualitatẽ, excretiões q; ac motiones, aut factas, aut non factas. Sed quænam sit in his diuersitas, paulo post uiderimus, in pręsenti autẽ de utriusq; plenitudinis notis contemplabimur, an ubi eæ in homine solita negocia obeunte apparuerint, mittendus illi omnino sanguis sit, an id necessarium non sit, ubi nulla magni adfuerit morbi expectatio. Porrò quid hac de re sentiã, neminẽ uestrum ambigere arbitror, ut qui sæpe adfueritis sanguinis missionẽ suadenti tum podagricis, tum arthriticis, tum morbo comitiali obnoxijs, ad hæc melancholicis, quiq; sanguinẽ antea expuissent, aut in thorace structuram sortiti essent ad id malũ idoneam, pręterea uertiginosis, quiq; assidue corripi solẽt angina, peripneumonia, pleuritidibus, hepatidibus, ophthalmijs uehemẽtibus, aut, ut in summa dicam, magno quopiã morbo. Nam in illiusmodi omnibus necessarium esse remediũ sanguinis minutionem arbitror, cõfestim adhibitã post habitam uirium atq; ætatis rationem. Hęc si forte aliquando nõ dicant, intelligere oportet. At qui nihil eiusmodi unquã antea perpessi fuerint, omniumq; corporis partium inculpatam sortiti constructionem, geminam me uacuationis uiam proponere nostis: per uacuationẽ quidem, si in uictu

sint intemperantes: citra hanc, si temperantes. Licet enim frictionibus multis, balneisque & ambulationibus, alijsque motionibus, adhæc unctionibus digerentibus celeriter plenitudinem exhaurire, sicutique uidebitur non esse crassi sanguinis abundantia. Talis est, ut plurimum maximeque melancholicus, raro uero crudorum, quos uocāt humorum. Cæterum in redundantia humoris melancholici sanguinem mittere præstat, aut certe omnino medicamento uti atram bilem expurgante. At ubi crudi succi exuperant, antequam morbus inuaserit, caute uacuabis: sed ubi iam febris corripuerit, uti ante monui, nequaquam. Habebis uero eorum indicium tum colorem plumbeum, aut ex pallido album, omniaque potius quàm rubrum, tum pulsuum inęqualitatem. Si uero etiam admodum creuerit talis plenitudo, tum et corporis illis grauitas inest, atque ad motus pigritia, tum mentis tarditas, & sensus hebetudo. Contrà uero, si quibus ex cōpressis hæmorrhoidibus cumulatus in corpore sanguis extiterit, audacter uenā incides, etiamsi antea grauem experti morbum non fuerint. Fieri enim potest, ut apti quidem ad eiusmodi aliquem fuerint, cæterum ob hæmorrhoidum inanitionem nondum perpessi. Porrò si quæ illis partes prauam sortitæ structurā appareant, ac potissimum in thorace, omnino eis ocyssime sanguinem detrahes. Idem me sentire nouistis, & de mulieribus quibus menstrua restitit purgatio.

Neque enim profecto proroganda in his euacuatio est, non tamen necesse est illis uenā scindere: quippe cum malleolorum scarificationes superfluitati quandoque euacuādæ satis esse queant. quanque nec desit ipsis & aliud quippiā quod mensium motum ciere possit, sicut in malleolis ac poplitibus incisæ uenæ. Nā plenitudines à suppressis mensibus ortas, omnino per crura euacuabis, siue uenam secare oporteat, siue scarificare. Sectæ eñ in cubito uenæ mulierum reuellere purgationem assolēt. Porrò quæ ex mulieribus albidiores sunt, sanguinē aceruare tenuem solent. Quo circa adhibitis malleolorum scarificationibus maxime iuuanť. At quæ nigriores sunt, secta uena curato. Crassiorem eñ sanguinem, ac magis melancholicū colligunt, magis uero etiā si magnas habere uenas appareant, quod illis accidit quæ graciliores sunt ac nigriores. Carnosis uero & cādidis paruæ insunt uenæ, quibus malleolos scarificare quàm uenā secare præstiterit: quippe cum hæ paruas in cruribus uenas habeant. Itaque etiam si probe secentur, quod iustum tamen sit, non profluit.

10 Cæterū non contemnenda uenæ sectio est, tanque non sit auxilium reuulsorium, cum me sæpe numero conspexeritis in ualida sanguinis è naribus eruptione eo usum repente fluxionem sedasse. Expedit autem, uti uidistis, non expectare, donec uires extremè collabantur. Verum ubi iam moderatus sanguis è naribus euacuatus uidetur, & impetus lationis fortis permanet, uena in cubito secāda est: si ex dextra nare prorūpat sanguis, in brachio dextro: sin ex altera, in sinistro. Simul autem cum hoc agis, artubus uincula iniicito aut ex lana, aut ex fascia, tum hypochondrio directe supposito cucurbitam admittito. Nam hęc nos faciendo, ut scitis, semper erumpentem ex naribus sanguinem compescuimus, cum antea experiundo quæ scribunt in nares inserenda medicamenta, atque in frontem illinenda, infirma omnia compererim. Itaque ad ea quę supra de sanguinis missione dicta sunt, & hoc quoque Menodoti opinionē conuincit, qui putarit plethoricam uocatam syndromen remedij nos admonere. Nam quæ dicta est affectio, plethoricæ planè contraria est. Adhibemus autem ad eam sanguinis missionem, non ut euacuatorium, sed reuulsorium remedium.

11 Nihil æque artem medicā in agendo coniecturalē efficit, uti cuiusque remedij quantitas. Etenim cū frequenter cōpertum habeamus tempus instare exhibendi aut cibi, aut potus, eiusque aut calidi, aut frigidi, quantum tamen dandum sit, certo haud nouimus. Idem usuuenit in purgantibus medicinis. Nam quod laboranti præbendum sit medicamen, aut bilem, tum flauam, tum atram, aut pituitam, aut serosum excrementū euacuans, exacte nouimus: cæterum quantum præberi debeat, nescimus. Atqui talis exhibitio corrigi postea nequit. Nam quod semel in uētrem deuoratum est medicamētum, quo minus omne deuoratum sit, fieri non potest, neque possibile est, ubi plus quàm conueniat, iam purgetur homo, partem oblati auferre. At in sanguinis missione summū id bonum est, euacuationem dum uoles posse sistere, ac rursum quo uideatur tempore, fluere sinere, quoadusque recte habere appareat. Quapropter præstat, nisi quid urgeat, priori missiōe minus detrahere, iterumque eā repetere, immo si lubet, & tertio. Vbi ergo multa euacuatione est opus, uerū uires sunt imbecilliores, in his euacuationem partiri expedit, uti nimirum & me fecisse uidistis in ijs quibus crudorum inerat humorū copia. Nā pauculo sanguine detracto, protinus aquā mulsam exhibeo probe coctam cum attenuantiū medicaminum quopiam, uelut hyssopo, origano, & interim etiā nepita, aut pulegio, aut certe cum aqua mulsa, acetum mulsum, aut acetum mulsum dulce, ac sic rursum sanguinem minuo, uel ipso eodem nonnunquam die: interdū die postero, in quo rursum exhibito propositorum medicamentorū quopiam, iterum de sanguine quid aufero, ac rursum tertio die similiter bis. Cæterū ubi feruescentis inest sanguinis plenitudo, acutissimam accendens febrē, aceruatim euacuare expedit, eamque inanire tentandum, uel ad animi deliquium usque, uirium modo inspecto robore. Itaque memini quibusdam sex detractas protinus cotylas aut postridie, aut tertio quartoue, quibusdā primo etiam die, cum febris principio noctis cœpisset, aut medio, ac quæ pridie comederant, probe fuissent concocta. Nonnullis autem pridie inæqualitatem, aut sudorem, aut capitis alteriusue alicuius partis dolorem causantibus, ac proinde parce esitantibus, ubi febris præcedente inuasisset nocte, primo etiam die me

sanguinem detraxisse memini. Nam in quibus tibi sanguinis feruentis copia apparet, quamocysisime eos uacuare conator, priusquam in principē aliquam partem ingruat. Quamobrē nec per noctem sanguinem mittere uerearis. Siquidem ridiculum est quod quidam factitant, à secunda diei hora ad quintam aut sextam solummodo sanguinem mittentes haud alio quouis tempore: quos si nō clysteres, cibum aliaq; exhibere remedia quocūq; tempore noctis uidissem, grauiter profecto in illos inueherer. Quoniam uero omnia agunt haud præfinito uno horarum numero omnibus morbis communi, sed ut affectus moneat, in sola autem missione sanguinis dictum modo tempus semper obseruant, deprehensu facilis est illorum error. Sic itaq; affectis ægrotis, ut diximus, expedit adusq; animi defectum sanguinē educere. Noui enim ex ijs quosdam necessario ex animi deliquio refrigeratos, ac toto corpore exudantibus liquoribus aluo rupta celerrime morbo liberatos. Vtile est autē pulsuum diminutionibus animum aduertere, tangendo eos sanguine etiamnū fluente, sicut in alijs omnibus dum sanguis mittitur, facere cōsueui, ne uidelicet nobis nec opinantibus pro animi deliquio mors occupet, quod sane tribus euenisse medicis noui. Venā secabat eorum unus mulieri febricitanti, aliorum uterq; uiro, sed ad tantum animi duxere deliquium, ut uires recuperari non possent. Proinde satius est tam copiosa uacuatione abstinere, nisi magna incumbat necessitas. Quin & reuulsionem, non leue & ipsam auxilium, quodq; sæpe secta adhibetur uena, quāto maiorem in numerum particulares auxeris detractiones, tanto efficaciorem effeceris. Hęc itaq; prænouisse præstabat.

12 Rursum autem à principio ad propositam reuersi speculationem, exponamus quæ summe necessaria esse compertum habemus ijs, qui innoxie uenæ sectiones obire semper uolent. Primum omnium scire conuenit, dum propositi scopi huius præsidij augentur, maiorem indicari euacuationem: dum uero exoluuntur, tantum detrahendum de sanguinis missione, quāto illi minores euaserint. Morbi itaq; magnitudo cum uirium robore, primi erant mittēdi sanguinis scopi, ille quidem quæ facienda sint indicans, hic tanquam illum haud prohibens, id quod contra indicare iuniorum medicorum quidam appellant. Nonnunquam enim affectio mittendum sanguinem commonet, cæterum uirium contra robur prohibet. Quibus scopis præsentibus constat, ut ante diximus, nullam esse crudorum humorum tantam talemq; plenitudinem, quæ hoc inhibere auxilium posit. Deinde considerandum quæ sit naturalis hominis temperies. Nam quibus amplæ sunt uenæ, quiq; modice graciles sunt, nec candidi, neq; tenera carne prædití, copiosius euacuabis: contrarios autem parcius: quippe qui exiguum habeat sanguinis, carnemq; facile transpirabilem. Hac ratione nec pueris uenam tundes usq; ad quartumdecimum ætatis annum, post quem si multus con-

A gestus sanguis appareat, tēpusq; anni uernū fuerit, regioq; natura temperata, & pueri natura bene sanguinea, sanguinem minues, multoq; magis si aut peripneumonię, aut anginę, aut pleuritidis, aut alterius acuti, grauisq; morbi periculū incumbat. Detrahes aūt primum, ut summum, ad cotylam usq;. Quod si postea perpēdenti uires, permanere ualide uideantur, dimidium eius adijcies, reiterata misione. Didicisti autem uehementi pulsui cum æquabilitate, tanquam minime fallaci uirium robustarum signo, fidem habere, ex abūdanti autem & magno. Itaq; & septuagenarijs modo dicti adsint pulsus, si affectus iubeat, uenam secabis. Sunt eīn quidam & in hac ætate multi sanguinis, uiresq; habent robustas, sicut alij sicci, & pauci sanguinis, & facile nigrescētes quauis percussa

B parte. Itaq; non numero solummodo animum aduertes, quod quidam faciunt, sed et corporis habitui. Nam sunt qui sexagesimo ætatis anno uenęsectionem non ferant, cum quidam qui septuaginta nati sunt annos, perferant. Veruntamen minus his utiq; detrahes, etiamsi candē habere affectionem quam florens corpus appareant. Optimum autem fuerit, priusquā aperiatur uena, hæc oīa præuidere, & maxime de hæmorrhoidibus suppressis, aut muliebri purgatione. Nam ubi incisa uena sanguis effluit, mutationi eius, & maxime cum adest iam phlegmone, labascentiq; fluxionis robori, potissimum autem pulsuum mutationi, tanquam indicio haudquaquam mēdaci, animus

C diligenter attendendus est, continuoq; quiescendum pulsu alterascēte aut in magnitudine, aut in quauis inæquabilitate. Nam de mutatione in obscuritatem, quid attinet dicere? Didicisti enim in hac qualitate certam fieri discretionē firmarum, infirmarumq; uirium. In quibus autem iuxta sectam uenam phlegmone est ingens, optimum est sanguinis & in colore, & in consistentia mutationem expectare, sicut indicauit Hippocrates in libro De acutorum uictu, quādo de pleuritide uerba facit. Alius enim est qui in phlegmone est sanguis, quàm qui secundum naturam, utpote plus excalfactus. Nam si antea crudior erat, rubrior modo & flauior efficitur: sin eiusmodi prius fuerat, ad atredinem uergit adustione. Proinde Hip-

D pocrates De pleuriticis hunc in modum scripsit: Secanda uero in cubito uena interna, nec uerearis multum detrahere, si rubrior flauiorq; multo fluat, aut pro puro, aut rubro liuidus, utrūq; enim euenit. siquidem signum constituit assumpti in sectam uenā ex phlegmone sanguinis mutationē in eo apparere. Non tamen omni ex parte hæc expectanda est, uerū est ubi antea quàm existat, cessare conueniat, idq; duplici nomine, ob infirmas uidelicet uires, aut phlegmones prauitatem. Interdum enim nihil ab ea emittitur, sed inibi fortiter constrictus est. Si tamen uires exolui euacuatione nondum uideantur (id quod ex pulsu scies, & si cui sanguis mittitur, ætate sit florenti) expectanda est mutatio, potissimum si ambiens sit temperatus.

Duo

A 13 Duo enim hæc sunt ob quæ maxime conie ctualis efficit euacuationis in hoc auxilio quantitas, laborãtis natura qualis sit, quã utiq; adamussim nouisse nõ liceat, & ambiẽtis tẽperies qualis sit à misso sanguine futura. Nam cũ febrilis calor multum sanguinis digerit, atq; abstinẽter laborãs uictitat, necessariò breui illum nutrimentũ ex sanguine destituit, interimq; uirtus exoluit. Absumitur aũt ob laborantis quidẽ temperiẽ si calida humidaq; sit, cuiusmodi est puerorũ, ob ambientẽ si regio sit calida, & tempus æstiuũ. Proinde minus detrahimus, q̃ plenitudo cõmouet, quod ad ætates quidẽ attinet, in pueris: quod ad corporis habitus, in candidis, & quibus mollis teneraq; est caro, quales Galli sunt: quod ad tẽpus sub Cane. B Similiter etiã in regionib. & constitutionibus. Alia uerò ratione, ut & antè propositũ est, in cõtrarijs, hoc est in frigidis tum temporibus, tum locis, largam euacuationem fugimus, propter insequentem nimirum refrigerationẽ. Quapropter unum definire in quoq; dictorum uacuationis modum scripto nõ licet. Memini enim quibusdam ad sex usq; libras sanguinẽ detractum fuisse, ita ut febris protinus extingueret, nec ulla sequeretur uirium afflictio: quibusdam uerò sesquilibrã haud citra leue saltem uirium detrimentum, quibus si quis duas uacuasset, extreme læsisset. Quapropter utiliter quibusdam unã quoq; detraxi aliquãdo, imò uerò nõnunquam hac quoq; minus, idq; ex uena aut cubiti, aut poplitis, aut tali. Nam ex uenis quę ad magnos oculorum angulos cõspiciuntur, aut sub lingua, quod certe mentione dignum sit, effluere non solet: sicut nec si quis summa in manu aut pede uenam secet, quemadmodum putant qui lienẽ curari aiũt à uenę ad secundũ paruũ digitũ sitę sectiõe, de qua fusius deinceps disseret.

14 Quæcunq; igitur de hac speculatione à medicis dicta sunt, ea si scribere aggrediar, opus erit libro ijs sigillatim dicato, eoq; ingenti. Cæterum quemadmodum in alijs quæ hactenus definita sunt effeci, ut scilicet & mentem meam uobis exponerem, qui eam à rebus ipsis probari uidistis, idem nunc quoq; faciam, sumpto initio ab ijs quæ quotidie in laborantibus uidentur. Quæ quidem Hippocrates diligẽter obseruata, D memoriæ prodidit. Est uerò eorum unum primariumq; caput, hoc scilicet: Quibuscunq; κατ᾽ ἴξιν eruptio sanguinis accidit, summum id commodum laborantibus affert. (Hoc autem κατ᾽ ἴξιν quod in rectum intelligatur, omnibus confessum est, cũ clarissime sæpenumero hac uoce κατ᾽ ἴξιν in hoc utatur significato.) Quibus uerò contrà euenit, nihil iuuat, aut etiam interdum nocet, quòd uires scilicet citra morbi leuamen deijciat atq; exoluat. Nõ enim in liene turgente ex dextra nare erumpens sanguis, nec in iecore ex sinistra ullam fert utilitatem. Sed & reuulsio quibus in directum adhibetur, euidentem utilitatem celeriter ostendit: quibus contrà, haud etiam. Dextra igitur nare sanguis erumpens, ad dextrum hypochondrium fixa cucurbitula, clarè celeriterq; sistitur: sicut ad sinistrum, ex sinistra erumpens. Porrò reuulsionis causa, si uenam seces, in directe quidem oppositis sanguinis eruptionibus, citissimè conspicuam uidebis utilitatem. At si contrà seces, nihil profuerit. Sic affecto liene, æquè adiuuerit circa proximum medio digitum sinistræ manus incisa uena, atque si internam cubiti secueris. Multum enim iuuat afflictum lienem sanguinis ex sinistra manu detractio. Præstat autem non semel quantum conueniat extraxisse, sed in duos dies id partiri satius est. Inuenire tamen nequeo, quamobrem medici lienosis sanguinem detrahere neglexerint: si quidem ego ingentem perpetuò utilitatem prouenire conspexi, si uel libra una detracta foret. Vacuationis tamen mensura ex dictis scopis conijcienda est. Quin & pleuriticis, quæ è directo laborantis lateris adhibita fuit sanguinis missio, clarissimam sæpe utilitatem attulit: quæ uerò ex manu opposita, aut omnino obscurã, aut certè post temporis interuallum. Ad hæc, oculorum persæpe dolores grauissimos è directo uenæ, quàm humeralem nominant, sectio intra horæ unius spatium compescuit. Conari autem in omnibus affectibus præstat, post modicam sanguinis missionem iterato mittere: interim eodem die, si ita expedire uideatur: interim postridie, nisi si quando, ut antè dictum est, ad animi deliquium euacuationem ducere conueniat.

15 Itaq; dolentibus oculis humeralis uocata uena, quæq; ex ea deriuata est, in cubito incisæ, C luculentum celeriter cõmodum afferunt. Dolente uerò latere, aut pulmone, aut septo trãsuerso, aut liene, aut iecore, aut uẽtriculo, ea quæ per alas ad cubiti iuncturam pertingit. Hoc autem casu maximè interior secanda uenit: quòd si non, certè ea quæ ab ipsa diducta in iuncturæ apparet flexura. Nouistis sanè paulo antè ab humerali uena prędictam diduci, ipsam cõnectentẽ. Nam hi tres sunt loci mittendi ex cubito sanguinis, interior, exterior, medius. Igitur interior utilis est in ijs quibus inferiores collo partes patiũtur. Exterior uerò in ijs quibus quę his superiores sunt, ut facies aut caput. Medius locus interdum utrasq; habet diductas uenas in ulteriorem manus partem tendentes, ac deinde hic coeũtes: interim uerò celeriter in unum mutuò congredientes, in ipso uidelicet iuncturæ flexu, ac nõnunquam obscuram earum alteram, claram uerò alteram. Itaq; ubi uena quæ parti affectę propria est obscurior fuerit, & ad mediorũ aliquam accedas, conare, quæ à propria diducitur, potius incidere. Est uerò ubi & quæ inferiores sunt cubiti iunctura, eas quæ in ulna existunt scilicet, nihil secare prohibeat, ubi nimirum quæ in cubito sunt, non appareant, sed eas certè quæ in rectum sunt affectis. Porrò tã perspicuum sæpe celereq; remediũ, quæ è directo affectis partibus uenæ secantur afferunt, ut & qui patiuntur, & familiares ipsorũ sæpenumero obstupescant.

16 Itaq; ego olim rogatus sum à diuite quopiã in suburbijs Romanæ urbis, ut rerũ suarum œconomum inuiserẽ, cui cæcitatis imminebat pericu-

lũ,nã ita ille dicebat,certè magno dolore uexaba A
tur,idq; dieb.iam uiginti.Diuitis aũt illius familię
præfectus erat medicus sectæ Erasistrateæ,anxie
semper uenę sectionẽ refugiẽs. Vbi ergo laborã-
te inspecto,iuuenẽ eũ multi sanguinis cognouis-
sem,ac oculos quidẽ nondũ ulceratos habere:cæ
terũ phlegmonẽ maximam,fluxionemq;, tum in
ambabus palpebris pilositatẽ,atq; in altera quas-
dam etiam asperitates,à quib.oborta caligine æ-
grotus magis magisq; dolebat,ac phlegmone flu
xioq; acerbabant:his inquã cõspectis, cognitaq;
omni ratione curationis qua medicus ille usus fu
erat,me quidem assidue in suburbiũ uenire posse
negabam, cæterũ ex usu esse ut triduum ut mini-
mũ hominem paruis temporũ interuallis inspice
rem. Permitte igitur illum inquam mihi,si uidetur, B
tres hosce dies.Imò uerò,inquit,ut facias obsecro
gratiamq; habebo,quin iam hominem tecũ ad æ-
des tuas adduc. Venit aũt circiter horã quintam,
ac prima protinus detractiõe tres sanguinis libras
exhausi,deinde hora nona aliam.A quibus mirifi
ce oculis apertis: inunctus est postero die molliũ
collyriorũ quopiam, cui admistũ erat quod uinũ
habet,sicut in eiusmodi facere cõsueuimus, illitu
sub palpebris facto,specilli cuspide in summo me
dicamen impositum ferente. id primum quidem
mane faciebam,deinde ad horam quartã, postea
ad nonam,post quas inunctiones sub occasum so
lis in balneũ ductus est.Postero deinde die,palpe
bris extra uersis,bis inũctus est,maiore copia col
lyrij illius uinum recipientis,molli illi collyrio ad C
mista,dein ad uesperã lotus est.Postridie uerò ma
ne obuius diuiti illi egressus, eò loci ubi ex uehi-
culis descẽdere solent,salutauit illum oculis aper
tis,phlegmoneq; ac fluxione planè liberis,qui an
te biduũ illos ne aperire quidem præ fluxiõe atq;
dolore potuerat.Itaq; res incantationi similis uisa
est,adeò ut & ipse ille curationis celeritatem ad-
miratus,exclamaret,unaq; qui cum eo erant,om-
nes in clamorem prorumperẽt, cum nos interim
haud magnum quippiam fecissemus,nisi tantum
ex medici illius cõparatione, qui summũ malum
attulerat uenę sectionis metu.Porrò ex palpebris
restabant extergẽdæ laboranti tum pilositates il-
læ,tum asperitates, cæterum id fieri nõ poterat ci
tra medicamẽtum mordax. Atqui ferre illud neu D
tiquam potuisset,nisi prius expurgatus foret.Di-
ctum enim sæpe à nobis demõstratumq; est,acria
omnia medicamenta parti cuiuis admota, nisi ua
cuum corpus omne fuerit,atq; adamussim excre
menti expers, fluxionem attrahere, phlegmo-
nemq; efficere. Percontatus itaq; tunc diues quæ
nam ea fuisset incãtatio, req; omni intellecta, ex-
inde Erasistrateũ illum medicum αἱμοφόβον,qua-
si dicas sanguifugum,nominabat. Hæc itaq; nar-
ratio utriusq; indicationem continet, tum quòd
in affectionibus eiusmodi uenam secare oporte-
at, quod in præsenti oratione propositum nobis
haud erat, tum quod è directo laborantium par-
tium:præterea humerales uenas secandas, ubi su
periores pectore partes laborant.

17 Porrò quemadmodum prædictæ omnes
partes in cubito secta uena iuuant, ut dictum est,
sic quæ his inferiores sunt, illis quæ per poplites
& malleolos decurrunt.Sunt autem dictis inferi-
ores coxendix, uterus, uesica. At renes cui parti
adscribi debeant,ambigunt: siquidem inferiores
sunt ijs,quas prius recensuimus: superiores uerò
quàm eæ quas secundo loco. Itaq; misso ex cubi-
to sanguini interdum auscultant,ubi uidelicet re-
cens fuerit phlegmone, copiaq; sanguinis adfue-
rit.Quibus uerò affectio inest, quam proprie ne-
phritim nominãt,eã quæ in poplite est,secare ex-
pedit,aut certè quæ in malleolis sunt. Porrò uteri
inflammationes magis etiam quàm renum à ue-
nis in crure sectis iuuantur. Nam quæ ex cubito
fiunt euacuatiões,aliud etiam habent adiunctum
malum:nempe quòd purgationes menstruas cõ-
primant,sanguinemq; ad superiores corporis par
tes retrahant.Quę uerò fiunt ex cruribus,tantum
abest ut retrahant,ut etiam menses promoueant,
ac ubi id facere uolueris,tempus consueti mulie-
ri circuitus tribus quatuórue diebus anteuertas,
aut uena incisa, aut scarificatis talis cruris unius
pauculum euacuato:deinde postero die similiter
facito in crure altero, ut tamen etiam istis diebus
in quibus uacuas, & ante eos quatuor aut quinq;
extenuantem uictũ procures.Conscriptus est au-
tem à nobis seorsum liber De uictu extenuante.
Sed mulieribus menses abunde prouocant & ne
pita, & pulegium.Exhibebis ea in aqua mulsa co
cta,sed antea contusa,arida,cribroq; subtili excre
ta,ac rursum trita usq; dum pollinem tenuitate re
ferant,ita deniq; aquæ mulsæ insperge.Porrò cõ-
uenientissimum potui tempus est à balneo inuo-
lutis adhuc linteo:atq; hæc quidem medicamen-
ta mitia sunt. Valẽtiora sunt sauina & dictamnũ:
cæterum usus antè dictis similis. Datur autem &
hoc tempore medicamentũ,quod proprie Ama-
tum appellant, centũ habens aloes drachmas mi-
stis aliorũ medicaminũ cuiusq; sex. Optimum au
tem est,ubi cinamomũ acceperit. Sed hæc obiter
sint dicta,quamq; nõ à re ipsa aliena,quandoqui-
dem sanguinis ex utero fluxui auxiliatur, cũ eua-
cuatione ex cruribus,quæ fiat aut malleolis scari-
ficatis,aut incisa in talo aut poplite uena.

18 Memini me ischiadas, siue coxẽdices uno
die facta ex crure euacuatiõe curasse, nimirũ ubi
nõ ex frigore, sed impletis sanguine quæ in coxa
sunt uenis prouenissent. quare secta in poplite ue
na,cõmodior ita affectis est, quàm in malleolo.Scari-
ficatio autem nihil perspicuo illis prodest. Porrò
ut summatim dicam,incipientes phlegmonas re-
uulsu euacuare oportet:quæ uerò inueteratę iam
sunt, ex ipsis, si fieri potest, affectis partibus: quòd si
nequeat, saltem ex uicinis.Etẽim in incipientibus
auertere quod influit,expedit, in inueteratis aũt,
ipsum tantum quod affectæ parti infixum est, e-
uacuare.Euacuabitur porrò id optime per uenas
diductas ab ijs quæ in partib.ipsis sunt sitæ. Huic
ratiõi experiẽtia quoq; subscribit. Quocirca quæ
in faucibus & arteria,graui torquẽtur inflamma-
tione

tione, in principio quidem aperta in cubito uena, post principiū aūt in ipsa lingua magnifice prodest, incisis uidelicet uenis quæ in ea sunt ambab. Sic induratæ phlegmonarū in oculis reliquiæ, secta quæ ad magnū decurrit angulū uena, mirifice iuuant: sicut capitis grauitates, & inueteratos in eo ex plenitudine dolores leuare manifeste solet tusa in fronte uena, at incipiētes, aut etiā uigētes, per cucurbitam in ceruice procurata retractio, interim quidem solam, interim cum scarificatione. Cæterum præuacuatum esse corpus uniuersum oportet. Eadē ratione incipiētes in occipitio dolores, aut etiā uigentes, incisa frontis uena iuuat: quippe reuulsiones cū euacuatione adhiberi magis debent in fluxionibus incipientibus: quæ uero fiunt, ex ipsis partib. affectis, aut illis uicinis, in phlegmonis quæ uelut scirrhi naturam referunt.

19 In quib. aūt corporib. nulla dū particula affecta est, cæterū uacuationē uere ineūte anteuertimus: in ijs siquidē talis sit homo, qui quotannis æstiuo tēpore febrilib. morbis obnoxius esse assolet, atq; in eo exundātiā euacuare studem⁹, æque pars quæuis in sanguinis detractionē accōmoda est, sicut sanè etiā si arthriticus sit, omnibus articulis laborās. Quib. aūt eximia pars quæpiā, ubi prius euacuati nō fuerint, infestet, haud æque liceat ex quauis parte euacuationē moliri, uerū sicut in ijs qui pati iam occipiūt. Quamobrē podagricos ex cubito euacuato, comitialib. uerò morbis, uertiginibusq; obnoxios potius ex crurib. Cæterū si retētæ hæmorrhoides mittēdi sanguinis occasio sint: siquidē cohibere eas uoles, quæ in brachio sunt: sin prouocare, quæ in crurib. sunt, uenas secare cōuenit. At in ijs quibus repressi sunt menses, semper in crurib. Nō eīn ut in hæmorrhoidibus, quidā eiusmodi liberari euacuatiōe uolūt, quidā habere etiā gaudēt, ita quoq; se res habet in mensium purgatiōe. Quippe cum hæmorrhoidū euacuationem uereamur, ne in tantam euadat immoderationē, ut hominē uel protinus interimat, uel aquæ inter cutem obnoxiū, aut habitus mali reddat. At uteri purgationibus, ut quæ secundū naturā sunt, tale nihil euenit. Accidit tamen aliquando, ut ex utero per erosionem sanguis erūpat, in quib. nō idem est curationis scopus: siquidē haud effluere sanguinem uolumus, uti ex mēsibus, sed plane sistere cōsilium est. Communis ergo in his omnibus, ijs qui uere ineunte ad sanguinis missionem accedunt, hæc ratio est: siquidem insigniter infirmam partem aliquam habeant, in quam quæ colligitur, plenitudo decumbat, per reuulsionem euacuare. at si tale nihil sit, quā cuiq; magis placebit, excepta tamen aut hæmorrhoidis, aut mensium retentione, ut paulo antè definiuimus.

20 Et de hac quidē re suprà quoq; dictum est. Veruntamen satius fuerit & hic quoq; oīa percurrere, omnibus quæ antè dicta sunt in unū collectis, & si qua minus exacte distincta sunt, unà discretis. Igitur uniuersim hoc sciendū, in sanguinis missione dierum numero haud attendēdum, sicut quidā scripsere, ac nōnulli admodū ridicule,

A post tertię diei circuitū, quando uidelicet, ut aiūt, dignotio quædā habet, qualis sit in forma & moribus, atq; adeò tota natura sua morbus. Alij præstantissimū terminū mittendi sanguinis definiūt in circuituū interuallis, electo quo libeat die. Alij detrahere festināt, quibus sanguinis detractionē ex usu esse statuerint, transfluente etiamnū eo, ac ubi necdū firmiter in parte superfluitatē recipiente inhæserit, unū modo cōsiderātes, nū corruptio aliqua cibi in uentre cōcoquendi sit facta, aut tarda cōcoctio, aut etiam cibi in eo cōtineant. Ergo quod maturandū sit, in quib. uacuatio ex usu est, nisi prius concoqui aut cibos, aut in primis uenis cōtentos semicoctos succos oporteat, rectissimè præcipiūt, habendaq; fides. Verū quoniam quintum sæpe diem, aut sextum ab initio expectant,
B priusquam nos ad curandum accersant, expediet nihilo secius quoq; sanguinem detrahere, etiamsi huius auxilij primū tēpus sit omissum. Quocunq; enim die mittendi sanguinis scopos in laborante inueneris, in eo auxilium illud adhibeto, etiam si uel uigesimus is ab initio extiterit. At quinam fuerint hi scopi? Morbus ingens, roburq; uiriū, excepta ętate puerili, & aere nos ambiente ualde calido. Porrò aūt quoniam exoluitur temporis tractu in plerisq; morbis uirtus, idcirco & mittendi sanguinis occasio dierum numero deperdit, non tanquam primario id dies efficiant, ac nōn re aliqua intercedente, nempe uiriū dissolutione. Itaq; si quando uel secundo à principio die uires exolui uideantur, à uena secanda abstinebimus. Sede-
C nim quod in ipso rursum die in quo sanguinē mittimus, obseruanda sit febris declinatio, clarere satis arbitror, quanquam quibusdam id non satis sit notum, qui mane tātum tundendam esse uenam, aut ad summum in horam usq; quintā aut sextam existimant. Verū si quis memoria teneat, quæ toto suprà libro sunt dicta, nihil is delinquet sanguinem mittens, quauis diei noctisq; hora, modo respiciat in febrientibus particularium circuituum declinationem. In quib. autem aut ob oculorum lippitudinem, aut aliud simile citra febrem, hoc opus est auxilio, nō declinationem omnino non præsentis febris, sed magnitudinem aut doloris, aut phlegmones, aut totius affectus in quo secta
D opus est uena, inspicere conuenit. Cum aūt nihil eiusmodi aut urgeat, aut prohibeat, præstat mane uenam incidere, haud protinus ex somno excitis, uerum circiter horam unā iam antea uigilātibus. Cæterum in quibus uere ineunte uenam incidere aggredimur, aut propter febris metum, aut alterius cuiuspiam affectus, scio me sanguinem misisse quibusdam etiam posteaq; rerum solitarum quippiā obijssent, siue in ludo literario siue in officinis, siue in foro siue in ædibus. Iteratæ tamen detractionis tempus, in quibus simpliciter quidem uacuare conamur, eodem die esto. At in quibus reuellere, si uel duobus deinceps diebus fiat, melius fuerit. Porrò intento semper animo in omnibus id genus in laborantis uires esto, manu iugiter arterijs illius admota. Sunt enim quidam tam

ad patiendum apti, ut cōfertam inanitionem non ferant: quo casu, refecto primo die ęgroto, iterare secundo detractionem expedit.

21 Quòd aūt arterias antiqui uenas appellāt, & à nobis alibi demonstratū est, & ante nos alijs cōfessum extitit. ob idipsum ergo, ac prȩterea doctrinæ affinitatē, compendij gratia satius mihi uisum est, haud alium conscribere librū De arteria secanda, sed orationi de secanda uena annectere, atque idipsum in hac parte in qua consideramus, quas uenas ob quas partes affectas secare oporteat. Sicut enim alias uenas ob alias affectas partes ostendimus secandas, sic quoqꝫ & quæ in tēporibus sunt arterias, & quæ post aures, incidere medicis mos est. In temporibus quidem, infestantib. oculos fluxiōibus tum calidis tum flatuosis. Post aures uerò in uertiginosis maxime, & qui diuturnis doloribus capitis calidis ac flatuosis affligun- B tur. Iam uerò & ob alios quoqꝫ affectus in capite consistētes diutinos, sunt qui arteriarū post aures utunt̄ sectione, nō tamē in alia ulla particula affecta eā adhibuerūt, tametsi multæ sint quibus hoc potius auxilio q̄ uenæ sectione sit opus. Vbi enī calidus flatuosusqꝫ infestat sanguis in arterijs aceruatus, illic cōmunibus parti affectæ sectis arterijs est opus. Verū propter difficilem fluxus arteriæ compresśionē, arterias medici incidere metuunt, quippe cum si quis in secāda forte uena arteriam uulnerarit, ægre statim sanguinis eruptionē compescat, ac ubi res optime cadat, ad cicatricē perducta diuisione, tamen aneurysma, hoc est arteriæ incisæ dilatatio existat. C

22 Quin & interijsse quosdam noui ab arteria interiori in cubito uenę subiecta, nōnullos quidē protinus ob uinculū imperite à medicis iniectū, adeò ut sanguinis eruptio in gangrænā euaderet, alios postea in aneurysmate manu curādo defunctos. Necesse enim hic est laqueo uasculum constringere. Itaqꝫ maiusculas arterias medici eas ob causas refugiūt, paruas autem tanq̄ haud ita multum profuturas. Quanquam & ipsæ quoqꝫ nonnunquam haud paruum attulisse commodum uisæ sunt, cum hoc quod citra aneurysma cicatrice claudant̄. Quin & si maior sit arteria, & ipsa quoque citra aneurysma cicatrice includi potest, tota nimirum dissecta, idqꝫ ipsum sæpenumero imminens ex sanguinis profluuio discrimen sustulit. Clare enim apparet, cum tota trāsuersim per se totam discinditur, reuulsis utrinqꝫ partibus ambabus, unam sursum, alterā deorsum cōcedere. Atqꝫ id quidem & uenis usuuenit, sed arterijs semper plus quàm uenis. Sanè uerò quæ mihi occasio extiterit secandæ arteriæ, nunc iam edisseram. Monitus per quædam insomnia, quorum duo perspicuò mihi uisa sunt, accesśi ad dextræ manus arteriam, inter indicē & pollicē sitam, siuiqꝫ fluere donec sponte sanguis resisteret, nam ita somniū præceperat. Effluxit autem nō tota libra. Subito itaqꝫ diuturnus extinctus dolor est, in illa maxime parte fixus, qua iecur septo transuerso committitur. Mihi quidem hoc ætate iuuenili euenit. At minister dei Pergami, diutino lateris cruciatu laborās, liberatus est arteria in summa manu incisa, aggresus & ipse illud insomnij monitu. Porrò alteri cui ex uulnere in malleolo inflicto dissecta arteria fuerat, sanguinis quidē cursus haud quieuit, donec ego uocatus totam dissecui, ac medicamento ex aloe & māna, & ouorū albumine cū pilis leporū molliusculis imposito fuissem usus, citraqꝫ aneurysma curatū est uulnus, obducta uidelicet arteriæ osculo carne. Vir aūt ille quartū iam annum non exiguis temporum interuallis coxæ dolore uexatus, exinde prorsum sanus extitit. Hæc itaqꝫ mihi persuaserūt, ut subinde in summis artubus, immo et in capite arterias secarē in omnibus doloribus, qui à calida flatuosaqꝫ substantia nasci uidebantur, & maxime in membranis, quarum dolor punctioni similis est, ac sensim expanditur, pungente quidem sensu una in parte, tanquam in affecti loci cētro infixo, tensionis uerò sensum percipiente omni circumcirca ad centrum musculo.

TOMI QVINTI FINIS.

SERIES CHARTARVM.
abcdefghiklmnopqrstuxyz. ABCD
EFGHIKLMNOPQRSTVXYZ&.
Omnes terniones.

BASILEAE APVD HIERONYMVM
FROBENIVM ET NICOLAVM EPISCOPIVM. MENSE MARTIO.
ANNO M D XLIX.

FRO BEN.